

R. P. F. FRANCISCI
HENNO

Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ D. Andreæ Lectoris Jubilati

THEOLOGIA
DOGMATICA,
MORALIS ET SCHOLASTICA.

Opus Principiis Thomisticis, & Scotisticis, quantùm licuit, accommodatum, complectensque Casus omnes obvios ex firmis Scripturæ, Conciliorum, Canonum, & SS. Patrum Sententiis resolutos.

TOMUS SECUNDUS

Complectens Tractatus de Restitutione, Jure & Justitia, ac Statu Religioso, Verbi Divini Incarnatione, nec non de Sacramentis in Genere & Specie.





VENETIIS, MDCCXIX.

Apud Antonium Bortoli.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Aradoxum videre crediderunt aliqui, dum legerunt in fronte Tractatus nostri super Decalogum: Opus Principiis Thomisticis & Scotisticis accommodatum; *sed paradoxum fuit Scoti doctrinam ignorantibus: Veritas scientibus: quandoquidem in materia morali omnia, aut fere omnia Doctoris Subtilis principia (quæ sunt solida magni Augustini oracula) sint Doctoris Angelici principiis ita conformia, ut vix unus, etiam D. Thomæ Interpres aut Discipulus, fuerit in rebus ad mores spectantibus eidem Doctori conformior. Aliqua reperitur quidem inter Scotum & D. Thomam opinionum diversitas, sed in rebus speculativis, sed in materiis Scholasticis. Cesset hic invidia, cessabit & ignorantia: & qui Doctores Angelicum & Subtilem dixerunt in moralibus difformes, ultra fatebuntur conformes. Reddet, reddet aliquando Deus tanto Doctori laudem & præmium, quæ merentur ejus opera verè tuta, verè solida, verè subtilia, & quem deprimere conata est invidia, attollere ac Beatorum fastis adscribere dignabitur Sedes Apostolica, quæ nunc in ejusdem Beatificationis processu instanter occupatur.*



INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum in hoc Tomo Secundo contentorum.

TRACTATUS I.

De Restitutione.

DISPUTATIO I.

De natura, & obligatione Restitutionis.

DISPUTATIO II.

De modo quo facienda est Restitutio.

DISPUTATIO III.

De illis, quibus facienda est Restitutio.

DISPUTATIO IV.

De Restitutione facienda ab iis, qui damno cooperantur.

VI.

DISPUTATIO V.

De causis à Restitutione excusantibus.

DISPUTATIO VI.

De Restitutione in particulari.

TRACTATUS II.

De Jure & Justitia.

DISPUTATIO I.

De Jure & Justitia in communi.

DISPUTATIO II.

De speciebus Juris.

DISPUTATIO III.

De subjecto & objecto Dominii.

DISPUTATIO IV.

De modo acquirendi Dominium.

DISPUTATIO V.

De Contractibus in genere.

DISPUTATIO VI.

De contractibus gratuitis.

DISPUTATIO VII.

De Contractibus onerosis.

DISPUTATIO VIII.

De Mutuo & Usura.

DISPUTATIO IX.

De Cambio, Contractu Societatis & Censibus.

DISPUTATIO Ultima.

De Reliquis Contractibus.

Appendix seu disputatio Accessoria de Judice & Judicio publico.

III.

TRACTATUS III.

De Statu Religioso.

DISPUTATIO UNICA.

De Variis Statum Religiosum concernentibus.

THEOLOGIA DOGMATICA
ET SCHOLASTICA

De Verbi Divini Incarnatione.

DISPUTATIO I.

De quidditate, possibilitate, convenientia, necessitate & fine Incarnationis.

DISPUTATIO II.

De actione incarnativa secundum se, ejusque Principio & termino.

DISPUTATIO III.

De modo, quo facta est Unio Hypostatica.

DISPUTATIO IV.

De causa meritoria Incarnationis.

DISPUTATIO V.

De persona assumente.

DISPUTATIO VI.

De natura assumpta & assumptibili.

DISPUTATIO VII.

De defectibus, quos assumpsit Christus.

DISPUTATIO VIII.

De Christo secundùm se.

DISPUTATIO IX.

De communicatione idiomatum.

DISPUTATIO X.

De Scientia Christi.

DISPUTATIO XI

De Christi Voluntate.

DISPU-

DISPUTATIO XII.

De Christi Domini Potentia.

DISPUTATIO XIII.

De Christi Virtutibus, Donis, & Gratiis gratis datis.

DISPUTATIO XIV.

De Christi Gratia.

DISPUTATIO XV.

De Christi Domini meritis.

DISPUTATIO XVI.

De Christi Domini satisfactione.

DISPUTATIO XVII.

De Christi Officiis & Dignitatibus.

TRACTATUS BREVIS.

De præcipuis Vitæ Christi Mysteriis.

Index Disputationum,

THEOLOGIA MORALIS
ET SCHOLASTICA
De Sacramentis.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in Genere.

DISPUTATIO I.

De essentia & quidditate Sacramenti.

DISPUTATIO II.

De necessitate, existentia, numero & institutione Sacramentorum.

DISPUTATIO III.

De materia & forma Sacramentorum.

DISPUTATIO IV.

De Ministro Sacramentorum.

DISPUTATIO V.

De suscipiente Sacramenta & requisitis ex parte illius.

DISPUTATIO VI.

De primario effectu Sacramentorum.

2. Quæ-

TRACTATUS IV.

De almo Eucharistiæ Sacramento.

DISPUTATIO I.

De essentia, institutione, & necessitate Eucharistiæ.

DISPUTATIO II.

De Materia Eucharistiæ.

DISPUTATIO III.

De Forma Eucharistiæ.

DISPUTATIO IV.

De Transubstantiatione.

DISPUTATIO V.

De Christi actionibus & passionibus in Eucharistia.

DISPUTATIO VI.

De speciebus Eucharisticis.

DIS-

IV. An,

DISPUTATIO IV.

De Contritione.

DISPUTATIO V.

De secunda parte hujus Sacramenti seu Confessione.

DISPUTATIO VI.

De satisfactione Sacramentali.

DISPUTATIO VII.

De praxi remittendi & retinendi peccata.

DISPUTATIO VIII.

De ministro hujus Sacramenti, & de jurisdictione ad ejus valorem requisita.

DIS-

DISPUTATIO IX.

De poteſtate Regularium in hoc Tribunali.

DISPUTATIO X.

De ſigillo Confeſſionis.

TRACTATUS VI.

De Extrema Unctione.

DISPUTATIO UNICA.

De Natura, Materia, Forma, Miniſtro, & effectu Extremæ-Unctionis.

TRACTATUS VII.

De Sacramento Ordinis.

DISPUTATIO UNICA.

De omnibus Ordinis Sacramentum concernentibus.

TRACTATUS VIII.

De magno Matrimonii Sacramento.

DISPUTATIO I.

De Sponſalibus.

DISPU-

DISPUTATIO II.

De natura, partibus, & ministro Matrimonii.

DISPUTATIO III.

De consensu ad Matrimonium requisito.

DISPUTATIO IV.

De unione & indissolubilitate Matrimonii.

DISPUTATIO V.

De Divortio & obligatione cohabitandi.

DISPUTATIO VI.

De debito conjugali & usu Matrimonii.

DISPUTATIO VII.

De impedimentis Matrimonii.



THEOLOGIA MORALIS ET SCHOLASTICA.

TRACTATUS PRIMUS.

DE RESTITUTIONE.

NEGOTIUM sanè tum sui utilitate, tum materiarum amplitudine ita necessarium, ut non immeritò Tractatus integer & particularis pro ipsius expositione, ac elucidatione assignetur. Ut autem ordinem clarum & facilem stabiliamus, primò de restitutione in communi, idest, de ejus natura, proprietatibus & obligatione, ac etiam de ordine, loco, tempore, modo, quo facienda est, sicut & de personis, quibus fieri debet, tractabimus, Deinde de restitutione in particulari, seu de illa quæ fieri debet ob violatam in diversis materiis Justitiam, puta in fama, in honore, in integritate corporali, in bonis fortunæ &c. breviter differemus.

DISPUTATIO I.

De natura & obligatione Restitutionis,

RESTITUTIO, si spectetur nominis etymologia, est alicujus in pristinum statum repositio: quo sensu, qui ab aliquo officio decidit, & ad idem reassumitur, dicitur in gradum priorem restitui; sive interim id sibi debeatur, sive non; sed hic strictius accipitur, nempè pro actu Justitiæ, quo res ablata, detenta, læsa, aut destructa indemnis in se, vel in æquivalenti domino redditur.

QUÆSTIO I.

Quid Restitutio, an sit ad salutem necessaria & unde oriatur illius obligatio?

CONCLUSIO I.

RESTITUTIO est actus Justitiæ commutativæ, quo vel suum domino redditur, vel damnum illatum reparatur.

Dicitur 1. *Actus Justitiæ;* quia per illam redditur dominus indemnis in rebus suis, ad quod inclinat Justitia, quæ est virtus tribuens unicuique quod suum est.

Dicitur 2. *Commutativæ;* quia in restitutione servari debet æqualitas rei ad rem, ita ut tantum reddatur aut reparetur, quantum fuit ablatum, aut damnificatum.

Dicitur 3. *Quo vel suum*, & in hoc differt restitutio à Solutione, quòd hæc fiat ex proprio solventis, illa ex proprio recipientis. Cujus ratio est, quòd ille cui fit solutio, ante solutionem non sit dominus rei solvendæ: ille autem, cui fit restitutio, sit anteà dominus rei restituendæ, saltem ubi restituitur res in sua specie, & inde sequitur pecuniam mutuo acceptam, in rigore non restitui, sed solvi: cùm pecunia mutuo data statim fiat accipientis tanquam domini.

Dicitur 4. *Domino redditur;* & ideò licèt tua restitutio facta creditori tui creditoris valeat in foro conscientiæ, non admittitur tamen in foro externo, imò etiam in foro interno, si quod indè detrimentum patiatur dominus, resarciendum est.

Dicitur 5. *Vel damnum illatum reparatur;* quia cùm non tantùm violetur justitia alienum auferendo, sed etiam alienum destruendo, aut deteriorando, postulat æquitas, ut indemnizetur proximus tam in rei suæ damnificatione, quàm in ejusdem ablatione, aut retentione, Ex dictis.

Resol. 1. Ex violatione Charitatis, Religionis, aut alterius virtutis nunquam oriri obligationem restituendi: quia restitutio, cùm sit actus Justitiæ, necessariò supponit Justitiam violatam, aut saltem violandam, & ideò qui negligit succurrere indigenti, ad quod non tenebatur ex Justitia, sed ex Charitate, non est obnoxius restitutioni.

Resol. 2. Nec oriri vinculum restitutionis ex læsione solius Justitiæ distributivæ; quia tunc alienum nec aufertur, nec læditur; cùm supponatur illos, quibus fit bonorum communium distributio, non habere jus ad illa, aliàs violaretur Justitia commutativa: & ideo

Resol. 3. Filium obligatum ex patris testamento distribuere parochiæ pauperibus 20. raserias bladi, juxta uniuscujusque paupertatem, teneri satisfacere, si aliquibus minùs dederit, quàm requireret eorum paupertas, non quia læsit Justitiam distributivam, sed commutativam, eo quòd quilibet pauper haberet jus ratione testamenti ad portionem suæ inopiæ proportionatam. Idem dic in casibus similibus.

CONCLUSIO II.

NECESSARIA est ad salutem restitutio necessitate præcepti, non necessitate medii. Est autem Necessarium necessitate medii id sine quo non potest obtineri salus, etiamsi inculpabiliter omittatur: ut Baptismus in re parvulis, Pœnitentia lapsis &c. Necessarium verò necessitate præcepti id sine quo potest obtineri salus, si sine culpa omittatur, ut sumptio Eucharistiæ &c.

Prob. 1. Pars (quam olim negaverunt quidam Græci, imò & Erasmus, qui tandem editione quinta sententiam mutavit) probatur, inquam, tum ex Scriptura Rom. 8. *Reddite omnibus debita;* tum ex Aug. Epist. 54. ad Macedonium: *Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Tum ratione naturali dictante esse alteri faciendum, quod quis vellet sibi fieri; atqui læsus in suis cupit indemnificari; ergo & idipsum præstare debet aliis. Accedit, quòd sit de necessitate salutis servare Justitiam commutativam; atqui restitutio est actus illius virtutis, ut diximus: ergo.

Obji. 1. Nullo Decalogi præcepto injungitur restitutio: ergo.

Resp. Neg. Ant. Qui enim dixit, non capies alienum invi-

to domino, dixit & implicitè non retinebis alienum eodem invito, cùm eodem modo lædatur proximus per injustam rei suæ detentionem, ac per ejusdem ablationem, & consequenter diei potest pertinere restitutionem ad septimum præceptum.

Obji. 2. Illud Lucæ c. 11. *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis*, ubi Christus alloquitur Pharisæos, qui intus erant pleni rapina & iniquitate: ergo falsum est, quòd restitutio sit ad salutem necessaria.

Resp. Variè varios ad hunc locum respondisse; sed, omissis aliis expositionibus, dico, quòd sicut Christus per illa verba non exclusit Pœnitentiam; ita nec restitutionem: unde nihil aliud voluit, quàm quòd operibus Justitiæ & Pœnitentiæ adjungere deberent opera Misericordiæ pro peccatis.

Obji. 3. Dominus rei detentæ, non est rationabiliter invitus: ergo detentor non tenetur illam reddere. Prob. Ant. quia ne detentor peccet retinendo, debet dominus ex lege charitatis rem suam illi cedere; cùm bonum spirituale prævaleat temporali.

Resp. Neg. Ant. & ejus Prob quia non tenemur impedire peccatum proximi cum magno nostri detrimento, alioqui deberemus dare 100. aureos homini volenti furari, si aliàs non vellet à furto abstinere: quod nemo dixerit.

Prob 2 Pars; quia ignorans invincibiliter se obligari ad restitutionem, aut factus impotens ad illam, potest salvari, ut concedunt omnes: ergo evidens est, non esse necessariam necessitate medii: quod expressè docet August. Epist. 54. sup. *Non remittetur peccatum*, inquit, *nisi restituatur ablatum: sed, ut dixi, cum restitui potest*. Ex quo deducitur, restitutionis incapacem posse à peccato absolvi, adeoque salvari. Ex dictis in hac conclusione

Resol. 1. Procrastinantes sine justa causa restitutionem de die in diem esse in continuo peccato, tenerique ad omne interesse indè proveniens domino. Ratio est; quia restitutionis præceptum obligat statim, ubi commodè fieri potest.

Resol. 2. Corrigendum esse errorem vulgi putantis animas Defunctorum tamdiu in Purgatorio torqueri, quamdiu restitutio, ad quam tenebantur, non mandatur executioni. Puniuntur quidem ibi propter negligentiam propriam restituendi, non tamen ob negligentiam hæredum; cùm ibidem expientur peccata propria, non aliena.

Resol. 3. Posse tamen hæredes restituendo, liberare citius animam defuncti, in quantùm nempè restitutio est actio meritoria, adeoque impetratoria liberationis: & ideò forte cap. 5. *De Raptoribus*: monentur hæredes Incendiarii condignè pro incendio satisfacere, ut liberetur Incendiarius.

CONCLUSIO III.

OBligatio restitutionis oritur ex triplici capite, aut quasi ex triplici capite: nempè ratione rei acceptæ tantùm, ratione injustæ acceptionis tantùm, & ratione utriusque. *Ratione rei acceptæ* tenetur restituere, qui habet apud se rem alienam sine sua culpa, puta, donatione, emptione, deposito, aut alio titulo apparenter justo, eo quòd habeat quod suum non est. *Ratione injustæ acceptionis* obnoxius est restitutioni, qui rapina aut furto abstulit rem alienam, quam destruxit, dissipavit, aut consumpsit. Item & ille qui proximum damnificavit v. g. domum incendendo, segetes vastando, equum occidendo &c. quia licèt sibi per hoc non profuerit, alteri tamen nocuit, justitiamque læsit, quam ideò tenetur reparare: unde *injusta acceptio* hic comprehendit & quamlibet injustam damnificationem, etiam sine emolumento damnificantis. *Ratione utriusque* restitutionem facere debet qui rem furto ablatam apud se retinet. Alii alios proferunt titulos, nempè ratione contractus, aut quasi contractus, sed inde oritur obligatio solvendi, non restituendi.

QUÆSTIO II.

Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis?

SUppono 1. culpam aliter usurpari à Jure Consultis, aliter à Theologis: hi enim culpam sumunt pro peccato sive mortali, sive veniali, & dicitur culpa Theologica: illi autem pro quadam incircumspectione, seu negligentia, ex qua damnum oritur proximo; sive interim Deus offendatur, sive non: & dicitur culpa Juridica.

Suppono 2. culpam Juridicam esse triplicem, nempè Latam, Levem, & Levissimam. Lata, est omissio diligentiæ à personis prudentibus ejusdem sortis in tali casu adhiberi solitæ: ut si famulus aut ancilla reliquerit officinam apertam vesperi. Levis, est omissio diligentiæ quam adhibent diligentiores, ut si non fuit clausa fenestra granarii elevati. Levissima, omissio circumspectionis, quæ à diligentissimis adhibetur, ut si eadem fenestra non fuit munita ferreis perticis. Huic triplici culpæ superaddunt aliqui duplicem, nempè Latiorem & Latissimam: hanc dicunt esse dolum evidentem, illam dolum præsumptum: ex prima semper oritur obligatio restituendi, ex secunda ordinariè.

Suppono 3. Quæstionem nostram esse intelligendam secluso contractu & officio, de quibus posteà.

CONCLUSIO I.

NUllus tenetur resarcire damnum secutum ex culpa Levi, aut Levissima. Est communis contra Adrianum, & Angelum, volentes obligationem oriri ex qualibet culpa.

Prob. Nullus tenetur esse magis circumspectus ad vitandum damnum alienum, quàm ad vitandum proprium; sed qui ad vitandum damnum proprium adhibet eam diligentiam, quam homines suæ sortis solent adhibere, non reputatur moraliter negligens, aut culpabilis: ergo respectu damni alieni, quod tunc potiùs fortuito, quàm ex culpa evenisse judicandum est.

Confirm. 1. Quia qui secluso contractu, aut quasi contractu, majorem requirit in altero diligentiam pro conservatione rei, quàm soleant homines ejusdem conditionis adhibere, censetur irrationabilis.

Confirm. 2. Ille non tenetur restituere ratione rei acceptæ, cùm supponatur alienum non habere: nec ratione injustæ acceptionis, cùm nulla interveniat culpa Theologica: ergo ex nullo capite.

CONCLUSIO II.

COmmunior & probabilior est sententia asserens, nequidem ex culpa lata oriri obligationem restitutionis, ubi propter naturalem inadvertentiam, aut oblivionem nulla prorsus intercedit culpa Theologica.

Ratio est; quia nulla formaliter committitur injustitia. Accedit, quòd damnum inferens non teneatur ratione rei acceptæ, utpotè non extantis; nec ratione injustæ acceptionis, cùm illius actio non sit formaliter injuriosa.

Dices 1. Exodi 21. & 22. præcipitur reparatio damni, etiam sine culpa Theologica commissi.

R. Cum Interpretibus, legem illam esse purè *judicialem*, adeoque exspirante Christo, exspirasse.

Dices 2. Gegorius IX. cap. ult. *De injuriis*: asserit non excusari eum, cujus imperitia, vel negligentia damnum illatum est, sed solùm eum, qui, *ut non accideret, de contingentibus nihil omisit*; atqui in nostro casu de contingentibus aliquid omisit: ergo.

R. Pontificem loqui de eo, qui aliquid omisit, aut neglexit cum culpa Theologica; subjicit enim: *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere*, ubi apertè de ignorantia vincibili, adeòque Theologicè culpabili.

Dices 3. Obligatio restitutionis non oritur ex iniquo damnificantis animo, sed ex læsione damnificati, qui sive peccet damnificans, sive non, interim semper læditur.

R. Oriri quidem ex læsione proximi, sed formaliter injusta: sicut enim restitutio est actus formaliter reparans Justitiam; ità & supponit ipsam formaliter læsam. Ex dictis

Resol. 1. relinquentem ex pura oblivione naturali ignem aut candelam accensam in loco, unde comburitur domus ad nihil teneri; quia nullum intercessit peccatum.

Resol. 2. Nec à fortiori teneri restituere amentem, aut dormientem, si aliquem occidat, suppellectilem destruat, vestes laceret &c.

CONCLUSIO III.

EX qualibet culpa Theologica formaliter damnificativa, sive mortali, sive veniali, oritur obligatio restitutionis, saltem proportionatè ad culpam.

Prob. *De peccato mortali*; quia tunc damnum illatum, est planè voluntarium, adeòque totaliter imputabile damnificanti; & ideò secundùm omnes tenetur ad reperationem totius nocumenti.

Prob. *De peccato veniali*: vel enim damnificans peccat venialiter, quia damnum est leve, vel quia non satis advertit ad damnum grave: si primum, cùm omninò liberè & advertenter proximum damnificaverit, exigit æquitas naturalis, ut ipsum indemnem reddat. Et certè, si ille, qui ad valorem aurei alterum læsit, teneatur aureum restituere, quidni & ille,

qui

qui læsit pro schelingo, teneretur schelingum reddere? Si secundum, est actio formaliter Justitiæ læsiva, adeoque obnoxia Justitiæ reparationi.

QUÆSTIO III.

An grave nocumentum proveniens ex injustitia tantùm veniali, sit ex integro resarciendum?

DIco: *ex injustitia veniali*, idest, ex actione graviter quidem damnificativa; sed quæ defectu advertentiæ sufficientis excusetur à mortali. Circa hanc difficultatem variè opinantur Doctores: alii enim volunt non esse restituendum, alii contra totum, alii partem; sed ante resolutionem.

Notandum, rarò evenire, ut quis tantùm peccet venialiter per actionem graviter damnificativam: quia etsi in actibus internis nonnunquam desit advertentia ad peccatum mortale sufficiens, eo quòd actus illi facilè, sæpè & subtiliter oriantur, & quidem circa objecta naturali inclinationi arridentia; nihilominus non est idem de actibus externis, præsertim gravioribus: cùm enim rariùs eveniant, ideò fortiùs animum pulsant, suique cognitionem ingerunt. Præterea, ut conveniunt omnes, sufficit ad peccatum mortale cognitio confusa periculi, aut diligentiæ majoris adhibendæ, quam facilè gignit actus externus notabilis; & ideò, nisi constet de contrario, præsumendum est ordinariè loquendo, actionem graviter damnificativam, fuisse mortalem. In supposito tamen, quòd fuerit tantùm venialis, sit

CONCLUSIO UNICA.

NOn est obligatio reparandi damnum integrum. Est communior & verior.

Prob. Ubi injustitia formaliter levis, ibi levis obligatio restituendi; sed in nostro casu etsi injustitia sit materialiter gravis, est tamen levis formaliter, ut supponitur: ergo est tantùm levis obligatio restituendi; adeoque non est obligatio restituendi totum, aliàs obligatio esset notabilis. Prob. major. Ubi nulla est injustitia formaliter, ibi nulla obligatio restituendi, & ubi injustitia formaliter gravis, ibi & gravis restituendi obligatio: ergo ubi injustitia formaliter levis est, ibi tantùm levis obligatio restitutionis.

Confirm. In tantùm est onus reparandi justitiam, in quantum læsa est; atqui per peccatum veniale tantùm læditur leviter: ergo est tantùm onus leve illam reparandi, seu, quod idem est, est tantùm obligatio partem levem restituendi.

Obji. 1. Advertentia sufficiens ad veniale respicit totum damnum: ergo vel totum restituendum est, vel nihil.

R. dist. ant. Respicit totum damnum valdè admodum imperfectè, C. Perfectè, N. & ideò non totum, sed pars, juxta viri prudentis arbitrium, debet resarciri; ità ut sufficere possit restitutio quinquagesimæ aut sexagesimæ partis.

Obji. 2. Totum damnum ex alterius culpa accidit: ergo tenetur totum reparare.

R. Dist. ant. Ex alterius culpa graviter injuriosa. N. Leviter, C. & ideò nego consequentiam.

Replic. Onus Restitutionis sequitur nocumentum illatum; sed illud est notabile: ergo.

R. Dist. ant. Onus restitutionis ratione rei acceptæ sequitur nocumentum illatum, transeat. Dico *transeat*; quia non est semper verum, Ratione injustæ acceptionis, nego universaliter; alioqui etiam dormiens, aut amens, teneretur damnum reparare in somno, aut amentia factum. Onus ergo restitutionis propter injustam acceptionem potiùs sequitur injustitiam formalem, quàm nocumentum materialiter spectatum.

Inst. Ex injustitia veniali potest oriri gràvis obligatio restituendi: ergo.

R. Dist. ant. Ex injustitia veniali, defectu advertentiæ sufficientis ad damnum inferendum, N. ex injustitia veniali defectu advertentiæ ad priores damnificationes, ut si quis furetur schelingum nullatenus advertens ad 3. alios schelingos, quos anteà furatus est, C. Est autem discrimen inter unam & alteram, quòd in prima damnum non nisi imperfectissimè sit voluntarium; in secunda autem plenè & integrè voluntarium, cùm singulæ damnificationes supponantur factæ cum plena advertentia ad damnum, quod per illas inferebatur: unde hæc est actus injustitiæ perfectus, illa imperfectus.

Obji. 3. Qui accepit & consumpsit ovem alienam credens invincibiliter esse suam, tenetur restituere in quantum factus est ditior, licèt acceptio non sit injusta: ergo hic à fortiori.

R. Dist. Ant. Tenetur restituere ratione rei acceptæ in æquivalenti permanentis, C. ratione acceptionis, N. quia si non esset factus ditior, ad nihil teneretur.

Obji. 4. Peccatum veniale est obnoxium gravissimis Purgatorii tormentis; ergo à fortiori reparationi gravis nocumenti.

R. N. conseq. & suppositum; restitutio enim non est pœna, nec imponitur ad culpæ deletionem, sicut pœna Purgatorii; sed ad reparationem justitiæ læsæ; & ideò non plus obligat, quàm læsa sit formaliter.

Obji. 5. Sicut obligatio promissionis oritur ex voluntate promittentis; illius autem gravitas, vel levitas ex gravitate, vel levitate materiæ promissæ; ità obligatio restitutionis oritur ex actu formaliter injusto, sive mortali, sive veniali: illius autem gravitas aut levitas ex gravitate aut levitate damni illati; atqui in nostro casu reperitur actus formaliter injustus, & damnum illatum notabile: ergo.

R. Argumentum illud confirmare conclusionem nostram: sicut enim obligatio non oritur, nisi ex promissione facta cum plena & perfecta advertentia, ità nec oritur obligatio restitutionis integræ, nisi ex actu injustitiæ perfecto.

QUÆSTIO IV.

Ex qua culpa oriatur obligatio restituendi, ubi intervenit contractus?

CONCLUSIO I.

RAtione contractus potest quis obligari ex culpa juridica, etiam levissima, imò ex casu fortuito.

Ratio est; quia tanta est contractus obligatio, quantam imponunt sibi contrahentes: ergo, si in dictis casibus de obligatione restituendi conveniant, restituendum est.

CONCLUSIO II.

SI contractus cedat in utilitatem solius recipientis, ut fit in Commodato, oritur obligatio restituendi ex culpa etiam levissima, non tamen ex casu fortuito, nisi intercesserit culpa, mora aut pactum.

Prob. 1. pars: tum ex Jure Can. cap. unico *De Commodato*: ubi ait Pontifex: *cum gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*. Tum ex Jur. Civ. l. *In rebus*, ff. *Commodati*, ubi legitur: *in rebus Commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet*. Tum etiam ratione; quia diligentiam illam particularem exigit honestas & gratitudo, quam alter in re sua tibi commodanda benevolè ostendit; & ideò si pallium aut quid simile habueris commodato, & illud reliqueris in cubiculo, clauso quidem, sed non obserato, teneris illud restituere, si inde auferatur. Aliud esset, si illud tantùm haberes Precario: tunc enim, ut dicitur l. *Quæsitum*, ff. *de Precario*, solùm teneris ex dolo culpa lata; cùm minorem favorem faciat tibi dominus dando Precarium, quàm dando Commodatum: illud siquidem est ad nutum domini quandolibet revocabile, hoc autem non nisi post certum tempus.

Prob. 2. pars; quia quodlibet perit suo domino, & consequenter cùm res commodata, non sit commodatarii, sed commodantis, huic perit, & non illi; & hoc expressè decernitur cap. unico. *De Commodato*

Dixi: *Nisi intercesserit culpa, mora, aut pactum*; quia loco jam citato in terminis haberetur: *nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset*; & ideò si tibi commodatus est liber ad mensem, quem retinuisti per bimestre; si equum habuisti, ut conficeres 12. leucas, & cum eo confecisti 20. si habuisti servitium mensale argenteum, ut illo utereris in urbe, & tamen illo usus es in pago, teneris ad restitutionem: si eo tempore quo eras in culpa, vel in mora, casu fortuito perierint v. g. si liber igne consumptus est, si equus à latronibus captus: si servitium mensale ab hostibus ablatum. Excipe tamen, nisi res apud dominum eodem modo fuisset per casum fortuitum peritura, aut deterioranda, eo quòd non erat illam alienaturus; quia tunc nullatenùs censeris causa damni.

Sed quid si tempore debito rem commodatam (idem est de re locata, aut deposita) per nuncium creditum communiter fidelem remisisses, & interim fortuitò, aut etiam culpa nuncii periisset? Ad nihil teneris: quia res perit domino suo. Secùs esset de re mutuata, quæ in se, vel in æquivalenti remitteretur; quia cùm mutuatarius sit rei mutuatæ dominus, donec perveniat ad mutuatorem; illo casu ipsi periret.

Petes an, quando non potest quis in incendio, aut simili casu, rem suam & alienam commodatam salvare; possit suam alienæ præferre; Negant aliqui, ubi res aliena & propria sunt æqualis valoris, eo quòd teneatur rem alienam præcisè in suam utilitatem concessam diligentiùs custodire quàm propriã;

probabilius est tamen contrarium, quia sicut charitas bene ordinata incipit à se ipso, ita & à rebus propriis: volunt quidem leges ut custodiamus diligentissimè rem commodatam· nullibi tamen præcipiunt, ut, si nostra & illa non possint simul salvari; commodatam nostræ præferamus: nihilominùs si res nostra vilior esset commodata, hæc esset præferenda, etiamsi foret apud nos in nostri & domini utilitatem; non tamen si in utilitatem solius domini: & hæc videntur fundari in æquitate naturali.

CONCLUSIO III.

SI contractus cedat in utilitatem utriusque, idest tam accipientis, quàm tradentis, seu domini, tenetur accipiens ex culpa lata & levi; non tamen ex levissima. Patet ex lib. 3. Instit. tit. *Quibus modis contrahatur obligatio* §. *Creditor*, ubi dicitur, quòd accipiens pignus teneatur ad exactam illius custodiam: non tamen exactissimam, ut habeat Glossam ibidem; sed pignus cedit in utilitatem & creditoris, & debitoris, creditoris quidem, in quantum assecuratur per hoc quod sibi debetur; debitoris vero, in quantum pignus tenet locum pecuniæ: ergo. Præterea, quando contractus cedit in utilitatem solius domini, teneor ex culpa lata, quando autem in mei solius utilitatem, ex culpa levissima: ergo postulat æquitas, ut quando cedit in utilitatem utriusque, teneat ex culpa levi, quæ mediat inter utranque, & ideò, si habeam depositum pro mercede custodiendum, si habitem domum elocatam, si utar equo conducto, si habeam alienum in pignus, & illa perierint ex culpa mea sive lata, sive levi, teneor damnum resarcire, non sic, si tantùm fuerit culpa levissima.

CONCLUSIO IV.

SI contractus cedat in utilitatem solius domini, ut fit in Deposito gratis custodiendo, solùm obligaris ex dolo, aut culpa lata. Patet ex Justiniano lib. 3. institut. tit. 15. ubi dicitur: *Is, apud quem res aliqua deponitur .... ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit:* ubi secundùm Glossam: Interpretes, imò & jura, nomine *doli* etiam venit culpa lata.

Ratio conclusionis est; quòd non videatur justum ut quis non sibi, sed alteri utilitatem præbens teneatur, diligentius rem ipsius custodire, quàm propriam.

Porrò, licèt obligatio in tribus ultimis conclusionibus asserta, non oriatur ex natura rei, cùm spectato jure naturæ videatur quis obligationi suæ satisfacere, si rem commodatam custodiat, sicut suam item si in custodiendo commodato eandem diligentiam adhibeat, ac in custodiendo precario: nihilominùs leges humanas id statuentes in conscientia obligare, etiam ante omnem judicis sententiam, tenet communis sententia contra Sotum, quia, positis legibus censentur contractus dependenter ab earum dispositionibus fieri; sicut virtualiter intendant contrahentes ita se obligare.

QUÆSTIO V.

Ex qua culpa oriatur obligatio Restitutionis ratione Officii?

OFficiales, de quibus hic posset esse quæstio, sunt Coratores, Tutores, Advocati, Consiliarii, Pastores, Confessarii, Theologi, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Artifices, quorum aliqui id nummis exercent pro stipendio, alii gratis, alii ex justitia, alii ex charitate.

CONCLUSIO I.

NUllus illorum, ordinariè loquendo, tenetur ad restitutionem ex culpa levi aut levissima, etiam si mercede conductus munus suum obeat. Est communis contra Sylvium.

Prob. 1. quia eo ipso, quo quis assumit aliquod Officium, non censetur se ad plus obligare in eo exercendo, quàm soleant homines ejusdem officii & conditionis, & consequenter nonnisi ad diligentiam communem & ordinariam.

Prob. 2. quia si mercede conductus teneretur habere diligentiam majorem aut maximam, ipsius diligentia esset major ordinaria & non esset; esset, ut supponitur, & non esset, quia cùm omnes conducti tenerentur ex officio eandem habere, ipsius diligentia esset communis & ordinaria.

Dixi: *Ordinariè loquendo*; nam, si se præsentet tanquàm in sua arte, aut officio peritiorem aut diligentiorem & ideò avertat eum, qui talem quærebat, ab ulteriori inquisitione, tenetur ex culpa levi, imò & levissima, si dicat se peritissimum, aut diligentissimum.

Ratio est; quia eo ipso obligat se ad plus præstandum, quàm soleant alii.

CONCLUSIO II.

QUilibet officialis tenetur ex dolo: aut culpa lata, etiamsi gratis inserviat.

Ratio est; quia eo ipso quo quis officio exercendo se ingerit, imponit sibi obligationem id præstandi, quod solent homines prudentes ejusdem artis, aut officii, qui communiter habentur conscientiosi. Hinc

Resol. 1. teneri ad restitutionem Parochum, qui defectu scientiæ debitæ injungit restitutionem faciendam, cùm esset omittenda, aut omittendam, cùm esset facienda; sive interim verbis expressis, sive silentio id insinuaverit.

Ratio est; quia tunc est vera & moralis causa damni pœnitenti; vel tertio evenientis. Sed quid de confessario, qui non ex Justitia, sed ex Charitate id muneris exequitur verius est & probabilius ad idem teneri, cùm non minus sit causa damni suo consilio, quàm Parochus. Præterea, eo ipso quo se exponit, ad rectè consulendum se exponit, & obligatur.

Resol. 2. Non teneri restituere Parochum, aut alium Confessarium, qui ex mera inadvertentia, aut ex oblivione naturali non monuit Pœnitentem de restitutione facienda. Et idem est si bona fide credebat pœnitentem, suæ obligationis conscium. Ratio est; quia nulla tunc intervenit culpa Theologica, quam supponimus hic adesse in culpa lata.

Resol. 3. damno restituendo obnoxium esse Advocatum, qui ex malitia, ignorantia aut negligentia culpabili perdit litem justam, qui auctor est divisionis injustæ, qui consulit contractum invalidum, & idem dic cum proportione de Consiliario, Theologo, Concionatore & similibus, sive interim mercedem recipiant, sive non.

Resol. 4. Ad nihil teneri eum, qui ingenuè fatendo capacitatis suæ limites, respondet sibi ita videri in casu proposito; nec illius executionem suadendo, nec dissuadendo. Ratio est; quia tunc non potest reputari causa damni.

QUÆSTIO VI.

De Restitutione facienda à possessore bonæ fidei.

TRiplicem hic distinguimus possessorem, nempè bonæ, malæ, & dubiæ fidei. Primus est, qui bona fide rem alienam possidet tanquam suam, utpotè quia illam obtinuit emptione, donatione, testamento, aut alio titulo apparenter justo. Secundus est, qui vel scienter, vel cum ignorantia culpabili rem alienam aufert, aut detinet. Tertius, qui illam detinet, vel aufert dubitans, an sit sua, necne. De possessore bonæ fidei hic per aliquot articulos agemus, de aliis posteà acturi.

ARTICULUS I.

Quid restituere debeat possessor bonæ fidei?

IN idem redit quæstio, si petatur, quid sit restituendum ratione rei acceptæ?

CONCLUSIO I.

LIcèt possessor bonæ fidei valeat de re aliena disponere tanquam verus dominus, quandiu credit invincibiliter esse suam; ubi tamen comperit esse alienam, debet illam gratis domino reddere prima opportunitate; si secus fecerit, fit possessor malæ fidei, subjacetque omnibus eventibus, periculis, conditionibus &c. quibus hic exponitur.

Prob. 1. Pars; quia res ubicunque sit, quocunque titulo, aut colore fuerit acquisita, clamat dominum suum. Dixi gratis esse reddendam: quod est verum etiamsi contractu oneroso, puta emptione, illam obtinuisses; quia injustum est, ut dominus rem suam emat; pretium quidem dedisti, sed cum illius dationis non fuerit causa dominus, tibi soli perit. Deduci tamen possunt expensæ, quæ fieri debuerunt pro rei conservatione, imò & aliquando illæ, quæ factæ sunt pro emptione, ut dicemus posteà.

Prob. 2. Pars; quia ubi comperisti rem esse alienam, & data restituendi opportunitate ipsam retines, injuriam facis domino rationabiliter invito, tenerisque restituere, non tantùm ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ detentionis, quæ æquipatatur acceptioni injustæ.

CON-

CONCLUSIO II.

SI possessor tempore bonæ fidei rem alienam consumpsit, aut distraxit, ad nihil tenetur, nisi inde factus sit ditior. Est communis.

Prob. 1. Pars; non tenetur ratione injustæ detentionis, aut acceptionis; quia nulla intercessit: non etiam ratione rei acceptæ; quandoquidem, utpotè bona fide consumpta, supponatur non amplius existere.

Prob. 2. Pars; quia cùm id, in quo factus est ditior, succedat in locum rei alienæ, quæ ideò dicitur in æquivalenti exstare, justum est, ut saltem illud domino restituatur, cùm nemo debeat ex alieno ditescere. Porro censetur quis occasione rei alienæ ditior factus, quando transacta bona fide, agnoscit se propter illius detentionem, consumprionem, venditionem, aut donationem, aliquid habere, quod non habuisset, aut pepercisse certis sumptibus, quos aliàs ex proprio fecisset. Si autem, facta diligenti inquisitione, dubitet an indè factus sit ditior, tenetur, juxta dubii proportionem restituere ex dictis

Resol. 1. Invitatum ad prandium, quod posteà novit furtivum, præcisè teneri ad expensas, quas domi aut alibi fecisset, etiamsi duplo plus consumpserit; si autem prandium furtivum fuerit minus pingue, quàm fuisset domesticum, solùm tenetur ad æquivalens rei consumptæ. Sed quid si invitatus sit commensalis, qui debet equidem prandium domesticum solvere? Ad nihil tenetur, cùm non sit inde factus ditior.

Resol. 2. Eum, qui rem alienam donavit, aliàs nihil ex suo daturus, ad nihil teneri: si autem daturus erat aliquid vilioris pretii, tenetur præcisè ad pretium rei donandæ. Ubi verò occasione dationis, est ipsi aliquid redonatum, illud subjacet restitutioni, cùm sit occasione rei alienæ acquisitum. Excipe tamen, nisi redonatum consumpsisset, nihil aliàs ex proprio consumpturus.

Resol. 3. Illum, qui pinguem hæreditatem adiit, & ideò statum mutavit, equos, rhedam, famulos assumendo, vestibus pretiosis utendo, mensam lautiorem usurpando &c. ad nullam restitutionem obligari; si ubi comperit, se non esse legitimum hæredem, videat sua bona esse in eodem statu, in quo fuissent, seclusa illa hæreditate, quia non est inde factus locupletior. Si autem bona sint meliorata, tenetur ad auctarium.

Resol. 4. Idem esse dicendum, etiamsi res aliena ex culpa possessoris parva, aut magna perierit tempore bonæ fidei. Ratio est, quia non potest assignari titulus, unde obligetur: non quidem res accepta, cum perierit, non etiam injusta damnificatio, seu acceptio, cùm nullus possit committere injustitiam formalem circa rem, quam credit invincibiliter esse suam.

Resol. 5. Eum, qui fecit contractum usurarium credens bona fide non esse usurarium, sed licitum, non esse obnoxium restitutioni, si ex lucro usurario largius subvenit pauperibus, gratificavit amicos, mensam habuit lautiorem &c. quod aliàs non erat facturus.

ARTICULUS II.

An possessor bonæ fidei teneatur ad Restitutionem fructuum.

LOquor de fructibus adhuc in se, vel in æquivalenti extantibus: si enim nullatenus extent, nullam etiam faciendam esse restitutionem, compertum est apud omnes, & sequitur ex articulo præcedeoti. Sunt autem fructus triplicis generis, nempè merè Naturales, quos spontaneè fert natura, nullo aut modico adhibito hominum labore ut fœnum, glandes, poma, nuces, fœtus animalium, lana &c. merè Industriales, quos producit sola hominum industria, ut lucrum ex arte, aut negotiatione proveniens: & Mixti, qui partim à natura partim ab industria proficiscuntur, ut legumina, segetes, vinum, oleum, merces rerum locatarum &c. Hi autem fructus dicuntur quandoque naturales, quandoque industriales, juxta causam prævalentem. Ubi autem dubitatur quales sint, in foro externo arbitrio judicis, in foro conscientiæ arbitrio viri prudentis standum est.

CONCLUSIO I.

NOn tenetur possessor bonæ fidei restituere fructus merè industriales, etiamsi ex re aliena tanquam instrumento prodierint. Ita expressè Scotus 4. dist. 15. quæst. 2. estque communis.

Ratio est; quia solùm tenemur restituere alienum, sed fructus merè industriales non sunt alieni, sed nostri, cùm nascantur ex re, cujus sumus domini, ut est labor, ars & industria nostra: ergo &c. Unde nequidem illos restituere tenetur possessor malæ fidei, si intelligantur certæ modificationes, de quibus fusius posteà. Si ergo instrumento alieno statuam fabricasti, tua est, non alterius: si cum pecunia aliena negotiando lucrum reportasti, tibi lucratus es, non alteri.

CONCLUSIO II.

SI fructus naturales extent in se, aut in æquivalenti, restituendi sunt domino rei, ex qua prodierunt, deductis tamen pro labore & industria expensis, ita ut nullatenus damnificetur bonæ fidei possessor.

Ratio conclusionis est; quia res fructifera domino fructificat: ergo sicut res obnoxia est restitutioni, ita & ejus fructus. Sed quid si dominus fructus ex re sua non collegisset, v. g. quia pratum erat sterile, quia poma, glandes &c. reliquisset in arbore? Adhuc sunt restituendi; quia equidem nascuntur domino.

Dices: 1. *Bonæ fidei* 48. ff. *De acquirendo rerum dominio*, dicitur: *Bonæ fidei emptor, non dubiæ, percipiendo fructus, etiam ex aliena re, suos interim facit, non tantum eos, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, sed omnes.* Ex quo inferunt Jurisconsulti plurimi, possessorem bonæ fidei non teneri restituere fructus naturales, qui nascuntur ex re, quam titulo oneroso possidet, puta emptione, locatione &c.

Resp Priori Legi opponendam non tantùm authoritatem Glossæ plurium Jurisconsultorum, & omnium Theologorum; sed etiam *L. Item veniunt* 20. ff. *De petitione hæreditatis, & L. fructus* 45. ff. *De usuris*. Ubi soli fructus industriales, non naturales, dicuntur fieri possessoris bonæ fidei: unde etsi sententia illa aliquam probabilitatem habeat in foro externo, non tamen in foro conscientiæ. Prætereà dici potest, in illa lege fieri mentionem de fructibus nec in se, nec in æquivalenti extantibus.

CONCLUSIO III.

ETiam restituere debet fructus mixtos, detractis similiter expensis, & æstimatione laboris, ac industriæ. Ratio est; quia fructus mixti sunt partim naturales, partim industriales: ergo ex ea parte qua sunt naturales, obnoxii sunt restitutioni. Unde si ex agro alieno vinum, aut segetes collegisti, si cum navi, curru, aut jumento alieno, merces vehendo, lucrum fecisti, tantum debes, ordinariè loquendo, restituere, quantum pro iisdem conducendis tribuetet locatarius. Dixi *ordinariè loquendo*; quia si toto tempore bonæ fidei ratione fulguris, bellorum, sterilitatis, inundationum &c. non feceris fructus, nisi labori, aut expensis correspondentes, ad nihil teneris.

Sed quid si dominus equum suum, navem, agrum &c. non elocasset? Equidem teneris reddere pretium locationis, quia res fructifera domino fructificat. Si autem tua negligentia nullos ex re aliena fructus percepisses, nihil foret restituendum; cùm non esses inde factus ditior, & aliunde nullam injustitiam formalem commiseris, eo quòd bona fide crederes rem esse tuam: & in hoc differt possessor bonæ fidei à possessore malæ fidei, qui tales fructus tenetur restituere.

ARTICULUS III.

An rem furtivam bona fide emptam possit quis reddere furi, pretium recuperaturus; & an reddens domino, possit aliquid ab eo exigere?

SUppono 1. Quòd emens rem furtivam sciens, aut dubitans esse furtivam, teneatur illam reddere domino, etiamsi pretium datum perdere debeat. Ratio est; quia non tantùm obligatur ratione rei acceptæ, sed etiam ratione injustæ acceptionis; quandoquidem non possit rem furtivam emere sibi appropriandam sine injustitia formali, ut patet, pretium quidem perdit, sed suæ malitiæ, & injustæ emptioni imputare debet.

Suppono 2. Etiam domino, & non furi, reddendam esse rem, si illam gratis à fure accepisti. Ratio est; quia cùm res clamet dominum suum, & non extraneum, & aliunde possis illam reddere domino sine tuo incommodo, evidens est, te ad id obligari.

CONCLUSIO I.

QUi rem furtivam bona fide emit, ubi reperit non esse suam, debet illam reddere domino, non furi, licèt pretium non sit recuperaturus. Ità Cajetanus, Soto, Medina, Sylvius, & multi alii tam antiqui, quàm recentiores.

Prob. 1. Res, ubicumque sit, clamat dominum suum: ergo domino, & non furi restituenda est.

Prob. 2. Non potes sine injuria domini rem ipsius in deteriori statu ponere; atqui si illam redderes furi, quem prudenter judicas non redditurum, poneres eam in statu deteriori, quàm sit apud te: ergo.

Confir. Non potes rem alienam deteriorare sive intrinsecè, sive extrinsecè, absque injustitia formali; sed res posita apud furem deteriorata est, saltem extrinsecè: ergo.

Prob. 3. Illicitè rem furtivam traderes extraneo, ut pretium tuum recuperares: ergo & illicitè furi, cùm hic non plus juris habeat in illam, quàm extraneus.

Prob. 4. Fure non comparente, teneris certò illam reddere domino: ergo etiam ipso comparente. Prob. conseq. Ideò teneris in primo casu, quia dominus habet jus ad rem suam; sed idem jus habet, fure præsente, ac ipso absente, ergo.

Obji. 1. Reddendo rem furi, non facis injuriam domino, cùm ponatur in eodem statu, in quo erat ante.

R. Poni quidem in eo statu, in quo erat ante emptionem; sed tamen in deteriori, quàm esset post emptionem: quod tibi non licet propter rationes præfatas.

Obji. 2. Venditio rei furtivæ fuit nulla: ergo rescindibilis est.

R. dist. consequens: Rescindibilis est, sicut possit à fure pretium repeti, C. sic ut res possit reddi furi, N.

Obji. 3. In pari casu innocentiæ debet emptor potiùs sibi, quàm domino rei consulere: ergo.

R. Majorem esse veram, ubi emptor potest sibi consulere medio licito, non tamen ubi tantùm illicito, ut hic, rem alienam extrinsecè deteriorando.

Obji. 4. Possum rem in via repertam ibidem reponere, si credam fore mihi nocivam: atqui res empta in nostro casu est mihi nociva: ergo possum furi reddere.

R. 1. N. min. quia non res empta, sed malitia furis rem non suam vendentis mihi nociva est.

R. 2. Disparitatem esse, quod reponendo rem inventam, tantùm desinam illam custodire: quod mihi licet, ubi ex ejus custodia imminet mihi grave nocumentum, reddendo autem illam furi, concurro positivè ad illius deteriorationem, saltem extrinsecam.

Inst. Ideò res furi reddita deterioratur, quia ponitur in statu pejori, atqui res reposita in via publica, est in statu pejori, quàm in manibus meis: ergo.

R. Totum esse verum; sed nego deteriorationem præcisè esse causam, cur non possit reddi furi, sed bene deteriorationem, invito rationabiliter domino, eo quòd ejus res ponatur moraliter in statu perditionis: quod non accidit in alio casu, ubi exponitur, affixo domini nomine; cùm sit longè probabilius, rem expositam casuram in manus æquè securas ac meas, eo quòd sint in his locis quadraginta contra unum, qui nollent aliena retinere. Præterea libenter concedo rem expositam pati aliquam deteriorationem, sed non talem, qualem rationabilis dominus debeat præferre gravi meo nocumento.

Petes: an emptor bonæ fidei, qui rem emptam etiam alteri bona fide vendidit, satisfaciat (comparente domino) remittendo secundum emptorem pro pretio recuperando ad ipsum furem, seu an teneatur ipsemet pretium ab ipso receptum reddere?

R. Teneri pretium reddere, nisi secundus emptor velit actionem in furem acceptare. Ratio est; quia ut docet D. Th 2. 2. q. 77. art. 2. vendens rem vitiatam, ignorans invincibiliter esse vitiatam, tenetur, ubi vitium agnovit, pretium reddere, aut damnum compensare; sed in nostro casu res vendita est maximè vitiata, cùm sit obnoxia restitutioni: ergo. Accedit quòd contractus fuerit nullus, adeoque pretii restitutione rescindendus.

CONCLUSIO II.

NOn potest emptor bonæ fidei, restituendo rem domino, quidquam ab ipso exigere, nisi certè sciens esse alienam emisset viliori pretio, ut eam domino redderet.

Prob 1. pars; quia nullus tenetur rem suam emere: ergo nullus potest pro ea pretium à domino petere. Deinde nihil potest ex justitia exigi, nisi adsit titulus, sed hic nullus intervenit: ergo.

Prob. 2. pars: quia non est rationabile, ut quis recta intentione gerens utiliter negotium domini, damnum patiatur: unde in simili casu præsumitur rationabiliter voluntas domini, qui aliàs nihil de sua re fuisset recuperaturus.

QUÆSTIO VII.

De restitutione facienda à possessore dubiæ fidei.

CUm possessor dubiæ fidei quodammodo mediet inter possessorem bonæ, & malæ fidei, ideò non tantùm quid in dubio rei acceptæ, sed etiam quid in dubio injustæ acceptionis, seu damnificationis restituere debeat, sequentibus articulis examinandum venit.

ARTICULUS I.

Quid faciendum sit dubitanti, an res accepta sit sua, necne?

VEl dubium fuit ab initio possessionis, vel supervenit possessioni pacificæ, & bonæ fidei.

CONCLUSIO I.

QUi dubitavit ab initio an res posset justè possideri, necne, eo quòd dubium foret, an res illa esset donantis, legantis aut vendentis, an alterius, peccavit graviter, si illam accepit animo retinendi, teneturque, præmisso diligenti examine, ad restitutionem vel totius, vel partis dubio proportionatæ.

Prob. 1. pars; quia exposuit se manifesto periculo rem alienam occupandi, & eandem, invito domino, possidendi.

Dixi: *Si accepit animo retinendi:* si enim recepit ex intentione inquirendi dominum, & ipsi comparenti restituendi, tantùm abest ut peccaverit, ut è contra negotium domini utiliter gesserit: & ideò dominus comparens debet ei pretium refundere, ut in simili diximus. Tempore autem quo fit inquisitio, non ad plus tenetur circa rei conservationem, quàm teneatur ille, qui est depositarius in commodum domini, & consequenter, si pereat, aut deterioretur casu fortuito, vel etiam ex culpa levi, aut levissima, ad nihil tenetur.

Prob. 2. pars; vel enim, præmissa inquisitione, deprehendit rem esse furtivam, vel, iterum dubitat: si primum, totum restitui debet domino, si cognoscatur, vel, ipso incognito, iis quibus restituenda sunt bona inserta, nempè pauperibus: si secundum, postulat æquitas ut rem dividat pro qualitate dubii cum proprietario, vel cum pauperibus, si ille sit ignotus. *Volunt* quidem alii tunc restituendum esse totum, sed videtur sententia nostra rationi & æquitati conformior, adeòque in praxi sequenda. Hinc

Resol. 1. Teneri restituere ementes à quibuslibet personis quælibet supellectilia, quæ vident, aut videre debent, aut saltem dubitare, quòd sint furtiva: ad quod advertere debent, maximè post deprædationes injustas.

Resol. 2. Illos qui à filiisfamilias emunt vestes, utensilia coquinæ, merces, vasa argentea & alia hujusmodi, teneri plerumque ad omnium restitutionem, etiamsi pretium datum non sint recuperaturi; quia sæpè dubitare debent, an non sint à parentibus furto ablata.

Resol. 3. Eidem oneri obnoxios esse caupones illos, qui permittunt à juvenculis graves, imò & quandoque enormes expensas fieri, quas sciunt, aut suspicantur furtis domesticis esse solvendas.

Petes: quid restituere teneatur ille, qui cepit à possessore bonæ fidei rem aliquam, de qua dubitabat, an non esset sua?

R. Totum esse restituendum, eo quòd melior sit conditio alterius, nempè possidentis.

CONCLUSIO II.

QUi ab initio rem aliquam bona fide possidet, sed in successu temporis, propter rationes supervenientes incipit dubitare, an non sit aliena, ad nihil tenetur, modò adsint certæ modificationes. Ità Doctores satis communiter contra Scotum, qui manente dubio, vult faciendam esse divisionem rei inter possessorem & eum de quo dubitatur an sit dominus, vel pauper, si hic sit ignotus: & contra Adrianum, qui docet totum esse restituendum, quando facta sufficienti inquisitione, non constat de rei veritate.

Prob. Conclusio 1. Ex hac regula juris in 6. *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, quæ non est sic intelligenda, ut volunt aliqui, quasi major pars esset assignanda possidenti, & minor domino dubio; sed quod huic nihil, & totum illi debeatur; quandoquidem ità intelligat praxis recepta omnium Tribunalium tum Ecclesiasticorum tum Civilium: unde hæc regula, *in dubio tutior pars est eligenda*, non habet

locum

locum in materia Juſtitiæ, quando dubium eſt utrinque æquale, & penes unum eſt rei poſſeſſio.

Prob. 2. In foro judiciali res, cujus dominium eſt dubium, adjudicatur tota poſſeſſori: ergo poteſt poſſeſſor totam ſibi adjudicare in foro conſcientiæ; quia nulla facienda eſt diverſitas inter forum exterius, & interius, niſi aliqua ratio urgeat, quæ hic non apparet, præſertim cùm poſſit poteſtas ſuprema ob juſtam cauſam de bonis inferiorum diſponere, ut patet in præſcriptione. Hinc

Reſol. Poſſeſſorem illo caſu non tantùm poſſe rem retinere, ſed etiam vendere, conſumere, uſui applicare &c. quiquid in contrarium dicat Corduba: & certè ſi tantùm poſſit retinere, non tamen ea uti, non eſt melior conditio poſſidentis.

Dixi in Concluſione, *modò adſint certæ modificationes*: nam 1. Debet poſſeſſor ſufficienter & ſuo tempore inquirere de rei veritate; quia licèt ante inquiſitionem poſſit rem poſſidere, & ſervare tanquam depoſitarius; non tamen eam alienare, conſumere, deteriorare &c. ut docent communiter DD. niſi certè res eſſe talis, ut non poſſet conſervari ſine periculo deteriorationis: tunc enim ex præſumpta rationabiliter alterius voluntate poſſet illam vendere, aut conſumere, cum animo reſtituendi pretium domino comparenti.

2. Debet poſſeſſor poſt habitam inquiſitionem deprehendere, quòd ultra poſſeſſionem habeat jus æquale cum altero, de quo dubitatur, an ſit dominus.

3. Tenetur, ſi rem vendat, ementi dubium manifeſtare, cùm certum ſit illud aliquid de pretio diminuere.

4. Quando, facta ſufficienti inquiſitione, rem conſumit aut vendit, debet habere voluntatem reſtituendi ſimilem, aut ſaltem pretium rei venditæ, aut conſumptæ, ſi Dominus certus compareat.

Petes, an ille, qui neglexit inquirere dere, quando incepit dubitare, an eſſet ſua, teneatur ad reſtitutionem, ſi jam inquiſitio facta ſit impoſſibilis?

R. Teneri proportionatè ad dubium ſuum, idque domino dubio, ſi compareat, aliàs pauperibus. Ratio eſt; quia non eſt veriſimile quòd Jus totum in dubio adjudicans poſſidenti, voluerit favere obligationem ſuam negligenti.

ARTICULUS II.

Quid reſtituere teneatur qui dubitat an ſua actione, aut omiſſione dederit cauſam damnificationi?

SEnſus quæſtionis eſt, an ille, qui dubitat an ſuo conſilio conſenſu, mandato, ſuffragio &c. ſecutum fuerit damnum proximo, necne, debeat illud reſarcire? aliqui affirmant, alii negant, alii diſtinguunt; alii obligant ad partem; iſti ad totum.

CONCLUSIO I.

DEbet ante omnia dubitans, an influxerit in damnificationem, conſulere illum, ſi fieri poſſit, qui phyſicè damnum intulit, & ſi hic habeatur fide dignus, aſſeratque non ab alterius mandato, conſenſu, conſilio &c. ſed à propria malitia ad id fuiſſe motum; manet dubitans liber ab onere reſtitutionis.

Dixi *ſi fieri poſſit*; quia ſi abſit damnificans, aut nequeat conſuli, colligendum eſt ex circunſtantiis, puta ex mora temporis, quod interceſſit inter conſilium & damnum illatum, ex indole, habitudine, qualitate, ſubjectione &c. damnificantis. Ubi tamen, omnibus illis conſideratis, adhuc manet dubium.

CONCLUSIO II.

TEnetur dubitans ad reſtitutionem pro qualitate dubii. Hęc ſi non communior, eſt tamen probabilior, & æquitati conformior.

Ratio eſt: quia tam poteſt fieri quòd damnum intulerit, quàm non intulerit: ergo juſtum eſt, ut fiat illius reparatio juxta qualitatem dubii.

Confir. 1. Quia irrationabile eſt, quòd faveamus potiùs nocenti, quàm innocenti; atqui certum eſt, dubitantem ratione conſilii, mandati &c. eſſe nocentem, damnificatum verò eſſe innocentem: ergo.

Confirm. 2. Quia tali caſu nulla eſt præſumptio in favorem conſulentis, ſed potiùs contra ipſum; quandoquidem conſtet de conſilio dato, licèt dubitetur de effectu ſecuro.

Dices: in dubio melior eſt conditio poſſidentis, atqui dubitans eſt in poſſeſſione ſuæ rei: ergo.

Reſp. 1. Poſſeſſionem tali caſu ſtare potiùs contra, quàm pro dubitante, cùm conſtet de actione injuſta.

Reſp. 2. Dictam regulam juris ad ſummum habere locum, quando quis incipit dubitare, an res, quam hactenus bona Fide poſſedit, ſit ſua, an aliena, non autem quando dubitat, an per rem, quam certò ſcit eſſe ſuam, debeat damnum illatum reſarcire necne. Ex dictis

Reſol. Eum, qui percuſſit alterum, ex cujus vulnere dubitatur, an mors non fuerit ſecuta, an autem ex morbo ſuperveniente, teneri pro rata ſui dubii ad reſtitutionem damnorum inde ſequentium.

Reſol. 2. Quando conſtat aliquem ex duobus, aut tribus actione ſua damnum intuliſſe, dubitatur autem quiſnam illorum intulerit, teneri ſingulos reſtituere pro ratione ſui dubii. Ratio eſt: quia cùm poſſeſſio ſtet pro delicto, & aliundè non ſit ratio obligandi potiùs unum, quàm alterum videtur diviſio facienda. Sic tamen intellige, ut inter illos non fuerit mutuus conſenſus, aut conſilium, aliàs teneretur quilibet in ſolidum, ubi deficerent alii.

QUÆSTIO VIII.

De reſtitutione facienda à poſſeſſore malæ fidei.

VAria inquiri poſſunt de poſſeſſore malę fidei; 1. quantum reſtituere debeat. 2. An teneatur ad reſtitutionem fructuum. 3. Meliorationis. 4. Deteriorationis. 5. Rei fortuitò pereuntis. An poſſit reſtituendo deducere expenſas? de quibus breviter ſequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

Quid & quantum reſtituere debeat poſſeſſor malæ Fidei.

CONCLUSIO I.

DEbet poſſeſſor malæ Fidei (ſicut & bonæ Fidei) reſtituere rem in individuo: ſi adhuc extet; aliàs æquivalens.

Prob. 1. pars; quia res ubicunque ſit, clamat dominum ſuum, & conſequenter ipſamet domino reſtituenda eſt, & non alia, undè miror, Navarrum & Clavem regiam excuſare à mortali reſtituentem æquè bonam: etiam ubi invitus eſt dominus; cùm hic gravem patiatur injuriam, ubi ſpecialiter erga rem ſuam affectus eſt; aliud eſſet, ſi eſſet indifferens, aut certè non eſſet ità affectus.

Sed quid ſi res ablata ità fuiſſet cum aliis permixta, ut non poſſet diſcerni, v. g. oleo cum oleo, triticum cum tritico, aurei cum aureis &c. omninò ſimilis, aut certè æquivalens reſtituenda foret; ſicut fieri debet quando res non extat ampliùs, idque ut ſervetur æqualitas; & indè manet probata. 2. pars.

Dices: rei ità mixtæ, ut diſcerni & ſeparari nequeat, dominium acquirit ille, qui rem alienam ſuæ commiſcuit, ut colligitur ex L. 78. ff. *De ſolutionibus* & L. 5. ff. *De rei vindicatione*; ergo ad nihil tenetur.

R. Diſt. Ant. dominium acquirit cum onere ſimilem reſtituendi, tranſeat: ſine onere, N. & certè mirum foret, quòd quis ex injuſta damnificatione ditaretur.

Dices 2. Saltem poſſeſſor bonæ Fidei illo caſu ad nihil teneretur. Prob. aſſump. Non teneretur ratione injuſtæ acceptionis, cùm nulla fuerit: non ratione rei acceptæ, cùm jam per mixtionem in ejus dominium tranſierit: ergo nullo titulo.

Reſp. Neg. aſſump. ad prob. dico, teneri ratione rei acceptæ; quæ etſi fiat miſcentis, cum obligatione tamen ſatisfaciendi domino, cui ideò jura concedunt actionem in miſcentem. Præterea dici poteſt translationem illam dominii reſpicere merè forum externum, non autem forum conſcientiæ. Hinc

Reſol. 1. Contra Bonacinam & alios, vendentem librum pro 10. nummis furtivis, quos bona fide credebat eſſe emeutis, teneri illos reſtituere domino, ubi comperit eſse furtivos, ſive interim illos miſcuerit cum ſuis, ſive non; quandoquidem mixtio illa nihil faciat ad rem pro foro conſcientiæ.

Reſol. 2. à fortiori obnoxium eſse reſtitutioni, qui ſcienter emit 50. Raſerias bladi ab eo, qui 20. furtu ablatas ſuis 30. miſcuerat: quidquid dicat idem Bonacina.

CONCLUSIO II.

TAntum reſtituere debet poſsesſor malæ fidei, quantum neceſse eſt, ut dominus rei ablatæ aut damnificatæ, nullum damnum, nullumve intereſse patiatur.

Ratio eſt; quia poſtulat æquitas naturalis, ut dominus ex alterius actione injuſta nullatenus in re ſua damnificetur. Hinc

Reſol. 1. illum, qui combuſſit villam cum pecoribus, granis, utenſilibus &c. tantùm debere reſtituere, quantum vir prudens judicaverit, attentis maturè omnibus circunſtantiis, ac rerum valore.

Resol. 2. similiter resarciendum esse lucrum cessans, & damnum quod emersit domino ex rei suæ absentia; sicut & omnes expensas, quas facere debuit pro ipsius recuperatione.

Resol. 3. differentem rei emptæ solutionem ultra terminum præfixum, teneri ad omne interesse, quod indè patitur mercator; nisi juri suo cesserit, ad quod seriò reflectere debent illi, qui sine scrupulo per plures annos alienis vestiuntur, nutriuntur, vehuntur, delectantur &c.

Resol. 4. Conculcantem segetes immaturas, occidentem pullum equinum, vastantem arbores tenellas, non debere restituere proportionatè ad valorem de futuro, cùm sit longè minoris pretii res in spe, & in virtute, quàm in actu, sed proportionatè ad valorem de præsenti, consideratis omnibus circunstantiis spei, periculi & temporis, quo dominus erat illa servaturus,

ARTICULUS II.

An malæ fidei possessor teneatur ad restitutionem fructuum ex re furtiva perceptorum?

CONCLUSIO I.

TEnetur possessor malè fidei ad restitutionem omnium fructuum, tum naturalium, tum mixtorum ex ea parte qua sunt naturales; sive adhuc extent, sive sint consumpti, sive inde factus sit ditior, sive non; non tenetur tamen ad merè Industriales.

Prob. 1. Pars; quia possessor malæ fidei non tantum rem, sed etiam fructus ex re provenientes per injustitiam formalem retinet: & consequenter sive ipsos consumpserit, sive non, semper tenetur ad eorum restitutionem ratione injustæ acceptionis.

Prob. 2. Pars; quia ratio probans possessorem bonæ fidei non teneri restituere fructus merè industriales, etiam militat pro possessore malæ fidei.

CONCLUSIO II.

DEbet insuper restituere omnes fructus, quos dominus sine peccato ex re sua percepisset, licèt ipse non perceperit.

Ratio est, quia ubi quis est causa efficax damni proximo illati, debet illud reparare; atqui possessor malæ fidei est causa efficax cur dominus privetur fructibus aliàs percipiendis: ergo. Hocque colligitur ex C. *De restitutione militum*, convenit tamen deduci expensas, quas pro fructibus percipiendis facere debuisset dominus. Dico *convenit*, & non *oportet* propter rationes postea dicendas.

Dixi: *Quos sine peccato percepisset*; quia respectu fructuum injustè, aut per usum turpem recipiendorum censetur irrationabiliter invitus, adeoque non sunt restituendi: patet ex L. *Fructus* 34. *ff. De rei vindicatione*.

CONCLUSIO III.

TEnetur etiam ad restitutionem fructuum, quos ex re ablata percepit, etsi Dominus non fuisset illos percepturus. Est communior.

Ratio est; quia omnis res domino suo fructificat, & consequenter ipsi & non furi acquiritur fructus.

Dices; retinens fructus, nullum infert damnum domino; cùm non esset illos percepturus.

Resp. Neg. Ant. Cùm enim fructus nascantur domino, eo ipso quo iisdem privatur dominus, censetur damnificatus: unde diximus etiam, ad id teneri possessorem bonæ fidei, si adhuc exstent fructus, ubi autem sunt consumpti, in quantum factus est ditior.

CONCLUSIO IV.

NOn debet tamen restituere fructus, quos nec dominus percepisset, nec ipsemet percepit, licèt percipere potuisset per laborem extraordinarium.

Ratio est, quia nullus apparet restitutionis faciendæ titulus: non quidem damnum illatum, cùm nullum patiatur dominus; non etiam res accepta; quia supponitur nihil esse perceptum: non denique injusta acceptio, cùm nulla intercesserit actio injusta.

Dices 1. Adfuit actio injusta negativè, seu non fecit domino lucrum, quod poterat facere.

Resp. Dist. Assumpt. Lucrum quod poterat, & tenebatur facere, N. cùm sit irrationabilis dominus, qui extraordinaria postular. Quod poterat, & non tenebatur facere, C. ubi nulla injustitia.

Dices 2. *L. si fundum* 17. Cod. *De rei vindicatione*, obligatur possessor malæ fidei ad restitutionem fructuum, quos poterat ex re ablata percipere.

Resp. Legem illam loqui de fructibus labore ordinario obtinendis, & ideò dixi: *quos percipere potuisset per laborem extraordinarium*; quia non dubitamus quin debeat circa rem illam ità diligenter se gerere, sicut faceret circa propriam, adeoque laborem ordinarium impendere, licèt Dominus illum non adhibuisset, quia cùm sit Dominus tam rei, quàm fructuum, pro suo libitu circa illa se gerit, quod non competit injusto detentori.

ARTICULUS III.

Ad quid teneatur possessor malæ fidei ratione meliorationis rei detentæ?

DUplex potest esse rei melioratio, aut deterioratio; Intrinseca una, extrinseca altera. Intrinseca est, dum res in se mutatur; vel per incrementum, ut si pullus fiat equus, vel per decrementum, ut si bos pinguis fiat macer: extrinseca, dum res in se non mutata, pluris tamen vel minoris æstimatur, ob emptorum multitudinem, aut rei abundantiam.

CONCLUSIO I.

TEnetur fur ad restitutionem meliorationis tum intrinsecæ, tum extrinsecæ.

Prob. 1. Pars; quia rei melioratio intrinseca habet se instar fructus, & consequenter sicut fructus obvenit domino, ita & melioratio. Accedit quòd si res melioraretur furi, posset ille ex alieno ditescere: quod non admittitur.

Prob. 2. Pars; quia cùm melioratio extrinseca non proveniat ex industria furis, sed ex bona fortuna ejus, ad quem pertinet res ipsa, nulla est ratio cur accedat furi, & non domino. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui furatus est pullum, & retinuit, donec esset equus, debere equum restituere, aut saltem equi pretium, si ipsum vendidit, & ideò non satisfacit suæ obligationi, si non plus restituat, quàm valeret pullus, dum fuit ablatus. An autem deducendæ sint expensæ? infra dicemus.

Dices. Non tenetur ad plus, surripiens pullum, quam occidens illum; atqui occidens non tenetur plus restituere, quàm valeret pullus tempore occisionis: ergo nec plus restituere surripiens, quàm valeret tempore ablationis.

Resp. Disparit. esse, quòd cùm pullus occisus non possit fructificare, aut meliorari; ita nec plus valet domino: secùs accidit in pullo furtivo.

Resol. 2. Furantem aureum valoris 10. florenorum, teneri meliorationem extrinsecam refundere, si dum eum consumpsit, valebat 12. florenis; quia non est justum, ut fur ditescat ex alieno.

Resol. 3. Etiam teneri restituere fructus provenientes ex re meliorata; quia cum melioratio sit domini, ita & fructus ex melioratione percepti.

CONCLUSIO II.

ETiam stat præcedens conclusio, quando dominus rem suam erat servaturus usque ad illud tempus, quo fuisset ejusdem valoris, ac erat dum fuit ablata: v.g. furatus es equum 50. nummorum, quem dominus servaturus erat ad annum sequentem, in quo tantundem valuisset: tamen tempus illud præveniens vendis 60. propter equorum raritatem, teneris 60. refundere. Ita Malderus, Wiggers & alii.

Ratio est; quia pretium succedit loco rei, sed justum illius pretium, non sunt 50. sed 60. ergo.

Confirm. 1. Quando equus valebat 60. nummis, erat totus domino: ergo similiter pretium totum est illi, aliàs non reciperet æquivalens suæ rei.

Confirm. 2. Ex axiomate communi; quia nemo potest ex alieno ditescere.

Dices 1. Industria est furis, quòd rem potius vendat nunc, quam postea; sed fructus industriæ non est restituendus; ergo.

Resp. Neg. Maj. Nulla enim industria est vendere rem pretio currenti.

Inst. Vendere rem in loco, ubi majus est pretium, industria est: ergo hic similiter.

Resp. Disparit. esse, quòd secundùm moralem hominum existimationem, sit quidem industria per epistolas, correspondentes, aut aliter inquirere in aliis locis de pretio rerum venalium, illucque merces transferre vendendas; non autem pretio currenti vendere.

Dices 2. Si Dominus statuisset servare equum ad illud tempus

pus quo valeret 70. teneretur fur totidem restituere; ergo cùm statuerit servare ad tempus, quo tantùm valebit 50. non debet plus refundere.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd nisi dominus in 1. casu reciperet 70. pateretur damnum ex rei suæ ablatione: in 2. autem casu nullum fur patitur damnum refundendo 60. imò servat præcisè justitiam commutativam.

ARTICULUS IV.

An etiam debeat compensare deteriorationem?

CONCLUSIO I.

SI res deteriorata est intrinsecè ex negligentia detinentis, v. g. si bos pinguis factus est macilentus, si terra fœcunda facta est sterilis & arida, debet possessor malæ fidei deteriorationem illam resarcire: quod etiam verum est, licèt dominus ex incuria rem suam ad eundem statum redegisset.

Prob. 1. Pars; quia servari debet æqualitas inter ablatum & redditum; sed bos ablatus habebat notabile pinguedinis incrementum: ergo cum eodem incremento debet restitui, vel aliunde defectus reparari.

Dixi in conclusione: *ex negligentia detinentis*; quia si deterioretur ex indispositione naturali, aut ex morbo similiter apud dominum contrahendo, non videtur ratione deteriorationis præcisè ad quidquam obligandus: aliud esset, si animal deterioratum fuisset propter talis loci aeris intemperiem, aut malam herbarum qualitatem, quia tunc loquendum est sicut in conclusione.

Prob. 2. Pars; quia etsi possit dominus, tanquam rei suæ arbiter, illam pro libitu negligere, non sequitur, quòd idem possit malæ fidei possessor, aliàs sicut potest dominus illam donare, aut destruere sine injustitia, idem etiam posset malæ fidei possessor; unde tenetur circa rei ablatæ conservationem talem curam gerere, qualem gereret diligens rei alienæ custos.

Sed, quid si bos ablatus macer, factus sit pinguis, & iterum ex incuria possessoris redactus sit ad primam maciem? Debet tantum restituere, quantum valebat bos pinguis. Ratio est; quia cùm teneretur bovam restituere eo tempore, quo erat pinguis (cum etiam tunc cum sua melioratione clamaret ad dominum) censetur retinendo juxta proportionem detrimenti damnum intulisse domino; adeoque obnoxium esse illius reparationi.

Confir. Ideo qui deterioraverit rem ab initio bonam, tenetur æquivalens rei & ejus bonitati refundere; quia tota res cùm sua bonitate erat domini; atqui bos qui fuit ab initio macer, sed jam pinguis, totus est domini cum sua pinguedine, cùm res meliorescat domino: ergo qui causa est ejus deteriorationis, debet damnum resarcire.

Dices, credit quilibet satisfacere suæ obligationi, si reddat rem domino talem, qualis erat tempore ablationis, aut injustæ detentionis.

Resp. Hoc fieri, quia rarò accidit casus noster, ubi tamen eveniret, servanda esset conclusio.

CONCLUSIO II.

SI res sit deteriorata extrinsecè, idest secundùm suum valorē, debet quoad deteriorationem indemnificari dominus, si illam erat venditurus: secus, si retenturus erat ob recreationem, pompam, utilitatem &c.

1. Pars per se patet, cum non sit justum, ut damnum patiatur dominus ex injusta rei suæ ablatione, aut detentione.

Prob. 2. pars (cui contradicunt aliqui) quia seclusa deteriorationis extrinsecæ reparatione, servatur omnimoda æqualitas inter ablatum & redditum: cùm injustus detentor non tantùm reddat rem talem, qualem abstulit, sed etiam talem, qualis pro tunc foret apud dominum, nec aliunde excogitari possit titulus deteriorationis reparandæ obligativus.

Dices 1. Reparari debet deterioratio intrinseca, licèt dominus non fuisset rem venditurus; ergo & extrinseca.

Resp. Dist. Ant. Reparari debet deterioratio intrinseca, si proveniat ex culpa detinentis, v. g. quia equo alimenta sufficientia, aut proportionata non tribuit, C. si proveniat ex causa naturali, aut fortuita similiter apud dominum eventura, N. Jam autem deterioratio extrinseca, seu rei diminutio quoad valorem, supponitur hic fieri absque ulla detinentis culpa.

Dices 2. Non restituitur res tanti valoris, quanti erat tempore ablationis; ergo nec servatur justitia.

Resp. Neg. Conseq. Quia cùm diminutio pretii non proveniat ex culpa possidentis, non est illius habenda ratio.

ARTICULUS V.

An possessor malæ fidei possit deducere expensas prore conservanda, melioranda &c.?

SUppono 1. Expensas alias esse necessarias, alias utiles, alias voluntarias. *Necessariæ* sunt, sine quibus res non potest debitè conservari, aut esse sufficiens usibus ordinariis, & sunt illæ, quæ impenduntur pro reparandis ædificiis, nutriendis animalibus, fertilizandis agris &c. *Utiles*, quæ conducunt ad rei meliorationem, v. g. ad impinguationem ovium, boum, aut aliorum animalium, ad majorem domus commoditatem &c. *Voluntariæ*, quæ soli voluptati, aut recreationi deserviunt, absque ulla rei melioratione intrinseca, aut extrinseca; ut certa arborum dispositio.

Suppono 2. Nomine expensarum necessariarum, aut utilium etiam venire laborem & industriam, quæ possessor adhibuit pro rei conservatione, aut melioratione, sicut & pro fructibus colligendis, vendendis &c.

Suppono 3. Possessorem bonæ fidei deducere posse omnes omnino expensas, adeoque & voluntarias, si illas fecerit ex fructibus rei detentæ, aliàs ex proprio non facturus. Ratio est; quia præcisè debet id restituere, per quod factus est ditior: unde si ex locatione domus perceperit 100. aureos, & 20. in expensis voluntariis impenderit, tantùm tenetur ad 80. His suppositis

CONCLUSIO I.

ETsi possit malæ fidei possessor expensas voluntarias separare, ubi sunt absque rei detrimento separabiles, non potest tamen eas deducere, ubi non possunt separari.

Ratio est; quia cùm expensæ illæ supponantur domino omninò inutiles, non tenetur dominus illas in diminutionem pretii restiruendi admittere: unde illarum jacturam imputare sibi debet iniquus detentor, cùm illas absque Domini consensu fecerit. Idem videtur dicendum de possessore bonæ fidei, eò quòd nulla lege cogatur dominus res sibi omninò inutiles pretio comparare.

CONCLUSIO II.

IN rigore justitiæ non tenetur dominus expensas, sive utiles, sive necessarias à possessore malæ fidei factas admittere, aut refundere. Hæc est minùs communis, sed in fundo rei longè probabilior.

Prob. Qui pro libitu & nullatenus conductus reparat domum alienam, excolit ejus hortum, aut vineam, laborando, applicando, colligendo, aut etiam terram impinguando, nihil potest ex justitia à domino exigere, ut per se patet; atqui idipsum accidit in nostro casu: ergo. Unde tantùm potest expensas separare, si sint absque rei læsione separabiles, aliàs nihil ipsi debetur.

Confir. 1. Quia nulla lege, nulla necessitate, nulla conventione expressa, aut tacita tenetur in alieno laborare cùm possit hic & nunc alienum reddere, ergo si laboret, censetur laborare gratis.

Confir. 2. Quia si innocenti agrum alienum sine ulla conventione excolenti, nihil ex justitia debeatur, cur deberetur nocenti, & rem alienam contra domini voluntatem retinenti?

Dices 1. Nemo potest ex alieno ditescere; atqui hoc fieret in nostro casu: ergo

Res. Neg. Suppositum; quia fur in alieno laborans, non sibi, sed domino laborat, & consequenter labor non est ipsius, sed domini: nisi certè esset à re separabilis.

Dices 2. Etsi non debeat dominus pati incommodum in restitutione, non debet tamen commodum referre.

Res. Commodum illud non oriri ex restitutione, sed ex eo quòd fur sine pacto explicito, aut implicito in alieno laboraverit, adeoque sibi infructuosè.

Inst. 1. Tacitè consentit dominus in expensas, cùm sit ejus voluntas, ut, si fur rem detineat, illam conservet.

Res. Voluntatem domini non esse aliam, nisi ut suum habeat: nec multum curat, an res conservetur, necne, cùm equidem, sive pereat, sive non, debeat indemnificari.

Inst. 2. Non potest fur pactum cum domino inire; aliàs se proderet: ergo debet tacitè consentire dominus.

Res. Ant. esse verum; & ideo non debet alienum excolere, sed reddere; sed neganda est consequentia.

Dices 3. Potest bonæ fidei possessor expensas utiles, & necessarias deducere: ergo & possessor malæ fidei.

Res. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd in 1. casu adsit certò volun-

voluntas domini tacita, ut res mediis necessariis conservetur, imò & melioretur; quandoquidem si periret aut deterioretur, non possessori, sed sibi detrimentum foret: cujus contrarium fieret in a. casu.

Dixi in concl. *In rigore justitiæ*, nam si consulatur lex humanitatis, non deberet tam rigidus esse dominus.

ARTICULUS VI.

Ad quid teneatur possessor malæ fidei, ubi res perit apud ipsum?

NOn loquimur de possessore bonæ fidei, cùm certum sit, ad nihil teneri; nisi fortè ratione rei perditæ factus esset ditior, aut nisi etiam, ubi novisset rem non esse suam, fuisset in mora culpabili ad restituendum; tunc enim æquiparatur possessori malæ fidei.

CONCLUSIO I.

SI res peritura apud dominum ex injustitia, pereat apud furem, obnoxius est restitutioni.

Ratio est; quia qui prævenit damnificationem, prævenit & restituendi obligationem.

CONCLUSIO II.

SI res pereat apud possessorem malæ fidei eodem loco, eodemque tempore, quo erat apud dominum certò peritura, non tenetur illius pretium refundere: quod verum est, etsi culpa intercesserit nova.

Prob. 1. pars; quia nullus est titulus unde obligetur: non quidem res accepta; cùm nec in se, nec in æquivalenti subsistat, non etiam injusta acceptio; quia in tantùm parit obligationem restituendi, in quantùm infert nocumentum domino; atqui in nostro casu nullum infert, cùm similiter dominus esset aliunde damnificandus: ergo.

Confir. 1. Quia non est justum, ut dominus ex rei suæ ablatione commodum reportet; reportaret autem, si esset obligatio pretii refundendi, ut per se patet.

Confir. 2. ex l. 1. ff. *ad legem Rhodiam de jactu*, ubi nauta transferens, invito domino, merces de una navi ad aliam deteriorem, in qua pereunt, non obligatur ad restitutionem, si etiam prima navis pereat in eadem tempestate.

Prob. 2. pars; quia, ut ait Wiggers, parum videtur interesse, an res pereat apud furem ex culpa, an fortuitò; cùm non excusetur à restitutione, ex eo quòd tali vel tali modo perierit, sed quia res erat domino certò peritura; sic, ut nihil commodi ex ea percepisset.

Dices 1. Injusta acceptio est unus è titulis obligantibus ad restitutionem.

Resp. Esse titulum, ubi damnum infert, aliàs non.

Dices 2. Possessori malæ fidei imputatur casus fortuitus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Imputatur quando res non erat similiter apud dominum peritura, C. quando erat, N.

Dices 3. Depositarius, apud quem res perit ex culpa lata, obnoxius est restitutioni; licèt eodem modo fuisset apud dominum peritura: ergo similiter.

Resp. Disparitatem esse, quòd Depositarius obligetur ad rei custodiam ex contractu, idque independenter ab omni eo quod poterat accidere rei apud dominum exstanti. Accedit, quòd res apud Depositarium posita sit extra curam domini, adeoque malè dicitur apud dominum peritura, qui, ne apud se periret, illam alterius curæ commisit. Ex dictis

Resol. 1. Non teneri possessorem malæ fidei ad restitutionem, si apud ipsum vinum acescat, equus moriatur, domus malè possessa inundatione evertatur, vestis vermibus corrumpatur &c. Si hæc omnia erant similiter apud dominum ex causis naturalibus certò eventura.

Resol 2. Si abstulisti equum, ab hostibus justis abducendum, si ovem à lupo devorandam, si vestem ab incendio consumendam &c. ad nihil teneris, si moraliter eodem tempore ab iisdem abducantur aut destruantur. Idem est si merces tempore naufragii surripuisti, & eadem tempestate absorbeantur. Ratio est; quia res illæ à tempore ablationis non cœperunt iterum domino valere, cùm semper fuerint in eodem periculo.

Resol. 3. Si laceras pallium, occidis equum, comburis linteamina, incendis segetes, & alia domino certò & inevitabiliter jam peritura, non esse tibi onus restituendi, licèt graviter pecces, si ex odio, aut vindicta id feceris. Ratio est; quia cùm res illæ in tali casu nullius sint valoris, etiam nullum domino infers detrimentum.

Resol. 4 Idem esse de illo, qui occidit hominem jam ex morbo, aut justa Judicis sententia moriturum: etsi enim reus sit homicidii, non tamen obnoxius est damnorum secutorum reparationi. Item nec tenetur occidens hominem sanum ad funeralia, cùm equidem sint aliquando ab hæredibus facienda: teneretur tamen ad interesse, si quod ex eorum anticipatione paterentur.

Resol. 5. E contra tibi inesse obligationem restituendi, ubi res, quam ab incendio, aut inundatione liberasti, apud te perit, licèt fortuitò, si illam suo tempore non restitueris; quia existenti in mora culpabili imputantur omnes casus, etiam fortuiti. Aliud esset, si moram purgasses, illam domino opportunè offerendo.

Resol. 6. Si bovem jam naturaliter moriturum abduxisti ad locum saniorem, ubi convaluit, te obligari illum reddere, aut pretium ejus, si occidisti, aut vendidisti. Ratio est; quia ubi periculum transit, rursus incipit res domino suo valere, estque bona illius fortuna, quòd fuerit in alium locum abducta, aut pro alio tempore reservata. Dixi in concl. *res certò peritura*: nam si destruxisti, rem, de qua dubitabatur, an esset peritura necne, restituere debes proportionatè ad valorem rei tali periculo affectæ.

CONCLUSIO III.

SI res pereat apud possessorem malæ fidei eo tempore, quo necdum sciebatur apud Dominum peritura, tenetur ad æquivalens, sive interim pereat ex nova culpa, sive non: ità Paludanus, Covarruvias, Wiggers; imò Bartolus communiter receptus asserit, esse opinionem inter Jurisconsultos communem.

Ratio est; quia eo ipso, quo res perit apud injustum detentorem, succedit domino actio in ipsum loco rei suæ destructæ; sed nulla est ratio, cur actio jam creata extinguatur per infortunium subsequens, in quo dominus rem suam perdidisset, si non esset destructa: ergo.

Dices 1. Quando res perit apud furem eodem tempore quo periisset apud dominum, non succedit domino actio in furem: ergo nec quando perit anteà.

Resp. Disparitatem esse quod 1. casu destruatur res quæ domino nullius est valoris, & cujus dominium est ipsi inutile, cùm jam sciatur certò peritura; & ideò non est cur succedat ipsi actio in furem: 2. autem casu, cùm ignoretur futura rei destructio, censetur adhuc domino valere; imò tanti venderetur, ac si non esset destruenda.

Dices 2. Non est justum, ut dominus ex tua damnificatione commodum referat, atqui hoc fieret, si reciperet pretium suæ rei perituræ: ergo.

Resp. Nullum inde commodum relaturum, cùm non plus reciperet, quàm valeret ipsa res tempore destructionis secundùm communem existimationem; quod autem fur priùs rem destruat, quàm esset apud dominum peritura, bona est fortuna domini, non furis.

DISPUTATIO II.

De modo quo facienda est Restitutio.

QUæritur in hac Disputatione, quo ordine, qua præferentia, quo loco, cujus expensis, cujus periculo, & quo tempore facienda sit restitutio? Quæ omnia clarè & breviter discutiemus.

QUÆSTIO I.

Quo ordine facienda sit restitutio, ubi pro omnibus creditoribus non sufficiunt bona debitoris.

LOquimur hic de ordine servando ex jure naturæ: de ordine enim seu præferentia, quam jus positivum introduxit, dicetur posteà; sed ante resolutionem

Suppono 1. Creditores alios esse Personales, seu Chyrographarios, alios Reales, seu Hypothecarios: priores sunt qui solam debitoris personam habent sibi obligatam: posteriores, qui personam & bona ratione pignoris, aut hypothecæ.

Suppono 2. Hypothecam (quæ est obligatio rei licitæ ad securitatem creditoris) aliam esse Expressam, quam introducit mutua contrahentium conventio, aliam Tacitam, quæ statuitur per leges; sic bona recipientium vectigalia sunt hypothecata fisco, bona tutoris pupillo; bona mariti uxori pro dote,

bona

bona patris aut matris ad secundas nuptias transvolantis filiis præcedentis Matrimonii; & alia, de quibus fusiùs apud Juristas. Insuper alia est Universalis, quæ afficit omnia creditoris bona præsentia & futura; alia Particularis, quæ tantùm obligat bonum speciale, ut Villam, Molendinum &c. Hæc bona vendita transeunt cum suo onere, non sic bona hypothecæ universalis, quorum loco succedit pretium, si vendantur: licèt non possint alienari absque consensu creditoris.

Suppono 3. Nos hic confundere Pignus cum Hypotheca (licèt in rigore differant, cùm Hypotheca sit in re immobili, & Pignus in re mobili) & ideò quod dicemus de bonis hypothecatis, dictum erit de pignoratis. Ne autem hanc materiam iterùm postea tangere teneamur.

Suppono 4. quasdam inesse obligationes creditori & debitori respectu pignoris. Ex parte creditoris 1. est, ut non utatur pignore, nisi in gratiam debitoris, vel si utatur, damna ex usu illata reparet. 2. Ut non permittat pignus destrui aut deteriorari. 3. Ut fructus pignoris debitori computet. 4. Ubi debito soluto: reddat pignus. Ex parte verò debitoris 1. est, ut res oppignorata uni, non oppignoretur alteri. 2. Ut indemnizet creditorem de expensis tùm necessariis, tùm utilibus pro pignoris conservatione factis. 3. Ut pignus non repetat, nisi debito soluto: His suppositis

CONCLUSIO I.

FErè omnibus creditoribus personalibus, etiam privilegiatis, præferendi sunt creditores hypothecarii, etsi posteriùs contractum sit debitum. Est communis, patetque ex L. *Eos* Cod. *Qui potiores in pignore*.

Ratio est; quia bona hypothecata, vel oppignorata dicunt certum respectum ad personas, quibus sunt obligata, quem non dicunt ad alias: ergo potiùs illis, quàm his sunt tribuenda. Prob. Ant. Quia sunt pro hoc debito, non pro aliis, quasi fidejussores: undè dant specialem securitatem creditoribus, ut in quolibet eventu solutionem sibi ex eis procurent.

Confir. Videtur habens duplicem actionem præferendus, illi, qui habet unicam; sed hypothecarii habent actionem duplicem, unam in personam, alteram in rem hypothecatam: ergo.

Dixi *Ferè omnibus*; quia creditoribus, etiam hypothecariis, anteponuntur creditores personales, qui pro funeralibus debitoris, aut etiam ipsius uxoris, filii, servi, & aliorum, quos debitor ipse sepelire tenebatur, expensas moderatas fecerunt. Dico *moderatas*, quia sicut tunc hæres, non potest statum convenientem excedere, ità nec debitor occasione funeris aliis præferendus est pro excessu. Patet ex L. penultima ff. *De religiosis & sumptibus funerum*. Quam legem extendunt Doctores satis communiter ad expensas factas pro Medico, Chirurgo, Pharmacopola, Confectore testamenti, inventarii &c. hæcque videntur in jure naturali fundata; nam cùm non sit ab illis abstinendum, ut satisfaciat creditoribus, & aliundè nullus esset expensas illas facturus, ubi putaretur hæreditas insufficiens, meritò aliis præponuntur. De præferentia inter hypothecarios dicimus quæstione sequenti.

CONCLUSIO II.

REi venditor non est aliis quoad rem suam præferendus, si jam res transierit in dominium emptoris; secùs si non transierit.

Prob. 1. pars, quam impugnant plurimi; quia eo ipso, quo res transiit in dominium emptoris, non est potiùs venditoris, quàm alia res, ergo sicut non debet aliis præferri quoad aliam rem, ita nec quoad illam.

Confir. 1. Quia res illa nec aliquo jure, nec contrahentium conventione hypothecata est venditori: quod est tamen fundamentum adversariorum.

Confir. 2. Quia si emptor rem illam vendiderit tertio primus venditor non potest illam repetere apud secundum emptorem: ergo signum est non esse illi hypothecatam.

Dices 1. Repugnat æquitati naturali, ut res mea non soluta, & apud alium existens integra, potiùs assignetur aliis in solutionem, quàm mihi.

Resp. Neg. suppositum; quia eo ipso, quo alter illius dominium obtinuit, non est ampliùs tua, sed illius, sicut quælibet alia; adeòque inter creditores est æqualiter dividenda, ubi cætera sunt paria.

Dices 2. In tali venditione tantùm transfertur dominium sub tacita conditione pretii solvendi; ergo ubi pretium non solvitur, res ad dominum redit.

Resp Neg. Ant. hocque patet evidenter ex eo, quòd possit emptor ante solutum pretium rem alteri vendere, sicque absolutè dominium transferre: quod certè non posset, si ipsemet absolutum dominium non haberet.

Prob. 2. pars; quia cùm res clamet dominum suum, sequitur, quòd ubi non est translatum dominium; domino proprio sit reddenda. Accedit, quòd non possit debitor ex bonis alienis creditoribus satisfacere.

Porrò censetur esse translatum dominium (aliàs non) quando, re tradita, venditor pignus, aut fidejussorem loco pretii acceptavit, vel nuda emptoris promissione fuit contentus, perinde ac si pretium esset solutum, quod leges vocant, *habere fidem emptori*. Ex dictis

Resol 1. Dominium rei furtivæ non esse aliis præferendum, si fur rem ablatam ita suis commiscuerit, ut non possit ab aliis discerni; quia tunc fur rei illius dominium acquisivit, licèt cum onere restituendi. Patet ex L. 46. ff. *de solutionibus*, ubi id ipsum asseritur de nummis mixtis.

Resol. 2. Rem, cujus dominium non est translatum in emptorem, esse cum præferentia dandam pauperibus, si ignoretur dominus; quia talis præsumitur voluntas ignoti domini, qui, si adesset, omnibus aliis præferendus, cùm res sit domino specialiter obstricta.

Resol. 3. Quòd, cùm juxta Panormitanum & alios, sit privilegium Ecclesiæ, Fisci, & Minoris, ut res, quam per procuratorem vendunt creditò, seu habendo fidem emptori, non transeat in dominium ipsius emptoris ante solutum realiter pretium, debeant, quoad rem venditam, omnibus aliis præferri, si adhuc exstet in sua specie.

CONCLUSIO III.

DEbita contracta ex delicto, puta, ex furto, rapina, usura, contractu fraudulento &c non sunt præferenda contractis ex pacto justo, si amplius non exstent in sua specie, sed sunt æqualiter solvenda. Est probabilior.

Ratio est; quia talis præferentia neque ex jure positivo, neque ex jure naturæ potest colligi. non ex jure positivo, cùm nullibi distinguat inter debita ex delicto, & debita ex contractu justo; ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: non etiam ex jure naturæ, cùm debitum unum non fortius obliget, quàm aliud; utrumque siquidem obligat, ne jus alienum lædatur:

Confir. Quia in foro judiciali debita illa æquiparantur; ergo signum est nec ex jure positivo, nec ex jure naturæ præferentiam habere.

Dices 1. D. Th. opusc. 73. docet expressè contrarium.

Resp. cum Sylvio: Opusculum illud non esse D. Thomæ, cùm in editione Romana habeatur litteris distinctis.

Dices 2. Debita ex delicto continent duplicem injuriam, unam Deo, alteram debitori irrogatam: ergo sunt prius solvenda.

Resp. Hic non haberi rationem injuriæ Deo illatæ, cùm per pœnitentiam sit delenda; sed restitutionis ad æqualitatem faciendæ.

Dices 3. Durius est domino, carere suis per vim ablatis, quàm carere scienter datis per contractum: ergo

Resp. Dist Ant. Durius est domino, quia plus patitur in fortunæ bonis, N. Quia insuper fit ipsi injuria & violentia, C. sed hoc aliunde reparandum est.

CONCLUSIO IV.

CReditores certi non sunt præferendi incertis, idest, illis ad quos scitur quidem rem pertinere, sed quinam determinatè illi sint, aut ubi sint ignoratur. Hæc est minus communis, sed probabilior.

Ratio est, quia pauperes tenent hic locum creditorum incertorum; sed si hi adessent, non deberent aliis postponi: ergo nec pauperes.

Confir. 1. Quia tantum jus habet creditor ignotus in bona debitoris, quantum creditor notus: ergo non est ratio, cur pauper ejus locum tenens postponatur.

Confir. 2 Si creditor ignotus mitteret personam, quæ suo nomine debitum reciperet, illa cum aliis creditoribus æquali incederet gradu; sed hic sufficit loco suo personam pauperis, ut postea dicemus: ergo.

Dices. Pauper nullum habet jus in bona debitoris; ergo nulla fit ipsi injuria, si postponatur.

Resp. Non pauperem, sed dominum ignotum habere jus in illa bona, quæ quia non potest recipere, censetur velle, ut dentur pauperi; cui si non dentur, non pauperi, sed domino fit injuria, quia non servatur ejus voluntas.

CON-

CONCLUSIO V.

Cæteris paribus creditor pauper non est præferendus diviti. Est communis contra paucos.

Ratio est; quia ex jure naturæ tantum jus competit diviti, quantum pauperi: ergo cum jus positivum circa hoc nihil immutaverit, non est ratio, cur unus præferatur alteri. Dicitur quidem probare contrarium D. Th. opusc. 73. nempè quia plus læsus est pauper ablatione suorum, & plus indiget, sed hoc opus non est divi Thom. ut diximus superius.

Dices 1. Potest fieri, quòd pauper sit in maxima necessitate.

Resp. Tunc esse præferendum, in quantum necessarium est, ut subveniatur ejus necessitati, non tamen ex justitia, sed ex charitate, qua tenemur quibuslibet in simili necessitate succurrere.

Dices 2. Fit restitutio, ut indemnificetur proximus, sed plus damnificatur pauper ex non solutione, quàm dives: ergo.

Resp. Restitutionem fieri, ut non lædatur jus alienum, quod cum sit æquale in divite, ac paupere; etiam in solutione sunt æquiparandi.

QUÆSTIO II.

Quænam sit præferentia inter creditores ejusdem rationis?

Quæritur, quinam in restitutione debeant præferri inter Hypothecarios, quinam inter Personales privilegiatos, & quinam inter non privilegiatos.

CONCLUSIO I.

Inter Hypothecarios illi sunt præferendi, qui sunt priores in hypotheca. Patet ex hac 54. Regula juris in 6.

Qui prior est tempore, prior est in jure: quod verum est, sive hypotheca sit tacita, sive expressa, sive generalis, sive specialis; si tamen excipiantur certi casus, in quibus ex privilegio hypothecæ quædam posteriores prioribus non privilegiatis anteponuntur.

1. Casus respicit hypothecam dotalem, per quam bona mariti ita sunt obligata uxori & ejus filiis, ut præferantur creditoribus anterioribus habentibus hypothecam tacitam. Patet ex L. *assiduis* Cod. *Qui potiores in pignore habeantur*. Dico *tacitam*, & non *expressam*; quia durius esset, quòd creditores anteriores ratione Matrimonii supervenientis perderent jus, quod ex conventione expressa habebant in bona mariti. Interim, quantum ad hoc, consulatur mos patriæ, & inquiratur, an dos de facto fuerit à marito recepta? aliàs privilegium illud non competit uxori.

2. Quando quis rei hypothecatæ conservandæ, aut reparandæ causa, dedit pecuniam mutuo: ille enim præfertur aliis habentibus in eadem re hypothecam qualemcunque. L. *Interdum*, ff. *Qui potiores in pignore*.

3. Ubi mutuata est pecunia pro vectura mercium & conductione ædium, in quibus asservarentur: tunc enim merces manent hypothecatæ mutuanti cum omnimoda præferentia. L. 6. ff. supra.

4. Quando pecunia pupilli empta est res aliqua: hæc siquidem manet ipsi obligata prælativè ad hypothecas generales expressas, aut tacitas, si excipiatur illa, quæ fit causa militiæ. L. penult. Cod. *De pignoribus*.

5. Omnia bona contrahentium cum fisco, sunt ipsi obligata cum præferentia ad hypothecas anteriores, saltem tacitas: L. *Si is qui ff. De jure fisci*. Fiscus autem & dos pari gradu incedunt, & solùm est potior in jure, qui prior est tempore.

6. Præferentiam habet ille ante quaslibet hypothecas, etiam causa dotis, aut fisci, qui pecuniam dedit ad militiam, puta, pro sustentatione in Castris, pro emptione armorum, equi &c. L. *Assiduis* Cod. *Qui potiores in pignore habeantur*.

7. Præfertur hypothecariis generalibus mutuans pecuniam ad emptionem domus, aut alterius rei cum pacto expresso, quòd manebit sibi hypothecata. L. *Licet* Cod. supra. Denique hypotheca ex promissione gratuita postponitur hypothecis quibuslibet ex contractu oneroso.

CONCLUSIO II.

Post hypothecarios creditores sequuntur personales privilegiati, ac

1. Qui fecit expensas pro funeralibus, &c. ille enim etiam hypothecariis præfertur, ut diximus supra.

2. Sponsa de futuro, si sponso tradita est dos, non secuto Matrimonio. L. *quæsitum* §. *Si sponsa*. ff. *De privilegiis creditorum*.

3. Deponens pecunias apud nummularium publicum, seu depositarium à Republica constitutum, nullo inde percepto lucro L. *Si ventri*. ff. *De privilegiis creditorum*.

4. Respublica, quæ habet privilegium præferentiæ ante omnes creditores privatos non hypothecarios. L. *Bonis venditis*. ff. ut supra.

CONCLUSIO III.

Ubi solutum est hypothecariis & personalibus privilegiatis, solvendum est pro rata (saltem ubi cætera sunt paria) creditoribus ex contractu oneroso, puta, venditione, locatione, &c.

2. Creditoribus ex titulo gratuito, v.g. ex promissione, aut voto.

3. Legatariis & hæredibus; ita tamen, ut hæredes necessarii præferantur legatariis, quoad suam legitimam. Quia tamen variis in locis variæ introductæ sunt consuetudines particulares, ideò, omissis illis, quæ jam ex jure communi diximus, prudenter ad illas recurres, imò & in conscientia observabis, ubi sunt rationi consentaneæ, ac propter bonum commune introductæ.

Dixi: *Ubi cætera sunt paria*; nam prius debitum exigens in judicio, sententiamque obtinens, debet aliis nec hypothecam, nec privilegium habentibus anteponi, etiam quoad integrum debitum. Patet ex L. *Si hominem* §. *Quoties* ff. *Depositi*, & alibi, ubi diligentiæ & vigilantiæ prius postulantis præferentia adscribitur. Imò probabilius est, idipsum esse concedendum prius petenti extra judicium, licèt sit tempore posterior; quia vigilantia ipsum facit inter creditores jure potiorem, sicut hypotheca aut privilegium: hocque videtur praxis communis authorizare; & colligitur ex L. *Qui autem* ff. *Quæ in fraudem Creditorum*, & L. *Pupillus* eodem titulo. Non potest tamen debitor sciens se non habere unde solvat omnibus, non petentem aliis præferre, quia cum ille non sit potior in jure, ita nec debet esse in solutione: unde tenetur debitor omne damnum; quod per hoc aliis intulit, resarcire, si ad pinguiorem fortunam pervenerit.

An autem prior tempore sit etiam aliis præferendus? nihil determinat jus positivum, sicut determinat pro creditoribus hypothecariis, & ideò recurrendum est ad leges, aut consuetudines locales legitimè introductas.

QUÆSTIO III.

Quo loco, & cujus expensis facienda sit Restitutio?

Obligatio restituendi alienum in certo loco, oriri potest vel ratione rei bona fide acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis, vel ratione contractus.

CONCLUSIO I.

Res bona fide accepta restitui debet in loco, ubi cognoscitur esse aliena, vel si ad dominum absentem remittatur, illius expensis remittenda est.

Prob. 1. pars; quia jus tum Civile tum Canonicum, nullum gravamen imponit bonæ fidei possessori: ergo obligationi suæ satisfacit, si rem Tornaci restituat, ubi novit Tornaci esse alienam; si tamen postquam alienam novit, aliò transtulerit, debet expensas, quas non fecisset dominus, ipsemet subire; nisi certè bona fide credidisset transportationem utiliorem fore domino.

Prob. 2. pars; quia si possessor bonæ fidei deducere possit expensas, quas fecit pro rei conservatione, ut patet ex L. *possessor*, ff. *de petitione hæreditatis*, quidni & illas, quas fecit pro ejusdem restitutione? Antequam tamen remittat, prudenter per epistolam dominum rogabit, quid velit de re sua fieri?

Sed quid faciendum, si res sit minoris momenti, quàm forent expensæ pro transmissione faciendæ? aut etiam, si dominus, quia nimis distans, non possit moneri?

R. Si spes affulgeat dominum vel ipsam rem, vel ipsius pretium aliquando obtenturum, esse retinendam, vel in pio loco deponendam; aliàs pauperibus erogandam, & maximè consanguineis domini, si pauperes sint. Ratio est; quia rationabiliter præsumi potest talem esse voluntatem domini.

CON-

CONCLUSIO II.

RES injustè ablata, aut detenta restitui debet in loco, in quo illam haberet dominus, si apud ipsum mansisset, aut suo tempore fuisset ei reddita, idque expensis debitoris. Est communis & certa.

Ratio est; quia justitia postulat, ut nullum incurrat dominus nocumentum propter alterius injustitiam; & consequenter, ut rem suam habeat integram & salvam apud se sine ullo sui onere: unde si occasione rei ablatæ, aut injustè detentæ, vel etiam solutionis à debitore moroso dilatæ, debuisset aliò migrare, aut domicilium transferre, deberet injustus detentor, etiam omnibus expensis sua culpa factis subvenire. Ubi tamen domicilium mutavit dominus sine culpa detentoris, potest hic expensas illas deducere, quas ille fecisset pro rei suæ transportatione; quia cùm sufficiat domino, quòd per restitutionem servetur indemnis, non debet ex illa lucrum reportare.

Sed, quid si expensæ faciendæ superent rei transmittendæ valorem?

R. Potest transportatio aliquandiu differri, si speretur minoribus sumptibus posteà facienda; quia potest præsumi, talem esse voluntatem domini inde nullum, aut exiguum incommodum patientis. Si tamen ex dilatione notabiliter læderetur dominus, aut nulla foret spes deinceps restituendi, nisi modò fieret, quibuslibet expensis esset facienda; quia non est justum, ut propter alterius delictum careat dominus re sibi debita: imputet sibi injustus possessor, si restitutio tot expensis sit obnoxia.

Dices 1. Irrationabilis esset dominus, qui vellet rem tot sumptibus restitui: ergo tunc danda est pauperibus.

R.N. ant. Quia non est irrationabilis ille, qui non vult cum magno sui detrimento gratiam impendere illi, à quo ex mera malitia nocumentum passus est.

Dices 2. Fit restitutio, ut servetur æqualitas; atqui tali casu magna esset inæqualitas: ergo.

R. dist. majorem: Fit restitutio, ut servetur æqualitas inter ablatum & redditum, C. ut servetur æqualitas, etiam computatis sumptibus, qui restitutionis causa fieri debent ab iniquo raptore, N. Aliàs damnificaretur dominus ex alterius culpa.

CONCLUSIO III.

DEbita ex contractu restitui debent, aut solvi in loco, ubi factus est contractus, sive sit onerosus, ut venditio locatio &c. sive gratuitus, ut donatio & promissio: nisi certè aliter conventum esset, aut dispositum.

Ratio est; quia, attenta contractus justitia, ac contrahentium voluntate non potest assignari locus convenientior: unde si contrahentes alium locum intendissent, proculdubio id contractu apposuissent. Porrò generaliter loquendo fieri debet solutio in domo debitoris, ut colligitur ex L. 1. ff. *De eo quod certo loco*.

Dixi: *nisi aliter conventum esset*: Unde si rem emisses Insulis, solvendam Antuerpiæ, teneris ibidem solvere; debet tamen onus illud aliunde compensari; aliàs læderetur justitia. Item si in via mutuatam pecuniam accepisti, censeris te implicitè obligasse ad solutionem faciendam in loco, ubi domicilium habet mutuator.

Addidi: *aut dispositum*; si quis enim tibi legasset 100. aureos Parisiis recipiendos, aut vestem pretiosam ibidem existentem, deberes illam propriis expensis quærere, aut ad te transmitti curare; quia non est verisimile, quòd voluerit testator hæredem suum ad expensas pro re obtinenda necessarias obligare. Aliud esset, si hæres legatum aliò transtulisset: tunc enim deberet illud suis sumptibus remittere.

Quantum ad expensas pro transportatione, hæc sit regula generalis; nempè faciendas esse ab eo, in cujus utilitatem factus est contractus; & ideò si, ut te à pluvia protegeres, pallium habuisti commodato, debes tuis sumptibus illud remittere ad locum, in quo accepisti, quia non est rationabile, ut dominus subeat expensas, tibi gratiam præstando. Si tamen pallium habuisti Duaci, & Ambianum petierit dominus, non teneris expensis tuis Ambianum remittere, sed Duacum tuis, & deinceps Ambianum expensis domini; quia aliàs noluisses commodatum cum tanto onere accipere, è contra, si depositus sit apud te equus in gratiam solius domini, ubi illo indiget in loco distanti, ejus expensis remittendus est; quia alteri favorem exhibendo, non debes gravari. Imò idipsum dicendum est, secundum Medinam, etiamsi pro Deposito conservando aliquid acceperis, cùm pretium illud sit præcisè merces rei apud te custodiendæ.

QUÆSTIO IV.

Cujus periculo sit restituendum?

SEnsus quæstionis est, an quando quis ob distantiam domini, aut famæ conservandæ causa, remittit rem per alium, imputetur ipsi periculum fortè in via obventurum, an autem domino? Ante resolutionem

Suppono 1. Ubi nuntius ab ipsomet creditore electus est, aut designatus, si res in via pereat, quomodocunque pereat, illam perire creditori; cùm tunc nuntius gerat personam illius. Et idem est, si creditor reliquerit debitori optionem eligendi quemcunque voluerit, & hic habitum communiter fidelem assumpserit; quia tunc adest consensus domini.

Suppono 2. Si res transmissa in itinere auferatur, aut à nuntio detineatur, eam perire debitori, si, inconsulto domino, illam remittat per nuntium non satis fidelem, aut per viam à latronibus obsessam; quia cùm ex culpa & imprudentia mittentis perierit, non debet inde creditor damnificari; unde solùm procedit quæstio, dum res remittitur per nuntium creditum fidelem, & quidem per vias tutas; sive interim debitor illam remittat præcisè ratione rei acceptæ, sive ratione injustæ acceptionis, sive ratione contractus.

CONCLUSIO I.

UBi debitor remittit rem, quam apud se habebat sine ulla sua culpa, v. g. quia illam invenerit, quia bona fide emerat &c. si nuntius fidelis reputatus sibi illam usurpet, aut ipsa in via pereat, perit creditori, manetque debitor ab omni onere solutus.

Ratio est; quia nullus hic habetur restitutionis faciendæ titulus: non quidem injusta acceptio, quia nullam esse supponimus: non etiam res accepta, cùm illam nec in se, nec in æquivalenti possideat.

CONCLUSIO II.

UBi debitor rem injustè ablatam remittit per nuntium, etiam creditum fidelissimum, si hic illam sibi retineat, aut aliter in via pereat, antequam domino reddatur, tenetur mittens rei ablatæ, aut destructæ pretium refundere. Hæc videtur probabilior.

Prob. 1. Quia ut fur debitè restituat, debet ponere æqualitatem realem inter ablatum & redditum; sed quandiu res ablata non pervenit ad manus domini, non ponitur æqualitas: ergo si antea pereat, manet debitor obligatus ad æqualitatem ponendam.

Prob. 2. Si res illa inter manus debitoris periret, periret debitori, ut constat; atqui nuntius ferens gerit personam debitoris; ergo.

Dices 1. Si fur rem ablatam tradat Confessario, ut eam reddat domino, censetur communiter satisfacere: ergo etiam si tradat nuntio fideli.

R. dist. ant. Censetur communiter satisfacere; quia medium illud est ordinariè securum, C. quia ad nihil ampliùs tenetur, si Confessarius deficiat, N.

Dices 2. Restituens per amicum fidelem, prudenter se gerit: ergo non tenetur ad plus

R. Dist. consequens. Non tenetur ad plus, si res perveniat ad dominum, C. aliàs N. prudenter quidem agit, sicut prudenter ageret, si ipsemet referret, sed sicut, non obstante illa prudentia, teneretur rei pretium refundere, si spoliaretur in via, ità similiter teneretur rei pretium, si pereat apud nuntium, qui censetur illius personam agere.

Dices 3. Non tenetur per seipsum restituere: ergo satisfacit per alium.

R. Dist. conseq. Satisfacit per alium, si hic de facto restituat, C. si non, Nego.

Dices 4. Perit res creditori, ubi ipsemet convenit de nuntio; sed in nostro casu tacitè consentit, ubi sibi res sua per nuntium fidelem remittatur: ergo.

R. Dist. min. Tacitè consentit, quantum ad hoc, quòd potiùs per fidelem, quàm infidelem remittatur, C. quantùm ad hoc, ut si res transmissa pereat, sibi pereat, N. cùm enim non teneatur jacturam illam subire, ità nec censetur illi consentire.

CONCLUSIO III.

REs debitæ ex contractu transferuntur cum periculo creditoris, ubi remittitur idem numero, ac fuit acceptum, ut fit in Commodato, Deposito &c. è contra cum periculo debitoris,

bitoris,

bitoris, ubi tantùm redditur idem in genere aut specie, ut fit in mutuo, emptione &c.

Prob. 1. pars; quia sicut quælibet res dominum suum clamat, ità & domino suo perit; atqui in contractibus, ubi reddendum est idem numero, res semper manet sub dominio creditoris: ergo si pereat, perit creditori, & non debitori, nisi ex parte hujus culpa intercesserit, de qua diximus initio Disputationis primæ.

Prob. 2. pars; quia in contractibus, ubi non idem numero, sed tantùm specie restituendum est, rei transmissæ dominium est penes debitorem, tamdiuque ipsius est, quamdiu necdum ad manus domini pervenit; & consequenter si in via pereat, perit debitori tanquam domino. Excipe tamen, nisi illam tradidisset personæ ab ipso creditore designatæ; aut debitori dixisset dominus: *Cuicunque illam tradideris, mihi traditam habuero*: tunc enim eo ipso quo traditur nuntio (fideli tamen) transfertur dominium creditori, adeoque & periculum. Ex dictis

Resol. Si per nuntium habitum fidelem remittat debitor pallium commodatum & simul pecuniam ex mutuo, aut emptione debitam, teneri ad restitutionem pecuniæ, non pallii, si nuntius cum omnibus aufugiat, aut omnia in itinere perdat; quia pallii dominium erat penes creditorem, pecuniæ autem, penes debitorem. Idem dic in similibus.

QUÆSTIO V.

Quo tempore restituendum, quot peccata incurrant differentes, & quid cum illis agendum?

CONCLUSIO I.

DEbita ratione rei acceptæ, aut injustæ acceptionis sunt restituenda quamprimùm moraliter: debita autem ex contractu, tempore præfixo, ubi determinatum est, aliàs, quando rationabiliter urget creditor. Tres partes continet conclusio.

Prob. 1. pars; quia ubi quis novit se habere alienum, potestque illud domino comparenti reddere; secundùm omnes reputatur iniquus detentor, si differat. ergo signum est teneri quamprimùm moraliter.

Confirm. Quia licèt præceptum illud sit formaliter affirmativum, cùm præcipiat actionem, æquivalet tamen huic negativo: *Non retinebis alienum*; atqui præceptum negativum obligat pro semper, idest, omni instanti: ergo debet statim adimpleri.

Dixi: *Quamprimum moraliter*, idest, data opportunitate, & ideò non esset excusandus ille, qui tempore officii divini, laboritii, honestæ recreationis &c. memor factus restitutionis faciendæ, illam paululùm differt, eo quòd non censeatur pro tempore modico invitus rationabiliter dominus: sicut nec censeri debet, quando fit dilatio ob viarum difficultates, latronum multitudinem, nimiam creditoris distantiam &c.

Quanta autem requiratur dilatio ad peccatum mortale pendet à prudentis viri judicio, attenta temporis longitudine, restituendi opportunitate, sicut & domini renitentia & detrimento: quæ si reputantur gravia, gravem inducunt culpam; si levia, levem.

Prob. 2. pars, quia contractus in tantùm obligant, quantum sonant, & ideò ubi in illis tempus solutionis præfixum est, tempus servandum est: etiamsi non urgeat dominus, quia dies præfixa interpellat pro domino, ut patet ex cap. finali *de locato & conducto*.

Prob. 3. pars, quia certum est, debitum esse aliquando solvendum, sed ubi tempus non est determinatum, nullum assignari potest convenientius, quàm dum creditor urget rationabiliter ad solutionem: ergo. Excipe tamen, nisi creditor obliviosus, impotens, aut timidus illud non exigeret, quia tunc non potest præsumi dilationem longiorem concedere, sicut præsumitur, quando advertenter & liberè illud non exigit. Ex dictis

Resol. 1. Non restituentem, quando potest, & omnibus attentis, urget restitutio, esse in continuo statu peccati mortalis: adeoque esse omnium Sacramentorum incapacem, licèt restituere proponeret.

Resol. 2. Potentes restituere, salva fama, tempore infirmitatis, aut antè, reos esse, si contenti sint id injungere hæredibus per testamentum; quia cùm tunc possint, & non velint, censetur tantùm velle restituere, si moriantur quod est inordinatum. Ubi autem fama periclitatur, possent per Testamentum, aut Codicillum summam debitam creditori legare, aut per Confessarium, aut aliam probæ Fidei personam restitutioni modo secreto providere.

Resol. 3. Non semper esse accusandos peccati gravis procrastinantes solutionem ex contractu debitam, licèt creditor quandoque urgeat; modò ex dilatione nullum, aut leve subeat nocumentum, & aliundè nullum sit debiti perdendi periculum. Ratio est, quia cùm dilatio non sit creditori graviter injuriosa non censetur etiam graviter invitus, nisi id sufficienter ostendat.

CONCLUSIO II.

TOt numero peccatorum reus est differens injustè restitutionem, quot vicibus renovat intentionem non restituendi moraliter interruptam, aut quoties post interruptionem moralem, suæ obligationis memor factus, illam tamen negligit, & procrastinat.

Ratio petitur ex lib. 2. Sentent. ubi dicitur, Unitatem, aut Multiplicitatem peccatorum numericam desumi ex unitate, aut multiplicitate morali actionum.

Ubi tamen pœnitens non potest propter temporis longitudinem, aut sæpiùs iteratam interruptionem, peccatorum multitudinem assequi, debet Confessario statum suum aperire eo meliori modo, quo potest, declarando nempè spatium temporis, & interruptionum consuetudinem, v.g. quòd ter, aut quater in septimana vellet & non vellet restituere, ex quibus prudens Confessarius peccatorum numerum aliqualiter colliget.

CONCLUSIO III.

ABsolutionem denegáre debet Confessarius, non tantùm restitutionem facere nolenti, aut per partes restituenti, cùm possit totum simul; sed etiam illi, qui semel aut bis uni, aut alteri Confessario promisit restitutionem facere, & tamen sine justa causa neglexit.

Ratio; quia ille de facto versatur in continuo peccato, sed qui potuit, & promisit peccatum deserere, & non fecit, non est absolvendus, ut tanquam certum supponimus ex tractatu de Sacramento Pœnitentiæ: ergo.

Dixi: *Et tamen sine justa causa neglexit*; quia si superveniant certæ circumstantiæ, propter quas præsumitur creditor dilationem approbare, aut saltem approbaturus, ubi causam noverit, potest Confessarius ipsum absolvere, modò tamen habeat firmum restituendi propositum, quando opportunitas aderit.

DISPUTATIO III.

De illis quibus facienda est Restitutio.

CErtum est restitutionem faciendam esse domino, ubi comparet, & nulla aliundè apprehenduntur inconvenientia, sed quoniam ignotus potest esse dominus, & quandoque cognito non expedit restitutionem facere saltem immediatè; ideò quædam dubia circa materiam illam in hac disputatione resolvemus.

QUÆSTIO I.

An res sit restituenda domino, quando ab alio ablata est?

REm bona vel mala Fide possessam surripit tibi fur. Quæritur, an hic resciens rem illam non esse tuam, sed alterius, debeat illam tibi restituere, an domino? Tibi esse restituendam, asserit indistinctè D. Thom. sed crediderim loqui de possessore bonæ fidei, & quidem non omni, ut jam dicemus.

CONCLUSIO I.

ORdinariè loquendo res ablata ab eo, qui illam bona Fide, justoque titulo possidebat, ipsi reddenda est, & non domino. Est communis.

Ratio est; quia sic facienda est restitutio, ut jus alienum nullatenùs lædatur; sed ubi fit restitutio domino, & non possessori, manifestè læditur jus possessoris, cùm privetur justa possessione, administratione, custodia &c.

Dixi: *Ordinariè loquendo*; quia si ex eo quòd restitutio fiat domino: nullum indè nocumentum eveniat possessori, parum interest utri fiat. Ex dictis

Resol. 1. Furantem à Sartore vestem, à Fullone pannum, Farinam à Molitore &c. teneri ipsis, & non domino restituere. Ratio est; quia si restitutio fieret domino, exponeretur illi periculo

riculo amittendi pretium laboris, imò periculum esset ne ob præsumptam incuriam in custodiendis rebus sibi traditis, eorum officina desereretur.

Resol. 2. Rem commodatam, depositam, oppignoratam, locatam &c. reddendam esse commodatario, depositario, locatario &c. quia cùm succedant in jura domini, quantum ad rei possessionem, aut detentionem, læduntur in jure suo, ubi aliter restituitur, suntque de omni interesse indemnizandi.

Resol. 3. Restituentem Pupillo, aut Minori rem ablatam à Tutore, aut Curatore, teneri ad secundam restitutionem, & idem est si bonum adventitium ablatum à Patrefamilias restituatur filio, aut bonum commune reddatur uxori. Ratio est; quia licèt illi, quibus fit restitutio, sint rei restitutæ domini; quia tamen secundùm Jura non habent illius administrationem, non ipsis, sed administratoribus reddenda est. Ubi tamen dominus rem sibi traditam in suam utilitatem convertisset, non esset facienda secunda restitutio.

Resol. 4. Surripientem à Religioso, uxore, filiofamilias, &c. res io usum ipsis legitimè concessas, non satisfacere restituendo monasterio, marito, patri &c. nisi certus sit reddendas esse postea usurariis. Ratio est; quia usurarii privantur jure, quod habebant ad usum rerum illarum. Sed quid, si à Pupillo, Minore, Religioso, Uxore &c. auferretur aliquid quod non est ipsis concessum in usum? Reddendum esset administratoribus, & ideò esset onus secundæ resticutionis, si esset inutiliter dissipatum.

CONCLUSIO II.

Res ablata à possessore malæ fidei, non ipsi, sed domino restituenda est.

Ratio est; quia talis possessor nullum jus habet in illam, adeoque nec justè potest conqueri, quòd sibi non reddatur. Debet tamen restituens monere injustum possessorem de restitutione facta, ne hic iterum restituat, aut ulterius maneat in voluntate non restituendi. Item & monere debet dominum, ne ab injusto detentore restitutionem aliam exigat.

CONCLUSIO III.

Ubiquis bona fide possidet alienum sine ullo jure detinendi, si ab ipso illud accipis per contractum gratuitum, debes illud domino restituere, ubi deprehendis esse alienum, si per contractum onerosum, reddere potes possessori, pretium tuum recuperaturus.

Prob. 1. Pars; quia cum talis possessor nullum jus habeat in illud, etiam nullo jure debetur ipsi ejusdem restitutio, sed domino, saltem ubi fieri potest sine gravi tuo incommodo: quod addo, quia ubi illud adesset, posses reddere possessori, cùm non tenearis alienum curare cum tanto tui detrimento, imò irrationabilis esset dominus, qui vellet ad plus te obligare. Excipe tamen, nisi possessor esset tibi meritò suspectus, utpotè quia ferè nullius conscientiæ, quia prodigus, quia multùm avarus, quia usurarius &c. si enim rem bona fide emptam à fure tenearia domino reddere, etiam cum jactura pretii, quia rem reddendo furi, poneres illam in deteriori statu, quàm esset apud te, etiam debes in hoc casu domino reddere cum tui gravamine, cùm militet eadem ratio. Posses tamen expensas deducere, cùm sis ipsemet, ut suppono, etiam possessor bonæ fidei.

Prob. 2. Pars; quia tunc merito præsumitur, esse voluntatem domini rationabilis; ut non ipsi immediatè restituas, sed illi, à quo pretium recuperaturus es, cùm inde nullatenus deterioretur res ipsius, eo quòd ille, sicut tu, supponitur possessor bonæ fidei, & quidem nullo modo suspectus.

Confirm. 1. Quia si dominus rei esset in tuo loco, idem vellet sibi fieri, quidni præsumi potest id ipsum velle & aliis?

Confir. 2. Possessor bonæ fidei potest rem alienam committere fideli nuntio, ut eam reddat domino, quidni & possessori priori, à quo similiter reddenda est domino. Monendus est tamen possessor, ut sciat rem non esse suam, sicut & Dominus, ut illam repetat.

Dices 1. Non licèt reddere furi rem ab ipso emptam, ut recuperetur pretium, ergo similiter.

Resp. Disp esse, quòd reddendo furi ponatur in deteriori statu, non sic in casu nostro.

Dices 2. Res clamat dominum suum, ergo ipsi, & non alteri, est reddenda.

Resp. Dist. ant. Clamat dominum suum, sic ut semper debeat ipsi restitui immediatè, vel mediatè, C. sic, ut semper immediatè, N. patet ex variis casibus conclusione præcedenti relatis: quod à fortiori hic verum est, ubi adest justissima causa, imò & præsumpta rationabiliter domini voluntas.

QUÆSTIO II.

An res sit restituenda domino, cùm ex ea ipsi, aut alteri imminet nocumentum?

Nocumentum hic potest esse duplex, spirituale & temporale, & de utroque procedit quæstio.

CONCLUSIO I.

Lædit charitatem, qui restituit domino rem eo tempore, quo prævidet fore ipsi, aut alteri probabiliter nocivam in spiritualibus nisi certè ex dilatione restitutionis immineret differenti grave detrimentum.

Prob. 1. Pars, quia *mandavit .... unicuique* (Deus) *de proximo suo, Eccl.* 17. Ergo tenetur quilibet ex lege charitatis impedire, quantum potest, proximi ruinam spiritualem. Accedit quòd præceptum diligendi proximum sicut nosmetipsos, maximè obliget in rebus ad salutem pertinentibus. Prætereà sicut volentem committere duellum, aut aliud peccatum, teneor domi retinere, si commodè valeo, ut hoc impediam: sic teneor à fortiori differre solutionem pecuniæ in usus animæ nocivos expendendæ.

Dices 1. Pecunia reddita non ordinatur ad peccatum alterius: ergo possum illam reddere.

Resp. Dist. Ant. Non ordinatur per se, C. ex malitia recipientis, quam teneor ex charitate impedire, N.

Dices 2. Non mea interest, an creditor in usus malos vel bonos, pecuniam suam expendat: ergo non teneor solutionem differre.

Resp. Dist. Ant. Non mea interest ex lege justitiæ, C. quia non est specialiter curæ meæ commissus: ex lege charitatis, qua teneor salutem proximi sicut meam diligere; N.

Prob. 2. Pars; quia non teneor cum gravi detrimento vitare peccatum illius, qui liberè, & ex pura malitia vult peccare: unde si ex reddita pecunia peccet, non mihi, sed sibi debet imputare; quandoquidem illam reddendo præcisè consulam damno meo vitando; non attendendo, an alter sit pecunia sua abusurus, necne. Hinc

Resol. 1. Violare legem charitatis illum, qui restituit pecuniam domino volenti cum ea luxuriosè vivere, injustè litigare, beneficium emere &c. quod à fortiori verum esset de eo, qui in talibus circunstantiis pecuniam mutuaret, cùm hic minus obligetur ad pecuniæ mutuationem, quàm alter ad pecuniæ solutionem.

Resol. 2. Solventem pecuniam volenti cum ea corrumpere mulierem, reum esse duplicis peccati, inquantum non consulit, quantum potest, & sollicitantis & sollicitatæ saluti.

Resol. 3. Non esse causam sufficientem ad reddendam pecuniam illi, qui in salutis perniciem eadem abusurus est, quia times illius amicitiæ fracturam, quidquid dicant aliqui; quia inordinatum est, amicitiam fragilem præponere saluti proximi.

Resol. 4. E contra causam esse sufficientem ad pecuniæ solutionem, si judex, monitus tamen de mala intentione creditoris, ad id me obliget; quia tunc non mihi, sed judici culpa imputaretur.

CONCLUSIO II.

Peccat contra charitatem & justitiam reddens domino rem suam in iis circunstantiis, in quibus prævidetur ipsi, aut alteri corporaliter obfutura.

Peccare contra charitatem, conveniunt omnes, peccare contra justitiam, dissentiunt aliqui.

Prob. Tamen: qui aliquo modo concurrit ad inferendum proximo nocumentum, violat justitiam, teneturque ad omnium damnorum reparationem, sed reddens instrumentum homini cum eo furari, aut occideri volenti, concurrit ad proximi nocumentum: ergo. Major certa est ex hac regula, quam assignat Greg. IX. cap. finali *De injuriis & damno dato: Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti &c. jure super his satisfacere te oportet.*

Prob. Min. Quia tunc reddens instrumentum eodem modo se habet, ac si illud commodaret, cùm hic & nunc non teneatur reddere; sed qui *ferramenta sciens commodaverit ad effringendum ostium, vel armarium: vel scalam sciens ..... commodaverit ad ascendendum, licèt nullum ejus consilium principaliter ad furtum faciendum intervenerit, tamen furti actione tenetur*, L. *Si pignore* 26. §. 4. ff. *De Furtis*; ergo.

Con-

Confirm. Quia si tunc propria instrumenta ministraret, censeretur ad damnum concurrere: ergo etiam reddens instrumenta aliena, cùm illorum dominus jus nullum habear, ut sibi reddantur in illis circunstantiis. Hinc

Resol. 1. Reddentem scalas, aut clavem adulterinam domino, qui scitur illis usurus ad furandum, teneri ad restitutionem nocumenti illati, fure deficiente.

Resol. 2. Restituentem gladium, à quo prævidetur dominus, aut alrer occidendus, esse homicidam, tenerique de damno secuto in alterius defectu. Hæc tamen conclusio eodem modo limitanda est, ac præcedens, idest, ubi quis potest rem alienam detinere sine gravi suo nocumento: si enim ex detentione immineat sibi æquale aut gravius damnum, quàm immineat alteri ex restitutione, potest alienum restituere, cùm in pari casu tenearis potius tibi, quàm alteri consulere: nec censeris propterea damno alterius cooperari, eo quòd non illud, sed præcisè tui incolumitatem intendas.

QUÆSTIO III.

An liceat & valeat Restitutio facta creditori creditoris?

DEbeo 100. aureos Petro, qui & totidem debet Paulo. Quæritur, an satisfaciam dando 100. aureos Paulo?

CONCLUSIO I.

ORdinariè illicita est talis restitutio, ubi fit contra voluntatem immediati creditoris. Ratio est, quia taliter restituens assumit officium judicis: quod non licet personis privatis.

Confirm. 1. Non licet creditori à debitore solutionem negante aliquid authoritate propria accipere: ergo nec à fortiori licet mihi rem creditoris, aut creditori debitam, dare illius creditori.

Confir. 2. Quia creditor meus habet jus, ut sibi, & non alteri, solvam: ergo si non illi, sed alteri solvero, injuriam patitur. Hinc

Resol. 1. Si accepisti à me equum commodato, locato, aut deposito, & sciens me debere fratri tuo 100. florenos, equum meum des fratri in solutionem, peccas mortaliter, tenerisque de omni damno inde secuto.

Resol. 2. Etiam hoc verum esse, licèt scires me nolle fratri tuo solvere; quia non est tuum, sed judicis solutionem procurare: fortè aliud esset, ubi posset creditor, servatis justæ compensationis regulis, clam sibi ipsi solutionem facere. Et ideò dixi in conclusione *ordinariè*.

CONCLUSIO II.

VAlida est in foro conscientiæ talis restitutio, seu liber sum in conscientia ab alia restitutione facienda; modò tamen inde nullum damnum aut præjudicium patiatur creditor immediatus.

Ratio est; quia tunc non infero damnum Petro; cùm per hoc sit liber à restitutione, quam debuisset ipsemet facere Paulo, imò æquivalenter censeor Petro restituere, cùm ipsum liberare à debito 100. aureorum, & dare ipsi 100. aureos, æquivaleant à parte rei.

Dices: Talis solutio injuriosa est creditori: ergo.

R. Dist. ant. Injuriosa est cum damno temporali, N. sine tali damno, C. & ideò dicimus esse illicitam, non invalidam.

Dixi: *In foro conscientiæ*; quia nulla est in foro contentioso, idque ad evitandas lites, ut patet ex L. *Invito*, Cod. *De solutionibus*; nisi certè utrunque debitum esset propter eandem causam contractum; & ideò si conduxi domum à Petro, qui eam conduxerat à Paulo, satisfacio dando solutionem Paulo, L. *Utrum præsente*, ff. *De const. pecun.*

Dixi etiam: *Modò tamen inde nullum damnum* &c. si enim ex solutione facta creditori remoto, damnum patiatur creditor meus immediatus, v.g. quia ex solutione sibi facta lucrum reportasset, aut quia creditor remotus iterum debitum exigit &c. teneor illud resarcire.

QUÆSTIO IV.

An bona, quorum dominus est ignotus, sint restituenda pauperibus, quo jure, & quæ inquisitio antea facienda?

SUppono 1. Nomine *ignotorum* non venire hic defunctos: cùm enim habeant hæredes sive liberos, sive necessarios, sive ab intestato, sive per testamentum, sive per legem, au esse debebant, dum viverent, sunt hæredibus restituenda; ità ut si bona defuncti sint propter crimen fisco adjudicata, fisco restituenda: si Regis, aut Toparchæ loci per legem, aut consuetudinem derelicta, ipsismet sint reddenda.

Suppono 2. Hic nomine *pauperum* non solùm intelligi personas indigentes, sed etiam Ecclesias, Hospitalia, Monasteria indigentia; imò & quælibet opera pia, ut Missarum celebrationem, fundationem Officii divini, Altaris erectionem &c. ut conveniunt Doctores.

Suppono 3. Ubi bona sunt pauperibus eroganda, esse quidem consilii præferre pauperiores, non tamen præcepti, aliàs restitutio illa esset innumeris scrupulis obnoxia.

Suppono 4. Posse debitorem sibi, aut suis bona illa applicare, ubi paupertas est evidentissima, cùm non sit deterioris conditionis, ac alii pauperes; quia tamen sæpè mentitur iniquitas sibi, & facilè inclinamur in partem faventem carni & sanguini, consulendus est ordinariè Confessarius, aut vir prudens, qui nunquam totum applicabit debitori, licèt pauperrimo, ubi contractum est debitum ex delicto, ut diximus antea.

CONCLUSIO I.

UBi facta est inquisitio sufficiens secundùm rei gravitatem, nec apparet spes dominum reperiendi, bona ipsius sunt pauperibus eroganda, saltem conditionatè, sive debitor sit bonæ, sive malæ fidei possessor.

Prob. de possessore malæ fidei 1. ex communi sensu Doctorum, qui secuti sunt D. Thomam 2. 2. q 62. art. 5. ad 3. ubi de bonis injustè ablatis sic loquitur: *Si ille, cui fieri debet restitutio, sit omninò ignotus, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius*. 2. Ex cap. *Cùm tu* De usuris, ubi Alexander III. præcipit restituere usuras his, à quibus sunt extortæ, *vel eorum hæredibus, vel his non superstitibus, pauperibus erogare*. 3. Quia præsumitur velle dominum, ut ubi res sua non est recuperabilis, ità expendatur, ut sibi prosit ad salutem. 4. Quia non debet crimen patrocinari iniquo detentori.

Prob. De possessore bonæ fidei, quia justitia postulat, ut bona illa potiùs prosint domino, quàm extraneo; atqui ut domino prosint in nostro casu, debent applicari pauperibus, aut piis causis: ergo. Unde licèt D. Thom. sup. directè loquatur de bonis injustè ablatis: indirectè tamen suam resolutionem extendit etiam ad alia, ut patet ex probatione; *quia homo*, inquit, *debet restituere quantum potest*, quod tam militat in uno casu, ac in altero.

Dixi in conclus. *Saltem conditionatè*; quia etsi res vilioris pretii possit absolutè dari; majoris tamen momenti, non videtur danda, nisi cum onere restituendi domino comparenti; & ideò non pauperi simplici, qui facilè illam consumeret, sed Xenodochio, aut Monasterio pauperi est eroganda.

CONCLUSIO II.

BOna ignoti domini jure naturali danda sunt pauperibus. Ità Covarruvias, Aragon, De Cocq. Van Roy, & alii contra varios volentes obligationem illam tantùm oriri ex jure positivo.

Prob. 1. Quia ratio naturalis dictat restitutionem esse faciendam eo modo quo fieri potest: ergo ubi res pervenire non potest ad dominum, sic restituenda est, ut saltem ipsius utilitas ad eundem perveniat: quod fit dando pauperibus.

Prob. 2. Quia lex naturæ insinuat, ut res illa, quæ certò dominum habet, fiat potiùs utilis domino, quàm extraneo; & consequenter, quòd sit in eleemosynam pro ipsius salute convertenda.

Prob. 3. Quia præsumitur naturaliter talem esse voluntatem domini, etiam tunc dominium in rem suam retinentis; cùm illud non abdicaverit, eo quòd sit ignotus: unde si interrogari posset, proculdubio dandam esse pauperibus responderet.

Dices 1. Bona illa post certum tempus, redire ad statum pristinum, in quo erant ante bonorum divisionem, seu devolvi ad Communitatem.

R. Hoc gratis fingi; nam si etiam post 20. annos compareat dominus, & non fuerit pauperibus distributa, ipsi reddentur: quod signum est illorum dominium non transferri ad Communitatem post certum tempus, sed penes dominum remanere.

Dices 2. Si jure naturæ deberentur bona illa pauperibus, non esset eleemosyna, sed debitum, sicque non proficerent domino.

R. Deberi pauperibus, non sic ut jus habeant ad illa, sed

sic

sie ut præsumatur illorum dominum ita velle fieri; & ità nihil impedit quominus sit propriè eleemosyna.

Dices 3. Lex naturæ communis est Ethnicis & Christianis; atqui apud certos Ethnicos bona illa non distribuuntur pauperibus: ergo

R. Dist. ant. Est communis Etnicis & Cristianis, seposita fide, C. supposita fide, subdistinguo, in aliquibus rebus, v. g. quòd non sit occidendum, furandum &c. C. In omnibus, N. Hocque patet in Sacramentis, quæ lex naturæ, supposita fide, dictat non esse indignè tractanda. Jam autem obligatio naturalis distribuendi illa bona pauperibus oritur ex lege naturæ illuminata per fidem de immortalitate animæ, pro cujus salute bona illa in eleemosynas expenduntur.

Dices 4. Bona præfata quandoque à Papa, aut Rege convertuntur in alios usus; atqui hoc non possent, si ex lege naturæ danda essent pauperibus, cùm in lege naturali non possint dispensare: ergo.

R. Quando Papa illos convertit in usus pios, aut Ecclesiæ necessarios, non agere contra conclusionem, cùm ut diximus, nomine *pauperum* veniant & opera pia; dum autem componit cum debitoribus, supponit illos esse pauperes attenta sua conditione. Reges autem non applicant sibi illa bona, nisi ubi id exigit bonum commune, ob quod possent etiam aliorum bonorum dominia transferre.

CONCLUSIO III.

ANtequam bona illa distribuantur, facienda est inquisitio domini juxta bonorum qualitatem, id est, major, *vel* minor pro gravitate, vel levitate rei, prout dictaverit vir prudens & conscientiosus.

Ratio est; quia antequam facta sit illa inquisitio, non debet haberi dominus pro ignoto. Si quæ autem pro inquisitione fieri debeant expensæ, illas facere tenetur debitor, si bona illa habeat ex actione injusta; aliàs desumendæ sunt ex creditoris ignoti bonis.

Resol. 1. Eum, qui invenit bursam cum 100. aureis non satisfacere suæ obligationi, si tantùm in loco, ubi reperta est, de domino inquirat; sed debet insuper in Pagis, & in Urbi*bus* vicinis, imò & in remotioribus, in quibus suspicatur posse reperiri, inquirere: & ulterius, si (applicatis ad locorum compita chartulis) necdum compareat dominus, debet bursa, antequam detur pauperibus per unum aut duos annos retineri juxta apparentiam domini reperiendi. Aliud esset de annulo, horologio portatili, aut paucis nummis; illa enim, facta in Ecclesiis loci rei inventæ manifestatione, ac elapso à die manifestationis uno, aut altero mense, possent distribui, nisi circumstantiæ aliud insinuarent.

Resol. 2. Teneri ad restitutionem domino comparenti, qui ante distributionem non præmisit inquisitionem debitam. Ratio est; quia culpa sua dominum ignoravit; ob culpam autem alterius non debet quis privari re sua.

Resol. 3. Si, domini facta inquisitione sufficienti, res data est pauperibus, non teneri possessorem restituere domino comparenti, cùm jam restituerit eo modo, quo poterat & tenebatur; tenerentur tamen pauperes, si res adhuc in se exstaret, aut inde facti essent ditiores; quia probabilius est, donationes illas esse implicitè conditionatas, si nempe dominus non compareat; nec credibile est dominum velle aliter donari, saltem ubi agitur de rebus alicujus momenti.

Resol. 4. Ubi Confessarius, Parochus, aut Vir prudens bona illa reliquit possessori, tanquam pauperi, nihil teneri possessorem restituere domino comparenti, etiamsi ad pinguiorem fortunam venerit, si inde non factus sit ditior. Ratio est; quia tunc eodem modo loquendum est de possessore, ac de alio paupere. Præterea non tenetur ratione rei acceptæ, cùm nec in se, nec in æquivalenti subsistat: non etiam ratione injustæ acceptionis; quia licèt ab initio fuerit iniquus possessor; ubi tamen cœpit illa tanquam pauper retinere, eò quòd ignoraretur dominus, factus est possessor bonæ fidei, & justè illa retinuit, aut expendit.

QUÆSTIO V.

Cui sint restituenda bona incerti domini, & mediante quo?

TRipliciter dici potest incertus dominus. 1. Quando ignoratur tam in communi, quàm in particulari; & de illius bonis loquendum est, sicut quæstione præcedenti. 2. Quando ignotus est in particulari, sed notus est in communi, ut accidere potest in deprædatione urbis injusta: tunc enim

bonorum raptorum domini cognoscuntur esse cives in communi, sed quis sit hujus vel illius rei dominus in particulari? ignoratur. 3. Quando ex duobus aut tribus dubitatur quis sit rei dominus?

CONCLUSIO I.

QUando ex duobus aut tribus dubitatur quis sit rei dominus, non est danda pauperibus; sed proportionatè ad dubium inter ipsos dividenda.

Prob. 1. pars; quia tunc non potest dici simpliciter ignotus dominus, cùm cognoscatur, saltem indeterminatè, & sit alia via ipsi satisfaciendi.

Prob. 2. pars; quia cùm constet unum ex illis esse dominum, nec appareat ratio sufficiens, cur sit potiùs hic, quàm alter, postulat æquitas, ut fiat divisio.

CONCLUSIO II.

QUando ignotus est dominus in particulari; sed notus in communi, facienda est similiter divisio eo meliori modo quo potest, attentis circumstantiis bonorum, personarum, locorum, temporum &c. ut magis patebit ex resolutionibus sequentibus.

Resol. 1. Quando Civitas, Pagus, Provincia injustè spoliata est, non expedire ut vastatores restituant particularibus, sed Magistratui, aut Episcopo loci, qui restitutiones dividant proportionatè ad uniuscujusque jacturam.

Resol. 2. Eos, qui fraudarunt vendendo vinum, cerevisiam, aut alios liquores, mensura minori: carnes & alia, statera dolosa: item & illos, qui per monopolium auxerunt pretia rerum, debere ad eorum officinam venire solitis vendere deinceps viliori pretio, ut sic paulatim refundant, quod paulatim abstulerunt. Quòd si fraudaverint extraneos, jam omninò ignotos, debent pauperibus, aut usibus piis proportionata applicare.

Resol. 3. E contra debere mercatores, qui variorum opificum salaria fraudaverunt, eorundem dietas deinceps augere, sic, ut quantum fieri potest, ponatur æqualitas inter retentum & restitutum.

CONCLUSIO III.

UBi bona incerti, aut ignoti domini distribuenda sunt pauperibus, aut dividenda inter incolas alicujus urbis, aut pagi injustè vastati, consilii est, non præcepti, ut hoc fiat authoritate Episcopi, aut Parochi.

Prob. 1. pars; quia cùm illi melius nosse possint uniuscujusque paupertatem, aut detrimentum, etiam cum majori æqualitate possunt bona illa dividere.

Prob. 2. pars; quia nulla lege id præscribitur: unde quando contrarium videtur insinuare D. Thom. congruentiam ostendit, non obligationem, & ideò expedit, ut distribuens semper adhæreat consilio viri prudentis & experti. Excipitur tamen in jure casus unus, in quo Episcopum, aut ejus authoritate, fieri debet distributio, quando nempè bona incerta fuerunt usurariorum manifestorum, qui testamentum fecerunt, aut jam defuncti sunt. Patet ex cap. *Quamquam*: 2. De usuris in 6. Item Authentica unica *Omnes peregrini* Cod. *Communia de successión.* ubi statuitur: ut si peregrini intestati decesserint: ad hospitem nihil deveniat, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri possit, hæredibus tradantur vel in pias causas erogentur.

QUÆSTIO VI.

Quibus applicandæ sint res inventæ?

QUadruplicis generis sunt res inventæ; aliæ sunt, quæ nunquàm habuerunt dominum: ut gemmæ, lapilli, & similia à natura producta: aliæ sunt, quæ dominum habuerunt, sed jam moraliter non reputantur habere, ut veteres Thesauri in terra, aut alibi absconditi: aliæ, quæ non ita pridem habuerunt dominum cognitum, ut pallium, glandius, bursa; aut quid simile in via, in Ecclesia aut alibi repertum: aliæ denique, quæ in naufragio ejecta reperiuntur in littore: de duabus primis agemus suo loco. Hic de duobus ultimis

CONCLUSIO I.

RES inventæ quarum dominus non ita pridem fuit cognitus, applicandæ sunt pauperibus eo modo quo res, quarum ignotus est dominus. Est Scoti 4. dist. 15. q. 2. §. *Ad argumenta*, estque communis contra quosdam recentiores volentes esse inventoris, cujus sententiæ primus author dicitur Soto.

Prob. 1. Ex Cathechismo Romano, parte 3. cap. 8. n. 17. *Si rerum*, inventarum, *dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda*.

Prob. 2. Eodem modo loquendum est de rebus inventis ac de illis, quarum ignotus est dominus; sed hæ distribui debent pauperibus, ut diximus: ergo illæ.

Prob. 3. Quia res inventa habet alicubi dominum: ergo de illa secundùm præsumptam rationabiliter ejus mentem disponendum est; quæ sanè est, ut si res non possit ipsi prodesse temporaliter, prosit saltem æternaliter.

Dices 1. Vetus thesaurus fit inventoris: ergo & res alia.

Resp. Jura sic disposuisse de primo, quia præsumitur non habere dominum, non sic de aliis.

Dices 2. Fera per fugam elapsa, fit primò occupantis: ergo & res inventa primò reperientis.

Resp. Sicut antè, primum fieri ex dispositione juris, quæ hic non reperitur, sed potius contrarium.

Dices 3. Res perdita desinit humanitus esse domini: ergo fit primò capientis.

R. Dist. Ant. Desinit humanitus &c. Hoc sensu, quòd non possit ipsi ampliùs prodesse ad humanum convictum, C. hoc sensu, quòd non possit ipsi prodesse ad salutem, N.

Dices 4. Potiùs præsumendum est, velle dominum, ut remaneat apud inventorem, quàm tradatur pauperibus cùm apud illum sit facilius reperibilis, quàm apud pauperes.

Resp. Dist. Ant. Potiùs præsumendum est &c. dum adhuc restat spes aliqua rei recuperandæ, C. dum nulla est ut supponimus, N.

Petes, quid agendum ipsi, qui rem inventam bona Fide retinuit? R. Debere illam, aut æquivalentem restituere pauperibus, si adhuc superfit, aut ex ejus consumptione factus sit ditior: quod non facere debet domino comparenti, si necdum sit pauperibus distributa. Si tamen illam bona fide consumendo non esset factus ditior, nec domino, nec pauperibus teneretur quidquam restituere; non quidem ratione rei acceptæ, cùm sit consumpta: non etiam ratione injustæ acceptionis, cùm bona fide illam consumpserit.

CONCLUSIO II.

MErces aut similia in littore reperta post naufragium, non sunt primò capientis, aut fisci, sed jure communi & Belgico sunt reddenda domino intra annum comparenti.

Prob. 1. pars; quia bona illa naufraga non sunt habenda pro derelictis, etsi enim dominus quandoque illa in mare projecerit, non tamen animo ea perdendi, aut dominium à se abjiciendi; sed spe seipsum à tempestate eripiendi per navis sublevationem; & ideò non sponte, sed quasi coactè projecit. Nec refert, quòd non habeat intentionem recuperandi: hoc enim non oritur ex voluntate projecta perdendi, sed ex impotentia apprehensa iterum recipiendi. Undè excommunicantur in bulla *Cænæ*, qui bona Christianorum naufragantium, *in littore reperta* surripiunt animo retinendi.

Prob. 2. pars ex Authentica *Navigia* Cod. *de furtis*: & ex edicto Caroli V. 10. Decembris anno 1547. quo statuitur, teste Zypæo, ut bona illa domino restituantur, si intra annum compareat: hæc videntur prudenter constituta tum quia Dominus illorum dominium non abdicavit; tum quia videtur durum flagellare hominem duplici virga: undè Cassiodorus libro 4. variarum Epist. 7. *Crudelitatis genus est*, inquit, *ultra naufragium velle sævire, & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam prodantur immania Elementa dedisse*. Ex dictis

Resol. 1. Piscantes bona naufraga in mari, obnoxios esse restitutioni, quamvis sit justum ut pretium laboris, industriæ, & expensarum restituat dominus.

Resol. 2. Idem esse de iis, quæ eripiuntur ex incendio, vastatione, inundatione &c. licèt fuissent ex parte, vel etiam ex toto peritura, quia transacto periculo remanent domino, estque bona illius fortuna, quod fuerint erepta: & idem est de ove, aut alio animali ex lupi faucibus erepto, sive adhuc vivat, sive non.

DISPUTATIO IV.

De Restitutione facienda ab iis, qui damno cooperantur.

ULtra physicum damnificatorem, novem ordinariè recensentur, qui directè, aut indirectè, positivè, vel privativè damno cooperantes tenentur illud resarcire, ubi ejusdem sunt causæ efficaces. Hi omnes recensentur communiter versibus sequentibus

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Dixi: *Ubi sunt causæ efficaces*; quia D. Angelicus 4. dist. 15. q. 1. art. 5. ad 3. requirit, ut consulens sit obnoxius restitutioni (& idem est de quolibet alio cooperatore) *quòd probabiliter credat consilium suum fuisse efficax*. Nec immeritò; cùm causa inefficax nullatenus influat in damnum; nam, si influeret, efficax diceretur: ubi autem nullus in damnum influxus, nulla etiam damni reparandi obligatio, cùm ex solo influxu physico, aut morali oriatur. Hinc, si quis alteri ad damnum inferendum verè parato, & independenter à mandante, aut consulente illud equidem patraturo det mandatum, aut consilium ad illius executionem, ad nihil tenebitur, quia, licèt lo damnum influere voluerit, & ideò peccaverit affectu, non tamen influxit.

Porrò cum circa singulos cooperatores variæ difficultates, & dubia occurrant enodanda, ideò de singulis separatim breviter resolutionem dabimus.

QUÆSTIO I.

Quid dicendum de jubente.

CONCLUSIO I.

JUbens (per quem hic intelligimus imperantem sivè expressè, sive implicitè; sive potestatem habeat præcipiendi, sive non) tenetur ad restitutionem omnis damni, in quod efficaciter influxit ejus mandatum.

Ratio est; quia talis est verè & propriè causa damni illati, & quidem principalis; imò, secundùm communem hominum existimationem, magis influens in damnificationem, quàm ipsemet executor. Hinc

Resol. 1. Dominum, qui famulo præcepit alterius occisionem, teneri ad omne damnum ex homicidio secutum, non minus, acsi ipsemet physicè occidisset.

Resol. 2. Non tantùm teneri ad damnum, quòd de facto jussit, sed etiam ad illud, quod prævidere poterat ex circumstantiis secuturum: unde si famulo præcepit combustionem horrei præcisè, & attentis circumstantiis loci, temporis, venti, incendii &c. prævidere poterat plures domos inde comburendas, tenetur omne omninò detrimentum resarcire.

Resol. 3. Si mandans jussit occidi Joannem, & mandatarius occidat Petrum credens esse Joannem, homicidium illud, cum omni damno inde secuto, imputari mandanti, cùm immediatè sequatur ex ejus mandato.

Resol. 4. Non teneri jubentem ad damna ex occisione provenientia, si jusserat inimicum suum tantùm excipi fustibus; mandatarius autem cultro, gladio, aut sclopeto illum interfecerit; quia non jussio mandantis, sed malitia mandatarii censetur in homicidium illud influxisse, imputaretur tamen ipsi mandanti, si sciebat, aut suspicabatur, famulum suum esse igneæ complexionis.

Resol. 5. Nobilem dicentem subditis. *Quis vestrum causam meam tuebitur? quis auferet à conspectu meo talem hominem?* vel etiam: *qui talem baculis exceperit, vulneraverit, interfecerit &c. mihi pergratum fecerit*, esse obnoxium damno reparando; si quod inde sequatur, quia talis loquendi modus censetur jussio implicita.

Resol. 6. Ubi mandans ita mandatum suum revocavit verbo, scripto, facto, ut exequens non vi mandati, sed proprio motu operetur, ad nihil teneri, cùm jussio non sit causa damni, sed malitia exequentis.

Resol. 7. Si mandatarius putet jubentem non seriò revocare, aut mandati revocati oblitus, aut etiam quia revocationem non recepit defectu nuntii, interim vi mandati operetur, teneri mandantem de damno secuto, eò quòd mandatum illius de facto in damnificationem influat. Pœnitut quidem

dem mandati, imò jam est fortè à suo crimine absolutus, nec peccat dum fit actualiter damnificatio; attamen, quia prævié culpam commisit, ex qua oritur hic & nunc damnificatio, ipsi imputatur, non minus ac mors venefico, quem pœnituit ante mortem veneno infecti.

Resol. Denique posse mandantem, non obstante mandati revocatione efficaci, ad restitutionem obligari; si nempe non obstet, & ad id teneatur ex justitia, aut etiam, si mandato suo adjunxit motivum damnificationis faciendæ, à quo etiam nunc incitatur mandatarius, quia tunc obligatur tanquam consulens.

CONCLUSIO II.

UBi mandans est superior, tenetur etiam ad damnum, quod patitur mandatarius ex sua executione, v.g. si propter crimen mulctetur, in exilium mittatur &c.

Ratio est; quia jussio superioris continet quandam vim & coactionem moralem respectu subditi, ita ut non tam spontè, quàm coactè censeatur operari; licèt non excusetur à peccato, cùm absolutè loquendo, potuerit & debuerit non obedire; si autem non sit superior, sed mandet vi stipendii, non tenetur, quia tunc mandatarius omninò voluntariè in se periculam assumit.

Petes 1. An si mandas (idem est si consulis) in iis circumstantiis, in quibus, te deficiente, alter mandasset, tenearis restituere?

Resp. Affirm. Quia etsi, te non jubente, damnum equidem fuisset secutum, cùm tamen in illud verè influxeris, tibi tanquam causæ efficaci imputatur; cùm ad causam efficacem sufficiat verus influxus, nec sit necesse, ut sine re damnum non fuisset illatum: & certè, si ad causam physicam efficacem sufficiat solus influxus physicus, quidni ad causam moralem efficacem sufficeret solus influxus moralis? unde D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7. docet quòd quicumque est causa injustæ acceptionis, teneatur restituere: neque addit, *& quod sine ipso non fuisset facta*: per quod videtur retractare quod dixerat in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. ubi hoc requisierat.

Petes 2. An qui omnimodè parato ad damnificandum mandat ut citius, gravius, aut atrocius id exequatur, sit obnoxius restitutioni?

Resp. Teneri ad augmentum damnificationis, cùm in illud verè influxerit; non tamen ad totum, cùm in damnificationem quoad substantiam non influxerit, utpote qui nihil contulerit ad actionem principalem, licèt conferre voluerit, & ideò reus sit totius damni affectu.

QUÆSTIO II.

Quid de consulente?

CONCLUSIO I.

COnsulentis nomine intelligitur hic omnis ille, qui ad damnificationem alterum movet, allicit, persuadet, instruit, rogat, auxilium præbet, facilitatem ostendit: & hic, sicut mandans, obnoxius est restitutioni, si ex ipsius consilio sequatur damnificatio.

Ratio est; quia tunc consilium non minus censetur in damnificationem influere, quàm mandatum, ergo si tunc obligetur ad restitutionem mandans, obligatur & consulens. Hinc

Resol. 1. Si quis ex consilio tuo furatus est 100. aureos, te obligari totidem refundere, si autem volenti auferre 50. consulueris, ut auferret 100. teneris ad 50. quia tantùm in mediam partem influxisti, cùm supponamus furem fuisse antea efficaciter damnificatum ad 50.

Resol. 2. Si è contra efficaciter parato auferre 100. à Petro, consulas ut tantùm auferat 50. ab eodem, te ad nihil teneri, cùm nulli facias injuriam, sed Petro commodum.

Dixi: *Ab eodem*; si enim volenti furari à Petro 100. consulas ut 50. auferat à Paulo, teneris de damno huic illato, quia de facto injuriam facis Paulo, cùm hic tantum habeat jus ad suam summam minorem, quantum Petrus ad summam majorem. Facis quidem commodum Petro, sed cum Pauli detrimento, quod non licet; nisi certè detrimentum esset ita leve, & Paulus esset ita dives, & liberalis, ut rationabiliter præsumeretur velle ad exonerationem Petri pauperis damnum illud sentire.

Resol. 3. Si volenti furari ab aliquo indeterminato, consulam, ut furetur à Joanne, me obligari damnum Joanni illatum resarcire, cùm sim verè causa, cur hic determinatus damnificetur.

Resol. 4. Consulentem non absolvi à restitutione, si postquam damnum consuluit, consulat ejusdem restitutionem, nisi de facto sequatur. Ratio est; quia sicut consilium non tantùm fuit causa malæ voluntatis, sed etiam damnificationis realis; ita nec sufficit, quòd sit causa voluntatis restituendi, nisi sit etiam restitutionis actualis.

Resol. Denique quot peccatis, quotvè reparationibus sint obnoxii illi, qui consulunt docendo industriam, commoditatem, securitatem &c. damnificandi, cùm ex illo consilio tot sequantur damna reparanda, quot sequuntur nocumenta.

CONCLUSIO II.

QUi consuluit dicens esse licitam, aut illicitam actionem, aut innixus falso supposito, aut etiam promittendo &c. liberatur ab onere restitutionis, ubi consilium ita revocat, ut ejus revocatio perveniat revera ad eum, cui consilium dedit. Secus, si consuluit proposita damnificationis facilitate, utilitate, aut securitate.

Prob. 1. Pars; quia revocans consilium in illis casibus aufert totum motivum, totamque causam, quam dederat pro damno inferendo, ita ut si alter (non obstante revocatione) operetur, non ex consilio dato; sed ex mera malitia operari censendus sit, & ideo.

Resol. 1. Ubi dixisti contractum aliquem esse licitum: & postea doctior factus declaras esse usurarium, aut simoniacum, destruisque rationes, quas in oppositum attuleras, te ad nihil obligari, etiamsi alter contrahat. Idem est, si dixisti, aliquem jus habere ad testamentum, vel ad aliud, & postea, reperta veritate, contrarium insinuas.

Resol. 2. Si consuluerim fingens me capacem, aut Doctorem, sufficere, si, ante factum, manifestem meam impositionem & insufficientiam.

Resol. 3. Eum, qui dixit Petro: *occide Paulum, quia ipse occidit fratrem tuum*, revocare sufficienter, ut sit liber à restitutione, si ostendat fratrem non esse occisum, aut saltem esse ab alio interfectum.

Resol. 4. Etiam satis esse revocationem seriò intimatam, ubi solis precibus, promissis, aut blanditiis consultum est; quia tunc exequens non habet unde moveatur, nisi à seipso.

Prob. 2. Pars; quia consilium datum ostendendo actionis facilitatem, utilitatem, securitatem, &c. sæpè non tollitur per revocationem; cùm, ipsa posita, remaneat quandoque motivum operandi, nempè utilitas, securitas &c. Unde ut consulens à restitutione eximatur, debet motivum illud totaliter extingui, ita ut alter nullatenus inde moveatur: quamdiu enim motivum perseverat, verum est dicere, consultorem voluisse quidem consilium revocare, sed de facto non revocasse, hoc autem non sufficit, quia ubi causa damnificationis fuit realiter posita, ita & realiter est auferenda.

Confirm. Quia sicut non eximitur à restitutione damnorum, qui venenum alteri propinavit, etiamsi nihil non moliatur ad extinguendam veneni virtutem, si de facto non extinguat, ita nec in nostro casu, nisi consilium revera, & totaliter sustulerit.

Dices: Ubi mandati revocatio seriò & sufficienter intimata est, liber est mandans à restitutione: ergo hic similiter.

Resp. Disparitatem esse, quòd mandatarius non agat, suo, sed mandantis nomine, & consequenter ubi mandatum revocatum est, non censetur amplius mandans in actionem influere, qui autem consilium recipit, non agit consultoris nomine, sed suo; & ideo etsi millies dixeris alteri: *nolo utaris consilio meo*, si tamen consilium tuum moveat ad damnificationem, censeris causa illius.

Petes 1. An censeatur dare consilium, inducens restitutionis obligationem, qui in aliquo consortio exponit modos subtiles & securos ad furandum?

R. Neg. Si id tantùm faciat recreationis ergo, aut industriæ suæ ostendendæ causa: quia notitia illa speculativa non est de se mala, imò potest esse utilis ad præcavendos latrones; & ideò si quis audientium illa utatur in malum, soli ipsius malitiæ videtur imputandum. Excipe tamen, nisi exponens advertisset, aut advertere debuisset, aliquem inter auditores, hujusmodi cognitionem abusurum, tunc enim obligaretur ad damnum secutum, idque propter consilium interpretativè datum.

Petes 2. An semper teneatur restituere, qui dedit consilium falsum & nocivum?

R. Si consultus sit idiota, rusticus, mulier &c. nec se ad consilium dandum ingesserit, non teneri, si bona fide processit; quia totum damnum imputari debet illi, qui, relictis peritis, imperitos consuluit: si autem consultus sit Theologus, Confessarius, Advocatus, aut vir qui in illa re aut negotio

habetur expertus, obligatur, si defectu scientiæ, aut studii, malè consuluerit; quia vel non debebat consilium dare, vel saltem esse sufficiens, ut sanum daret; aliàs deciperet rogantem: & ideo si damnum inde sequatur, etiam debet illud resarcire; habet quidem regula juris in 6. obligationem tantùm oriri ex consilio fraudulento: sed consultus, qui habetur expertus, & scit se talem non esse, fraudulenter respondet. Ut autem consultus evitet peccatum & onus restitutionis, sufficit si consulat secundum sententiam, quam credit, adhibito sufficienti studio, probabiliorem, præsertim si talis habeatur communiter.

QUÆSTIO III.

Quid de consentiente?

NOmine consensus intelligimus hìc approbationem, complacentiam, favorem, conniventiam, promissionem, votum, suffragium, &c.

CONCLUSIO I.

UBi consentiens efficaciter influit in alterius damnificationem suo consensu, obnoxius est restitutioni; aliàs non.

Prob. 1. pars; quia tunc damnificans, verè & realiter movetur ad ipsum approbatione ad damnum inferendum, non minus ac moveretur à mandato, aut consilio.

Prob. 2. pars; quia etsi consentiens semper peccet, ut patet ex Apostolo ad Rom. 1. ubi tamen suo consensu nihil ad actionem confert, non est justum, ut de damno ex actione secuto teneatur. *Hinc*

Resol. 1. Perrum, qui non est de numero suffragantium, consentientem electioni, aut confirmationi Prælati, aut Magistratus indigni, ad nihil teneri, etiamsi exterius consensum exprimat, si inde suffragantes nullatenus animentur: quod tamen ordinariè timendum est; ubi antè electionem consensus ille manifestatur suffragantibus præsertim à persona alicujus authoritatis. Idem dic, ubi adest consensus circa furtum, homicidium, aut incendium ab aliis patrandum.

Resol. 2. Nolentem suffragari in iis circumstantiis; in quibus prævidet defectu sui voti aliquem esse injustè condemnandum, aut indignè promovendum, obligari ad restitutionem; quia tunc locum habet illud axioma: *Qui tacet, consentire videtur*.

Resol. 3. Suffragantes sententiæ iniquæ, bello injusto, electioni personæ indignæ, aut minus dignæ, teneri ad omnia damna inde sequentia, tum Ecclesiæ, tum particularibus, tum Reipublicæ &c.

Resol. 4. Etiam teneri illos, qui priores suffragantur, etsi certò sciant futuros post se sufficientes, qui sententiæ, aut electioni iniquæ patrocinabuntur. Ratio est; quia de facto concurrunt ad damnum necdum positum. Præterea sicut qui prævenit ut causa physica damnificationem, prævenit & restituendi obligationem, ita & qui prævenit ut causa moralis.

Resol. 5. Similiter teneri suffragantes post majorem partem, ubi spes affulget, quòd refragando priores sint vota sua retractaturi: quia tenentur ex justitia nihil non moliri, ut feratur justa sententia, aut fiat electio dignioris. Sed quid si prævideant, priores non esse suffragium retractaturos, adeòque indignum esse promovendum? possunt ne pro indigno suffragari sine onere restitutionis? Pro hujus resolutione sit

CONCLUSIO II.

IN illo casu tenentur posteriores, sicut & priores ad restitutionem. Hæc est verior, licèt ipsi contradicant plurimi.

Ratio est; quia tam hi, quàm illi concurrunt ad sententiam, aut electionem iniquam: quandoquidem res concludatur, & executioni mandetur, non tantùm nomine priorum, sed omnium qui pro illa suffragati sunt.

Confir. 1. Quia etsi posteriorum vota non sint necessarla ad formationem sententiæ; ubi tamen suffragantur, illam de facto constituunt, sicut & priores; quod patet à simili: nam si duo occidant hominem, & superveniat tertius, qui cùm alius occidat, hic dicetur homicidium patrasse, sicut alii, licèt illi duo essent ad occidendum sufficientes. Similiter si quatuor aut quinque ad destructionem villæ sufficientibus conjungatur alter, huic sicut aliis imputabitur destructio.

Dices: Disparitatem esse, quòd illi physicè damnum inferant; suffragantes autem ultra majorem partem concurrunt quidem ad sententiam, sed omnino superfluè ad damnum inferendum.

R. Quòd, licèt ipsis pro alio suffragantibus, adhuc promoveretur indignus, aut condemnaretur innocens; ubi tamen ad sententiam concurrunt, concurrunt & ad damnum inde sequens, cùm sententiæ executio, ut diximus, fiat omnium votantium nomine: unde ubi declarantur suffragia, non solet dici: talis habet vota ultra medietatem, & consequenter est electus, aut condemnatus, si habet tot vota, omnibus recensitis.

Confir. 2. Quando suffragia sunt occulta, tenentur etiam posteriores ad restitutionem, ut volunt Doctores passim, quidni & quando sunt publica? cùm non minus concurrat ad sententiam, aut electionem suffragium publicum, quàm occultum.

QUÆSTIO IV.

Quid de Adulante, Receptante, & Participante?

CONCLUSIO I.

ADulator, seu palpo intelligitur ille, qui laudando, extollendo, adulando, offensum irridendo, ignaviam exprobrando, injuriam exagerando, nobilitatem, aut generositatem opponendo, adulterium uxoris marito objiciendo, vitam pauperem despiciendo &c. alterum impellit ad homicidium, furtum, usuram, vastationem &c. Hic restitutionis opus sibi imponit, si per hoc efficaciter influat in damnificationem; aliàs non.

Prob. 1. pars; quia Adulator habet se instar consulentis, quandoquidem injuriato ignaviam, aut patientiam exprobrare, sit implicitè ultionem consulere, & sic de aliis; nec opus est, quòd laudando, aut vituperando intenderit impellere ad damnificationem, sed sufficit, si prævidit, aut prævidere debuit ex tali laude, aut vituperio secuturam, aut natam esse sequi, ad quod seriò advertere debent detractores, & præsertim Susurrones.

Prob. 2. pars: quia etsi graviter peccet ille: supponitur tamen nullatenus ad nocumentum concurrere.

CONCLUSIO II.

REceptator malefactoris ut sic, obnoxius est restitutioni: non sic receptator malefactoris materialiter considerati. Ante probationem

Advertendum receptatorem primo modo esse illum, qui furem, sicarium, aut alium malefactorem defendendo, protegendo, hospitio recipiendo, instrumenra servando, prædas emendo, aut custodiendo, præbet securitatem, aut commoditatem ad executionem operis injusti.

Receptator est secundo modo, qui malefactorem eodem modo recepit hospitio, ac reciperet aliam personam, v.g. titulo amicitiæ, consanguinitatis, patriæ, officii &c. aut etiam qui eundem à satellitibus quæsitum abscondit, aut viam ad fugiendum parat compassionis ergo. Hoc notato

Prob. 1. pars; quia ille est verè causa, cur malefactor novum damnum inferat, imò & fortè cur antiquum non reparet; & ideo si recipiendo, in hoc & illud influat, ad utriusque restitutionem tenebitur.

Prob. 2. pars; quia recipiens secundo modo, neque est causa, cur de novo auferat, neque cur ablata non restituat, sed præcisè exercet officium, vel hospitalitatis, domi recipiendo; vel misericordiæ, ne puniatur, occultando.

Hìc tamen ponendæ sint certæ limitationes. Ac 1. nisi recipiens teneretur ex officio, aut ex Regis, vel Magistratus mandato, malefactores accusare, aut apprehendere: tunc enim ratione neglecti officii posset obligari. 2. Nisi constaret, malefactorem ex occultatione, aut receptione sumpturum occasionem ad vomitum redeundi, aut etiam nisi antea semel, aut bis à justitiæ ministris liberatus, adhuc nova damna intulisset; quia tunc censeretur recipiens ad ejus malefacta futura concurrere, adeòque restitutionis onus sibi imponere. 3. Nisi fugeret malefactor, ne restitutionem, cujus esset capax, teneretur facere; eò quòd tunc non esset commiseratio, sed injustitia illum occultare. Ex dictis

Resol. 1. Multis restitutionibus obnoxios esse belli duces, qui dantes protectionem militibus, eosdem ad varias rapinas, extorsiones, furta, & deprædationes implicitè, aut explicitè stimulant; & idem est de magnatibus respectu famulorum.

Resol. 2. Peccato & restitutione oneratos esse Advocatos

qui

qui causæ iniquæ patrocinantes efficiunt per certa stratagemata, ut cliens debitor nihil restituat: contra quos Aug. Epist. 54. ad Macedonium ità loquitur: *Illud verò fidentissimè dixerim eum qui pro alio ad hoc intervenit, ne malè ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.*

Resol. 3. Si fur, quem misericorditer recepisti hospitio, aut fugientem justitiæ ministros, occultasti sine spe refugii in posterum, iterum ad latrocinia revertatur, te ad nihil teneri; quia non nisi per accidens relapsus ille ex opere misericordiæ consequitur.

CONCLUSIO III.

PArticipans potest esse aliquis ex duplici capite, nempe vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptionis, aut damnificationis. Participes sunt primo modo, qui partem prædæ recipiunt, aut consumunt: & hi, si noverint rem esse furtivam, tenentur illam, si existat, vel æquivalens, si non existat, restituere, licèt non facti sint inde ditiores; si autem bona fide acceperint, tenentur rem existentem reddere, aliàs in quantum facti sunt ditiores. Participes sunt secundo modo, qui ad furtum instrumenta porrigunt, scalas deferunt, claves adulterinas efficiunt, furem, defensionis causa, comitantur, excubias agunt, portas aperiunt, aut effringunt, prædas asportant &c. Et hi omnes, si per actionem injustam concurrerint, tenentur ad restitutionem juxta modum concursus; ità ut, si in totam actionem damnificativam influxerint, teneantur suo ordine in solidum; in partem verò, si tantùm ad partem damni concurrerint; quia de facto sunt cooperatores, imò potiùs dici debent causæ executrices.

Dixi: *Si per actionem injustam concurrerint*; potest enim in damnificatione actio duplex intervenire: una injusta per se, ut fores effringere, furibus arcas aperire &c. & hæc nullo casu licita est: alia de se indifferens; ut scalas ferre, prædam asportare &c. hæc etiam illicita est, & obnoxia restitutioni, si liberè fiat; si autem fiat metu mortis, aut ruinæ, excusari debet à peccato & onere restitutionis, & ideò excusantur rustici, qui post injustam deprædationem angariantur à militibus, aut prædonibus; ut currus, equos, imò ut seipsos accomodent ad ferenda aut vehenda spolia; quia sivè illa ferant, sivè non, equidem non multum proficient domini, qui ideò, & simul attento gravi rusticorum periculo, non censentur irrationabiliter inviti. Idem dic de coactis ad sequendos fures, modò nihil mali facere statuerint, licèt ex eorum consortio magis animentur fures ad rapinam. Similiter excusantur Christiani captivi, qui metu mortis remigare coguntur pro Turcis contra Christianos, quibus tamen nunquàm licet in Christianos bombardas, aut tormenta bellica explodere, sagittas emittere &c. cùm hoc propter belli injustitiam sit intrinsecè malum.

Petes: Quid dicendum de militibus, qui pagum aliquem injustè spoliaverunt? de hac re potest videri septimum Decalogi præceptum, ubi ex professo de Bello egimus; hìc tamen breviter

Resp. Duces supremos teneri ad restitutionem in solidum, si mandato, consilio, consensu, convenientia, aut etiam non obstando, ad vastationem concurrerint, & idem est de Officialibus subordinatis, respectivè ad damna à suis illata: nisi certè ipsis insciis, aut totaliter repugnantibus deprædatio facta sit: milites verò gregarios teneri etiam in solidum, si omnes una manu, mutua exhortatione, aut communi sensu processerint; si autem aliqui nullatenus sint causa damni à sociis illati, utpotè quia nullum incitamentum, auxilium, aut securitatem præbuerunt, tenentur præcisè in quantum nocuerunt. Hæc omnia patent ex dictis.

QUÆSTIO V.

Quid de Muto, Non-obstante, Non-manifestante?

ULtra recensitos sex modos cooperationis positivè ad damnificationem, tres alii negativi assignantur, quibus non impeditur damnum, quod quis potest & tenetur impedire. De his breviter

CONCLUSIO I.

MUtus, id est, tacens cùm deberet loqui contradicendo, dissuadendo, prohibendo, clamando &c. & *non-obstans*, seu non impediens laborando, vigilando, auxiliando, puniendo &c. tenentur ad Restitutionem damni illati, si illud impedire tenebantur ex officio, adeòque ex justitia. Secus, si tantùm ex charitata.

Prob. 1. pars; quia æqualiter damnificari potest proximus ex eo, quòd quis omittat, quod debebat facere, quàm si faciat quod debebat omittere: ergo ubi damnum accidit ex omissione, imputari debet non operanti, sicut ortum ex actione imputatur operanti, supposita operandi, aut non operandi obligatione.

Confir. quia ubi obligatus ex officio, aut contractu damnum impedire, illud non impedit, censetur indirectè, & interpretativè illud velle. Hinc

Resol. 1. Belli Duces, Magistratus & alios superiores non impedientes deprædationes, rapinas, furta, latrocinia, usuras, monopolia, fraudes &c. ligatos esse vinculo restitutionis, cùm ideò à Rege, aut Republica sint stipendiati.

Resol. 2. Custodibus sylvarum, agrorum, vinearum, stagnorum, viarum, gabellarum &c. idem onus esse impositum, si permittant auferri, aut defraudari suæ custodiæ commissa. Et idem est, si ex eorum negligentia, aut incuria damnum eveniat illorum dominis.

Resol. 3. Patres-familias, Dominos, Tutores, Curatores &c. sibi eandem obligationem imponere, si à suis respectivè subditis permittant damna inferri: quod verum est, licet Tutores, aut Curatores non sint stipendiarii, eò quòd à potestate publica, aut consuetudine sic communiter recepta illud onus eorum officio sit annexum; & certè mirum esset, quòd non prohibentes animalia sua, tenerentur de damno secuto, ut dicemus posteà, non impedientes autem personas suæ custodiæ ex officio commissas, non tenerentur.

Resol. 4. Teneri famulos sub eadem obligatione impedire damnificationem sui domini, saltem ab externis inferendam; quia id insinuat eorum famulatus. Dixi: *Saltem ab externis inferendam*; quia famulus non impediens alium domesticum surripientem rem domini, peccat quidem contra charitatem, non tamen contra justitiam, adeòque nec tenetur de damno secuto, nisi certa res illa esset ipsius custodiæ specialiter demandata, aut nisi se obligasset ad omnium custodiam, tam contra internos, quàm externos.

Resol. 5. Permittentes sua animalia, puta cuniculos, columbas, boves, porcos &c. nocere proximo, teneri damnum reparare; quia qui rem possidet, debet sic illam custodire, ut ex illa nullum præjudicium sequatur alteri.

Resol. 6. Filios non impedientes furta parentum, famulos dominorum, parochianos parochorum &c. violare quidem Pietatem & Charitatem, non tamen justitiam: & ideò non esse obligatos restitutioni.

Prob. 2. pars (quam contra paucos sustinet Scotus 4. dist. 15. q. 2. & alii communiter) quia restitutionis obligatio tantum oritur ex violatione justitiæ: ergo ubi sola violatur charitas, nullum est restitutionis onus.

Dices 1. Exodi 21. habens cisternam apertam, aut non ligans bovem cornupetam, tenetur de damno secuto: ergo.

Resp. Hoc oriri ex justitia, qua tenetur quilibet cavere, ne res sua sit alteri detrimento.

Dices 2. Ex Alex. III. Cap. *Sicut dignum* 6. De homicidio 6. *Illi etiam: Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Quod fermè repetit Innocent. III. Cap. *Quantæ* 47. De sent. excommunicationis, ubi ait. *Delinquentibus favere interpretamur, qui, cùm possint, manifesto facinori desinunt obviare.*

Resp. Eos, de quibus Alexander, non tantum subsidium negasse ad impediendum homicidium, sed etiam positivè ad illud concurrisse, animam scilicet & authoritatem præbendo, cùm fuerint occidentem comitati. Ad aliud Innocentii, dico, respicere illos, qui ex officio impedire tenentur; vel si respiciat privatos, dico, ipsos ibidem excommunicari, non quia justitiam violaverunt, sed charitatem.

Dices 3. Qui permittit pauperem mori fame, quia denegat panem, tenetur ad damnum indè sequens; sed solum tenetur ex charitate succurrere: ergo. Minor admittitur communiter, eò quòd gravis, aut extrema necessitas non inducat debitum justitiæ. Prob. maj. quia ut loquitur D. Amb. relatus cap. *Pasce* 21. dist. 86. *Pasce fame morientem ...... si non pavisti, occidisti*; atqui occidens tenetur de damno: ergo.

Resp. N. maj. ad prob. dico, Divum Amb. ita loqui, non quia credit tunc mortem pauperis oriri ex injustitia subsidium denegantis, sed ex ipsius immisericordia, quæ non inducit debitum restitutionis.

Dices 4. Si quis accepisset pecuniam à latrone, ut non impediret ejus latrocinium, clamando, denunciando &c. teneretur damnum à fure illatum reparare; atqui non violasset justitiam: ergo.

Resp. Neg. Min. quia tunc cum latrone paciscendo, reddit

ipsum audaciorem, & securiorem; adeòque modo quodam positivo in damnificationem influit, & ex illo capite restitutionis obligationem incurrit. Ex dictis

Resol. 1. Hic ad restitutionis onus tria requiri, 1. quòd possit quis damnum impedire, & quidem ut docet Scotus 4. dist. 15. q. 2. sine gravi vitæ, & honoris, aut rei familiaris nocumento. 2. quòd debeat impedire. 3. quòd ex justitia.

Resol. 2. Eum, qui ex odio, aut vindicta permittat alterius sustantiam auferri, domum incendi, segetes vastari &c. peccare quidem duplici peccato, uno contra charitatem tunc ad subsidium obligantem, altero contra eandem odium proximi non prohibentem, attamen non teneri restituere, eò quòd justitiam non læserit.

CONCLUSIO II.

NOn manifestans est ille, qui obligatus ratione officii, aut stipendii damnificatorem declarare, vel ante damnum ut impediatur, vel post illud ut reparetur, illum tamen reticet: hic sicut præcedentes tenetur de omni damno indesecuto; cùm hic æquè, imò magis ad damnum concurrat, quàm duo præcedentes.

Dixi; *Qui obligatus ratione officii, aut stipendii*; quia de obligato ratione charitatis tantùm idem est ac ante.

Petes; An custodes lignorum teneantur ad Restitutionem mulctarum, quas illi, cum quibus dissimulant, tenerentur solvere deprehensi.

Suppono ex dictis antea, certò teneri ad reparationem damni domino obvenientis, idque ratione pacti, nisi certè damnum esset ita leve, aut illatum esset à persona ita paupere, ut rationabiliter præsumi posset consensus Principis, Magistratus, aut illius à quo instituti sunt custodes: ad quod non parum confert spectare consuetudinem, an scilicèt cum rigore, an verò cum aliqua mitigatione debeant munus suum exercere, præsertim respectu pauperum in sylvis lignantium. Ad quæstionem

Resp. Probabilius negativè, quia in tantùm violant justitiam, in quantum negligunt res suæ custodiæ commissas; sed non est iis ipsis commissum ditare Rempublicam, aut Arrendatarium ex mulctis defraudantium, sed bene ligna, vineas &c. conservare, aut pro mercibus venditis, vel introductis vectigalia recipere: ergo. Hinc

Resol. 1. Si dissimulantibus custodibus, introductæ sint merces sine vectigalium solutione, teneri custodes refundere pretium, quod pro introductis mercibus erat à mercatore solvendum, non tamen pretium ipsarummet mercium, quæ deprehensæ, fuissent fisco traditæ.

Resol. 2. Graviter peccare mercatores corrumpentes custodes, cùm ipsos positivè inducant ad violandam justitiam. Unde non minus ac consulentes tenentur damnum gabellarum dominis illatum resarcire.

Resol. 3. Custodem, qui hodie recepit pecuniam pro introducendis mercibus intra aliquod tempus, teneri statim illam reddere; quia quamdiu illam retinet, semper nata est corrumpere justitiam.

QUÆSTIO VI.

Quo ordine restituere debeant illi, qui damna cooperati sunt?

ADvertendum 1. Inter causas damnificativas posse aliquas concurrere æqualiter ad damni illationem, sive interim sint magis principales, ut duo mandantes, sive minus principales, ut duo consentientes, duo non obstantes &c. aliquas verò inæqualiter: quod accidit, dum unus mandat, alter exequitur, tertius consulit.

Advertendum 2. Satis esse probabilem sententiam Petri Navarra volentis omnes cooperatores teneri immediatè restituere, juxta proportionem in fluxus in damnificationem, v. g. ubi ablati sunt 12. nummi, debere mandantem restituere 6. executorem quatuor, adulatorem unum &c. quia tamen adversatur sententiæ communi, & D. Thomæ, dicendum est, non omnes teneri immediatè, sed aliquos primo loco, aliquos secundo, & sic deinceps.

Advertendum autem 3. Teneri illos restituere primo loco, quibus restituentibus, sequentes liberi manent, secundo loco, quibus restituentibus, eximuntur quidem posteriores, non tamen qui primo loco: hi enim tenentur illis totum refundere: quod semper fieri debet à prioribus, ubi posteriores restituerunt.

Advertendum 4. Singulos cooperatores, sociis deficientibus, teneri in solidum, ita ut mutus v. g. deberet totum restituere, si priores deficerent. Cujus ratio est, quòd singuli in totam damnificationem influxerint. His notatis

CONCLUSIO I.

ILle ante omnes alios cooperatores restituere debet, apud quem existit res ablata. Est certa.

Ratio est; quia ille semper censetur principalis in ordine ad restituendum, licèt non semper fuerit principalis in ordine ad crimen patrandum, nec mirum, cùm res ubicumque sit semper clamet dominum. Quòd si res apud alterum transierit, qui eam bona fide consumpsit, tenetur in quantum factus est ditior; si mala fide, debet æquivalens cum omni interesse resarcire. Sequitur ex dictis. Ubi autem aliquis cooperatorum domino pro re ablata satisfecisset, ipsa non Domino, sed ei, qui pretium solvit, restituenda esset.

CONCLUSIO II.

UBi plures æqualiter ad damnificationem concurrerunt, tenentur singuli partem æqualem restituere, aliis tamen deficientibus, tenetur quilibet in solidum, cui debent alii postea partem suam refundere.

Prob. 1. Pars; quia nulla est ratio, cur unus ad plus teneatur, quàm alter; ergo omnes æqualiter.

Prob. 2. Pars; quia cùm fuerit quilibet causa totius damni, justum est, ut quilibet, aliis deficientibus, totum reparet.

Prob. 3. Pars; quia postulat naturalis æquitas, ut supplens aliorum defectum, non ideo detrimentum patiatur: quod etiam verum est: licèt ipse (sine coactione tamen aut imperio) alios induxisset, proposita communi omnium utilitate; quia tunc videtur quilibet consentiendo illud onus sibi imposuisse. Aliud esset, si non in sui, sed in inducentis favorem damnum intulissent.

CONCLUSIO III.

INter eos, qui inæqualiter ad damnificationem contulerunt, primo loco restituere debet mandans cum potestate, & secundo loco executor.

Prob. 1. Pars; quia etsi physicè non operetur, communi tamen hominum existimatione ipsi tanquam principali imputatur, cùm ita fiat ejus nomine & authoritate, ut sine ipso nullatenus fieret: unde irrationabilis esset mandans & ridiculus, si ab ejus mandata velut instrumentaliter exequentibus vellet aliquid restitui. Eodem ordine præcedit cogens, sicut & ille, qui in sui favorem alterum fraude, aut precibus importunis induxit ad actionem, eò quòd ex communi sententia censeatur principalis in actione.

Dixi: *Mandans cum potestate*: si enim præcipiens nullam habeat authoritatem respectu exequentis, hic non tam ab alio, quàm à se motus censetur egisse, vel certè si motus ab alio, non tanquam mandante, sed consulente, & ideo ante ipsum debet restituere.

Prob. 2. Pars; quia etsi executor mandanti sit postponendus, eò quòd magis famulando, quàm authoritativè agendo damnificaverit, attamen præferendus est consulenti & aliis, cùm egerit physicè, exequendo mandatum, quod secundum Deum tenebatur negligere.

CONCLUSIO IV.

REliqui positivè cooperantes videntur in ordine ad restituendum incedere pari gradu, adeòque deficientibus recensitis, tenentur omnes immediatè; ita tamen, ut qui fortius & efficacius movit executorem, majorem partem debeat restituere. Hæc est Scoto & rationi conformior.

Prob 1. Pars; quia illi omnes eodem modo influunt in actionem damnificativam, quandoquidem sive consulendo, sive consentiendo, sive adulando &c. nihil aliud faciant, quàm animare, incitare, impellere executorem, ut suo nomine ponat actum injustum: ergo si æqualiter influant, justum est, ut æqualiter damnum reparent, adeoque restitutionis onus inter ipsos dividatur; ita tamen, ut in aliorum defectu in solidum teneatur quilibet, cui debent alii partem suam refundere.

Prob. 2. Pars; fieri debet reparatio propter influxum in damnificationem: ergo ubi major influxus, major fieri debet reparatio; & ideo fieri potest, ut minus restituere teneatur consulens, quàm laudans, & è contra, juxta majorem, aut minorem efficaciam concursus.

CON-

CONCLUSIO V.

TRes alii negativè concurrentes, ubi cauſæ priores deficiunt, tenentur, cæteris paribus, damnum reſarciendum inter ſe dividere. Ratio eſt; quia ſive quis taceat videns furem, ſive non obſtet, ſive non manifeſtet, nihil aliud facit, quàm permittere poſitionem operis, quod tenebatur ex juſtitia impedire.

Dixi 1. *Ubi cauſæ priores deficiunt*; quia ſolùm in defectu cauſarum poſitivarum obligantur, cùm ratio dictet prius reſtitutionem competere poſitivè nocenti, quàm nocentem non impedienti: & certè ridiculus eſſet ille, ubi jam totum reſtituiſſet, ſi diceret; reſtitue mihi aliquid eò quòd me agere volentem non impediveris.

Dixi 2. *Cæteris paribus*; nam certum eſt, quidquid dicant aliqui, reſtituendi obligationem prius afficere Prætores, aut cuſtodes particulares, quàm generales, cùm illis ad damni impeditionem ſit impoſita cura immediata, his tantùm mediata, ſeu invigilandi, an Prætores, aut cuſtodes particulares ſuo munere fungantur.

QUÆSTIO VII.

Quid dicendum de illo, cui damnificatus obligationem remiſit?

CONCLUSIO I.

QUando uni æqualiter damnificantium fit plena condonatio, ſive interim ſocii partem ſuam reſtituant, ſiva non, ad nihil tenetur.

Ratio eſt; quia tunc damnum paſſus duplicem facit ei remiſſionem, unam partis, quam, reſtituentibus etiam aliis, debuiſſet reſtituere, & alteram damni reſidui, quod, uno, vel omnibus ſociis reſtituere negantibus, debuiſſet eorum loco reparare.

Dixi: *Si fiat plena condonatio*: ſi enim condonans tantùm intendat remittere ipſi ſuam partem, eò quòd ſperet alios cooperatores ſuæ parti ſatisfacturos, aliis deficientibus, debet aliorum partes ſolvere, & ideo ſi tres ad damnificationem 300. nummorum concurrerint, omnibus deficientibus, tenebitur 200. refundere, ſi autem deſit ſecundus & non tertius, debebit cum tertio portionem ſecundi dividere, & conſequenter tenebitur ad 50. nummos, & tertius ad 150.

CONCLUSIO II.

UBi diverſi cooperatores diverſo ordine debent reſtituere, ſi ille, cui fit remiſſio, tenebatur primo loco, eximuntur reliqui; ſi autem ſecundo loco, non eximitur primus, licèt eximantur ſequentes.

Prob. 1. Pars; quia condonatio illa tenet locum ſatisfactionis, ſed ſatisfaciente illo, qui tenebatur primo loco, liberi ſunt reliqui: ergo.

Prob. 2. Pars; quia obligatio cauſæ primariæ ſtat omnino independenter ab obligatione cauſæ ſecundariæ; & ideo ſive remittatur ſua obligatio cauſæ ſecundariæ, ſive non, ſemper manet obligata cauſa primaria. Quod ulterius patet: nam etſi totum reſtituiſſet author ſecundarius, adhuc teneretur primarius, non quidem domino jam contento, ſed authori ſecundario.

DISPUTATIO V.

De cauſis à Reſtitutione excuſantibus.

QUatuor aut quinque cauſas à Reſtitutione excuſantes, vel potius reſtitutionis dilationem authorizantes aſſignat Doctor Subtilis 4. diſt. 15. q. 2. quas, & quaſdam alias hic breviter expediemus.

Porrò inter cauſas illas annumerantur Præſcriptio, de qua poſtea. Item damnum, quod creditori, aut alteri eveniret ex reſtitutione, ſicut & quando quis ſolvit creditori ſui creditoris, de quibus jam egimus. Ultra præfatas aſſignantur impotentia ſive phyſica, ſive moralis, detrimentum boni ſuperioris ordinis, creditoris remiſſio, compoſitio cum ſummo Pontifice, bonorum ceſſio, Ingreſſus Religionis, compenſatio ex bonis debitoris, Judicis authoritas, quæ reſtant examinandæ.

QUÆSTIO I.

An à reſtitutione excuſet Impotentia phyſica, aut moralis?

CONCLUSIO I.

CErtum eſt Impotentiam phyſicam, quamdiu durat, excuſare à reſtitutione.

Ratio eſt; quia nemo tenetur, aut teneri poteſt ad impoſſibile. Dixi: *Quamdiu durat*; quia per hoc reſtitutionis obligatio non extinguitur, ſed ſopitur, vim ſuam reaſſumptura, ubi pinguior fortuna aderit.

CONCLUSIO II.

ETiam à reſtitutione excuſat Impotentia moralis, id eſt, quando fieri non poteſt, niſi debitor longè majus incommodum patiatur ex reſtitutione, quàm creditor ex illius dilatione. Ita Doctor ſupra: hoc tamen intellige de incommodo in bonis fortunæ, propter quæſtionem ſequentem, & quidem diſtincto à re ipſa reſtituenda; & ideo, ſi damnum, quod patitur debitor, non ſit aliud, quàm quòd priveretur ſua pecunia, aut lucro ex ea ſperato, nullatenus ſufficit ad reſtitutionis dilationem, cùm non ſit juſtum, quòd creditor privetur rebus ſuis, ut ex illis emolumentum recipiat debitor. Excipe tamen, niſi eſſet ſpes fundata, quòd poſſet debitor ita lucrari cum pecunia retenta, ut etiam eſſet aliis creditoribus ſatisfacturus, quibus aliàs nunquam ſatisfaceret: tunc enim, rationabiliter loquendo, dilationem aliquam pati deberet creditor.

Prob. autem concl. quia in talibus circumſtantiis creditur irrationabiliter invitus dominus reſpectu dilationis; quandoquidem vellet, ut ita ſecum ageretur, ſi eſſet debitor; unde tunc dicere poteſt debitor creditori illud Evangelii: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

Dices 1. Ad evitandum damnum proprium non licet alienum rapere: ergo nec alienum retinere.

R. Diſparitatem eſſe, quòd ablatio alieni fiat invito domino, à quo res neceſſaria poteſt exigi; retentio autem, ex præſumpta domini voluntate.

Dices 2. Non raró ob pecuniæ abſentiam damnum patitur creditor ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis: ergo non eſt credibile velle dilationi conſentire.

R. Ubi pecunia debita eſt ex delicto, damnum illud eſſe à debitore reſarciendum cùm ſit injuſtum, ut damnificetur dominus ob crimen debitoris; ubi verò debita eſt ex contractu, damnum cedit domino, qui cenſetur illi incommodo ſe expoſuiſſe contrahendo. Hinc

Reſol. 1. Non teneri debitorem vendere domum, villam &c. multo minoris, quàm valeant, ad debiti ſolutionem, ſi ſpes affulgeat aliunde poſtea faciendi.

Reſol. 2. Nec teneri à fortiori artificem vendere inſtrumenta, quibus victum quotidianum ſibi comparat, ſicut nec plebejum proprias veſtes, lectum, pauca utenſilia, quibus actualiter utitur, cùm non ſit juſtum & Chriſtianum, ut quis obviaturus creditoris incommodo in tantam extremitatem redigatur.

Reſol. 3. Non eſſe obligatum nobilem debiti ſolvendi ergo, artem mechanicam, aut actiones ſuo ſtatui indecentes exercere; tenetur tamen veſtium pompam, hortorum ſuperfluitatem, menſæ abundantiam, famulorum aut equorum multitudinem ad honeſtam mediocritatem reducere, cùm ſit irrationabile, quòd ex mercatorum ſudore pompoſè veſtiatur, & delicatè nutriatur.

Reſol. 4. Ubi quis uſuris, fraudibus, monopoliis, aut ſimilibus ſtatum fecit ſibi notabilem, debere cum ſtatus jactura reſtituere; cùm (ut ait Soto) hoc non ſit de ſuo ſtatu cadere, ſed ab eo, qui non erat ſuus, ad ſuum deſcendere: nec minor eſt iniquitas ex alienis ſtatum conſervare, quàm ex alienis illum ſtabilire.

Reſol. 5. Ex Scoto ſupra, quando ex dilatione ſolutionis æquè damnificatur creditor, ac ex reſtitutione debitor, ſtatim eſſe reſtituendum; quia exigit naturalis æquitas, ut ſi ex rei abſentia debeat aliquis damnum pati, potius patiatur debitor, quàm creditor.

CONCLUSIO III.

UBi creditor aut debitor ſunt in gravi aut extrema neceſſitate, tenetur debitor reſtituere, ſaltem ſi habeat in ſpecie rem creditoris.

Prob. de gravi necessitate; quia in pari causa, potior est conditio creditoris, quàm debitoris; atqui uterque gravi necessitate premitur: ergo. Quod verius est, ubi debitum contractum est ex delicto, cùm ratio dictet, potiùs favendum esse innocenti, quàm nocenti.

Prob. De extrema (quod sustinent Scotistæ cum suo Duce & quibusdam aliis) quia hic etiam militat ratio prioris partis. Accedit, quòd ubi quis est dominus, & alter extraneus respectu panis hic & nunc necessarii, sit dominus extraneo præferendus; atqui in nostro casu, creditor est verè dominus, & debitor extraneus, cùm illius rei dominium nunquàm habuerit: ergo. Deinde si hoc esset, crimen faveret reo, cùm, patrato furto, esset domino præferendus, &, illo secluso, postponendus.

Dices 1. Tenetur quilibet magis servare vitam propriam, quàm alienam: ergo.

Resp. Dist. ant. Tenetur ex mediis licitis, C. illicitis, quale est privare dominum re sua ipso totaliter invito, N. Unde sicut ob vitæ conservationem non potest latro suspendendus suspendentem occidere, quia tortoris mors est injusta, latronis justa; ità nec debitor panem consumere, cum conservatio vitæ domini sit justa, ipsius injusta.

Dices 2. In extrema necessitate omnia sunt communia: ergo tunc potest tuta conscientia debitor panem consumere.

R. Dist. ant. Omnia sunt communia, ubi cum alterius necessitate non concurrit necessitas domini, C. ubi concurrit, N. Præterea dato, quòd panis illo casu sit jure naturæ utrique communis; jure tamen gentium, & ratione prioris dominii competit præferentia domino: & certè, si ius gentium præferat dominum extraneo in prosperitate, quidni idem faceret in necessitate.

Dices 3. Melior est conditio possidentis; atqui tunc debitor possidet: ergo.

R. Dist. ant. Melior est conditio possidentis, ubi dubius est dominus, transeat (Dico *transeat*, quia falsum est, si sit possessor malæ fidei) Ubi certus est dominus, ut hic, N. quia jus dominii prævalet juri possessionis etiam justæ, à fortiori injustæ.

Dixi in concl. *Saltem si debitor habeat in specie rem creditoris:* si enim res sit consumpta, videtur præferendus debitor; quia tunc non possidet alienum, sed proprium, cum onere tamen restitutionis, ubi opportunitas aderit: & fortè in illo casu intelligendi sunt plurimi Authores sententiæ oppositæ.

QUÆSTIO II.

An sint restituenda bona fortunæ cum detrimento boni superioris ordinis?

SUppono 1. Bona temporalia triplicem habere locum. Primum obtinent vita, libertas, membra, sanitas, corporis integritas: secundum honor & fama: tertium fortunæ bona; præferunt quidem aliqui famam & honorem vitæ, sed immeritò, cùm honor & fama sint facilè reparabiles in una aut alia patria; vita autem amissa nunquam sit reparabilis. Hoc supposito

CONCLUSIO I.

UBi non potest fieri restitutio, nisi cum gravi famæ, vitæ, corporis, aut sanitatis detrimento, potest differri. Ità Scotus supra, estque communis.

Prob. Quia juxta regulam à Scoto traditam, & ab omnibus plausibiliter receptam, potest debitor restitutionem differre, ubi rei dominus debet rationabiliter velle, ut differatur; atqui rationabiliter debet velle dominus in nostro casu; cùm volendo restitutionem fieri cum tanto debitoris nocumento, violet charitatem: ergo. Monet tamen Doctor, quod ubi per Confessarium, aut alium virum fidelem fieri potest restitutio sine jactura vitæ, famæ, honoris &c. debeat per ipsum fieri; cùm tunc cesset ratio dilationis.

Dixi in concl. *Sine notabili detrimento*: si enim non ità graviter læderetur honor, aut fama, restituendum foret; quia tunc non potest dici invitus irrationabiliter dominus; & ideo, si puella, quæ jam propter prolem ex fornicatione conceptam fuit diffamata, non possit restituere, nisi manifestando relapsum, aut etiam nisi ille, qui jam propter furta priora malè audit, declaret novum furtum, tenetur uterque restituere: quia non videtur inde augeri notabiliter infamia: cùm jam sint in illa materia infamati.

Dices 1. Potest bonum inferioris ordinis ità crescere, ut prævaleat bono superioris ordinis: ergo non stat conclusio. Prob. ant. Quia potest ad restitutionem obligatus, esse infimæ notæ, & bonum restituendum, esse magni momenti.

R. N. ant. Quia quantumcumque sit bonum inferioris ordinis, semper manebit inferioris ordinis, adeoque inferius quolibet superioris ordinis; & ideo ad probationem dico: quòd, sicut Angelus infimus prævalet homini præstantissimo, ita exigui hominis fama prævaleat multis fortunæ bonis, juxta illud Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.*

Dices 2. Licèt argentum ex natura sua prævaleat stanno, tamen 100. libræ stanni longè superant libram argenti: ergo similiter.

R. Disparitatem esse, quòd etsi argentum & stannum materialiter spectata sint diversi ordinis, in quantum tamen sunt vendibilia, & pretio æstimabilia sunt ejusdem ordinis; & ideo ità potest stannum crescere, ut sub illo respectu argentum superet; fama autem, & vita hominis in nullo ordine conveniunt cum fortunæ bonis. Ex dictis

Resol. 1. Mulierem adulteram non teneri crimen revelare, ne in bonorum divisione damnificentur filia legitimi, cum quibus dividet spurius.

Resol. Nec debere Notarium, qui scripturam falsificavit, aut testem, qui falsum testimonium dixit, crimen suum aperire, ne alter gravetur in fortunæ bonis, quamvis teneantur alia via tutiori damnum reparare.

CONCLUSIO II.

UBi similiter defectu restitutionis periclitaretur honor, aut fama creditoris, tenetur debitor restituere.

Ratio est; quia, ut diximus, in pari causa melior est conditio creditoris, & ideo cum debeat vel ipse, vel debitor, honoris detrimentum pati, postulat æquitas, ut potius illud patiatur debitor aliorum restituendo, quàm creditor re sua carendo.

QUÆSTIO III.

An à restitutione absolvat condonatio creditoris, aut compositio cum Summo Pontifice?

CONCLUSIO I.

COndonatio facta à creditore extinguit onus *restitutionis*, vel ad tempus, vel pro semper, vel in totum, vel in partem, pro ut fuerit concessa; modò tamen sit libera, à jure non impedita, & facta ab habente potestatem.

Ratio est; quia fieri debet restitutio ne injuriam patiatur dominus: atqui liberè condonans non patitur injuriam, ut per se patet: ergo.

Dixi 1. *Modo sit libera*, idque omninò: & ideò invalida est, si fiat non tantùm ab amente, ebrio, aut dormiente, sed etiam ab eo, qui sibi præsens est, si intercedat violentia, coactio, mentis, fraus, dolus, vexatio, timor reverentialis molestia creditoris, authoritas, aut preces ita importunæ & repetitæ, ut mallet creditor re sua privari, quàm diutius sollicitari: undè si creditor totum, vel partem remittat ob fictam debitoris inopiam, quàm realem credebat, nihil factum est: sicut nec quando veritus totum perdere ob culpam, aut fraudem debitoris bona dilapidantis, aut alio transferentis: dicit se contentum media parte. Cujus ratio ulterior est, quòd remissio, utpotè quædam donatio, debeat esse omninò liberalis & gratuita.

Dixi 2. *A jure non impedita*; & ideò qui jure prohibentur donare, ut furiosi, pupilli, prodigi, sub curatela positi prohibentur & debita remittere. Item tum ex jure canonico, tum ex Tridentino invalidantur variæ remissiones: ac 1. remissio facta Episcopis ratione illius, quod ultra sumptus ad vitam necessarios receperunt in visitatione Ecclesiarum. Cap. *Exigit* 2. *De censibus & actionibus* in 6. 2. remissio facta judici Ecclesiastico, qui ultra id, quod sibi jure permissum est, aliquid recipit. cap. *Statutum* 11. §. 7. *De rescriptis* in 6. 2. remissio distributionum quas recepit Canonicus absens. Trid. Sess. 24. cap. 12. *De reformatione* 4. remissio pecuniæ modo illicito extortæ ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis. clem. *Nolentes* 2. De hæreticis.

Dixi 3. *Facta ab habente potestatem*; undè si famulus remittat debita domini, filius patris, frater sororis, uxor mariti: non stat condonatio nisi certè id facerent ex consensu remittere potentis.

CONCLUSIO II.

COmpoſitio cum Summo Pontifice non excuſat à reſtitutione, ubi certus eſt dominus, nec ſemper ubi eſt incertus.

Prob. 1. pars; quia Papa neque eſt dominus, neque diſpenſator, ſed potiùs protector & defenſor bonorum Chriſtianorum, & conſequenter non poteſt, invito domino, cum onere creditoris debitorem exonerare.

Confirm. Non poteſt diſpenſare Papa in jure naturæ, ut ſuo loco dixi; atqui hoc faceret, ſi rem jure naturæ debitam creditori transferret ad debitorem: ergo. Ubi tamen deliquiſſet creditor, v. g. hæreticando, apoſtatando &c. poſſet in pœnam rem reſtituendam relinquere debitori; ſi enim illo caſu poſſit errantem mulctare, quidni mulctam, cui voluerit, aſſignare?

Prob. 2. pars; quia niſi compoſitio de bonis incerti domini ita fiat, ut omnia in pauperes, vel in pias cauſas expendantur, manet obnoxius reſtitutioni debitor, cum jure naturæ ſic debeant expendi bona incerta, ut diximus: unde ſi quandoque cum creditoribus componant Summi Pontifices, ſic faciunt, ut partem piis operibus applicent, & aliam relinquant debitori, quem ſupponunt pauperem, ſaltem attenta ſtatus conditione.

QUÆSTIO IV.

An ceſſio bonorum extinguat onus reſtitutionis, quos effectus habeant, qui poſſint cedere foro?

CONCLUSIO I.

CEſſio bonorum eſt actio, qua quis debitis ſolvendis inſufficiens, bona ſua creditoribus relinquit dividenda, juxta debitorum qualitatem & proportionem. Hæc in foro conſcientiæ non excuſat cedentem à reſtitutione, imò nec in foro externo, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit. Eſt communis inter Theologos.

Prob. Quia leges, quæ cæremoniam illam tanquàm ultimum miſerorum remedium ſtatuerunt, nec excuſant, nec excuſare intendunt bonis cedentes à reſtitutione facienda, ubi fieri poterit: ergo non eſt, unde petatur exemptio illa, præſertim cùm lex naturæ contrarium inſinuet: unde reſtitutionis obligatio tantùm ſopitur, donec debitor, magis favente fortuna, ſit ſolvendo. Patet ex L. *Cum & filii-familias* 7. cod. *Qui bonis cedere poſſunt*, ubi legitur: *Apertiſſimi juris eſt .... ſi quid pinguius acceſſerit* debitoribus; *hoc iterum uſque ad modum debiti poſſe à creditoribus .... avelli*: imò ex L. 4. ff. *De ceſſione bonorum*, Compelli poteſt ad laborandum, & acquirendum unde ſolvat quantum conditio ſeu ſtatus perſonæ permittit: quod etiam locum habet in foro conſcientiæ.

Sed quid ſi compoſuerit debitor cum creditoribus, ut ſolveret 40. aut 50. in 100? Remanet obnoxius reſtitutioni quoad alteram partem; quia compoſitio illa non cenſetur creditoribus omninò voluntaria, cùm non niſi ſemicoacti, ſeu quia non plus habere poſſunt, conſentiant. Ad evitandam tamen omnem difficultatem, apponi deberet in contractu compoſitionis, *donec affulſerit pinguior fortuna pro ſolutione reſidui*.

CONCLUSIO II.

DUos effectus habet in foro exteriori bonorum ceſſio, ubi accedunt ſolemnitates requiſitæ, Primus eſt quòd bonis cedens non poſſit incarcerari, aut incarceratus debeat liberari. 2. Eſt, ut ſi poſt ceſſionem factam aliquid de novo acquiſierit, non poſſit de eo conveniri, niſi prius extractis pro ſua, ſuorumque ſuſtentatione neceſſariis. Hæc omnia patent ex L. 1. Cod. *Qui bonis cedere poſſunt*. Verum quidem eſt quòd debitam ſuſtentationem etiam concedat lex naturæ, & forum conſcientiæ, & quidem antè bonorum ceſſionem; ſed quia lex humana ob præſumptam foro cedentis culpam ipſum omnibus privat, non permittitur in foro externo, ſaltem de jure communi, neceſſaria ſuſtentationi retinere, niſi poſt ceſſionem illa acquiſierit.

Dixi in concl. *Ubi accedunt ſolemnitates requiſitæ*: licèt enim olim nulla requireretur cæremonias, ad tollendam tamen fraudis occaſionem, voluit Ludovicus XII. ut nullus in Gallia bonis cederet, niſi præſens in judicio, & quidem diſcinctus, ac nuda cervice: quod & ſtatuit Carolus V. pro Belgio 4. Octobris anno 1541. volens inſuper, ut tradatur in judicio jurata Synopſis omnium bonorum, quæ ceduntur creditoribus, retinendo tamen neceſſaria ad victum & ſuppellectilem.

CONCLUSIO III.

NOn eſt permittenda omnibus ſolemnis bonorum ceſſio, ſed tantùm iis, quos honeſtè viventes aut negotiantes depreſſit adverſa fortuna.

Ratio eſt; quia jura non concedunt beneficium ceſſionis in favorem delinquentium, ſed in favorem eorum quos calamitas, naufragium &c. dejecerunt à priori ſtatu. Undè ſi qui ex iniqua aut temeraria negotiatione, ex crapula, prodigalitate, vita luxurioſa &c. reddantur debitorum ſolvendorum incapaces, non ſunt ceſſionis beneficio donandi, ſed tanquàm latrones rigoroſè puniendi; cum modus ille agendi fraudulentus eò magis ſit Reipublicæ pernicioſus, quo magis eſt ſub negotiationis pallio abſconditus. Ex dictis hac quæſtione

Reſol. 1. Modum ignominioſum, quo tractantur certis in locis bonis cedentes, non eximere ipſos ab onere reſtitutionis, quidquid dicant aliqui, volentes ignominiam illam tenere locum ſolutionis; quia non infligitur pœna illa pro debito, ſed in punitionem culpæ præſumptæ, vel res proprias negligendo, aut dilapidando, vel aliena temerariè exponendo.

Reſol. 2. Non poſſe bonis cedentes quidquam occultare creditoribus; aliàs cenſerentur fraudulenter agere, non tamen eſſet condemnandus ille, qui ſine culpa ſua bonis cedere coactus pauca retineret ad tenuem ſui & ſuorum ſuſtentationem; quia non videtur, rationabiliter loquendo, reſtitutionis præceptum aliter obligare: niſi certè ipſemet creditor eſſet in eandem neceſſitatem redigendus. Vide dicta quæſt. 5. hujus diſp.

QUÆSTIO V.

An debitis gravato ſit licitus Religionis ingreſſus, & an poſt ingreſſum liberetur à reſtitutione?

SUppono 1. debitis gravatos validè profiteri; quia etſi eorum Profeſſionem annullaverit Sixtus V. illam tamen validam declaravit poſtea Clem. VIII. relinquens in ſuo vigore prohibitiones & pœnas in Sixtina taxatas.

Suppono 2. Neminem poſſe licitè ingredi Religionem, niſi prius vel debita ſolvat vel ſolvendis ſufficientia relinquat, modò poſſit. Quia non debet omitti præceptum, quale eſt debita ſolvendi, ut impleatur conſilium; quale eſt Religionem ingrediendi.

Suppono 3. Potentem in ſæculo ſpatio biennii, aut triennii ſolvere omnia debita, quibus jam ſolvendis eſt inſufficiens, teneri Religionis ingreſſum differre, & laborando, negotiando, docendo &c. creditoribus ſatisfacere; quia id poſtulat æquitas naturalis, & aliàs eſſent rationabiliter inviti creditores: unde quæſtio noſtra procedit de eo, qui non poteſt ſatisfacere, niſi per longum tempus in ſæculo remaneat.

Suppono 4. Eum, qui remanens in ſæculo non poſſet debitis ſatisfacere defectu artis, poſſe ex nunc, facta creditoribus bonorum ceſſione, Religionem ingredi; quia per hoc nullum infert ipſis præjudicium.

Suppono 5. Etiam licitum eſſe ingreſſum illi, cujus debita ſolvere promittit Monaſterium, aut qui prævidet æqualiter, aut melius debitis Satisfacturum in Monaſterio, quàm in ſæculo; quia tunc nullatenus nocet creditoribus His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

DEbitis gravatus non poteſt licitè Monaſterium ingredi, ſi poſſit manens in ſæculo, licèt per longum tempus, creditoribus ſatisfacere. Ita Gerſon cum aliis, quorum ſententiam approbavit Sixtus V. & Greg. XIV. ut videre eſt apud Emmanuelem Sa. Eſt tamen contra plurimos, quorum aliqui volunt poſſe ſtatim ingredi, alii non niſi poſt 2. aut 3. annos, ſi illud tempus ſufficiat debitis ſolvendis.

Prob. 1. Ex Scrip. quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; atqui debita prætermittere malum eſt, cùm adverſetur legi naturali: ergo.

Dices: Ille, cùm non poſſit debita ſolvere, niſi longo tempore, cenſetur moraliter impotens.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Si enim volens manere in ſæculo non diceretur moraliter impotens, imò teneretur longum illud tempus impendere, ut creditoribus ſatisfaceret, cur diceretur impotens ob ſupervenientem Religionis ſuſcipiendæ voluntatem?

Prob. 2. Sicut obligat nos lex naturæ ad ſuperveniendum parentibus, ita & ad debitorum ſolutionem, ſed non poſſumus Religionem ingredi, relictis in neceſſitate parentibus: ergo nec inſolutis debitis.

Dices:

Dices: Obligationem erga parentes oriri ex natura; erga creditores autem tantùm ex voluntate. Præterea fortius obligat primum, quàm secundum, nam ubi non potest quis parentibus & creditoribus simol satisfacere, tenetur parentes præferre.

Resp Sive obligatio oriatur ex natura, sive ex voluntate, equidem Religionis ingressui præferendam esse, cùm præsupponat præceptum naturale, semper consilio anteponendum: fortius quidem obligat auxilium parentibus exhibendom, sed esto minus obligaret, quàm præceptum restituendi, equidem essent parentes Religioni suscipiendæ præferendi, eò quòd nunquam liceat præceptum naturale consilio postponere.

Prob. 3. Non potest mancipium Religioni se mancipare, domino contradicente, eò quòd debeat ipsi operam suam: ergo nec debitor, contradicentibus creditoribus, eò quòd debeat ipsis pecuniam, aut æquivalens.

Dices: Obligationem mancipii esse personalem, adeoque non posse alteri personam suam obligare, obligationem verò debitoris esse tantùm realem, adeoque non impedire quominus personam suam Religioni obliget.

Resp. Non obligari quidem personaliter debitorem hoc sensu, quòd possit vendi: obligari tamen hoc sensu, quòd pro solvendis debitis teneator se laboritio congruo applicare, & ideo datur in ipsum actio personalis.

Obji. 1. D. Th. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3. *Licitè, inquit, potest exhibitis rebus suis, Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere ut procuret, unde debitum reddat.*

Resp. Sanctum loqui in supposito, quòd nulla, aut tenuis spes appareat restituendi in sæculo: nam dicit superius, quòd habens facultatem teneatur ante ingressum satisfacere; atqui in nostro casu habet facultatem satisfaciendi, si velit in sæculo manere laborando: ergo.

Obji. 2. Præceptum restituendi non obligat, ut dictum est, quando ex solutione longè majus damnom evenit debitori, quàm ex non restitutione creditori; atqui hoc accidit in nostro casu, ubi debitor privatur medio ad salutem securiori: ergo.

Resp. Maj. Admitti, quia tunc restitutionis obligatio non extinguitur, sed tantùm sopitur, remanetque spes fundata solutionis aliquando recipiendæ; hic autem nulla superesset. Præterea cùm sæculari non desint viæ ad salutem securæ, non debet dici pati per hoc ita grave detrimentum, ut possit præceptum naturale omittere.

Obj. 3. Debitis gravatus potest ita alicui peccato esse affectus, ut sola Religio possit esse remedium, ergo saltem illo casu poterit ingredi.

Resp. Ubi Ant. esset verum, etiam verum esset consequens; quia cùm debeat aliquis bona fortunæ exponere pro salute proximi, nun censentur creditores rationabiliter inviti, sed nihil contra conclusionem, quæ intelligitur per se loquendo.

Obj. 4. Potest sponsus, non obstante sponsaliorum obligatione, Religionem ingredi: ergo similiter.

Resp. Esse disparitatem, quòd sponsi obligatio sit conditionata, id est, *nisi voluero fieri Religiosus*; debitoris verò omninò absoluta, ubi debitum non est contractum ex liberali promissione.

CONCLUSIO II.

Ubi debitis gravatus Religionem professus est, non eximitur ab onere restitutionis, adeoque consentiente Superiore, debet per opera statui suo proportionata creditoribus satisfacere. Ita D. Antoninus cum pluribus aliis.

Prob. 1. Pars; quia si status Matrimonialis, aut Clericalis non eximat ab illo onere, cur eximeret Monachalis? præterea nihil habet Religio incompossibile cum restitutione, ubi adest Superioris facultas.

Prob 2. Pars: quia nulla apparet via ad satisfaciendum magis proportionata, quàm honestè & decenter juxta status conditionem laborare.

Dixi 1. In concl. *consentiente superiore*, qui licentiam teneatur dare, ubi scienter debitis gravatum admisit; cùm ex tunc censeatur sibi illam obligationem imposuisse: aliud esset, si inferior in sua Professione debita occultasset, aut negasset: illo enim casu non teneretur ex justitia, cum Prælatus nihil debeat creditoribus, possitque pro libitu de Religioso tanquam totaliter suo disponere, abstrahendo, an opera, quibus ipsum applicat, impediant solutionem, necne; imò si inferior ille sine licentia, saltem præsumpta, ex laboritio occulto satisfaciat creditoribus, fur est & latro; cum restituat ex alieno, eò quod quidquid acquirit Monachus, acquirat Monasterio: unde videat in quantam angustiam se redigat taliter ingrediens. Ubi tamen Superior potest taliter ingresso licentiam concedere sine Religionis incommodo, videtur ad id teneri ex charitate.

Dixi 2. *Per opera statui suo proportionata*, id est, attenta conditione personæ, v.g. an sit Laicus, aut Clericus, an simplex Sacerdos, vel Concionator, aut Theologiæ Lector, aliqua enim decent Laicum, quæ dedecent Clericum, aliqua Sacerdotem simplicem, quæ non conveniunt Theologo in sublimioribus occupato.

QUÆSTIO VI.

An extingui possit restitutionis obligatio per compensationem, aut Judicis sententiam?

Duplicem assignant Doctores compensationem, unam impropriè dictam, quæ est occulta recuperatio debiti facta ab eo, qui nihil debet suo debitori, & de hac egimus in 7. Decalogi præceptum; alteram propriè dictam, quæ definiri potest: *debiti cum debito absorptio*; sicque intervenire debent duo debita, duoque debitores ad invicem, ita ut Petrus v. g. debeat Paulo, & Paulus vicissim debeat Petro, & de hac breviter hic agemus.

CONCLUSIO I.

Valida est, & licita compensatio in rebus fungibilibus, ut sunt illæ, quæ constant numero, pondere, aut mensura.

Ratio est; quia in illis non potest esse rationabiliter invitus Dominus, cùm unum commutetur in aliud omnino æquale sine ullo alicujus detrimento. Hinc si debeat tibi Petrus 20. florenos, & tu tantumdem illi, potes uti compensatione nihil restituendo: & idem est si debeat tibi 100. patacones, & tu illi dolium vini, aut 12. raserias bladi, quæ tantidem valeant, aut etiam si retineas ipsius vinum pro tuo tritico, aut è contra, modo debitum sit utrinque certum, nec inde damnum patiatur alter; & aliunde triticum, aut vinum simile possit facilè reperiri. Excipiuntur tamen certi casus, in quibus non licet ipsa compensatio, saltem in foro externo, pro quibus consule dicta in 7. Decalogi præceptum.

Dixi in Concl. *in rebus fungibilibus*; quia non rarò illicita est in aliis rebus; cum in illis non tam facilè *præsumi possit* voluntas alterius, eò quòd non reperiantur semper similes, sicut in fungibilibus: sic si habeas equum Joannis, qui tibi debet 100. nummos, non potes ipsius equum totidem valentem retinere pro libitu: quia licèt non pluris valeat, potest tamen Joannes esse erga illum specialiter affectus propter speciale servitium sibi redditum.

CONCLUSIO II.

Certis casibus excusat à restitutione, juris, aut judicis authoritas: ac 1. excusat, saltem in foro externo (nam de interno disputabimus postea) præscriptio, seu quando quis per certum tempus à jure præscriptum possedit rem alienam, quam bona fide putabat esse suam. 2. Quando judex in pœnam injuriæ debitori illatæ privat creditorem jure ad debitum. 3. Secundum aliquos, quando quis per sententiam secundum juris ordinem latam privatus est officio, beneficio, aut hæreditate, non tenetur ille, cui adjudicatur hæreditas, officium &c. restituere, licèt noverit condemnatum esse innocentem, modò non fuerit causa condemnationis; sed illis non assentior: quandoquidem judex illo casu per sententiam non transferat rerum dominium, sed præcisè declaret cui jus competat: quod si fallatur, & condemnet innocentem, ubi sententiæ falsitas innotescit, debet aiter restituere condemnato.

DISPUTATIO VI.

De Restitutione in particulari.

Cum varii admodum occurrant casus, quibus enodandis non sufficiunt principia generalia à nobis hactenus allata; ideo addenda fuit altera Disputatio, in qua sigillatim elucidarentur. Hic ergo agemus de restitutione ratione rei spiritualis, boni faciendi vel omittendi, causæ turpis, homicidii, stupri, adulterii, detractionis, & contumeliæ.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An ponens impedimentum ad rem ſpiritualem ſit obnoxius Reſtitutioni?

EX bonis ſpiritualibus alia immediatè, alia mediatè, & alia remotè conducunt ad animæ ſalutem. Immediatè conducit gratia, ſicut & alia, quibus ipſa acquiritur, nutritur, conſervatur, augetur, ut opera virtutum: mediatè conducit Religionis ſtatus, in quantùm per regulas & exempla ſalutaria à peccato retrahit, & ad virtutem ſtimulat: remotè autem conducunt quædam animæ bona, quorum aliqua ſunt naturalia; ut memoria, intellectus &c. Alia acquiſita, ut ſcientia, ars, & ſimilia, de quibus paucis tractandum.

ARTICULUS I.

HOrreant & caveant, inquit Gerſon parte 2. ſerm. de Pœnitentia circa fin. *Qui ad ſimilitudinem dæmonum, gaudent alios ſecum trahere ad interitum, præſertim juvenes & pueros; tales neſcio, ſi potuerint unquam ſatis pœnitere: ſufficere eis debuerat damnatio propria.* Unde refert ibidem verba tremenda Berengarii morientis: *Hodie mihi apparebit Dominus meus Jeſus-Chriſtus, vel ad gloriam, ſicut ſpero, propter pœnitentiam meam: vel ad damnationem, ſicut formido, propter aliorum corruptionem, quos ad viam veritatis reducere non potui.* Sed quod dixiſſet pius ille Cancellarius de hodiernis morum corruptoribus, qui nec corruptos ad meliorem frugem reducunt, nec reducere ſatagunt, de quibus ſit

CONCLUSIO I.

QUi per vim, metum, aut fraudem alios induxit ad peccatum, aut ab alicujus virtutis exercitio retraxit, tenetur ex juſtitia concurrere, quantùm in ſe eſt, ad damni illati reparationem, id eſt, efficaciter laborare, ut ſeductus opera virtutis neglectæ exerceat, aut gratiam per peccatum amiſſam recuperet. Eſt Scoti 4. diſt. 15. qu. 3. art. 1. quem ſecuti ſunt plurimi tum domeſtici, tum extranei.

Prob. 1. Quia fraus, vis & metus annexam habent injuriam; ſed omnis injuria reparari debet ex juſtitia: ergo. Prob. maj. quia cauſant aliquid involuntarii, adeòque lædunt plenam hominis libertatem.

Prob. 2. Qui alterum per fraudem, aut metum induxit, ut ſibi noceret in fortunæ bonis, tenetur ex juſtitia damnum reparare: ergo à fortiori, qui author fuit ut alter ſibi noceret in bonis animæ; cùm hæc infinitè prævaleant illis.

Dices 1. Non obſtante fraude, aut metu, voluntariè peccat ſeductus; quandoquidem nullum peccatum niſi voluntarium: ergo nulla fit ipſi injuria.

Reſ. D. conſequens: Nulla fit ipſi injuria ex ea parte, qua actio voluntaria eſt, C. ex ea parte qua intermiſcetur aliquid involuntarii, ſeu talis diſpoſitio, ut ſi fraus, aut metus non adeſſet, opus non fieret, N.

Dices 2. Obligatio reſtitutionis oritur vel ratione rei acceptæ, vel ratione injuſtæ acceptionis; ſed inducens nec habet, nec accepit quiddam ab alio: ergo.

Reſol. Per injuſtam acceptionem etiam intelligi injuſtam damnificationem, ut ſuperiùs dictum eſt: jam autem qui proximum ad peccandum induxit, ipſum maximè damnificavit, cùm privaverit præcipuo animæ ornamento, nempe gratia. Ex dictis

Reſol. 1. Illum, qui inſpiravit falſa dogmata contra fidem, aut mores, obligari ex juſtitia non ſolùm falſitatem detegere, ſed etiam monendo, hortando, ſuadendo, Deum per ſe & per alios exorando, deceptum, quantùm eſt in ſe, ad pœnitentiam inducere.

Reſol. 2. cum Scoto, quàm periculoſum ſit alium ſollicitare & inducere ad peccatum: nam cùm propter naturam noſtram vulneratam, & ab adoleſcentia ad malum procli vem, longè facilius ſit pervertere, quàm convertere, vix poteſt inducens dignè reſtituere.

CONCLUSIO II.

QUi conſilio, aut alio modo à fraude, vi, aut metu diſtincto alium ſollicitavit ad peccatum, etiam tenetur vi juſtitiæ ad damni reparationem concurrere, ſi ſit Superior, de quo intelligendus eſt Scotus loco citato, dum imponit conſulenti ſine fraude, vi, aut metu, obligationem juſtitiæ ad reſtituendum modo explicato.

Ratio eſt; quia Superior (ut pater reſpectu filii, dominus reſpectu famuli, Prælatus reſpectu ſubditi) tenetur ex officio, adeoque ex juſtitia, ſubditorum ſalutem quærere: ergo ſi à via ſalutis abducat, tenetur etiam ex juſtitia ſeductum ad eandem reducere.

Dixi in concl. *Si ſit Superior*: nam etſi alii teneantur ex charitate, non tantum malum illatum impedire, ſed etiam efficere, ut perpetratum per pœnitentiam diluatur; non tamen obligantur ex juſtitia, cùm ſeducens æqualem conſilio aut exemplo, committat quidem actum ſcandali, non tamen injuſtitiæ; quia ſcienti & ſponte volenti nulla fit injuria. Accedit quòd conſulens alteri furtum, teneatur quidem reparare damnum tertio illatum, non tamen illud, quod ex ſuo facto patitur inductus: quia cùm illi voluntariè ſe expoſuerit, nulla ipſi facta eſt injuria. Idem dic in noſtro caſu; cùm ſit omnimoda paritas.

Dices 1. Qui damnificat alterum in bonis fortunæ, tenetur ex juſtitia reſtituere: ergo à fortiori, qui damnificavit in bonis animæ.

R. Diſt. ant. Qui damnificavit invitum. C. volentem & conſentientem, ut fit in noſtro caſu, N. & ideo debet primum, utpote invitum, non ſecundum, utpote conſentientem, indemnizare.

Dices 2. Ex allegatis deteriores ſunt qui nocent animæ, quàm qui facultatibus externis, ſed hi violant juſtitiam; ergo & illi.

R. Deteriores eſſe, non quia committunt injuſtitiam ſicut alii; ſed quia concurrunt ad damnificationem altioris ordinis.

Dices 3. Exodi 22. præcipitur ſeducenti virginem, etiam ſine vi, aut fraude, illam dotare: ergo.

R. Id præcipi, non in reſtitutionem, ſed in pœnam delicti.

ARTICULUS II.

Ad quid teneatur, qui Candidatum, Novitium, aut Profeſſum avocat à Religione.

DUplex hìc conſiderari debet reſtitutio; una reſpectu perſonæ avocatæ, & altera reſpectu Religionis, à qua avocatur. Item advertendum eſt, an avocatio fiat ex recta intentione, an ex odio Religionis: & hoc adhuc dupliciter, nempe, an fiat ex fraude, vi, aut metu; an verò tantùm blanditiis, ſuaſionibus, conſilio &c. De avocante ex recta intentione non agimus, cùm certum ſit ad nihil teneri, ut docet Scotus ſuprà.

CONCLUSIO I.

QUi Candidatum, Novitium, aut Profeſſum, avocavit à Religione, ſive conſilio, ſive vi, ſive fraude, etſi peccet graviter, imò ſit à Trid. excommunicatus, ſi perſona avocata ſit virgo, aut mulier; non tenetur tamen ipſius loco Religionem ingredi.

Ratio eſt; quia vota tum ex jure divino, tum ex natura ſua debent eſſe ſummè libera; ſed ſi quis ob commiſſum crimen teneretur Religionem profiteri, non eſſent tunc libera, ſed præcepta: ergo.

Confirm. 1. Quia cùm in Religione ſint multa jejunia, multæ auſteritates, voluntatis abdicatio, caſtitas perpetuò ſervanda &c. debet illius ingreſſus non ex neceſſitate, ſed ex Dei vocatione procedere.

Confirm. 2. Ex praxi Eccleſiæ univerſalis; quæ etſi graviter criminoſos, aliquando in monaſterium, aut carcerem detrudat, neminem tamen ad Religionis ingreſſum obligat.

CONCLUSIO II.

QUi Candidatum, aut Novitium retrahit à Religione per vim, aut fraudem, tenetur ex juſtitia reparare damnum inde proveniens tum Religioni, tum extracto; ſi autem retraxerit precibus, conſilio, ſuaſione &c. Ad nihil tenetur ex juſtitia.

Prob. 1.

Prob. 1. pars: quia tam Religioso in spe, quàm Religioni gravem infert injuriam: Religioso quidem; quia ubi vis, aut fraus, ibi iojuria; & ideo nihil non debet moliri, ut ad priorem statum reducatur: Religioni verò; quia etsi Religio necdum habeat jus, saltem completum, in Candidatum, aot Novitium, habet tamen jus, ne quis per vim, aut fraudem ab ea divertatur, aut extrahatur cum illius detrimento, ut patebit ex dicendis de impediente consecutionem boni; & ideo si ex Candidato, aut Nuvitio sperabatur utilitas temporalis, tum ratione industriæ, tum ratione paternæ hæreditatis, illa resarciri debet monasterio secundùm spem majorem, aot minorem lucri obventuri, prout magis vel minus erat proximus ad Professionem, spectatis omnibus contingentiis, periculis, hominum mutabilitate.

Prob. 2. pars; quia nihil debet Candidato aut Novitio, cum scienti & volenti nulla fiat injuria, ut diximus de seducto ad peccatum: nihil etiam debet Religioni, quia quidquid ex Novitio, vel Candidato sperare potest, omnino dependet à voluntate Religionem iogredi, aut profiteri volentis: ergo ubi is sine ulla vi, aut fraude mutat voluntatem, nulla fit injuria Religioni, adeòque nulla est restituendi obligatio.

Confirm. Quia si quis volenti relinquere monasterio diviti legatum, consulat ut potiùs det pauperi; vel etiam ut eleemosynam, quam decreverat dare Petro, det Paulo, nulli facit injuriam, adeòque nulli manet ad restituendum obnoxius; quia nec monasterium, nec Petrus jus habet ad illa ante acceptationem. Idem dic in nostro casu: quod etiam verum est, licèt dissuasio fiat malo animo, aut ex odio Religionis, cùm per odium aut animum pravum non lædatur justitia, sed charitas.

Dices 1. Retrahens à Religione per fraudem, tenetur restituere: ergo & retrahens consilio, cùm tunc æquè lædatur Religio per consilium, ac per fraudem.

R. N. consequentiam & ejus probationem: non enim læditur Religio ubi intercedit fraus, quia jus habet in Novitium, ant ipsius bona; cùm nullum habeat acquisitum; & si haberer, etiam læderetur per consilium; sed quia jus habet, ne impediatur per fraudem à consecutione boni, & non habet jus, ne impediatur per consilium, ut magis patebit posteà.

CONCLUSIO III.

QUi per vim, metum, aut fraudem retrahit professum à Religione, tenetur de omni damno secuto tum Religioni, tum professo; qui autem precibus taotùm, aut consilio, aut suasione, tenetur Religioni, non professo.

Prob. 1. pars; quia otrique facit injuriam; ergo otrique restituendum est: Religioni quidem omnia emolumenta, quæ Religiosus docendo, concionando, scribendo, laborando &c. erat ipsi procuraturus, detractis tamen expensis, periculis, & similibus: professo verò damna spiritualia; seu efficere debet omnibus modis, ut ad Religionem redeat egressus, ut fusius patet ex dictis de inducenre ad peccatum.

Prob. 2. pars; quia etsi professus: utpotè consentiens, nullam patiatur injuriam; Religio tamen, quia dissentit, privaturque emolumento sibi ex labore, aut industria subditi verè debito, jus habet, ut indemnizetur: & certè si possidens ex justitia arborem habet jus in illius fructus, quidni possidens ex justitia Religiosum tatione contractus professionis ultrò citroque obligantis, jus haberet in ipsius operas?

Obji. 1. Religiosus non tenetur ex justitia, sed ex obedientia laborare, cùm nemo obliger teligiosum laborare nolentem ad restituendum: ergo sicut ille non agit contrà justitiam non laborando, ita nec impediens ipsum à laboritio, adeòque nihil teoetur restituere.

Confir. Ubi non tenetur restituere causa proxima damni, nec à fortiori tenetur causa remota, cùm hæc tantùm teneatur defectu illius; sed hic causa proxima damni est Religiosus egrediens, & remota est seducens: ergo.

Resp. Dissimulato Ant. N. conseq. quia sive teneatur ex justitia, sive ex obedientia laborare Religiosus, equidem jus strictum habet Religio io emolumentum ex ipsius laboritio proveniens, quando est certum & reipsa futurum. Accedit, quod lucrum actuale debeatur ex justitia Religioni, ut conveniunt omnes, quidni & lucrum in spe, cùm sit pretio æstimabile, & quidem ab ipsa Religione vendibile.

Ad Confirm. Dico, illam, universaliter loquendo, esse falsam; quia ut quis obligetur ad restitutionem, sufficit quod alium impediverit à lucro, quod ex justitia erat debitum tertio, sive ille alius teneretur ex justitia, sive ex alia virtute lucrum illud facere, ut patet io injusto occisore qui tenetur hæredibus occisi compensare omne lucrum cessans per mortem ejus, licèt hic ex justitia non teneretur lucrum illud facere.

Obji. 2. Damna indè Religioni obvenientia videntur sequi ex sola voluntate Religiosi liberè, & sine violentia egredientis.

Resp. Quòd sicut consulens alteri furtum censetur ad illud concurrere, licèt alter liberè furetur; ita & in nostro casu.

ARTICULUS III.

An ex damnificatione in spiritualibus, sive naturalibus, sive supernaturalibus oriatur obligatio Restitutionis?

CONCLUSIO I.

QUi ex stipendio, vel ex officio, etiam gratis assumpto, suscipit onus instruendi, sive in iis quæ spectant ad fidem, sive ad mores, sive ad scientiam, sive ad artem; tenetur omnia damna reparare, quæ ex falsa & temeraria instructione consequuntur: & idem est de nocumento proveniente ex negligentia, si conductus instruat.

Ratio est: quia de facto fuit causa damnificationis sua temeritate, ignorantia, aut pigritia. Hinc

Resol. 1. Hæresiarcham, Prædicatorem, Confessarium, Doctorem, Advocatum, Medicum, aut alium seminantem errores proximo nocivos, teneri ex justitia illos revocare, sive docuerit ex officio, sive non, si sciens, dubitans, aut suspicans, falsa exposuerit: quod addo; quia si ex ignorantia invincibili fecerit, tenetur tantùm ex charitate respectu mali præteriti, licèt teneatur etiam ex justitia respectu futuri; & ideo

Resol. 2. Si Doctor, aut alius, ubi errorem suum cognovit, illum non revocet, nec ignarus aut inexpertus habeatur, oltrà peccatum injustitiæ, obnoxium esse restitutioni omnium damnorum indè sequentium.

Resol. 3. Professorem Theologiæ, Philosophiæ, Grammaticæ &c., sicut & docentem modum scribendi, legendi, numerandi, caotandi &c. Item Catechistam, Concionatorem, Confessarium, Magistrum alicujus artis, v. g. Pictoriæ, Textoriæ, Sartoriæ &c. teneri restituere non tantùm partem stipendii pigritiæ proportionatam, si instruendo notabiliter negligentes fuerint, sed etiam omnia detrimenta discipulis indè provenientia.

CONCLUSIO II.

QUi philtro, veneno, aut alia potione aufert ab aliquo memoriam, aut usum rationis (idem est de sensibus tum internis, tum externis) ad nihil pecuniæ tenetur pro jactura potentiæ; tenetur tamen de omni damno indè secuto.

Prob. 1. pars; quia cùm illæ facultates sint altioris ordinis, nullis fortunæ bonis possunt compensari, sicut nec compensari potest vita hominis. Et ideò sufficit pro illis coram Deo pœnitentiam agere, ac pro injuria illata ab offenso veniam postulare, ut fusiùs suo loco.

Prob. 2. pars; quia occidens hominem, ex cujus homicidio sequuntur damna familiæ, debet illa reparare, ut concedunt omnes: ergo similiter auferens ab homine facultatem, ex cujus amissione damnificatur, tenetur illum indemnizare.

QUÆSTIO II.

An sit obnoxius restitutioni, qui alterum impedit à consecutione boni?

SUppono 1. duobus potissimùm modis posse aliquem impediri à consecutione boni, puta Officii, Beneficii, dignitatis, eleemosynæ, legati &c. 1. Precibus, blanditiis, suasionibus. 2. Vi, dolo, fraude, minis, aut metu.

Suppono 2. bonum impedibile esse triplex: unum, in quo quis habet jus in re, sed necdùm possessionem; alterum, in quo habet jus ad rem, ratione cujus potest io judicio repeti: tertium, in quo nec jus in re, nec jus ad rem

sibi

sibi competit, sed mera potestas illud sibi impetrandi, petendo, orando, inclinando. De duobus primis non agimus, cùm certum sit apud omnes impedientem illorum consecutionem teneri satisfacere, eò quòd manifestè lædat jus alterius, adeoque justitiam. Quæstio igitor procedit de tertio.

CONCLUSIO I.

QUi ex odio, vindicta, aut animo nocendi impedit alterum à consecutione boni ex justitia indebiti, v.g. Petrum à legato obtinendo, Clericum à Canonicatu, civem à Magistratu, pauperem ab eleemosina &c. Non tenetur ad restitutionem; modò non intercedat vis fraus, aut metus.

Ratio est; quia obligatio restitutionis oritur ex sola violatione justitiæ; hic autem etsi lædatur graviter charitas, non tamen justitia.

Dices. L. 1. §. Idem ff. *De aqua pluviæ arcenda* & L. *Proculus* ff. *De damno infecto* statuitur, ut si quis sine animo nocendi aliquid in suo fundo fecerit, undè lædatur vicinus, non teneatur de damno secuto: ergo si è contrà animo nocendi fecerit, tenetur; & consequenter animus ille inducit obligationem restitutionis.

Resp. Leges illas non loqui de damno nocendi solitariè sumpto, sed juncto cum culpa lata, aut dolo, quo interveniente restituendum est, quo absente, minimè.

CONCLUSIO II.

QUi sine fraude, metu &c. sed tantum consilio, precibus, suasione, aut blanditiis alterum inducit ut bonum, quod decreverat dare Petro, v.g. sibi aut amico conferat, non tenetur quidquam restituere.

Ratio est; quia facultas unicuique à natura concessa procurandi, aut recipiendi bonum, ab altero liberè proveniens, non læditur, nisi lædatur libertas bonum conferre volentis; sed per consilium, preces, aut blanditias non læditur; quandoquidem, eis non obstantibus, maneat integra, & plena ad conferendum, licèt moveatur & alliciatur in contrarium; ergo. Hinc excusantur ab injustitia & restitutione qui consulunt, aut suadent parentibus, ut quod uni testamento reliquerunt, relinquant sibi, aut alteri. Idem est de eleemosyna & similibus.

CONCLUSIO III.

VIolat justitiam, adeoque obnoxius est restitutioni, qui vi, metu, fraude, aut minis alterum impedit à consecutione boni ipsi conferendi. Est communis.

Ratio est; quia licèt supponamus impeditum non habere jus ad illud bonum, habet tamen jus ne facultas, aut potestas, quam habet à natura ad illud impetrandum aut recipiendum, per vim, aut fraudem impediatur, & consequenter, si ita impediatur, patitur injuriam, ab inferente reparandam: potest autem facultas illa impediri dupliciter, nempe directè, & indirectè; impeditur primo modo, quando quis impeditur ne petat, sollicitet, aut recipiat alterius bonum: impeditur secundo modo, quando impeditur, aut custoditur collator, ne liberè utatur potestate donandi, legandi &c. & hoc impedito, impeditur & alterius potestas ad obtinendum. Porro tunc facienda est restitotio juxta spem majorem, aut minorem doni obtinendi, attentis omnibus circumstantiis.

Dices: Per preces, aut consilium non læditur facultas obtinendi, Ergo nec per fraudem.

Resp. Dispar. esse, quòd preces, aut consilium relinquant in donante facultatem ad donandum expeditam, plenam & liberam, ut diximus; & consequenter etiam facultatem liberam in donatario ad recipiendum: fraus autem, vis, aut metus, vel terrorem incutiendo, vel hominem turbando, vel objectum mutando &c. lædat libertatem vel dantis, vel donatarii. Hinc

Resol. 1. Teneri ad restitutionem illos, qui, ne moribundus relinquat aliquid testamento certæ personæ, legatum Ecclesiæ, eleemosynam pauperi, famulo &c. renuunt vocare Notarium pro conficiendo testamento: saltem si vocare tenebantur.

Resol. 2. Eidem oneri esse obnoxias proles ingratas, quæ pauperibus interdicunt accessum ad parentes infirmos, ne eleemosynam impetrent.

Resol. 3. Etiam obligatos esse Prælatos, qui sine causa excludunt à concursu capaces, ut facilius parentes, aut amicos ad Beneficium promoveant.

Resol. 4. Similiter vinculo restitutionis esse constrictum, qui sciens Petrum, v.g. scripsisse Romam pro obtinendo Canonicatu, illius litteras malitiosè intercipit, aut retardat, ipsum pro se, vel pro alio præventurus. Aliud esset, si habita rei notitia, ipsam præveniret currendo, aut scribendo, modò non impediret ipsius litteras.

Resol. 5. E contra non teneri ad restitutionem, qui etiam vi, fraude, aut metu impedit, quominus eligatur indignus; quia nullam facit ipsi injuriam, cùm nullum jus habeat, ratione inhabilitatis, Beneficium petendi, vel obtinendi. Idem est: si via injusta promovendum similiter impediat.

QUÆSTIO III.

An accepta propter actionem aliundè debitam sint restituenda?

SUppono 1. posse actionem aliquam esse debitam ex duplici capite, nempe vel ex virtute à justitia distincta, vel ex ipsa justitia: sic tenemur ex charitate proximo succurrere, & tenemur ex justitia ipsum non lædere.

Suppono 2. Acceptum pro actione debita, posse dari, vel per modum pretii, vel per modum allicientis, vel sub conditione, si facta fuerit. His suppositis

CONCLUSIO I.

ACceptum pro actione debita ex virtute à justitia distincta, non est restituendum, si datum sit per modum allicientis, aut sub conditione, si autem per modum pretii, aliquando restituendum est, aliquando non.

Prob. 1. Pars; quia talia munera censentur dari gratiosè & liberaliter, vel absolutè, si nulla ponatur conditio, vel sub conditione licitè ex parte recipientis adimplenda: ergo licitè possunt retineri, sicut alia gratis oblata.

Confir. Ex praxi Fidelium universali, qua constat filios accipientes aliquid à parentibus vel ab aliis, ut Ecclesias & Sacramenta frequentent, consortia perniciosa fugiant &c. accepta retinere absque ullius reclamatione.

Prob. 2. Pars, vel enim actio pro qua pretium recipitur est spiritualis, vel non: si primum, Simonia est, ergo restitui debet sicut pretium Simoniacè acceptum: si secundum, non apparet restitutionis obligatio, cùm pretium accipiendo non violaretur justitia, ex cujus solius læsione oritur illa obligatio. Hinc

Resol. 1. Accepta tanquam pretium ob Sacramentorum administrationem, aut receptionem, Missam audiendam, actus fidei, aut Spei exercendos, esse restituenda, eò quòd illa non sint vendibilia. Vide plura de Simonia.

Resol. 2. Recipientem pecunias tanquam pretium ut proximum eripiat ex aquis, domum vicini ab incendio conservet, infirmo succurrat, socium à peccato impediat, ut graviter indigenti panem, pharmaca, aut alia subministret, non teneri restituere, quia etsi læserit enormiter charitatem nolendo prædicta exercere sine mercede, non læsit tamen justitiam.

Dices 1. Acceptio pretii illis casibus est illicita: ergo & retentio.

Resp. Neg. Conseq. Ut enim retentio sit illicita, non debet tantùm esse acceptio illicita, sed etiam invalida: quòd hic non accidit.

Inst. Venditur debitum: ergo est invalida.

Resp. Dist. Ant. Venditur debitum ex charitate, C. debitum ex justitia, N. indebitum autem ex justitia potest vendi, cùm sit pretio æstimabile se obligare ex justitia ad id, quod erat ex tali virtute indebitum.

Dices 2. cum Medina: valet hæc consequentia: iste tenetur gratis facere: ergo non potest pretium recipere, & è contra: potest pretium recipere, ergo non tenetur gratis facere.

Resp. Consequent. illas esse veras, ubi quis debet gratis agere ex justitia, non ex sola charitate, propter dicta superius.

CON-

CONCLUSIO II.

ACceptum per modum pretii pro actione debita ex justitia, restitui debet. Est communis & certa.

Prob. Quia tale venditum est invendibile, cùm solvens jus habeat ad actionem illam independenter ab omni pretio: unde sicut obnoxius esset peccato & restitutioni qui venderet mihi rem meam, ita & qui vendit actionem mihi justo titulo debitam.

Confirm. 1. Non licet idem bis vendere, sed hoc faceret recipiens in nostro casu, cùm actionem, ad cujus exercitium stipendium sufficiens aliunde recipit, iterum venderet: Ergo.

Confirm. 2. Quia donans aliquid illo casu, non transfert dominium rei suæ in donatarium, cùm det coactè & involuntariè, nempe ut redimat vexationem injustam.

Dixi in Concl. *Per modum pretii:* nam (exceptis muneribus & donatiis liberalibus, quæ à certis personis recipi prohibentur, ac per leges reprobantur, ut dicemus postea) accepta per modum gratuitæ, & omnino liberæ donationis non sunt restituenda, cùm liceat unicuique per leges non impedito, rei suæ dominium in alium transferre. Ex dictis hac conclusione

Resol. 1. Justitiam violare cum onere restitutionis, qui ex officio, mandato, aut testamento obligati distribuere certa bona, pensiones, aut eleemosynas inter pauperes parochiæ, aut alios, aliquid pro distributione recipiunt.

Resol. 2. Idem esse de Judicibus, Notariis, Tabellionibus, Thesaurariis, Principum Ministris, qui pro obeundis muneribus suis, vel ultra taxatum pretium, vel suprà constitutum à Rege, aut Republica stipendium, munera suscipiunt à particularibus, ne vexent, ne alios præferant, ne solutionem retardent.

Resol. 3. Pretium esse restituendum ab iis, qui illud exigunt, aut recipiunt, ut rem inventam reddant domino, solvant debitum, depositum credant, restituant alienum, famam aut honorem ablatum reparent, eò quòd illa omnia debeantur ex justitia.

QUÆSTIO IV.

An pretium ob abstinentiam ab opere illicito receptum sit refundendum?

AD hujus difficultatis enodationem sufficeret quæstio præcedens; quandoquidem sit resolvenda cum proportione ad dicta ibidem; ad majorem tamen Studiosorum facilitatem, & ad declarandam circa hoc Juris dispositionem, illam specialiter, brevi tamen methodo, examinabimus.

CONCLUSIO I.

UT quis abstineat ab opere militante contrà charitatem, aut aliam virtutem à justitia distinctam, potest spectato jure naturæ, aliquid recipere sine onere restitutionis, non tamen sine peccato.

Prob. 1. Pars; quia sicut non tenetur accepta, propter actum ex charitate debitum, restituere; ita nec accepta, ut abstineat ab opere, à quo tenetur tantùm ex charitate abstinere, cùm sit par ratio. Præterea nulla excogitari potest in accipiente, aut retinente munus in nostro casu, injustitia, ex qua sola nascitur restitutionis obligatio.

Prob. 2. Pars; quia eo ipso, quo non vult ab illicitis abstinere, nisi donum, aut pretium acceperit, convincitur habere affectum ad illa, adeoque peccare.

CONCLUSIO II.

QUI pretium accipit, ut abstineat ab opere justitiæ opposito, tenetur illud restituere. Est certa.

Ratio est; quia tam ex justitia debemus abstinere ab actu injustitiæ, quàm ponere actum justitiæ, atqui recipiens pretium ob actum justitiæ, justitiam violat, ut diximus: ergo & recipiens, ut abstineat ab actu injustitiæ, & consequenter tam hic, quàm ille tenetur restituere. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Non esse adstrictum restitutioni, qui aliquid recipit, ne fornicetur, ne jejunium frangat, ne se inebriet; quia non tenetur ab illis abstinere ex justitia, sed aliunde.

Resol. 2. E contrà obligatos esse ad restitutionem pretium accipientes, ne furentur, usuras exerceant, adulterentur, lædant honorem, aut famam, blasphement, occidant, secretum revelent, indignum eligant, falsum testimonium dicant, injustas ferant sententias &c. quia independenter ab omni pretio tenentur ab illis abstinere ex justitia. Sed quid de pretio dato Judici, ut in causa dubia, propter rationes utrinque æquales non faveat alteri, sed mihi? Obnoxium est restitutioni, cùm in tali casu nec mihi, nec alteri possit favere per adjudicationem totius, sed teneatur ex justitia divisionem facere; supposito tamen, quòd pro nullo stet possessio: Unde condemnata est ab Alexandro VII. sequens propositio: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

QUÆSTIO V.

An accepta ob turpem causam sint restituenda?

SUppono 1. nullos contractus, nullasve promissiones ob turpem causam obligare ante actus illiciti positionem, cùm nemo possit ad illicitum obligari: quod etiam verum est, licèt pacto juramentum adjiciatur: nam, ut ait Aug. ser. 10. in novis sermonib. *Temerè juratur, & impiè, quod juratur, impletur.*

Suppono 2. illum, qui pro patrando opere malo pretium recepit, nec tamen patravit, teneri reddere; & ideo non potest meretrix acceptam ob meretricium pecuniam retinere, si postea corporis usuram deneget. Ratio est; quia solvens noluit ipsi pecuniæ suæ dominium transferre, nisi effectu secuto; unde quæstio procedit de restitutione pretii, opere jam patrato.

Suppono 3. Promissiones, aut contractus ob turpem causam, alios esse absolutos, saltem apparenter, ut si dicatur: *Occides talem hominem, & dabo tibi* 100. *aureos. Dabis mihi usuram tui corporis & gratis domum meam habitabis.* Dixi: *saltem apparenter*; quia sunt conditionati implicitè, alios expressè conditionatos, ut si dicatur: *Si falsum testimonium dixeris, dabo tibi filiam meam in uxorem.*

Suppono 4. Conditiones turpes posse apponi ut obligatorias, & ut non obligatorias: 1. modo apponuntur, dum promittens intendit alium obligare ad operis illiciti executionem: 2. modo, dum non intendit alterum obligare, sed seipsum, si ponatur actus pravus, ut si habens causam injustam dicat Judici: *Si pro me judicaveris, cedet tibi media pars legati.* His suppositis

CONCLUSIO I.

ACceptum ob turpem causam ex contractu absoluto aut conditionato obligante ad operis pravi executionem, restituendum est. Ità Navarrus, Adrianus, Medina, Neesen, Le Droux & alii.

Prob. 1. Ex L. 26. ff. *De verborum obligationibus: Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti.* Et L. 123. *Si plagii faciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet*: ergo restituendum est pretium inde proveniens.

Prob. 2. Ratione; contractus illi, ante operis impletionem sunt nulli, etiam consentientibus Adversariis, eò quòd non possint esse vinculum iniquitatis: ergo etiam nulli sunt impleto opere, adeòque vi illorum recepta sunt restituenda. Prob. conseq. ex hac Regula 18. Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*; atqui promissio non subsistit ante opus: ergo nec post.

Prob. 3. Contractus illi, utpote onerosi, debent tam promissarium, quàm promittentem obligare, aliàs si solam promittentem obligarent, essent gratuiti; atqui non obligant promissarium, cùm nemo obligari possit ad peccandum: ergo nec obligant promittentem, & consequenter sunt ex omni parte nulli.

Prob. 4. Opus pravum non est pretio æstimabile, cùm nihil aliud mereatur quàm infernum, si sit mortale, vel purgatorium, si sit veniale: ergo pactum de illo initum nullius est valoris.

Prob. 5. Ex Aug. epist. 153. aliàs 54. ad Macedonium: *Quis tandem Advocatus...... qui suscepto suo dicat: recipe quod mihi, dum malè tibi adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente, iniquè abstulisti, & tamen, quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet.* Et superiùs dixerat: *Si justitia sincerius consulatur, justiùs dicitur Advocato: redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti; iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, injustam*

stam causam oppressisti, & falsitate vicisti. Ubi apertissimè ostendit accepta ob injustum Advocati patrocinium, esse obnoxia restitutioni: adeòque & recepta ob quodcunque aliud opus illicitum.

Obj. 1. Licèt opus pravum ratione culpæ non sit pretio æstimabile, est tamen ratione voluptatis, utilitatis aut satisfactionis, quam adfert promittenti: ergo.

Resp. 1. Ex mente August. accepta ob patrocinium injustum, aut sententiam iniquam esse reddenda, licèt sint utilia illi, in cujus favorem exercentur: ergo idem est de aliis.

Resp 2. Actionem illam ut causativam voluptatis non esse pretio æstimabilem, adeòque nec vendibilem, cùm sit vel ipsum peccatum, vel aliquid inseparabile à peccato; quod est invendibile: unde sicut labor intrinsecus in administratione Sacramentorum est invendibilis, eò quòd sit invendibilis ipsa administratio, à qua non potest separari; ità invendibile est causativum voluptatis in nostro casu, quia est vel ipsum peccatum, vel inseparabile à peccato; quod est invendibile. Cujus ratio ulterior est, quòd tunc vendito vendibili, si quod detur, vendatur & invendibile, à quo non potest separari.

Replicabis, causativum voluptatis posse per rationem præscindi à peccato, & ut sic esse vendibile.

Contra est, quòd tunc non vendatur voluptas tantùm concepta, sed realiter percepta.

Obj. 2. Promittens, impleto opere, licitè implet promissionem: ergo promissarius licitè retinet.

Resp. Nego conseq. Quia promittens solvit ex credulitate promissionis validæ, quæ cùm à parte rei sit nulla, ideo restitui debet acceptum.

Obj. 3. Qui defloravit Virginem, promisso conjugio, tenetur ex ordinatione Ecclesiæ ipsam accipere: ergo contractus ob turpem causam est validus, adeòque retineri potest pretium inde proveniens.

R. Teneri quidem nubere, non quia valida fuit promissio sed quia in pœnam deceptionis, & ad evitationem incovenientium, sic ordinavit Ecclesia.

Obj. 4. Potest sartor retinere pretium quod accepit pro conficienda veste die Dominica: ergo &c.

R. N. conseq. Dispar. est, quòd pactum de conficienda veste die Dominica respiciat opus, & non circumstantiam diei, quæ est operi omninò extrinseca, & ab ipso separabilis; & ideo cùm fuerit validum non est mirum posse pretium retineri; si tamen intendisset deducere in pactum circumstantiam diei Dominicæ, fuisset invalidum; etsi posset sartor pretium retinere, non ratione illius pacti, sed quia vestis die Dominico confecta, est pretio æstimabilis: quod non accidit in nostro casu.

Obj. 5. L. 1. & 6. Cod. *De conditione ob turp. caus.* decernitur datum ob turpem causam non posse repeti: ergo potest retineri.

R. Tantùm ibi insinuari non dari actionem in foro externo ad repetendum, idque in pœnam inducentis ad malum, quo non obstante tenetur alter in foro conscientiæ restituere; quandoquidem contractus etiam in foro externo sit nullus, ut patet ex L. 5. ibidem; & ideo si jure potior dicatur possidens, intelligendum est merè civiliter, id est sic, ut non detur actio in ipsum.

Obj. 6. Donationes factæ meretrici ab alio quàm milite, vel minorenni, possunt retineri, ut patet ex L. *affectionis*, 5. ff. *De donationibus*: ergo &c.

R. Mentionem ibi fieri, non de iis, quæ dantur ex justitia, ut in nostro casu, sed ex mera liberalitate: de quibus quæst. sequenti.

CONCLUSIO II.

Accepta ob turpem causam ex promissione conditionali ipsius, qui ad opus pravum obligare non intendebat, non sunt, spectato saltem jure naturæ, restituenda.

Ratio est; quia talis promissio est valida, cùm propter consensus suspensionem non habet vim & efficaciam, nisi posito opere, &, ipso impleto, intendat promittens se obligare: ergo.

Confirm. Si posito actu, puta homicidio, promitteret homicidæ 500. nummos, promissio valeret; atqui promissio in nostro casu, licèt quoad tempus præcedat actum, ipsum tamen sequitur quoad vim, efficaciam, & obligationem: ergo. Hinc

Resol. Per hoc conciliari posse nobis varios Authores, qui videbantur contrarii, nolentes pretium ob turpem causam esse jure naturæ restituendum: si enim nihil aliud velint, quàm a conclusio, verum dicunt, secùs, si negatum in prima conclusione sustineant.

Dixi tamen: *Spectato saltem jure naturæ*, eò quòd jus positivum varias irritet, non tantùm promissiones, sed etiam donationes ob causam turpem, ut jam dicemus.

QUÆSTIO VI.

An liberaliter data ante, vel post actionem turpem possint retineri?

Dupliciter considerari possunt data gratuitò intuitu operis illiciti: alia respiciunt opus meretricium; alia quodlibet opus injustum à meretricio distinctum. De duobus procedit quæstio.

CONCLUSIO I.

Donationes merè liberales intuitu operis meretricii, sive ante, sive post actum, possunt tuta conscientia retineri, si pauci casus excipiantur. Est communis.

Prob. 1. Ex L. *Affectionis*, ff. *De donationibus*, ubi dicitur: *Affectionis gratia neque honestæ, neque inhonestæ donationes sunt prohibitæ: honestæ erga bene merentes, inhonestæ circa meretrices*: & alibi tales donationes factæ à militibus & minoribus, dicuntur invalidæ: ergo ab aliis factæ, supponuntur validæ; cùm autem jus non distinguat, an ad valorem fieri debeant ante opus, vel post, nec nos distinguere debemus.

Prob. 2. Ex D. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 5. ad 2. ubi ait: *Cum quis dat meretrici propter fornicationem ..... mulier potest sibi retinere quod datum est*, ubi non distinguit, an donatio fiat ante opus, vel post.

Prob. 3. Potest quilibet rei suæ dominium transferre, ubi per leges non impeditur; sed nulla lex potest assignari irritans dictam translationem: ergo. Prob. min. Non quidem lex naturæ; quia etsi ratio naturalis dictet, donationes illas esse illicitas tamex parte dantis, quàm ex parte accipientis, eò quòd incitent ad meretricium vel inchoandum, vel continuandum, non tamen esse invalidas: non etiam leges positivæ, cùm Civiles potiùs illas confirment; unde Leg. *Idem si ob stuprum* 4. ff. *De conditione ob turpem causam* habetur: *Meretricem turpiter facere, quòd sit meretrix, non turpiter*, id est, non injustè, *accipere, cùm sit meretrix*.

Dixi in concl. *Si pauci casus excipiantur*: data enim à milite, minori, servo, aut filiofamilias, utpote, ad dandum per leges inhabilitatis, non possunt retineri; quamvis pro munusculis videatur consuetudo contrarium induxisse. Sed quid de Religioso, si talis reperiretur ità suæ conditionis oblitus, ut propter infandum illud commercium donationes faceret? Essent omninò irritæ, adeòque Monasterio restituendæ. Cujus ratio est, quòd nihil possit expendere Religiosus sine licentia expressa, aut tacita Superioris, quam hic non habet, cùm Superior, nec totum Monasterium possit illam concedere in usus turpes; si tamen Religioso concessa esset facultas disponendi de aliquibus, posset ad sustentationem puellæ, aut etiam prolis, eleemosynas facere; modò cessasset omninò animus meretricius; quia donationes illæ sunt piæ, & quasi necessariæ, supposito peccato.

Petes: Quid dicendum de munusculis factis sub spe copulæ, quam posteà denegat mulier?

Resp. Si nullum pactum explicitum aut implicitum intercesserit, posse retineri; quia sunt liberaliter data, & sibi imputare debet nimiùm credulus amator, quod plus speraverit, quàm debuerit, peccat tamen mulier accipiendo, etsi nihil mali intendat, cùm per hoc & reddatur ipsa facilior ad ruinam, & amasius ardentior ad copulam.

CONCLUSIO II.

Ferè omnes donationes liberales ob turpem causam à meretricio distinctam sunt restituendæ. Ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. & alibi.

Ratio est; quia licèt donationes illæ forent ex jure naturali validæ, invalidantur tamen per leges positivas, ut patet ex L. *juris gentium* 7. ff. *De pactis* L. *si plagii*. De verborum obligation. L. *generaliter* 26. & sequentibus, ubi declarantur nullæ, irritæ, nullius valoris, obligationis &c. & quidem jure merito, ne corrumpantur mores, destruatur charitas, lædatur justitia, triumphet iniquitas, opprimantur pauperes, iniquè exaltentur divites. Unde vim illarum legum agnovit Doctor Angelicus loco citato, cùm dixit: *Et quia etiam ille*

ille qui accipit, non debet sibi retinere. Huic præluxerat Aug. docens restituenda esse data ob sententiam injustam &c. ut diximus sup.

Accedit, quòd non possit datum retineri, nisi dominium translatum sit de donante in donatarium; quod hic non accidit; cùm leges donationem annullando reddant dantem inhabilem ad donandum, adeoque ad transferendum dominium. Porrò donationes ob turpem causam à jure positivo reprobatæ & annullatæ, sunt sequentes. I. Quæ fiunt sicariis ad hominum interfectionem, 2. Quæ fiunt quibuslibet peccatoribus, ut peccent vel prohibita faciendo, vel præcepta omittendo, v.g. ut se inebrient, de aliis detrahant, tempore debito Sacramenta non frequentent, Missam negligant, jejunium violent, blasphement, pejerent &c. 3. Quæ fiunt Advocatis ad iniquam defensionem, testibus ad falsum testimonium, Judicibus ad sententiam injustam, sicut & illæ quæ fiunt iisdem, ut in suis respectivè actibus justitiam sequantur.

Dices 1. Pœna non obligat ante sententiam Judicis, sed leges illæ tantùm obligant in pœnam delicti: ergo non est antea restituendum.

Resp. Min. Illam gratis fingi; imò si vera esset, sequeretur leges admittere contradictoria, nempè donationes esse nullas, & irritas, ut diximus; & simul esse validas, cùm esset restituendum, non ratione invaliditatis, sed solum in pœnam delicti.

Dices 2. L. 8. ff. *Conditione ob causam turpem* dicitur: *si & dantis & accipientis turpis causa sit possessorem potiorem esse*: ergo saltem ubi peccavit donans & donatarius, potest hic donationem jam receptam retinere.

Resp. In illa lege fieri mentionem de acceptis per stipulationem, de quibus quæstione præcedenti; non autem de acceptis per gratuitam donationem: vel certè si etiam de his loquitur, intelligenda est in casibus, ubi non irritatur donatio, ad quid enim annullaretur donatio, si datum posset retineri.

Petes: Quibus præfata sint restituenda?

Resp. Fisco post Judicis sententiam. Patet ex L. *Lucius* ff. *De jure fisci*; ubi autem non adjudicantur fisco per sententiam, reddenda sunt donatori, cùm remaneat illorum dominus, eò quòd dominium non fuerit translatum; & ideo nisi ex ordinatione Ecclesiæ expendenda essent in pias causas Simoniacè accepta, etiam donatori forent restituenda: Docet quidem D. Thom. danda esse pauperibus, sed putem loqui tantùm in casibus, ubi tradens in pœnam delicti, privatur rei suæ dominio: ut fit in contractu Simoniaco; quandoquidem expressè dicat Aug. epist. citata, iniquè accepta ab Advocato esse reddenda clienti. Quod hic resolvimus de acceptis liberaliter, resolvimus etiam de acceptis tanquàm pretio.

QUÆSTIO VII.

De restitutione facienda ratione homicidii, aut mutilationis.

HIc quæri potest, quid restituendum sit, & quibus? quod duplici articulo resolvemus.

ARTICULUS I.

Quid restituendum sit ratione homicidii?

NOn loquimur hic de occisione, aut mutilatione casuali, absque peccato commissa, sed de voluntaria & culpabili, cùm tantùm ex formali injustitia oriatur obligatio restitutionis.

CONCLUSIO I.

PRæcisè pro vita hominis, aut membro mutilato, vel inhabili reddito, nihil est restituendum; secus pro eorumdem usu.

Prob. 1. pars; quia non habet homo vitæ suæ, aut membrorum suorum dominium, sed Deus & consequenter non homini per restitutionem, sed Deo per Pœnitentiam satisfaciendum est.

Prob. 2. pars, quam impugnant plurimi recentiores, non tantùm contra Doctorem Angelicum & Subtilem, sed ferè contra totam antiquitatem, cui hæc sententia erat adeò communis, licèt sub aliis terminis, ut non disputaretur, an pro illorum usu esset restituendum, sed quid esset restituendum?

Prob. inquam, illa pars, 1. ex Script. Exodi 21. *Si percusserit quispiam oculum servi, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit*. Ubi statuitur, usum oculi eruti esse libertate compensandum.

Prob. 2. ratione; quia occidens aut mutilans hominem, facit ipsi gravem injuriam, cùm privet ipsum jure naturali sibi à Deo concesso utendi vita & membris: ergo resarcire debet.

Dices. 1. injuriam illam esse supra omnem compensationem, & consequenter nihil esse restituendum.

Resp. Dist. assumptum: Est supra omnem compensationem pecuniariam, seu inferioris ordinis, C. & ideò fatemur non posse pecunia compensari; quia quantumcumque solveretur, semper restaret ampliùs, & ampliùs solvendum nec esset exhauribile debitum. Est supra omnem omninò compensationem, etiam altioris ordinis, N. quia compensari potest per preces, Missarum sacrificia, & alia bona spiritualia pro occiso aut mutilato oblata; & ideò non tantum ex consilio, sed etiam ex justitia imponere debet prædicta Confessarius homicidæ, aut mutilatori.

Repl. Ergo etiam erit restituendum, saltem per preces aut Missas, pro vita aut membro; cùm sit par ratio.

Resp. N. illationem; quia, ut dixi, homo non habet vitæ suæ & membrorum dominium, sed Deus, sicque ratione illorum præcisè nihil ipsi debetur.

Prob. 3. Tenetur quis reparare damnum illatum quantum potest; atqui id potest occisor in nostro casu per preces &c. ergo tenetur. Unde mirum esset, inquit Doctor subtilis 4. dist. 15. q. 3. quod esset pro bove, aut cane occiso restituendum, & non pro homine.

Prob. 4. Damnificans in fama aut honore, tenetur restituere modo magis congruenti: quidni & damnificans in vita aut membris?

Dices 1. Homicida tolerans patienter mortem sibi ex judicis sententia illatam, satisfacit, secundùm Scotum, atqui per hoc nihil proficit interfecto: ergo.

Resp. N. Min. quia intelligendus est Scotus de morte patienter tolerata pro anima occisi. Notandum hic falsò docuisse recentiores quosdam, Scotum homicidas obligare ut se sisterent coram Judice pro debita satisfactione, cùm ne-vel umbra illius in ipso reperiatur.

Dices 2. Potest fieri quòd occisus sit Paganus, atqui secundùm fidem non prosunt suffragia Pagano: ergo.

Resp. Pro usu vitæ cessare tunc obligationem restitutionis, nec deberi ideo quidquam hæredibus, cùm bonum vitæ non sit ad hæredes transmissibile.

Dices 3. Qui non potest summam pecuniariam restituere, non tenetur satisfacere per bona spiritualia: ergo hic similiter.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd respectu pecuniæ semper restet creditori spes solutionis obtinendæ, cùm possit debitor ad pinguiorem fortunam pervenire, & ideò non solet aliud exigi; ubi autem quis amisit usum vitæ, aut membrorum, nulla restat spes recuperationis, & ideo aliud exigitur.

Dices 4. Inde sequitur, impotentem restituere honorem, aut famam ablatam, teneri etiam satisfacere per bona altioris ordinis.

Resp. Totum esse verum, cùm in hoc nullum sit inconveniens; sed maxima æquitas.

CONCLUSIO II.

DEbet insuper injustus occisor, aut mutilator resarcire omnia omninò damna, quæ mortem præcedunt; imò & quæ sequuntur. Est communis quoad utramque partem.

Prob. 1. Pars; quia non est justum, ut injustè vulneratus, aut mutilatus, sive interim ex vulnere mors sequatur, sive non, damnum patiatur propter alterius culpam, aut malitiam, & ideò solvendæ sunt expensæ pro cibis extraordinariis, pro Medico, Chirurgo, Pharmacopola, Infirmario, & linteaminibus. Item reparandum est lucrum cessans, & damnum, quod inde vulnerato ejusque familiæ emergit.

Prob. 2. Pars; quia licèt defunctus sit incapax emolumenti sibi aliàs ex opere, officio, aut negotiatione obventuri, hæredes tamen in omnibus defuncto succedentes jus habent ad illud, adeòque ipsis satisfaciendum est pro omni lucro cessante & damno emergente; omnibus tamen attentis & in statera domini à viro prudente libratis: nam cum lucrum futurum, sit incertum, variisque periculis expositum, non debet lucro certo æquiparari, sed secundùm majoritatem, aut minoritatem periculi, vel incertitudinis æstimari: ad quod multum conducere potest, si attendatur, an occisus esset juvenis vel senex; robustus vel infirmus; nobilis vel artifex; expertus vel ignarus; industrius vel stupidus; assiduus vel piger; cùm plus speretur à juvene, robusto, industrio, quàm à sene, infirmo, stupido, aut à nobili nihil, aut ferè

ferè nihil lucraturo. Item considerandum est, an interfectus non haberet officium, beneficium, dignitatem, censum vitalitium; an non esset ob ingenium ad Magistratum, aut Cathedram Magistralem promovendus? deduci tamen debent expensæ, juxtà personæ statum & conditionem. Sed nunquid etiam deducendi sunt labores, quos pro lucro reportando debuisset impendere? affirmant aliqui, eo quòd quies loco laboris sit pretio æstimabilis; sed omninò dicendum contrarium, aliàs vix unquàm restituendum foret, cùm sæpè lucrum non excedat pretium laboris, præsertim in opificibus parum industriosis. Ex dictis

Resol. 1. Puellæ aut juveni in facie aut alibi ex vulnere deturpato resarciendum esse damnum, quod ex illa deformitate patitur in ordine ad contrahendum pinguius Matrimonium.

Resol. 2. Hic nihil facere ad restitutionis obligationem modum occisionis aut vulnerationis, v.g. quòd quis crudeliter, aut proditoriè fuerit necatus, aut vulneratus; quandoquidem modus ille sit merè impertinens ad damnum reale, quod ex morte, aut vulnere sequitur.

Resol. 3 Si homicida capite plectatur, teneri ipsius hæredes satisfacere pro damno secuto hæredibus occisi, quidquid negent aliqui. Ratio est; quia moriendo satisfacit quidem justitiæ vindicativæ, sed commutativæ, quam læsit alterum occidendo. Cæterum sibi ab hæredibus occisi, utpotè nobilibus, aut divitibus, nihil exigatur, nihil videtur restituendum, eo quòd censeantur esse sola morte occisoris contenti. Ubi tamen exigerent, satisfaciendum esset, eo quòd jus habeant.

Resol. 4. Iisdem restitutionibus obnoxium esse occidentem invasorem pecuniæ, honoris, famæ, aut pudicitiæ, eo quòd sit injustus occisor, cùm propter illa, ut dictum est in Decalogo non liceat vitam invasoris auferre, crediderim tamen minuendam esse restitutionem, cùm occisus invadendo fuerit aliqualiter causa suæ mortis. Idem dic de occidente invasorem vitæ, respectu cujus excessit moderamen justæ tutelæ.

Resol. 5. Eum, cui vulneratus ad mortem injuriam sibi illatam simpliciter remittit, non esse exemptum ab onere restitutionis, nisi aliud exprimatur.

Ratio est, quia vulnerans duplicem facit injuriam vulnerato, unam personalem, quæ consistit in contemptu, aut despectu personæ, quæ per dictam remissionem censetur condonari: alteram realem, quæ respicit damna ex vulnere sequentia, & hæc non remittitur, nisi expressa illius mentio fiat.

ARTICULUS II.

Quibus sint restituenda damna realia ex homicidio sequentia? accedunt variæ quæstiunculæ.

TRiplicis generis damna realia sequuntur ex homicidio: alia respiciunt occisum, ut lucrum cessans & damnum emergens: alia ipsius creditores, eo quòd non sint ab illo debita recepturi: alia respiciunt personas, quas alebat occisus.

CONCLUSIO I.

DAmna realia occisum concernentia restituenda sunt ipsius hæredibus, qualescumque sint, idest, sive parentes, sive extranei; sive necessarii, sive voluntarii, sive ab intestato, sive per testamentum constituti. Est contra paucos volentes damna illa tantùm esse restituenda parentibus occisi, filiis, aut uxori; ita ut si occisus careat patre & matre, prolibus & uxore, nihil sit restituendum, etiamsi interfectus habeat fratrem, aut sororem.

Prob. tamen Conclusio; quia secundùm leges, omnis hæres universalis repræsentat personam defuncti, succeditque in omnia illius jura; atqui defuncto, si esset capax in se, deberet homicida illa omnia restituere: ergo id debet illius locum, causam, & personam gerentibus.

Dices 1. Ideò tunc restitutio fieri debet parentibus, filiis, aut uxori; quia pater & filius, maritus & uxor reputantur una persona; ita ut censeatur pater vivere in filio, maritus in uxore, & è contra, sed frater non censetur una persona cum fratre, aut sorore: ergo.

Resp. Neg. Causalem: fieri enim debet illis restitutio damnorum præfatorum, quia quantum ad omnia jura succedunt defuncto.

Inst. Defunctus ante mortem non habebat jus ad illam restitutionem, cùm illius obligatio oriatur ex ejus morte; sed frater aut alius hæres extraneus tantùm succedit in jura fratris viventis, cùm defunctus sit novi juris acquirendi incapax: ergo.

Resp. Vulneratum ad mortem, eo ipso quo vulnus est insanabile, habere jus completum, ut sibi reparetur omne lucrum cessans, cùm ex tunc factus sit incapax ad lucrandum; & ideò posset ante mortem de illo cum vulnerante pacisci: quod signum est juris acquisiti. Quantùm ad damnum emergens, v.g. propter privationem Officii, Beneficii, census vitalitii, major est difficultas, cùm illa non nisi cum vita extinguantur: nihilominus sustineo, etiam ante obitum jus quoddam habere, ut sibi resarciatur: nam cùm ante illum factus sit inchoatè impotens ad præfata; ita & jus saltem inchoatum acquisivit ut sibi repararetur, & certè si ex tunc nullum jus haberet, quomodo posset illud percussori condonare? quod tamen concedunt Adversarii. Prætereà esto ante mortem nullum jus haberet, haberet tamen defunctus, si illius adhuc esset capax; atqui etsi non sit capax in se, est tamen capax in suo hærede, per fictionem juris personam illius repræsentante: ergo.

CONCLUSIO II.

UBi pro solvendis debitis nihil superesset, aut certè nollent illa solvere hæredes, teneretur homicida creditoribus satisfacere, in quantum occisus, si fuisset superstes, satisfecisset laborãdo, negotiando &c. Ita tenent cum Scoto suprà Hiquęus, Mastrius, Molina, Layman, Neesen & alii.

Prob. 1. Qui est causa damni proximo illati, tenetur illud resarcire; atqui occidens debitorem est verè causa damni per hoc creditoribus illati? ergo.

Prob. 2. Ideò tenetur homicida alere famulum (cui occisus ob famulatus salarium tenebatur necessaria ministrare per totam vitam) quia ad id obligabatur ex justitia dominus, sed creditoribus obligabatur ex justitia occisus: ergo similiter obligatur illius occisor.

Prob. 3. Qui hypothecam destruit, tenetur de damno creditori: ergo à fortiori qui occidit debitorem, qui est quodammodo hypotheca vivens.

Obji. 1. In foro externo non datur actio creditoribus contrà occisorem: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non datur actio immediata, C. quia prius actione debent hęredes, qui supponuntur pretium lucri cessantis recepisse. Non datur mediata, & casu quo solutio denegetur ab hæredibus, N.

Obji. 2. Hæredes succedunt loco defuncti: ergo ab illis, & non ab occisore, solvendi sunt creditores.

Resp. Totum esse verum, ubi hæredes solvere volunt, ubi autem hi deficiunt, supplere debet occisor, cùm sit verè in causa, cur tunc creditores non recipiant, quod fuissent à domino percepturi.

CONCLUSIO III.

NOn solùm tenetur homicida alere parentes, filios & uxorem occisi, si sint pauperes, sed etiam tenetur alios, qui per occisum sustentabantur, ita ut his & illis tantùm sustentationis conferat, quantum per necem abstulit.

Prob. 1. Pars, quæ communis est, & certa, quia parentes & liberi, maritus & uxor censentur moraliter una persona, & consequenter læso patre, aut marito, censetur læsus filius, aut uxor in iis, quæ per sui partem acquirebat. Non essent tamen alendi pueri (idem dic de parentibus & uxore) si tanquàm hæredes recepissent pretium laboris separati, per quem debuissent ab occiso sustentari, cùm tunc non sint ulterius damnificati.

Prob. 2. Pars, quam expressè sustinet Scotus loco citato Num. 6. cui etiam adhærent Faber, Navarrus, Mastrius, Vasquez, Caspensis, Neesen & alii. Prob. inquam, illa pars, 1. ex cap. finali. *De injuriis & damno*, ubi legitur: *Si tua culpa datum est damnum, vel injuria irrogata .... jure super his præfatis satisfacere oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere*, atqui homicida verè fecit injuriam iis, quos sustentabat occisus, cùm per vim impedierit eorum sustentationem: ergo.

Prob. 2. Quia licèt hi non haberent jus ad alimentum sibi ab occiso præstandum, habebant tamen Jus ne per violentiam impedirentur à consecutione boni sibi conferendi, sicque veram injuriam passi sunt, quàm ideò tenetur reparare occisor, ut de impediente consecutionem boni in genere latè probavimus suprà.

Dices 1. Non advertit homicida ad eos, quibus benefaciebat occisus: ergo non fecit ipsis injuriam.

R. Debuisse advertere: cùm actio illum per seipsam moneret de omnibus damnis ex ea evenire natis. Prætereà etsi non advertisset ad eos, quos alere tenebatur ex justitia interfectus, ipsis tamen fecisset injuriam: ergo hic similiter.

Dices 2. Ut censeatur fecisse injuriam præfatis, debet occidisse ex animo impediendi eleemosynas interfecti.

Resp. Neg. ant. Quia occisio illa, etiam sine animo nocendi, est ipsis injuriosa; cùm sit realiter impeditiva per vim boni obtinendi: imò non est in potestate occidentis, ut non sit ipsis injuriosa; quandoquidem velit, nolit, lædantur in suo jure, eo ipso quo injustè eorum benefactor occiditur.

Petes: An, si vulneratus condonasset percussori ante mortem omne damnum reale præteritum præsens & futurum, esset hic à restitutione liber.

R. Affirmativè: sicut enim poterat percussus percutienti alia jura cedere, ità & illa; & consequenter onus restituendi extinguere. Limita tamen nisi vulneratus aliquos relinqueret, quos teneretur alere ex justitia, cùm non possit eorum jus abolere; imò etsi fortè respectu parentum, liberorum aut uxoris, non sit remissio illa invalida, est tamen inofficiosa, & pietati graviter contraria, ubi sunt indigentes.

Petes 2. An ubi duo sese provocant ad pugnam, aut quando unus provocat alterum acceptantem, eximatur occisor à restitutione.

R. Communiùs & probabiliùs affirmativè; quia tunc censeatur implicitè damna ex alterutrius morte secutura condonari. Cujus ratio ulterior est, quòd homicidium illud sit quidem injustum respectu Dei, & Reipublicæ; non tamen respectu occisi juri suo cedentis.

Petes 3. An, qui obtinuit à supremo Principe homicidii patrati remissionem, adhuc teneatur de damno hæredibus secuto?

R. Affir. Quia præcisè intendit Princeps injuriam Reipublicæ factam condonare, unde ultra damna tenetur etiam tunc occisor à parentibus occisi veniam postulare.

Petes 4. Ad quid teneatur occisor hominis jamjam morte naturali morituri, aut à judice justè occidendi.

R. Non teneri ad ullum damnum reale, cùm nullam in talibus circunstantiis ex ejus occisione censeatur sequi; teneretur tamen, si prævenisset occisionem injustè inferendam; quia qui prævenit damnificationem, prævenit & restituendi obligationem.

QUÆSTIO VIII.

De obligatione Restitutionis ratione Adulterii.

Hanc materiam tractat Scotus 4. Dist. 15. q. 2. in solutione ad 7. Sed ante resolutionem

Suppono 1. ex adulterio, ex quo non sequitur fœtus, ad nihil teneri adulterantes: non quidem ad damnum temporale reparandum, cùm nullum sequatur: non etiam ad resarciendam injuriam marito factam; cùm supponatur factum ignorare; satisfactio autem injuriæ fiat, ut animus exacerbatus pacificetur; si tamen factum novisset, teneretur tum adulter, tum adultera per veniæ petitionem &c. injuriato satisfacere.

Suppono 2. ex sententia communi, ubi ex Adulterio nascitur proles, nullam pro injuria adulteræ marito facta dandam esse satisfactionem pecuniariam, etiamsi illa exigat. Ratio est: tum quia conventio illa jure interdicta est, ne maritus videatur suæ uxoris lenocinium facere. *L. Transigere* 18. Cod. *De Transactionibus*, & alibi; tum etiam quia Confessarii nunquam sunt de illa satisfactione declaranda solliciti; tum etiam quia talis injuria non est pretio compensabilis, sed veniæ petitione, aut honoris reparatione, si læsus est: unde si maritus pecuniam tanquam pretium pro injuria recipit, tenetur restituere. Aliud esset, si ex liberalitate accepisset, ut sic faciliùs injuriam oblivisceretur. Hic de solo damno temporali ac adultero, & adulter à ratione prolis secutæ reparando agitur.

ARTICULUS I.

Ad quid teneatur Adulter?

Cum possit dubitari, an proles aliqua nata sit ex adulterio, an ex Matrimonio; ideò resolvendum est, ad quid teneatur adulter dubitans, an proles sit sua, necne; deinde ad quid, dum constat esse ipsius. Porrò poterit esse dubius, si tempore conceptionis cohabitavit maritus cum uxore, si mulier asserens esse ipsius, non sit ità probæ fidei, si alium deceperit, si sit pecuniarum ità avida, ut pro illis obtinendis facilè concedat corporis usuram. Debebit autem esse certus, si tempore conceptionis aberat maritus, si graviter ægrotabat, si ad usum Matrimonium erat impotens, si mulier, aliàs honesta, & probæ fidei, id asserat, præsertim cum juramento.

CONCLUSIO I.

Quando dubitat adulter, an proles sit sua, necne, debet proportionatè ad dubium suum alimenta præbere, & damna resarcire. Est quidem minùs communis, sed longè probabilior, & absolutè tenenda cum de Cocq, Neesen, & aliis.

Prob 1. Quia si tùc adulter ad nihil teneretur, nulli esset obligatio spurium alendi: non quidem adultero, ut supponitur: non etiam marito adulteræ; nam si hic valeat illud axioma, per quod adulterum liberant Adversarii, *in dubio melior est conditio possidentis:* à fortiori valet illud: *in dubio melior est conditio innocentis, quàm nocentis*; atqui maritus est innocens, & adulter nocens: ergo. Non denique ipsi adulteræ, cùm non minùs possit ipsa præfato axiomate se protegere, quàm adulter.

Prob. 2. Quia non admittitur illud axioma, nisi quando dat præsumptionem de rei veritate, atqui hic nullam dat prorsus præsumptionem, quòd proles sit potiùs ex Matrimonio, quàm ex adulterio: ergo.

Prob. 3. Ubi constat de delicto, potiùs favendum est innocenti, quàm reo; sed hic constat de adulterio: ergo non est cur gravetur maritus præ adultero.

Prob 4. Tam probabile est prolem esse adulterinam, quàm sit probabile non esse: ergo tam probabile est debere restituere, quàm sit probabile non debere; & consequenter facienda est divisio.

Prob. 5 Quando duo cum eadem mœchati sunt, & dubitatur cujus sit proles, singuli tenentur pro rata: ergo hic similiter, cùm non debeat innocens pejoris esse conditionis, quàm nocens.

Dices 1. Non debet quis spoliari re sua, nisi constet de obligatione contracta.

R. Dist. assumptum: Non debet spoliari re sua, idest, non debet tantùm restituere dubitans de obligatione, ac certus de illa, C idest, nihil debet restituere, saltem in hoc casu, N & certè mirum esset, quòd in casu dubii ad nihil teneretur nocens, & ad omnia innocens.

Dices 2. Filius in dubio potest se reputare legitimum, donec probetur spurius: ergo similiter potest adulter credere prolem non esse suam, donec sua probetur.

R. Cùm hoc concedatur filio propter ejus innocentiam, potiùs inde sequi prolem non esse ad adjudicandam marito, sed adultero, cùm hic sit reus, alter innocens.

Dices 3. Possessio stat pro Matrimonio; ergo..

R. Dist. ant. Stat pro Matrimonio, quando præsumptio est, quòd filius sit potiùs legitimus quàm spurius, C. aliàs, N. Ex dictis

Resol. Adultero esse contribuendum pro alimentis, & damnis juxta majoritatem, aut minoritatem verisimilitudinis, quòd proles sit ipsius.

CONCLUSIO II.

Ubi adulter cognoscit prolem esse suam; aut saltem non habet justam rationem dubitandi, providere debet alimenta spurio à tertio ætatis anno exclusivè usque dum possit sibi necessaria procurare; ità ut teneatur illa marito adulteræ restituere, si permiserit spurium ab eodem sustentari: hac de re nemo dubitat; sed controversia est, an teneatur resarcire damna, quæ marito & filiis legitimis evenerunt, si ulteriùs nutriatur ex bonis aut laboribus patris putativi, si cum legitimis hæreditatem dividat, si ipsi, quia creditur legitimus, relinquantur certa legata, successiones &c. Affirmant communiter Doctores, si sit causa suppositionis, seu consuluerit adulteræ, ut prolem adulterinam marito affingeret, tanquam suam; quia tunc fuit verè causa damni non minùs ac mulier, & ideò debet omnia damna æqualiter cum adultera dividere, &, uno deficiente, tenetur alter in solidum; imò si adulter minis, aut precibus valdè importunis corrupisset mulierem, teneretur primus in solidum, eo quòd damni secuti fuisset causa principalior. Ubi tamen hic deficeret, obligaretur adultera, cùm equidem per actionem injustam in damnum influxerit.

Major tamen restat difficultas, an quando mulier, nec suadente, nec procurante adultero, imò positivè dissuadente, filium tanquam legitimum supponit, teneatur ipsa sola de damno secuto? an etiam adulter cum ipsa? Affirmant aliqui, negant alii; sed videtur distinctione utendum; vel enim potuit mulier sine infamia, & sine familiæ turbatione prolem separare, vel non; si primum, tenetur sola, si adulter nihil omisit ut suppositionem impediret; quia sola fuit causa damni: dicitur quidem, quod qui est causa causæ, sit etiam causa causati; sed hoc intelligendum est ubi, posita causa; non est evitabile

cau-

causatum, ut hic esse supponitur: si secundum, tenetur uterque; quia licèt non fuerit adulter causa immediata suppositionis, fuit tamen mediata, in quantum vidit, aut videre debuit adulterando, quòd si mulier non posset sine dedecore spurium à legitimis separare, teneretur illam supponere; & quia sic ordinariè accidit, ideò etiam ordinariè ad medietatem damnorum obligatur adulter.

Petes: Quid dicendum de illis, qui proles exponunt?

R. Si habeant unde illas nutriant, teneri expensas pro sustentatione factas, Civitati, aut hospitali restituere: quod etiam verum est, licèt ad evitandam infamiam, aut notam id fecerint, quia illa hospitalia ad hujusmodi proles nutriendas erecta sunt tantùm (nisi aliud constet) in subsidium pauperum; & ideò cùm injustè defraudent eleemosynas pauperibus assignatas, tenentur illas resarcire. Nec refert, quòd tantùm ex pietate debeant proles alere; quia etsi fortè injustitiam non committant illas non alendo, committunt tamen exponendo, cùm sint veræ causæ cur expensis alienis nutriantur.

ARTICULUS II.

Ad quid teneatur adultera?

SUppono teneri adulteram procurare alimenta spurio ad tertium ætatis annum completum; imò, deficiente adultero, donec possit illa sibi providere spurius. Tenetur insuper ad medietatem damnorum ex suppositione sequentium, & ad totum in defectu adulteri. Hæc omnia patent ex dictis. Hic restat examinandum, an teneatur, quando filium supponit, crimen suum prodere, & supposito quòd non debeat, quomodo possit legitimos indemnizare.

CONCLUSIO I

UBi mulier honesta non habet ex propriis unde indemnizet legitimos ex suppositione damnificandos, non tenetur crimen suum prodere. Dico: *mulier honesta*; Quia si jam ob tale crimen malè audiat, aut sit vilis admodum conditionis, ità ut ejus fama parvi pendatur, aliter loquendum est, saltem ubi damnum foret notabile.

Prob. 1. Concl. Quam cum D. Thoma, D. Antonino & communiori sententia docet Scotus suprà, volens nec post mariti obitum, nec in articulo mortis, nec per Confessarium ad id teneri. Probatur, inquam, conclusio verbis ipsiusmet Scoti; quia sic faciendo, idest, se prodendo, *& mulier se diffamat, & exponit se periculo mortis & maritum periculo uxoricidii, quia talis posset zelator, ut sunt multi, quod illam occideret, vel perpetuò haberet odio & à se, & ab actu conjugis expelleret: ad ista mala diffamationis, mortis, vel saltem odii, vel discordiæ, quæ sunt valdè probabilia, & videntur, ut in pluribus, eventura, non debes se mulier exponere propter incertum bonum hæreditatis restituendæ*. Hæc ille.

Prob. 2. Tum quia bona inferioris ordinis non sunt restituenda cum detrimento bonorum ordinis superioris; tum quia maximè periculosum est, ut ipsi Fides non adhibeatur & indè jurgia, & lites nunquàm finiendæ suboriantur. Undè nec crimen suum aperire debet ipsimet spurio; *quia*, addit Scotus, *aut filius credet matri, aut non, si credet, non est probabile, quòd propter hoc velit hæreditatem dimittere, quia pauci inveniuntur ita perfecti, ut propter justitiam servandam in foro Dei dimittant magnas possessiones, quas possunt tenere jure exteriori: si verò* (Filius) *non crederet; tunc essent duo mala; quia & ipsa esset diffamata, & ipse teneret hæreditatem, ut prius*. Ubi tamen mater probæ fidei & conscientiæ rectæ id assereret cum juramento, præsertim in articulo mortis, non video, cur non deberet ipsi credere filius. Dicitur quidem turpitudinem suam alleganti non esse fidem adhibendam, sed quando prudenter dubitari potest, quòd sit personatum acceptrix, aut ex odio, vel passione procedat.

Petes: An prudenter ageret mater, quæ famæ suæ cedens diceret omnibus prolibus ad se convocatis: una vestrum non est legitima, vultis nominem, vel innominata participet cum aliis hæreditati?

Resp. Negativè (quidquid legatur aliquando factum) nam cùm secundùm omnem apparentiam, nollent proles sibi timentes spurium declarari, metuendum esset ne aliquis legitimorum propter certas circunstantias, in solis dispositionem, particularia faciei lineamenta &c. crederetur illegitimus cum periculo inimicitiæ, odii, discordiarum, imò & homicidiorum.

CONCLUSIO II.

UBi mulier adultera crimen suum non detegit, tenetur modis omnibus allaborare, ne hæredes legitimi ex suppositione illegitimi graventur: undè ipsi inspirare debet si possit, salva violentia, & metu reverentiali, ut Religionem ingrediatur, vel statum Clericalem amplectatur, sitque contentus proventibus Canonicatus, vel alterius Beneficii, quod ipsi per amicos conabitur procurare, quòd si hoc persuadere non valeat, tenebitur sumptus moderari, bona paraphernalia legitimis relinquere, eleemosynas ordinarias spurio nutriendo applicare, plùs solito laborare, illegitimum laboribus etiam extraordinariis destinare, legitimorum hæreditatem per se vel per alios meliorare: ubi autem præfata moraliter impossibilia essent adulteræ, sufficeret ei Deo restituere, idest, de crimine, & damno dato pœnitere, cum voluntate tamen legitimis satisfaciendi, si opportunitas occurreret. Advertendum tamen, resolutiones nostras non habere locum, ubi ex prolis suppositione imminere grave nocumentum Reipublicæ aut boni communi, v. g. quia spurius loco legitimi succederet in Principatu supremo, timeretur autem ne spurius, ratione indolis pessimæ & morum perversorum, vitiis aut hæresi Regnum vel Rempublicam inficeret: tunc enim deberet mater cum periculo infamiæ, imò & vitæ, rem per se vel per alium prudentem spurio declarare, eo quòd bonum commune prævaleat privato.

QUÆSTIO IX.

Ad quid teneatur stuprator Virginis? Accedunt variæ quæstiunculæ.

CONCLUSIO UNICA.

VIolentus Virginis deflorator ad nihil tenetur pro damno temporali, tenetur tamen pro damno pecuniario.

Prob. 1. pars; quia damnum temporale est ipsiusmet integritatis virginalis violatio, quæ cum non sit pretio æstimabilis; ita nec est pretio compensanda.

Prob. 2. pars; quia per damnum pecuniarium intelligimus detrimentum illud, quod patitur puella in ordine ad Matrimonium; atqui stuprator est verè causa istius damni: ergo tenetur illud resarcire, vel ipsam ducendo, vel certè taliter dotando, ut indè nihil patiatur in ordine ad status susceptionem. Imò si accedat promisso Matrimonii vera, aut taliter ficta, ut rationabiliter credatur esse vera, tenetur absolutè eam ducere.

Ratio est; quia tunc in promissione vera intercedit contractus onerosus, qui exigit, ut uno contrahentium quod suum est, adimplente, alter etiam partem suam adimplere teneatur: ex promissione autem taliter ficta eadem oritur obligatio, licèt contractus, in conscientia sit nullus, quia in omnibus contractibus, in quibus stipulatur: *facio ut facias, do ut des*, uno implente, debet alter implere, licèt fictè contraxerit. Cujus ratio ulterior est, quòd contrahens tempore contractus debeat habere animum se obligandi, adeòque implendi, ne decipiat: ergo & nunc tenetur adimplere, ne etiam decipiat.

Dixi: *Vel taliter ficta, ut rationabiliter credatur vera*; quia ubi virgo potuit, ac debuit advertere promissionem esse fictam, v.g. quia promittens vir est magnæ nobilitatis, ipsa infimæ sortis, ille valde dives, hæc valdè pauper; ille urbis Rector, hæc ancilla, aut plebeia &c. aut etiam, qui sermone ambiguo utebatur, non censetur decepta. Et ideò sufficiet viro, si illam juxtà damnirationem dotaverit: si tamen puella conditionis disparitatem ignoraverit, aut illam scienti verè promiserit stuprator, manet obligatus.

Excipiuntur hic varii casus, ubi stuprator Matrimonium promittens non tenetur puellam ducere. 1. Si stuprata alteri se prostituerit. 2. Si dicenti se Virginem Matrimonium promisit, ut illa frueretur, deprehendit autem esse corruptam: & his casibus ad nihil tenetur deflorator, quia puella viro illusit 3. Quando stuprator aliam duxit, aut ad stupratam ducendam impedimentum habet indispensabile. 4. Dum ex illo connubio juste apprehenduntur gravia mala, ut homicidia, familiarum discordiæ, exhæredationes &c. unde hoc & præcedenti casu sufficit puellam dotare. 5. Si deflorata alteri æquè commodè nupsit: si tamen maritus corruptionem deprehendens ipsam expellat, aut indignè tractet, tenetur stuprator damnum refundere 6. Si puella deflorantis connubium recuset.

Petes 1. An qui stupravit virginem sine promissione Matrimonii, teneatur ipsam dotare, si ipsa stupratori volenti nolit nubere.

Resp. Affirm. quia vel dotem, vel Matrimonium potest eli-

gere: & certè non eſt juſtom, ut puella indemnitatem ſuam ſervatura cogatur ſemper vivere cum perſona ſibi ingrata & odioſa.

Petes. 2. An ille, qui extorſit copulam per promiſſionem Matrimonii, ſimulans ſe nobilem, aut prædivitem, cùm tamen ſit minoris condirionis, quàm puella, teneatur illi nuptias recuſanti damnum reparare.

Reſp. Affir. quia eſt verè cauſa illius; quandoquidem, ipſo non fingente, nunquam in copulam conſenſiſſet virgo. Matrimonium aotem oblatum non eſt damno reſarciendo ſufficiens, cùm aliàs fuiſſet pinguius, aut nobilius habitura.

Petes 3. Ad quid teneatur qui violenter oppreſſit corruptam, quæ communiter habebatur virgo?

R. Ad nihil teneri, ſi res maneat occulta, cùm inde puella nullum paſſa ſit detrimentum; ſi autem fiat publica, tenetur reparare juxtà damnum quod ipſa patitur in nuptiis.

Petes 4. An qui corrupit occultè virginem conſentientem, non teneatur ad aliqoid, ſi ſua jactantia, aut garrulitate ipſam diffamavit? De reparatione famæ res certa eſt, cùm non obſtante illa actione adhuc retineret jus ad famam. De reparatione damoi pecuniarii hìc quærıtur?

Reſp. Affirm. quia detrahendo fuit caoſa moralis detrimenti, quod obvenit puellæ in ordine ad ſtatus ſuſceptionem. Imò idem dicendum eſt, etiamſi conſentiens ſit corrupta, ſi virgo habebatur opinione vulgari.

Petes 5. An qui obtinuit copulam ob promiſſionem Matrimonii, teneatur defloratam dotare, ſi parentes nuptiis repugnent; ipſa verò conſenriat?

Reſp. Neg Quia tantùm promiſit Matrimonium, quod paratus eſt adimplere, & ideò ſi damnum patiatur puella, imputet parentibus.

Petes 6. An qui virginem non quidem violavit, ſed id fecit, unde violata creditur, ſit obnoxius reſtitutioni?

Reſp. Affirm Si virgo in illud non conſenſerit. Ratio eſt; quia per illud fuit verè cauſa damni ſecuti.

Petes 7. An deflorator violentus ad nihil teneatnr parentibus defloratæ?

Reſp. Non teneri quidem ad pecuniam, ſed teneri ad reparationem famæ, vel veniam petendo, vel ſigna honoris exhibendo, niſi fortè remittant. Hoc ſequitur ex principiis communibus.

QUÆSTIO X.

De reparatione famæ?

FAmam injuſtè ablatam eſſe ad æqualitatem, quantum fieri poteſt, reparandam, communis eſt Doctorum opinio, ſed Qui reſtituere debeant; Quibus, Quantum, Quomodo & Quando? Oritur difficultas ſequentibus articulis enodanda.

ARTICULUS I.

Quinam ſint obnoxii famæ reparandæ?

CONCLUSIO I.

OMnis & ſolus ille tenetur ex Juſtitia famam ablatam reſtituere, qui illam per iojuſtitiam abſtulit phyſicè, aut moraliter.

Dico: *Tenetur ex Juſtitia;* quia nonnunquam ad id obligamur ex charitate, licèt famæ ablatio nullatenus ſit nobis imputabilis.

Prob. Concl. Quia ſicut obligatio famæ reparandæ ſupponit famam læſam, ita & ſupponit ab omnibus & ſolis, à quibus læſa eſt, eſſe reparandam, cùm illi, & non alii, circa illam commiſerint injuſtiriam. Hinc

Reſol. 1. Judices, accuſatores, teſtes, ſicut & ad juſtam ſui defenſionem alterius crimen detegentes non teneri famam reſarcire, ſi juſta de cauſa, & ſervato Juris ordine alterum infamaverint: cùm per hoc Juſtitiam, non injuſtitiam, exercuerint.

Reſol. 2. Nec eſſe obnoxium reſtitutioni, qui ex odio, aut vindicta, publicum alterius crimen neſcientibus propalavit; quia licèt charitatem violaverit, non tamen Juſtitiam.

Reſol. 3. Quòd etſi debeant hæredes damna realia ex detractione defuncti ſequentia reparare, eo quòd onus illud afficiat hæreditatem, non teneanrur tamen diffamati famam reſtituere; quia obligatio illa eſt perſonalis, afficitque ſolum detractorem.

Reſol. 4. Obligatos eſſe ad famæ reparationem non tantùm illos, qui phyſicè detrahunt, ſed etiam qui ad detractionem moraliter concurrunt mandando, conſulendo, adulando &c. idque juxta ordinem anteà præſcriptum de cooperaotibus ad damnificationem in fortunæ bonis.

Reſol. 5. Non teneri ad reſtitutionem auditores detractoris, per hoc præciſè quòd audiant, ſi indè nullatenus accendatur detractor ad diffamandum, quia tamen non raro, etiam per ſolam auditionem ſtimulantur detractores, vel ad continuandum, vel ad ulterius derrahendum, non raro etiam obligantur audientes, deficientibus detractoribus, ad famæ reſtitutionem.

CONCLUSIO II.

QUi alterius famam læſit ſine peccato, v. g. quia ex inadvertentia omnimoda unum nominavit pro alio; quia auditores alium intellexerunt; quia crimen putabat ſincerè publicum, & erat ſecretum &c. tenetur ex Juſtitia reſtituere, ubi advertit ſe famam alienam abſtuliſſe, & commodè poteſt id præſtare.

Ratio eſt, quia etſi ille famam alterius non injuſtè formaliter abſtulerit, ita tamen cenſeretur illam auferre, niſi dictum ſuum retractaret; ergo. Prob. Ant. Quia qui rem alienam detinet, invito Domino, cenſetur illam injuſtè accipere; atqui in noſtro caſu detractor materialis detinet alterius famam, invito Domino, in quantum malam opinionem in aliorum animis dicto ſuo cauſatam relinqnit: ergo.

Confirm. 1. Non ſolùm prohibet Juſtitia ne damnum proximo inferamus, ſed etiam ne ex actione noſtra damnum ipſi obveniat; ſed ubi in noſtro caſu non fieret famæ reparario, ſequeretur ex actione noſtra damnum proximo: ergo. Min. certa eſt. Prob. Maj. quia ſi quis ex inadvertentia incendiſſet domum alterius, teneretur ex Juſtitia ignem extinguere, ſi poſſet: ergo ſimiliter.

Confirm. 2. Qui videt ſe dicto ſuo cauſam eſſe, cur infametur proximus, renetur ex Juſtitia dictum ſuum retractare, ſed in noſtro caſu videt dicto ſuo proximum eſſe infamatum: ergo.

Dices 1. Ille nullam injuſtitiam commiſit: ergo non eſt obnoxius reſtitutioni.

Reſp. Diſt. Ant. Nullam injuſtitiam commiſit ab initio, C. nullam injuſtitiam committeret, ſi non impediret, qoominus dictum ſuum ulterius proximo noceret, N.

Inſt. Non inducit onus reſtitutionis injuſtitia committenda ſed commiſſa.

Reſp. Hoc eſſe verum, ubi non eſt alter titulus, hic aurem intervenit res, ſeu fama accepta, quam cenſeris detinere, quamdiu relinquis in audientium animis pravam opinionem dicto tuo cauſatam.

Repl. Ergo Petrus ſciens Paulum fuiſſe à Joanne injuſtè denigratum, renetur ex Juſtitia Pauli famam reparare. Prob. conſeq Quia niſi faciat, relinquit apud audientes malam opinionem de Paulo.

Reſp. Neg. Conſeq. Ad Prob. dico, non cenſeri tunc Petrum famam Pauli detinere, eo quod non ipſe, ſicut in noſtro caſu, ſed alter ipſum infamaverit; unde tantùm tenetur ex charitate.

Dices 2. Non tenetur ille damna realia inde ſequentia reparare: ergo nec famam.

Reſp. Diſt. Ant. Damna realia, quæ acciderunt poſtquam novit ſe famam proximi læſiſſe, & illius reparationem neglexit; N. quæ acciderunt antea, C.

CONCLUSIO III.

SUperior non impediens ſubditum detrahentem de Communitate, vel de altero ſive ſubdito, ſive non tenetur, deficiente detractore, famam reparare, ſecus, per ſe loquendo, ſi non impediat extraneum de ſubdito ſuo detrahentem.

Prob. 1. Pars; quia ex officio incumbit Superiori efficere, ut Communitatis ſuæ fama integra perſeveret, & ne ſubditi ſui aliorum famam lacerent: ergo ſi in uno vel altero deficiat, committit injuſtitiam obnoxiam reſtitutioni, ubi tamen inferior, abſente ſuperiore, detraxiſſet, non teneretur hic in illius defectu reſtituere; ſi ſubditum, quantum opus eſt, ad reſtitutionem compellat. Cujus ratio eſt, quòd Superior, utpote abſens, nullatenus dici poſſit cauſa famæ læſæ.

Dixi: *Si ſubditum ad reſtitutionem compellat;* quia ſicut tenetur ex officio ſubditum impedire, ne famam alterius auferat; ita ex officio curare, ne ſubditus famam iojuſtè ablatam quodammodo detineat: ita ut in hoc deficiens debeat loco ſubditi reſtituere.

Prob. 2. Pars; quia etſi Prelatus ratione officii ſuſceperit onus procurandæ ſalutis ſubdito, non tamen protegendę illius famę.

Dixi in Concl. *Per ſe loquendo;* quia quando infamia ſubditi talis

talis esset, ut graviter in Communitatem redundaret, teneretur ex justitia illam impedire, sicut & quando fama esset quasi frænum subdito, ut christianè viveret. Hæ resolutiones afficiunt Episcopos respectu Diœcesanorum, Prælatos Regulares respectu suorum, parentes respectu filiorum, heros respectu famulorum, curatores respectu minorum, imò & Magistratus respectu civium, saltem quoad diffamationes per libellos famosos: illos enim tenetur ex officio impedire, imò & libellorum authores graviter punire.

Dico: *Saltem per libellos famosos*; quia Magistratus, quantùm ad alias detractiones, tenentur quidem parti læsæ satisfactionem postulanti concedere, si dictum non probaverit diffamator; ex usu tamen non obligantur, parte læsa tacente, ad restitutionem cogere, sicut nec quando detractor dictum suum probavit, licèt hic in foro conscientiæ non sit propterea à peccato, & restitutionis onere immunis.

ARTICULUS II.

Cui, & apud quos fama sit reparanda?

CONCLUSIO I.

NOn tenetur famæ suæ dissipator illam sibi reparari curare, nisi certè esset persona publica, aut ejus infamia in alios redundaret.

Ratio est; quia non minus est homo famæ suæ dominus, ac bonorum fortunæ, atqui dissipans propria fortunæ bona, vel sciens esse sibi ab alio erepta, non tenetur illa repetere: ergo nec advertens à se, vel ab alio famam suam esse dissipatam, tenetur illius reparationem procurare.

Dixi in Concl. *Nisi esset persona publica*; illa enim, sicut & superior, obligatur ex justitia famæ sibi ereptæ reparationem quærere. Ratio est; quia tenetur ex officio, adeoque ex justitia bonum publicum promovere; atqui impossibile est moraliter, ut infamatus bonum illud promoveat, cùm nihil magis ad virtutem stimulet inferiores, quàm bona fama Superioris, nihil magis retrahat, quàm ejusdem infamia: ergo tenetur famam tanquam medium ad boni publici promotionem necessariam sibi procurare. Accedit, quòd nihil magis minuat Superioris authoritatem, nihilque magis augeat inferiorum rebellionem, & contemptum, quàm prava de Superiore opinio.

Addidi: *Aut ejus infamia in alios &c.* nam si infamia patris redundet in filios, Prælati in subditos, subditi in Communitatem, non potest famæ suæ jacturam permittere. Ratio est; quia licèt homo sit dominus famæ suæ, non tamen alienæ, atqui tunc prodigendo famam suam, prodigit & alienam: ergo. Hinc

Resol. Non posse Prælatum, aut subditum Regularem, sicut nec patremfamilias, injuriam famæ suæ irrogatam condonare, ubi condonatio esset injuriosa Communitati, aut familiæ. Et idem est de persona publica.

CONCLUSIO II.

REparanda est fama tam defuncto, quàm vivo.

Ratio est; quia etiam defunctus retinet Jus ad famam, cùm illa etiam diu post mortem reddat hominem gloriosum, celebrem, memorabilem &c. Unde est illud Eccli. 41. *Bonum nomen permanebit in ævum*; imò si, infamato defuncto, infamarentur propterea ipsius hæredes, fratres &c. ipsis quoque restitutio facienda esset.

CONCLUSIO III.

TEnetur detractor famam reparare, non solùm apud auditores immediatos, sed etiam mediatos, idest apud illos, quibus primi audientes factum divulgaverunt, si prævidit, aut prævidere debuit dictum suum ulterius evulgandum; tenetur autem prævidisse, aut debuit prævidere, quando sciebat, dubitabat, aut suspicabatur audientes esse garrulos, aut non ita secretos, injuriato inimicos &c. Item quando primi audientes tot erant ut crimen ipsis manifestatum, posset dici publicum: tunc enim solet sine scrupulo divulgari, saltem ubi creditur verum.

Ratio conclusionis est, quòd tunc non solùm prima criminis revelatio, sed etiam inde sequens divulgatio sit ipsi imputabilis, cùm hanc explicitè, aut implicitè voluerit: unde in defectu illorum, qui factum ulteriùs sparserunt, ipsi incumbit ex justitia integram reparationem procurare, sive per Concionatorem, sive per Chartas publicas id exequi teneatur cum magno sui dedecore; & inde patet, quàm sit difficilis famæ reparatio, quæ ità facilè solet lacerari.

Henno Tomus II.

Dices 1. Praxis Confessariorum est, solùm apud auditores immediatos retractationem imponere pœnitentibus: ergo.

R. Prudentes Confessarios talem retractationem imponere, qualis necessaria est ad integram famæ restitutionem; & consequenter ubi deficiunt auditores, imponere debet primo detractori, ut suppleat, cùm detrahendo illud onus sibi imposuerit.

Dices 2. Eo ipso quo quis se retractat apud auditores immediatos, implicitè monet ipsos, quòd, si apud alios factum propalaverint, teneantur similiter se retractare; ergo satisfacit suæ obligationi.

R. Ant. esse verum, sed conseq. falsum, si auditores moniti retractationem negligant: unde sicut consuleus alteri incendium, non satisfacit suæ obligationi monens executorem de restitutione facienda, si hic deficiat: ità nec in nostro casu.

Dices 3. Impossibilis est apud omnes restitutio, cùm non possint omnes deprehendi, apud quos volavit infamatio.

R. Etsi nemo teneatur ad impossibile, tenetur tamen quilibet efficere, quantum in se est, ut nocumentum proximo illatum resarciat; & consequenter si non possit resarcire, singulos auditores inquirendo, tenetur retractationem publicam adhibendo.

ARTICULUS III.

Quantum, & quomodo sit restituendum ratione famæ ablatæ?

CONCLUSIO I.

QUi alium infamavit, sive falsum imponendo, sive verum occultum manifestando, tenetur omnia damna inde sequentia resarcire. Est contra Soto volentem omnia quidem esse reparanda ab eo, qui falsum imposuit, sed tantùm partem ab eo, qui verum detexit, eo quòd tunc damnum, ut ait, non proveniat à sola detractione, sed etiam ab eo qui crimen patravit: additque minus esse, crimen verum aperire; quàm falsum alicui affingere; nihilominùs

Prob. universaliter conclusio; quia imponens alteri falsum crimen, aut manifestans alterius crimen verum, sed occultum, facit ipsi injuriam. Primum patet, secundum prob. quia per crimen occultè patratum nullatenus perdidit jus ad famam: ergo tenetur omnia damna ex tali injuria sequentia reparare.

Confirm. 1. Ideò imponens falsum crimen, tenetur omnia damna resarcire, quia est causa totalis illorum; atqui detegens verum crimen, est etiam illorum causa totalis, cùm non criminis patratio, sed ejusdem manifestatio damnum causaverit: ergo

Confirm. 2. Quia crimen occultè commissum, est quasi non esset in ordine ad causandum damnum: ergo non illud, sed ipsius cognitio est causa damni. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui per detractiones, aut contumelias causa est, cur juvenis, aut puella perdat pingue Matrimonium, Clericus dignitatem, aut Beneficium, Doctor Magistralem Cathedram, Laicus officium, aut Magistraturam: cur Advocatus non habeat lites defendendas, Medicus infirmos curandos, mercator emptores, eleemosynas Ecclesia, aut Monasterium legata &c. omnibus damnis reparandis esse obnoxium. Hæc vera sunt, & necessariò observanda, sed raró practicata.

Resol. 2. Si injustè aperis marito uxoris adulterium, & ille adulterum occidat, te obligari omnia damna ex morte adulteri sequentia restituere.

CONCLUSIO II.

UBi non potes famam proximi læsam reparare, non teneris eam pecunia redimere. Est communior.

Ratio est; quia bonum superioris ordinis non potest compensari per bonum ordinis inferioris, quantumcunque sit; unde licèt pro fama viri honesti 100. millia aureorum dares, equidem insufficienter dares, eo quòd superet omnem pecuniæ valorem; & ideò cùm nullo pretio sit commensurata, nullo pretio est redimenda.

Dices 1. D. Th. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. ait: *Si non possit* detractor *famam restituere, debet ei aliter compensare*. ergo.

R. Debere aliter compensare per bona ejusdem, aut superioris ordinis, v. g. Infamatum laudando, extollendo, de ipso honorificè loquendo, signa honoris exhibendo, pro ipso orando; non tamen per bona inferioris ordinis, propter rationes datas.

Repl. Doctor loquens pauló ante de reparatione membri ablati, quod est etiam bonum superioris ordinis, dicit esse faciendam in pecunia vel in honore: ergo similiter reparatio

famæ, quæ non potest fieri retractatione, aut honore, fieri debet pecunia.

R. Reparationem membri abscissi, sicut & famæ læsæ, fieri debere pecunia, ubi accedit vel sententia Judicis, vel pœnitentia Confessarii, & hoc vult S. Thom. sed tunc traditur pecunia in pœnam delicti, non in compensationem læsionis.

Dices 2. Licèt non possimus Deo plenè satisfacere pro injuria per peccatum mortale irrogata, non tamen sumus exempti ab omni satisfactione: ergo licèt non possimus per pecuniam integrè satisfacere pro famæ læsione, non propterea liberi sumus ab omni pecuniaria solutione.

R. Disp. esse, quòd satisfactione pro peccato, licèt de se insufficientem, exigat Deus; satisfactionem autem pecuniariam pro reparatione famæ nec lex positiva, nec ratio naturalis exigar, imò potiùs contrarium insinuat; cùm fama, secundùm communem hominum apprehensionem, non sit res venalis, quæ sola tamen pretio pecuniario comparatur.

CONCLUSIO III.

QUi verum crimen occultum propalavit, non potest, ad famæ reparationem, dicere: *fui mentitus*, ut volunt plurimi, sed bene: *fatuè dixi, malè fui locutus, injustè proximum infamavi, meliorem me contempsi* &c. utraque pars est Divi Thom. suprà, Scoti 4. dist. 15. q. 4. n. 4. & aliorum.

Prob. 1. pars; *Quia sic faciendo*, inquit Doctor Subtilis, *mentiretur*, quod nulla causa licitum est. Prætereà, si tunc licita esset amphibologia, & licitè posset detractor asserere: *falsum dixi, mentitus sum*, nullus restaret modus reparandæ famæ per impositionem falsi criminis ablatæ; nam eo ipso, quo quis diceret: *fui mentitus*, tale quid denuntiando, possent auditores astuti credere detractorem uti amphibologia, & infamatum reum esse criminis propalati: quod esset maximum inconveniens.

Prob. 2. pars; Quia non potest assignari modus restitutionis convenientior: docent quidem plurimi modum reparandi per publicam infamati laudationem esse multò aptiorem; sed, vel laudatur in ea materia, in qua fuit infamatus, vel in diversa: si in eadem, dicendo v.g. illum, quem de adulterio reum fecisti, esse castum, pudicum, uxori fidelem &c. mentiris: si in diversa: ut si dicas devotum, humilem, charitativum, quem dixisti fornicarium, aut latronem, non restituis famam ad æqualitatem, nec per hoc extinguitur prior infamia: unde modus noster videtur huic præferendus.

CONCLUSIO IV.

QUi falsum crimen alteri affinxit, debet Infamiam illam delere per sinceram dicti sui retractationem, nudè, & apertè declarando, se falsum dixisse, enormiter fuisse mentitum &c. imò si pro astruendo crimine juramentum aut testes adhibuit, debet similiter pro eodem destruendo juramentum, & testes adhibere, si aliter fieri non possit.

Ratio est; quia facienda est restitutio ad æqualitatem: ergo non minùs facere debet calumniator, pro famæ reparatione, quàm fecit pro ejusdem destructione, aut læsione. Sed nunquid debet etiam juramentum, & testes adhibere, ubi sine illis crimen imposuit? affirmant aliqui, ubi audientes per simplicem retractationem non persuadentur de contrario; negant alii: putem ego, adhibendam esse ex charitate, imò & probabilius ex justitia: ex charitate quidem dictante mihi esse hac in re alteri faciendum, quod vellem mihi fieri: ex justitia verò, quia tenetur detractor, quantum potest, efficaciter satisfacere, seu id omne efficere, quod hic & nunc creditur necessarium, ut restituatur quod ablatum est; aliàs censetur restitutio insufficiens, & inefficax.

ARTICULUS IV.

An Fama sit cum æquali damno restituenda, & an detur in hac materia locus compensationi?

CONCLUSIO I.

QUi alterum infamavit tantùm materialiter, non tenetur cum dispendio suæ famæ alterius famam reperare; secùs qui formaliter.

Prob. 1 pars; quia qui alterum infamavit tantùm materialiter, v.g. quia bona fide credebat publicum, quod erat occultum, non tenetur restituere ratione injustæ damnificationis, cùm supponatur non peccasse, sed tantùm quasi ratione rei acceptæ, seu quia reperitur quodammodo in manibus ejus fama aliena; sed qui habet apud se sine culpa rem alienam, non tenetur illam restituere cum magno sui nocumento: ergo nec similiter in nostro casu; & ideò diximus articulo 1. concl. 2. talem esse obnoxium restitutioni, ubi id commodè præstare potest.

Prob. 2. pars; quia in pari causa & damno, melior est conditio innocentis; ergo si non possit reus famam innocentis restituere, nisi seipsum infamando, ad id tenetur.

Confirm. 1. Quia non est justum, ut damnum patiatur innocens, propter puram alterius malitiam; & ideò, si in illas angustias se redigat infamator detrahendo, sibi imputet.

Confirm. 2. Ubi non potest quis rem injustè ablatam restituere sine magnis expensis, ad illas tenetur, ut suo loco diximus. ergo similiter in nostro casu. Non tamen sic intelligenda est conclusio, ut nullo casu detur exceptio: nam sicut non tenetur quis restituere 10. nummos, ubi non potest nisi cum expensis 100. aureorum, sed tunc sufficit illos distribuere pauperibus; ità secundùm Doctores communiter, non tenetur Episcopus, aut alius magni nominis cum famæ suæ dispendio famam rustico, aut plebejo resarcire; sed sufficit, si infamato signa honoris exhibeat, ipsum familiariter alloquendo, conversando, ad mensam invitando, vel etiam condonationem ab eo exigendo: quod tutius est.

CONCLUSIO II.

NOn datur locus compensationi, ubi tantùm ex una parte facta est infamatio; secùs si ex utraque parte.

Prob. 1. pars; quia nunquam licèt proximum infamare ex vindicta, sed si infamatus alium infamaret compensationis ergo, id faceret ex mera vindicta, cùm per hoc nullatenus possit famam suam recuperare, aut defendere &c. Excipe tamen, nisi id faceret ad labefactandam authoritatem infamantis & præcisè quantum necessarium foret, ne illi fides adhiberetur, dicendo v.g. quòd non solùm hac vice pepercerit veritati; & certè si possum injustè aggredientem vi repellere, ne vitæ meæ, aut membris noceat, quidni & infamantem infamare, ne fama mea injustè laberetur: tunc enim non est alterius infamiam quærere sed præcisè famæ suæ consulere; cavendus tamen in moderamine justæ tutelæ excessus.

Prob. 2. pars; quia si Petrus v.g. infamavit Paulum, & Paulus vicissim Petrum, potest tamdiù Paulus famam Petri non restituere, quamdiù Petrus non vult ipsi satisfacere; sed ibi est quædam compensatio: ergo. Prob. maj. quia id fieri potest in fortunæ bonis, ubi duo sunt sibi invicem debitores: ergo & in bonis famæ, ubi duo sunt sibi invicem detractores: unde tunc censetur adesse ex parte utriusque virtualis condonatio: eo enim ipso, quo non vult quis alteri satisfacere, vult & implicitè ab eodem sibi non satisfieri: ubi tamen Petrus in nostro casu vellet Paulo famam restituere, tenetur Paulus vicissim illi satisfacere, nec posset recusando Petri restitutionem, uti compensatione, cùm infamia unius non deleatur per infamiam alterius, sicut debitum pecuniarium deletur per alterū æquivalens.

ARTICULUS V.

Quæ causæ excusent à restitutione famæ?

VAriæ causæ detractorem excusant à restitutione: ac 1. Condonatio infamati sponte facta, sine alterius detrimento. 2. Quando propter nimiam criminis publicitatem & alias circumstantias prudenter judicatur irreparabilis; quia nemo tenetur ad impossibile; ubi tamen non posset quis infamiam totaliter tollere, posset autem minuere, ad id teneretur; quia restituere debet quantum potest, ut patet in debito pecuniario. 3. Si jam crimen factum sit publicum per justam Judicis sententiam. Aliud esset, si alter injustè publicasset: tunc enim non esset exemptus; quia etsi in primo casu perdiderit infamatus jus ad famam, non tamen in secundo. 4. Si ex detractione nulla secuta est infamia, v. g. quia crimen anteà publicum erat, aut quia præsentes non audierunt, vel non crediderunt, aut etiam quia jam alter erat in illa materia diffamatus. De illis non occurrit specialis difficultas, sed benè de sequentibus, quam ideò per conclusiones resolvemus.

CONCLUSIO I.

NOn est restituenda fama cum periculo vitæ; secùs cum dispendio bonorum fortunæ.

Prob. 1. pars ex regula communiter recepta, quia nempè bona inferioris ordinis non sunt reparanda cum detrimento bonorum ordinis superioris; sed vita est bonum ordinis superioris, quam sit fama: ergo. Limitandum est, nisi infamato immineret ex tua detractione mortis periculum; quia in pari

causa

causa melior est conditio innocentis: undè si falsò dixisti aliquem esse proditorem, & ideò sit morte plectendus, teneris falsitatem aperire, etiamsi eodem supplicio esses afficiendus.

Prob. a. pars; quia etsi fama non sit pecunia compensabilis, ubi tamen ad debitam reparationem requiruntur expensæ, v. g. pro itinere, promulgatione &c. faciendæ sunt ex justitiâ; quia bona inferiora famulari debent superioribus. Unde aliud est famam pecunia compensari, & aliud pecuniam inservire ad debitam famæ restitutionem.

CONCLUSIO II.

UBi fama aliundè reparata, excusatnr detractor ab ejusdem reparatione; non tameu ab omnibus.

Prob. 1. pars; quia finis restitutionis est, ut infamatus talis habeatur apud alios, qualis erat antè infamationem, sed ubi aliundè facta est reparatin ex nunc talis habetur, qualis erat antè detractionem: ergo non est facienda alia restitutio: undè si aliquem accusasti de furto, de hæresi, de adulterio, & hic per sententiam publicam declaratus sit innocens, non teneris famam restituere; teneris tamen pro injuria (si alter requirat) satisfacere, veniam petendo, aut aliud præstando.

Prob. a. pars; quia si infamatus pro fama recuperanda expensas fecit, debet illas infamator refundere; quia non est justum, ut innocens propter alterius malitiam damnum patiatur.

CONCLUSIO III.

NOn est obligatio famam reparandi, ubi infamia integrè obliterata est; sive interim crimen propalatum, esser verum, sive falsum; modo non sit periculum ne scintilla sub cineribus consopita iterum excitetur.

Ratio est; quia res oblivioni tradita eodem modo se habet apud homines, ac si nunquàm fuisset, & consequenter superstuum esset, imò nocivum, dicti præteriti memoriam refricare, quandoquidem posset indè vulnus jam clausum iterùm aperiri, censebitur autem memoria criminis impositi sufficienter extincta, ut etiam eatinguat restitutionis obligationem, si, multo tempore elapso, nulla fiat ipsius meutio. Sed quid agendum in dubio? si ex restitutione nulla imminet læsio nova infamato, facienda est? quia in dubio melior est conditio innocentis, si autem credutur potiùs obfutura, quàm profutura, omittenda est; & ideò magna hic prudentia opus est.

QUÆSTIO ULTIMA.

An & qualiter sit reparandus honor ablatus?

SUppono dupliciter posse inhonorari proximum, privativè, & positivè; privativè inhonoratur per omissionem honoris debiti, ut si Episcopum non salutes: positivè per verba, facta, aut signa contumeliosa, ut si cornua ad domum alterius appendas, si nobilem fuste, aut alapa excipias.

CONCLUSIO I.

IN rigore non teneris ad restitutionem, si tantùm privativè alterum inhonorasti; secùs si positivè.

Prob. 1. pars; quia qui Superiori signa honoris debiti non exhibuit, non læsit virtutem justitiæ, sed observantiæ: excipe tamen nisi signa honoris omisisses in iis circunstantis, in quibus omissio censeretur virtualis contumelia, ut si Gubernatorem, aut Parochum, cæteris salutantibus, non salutares, sed arroganter subsisteres: tunc enim deberes ex justitia ipsos honorare coram illis, coram quibus inhonoraveras.

Prob. 2. pars; quia qui positivè alterum inhonoravit, majorem fecit ipsi injuriam, quàm si pecuniam ipsius abstulisset, cùm honor prævaleat divitiis; sed qui abstulit pecuniam tenetur restituere: ergo & qui abstulit honorem: quod verum est, sive in publico, sive in occulto id fecerit; ita tamen, ut qui publicè inhonoravit, publicè restituat, vel saltem ita ut satisfactio inotescat illis coram quibus facta est inhonoratio; aliàs non fit ad æqualitatem reparatio. Negat quidam author, inhonorationem secretam obnoxiam esse restitutioni, sed ejus opinio non satis congruit Euangelicæ veritati: nam Matthæi 5. præcipit Christus sine distinctione, ut qui habet aliquid adversus fratrem suum, quem v. g. vocavit *racha, fatue*, vadat, relicto in altari munere, reconciliari fratri suo per restitutionem honoris ablati, ut explicant Patres & interpretes; jam autem cùm nec Euangelium, nec Patres, nec Theologi distinguant inter contumeliam publicam, & secretam in ordine ad obligationem restitutionis, nec nos distinguere debemus.

CONCLUSIO II.

VArii varios referunt honoris reparandi modos, sed cùm nullus assignari possit, qui in quolibet casu, & pro qualibet persona sufficiat, dico illum esse universaliter requisitum, & sufficientem, quo, attentis circunstantiis, inhonorationis, personæ inhonoratæ & inhonorantis, creditur secundùm prudentis judicium, honor ad æqualitatem reparari: undè major debetur reparatio, ubi inhonoratus est Superior, aut nobilis; minor, ubi inferior; media, ubi æqualis: & quidem pro contumelia ordinaria exigit Aug. in sua Regula cap. 20. veniæ petitionem ab inferiore, non tamen *à Superiore, ne*, ut ait ibidem, *dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur authoritas*; & ideò satisfaciet, si subditum contumeliis affectum amicabiliter alloquatur, honorificè salutet. Idem est de patre, marito, præceptore, domino, respectu filii, uxoris, discipuli, famuli, aut ancillæ. Imò si contumeliis usi sint ad correctionem, ad nihil tenentur, licèt paululum excesserint; quia, vel non censentur per hoc subditi inhonorati, vel certè eorum aliqualis inhonoratio judicatur ad salutem expediens: quamvis & in hoc multa requiratur prudentia, ne subditi inde exacerbati potius conturbentur, quàm corrigantur.

Æqualis verò satisfacit æquali inhonorato per contumeliam ordinariam, ipsum invitando ad mensam, locum honorificum præbendo, ipsi amicabiliter propinando; quamvis & in ipso laudabilis esset veniæ petitio, ut qui superiorem se gessit alterum minuendo, se inferiorem agnoscat, se humiliando.

Dixi: *Per contumeliam ordinariam inhonorato*, nam potest esse injuria adeò gravis & atrox, ut nequidem veniæ petitio sufficeret iu æquali, sed addenda foret genuflexio ante injuriatum, manibus junctis.

Notandum hic, non censeri injuriatum injurianti condonare per hoc, quòd salutantem resalutet, interroganti respondeat, ut antea converfetur &c. quia etsi secundùm legem charitatis odium deponat, veniam in corde concedat, & ideò exterius Christianè se gerat, non censetur propterea renuntiare juri, quod habet ad debitam honoris læsi reparationem.

TRACTATUS II.

De Jure, & Justitia.

HUjus tractatus notitia, licèt Jurisconsultis maximè propria, non est tamen Confessariis superflua, sed utilis & necessaria: tot enim in Confessionibus, resolutionibus, consultationibus occurrunt casus, dubia, difficultates materiam Justitiæ, & injustitiæ concernentes, ut nisi quis tractatum hunc, non leviter, non per transennam, sed maturè & attentè legerit, ac perfectè possederit, pœnitentes innumeris exponat injustitiis, & seipsum variis peccatis, ac restitutionibus faciendis. Ut igitur inconvenientiis illis obviemus, illuminati Solis Justitiæ lumine, Justitiam, ejusque objectum, divisiones, proprietates, obligationes, & alia ad eandem spectantia solidè, sed clarè; breviter, sed abundè Scholaribus exponere conabimur. Faxit Deus cum fructu & animarum salute.

DISPUTATIO I.

De Jure, & Justitia in communi.

CUm impossibile sit cognoscere species, nisi prius cognoscatur earundem genus; ideò antequam ad singulas juris species descendamus, pauca de ipso Jure, & Justitia in communi præmittemus.

QUÆSTIO I.

Quid Jus, & quotuplex?

VAriè à variis Jus accipitur; sed dupliciter præsertim hic spectari potest: ac 1. ut idem sonat quòd lex, seu regula: & sic dividitur in Naturale, & positivum; Positivum verò in Divinum, & Humanum, quorum primum subdividitur in Vetus, & Novum, secundum in Jus Gentium, Ecclesiasticum, seu Canonicum, & Civile, seu Politicum, de quo sic sumpto latè discurremus in tractatu de Legibus.

2. Sumitur Jus pro Justo, sicque acceptum aliud est generale, aliud speciale: generale idem est quod legitimum, legi consentaneum, lege stabilitum; & hoc modo est formaliter objectum Obedientiæ, quæ ideò vult & facit, quia præceptum est. Jus speciale, de quo solo hic agimus, significat æqualitatem inter datum & acceptum, importatque rationem debiti, & hoc modo, ut posteà dicemus, est objectum Justitiæ, quæ directè in hoc tendit, ut detur unicuique quod suum est, idest tantum, quantum debetur.

CONCLUSIO I.

JUs specialiter acceptum, est facultas legitima, quam quis habet ad aliquid obtinendum, retinendum, faciendum, recipiendam &c. ita ut non possit licitè impediri.

Dicitur 1. *Facultas*, idest, potestas vel activa ad aliquid exequendum, retinendum &c. vel passiva ad recipiendum; v. g. alimentum, pensionem, servitium &c. vel resistitiva, ne sibi, aut sais rebus noceatur, v.g. parietem oimis attollendo, viam indebitam in agris conficiendo, fenestram aperiendo &c.

Dicitur 2. *Legitima*, idest concessa per legem sive naturalem, sive divinam, sive humanam, & ideò cùm varia sint legum genera, ita & jurium, quæ ab ipsis tribuuntur: unde habet homo Jus naturale ad sui sustentationem, & membrorum usum, jus divinum ad recipienda Sacramenta, jus humanum ad hæreditandum, præscribendum &c. quia primum conceditur homini per legem naturæ, secundum per legem divinam, tertium per legem humanam.

Dicitur denique: *Ita ut non possit licitè impediri*, & ideò impediens facit injuriam, sed iojustitiam impedito, quæ consistit in Juris alieni violatione. Jus autem non est quid physicum, sed morale, ut satis patet.

CONCLUSIO II.

DIviditur jus ab aliquibus in Personale, seu ad personam, puta mancipium; in Reale, seu ad rem à persona distinctam, & in judiciale, seu ad actionem judicialem, in ordine ad aliquid obtinendum. Celebris tamen juris divisio fit per jus ad rem, & per jus in re: Jus ad rem est illud, quod non respicit immediatè rem ipsam, sed rei Possessorem, in quem dat actionem, ut res illa nostra fiat; tale jus acquiritur emptori, & cuilibet contrahenti ante rei traditionem. Item tale jus habes ad Beneficium tibi collatum, sicut ad hæreditatem tibi successione obvenientem, quamdiu necdum illa acceptasti. Jus in re est illud, quod respicit immediatè rem ipsam, in quam dat actionem, ita ut possimus illam, ubicunque fuerit, repetere: tale jus habemus in rem emptam, promissam, donatam post traditionem, sicut & in Beneficium, hæreditatem, legatum post acceptationem: unde jus ad rem est imperfectum, debile, & inchoatum, respicitque dominium acquirendum; jus autem in re est Jus completum, & perfectum, supponitque acquisitum rei dominium, à quo forte non distinguitur. Ex dictis

Resol. 1. Si quis rem à te emptam, aut tibi promissam vendit alteri, te non posse rem illam in Judicio repetere velut tuam, sed manet tibi actio in venditorem, aut promissorem, ut tibi rem illam, aut aliam, aut æquivalentem tradat.

Resol. 2. Ubi rem donatam, aut promissam recepisti, & à te aufertur, tibi competere actionem, non tantum in furem, sed etiam in ipsam rem, ad quascunque personas pervenerit, etiam per emptionem bona fide factam, quia semper tua est, & remanet.

QUÆSTIO II.

An Jus sit objectum, & medium Justitiæ?

SUppono 1. Objectum materiale Justitiæ esse res omnes quę commutantur, promittuntur, donantur, distribuuntur &c. ut sunt pecuniæ, domus, prata, suppellex, officia, Beneficia, redditus, servitutes, & alia quæ dici possunt materia remota Justitiæ, actiones verò, per quas res illæ commutantur, distribuuntur &c. materia proxima: eo quòd illas dirigat Justitia, ut in iisdem servetur æqualitas.

Suppono 2. Objectum formale Justitiæ (de quo tantum hic quærimus) esse duplex, nempè objectum *quod*, & objectum *cui*: objectum *quod* est id, quod intendit & respicit Justitia, estque redditio debiti ad æqualitatem juris alterius, seu est redditio tanti, quantum alteri debetur: Objectum *cui* est ratio, cur alteri sit aliquid debitum.

CONCLUSIO I.

JUs à nobis definitum, est objectum *cui* justitiæ; Jus autem, ut idem est quod æquum, æquale, justum, alteri debitum, est objectum *quod*.

Prob. 1. Pars; quia ratio adæquata cur Petro v. g. sint debiti 100. aurei, est Jus quod habet ad illos: unde valet hæc consequentia; ideò Petro debentur 100. quia Jus habet ad 100. ergo Jus illud est objectum *cui*, Justitiæ.

Confirm. Quia etsi Justitia non intendat Jus alterius, intendit tamen redditionem debiti proportionatè ad Jus alterius, sicque dicit ordinem intrinsecum ad illud tanquam rationem fundantem debitum; unde Justitia supponit jus in uno, & debitum in altero.

Prob. 2. Pars, illud est objectum formale *quod* virtutis, circà quod principaliter versatur virtus; sed Justitia versatur principaliter circà æqualitatem inter Jus & debitum: ergo.

Confirm. Quia ille dicitur specialiter Justus, qui intendit, diligit, & servat illam æqualitatem, injustus vero, qui illam non servat: ergo æqualitas illa ut debita, & Juri commensurata, est objectum *quod* Justitiæ. Hinc

Resol. 1. Etsi pecuniæ, agri, Beneficia &c. secundùm se sumpta sint tantùm objectum materiale Justitiæ, ut diximus; quatenus tamen sunt debita, & alterius juri commensurata, esse objectum illius formale.

Resol. 2. Rem tantùm alteri debitam ex decentia, honestate, aut gratitudine, non esse objectum justitiæ, quia nullum supponit jus in re, vel ad rem. Antequam ad conclusionem 2. descendamus

Advertendum est medium virtutis (sic dictum, quia mediat inter excessum & defectum) posse esse duplex, unum rei, alterum rationis; medium rei est, quod ex natura sua tale est, adeoque independenter à præscripto rationis illud regulantis; medium rationis verò, quod tale constituitur per rationem, attentis circunstantiis personarum, temporis, loci &c. sive interim sit tale à parte rei, sive non.

CONCLUSIO II.

JUs est verè medium justitiæ. Est communis.

Prob. medium virtutis justitiæ, est medium rei: sed jus est tale medium: ergo. Prob. maj. quia postulat justitia, *ut tantum detur à parte rei, quantum de facto debitum est*, nam si plus detur, liberalitas est; si minùs, injustitia: & ideò non hic recta ratio medium justitiæ constituit, sed supponendo constitutum præscribit observari. Prob. Min Quia Jus, quod est objectum formale quod Justitiæ, nihil est aliud, quam redditio tanti, quantum debetur à parte rei, seu æqualitas physica inter debitum unius, & jus alterius: ergo.

Petes, cur medium justitiæ sit rei, & aliarum virtutum rationis?

Resp. Quia medium justitiæ est per ordinem ad jus alterius, quod per se notum est; Medium autem aliarum virturum per respectum ad internas operantis dispositiones, quæ cum sint nobis ignotæ, ad orationem recurrendum est, ut quantum potest, omnibus attentis, præscribat quid & quantum debeat unus facere, à quo & à quibus alter abstinere, ut medium servet, seu ut in actibus virtutum nec excedat, nec deficiat; ita ut quod prudens ratio præscripserit, sit virtutis medium, licèt sæpè à parte rei non sit tale, & præcipiat quandoque uni jejunium, cui magis conveniret comestio; & è contra alteri comestionem, cui magis conveniret jejunium, ut non ità rarò accidit respectu infirmorum: & hinc

Resol. Eum, qui tempore præcepti non posuit actum temperantiæ, aut fortitudinem talem, qualem requirebat ejus dispositio, non teneri novum ponere, si bona fide credidit esse sibi proportionatum: contrarium accidit in actu justitiæ; & ideò si quis advertat posteà, se non satisfecisse ad æqualitatem, tenetur supplere, licèt tempore satisfactionis crederet invincibiliter ipsam esse sufficientem: quorum ratio est, quòd medium aliarum virtutum dependeat à prudenti operantis judicio; justitiæ autem à reali juris æqualitate.

QUÆSTIO III.

Quid sit jus altum & bassum?

ALii hanc quæstionem instituunt de dominio; quia tamen ex rei dominio oritur jus proportionatum, ideò non incongruè hic ponitur

CON-

CONCLUSIO I.

JUs altum est dominium directum Principi concessum in bona subditorum ad conservationem boni communis.

Dicitur 1. *Dominium directum*, & non utile: & in hoc differt jus, quod habent cives in sua bona à jure, quod habet Princeps in eadem: illi enim possunt ex suis bonis fructus, & emolumenta percipere in propriam, & privatam utilitatem; Princeps autem non nisi in Reipublicæ necessitatem.

Dicitur 2. *Principi concessum*; quia eo ipso quo quis eligitur Princeps, jus illud necessariò ipsius officio annectitur; cùm ad conservationem boni communis, cui dirigendo & conservando ipse præficitur, sit necessarium tanquam medium ad finem.

Dicitur 3. *In bona subditorum*; si enim jus habeat aliquo sensu in subditorum vitam, ubi id exigit boni communis necessitas; à fortiori jus habere debet in ipsorum bona, quæ sunt inferioris ordinis: hoc jus tamen altum non tollit jus bassum subditorum, cùm tantùm locum habeat in necessitate, imò eo tempore quo subditus, etiam non compulsus, deberet se, suaque offerre.

Dicitur denique: *Ad conservationem boni communis*; quia sicut bonum commune est finis unicus, & adæquatus, cur præficiatur Princeps, ità finis est adæquatus cur ipsi concedatur jus illud.

CONCLUSIO II.

JUs bassum est ipsummet dominium, quod habent cives in propria bona, ità ut possint de illis disponere in omnem usum lege permissum. Ex dictis

Resol. 1. Jus altum differre à jure basso, 1. Ex parte objecti, cùm illius objectum sit bonum publicum communitatis, hujus autem bonum privatum. 2. Ex parte Principis, quòd altum originem habeat ex voluntate subditorum, qui eatenus illud Principi concesserunt, quatenus ipsum communitatis suæ caput constituerunt; bassum verò nonnunquam ortum habeat à natura titulo generationis, aut superioritatis. 3. Ex parte rei, quòd jus bassum sit absolutum; altum verò quasi conditionatum, si nempè adsit necessitas publica, & ideò dicitur jus diminutum.

Resol. 2. Duplex competere jus Principi in bona subditorum, adeòque & duplex in subjectis resultare debitum, cùm jus exigendi in uno supponat debitum solvendi in altero: Primum jus fundat justitiam commutativam ratione contractus impliciti, quo Princeps obligavit se proprio labore, & industria communitatem sibi commissam protegere & conservare; & communitas vicissim propriis expensis, illius supremæ dignitati proportionata in mercedem subministrare. Secundum fundat justitiam legalem, estque ipsum jus altum respiciens, non personam Principis sicut primum, sed bonum communitatis.

QUÆSTIO IV.

Quid & quotuplex justitia?

DIversimodè accipitur justitia, sed præsertim dupliciter: 1. Pro collectione omnium virtutum, qua ratione vir pollens omnibus virtutibus dicitur *justus*, de hac justitia di ait Chrysost hom. 12. in Matth. *Justitia est omnium mandatorum plena custodia*. Et August. lib. de natura & gratia cap. 70. *Charitas inchoata, inchoata justitia est ..... Charitas magna, magna justitia est. Charitas perfecta, perfecta justitia est*. 2. Sumitur pro virtute speciali, de qua hìc agimus.

CONCLUSIO I.

JUstitia definitur communiter à Juristis, & Theologis, *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*.

Dicitur 1. *Voluntas*, non sumpta pro animæ potentia, quæ communis est justitiam servanti, & lædenti; neque etiam pro actu voluntatis transeunte: aliàs esset definitio justitiæ actualis; sed pro habitu, seu proposito habituali firmo, & deliberato unicuique satisfaciendi ad æqualitatem: unde D. Thomas 2.2.q. 58. art. 1. sic justitiam definit: *Justitia est habitus, secundùm quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit*.

Dicitur 2. *Constans*; quia virtus qualis est justitia, non dicitur talis, nisi fuerit actibus diuturnis firmata.

Dicitur 3. *Perpetua*; quia se extendere debet, non tantùm ad unum aut alterum actum, sed ad omnes actus, omne tempus, omnemque occasionem.

Dicitur 4. *Jus suum*, idest, debitum quocumque titulo contractum.

Dicitur tandem: *Cuique tribuendi* ad denotandam altereitatem, seu distinctionem debitoris, & creditoris, cùm nemo possit esse sibi debitor; & ideò non est propriè justitiam ad seipsum, sed ad alterum.

Petes: In quo differat justitia ab aliis virtutibus moralibus?

R. 1. In hoc, quòd medium justitiæ sit rei, aliarum virtutum rationis, ut antea diximus. 2. Quòd justitiæ subjectum sit voluntas; aliarum autem vel intellectus, vel appetitus sensitivus, ut volunt plurimi. Sed etiam habitus Temperantiæ, & Fortitudinis collocant in voluntate Doctores Seraphicus, & Subtilis cum multis aliis. 3. Quòd aliæ virtutes, ut Temperantia, & Fortitudo, moderentur primariò animi passiones: nempè ut homo non plus irascatur, non plus metuat, non plus comedat, non plus delectetur, quàm postulat ratio in talibus circunstantiis, & in tali dispositione; justitia verò tantùm reguler primariò actiones ad alterum tendentes, ut ponatur æqualitas inter debitum & solutum, læsum & reparatum, licèt secundariò etiam possit animi passiones moderari: homo enim justus non rarò tenetur frænare concupiscentiam, ne per stuprum, aut adulterium alteri faciat injustitiam; iram temperare, ne alterum occidat; sumptus moderari, ut debitoribus satisfaciat, illæ autem moderationes procedunt ex affectu, & virtute justitiæ, cùm procedant ex intentione neminem lædendi.

CONCLUSIO II.

CElebris est justitiæ divisio in Commutativam, Distributivam, & Legalem. Hæc divisio videtur adæquata.

Ratio est; quia triplex reperitur ordo in Communitate. Primus partis ad partem; & hunc disponit & regulat justitia Commutativa, ut in contractibus & aliis actionibus (quibus inter se communicant cives) servetur æqualitas. Secundus est totius ad partes, regulaturque per Justitiam Distributivam, ut à Communitate vel Communitatis curam gerente officia, & onera proportionatè ad uniuscujusque capacitatem, & merita distribuantur. Tertius partium ad totum; & hunc dirigit, & præcipit justitia Legalis, in quantum inclinat subditos ad procurationem, & conservationem boni communis, leges servando, tributa solvendo, seipsos quandoque exponendo &c.

Porrò justitia Commutativa est illa, qua redditur unicuique debitum secundùm proportionem arithmeticam, idest præcisè attendendo æqualitatem inter debitum & creditum, nullaque habita ratione dignitatis, aut conditionis personæ, cui fit solutio: unde si 100. accepisti, teneris ex illa justitia reddere 100. tam diviti, quàm pauperi, tam nobili, quàm ignobili.

Justitia Distributiva est illa, quæ distribuit onera, officia, præmia, & alia communitatis bona secundùm proportionem geometricam, idest, non solùm habita ratione valoris rerum distributarum, sed & præsertim conditionis meritorum, & idoneitatis personarum, quibus fit distributio: unde si sit distribuenda eleemosyna juxta cujusque paupertatem, plus dandum est pauperioribus; si officium, præferendus est dignior, & sic de aliis.

Justitia Legalis, aliter generalis, est illa, qua partes Communitatis ut tales ordinantur ad justum boni communis.

Dicitur 1. *Qua partes*, quia sicut bonum commune jus habet sustentari, ità obligatio est in partibus illud sustentare, ne succumbat: quod fit præsertim per legum observantiam.

Dicitur 2. *Ut tales*; quia licèt Pietas propter beneficium nativitatis moveat nos ad promovendum & conservandum patriæ bonum; ad id tamen non movet quatenus sumus partes Communitatis: & ideò distinguitur hæc justitia à virtute Pietatis: quidquid dicant aliqui. Distinguitur etiam in rigore ab Obedientia, cùm hæc ponat opus, ut à Superiore præceptum, illa ut bonum communi debitum.

Dicitur autem hæc justitia *Legalis*, non quia agit conformiter ad leges, cùm hoc sit cuilibet justitiæ commune; sed quia attendit boni communis promotionem per legum observantiam, & ideò vocatur hæc justitia in Religionibus *observantia regularis*. Dicitur etiam *generalis*, non quòd non sit virtus specialis, cùm illius munus sit bonum commune procurare, & protegere ad debitam æqualitatem, etiam cum præjudicio boni particularis, quod est ipsi specificum, & speciale; sed quia habet pro objecto bonum commune, seu generale; & etiam quia alias virtutes ordinat ad illud bonum, sicque dici potest universalis in causando.

Dices contra conclusionem. Justitia vindicativa est vera justitia, & tamen non est una ex illis: ergo illa divisio non est adæquata.

Respon-

Respondent aliqui, justitiam illam pertinere ad Distributivam; quia sicut Princeps est ex justitia Distributiva bene meritos remunerare; ità malè meritos punire; sed infundatum apparet illud fundamentum, cùm justitia Distributiva non respiciat quid boni gesserit Petrus, v. g. pro Communitate, sed quid boni habeat in se, quantum sit expertus, prudens, versatus: unde quando Respublica remunerat illos, qui condignè pro ipsius conservatione laborarunt, non exercet actum justitiæ Distributivæ, sed Commutativæ, cujus est opera ad æqualitatem compensare; & hinc sequitur, quòd sicut non est justitiæ Distributivæ operibus meritoriis mercedem assignare, ità nec demeritoriis pœnam infligere; & ideò

R. Justitiam Vindicativam pertinere ad Commutativam; quia sicut est actus Justitiæ Commutativæ servare æqualitatem inter datum & acceptum, ità & ponere æqualitatem inter pœnam & delictum. Accedit, quòd per Justitiam Vindicativam reparetur honor, quem abstulerat scelestus à Republica. illa autem reparatio est actus Justitiæ Commutativæ.

QUÆSTIO V.

An possit esse Justitia inter Deum & hominem, Patrem & filium, Dominum & servum, Maritum & uxorem?

NOn quæritur de justitia, quæ supponit aliquod jus in Deo respectu creaturæ, cùm certum sit apud omnes illam inter ipsos reperiri, sed de justitia, quæ supponit aliquid juris in creatura respectu Dei.

CONCLUSIO I.

NOn potest inter Deum & hominem intercedere justitia stricta, potest latiùs sumpta. Est Doctorum Angelici Seraphici, & Subtilis cum communi Scolasticorum.

Prob. 1. pars; quia justitia strictè sumpta requirit ex parte debitoris perfectum debitum solvendi; sed implicat, ut sit in Deo perfectum debitum solvendi respectu creaturæ, & in creatura perfectum jus exigendi respectu Dei: ergo. Prob. Min. quia cùm Deus habeat non solùm omnium rerum, sed & omnium jurium imaginabilium, inabdicabile dominium, nullum jus potest cedere, cujus non maneat Dominus absolutus & independens; implicat autem, ut quis sit debitor propriè illius met, cujus est verè, & absolutè dominus: ex quo patet ulteriùs non posse esse in homine perfectum jus exigendi respectu Dei, cùm perfectum jus exigendi in uno supponat perfectum debitum retribuendi in altero, quod hic non reperitur.

Confirm. Qui verè debitor est, ratione promissionis, non potest pro libitu de re promissa disponere; sed Deus, non obstante quacunque promissione, potest, quantum est ex parte creaturæ, non solùm de re promissa, sed etiam de persona, cui facta est promissio, pro libitu disponere, eo quòd hæc & illa semper maneant sub perfecto ipsius dominio: ergo

Dixi, *Quantum est ex parte creaturæ*; quia ratione sui decreti immutabilis non potest non exequi quod promisit; sed hoc nullum jus ponit in creatura.

Dices. 1 Homo promittendo homini obligatur ipsi ex justitia: ergo & Deus.

Resp. Neg. conseq. disparitas est, quòd homo possit in alium jus suum transferre, non sic Deus ratione dominii inabdicabilis & independentis.

Dices. 2. Licèt non possit Deus promittendo cedere jus universale, quod ipsi competit titulo Creationis; potest tamen jus particulare: ergo. Prob. Ant. quia etsi nequeat Princeps abdicare dominium altum rei promissæ, potest dominium bassum.

Resp. Neg. Ant. ad probationem dico, quòd cùm in Principe jus altum, & bassum sint separabilia, possit unum abdicare, altero inabdicato; in Deo autem omnia jura universalia, & particularia essentialiter possidente, unum non possit esse sine altero, adeoque nec unum potest abdicare Deus altero inabdicato.

Dices 3. Ex promissione simplici oritur obligatio fidelitatis in Deo: ergo ex promissione sub conditione operis boni oritur obligatio justitiæ, cùm hæc magis obliget, quàm illa.

Resp. Neg. conseq. quia & ipsum opus bonum est Deo debitum titulo Religionis.

Dices 4. Etsi dominus habeat jus in omnia opera mancipii, si tamen ipsi aliquid promiserit intuitu certi operis, tenetur ad illud stricto jure; ergo similiter Deus.

Resp. Neg. conseq. disparitas est, quòd possit dominus mancipio suo jus aliquod transferre, non sic Deus creaturæ propter rationes dictas.

Prob. 2. pars; quia si justitia sumatur præcisè pro obligatione adimplendi promissum, potest Deus ex justitia teneri creaturæ; imò ex tali justitia debet justis coronam gloriæ, juxtà illud Apostoli 2. ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die justus judex*: undè de talis justitiæ debito loquitur Aug. cùm serm. 16. de verbis Apostoli cap. 2. dicit Deo. *Redde quod promisisti; quia fecimus quod jussisti*. Item in psal. 38. circà fin. *Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo*.

CONCLUSIO II.

INter patrem & filium, dominum & mancipium, uxorem & maritum quà tales, non intervenit propriè justitia; secùs si considerentur, quatenus homines.

Prob. 1. pars; quia inter ipsos non est perfecta altereitas, quam requirit justitia perfecta: filius siquidem & pater sunt moraliter quid unum, cùm filius sit pars abscissa patris; & ideò obsequia omnia, quæ filius debet patri ex lege pietatis, non debet ut distinctus à patre, sed ut pars patris; ea autem quæ debet pater filio, non debet ut alteri, sed ut sibi ipsi, seu ut suæ parti.

Servus verò etiam non censetur alter à Domino, cùm non sit sui juris, sed domini, ipsiusque instrumentum animatum, & possessio, & ideò jus domini in servum non est justitiæ, sed despoticum, ratione cujus potest illum ut rem suam vendere, donare, commutare, debitum autem servi erga dominum, est Observantiæ & Obedientiæ.

Denique cùm uxor & maritus sint caro una, non censentur etiam distincti in ordine ad regimen domesticum; cùm jus uxoris ad illud sit, jus viri, seu dependens à viro. Aliud est de jure ad debitum conjugale: utriusque enim jus est perfectum, adeoque justitiæ, ut suo loco dicitur.

Dices 1. Si filius occidat patrem, servus dominum, violat justitiam: ergo intercedit justitia inter illos.

Resp. Dist. Ant. Violat Justitiam, in quantum occidit patrem, aut dominum materialiter, seu quatenùs homines sunt, C. in quantum occidit patrem, aut dominum ut talem, N. nam sub illo respectu filius violat Pietatem & servus Observantiam.

Dices 2. Tenetur filius, etiam non emancipatus, restituere ea, quæ abstulit à patre: ergo supponitur justitia læsa.

Resp. Duplex esse jus in patre: unum principii, cui correspondet debitum Pietatis in filio; alterum dominii, cui correspondet debitum justitiæ, filius autem ut filius, tantùm respicit primum jus secundum verò ut homo, adeoque ut alter à patre, sub quo respectu potest esse debitor patri ex justitia, cùm inter ipsos ut sic consideratos intervenire possit vera justitia.

Prob. 2. pars, quia quatenùs homines, sunt sui juris, & ab invicem independentes in multis rebus: nec accipitur unus ut pars alterius, sed quilibet ut persona singularis, & capax ex bonis sibi propriis pacisci: & consequenter nihil obest quominus inter ipsos sic spectatos intercedat rigorosa justitia.

DISPUTATIO II.

De speciebus Juris.

JUris species sunt dominium, Ususfructus, Usus, Possessio, de quibus hic agendum. Hanc verò materiam ex professo tractat D. Th. 2. 2. q. 66. art. 1. & 1. p. q. 96. Scotus autè 4. dist. 15.

QUÆSTIO I.

Quid Dominium, & quotuplex?

SUppono 1. Rerum Dominium, seu divisionem, nec à natura, nec à Deo fuisse introductam: non quidem à natura, quia etsi homo nascatur dominus suæ voluntatis, famæ, honoris & c. non tamen agrorum, prædiorum, divitiarum &c. cùm natura relinquat illa omnibus communia, nec secundùm se ad illorum divisionem inclinet: undè in statu innocentiæ nulla fuisset bonorum divisio: non etiam à Deo; quia nullibi legitur talem divisionem fecisse, aut præcepisse: divisit quidem terram Chananæorum Israëlitis, sed fuit casus particularis procedens ex speciali ipsius bonitate: quod respectu reliquarum nationum non apparet fecisse: undè jure gentium, seu communi consensu introductum est *meum & tuum* frigidum illud verbum, idque propter naturæ corruptionem.

Suppono 2. Attenta præsenti hominum conditione, superbia, cupiditate, avaritia, desidia, torpore &c. sapientissimè divisionem

nem illam esse introductam; aliàs vix ullus laboraret, vix colerentur agri; omnes vellent esse domini, nullus servus, sicque bella & jurgia continua incalescerent.

Suppono 3. Non omnium rerum factum esse jure gentium divisionem, cùm plurima, etiam nunc, sint omnibus communia, ut viæ publicæ, flumina, mare, aer, imber, gemmæ, & plurima alia, quæ ante occupationem nullius sunt determinatè. His suppositis

CONCLUSIO I.

DOminium strictè sumptum (quod est proprietatis) est jus disponendi de rei substantia tanquam re sua in proprium commodum, juxta legis permissionem.

Dicitur 1. *Jus*, idest, facultas, seu potestas legitima & juridica, quam habet quis in rem, vel personam. Magis autem latè patet jus, quàm Dominium cùm Jus habeat filius, ut alatur à patre, subditus, ut conservetur à Principe, non tamen Dominium: sicut nec domus suæ Dominium habet locatarius, licèt jus habeat illa utendi.

Dicitur 2. *Disponendi*, idest, vendendi, donandi, commutandi, aut aliter de re contrahendi.

Dicitur 3. *De rei substantia*, ut ostendatur distinctio inter dominum, & usufructuarium, quorum primus potest de re, reique fructibus disponere; secundus de solis fructibus, ut posteà dicemus.

Dicitur 4. *Tanquam re sua*; & ideò etsi ille qui domum, aut aliud conduxit, possit de illo disponere quoad certos usus, non tamen tanquam suo, cùm non possit illud vendere, aut aliter alienare.

Dicitur 5. *In proprium commodum*, & per hoc distinguitur à dominio Jurisdictionis, quod habent Principes sæculares, & Prælati Ecclesiastici in suos subditos in ordine ad gubernationem, & correctionem; cùm hoc non faciant in suam, sed suorum utilitatem.

Dicitur denique *juxta legis permissionem*; quia possunt leges ob justas rationes quandoque rerum Dominia, & dominos coarctare, unde etsi pupillus sit verè dominus bonorum suorum, uxor suæ doris, primogenitus suæ primogenituræ, debitor pignoris dati creditori, prohibentur tamen illa alienare pro libitu.

Præfata definitio, ut dixi est, Dominii proprietatis; quia solùm illud venit ordinariè nomine Dominii simpliciter: si quis tamen velit habere notionem Dominii ut sic, seu ut abstrahit à speciebus, aut quasi speciebus posteà assignandis, poterit illud sic definire: *jus disponendi de re aliqua tanquam sua juxta legis permissionem*.

CONCLUSIO II.

DIviditur Dominium in genere in Dominium Proprietatis, quod antea definitum est, & in Dominium Jurisdictionis, quod est jus regendi, judicandi, protegendi subditos, ac ideò stipendia ab ipsis recipiendi.

Hoc subdividitur in Ecclesiasticum, & sæculare: primum, quod habetur à Deo, respicit regimen in spiritualibus, residetque in Prælatis Ecclesiæ respectu Fidelium: secundum, quod habetur ex populi consensu, respicit gubernationem in temporalibus, illudque competit Regibus, & aliis Principibus Supremis in subditos. Fatendum tamen est, Dominium Jurisdictionis non nisi impropriè esse Dominium; quia licèt Princeps habeat jus in subditos, Prælatus in oves sibi commissas, Pater in filios; quia tamen jus illud non ad ipsorum, sed ad subditorum utilitatem ordinari debet, non dicuntur in illos habere Dominium: unde nullus in rigore dicitur Dominus respectu alterius, nisi respectu mancipii, seu servi, quales non sunt subditi Principibus Christianis, sive Sæcularibus, sive Ecclesiasticis, & ideò de Prælatis Ecclesiæ dicitur s. Petri 5. *Neque ut dominantes in Cleris*. Et Judicum 8. dans Gedeon Principibus normam gubernandi, ait: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*.

CONCLUSIO III.

SUbdividitur Dominium Proprietatis in naturale, & positivum: naturale est, quod à natura trahimus; tale Dominium habemus in usum potentiarum nostrarum, in famam, immò & in ea, quæ sunt ad vitæ sustentationem absolutè necessaria. Positivum est, quod dependet à lege & voluntate alterius; & triplex est, Divinum, Gentium, & Civile. Divinum vocamus, quod à lege Divina originem habet: tale erat illud quod habebant Levitæ veteres in decimas: Gentium est, quod omnium ferè nationum voluntate constitutum est, & tale est Dominium, quod quis habet in servum bello captum: Civile denique, quod per civilem ordinationem, aut particularem contractum, puta emptionem, donationem, testamentum &c. comparatur.

Subdividitur ulterius Dominium Proprietatis in perfectum, & imperfectum: perfectum seu plenum importat proprietatem, adeoque liberam dispositionem, tum rei, tum fructuum seu emolumentorum ejusdem: imperfectum verò, vel solam rei proprietatem, & dicitur *Directum*; vel sola emolumenta, & dicitur *Utile*. Addi potest alia subdivisio Dominii Proprietatis in commune & particulare: primum est, ratione cujus certa bona sunt ita propria Communitati, ut etiam ad singulorum utilitatem sint deputata, ut pascua pro pascendis incolarum armentis &c. secundum est, quod habet unusquisque in propria bona.

QUÆSTIO II.

Quid Titulus, Traditio, Ususfructus, & Usus?

QUoniam ad Dominium certa prærequiruntur, &, obtento rei Dominio, possumus illius usum aliis permittere: ideò de iis, quæ Dominium præcedunt, & sequuntur pauca dicemus.

CONCLUSIO I.

TItulus hic est radix, causa & fundamentum Dominii: unde à dicente se dominum alicujus rei, solemus exigere titulum Dominii, qui est aliquando emptio, aliquando donatio, legatum, successio hæreditaria, aut electio legitima; & ideò si villam, aut quid aliud per emptionem acquisieris, si officium per electionem, si Regnum per propagationem, emptio, electio, propagatio sunt fundamenta, cur sis illorum Dominus. Est autem Titulus duplex; verus, & præsumptus: primus est, qui reipsa subsistit: secundus qui bona fide creditur subsistere, licèt à parte rei non subsistat; hinc si emisti rem à vero Domino, emptio est verus titulus, si autem emeris ab eo, quem bona fide credebas illius dominum, & non erat, emptio est tantùm titulus præsumptus, qui inservire potest ad præscriptionem, ut dicemus postea.

CONCLUSIO II.

TRaditio est conditio, sine qua plerumque etiam posito sufficienti titulo, non acquiritur jus in re, seu Dominium; sed tantùm jus ad rem, quod ortum habet, non ex natura rei, sed ex juris positivi dispositione: unde L. *Traditionibus* 20. Cod. *De pactis* dicitur: *traditionibus ... Dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*, & ideò si emisti gregem ovium, & hic necdum sit traditus, non es illiùs dominus, potest tamen cogere in Judicio venditorem, ut illum tibi tradat, eo quòd etiam ante traditionem habeas jus ad rem, seu actionem personalem.

Dixi in Conclusione: *Plerumque*; quia in variis casibus non requiritur traditio ad Dominii translationem. Ac 1. non requiritur in iis quæ dantur, venduntur, aut relinquuntur Civitatibus, Ecclesiis, locis piis, aut in redemptionem captivorum. Patet ex L. *Ut inter*. Cod. *De sacrosanctis Ecclesiis* 2. In legatis, quorum hæres fit dominus statim ubi acceptavit hæreditatem. L. *Officio* 27. ff. *Famil.* 3. In acquirenda hæreditate, sive per testamentum, sive ab intestato, ad cujus Dominium sufficit acceptatio verbo, aut signo. L. *Cùm hæres* 23. ff. *De acquirenda vel amittenda possessione*. 4. In donationibus villæ, domus, agri, aut similis rei sub conditione alimenta præstandi donatori: ubi enim donatarius non tribuit alimenta, sicut tenetur, statim privatur Dominio rei donatæ, reditque sine ulla traditione ad donatorem. L. *si doceas*. 1. Cod. *De donationibus quæ sub modo*. 5. In Beneficiis, quorum quasi Dominium acquiritur per collationem & acceptationem. Cap. *Si tibi absenti* 17. *De præbendis* in 6.

CONCLUSIO III.

USusfructus est jus utendi & fruendi re aliena, salva rei substantia. L. *Ususfructus* 5. ff. *De usufructu*, sed ante definitionis explicationem.

Advertendum hæc verba *uti & frui* aliter usurpari à Theologis, & aliter à Juristis: illi siquidem docent cum Aug. quod *uti* sit amare aliquid propter aliud & *frui* sit aliquid amare propter ipsummet: unde qui creaturas amat propter Deum, dicitur illi *uti*, qui autem illas amat propter ipsas, dicitur illis *frui*. Juristæ verò per ly *uti* intelligunt ex re aliena fructus pro

se,

se, & pro sua familia capere, quantum requirit quotidiana necessitas: per *frui* autem intelligunt posse insuper Usufructuarium de fructibus ex re aliena eo lectis lucrum reportare, ipsos vendendo, alienando &c. Hoc notato

Dicitur 1. In definitione. *Jus*, quod est quid commune ad Dominium, Usum nudum, Usum fructum, &c.

Dicitur 2. *Utendi*, ut excludantus certa Jura, nempè Depositarii respectu depositi, Creditoris respectu pignoris: illi enim nequeunt uti deposito, aut pignore sine licentia domini.

Dicitur 3. *Et fruendi*, ut ponatur distinctio inter Usuarium simplicem, & Usufructuarium, quorum primus potest ex re aliena fructus pro se tantùm & suis percipere, & secundus etiam aliis cum lucro concedere: hinc si usum simplicem habeas alicujus domus, potes quidem illam inhabitare, non tamen alteri locare.

Dicitur 4. *Re aliena*, & in hoc distinguitur à Dominio, ratione cujus utitur quis re tanquam sua.

Dicitur tandem: *salva rei substantia*; & ideò non potest constitui Ususfructus in rebus unico usu consumptibilibus, ut sunt vinum, cerevisia, panis, oleum &c. cùm sit impossibilis eorum usus (qui consistit in consumptione) salva manente rei substantia.

Porrò duplex est Ususfructus, unus legalis, qui per legem, alius conventionalis, qui per conventionem, aut contractum constituitur: legalem habet pater in bonis adventitiis filii, quamdiu manet sub patria potestate: conventionalem verò habet ille, qui illum sibi acquisivit emptione, donatione, testamento &c.

CONCLUSIO IV.

Usus simplex est jus utendi re aliena, salva rei substantia.

Dicitur: *jus*, tum propter rationem in explicatione definitionis ususfructus positam, tum etiam quia hic usus solet dici usus juris, ad distinctionem usus facti, qui nihil aliud est, quàm ipse actus utendi, seu usus actualis; estque duplex, unus licitus, quem habet rogatus ad convivium in cibos sibi appositos; & alter illicitus, quem habet fur in panem furto ablatum; quod maximè notandum est pro dicendis in sequenti quæstione. Aliæ particulæ definitionis patent ex conclusione præcedenti.

QUÆSTIO III.

An Usus facti distinguatur à Dominio in rebus unico usu consumptibilibus?

Hæc difficultas orta est occasione Regulæ Fratrum Minorum, quæ habet cap 6. *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem*; per quod credunt unanimiter Recollecti, & omnes alii strictioris Observantiæ Minores omnium rerum, adeoque & unico usu consumptibilium, ut sunt panis, vinum &c. interdictam sibi esse Proprietatem, & Dominium, idque tam in communi, quàm in particulari: quod tamen non videtur admisisse Joannes XXII. qui ideò sua authoritate nonnullos in sententiam oppositam adduxit, sed ante resolutionem

Suppono 1. In rebus, quæ usu vix consumuntur, ut sunt gemmæ, vasa aurea &c. separabile esse Dominium ab usu; imò & in rebus, quæ aliquando consumuntur, sed non unico actu, ut sunt libri, vestes &c. quandoquidem convincat experientia quotidiana, posse illarum rerum dominos earum usum aliis concedere, reservato sibi Dominio.

Suppono 2. Jus utendi re aliqua esse duplex, unum irrevocabile, & independens ab alterius voluntare, estque usus juris antea definitus: alterum revocabile, & dependens à voluntate usum concedentis; ità ut possit pro libitu quovis instanti illud repetere: estque usus facti, de quo quæritur.

CONCLUSIO UNICA.

Separabilis est Usus facti à Dominio in rebus unico usu consumptibilibus. Est communior & verior; etiam extra Scholam Scoticam.

Prob. 1. Authoritate Summorum Pontificum Nicolai III. cap. *Exivit qui seminat*. De verborum signification. in 6. Clementis V. Clem. *Exivit de paradiso*. Alexandri IV. Bulla *Uberes fructus*. Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Pauli IV. Sixti IV. qui expressè sententiam nostram docuerunt, indeque affirmarunt Franciscanos tantùm habere usum facti simplicem rerum, etiam unico usu consumptibilium, earum Dominio vel penes donantes, vel, si Dominium abdicaverint, penes Sedem Apostolicam existente: & ideò vocant illorum paupertatem sanctam, meritoriam, altissimam.

Prob. 2. Ratione; quia Dominium est jus absolutum, firmum, & ab alterius nutu independens; sed certum est. Fratres Minores non habere jus tale in panem, quem comedunt, cùm sit in potestate donantium illum quovis modo revocare: ergo respectu panis & similiũ habent usum facti sine dominio.

Confirm. 1. Certum est, longè plus juris habere in panem, illos, qui possunt uti pane pro libitu, & irrevocabiliter, quàm qui revocabiliter, & ad nutum alterius; sed primi præcisè habent dominium panis: ergo ultimi quid minùs, & consequenter usum distinctum à dominio.

Confirm. 2. Quia etiam famuli, imò & Religiosi particulares Ordinum in communi possidentium tantùm habent usum facti ciborum sibi oblatorum, cùm sint ad nutum Heri, aut Superioris revocabiles sine injuria, quandiu non absumuntur.

Dices: tam famuli, quàm Religiosi Jus habent naturale ad sustentationem: ergo fit ipsis injuria, si cibi auferantur.

R. Dist. Conseq. Fit ipsis injuria, si cibi omnes auferantur, C. si auferantur appositi, modò subministrentur alii, N. quod signum est evidens in appositos non habere dominium, aliàs nec ipsi possent auferri sine injustitia.

Confirm. 3. Exemplo Nicolai III. quia invitatus ad prandium jus habet utendi cibis appositis, nullum tamen in illos habet dominium, cùm, secundùm communem apprehensionem, semper manet, usque ad rerum consumptionem, penes invitantem, qui ideò potest apposita auferre, vel relinquere sine ullius injuria.

Dices, falsum esse suppositum probationis, & confirmationum; in quibus asseritur esse de ratione dominii esse irrevocabile, seu independens ab alterius voluntate, cùm contrarium appareat in contractu venditionis, in quo emptor suscipit onus revendendi, quando libuerit venditori; sicut & in donatione, quæ ob ingratitudinem donatarii revocabilis est.

R. Suppositum nostrum esse verissimum; quandoquidem in primo casu, quem nobis objiciunt adversarii, non habeat emptor integrum dominium, cùm possit de re illa disponere in omnem usum lege permissum, utpote qui non potest illam consumere, commutare, cuilibet vendere &c. sed teneatur voluntatem venditoris, cui soli vendibilis est, expectare. In secundo autem casu nulla reperitur revocatio, sed mera privatio rei donatæ ob crimen commissum, jure sic disponente in favorem donatoris: quod in favorem Reipublicæ, aut alterius *particularis* facere potuisset.

Prob. 3. Concl. Nullus est alicujus rei dominus, nisi velit, ut concedere debent omnes; sed Fratres Minores nullius rei volunt fieri domini, ut satis declarant per suam regulam: ergo.

Obji. 1. Vel Frater Minor habet jus utendi pane sibi concesso, vel non: si primum, habet usum juris: si secundum, usus ille est illicitus.

R. Habere jus, non quidem strictè dictum, & in aliquo titulo fundatum, qualis est usus juris, sed largè sumptum consistens in mera concessione, & permissione domini: quod sufficit ad usum licitum: & certè si ad usum licitum requireretur jus strictum, illicitè uteretur Religiosus rebus sibi concessis, cùm in illas, sive sint usu consumptibiles, sive non, non habeat jus strictum.

Obij. 2. Qui ità disponere potest de re aliqua, ut etiam possit illius substantiam destruere, illius est dominus; sed de pane & similibus ità disponere potest Minorita: ergo.

R. Dist. Ant. Qui potest cum stricto jure, nomine proprio &c. C. qui dependenter ab alterius permissione, & nomine alieno, N.

Inst. 1. Ergo Frater Minor bibit nomine donantis, aut Summi Pontificis, si donans dominium abdicaverit.

R. Hoc esse verum, nec quidquam absurdi continere; si enim singulis diebus utatur veste, libro, charta &c. nomine dantis, aut Summi Pontificis, quidni posset cibo & potu similiter uti.

Inst. 2. Si Franciscani refectionem sumerent nomine Pontificis, singulis diebus reficeretur Pontifex in eorum Monasteriis, quod est ridiculum.

R. Neg. conseq. Non enim reficiuntur nomine Pontificis, hoc sensu, quòd comedant, & bibant in ejus utilitatem & alimentationem, sed hoc sensu, quòd ex ejus permissione destruant sibi apposita tanquam res illius: unde sicut famulus dans pecuniam domini pauperibus, illam destruit moraliter non suo, sed Heri nomine; ità & eodem modo fit destructio physica cibi, & potus in nostro casu.

Inst. 3. Injustitiam committeret Pontifex, si cibum & potum auferret à Minoritis: ergo non est illorum dominus.

R. N. ant. Sicut enim non esset injustus auferendo ab illis ornamenta Ecclesiæ, libros bibliothecæ; ità nec præfata auferendo; cùm tam horum, quàm illorum sit dominus; posset tamen

men Frater Minor casu, quo per ablationem ciborum in extremam necessitatem redigeretur, uti jure sibi à natura concesso, nempè accipiendi vitæ sustentandę necessaria à quolibet; adeoque & à Papa, licèt invito; sed hoc non ratione Dominii in illa, sed ratione juris, & obligationis naturalis vitæ conservandæ.

Inst. 4. Saltem si particularis surriperet cibaria à Franciscanis, faceret ipsis injuriam: ergo signum est ipsos habere dominium.

R. Dist. ant. Faceret ipsis injuriam; quia privaret ipsos dominio, aut usu juris, N. quia privaret usu facti concesso & licito, C.

Obji. 3. Dominiũ illud est inutile donanti, aut Pontifici; ergo.

R. Dist. ant. Est omninò inutile, supposito quod velit consumptionem à Fratribus Minoribus fieri, C. absolutè loquendo, N. cùm possit ante consumptionem datum revocare, illoque uti pro libitu tanquam re sua.

Obji. 4. Si Minorita non habeat dominium panis ante usum actualem, saltem habet in ipso usu, seu quando trajicitur de gutture ad stomachum, cùm tunc non possit revocari. Hic est Achilles Carmelitarum calceatorum volentium quidem altissimam esse paupertatem Franciscanorum, sed tunc nobis competere dominium rei, quæ actualiter consumitur; nihilominus

R. 1. Retorquendo argumentum: vel proprietarius comedens rem suam tunc retinet adhuc illius dominium, vel non: si retineat, etiam Pontifex aut donans retinet dominium rei, quę à Fratre Minore consumitur, cùm eorum nomine fiat consumptio: si non, eo quòd res non censeatur ampliùs subesse liberæ ipsius dispositioni, nec in nostro casu dominium habet Pontifex aut Frater Minor, propter eandem rationem.

R. 2. Quòd licèt tunc res sit adhuc utilis in ordine ad nutritionem, nullius tamen dominio subjaceat; adeòque nec Pontificis, nec Fratris Minoris; eo quòd censeatur moraliter consumpta, & inutilis facta in ordine ad liberam dispositionem, quæ tamen requiritur ad dominium.

Obji. 5. Inde sequitur donantes cibaria Minoritis, non satisfacere præcepto eleemosynæ, cùm non dent pauperi, sed diviti, nempè Pontifici.

R. N. sequelam; quia non dantur illa Pontifici in usum Pontificis, sed in usum pauperum, seu ut subveniatur pauperibus modo ipsis accommodato.

Inferes: Ergo dans eleemosynam Franciscano minùs meretur, quàm si daret Dominicano, cùm huic det usum & dominium, illi tantùm usum, & quidem facti.

R. N. Illationem: nam cùm meritum eleemosynæ consistat in abdicatione rei, & tantùm abdicet dans Franciscano, quàm Dominicano, licèt minùs recipiat Franciscanus, etiam tantùm meretur; imò plus, cùm det pauperiori.

Repl. Saltem illa paupertas particularis prætensa non est magis meritoria Fratri Minori, quàm alia paupertas alteri Religioso, cùm non minùs utilitatis recipiat ex eleemosyna quàm alter.

R. N. assumptum; quia Frater Minor utitur eleemosyna revocabiliter, alter Religiosus irrevocabiliter ex parte donãtiũ.

Obji. 6. Potest Minorita destruere panem sibi datum; ergo non habet illius usum, sed dominium, cùm usus tantùm det facultatem utendi re aliena, salva ejus substantia.

R. Hoc esse verum de usu juris, non de usu facti, qui non nisi impropriè & similitudinariè dicitur usus, cùm hic nihil aliud sit, quàm licita rei destructio ob licentiam & permissionem domini.

Obji. 7. Fratres Minores non habeant rerum illarum dominium, poterat quilibet tempore Joannis XXII. illas ab ipsis auferre sine injuria: quandoquidem, deficiente illarum dominio, essent primo capientis.

R. Quòd etsi tunc donantes dominium abdicassent, & Pontifex à se, & à Romana Ecclesia illud rejecisset; non erant tamen primò capientis; cùm illarum usum facti haberent Fratres Minores; jam autem cùm dicuntur primò occupantis, quæ nullius sunt, intelligendum est de iis, quæ nullius sunt quoad dominium, & quoad omnem usum.

Obji. 8. Si usus facti possit separari à dominio, nulla erit ampliùs usura; quia mutuans poterit aliquid ultra sortem exigere, non quidem ratione mutui, in quo consistit usura, sed ratione usus facti, quem concedit mutuatario.

R. Esse implicantiam in terminis: 1. Quia mutuatarius haberet simplicem usum facti, ut supponitur, & non haberet, cùm ratione emptionis seu pretii dati ultra sortem acquireret ius strictum in usum pecuniæ mutuatæ; quandoquidem emptio, utpotè contractus strictus conferat jus strictum in rem emptam. 2. Quia uteretur pecunia nomine alieno, cùm non plus concedat usus facti, & non uteretur nomine alieno, sed suo; quia pecunia esset sua, cùm per mutuum transferatur rei dominium.

QUÆSTIO IV.

Quid dicendum de Constitutionibus Joannis XXII. quoad materiam præsentem?

JOannes XXII. ratione Michaelis Cesenæ Ministri Generalis, & Guillelmi Ocham Scoti Discipuli, & Nominaliũ Principis, nonnihil in Fratrum Minorum Ordinem sibi anteà maximè dilectum exacerbatus, duas Constitutiones edidit, quibus docet Fratres Min. non habere usum rerum unico actu consumptibilium à dominio separatum; undè in Extrav. *Quia quorundam* De verborum signification. in 6. negat terminis expressis habere posse Franciscanos in re aliqua simplicem usum facti. Et Extravag. *Ad conditorem*, asserit usum juris aut facti à dominio separatum in rebus unico actu consumptibilibus, repugnare juri, & obviare rationi. Ad has Constitutiones varii variè respondent.

CONCLUSIO I.

NOn videtur satisfacere opinio illorum, qui dicunt Fratres Minores sub Joanne XXII. habuisse dominium rerum unico actu consumptibilium, licèt non habuerint illud sub Pontificibus prioribus & posterioribus, qui illud sibi & Romanæ Ecclesiæ reservaverunt.

Ratio est, quia, ut diximus, ad acquirendum rei dominium non tantùm requiritur voluntas dantis, sed etiam, & maximè voluntas acceptantis, atqui tam sub Joanne XXII. quàm sub aliis Pontificibus nunquàm voluerunt Minoritæ strictioris Observantiæ dominium illud acceptare: ergo.

Dices: Approbatio Religionis, sicut & paupertatis dependet à voluntate Summorum Pontificum, atqui licèt alii Pontifices sic approbaverint Franciscanorum paupertatem, ut rerum præfatarum non haberent dominium, sic tamen approbavit, & mitigavit Joannes XXII. ut ipsis dominium relinqueret, & ideò illud tam à se, quàm à Sede Apostolica omninò abdicavit: ergo.

Resp. Novam illam approbationem, seu mitigationem gratis fingi, cùm in Extravagantibus Joannis XXII. nullum fit verbum constitutivum novi juris pro Fratribus, sed sola renunciatio dicti dominii suo, & Sanctæ Sedis nomine, quod proptereà non transvolavit ad Minores, cùm illi generosè semper, & constanter se opposuerint.

CONCLUSIO II.

NEc satis apparet plausibilis sententia aliorum volentium prætatum Joannem non fuisse locutum ut Pontificem, sed ut Doctorem privatum, qui hanc opinionem ante mortem suam revocavit, sicut & quod dixerat de animabus Sanctorũ, quas asserebat non visuras DEUM ante diem judicii: nam

Obstat. 1. Quod in Extravaganti. *Quia quorundam* expressè testetur se promulgasse Constitutionem *Ad conditorem* de consilio Cardinalium, eorumque, uti & Archiepiscoporum, aliorumque Ecclesiæ Prælatorum, complurium Theologiæ Magistrorum, ac Utriusque juris Professorum diligenti deliberatione præhabita.

Obstat 2. Ut refert Baronius ad annum 1324. quod jusserit Extravagantem *Ad conditorem* ubique promulgari.

Obstat 3. Quòd in fine Extravagantis *Quia quorundam* asserat contrà sentientes habendos esse tanquàm contumaces, & Ecclesiæ Romanæ rebelles: quæ omnia non obscurè indicant dictas constitutiones ab ipso tãquàm Pontifice processisse.

Dices: ergo qui diceret Joannem XXII. in hoc errasse, aut ipsi contradiceret, hæreticus esset.

Resp. Neg. Illationem; quia licèt hoc decreverit tanquàm Pontifex, non tamen definivit ut articulum Fidei, cùm materia hic agitata non pertineat ad Fidem, sed sit de re partim naturali, partim civili: undè si quos punierit tanquàm hæreticos, id non fecit propter hoc punctum, sed propter alia in dictis constitutionibus contenta, v. g. quia sustinebant CHRISTUM & Apostolos nihil habuisse proprium in communi, aut particulari: quod ibidem declarat esse hæreticum. Hujus occasione

Advertendum hic Nicolaum III. docentum Christum, & Apostolos caruisse proprio in communi, & particulari, non adversari Joanni XXII. quandoquidem tantùm voluerit Nicolaus ipsos aliquando caruisse proprio; Joannes autem non semper caruisse: quod utrunque verum est: undè aliquando Christus & Apostoli nihil proprium habuerunt in communi & particulari; & tunc expresserunt altissimam illam paupertatem, quam secuturi erant Franciscani: aliquando proprium habue-

runt in communi, non in particulari, & hanc paupertatem imitantur aliarum Religionum alumni.

CONCLUSIO III.

LOngè probabilius est, & verius asserere Joannem XXII. nec Fratribus Minoribus, nec suis Prędecessoribus & Successoribus quoad rem fuisse contrarium, sed præcisè quoad modum loquendi, seu quoad vocum apparentiam.

Prob. 1. Ex Glossa in Clem. *Extvi de paradiso §. proinde* circa fin. ubi dicitur, quòd in hoc negotio, quod *turbavit totum mundum non est vis nisi in verbo*.

Prob. 2. Quia tot Successores Joannis, qui sententiam nostram in terminis docuerunt, & declaraverunt, non permisissent præfatas constitutiones in Corpus Canonicum inseri aut insertas remanere, si credidissent ipsum fuisse ipsis verè, & quoad rem contrarium.

Prob. 3. Ex ipsismet constitutionibus Joannis XXII. ubi 1. omnino aliter accipit simplicem usum facti, quàm accipiamus nos: ideò enim ibi negat Fratres Minores habere talem usum; quia docet usum facti non se extendere ad rei substantiam, cùm tamen usus fratrum in rebus unico actu consumptibilibus ad rei substantiam se extendat, & quidem cum facultate illam destruendi; dari autem usum facti, qui etiam ad rei substantiam se extendat, qualem habemus nos, evidenter patet ex dictis, & consequenter, aliter ipse, aliter nos, accipimus usum facti. 2. Quia usum simplicem facti, quem habent Franciscani circa res unico actu consumptibiles, confundit cum jure utendi stricto, adeoque absoluto & independenti, quod certum est in hac materia à dominio non distingui; nos autem dicimus usum illum esse jus largè sumptum, dependens, & ad nutum dantis aut Summi Pont. revocabile sine ulla Fratrum Minorum injuria; imò potiùs est permissio & licentia utendi rebus illis nomine alieno: tale autem jus si jus dici debeat, à dominio distingui quis non videat?

Cæterùm, si quis adhuc sustineret nobis adversari authoritatem dicti Pontificis, opponi debent plusquam 10. Summi Pontifices, ab authoribus citati quorum omnium authoritati cedere debet unicus Joannes XXII. Solet etiam objici Divus Th. 2. 2. q. 78. art. 1. in corpore, ubi ait: *In talibus non debet seorsim computari usus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur usus eo hoc ipso conceditur res*, sed loquitur de usu juris, seu independente & absoluto.

QUÆSTIO V.

Quid possessio? Quotuplex? Quomodo acquiretur & deperdatur?

ADvertendum 1. Possessionem sumi posse materialiter, & formaliter. Primo modo accipitur pro re possessa, seu objecto possessionis, maximè si sit quid immobile, ut domus, ager, villa, pratum &c. quæ non rarò vocantur Possessiones 2. Pro forma, aut quasi forma, a qua homo dicitur Possessor: & de Possessione sic sumpta hic agimus, non de Prima.

Advertendum 2. Res secundùm Juristas, alias esse corporales, alias incorporales: corporales vocant quæ ex se sunt tangibiles, aut sensu demonstrabiles, ut pecunia, pannus, prædia &c. incorporales verò, non quæ spirituales sunt, sed quæ solo animo apprehendi possunt, ut sunt certa jura ad res corporales, v. g. jus adeundi hæreditatem: jus ne quis ædificet in fundo meo &c. quæ jura licèt objectivè sint corporalia; quia tamen secundum se non sunt tangibilia, incorporalia dicuntur. Duabus his rebus addunt Theologi *spirituales*, ut Beneficium, Dignitates, jus Electionis, Prę sentationis Confirmationis Patronatus &c.

Advertendum 3. Possessionem aliquando accipi pro potestate, seu facultate possidendi, & dicitur possessio juris, aliquando pro actu Possidendi, diciturque possessio facti: utramque definiemus.

CONCLUSIO I.

POssessio juris, est *jus insistendi rei ut suæ non probibitæ possideri*.

Dicitur 1. *Jus*, ut distinguatur à possessione facti quę importat actualem possessionem.

Dicitur 2. *Insistendi*, id est, pacificè tenendi, & defendendi contra invadentes mediis jure concessis.

Dicitur 3 *Ut suæ*, & non alterius; & ideo Tutor insistens rebus sui pupilli non dicitur Possessor.

Dicitur 4. *Non probibitæ possideri*; quia nulla est possessio, ubi jus resistit: unde rei sacræ, ut sacræ, sicut & Decimarum possessionem non acquirit laicus.

Possessio facti, *est rei occupatio, corporis, animi, & juris adminiculo*.

Dicitur 1. *Rei*, nempe corporalis, incorporalis, aut spiritualis; licèt enim negent Juristæ res spitituales propriè possideri; id tamen communiter admittunt Theologi.

Dicitur 3. *Occupatio*, quæ initio dicitur possessionis inceptio & in decursu ejusdem continuatio.

Dicitur 3. *Corporis*, quia non incipit Possessio, nisi interveniat actus externus, quo vel manu, vel pede, vel aliter res possidenda in se, vel in alio apprehendatur.

Dicitur 4. *Animi*; quia nisi velit quis rem apprehensam sibi retinere, non fit illius Possessor, hocque patet in Depositario qui quia non sibi, sed deponenti rem depositam vult conservare, non dicitur illam possidere.

Additur: *Et juris adminiculo*, quia necesse est ad legitimam possessionem, ut jus illam, non quidem positivè approbet sed ne reprobet, sicut reprobat possessionem partis Ecclesiæ, Cœmiterii, aut alterius loci Religiosi inchoatam à laico: non requiritur tamen ad rationem possessionis quòd sit justa, cùm fur rem ablatam possideat possessione facti, quamquam injustè.

CONCLUSIO II.

DIviditur possessio facti in Naturalem tantùm, Civilem tantùm, & in Naturalem & Civilem simul: Naturalis tantùm est, qua quis corporaliter insistit rei sine animo illam retinendi ut suam, sic Locatarius possidet domum sibi locatam sed hæc non est vera possessio, aliàs Depositarius possideret rem depositam, quod antea negavimus.

Civilis tantùm est, quando rei insistitur animo, sed non corpore: sic Dominus absens possidet res suas, sive mobiles, sive immobiles, modo tamen ab initio illas apprehenderit corporaliter, & ideo quando antea diximus ad possessionem requiri adminiculum corporis & animi, intelligitur ad possessionem inchoandam, non continuandam. Naturalis & Civilis simul, qua res ut sua corpore & animo detinetur, ut dum quis præsentialiter occupat rem ut suam. His possessionis speciebus addunt aliqui Civilissimam, qua quis nec corpore nec animo rem possidet, sed ex sola juris dispositione: sic aliquibus in locis possidentur primogenita, defuncto priori possessore, licèt posterior nec apprehendat, nec possidere intendat imò ignoret mortem Prioris. Ex dictis

Resol. Possessionem naturalem posse separari à *civili*, cùm ejusdem rei possessio naturalis possit esse in uno, & Civilis in altero; ubi enim violenter occupatur domus alterius, aut alia res immobilis expulso inde Domino, illam naturaliter possidet invasor, civiliter dominus, licèt prior possessio sit infirma.

Dividitur possessio alterius in justam & injustam: prima fundatur in titulo legitimo, puta emptione, donatione &c. secunda nullum habet titulum. Aliquando dicitur etiam possessio colorata, quando nempe titulum habet coloratum etsi non legitimum; aliquando nequidem colorata, ubi caret omni titulo, etiam colorato.

CONCLUSIO III.

TRipliciter acquiri potest possessio, nempe apprehensione vera, ficta, & civilissima. Acquiritur apprehensione vera, dum fit mediante corporis adminiculo, ut villam intrando, agrum calcando, rem manu tangendo &c. & hac apprehensione acquiritur possessio rerum, quæ nullius sunt domini, ut ferarum, thesaurorum &c. Acquiritur apprehensione ficta, dum fit per actum lege, aut consuetudine introductum, licèt de se non sit corporaliter apprehensivus ut per traditionem clavium, Scripturæ, aut instrumenti, per signationem rei possidendæ &c. Acquiritur apprehensione civilissima, quando per Leges transfertur possessio sine ullo actu vero, aut ficto, etiam ignorante novo possessore: sic in Gallia transit ad hæredem possessio hæreditatis, sic in Hispania possessio majoratus. Quantùm ad has apprensiones unusquisque sequi debet consuetudinem suæ Provinciæ, aut sui loci, non tantùm quoad res corporales, sed etiam quoad spirituales ut sunt Beneficia, Dignitates, &c.

CONCLUSIO IV.

DEperditur rerum immobilium possessio. 1. Per longam absentiam domini, nec per se, nec per alium rei suæ insistentis; absentiam autem illam aliqui volunt debere esse decennalem, alii longiorem, alii prudentum judicio relinquendam. 2. Per oblivionem quòd res sit sua; quia tunc deest animus possidendi. 3. Per negligentiam, aut timiditatem repetendi ab injusto invasore. Deperditur autem possessio mobilium,

lium, 1. Voluntate domini rem suam ampliùs possidere nolentis, modo non sit pupillus, aut furiosus, quia tunc requiritur etiam consensus tutoris, aut curatoris. 2. Alterius furto aut rapina, si res ablata aliquandiu detineatur. 3. Amissione. 4. Fuga animalis evadentis, si non habeat consuetudinem redeundi, non perditur tamen possessio servi per fugam. L. *Pomponius* 13. ff. *de acquirenda, aut amittenda possessione*.

Petes 1. An qui perdit rei possessionem, perdat & dominium?

Resp. Negativè, universaliter loquendo; quia res amissa, aut furto ablata, saltem per aliquod tempus desinit possideri & tamen dominium non amittitur. Idem est in pluribus aliis.

Petes 2. Quæ sint privilegia possessionis.

Resp. Hæc tria præsertim. 1. Quòd in dubio æquali de rei dominio melior sit conditio possidentis bona fide. 2. Quòd possessio quandoque pariat præscriptionem, & præscriptione dominium. 3. Quòd non sit possessoris probare in judicio rem esse suam, sed alterius non esse.

DISPUTATIO III.

De Subjecto & Objecto Dominii.

CErtum est de fide Deum esse rerum omnium creatarum verè & propriè dominum, idque non solùm per essentiam, sed etiam titulo creationis, & gubernationis: unde dicitur Judith. 9. *Dominus totius creaturæ*. Sap. 12. *omnium Dominus*. Et alibi, *Dominus universorum*: *Esther* autem 13. hujus Dominii redditur ratio, cùm dicitur: *Tu fecisti cælum & terram*. Ex quo patet, omne dominium, quod postea creaturis competere dicemus, non nisi à Deo dependenter participari. Sed quid de Angelis? dominii esse capaces omnes conveniunt, an autem de facto dominium habeant in hæc inferiora? Affirmant aliqui, negant alii; ubi rem manifestaverit Deus, decidemus. De solis igitur creaturis sublunaribus in hac disputatione agemus.

QUÆSTIO I.

An inter creaturas sublunares Solus, & omnis homo sit Dominii capax?

CONCLUSIO I.

INter has creaturas inferiores solus homo est dominii capax. Est communis & certa.

Ratio est; quia inter illas solus homo ditatus est ratione, & arbitrio quę sunt fundamentum & basis totius dominii, quandoquidem non nisi mediantibus illis de rebus externis liberè disponatur: quod requirit dominii ratio. Hinc

Resol. 1. Bruta esse dominii incapacia cùm nec finem agnoscant defectu rationis, nec agant ex electione, sed ex mero instinctu naturæ, defectu libertatis.

Resol. 2. Dum Sol dicitur præesse diei; Luna nocti, Astra agere in hæc inferiora, non attribui ipsis aliquod dominium, nisi certè valde improprium, & metaphoricum, cum Sol & Luna dicantur præesse per hoc, quòd sua præsentia, & assistentia constituant diem, & noctem; Astra verò agere, non ex dominio in sublunaria, sed ex necessitate, nempe ex influxu, & instinctu sibi ab authore naturæ indito.

CONCLUSIO II.

OMnis homo est dominii capax.

Ratio est; quia omnis homo præditus est intellectu & libero arbitrio; & consequenter ipsis mediantibus capax est, saltem in actu primo, disponere de rebus externis tanquam suis. Hinc

Resol. 1. Contra Vvicleffum, & Joannem Hus peccatores etiam infideles, esse capaces dominii, ut definitum est in Conc. Constantiensi sess. 8. Et ratio est, quia sicut per peccatum, aut infidelitatem non amittunt intellectum, aut libertatem, ita nec capacitatem ad dominium, & ideo Principes peccatores, aut Infideles sunt tanquam veri Reges, & Domini à subditis honorandi.

Resol. 2. Etiam capaces esse pueros ante usum rationis. Patet tum ex Script. ad Galatas 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium*, ubi conceditur parvulo dominium hæreditatis, licèt denegetur administratio, non minus ac servo; tum etiam ratione, quia etsi pro illo tempore habeant potentiam ligatam & impeditam, ne disponant de rebus suis, habent tamen intellectum, & voluntatem: quæ potentiæ, & non illarum usus actualis, sunt fundamentum illius capacitatis, aliàs dormiens careret omni dominio.

Nec refert quòd non possint dominium acceptare per se; quia possunt per Rempublicam, per Tutores, in quorum arbitrio ipsorum voluntates sunt authoritate publica collocatæ; ideo, si, invitis Tutoribus, aut Republica, eorum bona surripiantur, etiam ipsis invitis surripi censentur, adeoque verè patiuntur injuriam.

Resol. 3. Idem esse dicendum de perpetuo amentibus, propter eamdem rationem, & ideo si amentia, etiam perpetua, superveniat possidenti alicujus rei dominium, illud non perdit, licèt desinat esse illius administrator.

Resol. 4. Spectato solo jure naturali non tantùm hominum communitatem, sed etiam quemlibet hominem privatum esse dominum omnium sublunarium, cùm jure naturæ non sint alicui applicata, sed omnibus communia, & ideo bonorum divisio non fuit jure naturæ, sed jure gentium introducta.

QUÆSTIO II.

Quarum rerum Dominium habeant uxores, & filii familias?

ETsi jure naturæ quilibet homo dominii cujuslibet rei temporalis sit capax, hæc tamen capacitas Jure Civili, & Canonico in variis restringitur, ut patebit ex dicendis. Sed ante resolutionem

Advertendum 1. Bona uxorum esse triplicis generis: Paraphernalia, Dotalia, & Communia: *Paraphernalia* sunt, quæ ab uxore afferuntur ultra dotem cum animo, saltem implicito, illa sibi reservandi; *Dotalia*, quæ uxor tradit marito ad supplenda Matrimonii onera: *Communia*, quæ tempore Matrimonii acquiruntur utrique conjugi labore, industria, &c.

Advertendum 2. Quadruplicia bona posse competere filiisfamilias, Castrensia, Quasi-Castrensia, Adventitia, & Profectitia: *Castrensia* sunt, quæ acquiruntur in militia aut ipsius occasione, ut stipendia, prædæ justæ, donata, legata, testamento relicta intuitu militiæ, sicut & omnia mobilia in ordine ad militandum à parentibus concessa; imò & lucrum ex ipsis per contractus licitus proveniens. Denique, ut verbo dicam, omne illud quod non erat filius sine militia recepturus. L. *Ex castrensi* 18. ff. *De Castrensi peculio*. *Quasi-Castrensia* sunt, quæ obveniunt ex munere Clericali, aut ex officio publico non mechanico, ut Professoris scientiæ, aut artis liberalis, Judicis, Advocati, Notarii publici &c. sicut & illa, quæ ad debitum eorumdem exercitium conceduntur, ut vestes proportionatæ, libri &c. imò & quidquid non profectitium comparat sibi Clericus à die suscepti Clericatus. Auth. *Presbyteros* Cod *de Episcopis & Clericis*: dicuntur autem *Quasi-Castrensia*, eò quòd Clericatus sit militia spiritualis, vel, ut alii volunt, militia togata. *Adventitia* sunt, quæ nec à patre, nec intuitu patris, obveniunt filio, ut comparata ex labore, aut industria extra militiam sacram, aut profanam, acquisita per hæreditatem maternam, inventionem thesauri, testamentum, donationem &c. modò non sint relicta principaliter intuitu patris. *Profectitia* dicuntur, quæ filio proveniunt, vel à patre vivente, vel ab alio occasione patris principaliter. His notatis

CONCLUSIO I.

UXores habent dominium, & administrationem bonorum Paraphernalium; Dotalium verò & medietatis Communium, dominium quidem, sed non administrationem.

Prob 1. pars; quia licèt, ubi initum est Matrimonium cum contractu communicationis omnium bonorum, etiam Paraphernalium, administrationem habeat maritus; ubi tamen non intervenit ille contractus, sed mulier explicitè, vel implicitè illa sibi reservavit, ex jure communi eorumdem habet dominium, & administrationem.

Dixi: *Ubi mulier explicitè, vel implicitè illa sibi reservavit*; quia seclusa omni reservatione, bona omnia reputantur Dotalia, cùm nisi aliter appareat, censeatur mulier nubens omnia in dotem marito assignare.

Prob. 2. pars; quia defuncto marito, tum bona Dotalia,

tum

tum bonorum Communium sive mobilium, sive immobilium medietas, jure communi obveniunt uxori, secluso omni contractu & testamento, licèt non sit hæres necessaria: ergo signum est illorum habere dominium; quia tamen, marito vivente, nullatenus potest de ipsis disponere, consequens est administrationem, & usumfructum non penes uxorem, sed penes maritum residere. Hæc omnia de jure communi; quamvis circa præfata nonnullis in locis vigeant contrariæ consuetudines, quas tenetur quilibet in praxi consulere, & sequi.

CONCLUSIO II.

Filii-familias adhuc sub patria potestate constituti habent verum dominium, plenamque administrationem bonorum Castrensium, & Quasi-Castrensium; Adventitiorum verò, dominium, non administrationem; Profectitiorum autem, nec dominium, nec administrationem.

Prob. 1. pars ex ff. *De Castrensi peculio*, ubi id expressè statuitur: ex quo sequitur, teneri patrem restituere, si quidquam ex illis usurpet ultra alimenta filio necessaria; filium verò posse pro libitu de illis disponere, vendendo, donando, imò & testando, si annum decimum-quartum expleverit.

Prob. 2. pars; quia licèt juxta jura antiqua, bonorum adventitiorum, sicut & Profectitiorum dominium, usumfructum & administrationem haberet pater; jure tamen novo, relictis aliis parenti, dominium adventitiorum filio tribuitur; imò certis casibus etiam ususfructus. 1. In datis sub conditione quòd filius, non pater usumfructum haberet. 2. Si pater usumfructum concesserit filio. 3. Si filius constituatur hæres simul cum patre. 4. In datis filio per legem, aut sententiam ob delictum patris, puta hæresim, crimen Læsæ Majestatis. Advertendum est tamen ad particulares locorum consuetudines.

Prob. 3. pars; similiter ex juris communis dispositione unde ex bonis Profectitiis non potest quidquam facere filius in sui utilitatem, eò quòd illorum dominium, tam directum quàm utile sit penes parentes. Quærunt hic aliqui, an aliquorum dominium habeant servi, seu mancipia? Sed cùm omnes servitutis reliquiæ ab hac patria exulaverint, aliis hanc materiam tractandam relinquimus.

QUÆSTIO III.

An Religiosis competat aliquod Dominium?

CONCLUSIO I.

Licèt non repugnet Religioso in particulari dominium temporale; de facto tamen Religiosus professus, est hujusmodi dominii incapax.

Prob. 1. pars; quia Jesuitæ emittentes tria vota simplicia post biennium probationis sunt veri Religiosi, ut declarat Greg. III. in Bulla: *Ascendente Domino*; sed illi retinere possunt ad tempus proprietatem bonorum temporalium; ut asserit idem Pontifex § 13. ergo. Nec mirum: nam cùm incapacitas illa dominii nec oriatur ex vi voti solemnis, aliàs etiam oriretur ex voto simplici, cùm non minùs sit efficax in ratione voti, quàm solemne: nec ex intentione voventis, cùm vovens in Religione à Sancta Sede non approbata non fiat incapax dominii, licèt id expressè intendat: sequitur, oriri præcisè ex ordinatione Ecclesiæ, quæ sicut potuit voto paupertatis incapacitatem illam annectere, ità eamdem ab illo salvo manente separare.

Dices: Non potest Papa dispensare ut Religiosus proprium habeat, ut patet ex cap. 6. *Cùm Monasterium*, De statu Monach.

R. Pontificem ibi loqui de proprio independente quoad usum à voluntate Superioris: non autem de illo, quo quis uteretur ad nutum Superioris: ità ut peccaret, si secùs faceret. Adeo, loqui de Religioso professu: Jesuitæ autem (quorum occasione sustinemus hanc Conclusionem) licèt post vota simplicia sint Religiosi, non sunt tamen professi, cùm postea emittant ultimam professionem.

Prob 2. pars, nempe quòd Religiosus professus sit incapax dominii. 1. Ex cap. *Cùm ad Monasterium*: ubi Innoc. III. prohibet in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis Monachorum proprium possideat. 2. Ex cap. *Non dicatis* 12. q. 1. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*. 3. Ex Conc. Trid sess. 25. *De Regularibus* cap. 2. ubi Regularibus omnibus interdicitur omne proprium, etiam nomine Conventus. 4. Quia voto solemni Paupertatis annexuit Ecclesia incapacitatem dominii omnisque juris temporalis; sicut voto solemni Castitatis annexuit incapacitatem matrimonii. Plura circa hoc vide in Tract. *De Statu Religioso*.

Adverte tamen 1. Non privari propterea Religiosum omnibus omnino juribus, cùm retineat jus ad alimenta, jus ad certum monasterium, si sit conventualis, jus ne extraordinariè puniatur, nisi servato priùs juris ordine, jus suffragii activi & passivi &c.

Adverte 2. Quod licèt Religiosis Beneficiariis, quales sunt Abbates, Priores, Præpositi, & alii gaudentes beneficiis regularibus, aut sæcularibus, non competat dominium fructuum ex beneficio provenientium, competat tamen ex jure, aut consuetudine illorum administratio, saltem ad honestam sustentationem, & pias causas, nisi certè id prohiberent Religionis Constitutiones.

CONCLUSIO II.

Religiosi professi possunt in communi habere dominium temporalium, si excipiantur strictioris saltem observantiæ Franciscani. Hanc tenent omnes contra unicum Navarr. volentem bonorum monasterii dominium competere Christo, solamque administrationem communitati.

Prob. Concl. Quia ratio, cur Religiosi professi, sint in particulari incapaces dominii, oritur præcisè ex statuto Ecclesiæ ut ostendimus; sed nullibi decrevit Ecclesia professorum communitatem esse dominii incapacem; imò contrarium declaravit in Tridentina Synodo sess. 25. cap. 3. *De Regularibus*, ubi concedit omnibus virorum & mulierum Monasteriis (Franciscanis exceptis) *ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat*; ergo &c. qui autem sunt administratores præcisè, non possunt dici possessores.

Confirm. 1. Ex Nicolao III. Cap. *Exiit*. De Verborum significatione in 6. ubi declarat tanquam aliquid particulare, bonorum mobilium & immobilium Dominium non competere FF. Minoribus, etiam in communi, sed Papæ: ergo supponit aliis Communitatibus competere.

Confirm. 2. Ex praxi universali omnium Religionum in communi possidentium, quæ omnes, nequidem una excepta bonorum suorum Dominium sibi attribuunt, & non solam administrationem, non possunt quidem ex ordinatione sacrorum Canonum bona immobilia, imò nec mobilia pretiosa alienare, nisi in commodum religionis; sed hoc non ostendit ipsos non habere dominium, sed illud esse aliqualiter limitatum, sicut est dominium pupillorum, imò & filiorum-familias respectu bonorum adventitiorum.

QUÆSTIO IV.

An competat Clericis sæcularibus Dominium proventuum Ecclesiasticorum?

Suppono 1. Triplicis generis bona posse Clericis sæcularibus competere, nempe Patrimonialia, acquisita ministerio Clericali, seu Quasi patrimonialia, & merè Ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quæ ipsis obveniunt independenter ab omni ministerio, & Beneficio Ecclesiastico, suntque ipsis & laicis communia. Acquisita ministerio Clericali dicuntur, quæ sine interventu Beneficii comparantur per ministeria Clericis propria, v. gr. Altari inserviendo, cantando, Missas celebrando &c. Merè Ecclesiastica sunt, quæ tantùm proveniunt ex Beneficio Ecclesiastico, putà Canonicatu, Decanatu &c.

Suppono 2. Clericos sæculares habere dominium adeoque liberam administrationem bonorum patrimonialium; cùm per Clericatum non sint facti deterioris conditionis, quàm si mansissent in laicatu, hocque confirmant praxis & sensus communis. Idem dic de acquisitis Ministerio Clericali, cùm non censeantur nisi justa merces, justumque stipendium laboris & certè si pauper dominium habeat eleemosynæ sibi gratis concessæ, quidni & Clericus stipendii laboris suo debiti?; Tota ergo difficultas versatur circa proventus seu fructus Beneficiorum.

Suppono 3. Beneficiorum fructus posse spectari, vel quatenus necessarii sunt ad honestam Beneficiati sustentationem vel quatenus dictæ sustentationi superfluunt.

Suppono 4. Primis temporibus bona Ecclesiæ fuisse communia, sicut nunc in Monasteriis, ipsumque Episcopum consuevisse per se, vel per alios illa Clericis distribuere, quantùm requirebat honesta cujuslibet sustentatio, superfluis pauperibus distributis; circa Augustini autem tempora sub Simplicio Papa, id est anno circiter 470. factam esse illorum divisionem in 4. partes, prima assignata Episcopo, secunda clero,

ter-

tertia fabricæ, quarta pauperibus idque ut vitarentur difficultates exortæ. His suppositis

CONCLUSIO I.

PRobabilius est, Clericos esse dominos pensionis fructuum Beneficii, quæ ad congruam ipsorum sustentationem necessaria est, adeoque posse pro libitu de illa in usus honestos disponere. Est ferè omnium Theologorum.

Prob. 1. Miles sæcularis fit dominus stipendii sibi concessi: ergo & miles spiritualis. Præterea ita dignus est operarius manualis mercede sua: ut illius Dominium acquirat: quidni & operarius Evangelicus?

Prob. 2. Ideò Clericus fit dominus acquisitorum per ministerium Clericale, puta per cantum, Confessionum exceptionem, Missæ celebrationem &c. quia sunt justa merces & stipendium laboris, atqui idem est de portione præfata: ergo.

Prob. 3. Quia dum Canones vocant Ecclesiæ proventus *patrimonium Christi*, *bona Crucifixi*, *alimenta pauperum* &c. non loquuntur de portione sustentationi necessaria; cùm illa sit titulo Justitiæ debita; implicat autem ut idem sit Beneficiatis & simul pauperibus ex justitia debitum.

Dices; Beneficiati ante bonorum Ecclesiæ divisionem non erant illius portionis domini: ergo nec post. Prob conseq. Quia bona illa per divisionem non mutarunt naturam suam, sed tantùm modum administrationis.

Ref. Quoad portionem illam mutatum esse dominium: illa enim, cessante vita communi, assignata est Beneficiatis titulo justitiæ tanquàm merces labori debita; imò tali titulo fuisset antè divisionem assignata; nisi dominio particulari obstitisset voluntaria vita communis. Hinc

Resol. 1. Viventes ex patrimonio posse portionem illam non tantùm in usus pios, sed etiam in quoslibet honestos expendere.

Resol. 2. Sumptibus parcentes posse etiam de reliquo dictæ portionis pro libitu disponere, cùm illius sint domini absoluti.

CONCLUSIO II.

CLerici nullatenùs habent dominium portionis fructuum, quæ honestæ sustentationi superfluit; & ideò nisi illam in pauperes, aut usus pios expenderint, violant justitiam, suntque obnoxii restitutioni. Est communis omnium Canonistarum, inquit Navarrus, quibus consentiunt plerique Theologi recentiores, imò omnes antiqui, ita ut dixerit Major, nullum Doctorem antè se mortuum contrarium docuisse.

Prob. 1. Ex unanimi sensu Ecclesiæ nobis in Summis Pontificibus, & Patribus manifestato & usque ad nos transmisso: ac 1. Sic loquitur Alex. III. c. 2. De donation. *Cùm Dominus & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus* 2. D. Hieron. super cap. 3. Isaiæ v. 15.: *Rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent Thesauros suos, & Ecclesiæ opibus abutuntur in delicias &c.* Si autem illarum essent domini, non possent dici raptores 3. D. Aug. relatus causa 12. q. 1. can. *Si privatum*: proventuum Ecclesiasticorum *procurationem quodammodo gerimus, non pietatem &c.* Videri etiam possunt Divi Greg. Amb. Chrysostom. & alii, qui unanimiter asserunt bona illa esse pauperum: & si dicas hoc fuisse verum ante divisionem, non post, audi, D. Bernard. diù post illam in Epist. 2. circà fin. sic loquentem: *Quidquid præter necessarium victum, simplicem vestitum de altario retines. tuum non est, sacrilegium est, rapina est*. Idem habet Epist. 42. & Serm. 23. in Cantica, ubi expressè ait Ecclesiæ ministros, qui stipendiorum superflua sibi retinent, aliena diripere: audi & D. Laurentium Justinianum lib. De institut. & regimine Prælatorum cap. 4. *o quanta abusio, Christi ditari divitiis, & Christo nihil velle dare: nonne thesauri Christi sunt facultates Ecclesiæ? undè temporalia sunt Ecclesiis prærogata? nonnè propter Christum, nonnè ut Christi pauperibus erogentur, Noli igitur tu, qui præsides, retinere quod alienum est, ne furti deprehendaris in causa*. Quid Clarius?

Prob. 2. Quia Ecclesia Beneficiorum Fundationes recepit cum onere superflua distribuendi pauperibus: ergo Beneficiati non sunt superfluorum domini, vel certè si sint aliqualiter, ut loquuntur aliqui; tenentur tamen ex justitia præfata erogare pauperibus: quod in idem redit pro praxi. Prob. Ant. ex c. Aquisgranensi 1. c. 116. *Facultatibus suis sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam* (nempè fideles) *ut his & milites Christi alerentur, Ecclesiæ exornarentur; pauperes recrearentur*.

Prob. 3 Quia Ecclesiæ ministris ob servitia ordinari tantùm debetur congrua sustentatio: ergo superabundantium non censentur fieri domini absoluti.

Prob. Denique ex eo quòd proventus illi vocentur à sacris Canonibus *Patrimonium Christi*, *Bona Crucifixi*, *Res Dei*, *Alimenta pauperum.*, qualia non vocantur bona Ecclesiasticorum patrimonialia: ergo signum est hæc & illa aliter ab Ecclesiasticis possideri.

Obji. 1. Cap. unico. *De Cleric. non resident. in 6.* dicitur quòd qui Divinis Officiis non intersunt, non sint domini quotidianarum distributionum, nequè faciant eas suas: ergo qui intersunt sunt illarum domini.

Ref. Ibi fieri mentionem distributionum, quæ supponuntur necessariæ ad congruam Clerici sustentationem.

Obji. 2. Trid. Sess. 23. c. 1. *De reform.* asserit, Episcopos sine necessitate ultrà trimestre absentes non facere fructus suos; sicut nec faciunt Beneficiati, qui ultrà bimestre differunt Professionem Fidei: ergo si in illis non defuerint, faciunt fructus suos, adeoque sunt illorum domini.

Resp. Consequens esse verum quoad partem sustentationi congruæ correspondentem, non quoad superflua, propter rationes priùs positas.

Inst. Sicut privantur omnibus fructibus deficientes, ita fiunt omnium domini officio suo satisfacientes, cùm Concilium loquatur indiscriminatim.

Ref. Privari quidem ab Ecclesia omnibus fructibus, idque in pœnam delicti, ut constat ex praxi; nunquàm tamen sunt omnium domini, eò quòd Ecclesia contrarium declaraverit per Canones, Sanctos Patres &c.

Obji. 3. D. Thomam 2. 2. q. 185. articulo 7. ubi videtur docere posse Episcopos de fructibus sui Beneficii ita disponere, sicut de bonis patrimonialibus.

Ref. S. Doctorem manifestè loqui de portione sustentationi necessaria, non de superfluis, aliàs possent illa etiam usibus profanis, imò & parentibus ditandi sine peccato impendere, sicut possunt patrimonialia; quod est contrà expressam Canonum & Tridentini prohibitionem sess. 25. c. 1. *De reform.*; quòd autem S. Thomas non adversariis, sed nobis formalissimè faveat, patet ex Quodlib. 6. ubi ait. *Bonorum Ecclesiasticorum Clerici non sunt veri domini, sed dispensatores* Et in summa suprà: *Ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores, vel procuratores*.

Obji. 4 Si staret conclusio, posset aliquis pauper à Beneficiato superflua retinente, surripere aliquid sine peccato cùm pauperes jus habeant ad superflua.

Resp. Quòd etsi pauperes in communi jus ad rem aliqualiter habeant in superflua; non habeant tamen antè distributionem, nec in communi, nec in particulari, jus in re, illorum dominio penes Ecclesiam universalem remanente; & ideò fures sunt, si aliquid ex illis surripiant, Adde bona illa non necessariò danda esse pauperibus, cùm possint in alias causas pias expendi.

Obji. 5. Ecclesia non obligat Beneficiatos bona illa, in usus profanos expendentes ad Restitutionem: ergo censet esse illorum dominos.

Ref. Obligare per Canones, Concilia, Sanctos Patres, Scholarum Principes, & totam Theologorum antiquitatem, qui omnes unanimi voce conclamant retinentes bona illa esse fures, latrones, sacrilegos, & raptores: quòd si nunc videantur tacere Pontifices, sciendum est, *multa per patientiam & prudentiam tolerari*, inquit Cajetanus, *quæ si deducerentur in judicium, arguerentur*.

Obji. 6. Si superfluorum non essent domini, illa non concederentur ipsis ab Ecclesia.

Ref. Neg. Assumptum: Ecclesia enim constituendo Beneficiatos superfluorum dispensatores, meliùs & faciliùs providet singulorum pauperum necessitatibus, cùm tribus Canonicis v. g. faciliùs innotescant loci pauperes, quàm unico dispensatori. Deinde alia, & fortè præcipua Ecclesiæ ratio, fuit, ne Beneficiatis infirmis, senibus, aut aliter indigentibus necessaria deficerent.

Obji. 7. Non est credibile fundatores imposuisse Beneficiatis onus superflua pauperibus, aut piis causis applicandi, aliàs id per seipsos præstitissent.

Ref. Quidquid sit de fundatorum intentione, Ecclesiam non aliter fundationes illas acceptasse, ut satis patet ex dictis

Advertendum hic pro illis, qui se credunt omnium fructuum dominos, equidem mortaliter peccare, si superflua in usus profanos, aut parentes ditandos expendant, ut certum est apud Doctores communiter, tum ex Sacris Canonibus, tum ex Tridentini prohibitione sess. 25. c. 1. *De Reform.*

QUÆSTIO V.

Qualiter sit respondendum variis circa hanc materiam difficultatibus?

PEtes 1. Quid senserint Authores de sententia nostræ contraria? Hîc nullas censuras fero, sed ab aliis latas simpliciter refero.

Resp. Igitur vocari à Medina *sacrilegam, adulatoriis quorumdam sophistarum nugis in scholas introductam & Evangelicum pauperibus opitulandi ministerium excludentem?* à Petro Soto, *errorem gravissimum, saltem contra bonos mores & justitiam;* ab Archidiacono *hæresim in jure*, à Majore *antiquitati contrariam*. Molina autem tract. 2. e. 15. §. 5. in fine. De Sacerdotio *vehementer timeo*, inquit, loquens de nostra sententia, *multos esse Ecclesiasticos, qui æternis torquentur suppliciis, quia veram hanc Doctrinam secuti non sunt &c.*

Petes 2. Quænam censeatur congrua Beneficiati sustentatio?

Res. Hoc esse prudenter determinandum, attenta timoratorum consuetudine, vivendi ratione, loci & temporis circumstantia, personæ dignitate &c. & ideo pinguior assignatur Episcopo, quàm Capellano &c.

Dixi: *Personæ dignitate*, nempe Ecclesiastica & non sæculari, cùm beneficia non ad sæcularem pompam, sed ad Ecclesiæ ministrorum sustentationem fuerint instituta. Errant igitur, qui sub prætextu nobilitatis ex bonis pauperum nutriunt famulorum, equorum &c. multitudinem.

Petes 3. An non possint Beneficiarii aliqua in futurum retinere?

Resp. Posse illa, quæ prudenter existimantur necessaria, ut obvietur infirmitati futuræ, bellorum incommodo, liti sustinendæ, temporum sterilitati &c. si de facto adsit illorum periculum. Imò non videntur condemnandi illi, qui moderatè thesaurizant piæ alicujus Fundationis causa, sed in his omnibus cavenda affectio immoderata, sicut & Avaritiæ animus non rarò Clericis familiaris, in dedecus Ecclesiasticæ dignitatis.

Petes 4. An liceat Clericis, sicut & Abbatibus ex proventibus Beneficii, aut Monasterii deficientem consanguineorum statum sustinere?

Res. Hoc periculosum esse, ne, inquit D. Hieronymus, dum *parentibus miserentur, animas perdant*. Interim nolim ipsos condemnare, si, seclusa omni vanitate & superfluitate, statui honesto sustinendo subveniant ex motivo Charitatis, modò tamen aliis magis indigentibus priùs succurrant.

Petes 5. An Religiosi facti Episcopi sint domini proventuum suæ sustentationi necessariorum?

Res. Neg. Eò quòd Dominio obstat votum paupertatis, quod per Episcopatum non tollitur; & ideo sunt tantùm illorum administratores: quod sufficit ut dignitatem Episcopalem debitè sustineant: unde Can. *statutum*. 18. q. 1. dicitur res à Monacho habitas ante Episcopatum, esse Monasterii, habitas in Episcopatu esse Ecclesiæ, & non ipsius Episcopi, adeoque si illas prodigè expendant, violant justitiam, suntque recipientes obnoxii restitutioni.

Dices 1. Juxta Canonem citatum absolvuntur à voto Obedientiæ: ergo & Paupertatis.

Resp. Dist. Ant. Absolvuntur in actu secundo, eò quòd non habeant amplius in Religione Superiores, quibus obediant, sicut nec habet Monachus factus Abbas, C. in actu primo, & quantùm ad vinculum, N. in nostro autem casu potest Episcopus esse pauper, non solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo, si sit contentus proventuum administratione sine dominio.

Dices 2. Possunt ex proventibus testari ad causas pias: ergo sunt illorum domini.

Res. Non posse sine dispensatione Papæ; sed tunc eorum administrationem ita extendit Pontifex, ut etiam valeat post eorum mortem: & sic nullo opus est Dominio.

Petes 6 An hæredes teneantur ad restitutionem eorum, quæ reliquit Beneficiarius ex superfluis suæ sustentationi?

Res. Affirm. Nisi sint pauperes. Ratio est, quia tenentur ad solutionem omnium debitorum; sed illa sunt debita pauperibus, aut saltem locis piis: ergo sunt restituenda.

Petes 7. An sacris Ordinibus initiati possint alienare titulum suæ Ordinationis?

Resp. Non posse sine facultate Ecclesiæ, undecumque proveniat, quamdiu non habent aliunde sufficienter. Ratio est, quia sicut bona illius tituli sunt Ecclesiæ obstricta in sustentationem Ordinati; ita nec possunt ab Ecclesia divelli sine ejusdem consensu: unde Trid. sess. 21. e. 2. *De Reform. atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint;* quamvis illorum dominium &c. si patrimonialia sunt, semper maneat penes Ordinatum, qui ideo potest de illis testari ad qualcumque causas.

QUÆSTIO VI.

Quodnam sit objectum dominii humani?

IN idem redit, si quæratur, quænam cadant sub dominio hominis? Sed ante resolutionem

Suppono 1. Ex dictis in tract. in Decalog. hominem Dominum esse suæ famæ, adeoque, secluso Reipublicæ, familiæ, aut tertii nocumento, posse illam dissipare sine gravi peccato. Idem dic de honore.

Suppono 2. Non esse dominum vitæ suæ, sicut nec membrorum, sed usuarium, illorum dominio penes Creatorem residente, juxta illud Sap. 16 *Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*, & ideo si quis seipsum, aut alium permittentem occidat, vel mutilet, graviter peccat, nisi certè alicujus membri amputationem exigeret totius conservatio. Vide hæc fusiùs dicta in 5. Præc. Decalogi.

CONCLUSIO I.

POtest homo esse dominus alterius hominis quoad ipsius opera, titulo nativitatis, via emptionis, ratione delicti, & jure belli.

Prob 1. Pars, ex L. *partum* Cod. *de vindicatione*, ubi legitur in tit *partus sequitur matrem*, ex quo sequitur ex matre serva nasci prolem servam, licèt pater foret liber. Si tamen tempore conceptus, aut partus, aut etiam tempore intermedio fuisset libera mater, etiam libera foret proles.

Prob. 2. Pars; quia cùm homo sit suorum operum, suæque libertatis dominus, potest, urgente fame, aut alia justa necessitate seipsum in perpetuum vendere, sicut potest famulus, aut ancilla ad tempus se alteri locare. Unde S. Paulinus, ut filium viduæ à servitute liberaret, se ipsum servituti subjecit. Ut autem hæc venditio teneat, requiruntur jure Romano certæ conditiones. 1. Ut venditus sit *major 20. annis*. 2. Ut is qui venditur sciat se esse liberum tempore venditionis. 3. Ut venditus aliquod pretium recipiat, & ideo jure Civili non potest aliquis gratis in servum se donare. Alias conditiones vide apud Authores.

Prob. 3. Pars; quia *Can de raptoribus* 46. q 1. raptor ob violentiam adhibitam fit servus raptæ, vel debet se redimere: quod in his locis non est in usu. Item e. *Ita quorumdam* 6. *De Judæis* statuitur ab Alex. III. ut ferentes ad Saracenos arma, ferrum &c. aut etiam naves eorum piraticas gubernantes, fiant capientium, etiam Christianorum.

Prob. 4. Pars; quia qui in bello justo capitur, fit capientis servus. Unde 1. Petri 2. dicitur: *à quo quis superatus est, hujus & servus est* Et certè si à victoribus capti possint occidi, quidni, vita concessa, in servitutem redigi; Hæc tamen servitus non habet locum inter milites Christianos.

CONCLUSIO II.

HOmo habet dominium actuum suorum liberorum, etiam interiorum, imò & supernaturalium,

Ratio est; quia in illos omnes habet potestatem, liberamque dispositionem, cùm possit illos ponere, vel non ponere: sine gratia quidem nunquam operabitur supernaturaliter; sed, ipsa recepta, adhuc liber est ut agat, vel non agat. Hoc tamen intellige physicè loquendo; quia si, posito operandi præcepto, non operetur, aut posita operandi inhibitione, operetur; non erit immunis à peccato.

CONCLUSIO III.

OMnes res sublunares cadere possunt sub dominium hominis, adeoque Elementa, pisces, feræ, aves, plantæ, fortunæ bona; imò ab initio omnia fuerunt sub illius ditione posita, juxta illud Psalmi 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Et licèt post peccatum primi Parentis rerum usus, & acquisitio sit difficilior reddita, non periit tamen Dominium.

Dixi: *Omnes res sublunares*; quia non extendit se dominium hominis in Cœlum & astra, licèt quoad influentias & commo-

commoda ex illis provenientia aliqualiter subjiciantur hominis dominio, inquantùm non potest justè impediri quominùs fruatur lumine Solis, & astrorum influentiis.

CONCLUSIO IV.

HOmo etiam aliqualiter dici potest dominus bonorum suorum spiritualium, tum interiorum, id est gratiæ sanctificantis cum virtutibus annexis, tum exteriorum, id est, Beneficiorum, Dignitatum, & Officiorum Ecclesiasticorum.

Prob. 1. Pars; quia, supposito gratiæ auxilio proportionato, potest homo per dispositionem congruam gratiam sanctificantem sibi comparare, & per peccatum illam amittere: ergo quod homo gratiam possideat, vel non possideat, aliqualiter pendet ab ipsius voluntate, & hoc sensu dici potest gratiæ dominus: hinc patet, quantùm homo sit animæ suæ crudelis, suæ salutis incurius, divinæ bonitati injuriosus, cùm gratiæ possessionem negligit, aut contemnit.

Prob. 2. Pars; quia Episcopus habet potestatem utendi suo Episcopatu, Canonicus suo Canonicatu in omnes usus sibi permissos, possuntque Beneficiis renunciare, cedere, imò, accedente Superioris licentia, illa personis idoneis resignare, quod signum est alicujus dominii: nullus tamen dominus est alterius Beneficii, nequidem Episcopus, aut Summus Pontifex, aliàs possent Beneficia quibus vellent, adeoque & indignis, distribuere sine injustitia.

DISPUTATIO IV.

De modo acquirendi Dominium.

TRibus modis acquiri potest rerum dominium, jure naturali, jure civili, jure orto ex particularium contractu. Jure naturali acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt: jure civili quæ quidem alicujus sunt, sed præfixo per leges tempore possidentur: jure particulari, quæ sunt alterius tanquam domini, & possessoris, sed in alium transferuntur per donationem, venditionem, mutationem, aut alium contractum: de duobus primis hic agemus, de tertio agetur Disp. sequenti.

QUÆSTIO I.

Quænam animalia liceat aucupio, venatione, aut piscatione capere, quænam non?

ADverte 1. Animalium alia esse ex natura sua familiaria & domestica, ut equos, canes, boves, gallinas, oves &c. alia ferina & sylvestria, ut lepores, cervos, perdices, quibus annumerantur omnes pisces; alia partim familiaria, partim sylvestria, ut cuniculos, anseres &c.

Adverte 2. Aliqua ex domesticis sibi relicta fieri quandoque ferina, ut sues & capras; & è contra aliqua ex ferinis usu & consuetudine fieri mansueta, & domestica ut apes in alveariis asservatas, cervos &c. His notatis

CONCLUSIO I.

LIcitum est quælibet animalia ferina, & sylvestra necdum ab aliquo comprehensa, prosequi, & capere; ità ut statim fiant accipientis, ubicumque capiantur. Idem est de illis, qui ex dominii potestate elapsa in pristinam libertatem redierunt, lib. 2. Inst. *De rerum divisione*, §. *feræ* &c.

Ratio est; quia cùm animalia illa cadere possint sub dominium hominis, & aliunde nullius sint, non est cur non fierent primò occupantis: unde nullus justè conqueri potest de capiente. Porrò censetur animal ferinum constitutum esse sub potestate hominis, quando vel ab eo captum est, vel in eo statu positum, ut moraliter loquendo sit ab illo capiendum; quia tunc censetur adesse vera apprehensio moralis. Item tamdiu censetur sub ejus potestate, seu dominio remanere, quamdiu vel custodia coercetur, vel si evasit, facilis est tamen ejus prosecutio. Hæc omnia colliguntur ex jure citato. Hinc

Resol. 1. Capientes animalia in leporariis, vivariis, stagnis, sylvis non amplis & circumdatis, obnoxios esse peccato, & restitutioni, cùm dominum habeant proprium. Aliud esset, si semel capta includerentur in locis ità amplis, ut difficilis esset eorum captio, v.g. pisces in rivis, cervi in saltibus.

Resol. 2. Eum, qui vulneravit lethaliter feram, ipsamque insequitur, debere esse illius dominum, & consequenter, si ab alio capiatur, esse restituendam. Ratio est; quia moraliter erat prosequentis, cum certò esset illam apprehensurus: aliud esset, si dubium foret, an esset comprehensurus, necne; vel si desiisset prosequi: tunc enim fit capientis: postulat tamen æquitas, ut detur aliquid, insufficienter vulneranti, si adhuc prædam insequebatur.

Resol. 3. Animal retibus tuis inextricabiliter implexum fieri tuum, etiam ante capturam; quia dum laqueis tuis ità intricatum est, ut nullatenus possit evadere, censetur in tuam potestatem pervenisse. Secùs dicendum, si adhuc poterat animal ex laqueis se eripere; quia tunc fiet priùs apprehendentis, eò quòd defectu sufficientis apprehensionis necdum censebaris illius dominus. Ratio tamen videtur exigere, ut aliquid tibi concedatur ratione industriæ & probabilitatis prædæ obtinendæ.

Resol. 4. Si alter ex laqueis tuis feram inextricabiliter implexam eripuerit, libertatemque concesserit, te perdere quidem illius dominium, sed tibi competere actionem in eum, qui eripuit.

Resol. 5. Idem esse omnino dicendum de piscibus, qui in flumine retibus tuis sunt involuti, ac de fera laqueo tuo intricata.

Resol. 6. Si apes (quæ sylvestres reputantur) ex alveariis tuis ità evolaverint, ut illarum prosecutio, & apprehensio sit difficilis, & præter spem, licite à quolibet posse apprehendi, etiam forent in fundo tuo: sicut enim avis nidificans ad parietem domus tuæ non est tua; ità nec examen apum in fundo tuo existens censetur tuum, si jam evolando nativam libertatem recuperaverit: posses tamen impedire, quominus alter fundum tuum ingrederetur. Ubi autem apes alterius alveare occupant, fiunt ipsius, jure pluribi sic disponente.

CONCLUSIO II.

ANimalia domestica, seu naturaliter mansueta, sicut & ferina mansuefacta, quamdiu redire solent, non sunt primò capientis, etiamsi longè aberraverint, sed sunt domino comparenti restituenda. Primum patet ax lib. 2. Instit. Tit. 1. §. *Gallinarum*, sicut & secundum §. *Pavonum*.

Ratio est; quia per fugam, aut distantiam non censentur amisisse dominum.

Dixi: *Quamdiu redire solent*; quia ubi consuetudinem redeundi deseruerunt, censetur pristinam libertatem recuperasse, sicque fieri poterunt primò occupantis. Quandonam autem consuetudinem illam perdiderint: Relinquendum est prudentum arbitrio, attenta animalium natura: plus enim temporis requirunt aliqua, minùs alia, ut pristina libertate donata esse dicantur: unde non arridet illorum sententia, qui redeundi desuetudinem ex una aut altera intermissione metiuntur: imò quantùm ad aves venaticas, ut sunt pavones, milvi, falcones, accipitres, etiamsi redeundi consuetudinem deseruerint, non tamen deseruerunt dominum; & ideo sunt ipsi restituendæ, consuetudine sic disponente.

Advertendum hic, juri communi semper præferendas esse leges & consuetudines locorum particulares, ubi sunt legitimò introductæ; & ideo si alicubi alia sit præcedentium dispositio, servanda est.

QUÆSTIO II.

An prohiberi possit captio animalium in locis publicis, an peccent, & ad quid teneantur contravenientes?

QUæstio procedit tam de aucupio & piscatione, quàm de venatione. Sed ante

Suppono 1. Venationem, saltem clamorosam, illicitam esse Clericis, & Religiosis. Patet ex Concil. Aurelianensi, ubi Episcopus, qui crebrò talibus venationibus dat operam, *jubetur suspendi tribus mensibus à Communione*; *Presbyter verò duobus*, *Diaconus ab officio*: quod etiam refertur c. 1. *de Clerico venatore*: ex quo habes mortalem esse pro Ecclesiasticis clamorosæ venationis frequentationem; excusari tamen potest, saltem à mortali, venatio rara & modesta, id est, facta sine magno armorum & canum strepitu.

Suppono 2. Peccare, obnoxiosque esse restitutioni venantes cum detrimento proximi, ut si conculcent segetes, grana excutiant, destruant semina, sepes, vineas, legumina &c. vel etiam venantur delectationis ergo, & culpabilis est delectatio proximi nociva: vel ob commodum proprium, & injustum est, quòd, ut sibi prosint, alteri noceant: vel ob bonum

commune, eò quòd nimia ferarum multitudo agros devoret; & postulat naturalis æquitas, ut non unus tantùm, aut duo totum damnum sentiant; unde si commodum ex venatione intentum fit commune, debet & commune esse damnum; aliàs læditur Iustitia.

Suppono 3. Prohiberi posse animalium captionem, vel publicæ utilitatis ergo, vel ratione privati commodi, quod inde recipit dominus fundi, aut Toparcha. His suppositis

CONCLUSIO I.

POtest Princeps aut Respublica animalium captionem prohibere, etiam in locis publicis, ubi adest justa causa. Est contra quosdam Juris-Peritos, imò & Theologos, qui docent hujusmodi animalium captionem, utpote jure naturæ, aut jure gentium licitam, non posse à Principe prohiberi.

Prob. Concl. quæ communis est; quia si possit Princeps, aut Respublica aliquid ex bonis particularium exigere, ubi justa ratio postulat, quidni & loca publica, eorum usibus deputata, aliis elocare, aut etiam interdicere, ubi id exigit bonum commune? Unde prudenter agit Princeps, aut Magistratus, si, ne majoribus tributis gravetur populus, elocet fluvios communes, aut certa loca venationi idonea. Item si prohibeat venationem tempore, quo animalia sunt gravida, ne extirpentur: aut quando nives sunt copiosæ, ne capiantur omnia. Similiter si inhibeat infectionem fluminis, aut capturam piscium cum certis instrumentis, aut escis venenatis; quia prohibitiones illæ conducunt ad bonum communitatis. Sed potestne Princeps ob suam, aut alicujus personæ bene-meritæ, putà Urbis Gubernatoris oblectationem, loca certa reservare? Dicendum est quòd sic, quia justum est, ut Princeps pro communitate laborans, ex bonis communitatis recreetur, & ex iisdem compenset personas, quæ pro Reipublicæ defensione, aut conservatione fortiter laborarunt; postulat tamen humanitas, ut aliqua loca populorum recreationi relinquantur: nisi certè ideo tributa minuerentur.

Cæterùm cavere debent illi, quibus vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel ratione fundi, vel ex favore Principis, concessum est jus venandi, ne permittant lepores, cuniculos &c. ità multiplicari, ut sint agricolis gravi incommodo: in hoc enim læderetur justitia.

CONCLUSIO II.

PEccant mortaliter, qui in hac materia notabiliter contraveniunt Principis aut Reipublicæ inhibitioni ad publicam utilitatem vergenti.

Ratio evidens est; quia tunc grave nocumentum inferunt communitati: unde si quis pisces capturus inficiat fluvium: ultra peccatum tenetur damnum Reipublicæ illatum resarcire, in quantùm læsit graviter jus, quod ipsa habebat ad piscationem, & ad lucrum inde speratum. Ubi autem venatio, aut piscatio prohibita, non est graviter communitati injuriosa, sicut necalicui tertio, qui jus piscandi, aut venandi conduxit, non videtur excedere peccatum veniale, nisi adessent aliæ circumstantiæ rem aggravantes. Sed peccatne ille, qui, invito domino, venatur in fundo ipsius? Etsi, spectato solo jure naturali, videatur venatio illa licita, ubi feri potest sine detrimento agrorum aut pratorum domini, eò quòd feræ non sint fructus fundi; nec ad fundum, aut fundi dominum pertineant; quia tamen jure civili potest quilibet jus venandi in suis prædiis sibi reservare, aliisque interdicere, ut patet ex §. *feræ*, Instit. *De rerum divisione*, talis venatio illicita est, idque graviter, vel leviter proportionatè ad damnum, aut injuriam domino illatam; ubi tamen, nolente domino ibi venari, ità multiplicarentur animalia, ut vicinis essent gravi nocumento, posset ibidem, neglecta ejus prohibitione tanquam irrationabili, venatio exerceri; imò teneretur ipsemet ad damnorum inde sequentium reparationem, eò quòd illorum esset verè causa, cùm nolens venari id aliis inhiberet.

CONCLUSIO III.

QUi animalia capiunt in loco, ratione publicæ utilitatis, interdicto, tenentur, lata sententia, pœnam luere, damnumque notabile resarcire, non tamen prædam restituere.

Prob. 1. pars; quia ubi lex pœnalis justa est, obligat ad latæ sententiæ executionem, ut suo loco dicitur.

Prob. 2. Pars, quia si reparari debeat damnum illatum particulatibus, quidni illatum communitati?

Dixi: *Damnum notabile*, ut, si capiantur animalia magni pretii, aut tot minora, ut venatio censeatur sensibiliter imminuta. Aliud esset, si interdum unum, aut aliud animal comprehenderetur; quia tunc Princeps, aut Respublica pœna contenti non solent restitutionem exigere.

Prob. 3. Pars; quia cùm præda capta nullius esset antè captionem, adeoque nec Principis, nec communitatis, eò quòd illius dominium tantum per apprehensionem acquiratur, sequitur esse venatoris illam apprehendentis, & ideò non teneri illam restituere, etiamsi in specie existat: unde quòd teneatur restituere, ubi damnum intulit notabile, non oritur ratione rei acceptæ, seu animalium captorum, sed quia graviter minuit venationem, ad quam jus habet Princeps. Idem resolvendum est, ubi privatus aliquis jus habet, ad venationem, aut piscationem in aliquo loco ratione fundi; aut quia Princeps id ipsi specialiter concessit cum aliorum exclusione tunc enim obligatur quidem venator damnum venatori illatum resarcire, non tamen feram apprehensam reddere, propter rationes superiùs dictas.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum de Columbis & Columbariis.

CONCLUSIO I.

LIcita sunt columbaria, nisi alicubi, ob speciales rationes, prohibeantur. Est communis inter Doctores, qui illam materiam tractarunt.

Ratio est; quia nec columbaria, nec ipsæ columbæ videntur agricolis nocivæ, non quidem columbaria quia si destruerentur, nullæ essent columbæ domesticæ, sicque multiplicarentur sylvestres turbatim volantes; quæ cùm non haberent aliunde pabula, multò magis agris nocerent; non etiam columbæ; quia si in aliquibus noceant, in aliis, bona semina comedendo, prosunt in aliis, ut terras stercorizando, mala semina extirpando, puta lolium, nigellam, titiam sylvestrem, & alia grana, quæ in herbas crescentia, sunt segetum suffocativa. Addunt experti, columbas tantæ esse simplicitatis, ut non discooperiant semina terræ mandata, sicut faciunt gallinæ scalpendo, imò nec tangere spicas, dum calami sunt erecti, adeò ut sint tam fertiles agri columbariis vicini, quàm eisdem remoti. Non negarem tamen peccare columbarii dominum, tenerique ad damnorum reparationem, *si columbis* suis denegans ordinaria pabula esset in causa, *cur devastarentur agri vicini*.

CONCLUSIO II.

COlumbarii Dominus utens ex dolo, aut fraude certis feminibus, escis, odoribus, aliisque artificiis, ut alterius columbarii columbæ inescatæ ad suum attrahantur, aut consuetudinem ad proprium revertendi deserant, peccat mortaliter, teneturque ad damnorum & columbarum restitutionem; secus si columbæ alienæ ipsius columbario ultrò se ingerant.

Ratio prioris est; quòd nunquàm liceat per dolum, aut fraudem privare alterum rei suæ dominio. Si quis tamen eo fine præcisè, ut columbas proprias meliùs nutriret, aut retineret, præberet iisdem pabula abundantiora, aut stationem aptiorem, & tamen ideò attraherentur alienæ, nec peccato, nec restitutioni obnoxius foret; quia nulla ibi fraus.

Ratio posterioris est, quòd ad vitanda jurgia & discordias continuas, introduxerit legitima consuetudo, ut columbæ è columbario proprio ad alienum ultrò divertentes fiant posterioris columbarii, modò tamen relinquatur iisdem nativa libertas; & ideò justitiam violant, qui videntes in suo columbario columbas alienas, ipsas tamdiù includunt, quamdiù consuetudinem ad proprium redeundi amiserunt. Ubi autem propter desuetudinem redeundi ad prius columbarium, posterioris factæ sunt, non licet priori Domino illas fraude, aut aucupio apprehendere, cùm desierit esse illorum Dominus.

Advertendum hic certis locis columbas venditas, bis aut ter reddi emptori, si ad venditoris columbarium redeant: quod ibidem servandum est, sicut alia inter columbariorum Dominos legitimè servari solita.

CONCLUSIO III.

ILlicitum est aucupium columbarum domesticarum intrà terminos lege, aut consuetudine prohibitos.

Ratio est; quia columbæ illæ, non minùs ac Gallinæ, habent Dominos proprios quibus consequenter fit injuria, si ip-

si ipsis invitis, quocumque modo capiantur, undè furtum & onus restitutionis incurrunt, qui illas apprehendunt.

Dixi: *Intra terminos*: quia si alicubi sit præfixus terminus, ultrà quem censentur Dominum amisisse. v. g. cùm distant à columbario proprio leuca integra, sicut dicitur ordinatum in Regno Castellæ, clarum est, ubi constat de distantia sufficienti, licere illas aucupio apprehendere.

Dico: *Ubi constat de distantia sufficienti*, de qua vix, aut ne vix constare potest in his locis: ubi abundant columbaria: in dubio autem, an sint columbarii sufficienter distantis, an proximioris? Resolvendum est esse proximioris, cùm veritatis præsumptio videatur stare pro illo.

QUÆSTIO IV.

Quid resolvendum de pauperibus in sylvis lignantibus, & quid de sylvarum custodibus?

Circà hanc materiam aliqui ferè omnia pauperibus concedunt, alii omnia negant: nos quod justum judicaverimus, statuemus. Sed anteà!

Advertendum 1. Sylvas alias esse communes, alias proprias: communes vocamus, quæ alicujus loci incolis sunt destinatæ, sicut sunt destinata certa loca communia pro pascendis illorum animalibus: proprias, verò quæ ab aliquo particulari sive homine, sive Monasterio possidentur ex Principis concessione, aut titulo plantationis, emptionis &c.

Advertendum 2. Rempublicam, aut Principem prohibere posse subditis suis, ne in Sylvis, etiam suo loco communibus lignentur certo anni tempore, ne cædant tales stirpes, ne animalia introducant in Sylvas aut nonnisi certum numerum, & certo tempore. Ratio est; quia id exigere potest bonum commune.

Advertendom 3. Ad hujus quæstionis decisionem maximè spectandam esse consuetudinem, quæ, cùm sit optima legum interpres, nobis innuit legum vim & efficaciam, an scilicet legislatores tantùm voluerint obligare ad pœnam, an etiam ad culpam? An ad gravem, vel levem? His notatis

CONCLUSIO I.

Pauperes lignantes, non obstante inhibitione, in sylvis sibi & aliis incolis incommunibus, ordinariè peccant venialiter tantùm; nec videntur ad restitutionem obligandi, si præcisè usibus suis necessaria asportent, nec damnum notabile inferant.

Ratio est, quia ultrà quòd communitas non censeatur ita graviter lædi à suis partibus, quàm extraneis, censetur etiam aliqualiter membris suis indigentibus indulgere; ita ut respectu pauperum magis credatur in vita quoad modum, quàm quoad substantiam. Accedit, quòd cùm prohibitio non tollat à particularibus jus ad portionem necessariam, sed tantum certos modos faciat illicitos, non videtur sub mortali obligare, præsertim pauperes.

Dixi 1. Concl. *in Sylvis sibi, & aliis incolis communibus*: si enim sylva sit quidem aliquibus communis, non tamen ipsi auferenti, peccat graviter, si grave quid surripiat, estque obnoxius restitutioni, non minùs ac si surriperet in sylvis alicujus particularis, Excipe tamen, nisi auferens esset membrum Communitatis vicinæ similiter communem sylvam habentis, in qua subditi prioris Communitatis etiam quandoque ligna suffurantur: tunc enim utraque Communitate restitutionem (cujusdam compensationis ergo) non exigente, solamque deprehensorum pœnam desiderante, posset à mortali excusari.

Dixi 2. *Ordinariè*; quia si nemus ad solvenda Communitatis onera alicui tertio elocatum foret, in materia secundum se gravi, graviter peccaretur.

Dixi 3. *Si præcisè usibus suis necessaria asportent*, puta ad moderatam calefactionem, ciborum concoctionem, ac fortè etiam ad modicam casæ labentis reparationem, non tamen, ut ex lignis ablatis lucrum reportent, nisi certè essent sicca, aut talia, quæ permitterentur à quolibet auferri. Sic permittitur certis in locis cæsio virgultorum, quibus scopæ venales conficiuntur.

Addidi: *Nec damnum inferant notabile*, quale censentur inferre, si cædant arbores operibus fabrilibus deputatas, si varias stirpes incidant, aut permittant à suis animalibus destrui, licèt autem solùm venialiter peccent, tenentur tamen, si deprehendantur, post latam Judicis sententiam, mulctas solvere, eò quòd supponantur justæ.

CONCLUSIO II.

Lignantes in sylva, quam possidet aliquis particularis titulo plantationis à se, vel à suis antecessoribus factæ, ordinariè peccant mortaliter, teneturque ad restitutionem ante omnem Judicis sententiam, si abstulerint in quantitate notabili.

Ratio est; quia non minorem faciunt ipsi injuriam, ac si rem aliam æquivalentem ab eo surriperent, cùm utriusque sit æqualiter dominus.

Dixi 1. *Quam possidet titulo plantationis*; quia si sylvam illam antea communem habeat ex dono Principis aut Reipublicæ, non peccabunt pauperes ex ea sibi necessaria procurantes, etsi contradicat dominus. Ratio est; quia cùm ante donationem liceret inde pauperibus sibi providere, quidni post. Cum sit omnino credibile, Principem aut Rempublicam cum tali onere illam concessisse.

Dixi 2. *Ordinariè*; quia notandum est, non plus peccare, nec plus teneri restituere lignantes, quàm juxta præsumptam domini sylvæ voluntatem, quæ ex ejus statutis, verbis, rumore & usu magna ex parte deprehendi potest; ita ut ubi rationabiliter potest præsumi nolle dominum necessariorum lignorum cæsionem pauperibus graviter prohiberi, nec restitutionem curare, non incurrant peccatum restitutioni obnoxium: imò præsumitur communiter nolle sylvarum dominos ab indigentibus, lignorum restitutionem accipere; quod etiam verum est, licèt minas intentent, & quandoque deprehensos mulctari permittant: illa enim fiunt, ut laxentur habenæ. Ubi tamen constaret, velle dominum acceptorum restitutionem, esset facienda, peccarentque lignantes proportionatè ad materiam ablatam.

CONCLUSIO III.

Supposita justa lignandi prohibitione, injusti sunt custodes, & perjuri, si non declarent contravenientes, ubi ad id muneris se juramento adstrinxerunt. Est communis, certa, & per se evidens: non est tamen credibile, juramentum illud eo usque se extendere, ut teneantur etiam minima suffurantes, puta unum, aut alterum baculum, denuntiare: quamvis & in hoc sit spectanda consuetudo & sensus juramentum exigentis; hoc tamen videtur certum, non obligari ad denuntiationem, quando hæc tria simul concurrunt. 1. Dum surripiens est in necessitate. 2. Dum necessitas illa tanta est, ut nequeat aliter suam aut suorum vitam conservare. 3. Si non plus capiatur, quàm postulat necessitas. Ratio est; quia cùm ille ratione paupertatis extremæ non peccet capiendo, ita nec custos tacendo. Adde, quòd id exigat Charitas, cui non potest adversari juramentum.

CONCLUSIO IV.

Ubi damnum patiuntor sylvarom domini ob custodum negligentiam, tenentur hi, deficientibus lignorum cæsoribus, in solidum restituere.

Ratio est, quòd sint indirectè causa damni illati in quantùm obligantur ex officio lignorum conservationi invigilare.

Sed, quid si deprehensi solùm teneantur ad mulctam, & non ad restitutionem, eò quòd sint pauperes de Communitate? Equidem tenebuntur restituere custodes æquivalens, cùm ratione officii & stipendii obligentur ex justitia damna illa impedire.

Petes; An liceat custodibus simulare, aut se abscondere, ut lignantes deprehendantur in flagranti delicto?

Resp. Negativè, sed peccant aliquando duplici peccato. 1. contra fidelitatem domino suo debitam, in quantùm non impediunt damnum illius, ubi prævident ex actione inferendum. 2. Contra Charitatem, ex qua tenentur peccatum & pœnam proximi impedire.

QUÆSTIO V.

Cujus fiat Thesaurus inventus?

Lege *Nunquam* 31. ff. *De acquirendo rerum Dominio* definitur Thesaurus: *vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Viguit olim, immò & nunc viget consuetudo, ut tempore belli ad securitatem, pecuniæ, & alia mobilia pretiosa, ut vasa, anuli, gemmæ &c. quæ hic nomine pecuniæ comprehenduntur, sub terra in puteo profundo, in sepulchris, aut alibi

absfcondantur: ubi autem depofitoris, & depofitionis nulla datur memoria, res depofita dicitur Thefaurus, de quo hic.

CONCLUSIO I.

ETfi jure naturæ Thefaurus totus fiat inventoris occupantis, eò quòd cenfeatur nullius effe; jure tamen civili ordinatur, ut fortuitò repertus in fundo proprio totius fit inventoris, in fundo alieno, media pars fit inventoris, & altera domini fundi; patet ex Inftit. lib. 2. *De rerum divifione §. Thefauros 36.*

Dixi: *Fortuito repertus;* nam fi per artem magicam in fundo proprio reperiatur, totus eft fifci, in alieno media pars fifci, & altera domini: quia tamen lex id ftatuens pœnalis eft, & quidem ferendæ fententiæ, nihil videtur fifco cedendum ante judicis fententiam.

CONCLUSIO II.

QUi reperit in fundo alieno Thefaurum ex Induftria quæfitum, ftare debet pacto inito, fi quæfierit ex confenfu domini, fi ipfo infcio, aut invito, totus adjudicatur domino. Dico *in fundo alieno*, nam in proprio totus eft inventoris.

Prob. 1. Pars; quia pactum illud eft juftum, cùm non teneretur dominus permittere, ut ejus terra aperiretur: ubi autem nulla conventio facta eft, fieri debet divifio ad æqualitatem, nifi partem fuam ceffiffet dominus; non cenfetur tamen effodiens confenfum obtinuiffe, fi diffimulans fpem Thefauri recipiendi, fingat aliam neceffitatem terræ effodiendæ, & ideo tunc de Thefauro ita difponendum eft, ac fi nullus fuiffet confenfus.

Prob. 2. Pars ex L. unica. *De Thefauris*, ubi tunc domino totum adfcribitur.

Advertendum hìc, legem ftatuentem, ut Thefaurus ex induftria quæfitus fine domini confcofu, fit ipfiufmet domini, effe pœnalem, idque in pœnam inventoris, in meffem alienam falcem mittentis, & ideo non obligat antè judicis fententiam: unde ante illam tenetur quidem concedere mediam partem ratione alterius legis non pœnalis id domino loci adjudicantis, non tamen totum: legem autem præfatam effe pœnalem, patet ex lege citata lib. 1. Cod. *De Thefauris*, ubi de tali inventore dicitur: *totum hoc locorum domino reddere compellatur*; verbum autem *compellatur* fatis denotat legem non effe latæ, fed ferendæ fententiæ.

CONCLUSIO III.

SCiens in agro alieno effe Thefaurum, poteft illum emere eodem pretio, ac fi ibidem Thefaurus non lateret, ac poftea, empto agro, totum Thefaurum retinere.

Prob. 1. Pars; quia tanti emit agrum, quanti valet, quandoquidem Thefaurus latens nec fit fructus, nec pars fubftantiæ agri, nec pertineat ad agrum, aut ejus dominum, cùm ante occupationem cenfeatur nullius efse. Accedit, quòd emens agrum, ignorans in eo efse Thefaurum, non teneatur poftea, reperto Thefauro, pretium augere: ergo nec fi emat cum notitia Thefauri, cùm illius cognitio non augeat valorem rei vendibilis, qualis eft in noftro cafu folus ager, & non Thefaurus; quandoquidem dominus agri non poffit vendere quod fuum non eft.

Dices 1. Qui fcit latere thefaurum in agro, inchoatè illum invenit: ergo jam debet medietatem domino agri juxta dicta fuperius; & confequenter pluris debet agrum emere.

Ref. Dift. Ant. Inchoatè invenit, id eft, facilè illum occupare poteft, C. id eft fufficienter, ut fit illius dominus, N. quia ultra notitiam requiritur apprehenfio: jam autem non priùs habet dominium fuæ partis agri dominus, quàm habeat inventor alterius medietatis.

Dices 2. Videtur efse fraus ex parte emptoris, cùm taceat venditori thefaurum latentem.

Ref. N. Afsumpt. Nulla enim lege tenetur id venditori manifeftare, cùm thefaurus ille non fit ipfius, nec plus juris habeat in illum, quàm extraneus.

CONCLUSIO IV.

THefauri reperti in loco publico media pars eft inventoris, altera Principis, aut Civitatis.

Prob. Ex Inftit. *De rerum divifione. L. 2. parag. Thefauros 39.* ubi dicitur: *fi quis in fifcali loco, vel publico, vel civitatis* thefaurum *invenerit, dimidium ipfius effe debeat, & dimidium fifci, vel civitatis.* Per locum autem publicum intelligimus forum, plateam, flumen, viam publicam, ftagnum commune &c. Hoc tamen limitandum eft, quòd repertus in loco publico fit totus Principis aut civitatis, fi fuerit ex induftria quæfitus fine confenfu: media pars quidem ante judicis fententiam, altera poft.

Ratio eft, quòd Princeps aut civitas non fit pejoris conditionis, quàm alter particularis, cui fic totus thefaurus adjudicatur, ut diximus.

CONCLUSIO V.

THefaurus ex induftria quæfitus, & inventus in loco facro, infcio aut invito Prælato, fit ipfius Prælati, vel Ecclefiæ; ex confenfu autem vel fortuito repertus, dividendus eft ad æqualitatem.

Ratio eft, quòd jam lucra fint vel Prælato, vel communitati appropriata, & ideo de illis fic loquendum eft, ac de aliis locis; unde quando Juftinianus dixit thefaurum fortuitò inventum in locis efse folius inventoris, cenfebantur loca illa nullius efse.

Petes 1. Quando fundus habet duos dominos unum directum, alterum utilem, cujus fit pars thefauri inventi obveniens domino?

Ref. Efse utriufque ad æqualitatem, ita ut fi totus obveniat domino, uterque habeat medietatem; fi autem media pars, quartam partem. Excipe, nifi unus dominorum efset inventor fortuitus: tunc enim ille haberet tres partes, alter unicam. Porro nunquam venit locator nomine domini, five directi, five utilis, fed tanquam alius extraneus.

Petes 2. An Principes ftatuere poffit ut thefaurus ubicumque repertus, etiam in fundo proprio, totus fibi reddatur excepta quarta aut quinta parte inventori relicta.

R. Affirm. Quidquid contradicant aliqui, quorum fententiam improbabilem vocat Clavis Regia.

Ratio eft; quia fi, non obftante *jure* gentium totum inventori adjudicante, potuerint Imperatores ad fervandam pacem mediam partem affignare domino fundi, & alteram inventori: quidni pofset Princeps Supremus, aut Refpublica ferè totum fibi affignare ad fuftinenda Regni aut communitatis onera?

Agunt hic aliqui de rebus inventis, & Incerti domini; fed cùm de illis fufficienter egerimus in Tractatu *De Reftitutione*, illuc Lectorem remittimus.

QUÆSTIO VI.

An, & qualiter præfcriptione acquiratur rerum Dominium?

LIcèt *Præfcriptio* & *Ufucapio* confundatur, in rigore tamen differunt, quòd Præfcriptio fit immobilium, & Ufucapio mobilium. Quoniam autem de Præfcriptione varia occurrunt præfcienda, variaque examinanda, opus eft ad majorem facilitatem quæftionem hanc in varios articulos diftribuere.

ARTICULUS I.

Quid Præfcriptio, qui poffint præfcribere, & quæ res non fint præfcriptibiles?

CONCLUSIO I.

PRæfcriptio eft acquifitio Dominii, vel juris per pofseffionem continuatam tempore per legem requifito. Porrò præfcriptio vocatur in jure oppofitio, feu exceptio adversùs actorem; quia fi prior dominus intentet actionem contra præfcribentem, poteft hic opponere titulum legitimæ præfcriptionis.

Dicitur 1. in definitione, *Acquifitio Dominii*; quia res per illam de domino in dominum transfertur. 2. *Vel juris*; quia utrumque eft præfcriptibile. 3. *Per poffeffionem*; & ideo foli capaces pofseffionis, capaces funt & præfcriptionis. 4. *Continuatam*, quia ubi per malam fidem interrupta fuit pofseffio, non habet locum præfcriptio. 5. *Tempore per legem requifito*: ficut enim lex Præfcriptionem inducit, ità legis eft tempus ad præfcriptionem requifitum determinare.

CONCLUSIO II.

OMnis & folus capax poffidendi proprio nomine, poteft fibi præfcribere.

Ratio eft; quia præfcriptio fequitur naturam pofseffionis,

nis, ità ut qui potest sibi possidere; possit & sibi præscribere; & è contra qui non potest sibi possidere, nec possit sibi præscribere. Hinc

Resol. 1. Non sibi præscribere Religiosum, servum, tutorem, curatorem &c. eò quòd non possideant nomine proprio; quia tamen possidere potest Religiosus nomine Monasterii, servus nomine domini, tutor nomine pupilli &c. ità & illis præscribere possunt.

Resol. 2. Nullatenus posse præscribere locatarium, usufructuarium, sicut nec habentem pignus, commodatum, aut Precatium, quia non censentur res sibi taliter creditas possidere.

Resol. 3. Nec capacem esse præscriptionis amentem: nisi certè in principio, & in fine præscriptionis fuisset sibi compos, licèt tempore intermedio fuisset mente captus; quia sicut hoc sufficit ad possessionem, ità & ad præscriptionem.

CONCLUSIO III.

QUoniam lex humana Præscriptionem introduxit, contra legem Divinam, aut naturalem præscribere non potuit; cùm ad illas non se extendat humana potestas, ut eas abroget, aut in eis dispenset, & ideò non potest inferior manens inferior præscribere contra obedientiam suo Superiori debitam, sicut nec Prælatus ut eximatur à dominio regendi, & protegendi suos subditos; cùm ad id teneantur ex jure naturæ. Similiter nec potest ullus Christianus præscribere exemptionem ab obedientia Papæ & Sanctæ Sedi debita, cùm sit de jure divino. Circa alia tamen, quæ humanæ subsunt potestati, sicut præscriptionem inducere potuit, ità varia à præscriptione potuit eximere. Hinc

1. Non potest præscribi homo liber ut fiat servus, L. ultima, Cod. *De longi temporis præscriptione*, & alibi.

2. Præscribi non possunt à Laicis Ecclesiæ, loca sacra, jus decimarum, primitiarum, oblationum &c. quia, ut ait Alexander III. jura illa possidere non possunt: quod tamen ad præscribendum requiritur.

3. Non conceditur subditis præscriptio contra Prælati aut Episcopi visitationem, sicut nec contra sustentationem occasione visitationis debitam, cap. 16. *Cùm ex officii*, De præscription.

4. Non præscribuntur nec in totum, nec in partem viæ, pontes, plateæ, & alia ad usum publicum civitatis destinata, L. *Usucapionem* 9. ff. *De Usucapion*.

5. Nec præscribi possunt limites certi Parochiarum, Episcopatuum, Provinciarum, nec, juxta Hostiensem, Comitatuum, aut Ducatuum; possunt tamen præscribi limites incerti, sicut & certi agrorum, prædiorum &c.

6. Non sunt etiam præscriptibilia illa, quæ debentur Principi in recognitionem subjectionis & supremæ illius potestatis, cùm ex jure naturæ teneantur subditi, non tantùm verbo, sed & opere Principem recognoscere, juxta illud Christi Matt. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*.

7. Non præscribuntur res sacræ, si enim non possint præscribi debita Principi, à fortiori nec Deo debita, & consecrata: Instit. *De rerum divisione*, §. *Sacræ*.

Alia quædam in jure dicuntur non posse præscribi; quia non tempore ordinario, sed longissimo, v. gr. post 30. aut 40. annos præscribuntur, ut fidei-commissa, bona filiorum adventitia, majoratus, fundus dotalis, legata, bona fisci, & furto ablata.

Reliqua omnia, inquit Amicus, præscribi possunt sive sint bona Ecclesiastica, sive sæcularia, sive Principis, sive privati, sive mobilia, sive immobilia, sive res, sive jura: & hæc sive sint realia, sive personalia; sive activa agendi, pascendi, piscandi, venandi, erigendi, præsentandi, jus dicendi, eligendi, suffragandi, sive passiva, ne alius contra me agat, petat, exigat, jus dicat, puniat. Omnia patent ex ff. *De Usucapionibus*, & Jure Canonico *De præscriptionibus*.

ARTICULUS II.

Quæ conditiones necessariæ sint ad Præscriptionem.

QUinque communiter assignantur, possessio, ejusdem continuatio, titulus, tempus lege definitum, & bona fides, de quibus breviter.

CONCLUSIO I.

REquiritur ad præscribendum possessio; quia juxta regulam 3. Juris in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit*: hæc autem possessio debet esse vera & propria, seu ut quis sibi præscribat, debet rem præscribendam tum nomine proprio, tum ut suam detinere; & ideo non sufficit possessio merè naturalis, quam habet locatarius, aut commodatarius, respectu rei sibi locatæ, aut commodatæ, sed necessaria est, vel civilis; vel mixta ex civili & naturali. De quibus antea diximus.

CONCLUSIO II.

NEcessaria est ulteriùs possessionis continuatio, & quidem per tempus lege definitum, ità ut si interrumpatur, vel per horam, inutile sit tempus elapsum in ordine ad præscribendum, etiamsi fuisset 29. annorum, ubi lex 30. requirit: unde non præscribit ille qui paulò ante elapsum tempus præscriptionis rem alienat, licèt de sequenti iterum rem illam sibi comparet emptione, aut donatione. Idem est si tunc re sua justè privetur. Dico *justè*; quia spoliatio injusta sicut non tollit possessionem, ubi res ablata brevi redditur, ità nec impedit Præscriptionem: etiamsi autem officiat Præscriptioni interruptio, non tamen dormitio. Porrò distinguitur interruptio à dormitione, quòd illa impediat conjunctionem temporis prioris cum posteriori, è contra dormitio: & ideo præscriptio interrupta debet de novo inchoari; dormiscens verò (quod accidit tempore belli, & pestis si jus non dicatur, sicut & quando ille, contra quem præscribitur, agere non potest, ut pupillus in ætate pupillari, uxor vivente marito, filius respectu bonorum adventitiorum &c.) ubi expergefacta est, vim suam resumit, connectendo tempus posterius cum priori.

CONCLUSIO III.

AD omnem Præscriptionem requiritur titulus præsumptus, v. g. emptio, donatio, successio &c. tituli autem probatio requiritur ad aliquam, non ad omnem. Dico: *titulus præsumptus*, id est qui bona fide credatur validus, licèt à parte rei non sit talis; aliàs, si subsisteret, non esset opus Præscriptione ad translationem dominii.

Prob. 1. Pars Conclusionis 1. ex c. 17. *Si diligenti*. De præscriptionibus: ubi in fine requiritur bona fides, & justus titulus in rebus Ecclesiasticis; sed quidni etiam in Laicis? cùm ibi eodem modo loquatur de titulo, ac de bona fide, quam constat necessariam esse ad rerum laicarum præscriptionem. 2. Ratione; quia necessaria est ad omnem præscriptionem bona fides, sed non potest quis possidere bona fide rem aliquam, nisi adsit titulus præsumptus legati, testamenti, emptionis, donationis, aut alterius, ut per se patet: ergo.

Prob. 2. Pars; quia communis Juris-peritorum, & Theologorum sententia, tituli probationem requirit ad præscriptionem ex possessione infra 30. annos, quam non requirit, ubi ex longiori possessione nascitur præscriptio; nec immeritò, cùm facilè possit quis ostendere unde rem possideret à 10. aut 20. annis, quòd non posset de re possessa à 40. aut 100. annis; propter temporis longitudinem, & ad varia occupationem. Limita tamen, nisi jus contrarium decidat, ut fecit in favorem Ecclesiæ tum Romanæ, cum inferioris, contra quam non præscribitur sine allegatione & probatione tituli, ubi adest præsumptio Juris communis adversùs præscribentem.

CONCLUSIO IV.

QUarta conditio est tempus lege definitum: quod hic dividitur in breve, longum, & longissimum. Breve est illud, quod est infra 10. annos inter præsentes, & infra 20. inter absentes: quod verò est 10. annorum inter præsentes, & 20. inter absentes, dicitur *longum*: & *longissimum*, quod est 30. annorum aut supra. Præsentes autem hìc dicuntur illi, qui habitant in illa Regni parte, quæ subjacet communi alicui Concilio, aut Parlamento ad quod devolvuntur lites decidendæ, aliàs dicuntur absentes; sed in hoc consulenda praxis.

Antequam ulteriùs progrediamur, scire opus est quid per *res mobiles*, quid per *immobiles* postea intelligatur. Res igitur *mobiles* sunt, quæ loco moveri possunt, ut pecunia, utensilia familiæ, animalia, naves, vestes, &c. ad quas reducuntur debita mobilium, & actiones ad illa obtinenda. *Immobiles* autem, quæ non possunt loco moveri, ut villa, domus, ager &c. ad quas etiam pertinent debita immobilium, & actiones ad illa, sicut & ad ea quæ in jure reputantur immobilia, ut sunt jura & servitutes ad aliquid iteratò recipiendum, aut faciendum: potà census, usus-fructus, jus patronatus, Cathedra, Beneficium Ecclesiasticum.

Requiruntur ergo ad præscriptionem mobilium tres anni inter præsentes, quatuor inter absentes, & hoc respectu

quorumlibet mobilium, etiam Ecclesiæ (si saltem Romanam excipias) quia Ecclesia in illis nullo gaudet privilegio; ut patet ex Authentica: *Quas actiones*, Cod. *De Sacro-Sanctis Ecclesiis*, ad præscribenda verò immobilia, sufficiunt 10. anni inter præsentes, & 20 inter absentes. Cùm autem possit fieri, quòd possessor modò sit præsens, modò absens respectu Domini rei possessæ, hoc est observandum, quòd duo anni absentiæ æquivaleant anno præsentiæ.

A regulis tamen assignatis excipiuntur 1. Pupillus, & Minor: Pupilli enim bona sive mobilia, sive immobilia nunquàm præscribuntur, quamdiù Pupillus est; Minoris autem non possunt, nisi tempore longissimo, id est, post 30. annos inter præsentes, & post 40. inter absentes.

Excipitur 2. Ecclesia Romana quoad mobilia, & immobilia, quorum non datur præscriptio, nisi post 100. annos, negant quidem aliqui quoad mobilia, sed cùm jus 100. annos requirens non distinguat inter hæc & illa, nec nos distinguere debemus: aliarum autem Ecclesiarum immobilia non sunt præscriptibilia antè 40. annos, quod non improbabiliter etiam extendunt aliqui ad earum mobilia.

Excipitur 3. civitas quoad bona ipsi legata, donata, aut vendita, contra quæ non fit præscriptio, nisi post 100. annos.

Excipiuntur 4. Monasteria, Hospitalia & alia loca pia, sicut & legata, ac donationes ad pias causas; contra quæ non præscribitur antè 40. annos; imò contra Monasteria, & loca Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, ex privilegio Eugenii III. requiruntur 60. anni. Alias exceptiones, si quæ sint, vide apud Juristas.

CONCLUSIO V.

Ultima & præcipua conditio, est bona Fides, qua sola deficiente, etiamsi aliæ adessent, nulla est præscriptio. Patet ex cap. finali. De præscriptionibus, ubi Innoc. III. *Quoniam omne, quod non ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quàm Civilis*, per bonam Fidem autem, hic intelligimus credulitatem, seu judicium prudens & fundatum, quo quis propter emptionem, donationem, aut alium titulum invincibiliter apprehensum ut verum, credit rem esse suam, & ut talem incipit illam possidere; ita ut non sufficiat (etsi ignoret esse alterius) si dubitet ab initio, an sit sua. Sed quoniam circa hoc variæ restant difficultates, sit

ARTICULUS III.

An ignorantia, aut dubium superveniens bonæ fidei, officiat præscriptioni.

Hic in memoriam revocanda est duplex ignorantia, nempè juris & facti. Prima est, dum ignoratur quid jus, seu lex præcipiat, aut prohibeat: ut si ignorem non posse Religiosum quidpiam alienare sua authoritate, usuram esse illicitam, aut aliquem contractum esse usurarium, cùm talis sit à parte rei. Secunda est, dum cognoscitur quidem lex præcipiens, aut prohibens, sed ignoratur, an aliquid sit factum contra legem; ut si emam rem à venditore ignorans illam esse furtivam.

CONCLUSIO I.

Invincibilis ignorantia facti non officit præscriptioni, secus ignorantia juris clari. Est commmunis quoad utramque partem. Dico: *ignorantia invincibilis*, seu inculpata; quia certum est ignorantiam vincibilem, seu culpabilem tam juris, quàm facti non cohærere cum bona fide.

Prob. 1. pars conclusionis 1. Ex L. 4. ff. *De Juris & facti ignorantia*, ubi legitur. *Juris ignorantia in Usucapione negatur prodesse; facti verò ignorantiam prodesse constat*. 2. Ratione; quia vix aliter haberi potest præscriptio: ut patet rem examinanti.

Prob. 2. pars 1. Ex lege jam assignata, & L. *Nunquam* 31. ff. De *Usucapionibus*, ubi habetur *Nunquàm in Usucapionibus Juris error possessoribus prodest*. 2. Etiam ratione; quia in tantùm valet præscriptio, in quantum robur habet à lege positiva, cùm ab hac sola ortum habeat: ergo ubi se opponit præscriptioni lex positiva, ut facit respectu habentis ignorantiam Juris, non stat præscriptio.

Dices. Si ignorans jus non possit præscribere rem, v. g. vineam, saltem potest illius fructus, eò quòd respectu illorum videatur potiùs ignorantia facti, cùm putet illos ex re sua provenire.

Resp. Neg. Assumptum; quia etiam intervenit ignorantia juris; quandoquidem credat fructus vineæ posse esse suos. Præterea ideò excluditur à re præscribenda ignorans jus, quia in foro externo præsumitur habere malam Fidem circa vineam, & non circa fructus. Ergo

Dixi in Conc. *Ignorantia juris clari*; quia si jus ignoratum sit ambiguum, eò quòd sit apud peritos controversum, sic videtur concludendum: vel rationes æquales sunt pro utraque parte, & tunc facienda est divisio inter possessorem, & dominum rei præscribendæ; vel sunt multò fortiores pro domino, & totum debet ipsi restitui. Dico *longè fortiores*, ita ut rationes pro altera parte vix sint ullius momenti; aliàs esset proportionatè dividendum.

CONCLUSIO II.

Dubium superveniens bonæ Fidei non interrumpit præscriptionem, si quis, adhibita sufficienti diligentia ad veritatis deprehensionem, adhuc maneat dubius, an res sit sua vel alterius; modo tamen resolvat retentionem rei sibi esse licitam ob titulum possessionis; quod addo, quia si retineat cum dubio, an liceat retentio necnè, non præscribit: cum possessio illa sit cum peccato, adeòque cum mala Fide, quæ in foro conscientiæ evacuat bonam fidem, cum qua cœpit rem possidere.

Prob. autem Concl. quæ communiter admittitur à Doctoribus contra recentiores quosdam; quia juxta regulam juris, in omni tribunali tum Civili, tum Ecclesiastico admissam & practicatam, *In dubio melior est conditio possidentis*; atqui dubitans in nostro casu est possessor, & quidem bonæ Fidei: ergo.

Dices: Regulam illam non reperiri in jure Canonico, adeoque non habere locum in foro conscientiæ.

Resp. Quidquid sit, an ibi reperiatur, necnè, Ecclesiam tamen Regulam illam constanter approbare, non tantùm negativè, illam non rejiciendo, sed etiam positivè, secundùm illam judicando, lites decidendo, de Beneficiis disponendo, ut convincit constans & universalis Ecclesiæ praxis; parum autem refert; an Ecclesia aliquid approbet facto, an scripto.

Confirm. hæc responsio. 1. Ecclesia approbat & corrigit jus civile, ubi sustinet aliquid conscientiæ contrarium, ut patet ex dictis de Præscriptione cum mala Fide: ergo & correxisset præfatam regulam, secundùm quam tot lites quotidiè deciduntur in utroque foro, si credidisset non habere locum in foro conscientiæ.

Confirm. 2. Si non staret nostra conclusio, Ecclesia totum in æquali dubio adjudicans possessori, foret scandalo, non tantùm possessoribus, sed omnibus judicibus, qui credunt se prudenter agere, dum judicando sequuntur generalem Ecclesiæ praxim.

Replicabis, Regulam illam non esse intelligendam hoc sensu, quòd totum, etiam in foro conscientiæ, possit adjudicari possidenti, sed quòd judex non possit contra possidentem, sententiam ferre; & ideò dicitur *potior ejus conditio*.

Resp. Neg. primam partem assumpti, quæ est contra communem sensum omnium, aut ferè omnium hominum tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, tam Prælatorum, quàm inferiorum, qui unanimiter credunt, licere sibi tuta conscientia retinere rem, quæ illis per judicem adjudicata est, ratione possessionis: quorum errorem nunquàm Ecclesia authorizasset, imò correxisset, si regula illa esset aliter intelligenda.

Prob. 2. Conclusio; quia possessio in bonis fortunæ dat ordinariè magnam præsumptionem, quòd possessor sit rei possessæ dominus, ubi dubium independenter à possessione est utrinque æquale; quandoquidem non soleant homines natura sua avidi res suas apud alios diu relinquere.

Obj. 1. Dubitans non potest credere rem esse suam: ergo non potest præscribere, cum jura credulitatem illam requirant.

Resp. Jura id requirere initio præscriptionis; in successu autem solùm requirunt, vel ut credat esse suam, vel ut illi inhæreat tanquam suæ, ratione possessionis.

Obj. 2. Dubius de statu gratiæ non rectè dicitur cum bona fide Sacramentum suscipere: ergo dubius an res sit sua, necne, non potest dici bona fide possessionem continuare.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd in primo casu nihil interveniat quod dubitanti bonam fidem conferat, ut per se patet; in secundo autem facultas juris, reddendo possessionem licitam, reddat ipsam bona fide continuandam; quandoquidem verissima sit hæc propositio: *quod licitè possidetur*,

bona

bona fide possidetur. Nec replices, non posse jus facultatem illam concedere, si enim possit rerum dominia quandoque transferre, quidni rei possessionem (quod minus est) justa de causa licitam facere?

Obj. 3. Possessio non potest facere, ut quis prudenter judicet rem esse suam, de qua dubitat, an non sit aliena: ergo.

Resp. Hoc esse verum, sed nego ad possessionem bona fide continuandam hoc requiri, cùm sufficiat licitè, seu sine peccato, rei inhærere tanquam suæ, quod accidit in nostro casu.

ARTICULUS IV.

An Præscriptio locum habeat in foro conscientiæ?

SEnsus quæstionis est, an quando quis bona fide possedit rem tanquam suam per tempus ad præscribendum sufficiens, teneatur in conscientia illam reddere domino comparenti, si postea deprehendat non esse suam? Affirmant aliqui, sed

CONCLUSIO UNICA.

LOngè probabilius est, valere præscriptionem in foro conscientiæ, ita ut, transacto cum omnibus conditionibus requisitis præscriptionis tempore, nulla sit obligatio rem præscriptam restituendi, ubi cognoscitur illius dominus.

Prob. 1. Quia non solùm leges Civiles, sed etiam Ecclesiasticæ, præscriptionem approbant: ergo signum est, valere in foro conscientiæ.

Prob. autem ant. Quoad leges Civiles; quia L. 3. ff. *de Usucapion.* dicitur Usucapio *acquisitio dominii*, & L. 1. asseritur *Usucapio introducta, ne diu, & ferè semper incerta essent rerum dominia*. Quoad Ecclesiasticas, patet ex cap. 3. 6. 15. & 18. De Præscription. ubi varia jura præscriptibilia esse decernitur.

Prob. Consequentia; quia tantùm abest, ut Ecclesia præscriptionem approbaret, si in foro conscientiæ esset nulla, ut è contra illam positivè reprobaret, sicut fecit respectu præscriptionum absque bona fide, derogans per hoc juri Civili.

Confirm. Ideo Innoc. III. art. præcedenti citatus reprobat malæ fidei præscriptiones; quia non possunt fieri sine peccato, atqui idem accideret in nostro casu, si præscribens non sit in conscientia rei præscriptæ dominus: ergo.

Prob. 2. Quia decernitur cap. *Sanctorum de Præscrips.* ut possessiones 30 annorum quietè, & sincerè teneantur, atqui non potest fieri, ut retenta cum peccato, adeoque cum continuo conscientiæ remorsu, quietè teneantur: ergo.

Prob. 3. Ratione Scoti 4. dist. a 5. q. 2. art. 2. potest Princeps supremus, aut Respublica per legem justam, & communem transferre rerum dominia, ubi id exigit bonum commune, sed idipsum fecisse Imperatores instituendo præscriptionem, evidenter declarantot leges, ubi præscriptio dicitur *dominii acquisitio*: ergo.

Prob. Maj. quia Principes non sunt minoris potestatis nunc, quàm fuerint in rerum divisione; atqui tunc quibuslibet particularibus assignarunt rerum dominia: ergo & nunc assignata possunt transferre de uno ad alium justa de causa.

Obji. 1. Finis principalior præscriptionis fuit evitatio litium & jurgiorum; atqui illa evitari possunt absque dominii translatione, negando scilicet priori domino actionem contra præscribentem: ergo.

Resp. Dist. Min. Possunt illa evitari in foro judiciali, transeat, in familiis, & particularium domibus, N. domini enim impotentes facti sua repetere in judicio, rixando, pugnando, opprimendo, occidendo &c. tentarent illa è manibus possidentium eripere, unde odia implacabilia, & familiarum discordiæ nascerentur: quod non minus bono communi foret perniciosum, & exitiale.

Obj. 2. Qui litigando obtinuit domum, aut aliud per sententiam judicis, tenetur, ubi novit se non esse illius dominum, ad restitutionem, non obstante judicis sententia sibi favorabili: ergo similiter in nostro casu.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd præscriptio transferat rei dominium, ut ostendimus, non sic sententia judicis, qui tantùm partibus assignat ea, quæ ex allegatis & probatis videntur ipsis competere.

Obj. 3. Saltem ubi nulla intervenit culpa, seu negligentia ex parte prioris domini, non currit præscriptio in foro conscientiæ.

Probat. Assumpt. Quia jus introduxit præscriptionem in pœnam negligentiæ, ut patet ex cap. *Vigilanti*. 5. De præscriptionibus, ubi asserit Alexander III. fuisse ob segnitiem institutam præscriptionem.

R. N. Assumpt. Ad probationem dico secundariò, quidem ad tollendam, aut puniendam domini segnitiem fuisse introductam; primariò tamen, & principalius ut vitarentur lites, & jurgia; ita ut, non subsistente causa minus principali, subsistat tamen præscriptio ob subsistentiam causæ principalioris; cui non contrariatur Alexander III. quandoquidem ultra causam assignatam, addat & aliam, nempe ad vitandam dominiorum confusionem, ex qua nascuntur familiarum discordiæ. Præterea si præscriptio esset merè pœnalis, non haberet locum antè judicis sententiam: quod est contra praxim. Ulterius, negligentia domini erga rei suæ custodiam ordinariè tantùm est culpa venialis, & consequenter non potest puniri ablatione dominii rei notabilis.

Obj. 4. Regulam 48. juris in 6. asserentem, nullum debere ditescere cum alterius injuria, aut jactura.

R. Hoc esse verum, quando locupletatus causa fuit iniqua alterius injuriæ, aut jacturæ, non autem quando ditescit ex legitima Superiorum dispositione.

Obj. 5. Qui, elapso Præscriptionis tempore, rescit rem esse alterius, non habet bonam fidem.

Resp. Neg. Assumpt. Habet enim bonam fidem, quòd res, quæ fuit alterius, jam sit sua, eò quòd translatum sit ad se ipsius dominium.

ARTICULUS V.

Resolvuntur quædam alia de Præscriptione.

PEtes 1. An locum habeat in foro conscientiæ Præscriptio in iis, quæ statuuntur per edictum Caroli V. anno 1540. & per aliud Philippi II. 1545. Statuit primus ut salaria Advocatorum, Procuratorum, Secretariorum non exigerentur in Judicio post biennium à die latæ sententiæ, cui deservierunt; sicut nec mercedes Medicorum, Pharmacopolarum, famulorum, operariorum; item nec pretia mercium ad consumptionem venditarum, post biennium à die cessantis servitii, operis absoluti, aut mercis venditæ; nisi certè scriptum esset Chirographum; quia tunc non præscribitur à debitoribus, nisi post decennium, & ab eorum hæredibus, nisi post biennium, secundus verò ut non nisi tres anni redditum possent exigi, etiamsi plures antecessissent. Ad quæstionem

Resp. Neg. 1. Quia viri probi nunquam sic illa Edicta receperunt. 2. Quia præsumitur mala fides debitorum sua debita solvere negligentium. 3. Quia Edicta præfata locum habent in externo foro independenter à bona fide: unde tantum denegant actionem creditoribus in foro Judiciali.

Petes 2. An hæres illius, qui rem mala fide possedit, possit præscribere; si bona fide adiit hæreditatem?

R. Non posse hæredem immediatum; posse tamen mediatum.

Prob. 1. Pars; quia fictione Juris hæres immediatus censetur una persona cum defuncto; atqui defunctus nunquam poterat præscribere: ergo nec potest illius hæres, nequidem tempore extraordinario, id est, 30. aut 40. annorum, cum § *Furtivæ* Instit. *De Usucapionibus* legatur. *Furtivæ res, & quæ vi possessæ sunt, nec si prædicto longo tempore bona fide possessæ fuerint, usucapi possunt*: quod non minus intelligi debet de hærede immediato, quàm de fure, aut possessore malæ fidei, cùm ejus loco substituatur.

Prob 2. Pars; qua licèt mala fides defuncti ex fictione Juris redundet in hæredem immediatum, non tamen in hæredem hujus hæredis; quia nunquam jura ex eadem causa duas fictiones ponunt, & ideo potest hic, saltem longissimo tempore, præscribere.

Petes 3. An qui alio titulo, quàm hæreditatis, v.g. emptione, legato, accepit rem bona fide à possessore malæ fidei, valeat præscribere?

R. Affirmativè, & quidem tempore ordinario; si res non sit furtiva, vi possessa &c. Ratio est; quia vitium authoris non obest emptori, vel legatario, ut dicitur. L. *an vitium* ff. *De diversis, & temporalibus Præscriptionibus*, & consequenter eodem modo, eodemque tempore præscribere potest, ac si præcedens possessor fuisset bonæ fidei.

Dixi 1. *Si res non sit furtiva, vi possessa &c.* quia talis non potest præscribi, etiam tempore longo, sed tantùm longissimo.

Addidi &c. quia si res sit immobilis, & inscio domino possideatur ab alio, non præscribitur etiam, nisi post 30. annos Auth. *malæ fidei* Cod. *De Præscriptione longi temporis*.

DIS-

DISPUTATIO V.

De Contractibus in genere.

POstquam Scotus 4. dist. 55. q. 2. compendiosè egit de dominii translatione authoritate publica, de eadem disserit quatenus fieri potest authoritate privata, idque vel per actum liberalem, & dicitur *Contractus gratuitus*, vel per actum commutativum, & est *Contractus onerosus*. Nos antequam Contractus illos in particulari explicemus: Contractus in genere naturam, divisiones, proprietates, obligationes &c. exponemus; cùm impossibilis sit perfecta specierum cognitio, nisi præhabita generis cognitione.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex Contractus?

CONCLUSIO I.

COntractus (sic dictus, inquit Scotus supra, quia est actio trahens simul partium voluntates) est duorum, vel plurium consensus reciprocus signo sensibili expressus, in uno saltem obligationem pariens.

Dicitur 1. *Consensus*; & ideo si quis exterius Contractum simulet, & interius illum non intendat, nihil efficit in foro conscientiæ, adeoque nullam obligationem incurrit, nisi reparandi damnum ex tali simulatione comparti proveniens, eò quòd sit illius causa. Ratio autem asserti nostri est, quòd obligatio non oriatur ex verbis nudis (aliàs dormiens aut amens contraheret) sed ex mente illa proferentis; & consequentes si cuipiam desit animus contrahendi, deest & animus se obligandi. Nec dicas, vim obligatoriam inesse verbis, non quidem omnibus, sed prolatis ab homine moraliter exterius operante; quandoquidem verba, etiam totaliter prolata, vim illam non habeant ex institutione vocum, quæ secundum omnes Philosophos solùm institutæ sunt ad significandum, non ad obligandum: nec etiam ex re ipsa, aut juris ordinatione, cùm illa nullibi legatur; imò ubique consensus requiratur; in foro tamen externo teneret Contractus simulatus, eò quòd homines de externis, non de internis, ad quæ non penetrant, soleant judicare.

Dicitur 2. *Reciprocus*, id est, ex parte utriusque contrahentis: unde donatio, & promissio ante acceptationem non sunt Contractus, nequidem largè sumpti; & ideo nullam inducunt obligationem justitiæ in donante, aut promittente, quam tamen inducunt accedente consensu, & acceptatione donatarii, aut promissarii.

Dicitur 3: *Duorum, aut plurium*; quia actus justitiæ commutativæ, qualis est contractus, non nisi inter duos, aut plures haberi potest.

Dicitur 4. *Signo sensibili expressus*, eò quòd homines, qui pro hoc statu sola sensibilia percipiunt, solis sensibilibus valeant inter se communicare.

Dicitur 5. *Obligationem pariens*, quam si ultro, citroque pariat, id est, in utroque contrahente, Contractus dicitur *strictè sumptus*, ut est Emptio, Locatio &c. si tantùm in uno, *largè sumptus*, ut Donatio, Promissio, & ideo ut in definitione Contractum strictè & largè sumptum comprehenderemus, diximus: *in uno saltem obligationem pariens*.

Petes, an Pactum differat à Contractu?

R. Non differre à Contractu à nobis definito, cùm definiatur Pactum seu Pactio L. 1. ff. De Pactis; *duorum pluriumve in idem placitum & consensus*, ubi subintelligunt unanimiter Juristæ, & Theologi, *saltem in alterutro obligationem inducens*. Differt tamen à Contractu strictè dicto, quòd ille debeat in utroque, Pactum verò solùm in uno, aut altero obligationem parere: unde omnis Contractus est pactum, non tamen è contra; licèt non rarò confundantur.

CONCLUSIO II.

DIviditur 1. Contractus in Gratuitum, & Onerosum, Gratuitus seu Lucrativus est, in quo aliquid accipitur, & nihil rependitur, ut Donatio, Promissio liberalis, Commodatum, Legatum, Testamentum; & hunc Contractum diximus antea esse largè sumptum, seu Semi-contractum, eò quòd in uno tantùm obligationem pariat. Onerosus est, in quo utrinque aliquid datur & redditur, ut Emptio, Locatio, &c.

Dividitur 2. Contractus strictè dictus in Explicitum seu Formalem, & Implicitum seu Virtualem: primus fit verbis, aut signis utriusque contrahentis consensum formaliter exprimentibus: secundus fit tacita partium conventione, ut dum Officium aliquod traditur & acceptatur v. g. Tutoris, Judicis, Pastoris, &c. suscipiens enim illa Officia, censetur ad munia illis annexa se obligare, idque titulo justitiæ.

Dividitur 3. In Nominatum, quod nomen habet proprium & specificum, ut venditio, mutuum, locatio, cambium, &c. & innominatum, qui specifico privatus nomine generica Contractus voce aut æquivalenti indigitatur & quadruplex assignatur L. *naturalis*. ff. *De Præscript. verb.* nempe: *do ut des*, do tibi vestem, ut des mihi pallium: *do ut facias*, do tibi mille aureos, ut mihi ædifices domum: *facio ut facias*, coquam panes tuos, ut colas agrum meum: *facio ut des*, serviam tibi, ut des mihi alimenta. Ubi sub affirmatione comprehenditur & negatio, v. g. *facio, ut non facias, do, ut non des* &c. In his contractibus hoc speciale reperitur, ut si aliquid dederim, ut alter aliquid faciat, v. g. aureum ut me doceat, possim datum repetere, etiam juridicè, quamdiu res facienda necdum est inchoata: quod non est simile in contractibus nominatis.

Dividitur 4. Contractus in nudum, & Vestitum: hic aliquo juris robore fulcitur, ut Traditione, juramento, scriptura, instrumento publico &c. ille nullo, ut donatio ante traditionem.

Dividitur 5. In contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris*: primus est, in quo licitum est judici aliqua ex æquo moderari, etsi contrahentes id non expresserint, eò quòd in contractu prudenter inito, id debeat subintelligi; tales sunt Locatio & Conductio, Emptio & Venditio, Societas, negotiorum administratio. Secundus est, in quo tenetur judex solis contrahentium verbis insistere, ut Census, Feudum, Donatio, Emphyteusis &c.

QUÆSTIO II.

An omnis Contractus pariat obligationem?

SUppono 1. Obligationem ortam ex Contractu esse vinculum juris, quo homo homini, velit, nolit, in aliquo adstringitur.

Dicitur 1. *Vinculum juris*, id est, debitum strictum proveniens ex jure naturali, divino, aut humano.

Additur: *quo homo velit, nolit*; quia etsi ante celebrationem contractus liberum sit homini obligationem illam contrahere, vel non; ubi tamen stat contractus, stat & obligatio independenter ab ulteriori ejus voluntate.

Suppono 2. Duplicem esse obligationem, naturalem unam, civilem alteram. Naturalis (quæ aliter dicitur obligatio in foro conscientiæ, in foro interno &c.) est illa, quæ naturaliter sequitur ex contractu, nullo habito ad jus externum respectu: obligatio civilis, seu in foro externo, est illa, quæ à jure positivo firmata robur addit obligationi naturali. His suppositis

CONCLUSIO I.

OMnis omnino contractus, à Jure Canonico, aut Civili non impeditus, inducit obligationem naturalem. Est communis, & certa.

Ratio est; quia jus naturale dictat adimplendum esse id quòd alteri acceptanti liberè promissum est, nullo habito respectu an promissio illa sive gratuita, sive onerosa, sit nuda, an vestita: cùm vestitio illa, ut ità loquar, respiciat jus externum, non naturale, quod inter contractum nudum, & vestitum non distinguit; & ideo si rem vendidisti, licèt necdum tradideris, non potes sine alterius consensu à contractu resilire.

Dixi: *à jure Canonico, aut Civili non impeditus*, pro cujus majori explicatione sit

CONCLUSIO II.

UBi ius Canonicum, aut Civile Contractum aliquem irritum, aut irritabilem reddit, non parit Obligationem naturalem, seu non obligat in conscientia ad sui implementionem, & consequenter liberum est unicuique, parte invita, resilire. Est valde communis.

Ratio est; quia sicut possunt particulares suis conventionibus certas conditiones apponere, quibus non stantibus, non stabunt deinceps inter ipsos Contractus, nec reputabuntur Obligatorii, quidni possent propter bonum commune Principes supremi, tum sæculares, tum Ecclesiastici, certos modos,

dos, conditiones, aut formas statuere, sine quibus nulli essent Contractus, adeòque nec Obligatorii? Hinc

Resol. 1. Contractum matrimonialem sine Parocho aut testibus esse nullum, ubi receptum est Tridentinum, eò quòd deficiat ipsi hæc solemnitas essentialis, ad *ejus* valorem per Ecclesiam requisita.

Resol 2. Nec valere in Conscientia Testamentum sine essentialibus solemnitatibus, quidquid dicant aliqui; quandoquidem leges justissimis de causis solemnitates illas ad Testamenti valorem requisierint.

Resol. 3. Nec valere in conscientia Testamentum illud, licèt nullæ intervenerint fraudes, cùm annulletur non propter dolos, aut fraudes quæ insunt, sed quæ inesse possunt, ita ut non fallacia actualis, sed ejusdem periculum, quod semper subest, sit ratio adæquata irritationis.

Resol. 4. Statutum Belgicum præcipiens omnem conventionem de re excedente valorem 300. florenorum fieri debere in scriptis, non respicere substantiam conventionis, sed tantùm ejus probationem in foro judiciali, ubi non testibus, sed scripto debet talis conventio probari: ex quo sequitur aliter factam obligare in conscientia, eùm in tali statuto nulla fiat mentio nullitatis Contractus, ut bene advertit. Hernix contra Franciscum Bonæspei.

CONCLUSIO III.

Contractus nudus, seu non vestitus, non parit Obligationem Civilem. Patet ex L. *Juris gentium*, ff. *De Pactis*, §. *Sed cùm*, ubi sic legitur: *Nuda Pactio Obligationem non parit*, nempe Civilem; seu quod idem est, in Foro civili nullam dat actionem: sicque licèt jus civile tales contractus non reprobet, non tamen approbat antequam vestiantur, ut evitetur litium multiplicatio. Nihilominus ubi in illis contractibus aliquid solutum est, non potest repeti, potestque pignus datum retineri, ut constat ex lege citata. Hæc omnia respiciunt præcisè forum civile: nam Ecclesiasticum obligat partes undè contrahentes ad conventionis execútionem, eò quòd talis contractus obliget in foro conscientiæ, ut diximus.

QUÆSTIO III.

Quinam possint contrahere? Ubi specialiter de Pupillis, & Minoribus.

CONCLUSIO I.

Omnis & solus ille est capax contrahendi, qui capax est dominii in actu primo & secundo, seu qui liberam habet bonorum suorum administrationem. Loquimur hic de contractu oneroso; ubi utrinque aliquid datur, & accipitur: nam certum est hoc non requiri in contractu gratuito ex parte gratificati, cùm possit pupillus, aut Minor rem datam, aut promissam acceptare, licèt bonorum suorum usum non habeat.

Ratio Conclusionis est; quia requiritur, & sufficit ad contrahendum, quòd quis possit in alterum rei dominium transferre; sed omnis & solus ille, qui capax est dominii in actu primo & secundo, potest rei dominium transferre, ut per se patet: ergo. Hinc

Resol. 1. Non posse contrahere amentes, furiosos, phreneticos; quia licèt sint capaces dominii in actu primo, non in actu secundo, defectu bonorum administrationis. Idem dic de dormiente & ebrio defectu administrationis liberæ pro instanti somni, aut ebrietatis.

Resol. 2. Non esse capacem contractus prodigum, cui à judice assignatus est curator, L. 1. Cod. *De curatore furiosi vel prodigi &c.* Ratio est; quia eo ipso, quo datur illi curator, adimitur ipsi bonorum administratio.

Resol. 3. Similiter inidoneos esse Religiosos sine licentia Prælati, utpote quibus deest bonorum dominium, & administratio.

Resol. 4. Idem esse de uxoribus respectu bonorum dotalium, & medietatis communium, eò quòd illorum dominium habeant sine administratione. Contrahere tamen possunt de paraphernalibus, saltem in iis locis, ubi eorundem liberam habent administrationem. Quantùm ad maritos, non possunt de bonis uxoris dotalibus contractus facere sine consensu uxoris; quia non conceditur illis absoluta & libera ipsorum administratio.

Resol. 5. Contrahere posse filios-familias (modò puberes sint, aut pubertati proximi) de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, propter liberam eorundem administrationem. Dixi: *modò puberes* &c. aliàs de illis disponere, aut testari prohibentur per legem ultimam. Cod. *De testamento militis* De adventitiis autem & profectitiis invalidè contrahunt sine licentia patris, quam tamen censetur dare, dum filium exponit negotiationi; aut dat ipsi certa bona suo arbitratu expendenda: illa enim obligare potest, modò non sint immobilia, aut mobilia pretiosa, quæ ultra triennium servari possunt, ut gemmæ, monilia &c. quia ad horum alienationem, ultra licentiam patris, requiritur sententia judicis. L. *Non solum* 4. C. *De prædictis minorum*. Hæc omnia sic intelligenda sunt, ut locum habeant non solum in foro judiciali, sed etiam in foro conscientiæ, & coram Deo. Major restat difficultas pro Pupillis & Minoribus: sed antè resolutionem

Adverte 1. Pupillum esse, qui necdum pubertatem attigit: quod accidit in masculis anno ætatis 14. completo, in fœminis 12. Ab anno autem 10. usque ad 14. dicitur masculus pubertati proximus, & fœmella à 9. & dimidio usque ad 12. Per minorem verò intelligitur jure communi ille, qui necdum 25. annos complevit, & huic ad bonorum administrationem assignatur Curator, Pupillo Tutor.

Adverte 2. Certa esse bona mobilia, *quæ servando servari possunt*; & illa sunt quæ ultra triennium valent conservari, ut argentum, gemmæ & alia pretiosa; certa verò *quæ servando servari non possunt*, eò quòd non sint ad triennium conservabilia, His notatis

CONCLUSIO II.

Nullatenus contrahere possunt Pupilli, aut Minores de bonis immobilibus, aut mobilibus *quæ servando servari possunt*; ita ut si contraxerint, etiam cum licentia tutoris aut curatoris, nec civiliter nec naturaliter obligentur. Et idem est; si tutorem aut curatorem non habeant.

Ratio est; quia leges justis de causis statuerunt contractus illos esse omninò irritos & nullos, nisi fierent judicis interventu. L. 22. Cod. *De administratione Tutorum*, & alibi: undè si de illis bonis promiserint, non tenentur promissum adimplere, imò possunt datum repetere, teneturque alter restituere.

Porrò etsi non possint illi aliis obligari, possunt tamen in quibuslibet bonis alios sibi obligare; quia privilegium illud præcisè in favorem teneræ illius ætatis concessum est; non in detrimentum: undè Contractus ab ipsis initi dicuntur claudicare, eò quòd ex una Parte nulla sit Obligatio, ex altera omnimoda, hocque patet ex Lib. 1. Instit. tit. 21.

Fatendum nihilominus, eum, qui cum ipsis contraxit, posse Contractus executionem recusare, donec ipsi aut consensum Curatoris, vel etiam decretum judicis, ubi necessarium est, obtinuerint, vel nisi Contractum juramento confirment: quod si id detrectaverint, non censentur bona Fide agere, cùm alios, non se, velint exponere damni periculo.

CONCLUSIO III.

Licèt Pupilli, aut Minores contrahentes de rebus mobilibus ad triennium non servabilibus sine licentia Tutoris, aut Curatoris, non obligentur civiliter; probabilius est tamen obligari naturaliter, seu in conscientia. Dico: *sine licentia Tutoris* &c. quia ipso consentiente, possunt de illis contrahendo, & civiliter & naturaliter se obligare, imò idem possunt minores sine licentia aliqua, si curatorem non habeant.

Prob. autem 1. Conclusio; quia Pupillus proximus pubertati, & Minor 25. annis capax est obligationis naturalis per Contractum suscipiendæ; sed nullibi leges positivè reddunt ipsos inhabiles respectu talis obligationis; imò plurimi dicunt ipsos sine consensu Tutoris contrahentes talem obligationem incurrere, ut patet ex L. *Si Pupillus*. 21. ff *Ad legem falcidiam*. L. 1. ff. *De novationibus* &c. ergo.

Prob. 2. Contractus Minoris sine licentia Curatoris firmatur juramento, ut volunt plurimi: ergo ante juramentum stabat, & obligabat naturaliter; aliàs non posset firmari.

Prob. 3. Quia fidejussor Minoris obligatur civiliter, & naturaliter. L. finali ff. *De jure-jurando*; ergo saltem obligatur naturaliter Minor, quandoquidem principali non obligato, non obligari fide-jussorem teneat sententia communis. Intelligenda est tamen nostra conclusio de Pupillo pubertati proximo, & cum extraneo contrahente, id est, cum alio, quàm cum Tutore; aliàs nullam obligationem incurreret, sicut nec quando Minor contrahit cum suo Curatore, eo quòd jura tales Contractus positivè reprobent, & irritent. Ex dictis

Resol.

Resol. 1. Non esse idem dicendum de prodigo, cui assignatus est Curator; quandoquidem in hoc non æquiparetur Minori, eo quod simpliciter & absolutè declaretur inhabilis ad contrahendum sine authoritate Curatoris, nec ullibi jura meminerunt illius capacitatis ad contrahendam obligationem naturalem.

Resol. 2. Eum, qui à Pupillo, aut minore recipit per Contractum onerosum, vel gratuitum aliquid mobile non pretiosum, posse in conscientia illud retinere, donec aliter disponat judicis sententia.

Dices 1. Contra concl. pluribi irritantur præfati Contractus à juribus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Irritantur hoc sensu, quod nullam vim habeant in foro externo, ibique nullam obligationem Civilem parere agnoscantur, C. hoc sensu, quòd nec in conscientia obligationem inducant. N. Aliàs essent jura juribus contraria, ut patet ex dictis.

Dices 2. Aliquando Minores comparantur in jure prodigo, furioso; sed hi non possunt naturaliter, obligari: ergo nec illi.

Resp. Non comparari quoad omnia, sed tantùm quoad sequentia. 1. Quòd his & illis assignetur Curator. 2. Quòd eorum nullus incurrat obligationem Civilem. 3. Quòd omnes per beneficium restitutionis possint obligationem completam elidere &c.

QUÆSTIO IV.

An Error irritet Contractum?

SUppono 1. Errorem versari posse vel circa rei substantiam, ut si vendatur stannum pro argento, aqua mellita pro vino Hispanico, si quis contrahat Matrimonium cum aliqua persona credens esse aliam; vel circa rei qualitatem, ut si vendatur equus senex pro juvene, infirmus pro sano.

Suppono 2. Errorem aliquando dare causam Contractui & dicitur antecedens, aliquando non dare, & dicitur incidens, seu concomitans. Censetur error, dare causam Contractui, quando est ita causa, seu motivum principale cur fiat Contractus, ut illo detecto non fieret: censetur non dare, quando ita dispositus est contrahens, ut etiam errore cognito, adhuc contraheret, licèt non ita libenter, aut minori pretio.

Suppono 3. Posse errorem impellere ad Contractum, vel per modum principaliter moventis, ita ut res, circa quam erratur, sit objectum primario intentum à contrahente, ut dum quis volens emere vinum, emit alium liquorem, vel per modum incitantis, facilitantis &c. ita ut intendatur quidem à contrahente id circa quod est error, sed secundariò, ut dum quis ducit uxorem pauperem creditam divitem, ubi divitiæ apprehensæ movent quidem ad contrahendum, sed secundariò, & primariò persona. His suppositis

CONCLUSIO I.

ERror circa rei substantiam, qualiscumque sit, reddit Contractum irritum. Est communis & certa.

Ratio est; quia non datur Contractus validus sine consensu, ut diximus; sed nullus consentit, aut consentire potest in rem ignotam: ergo.

Dixi: *Qualiscumque sit*; quia etiamsi errans esset ita habitualiter dispositus, ut si errorem cognovisset, adhuc contrahere voluisset, non stat tamen Contractus, cùm illius consensus feratur actualiter in rem apprehensam, & non in aliam: unde si emit aquam mellitam pro vino Hispanico, ita ut adhuc illam emisset, si novisset, nulla est emptio; quia ejus consensus dirigebatur in vinum, & non in aquam mellitam. Hinc

Resol. 1. Cùm error circa personam in Matrimoniali Contractu sit error circa rei substantiam, Matrimonium Jacob cum Lia, quam credebat Rachelem, fuisse ab initio nullum, sed postea ratificatum.

Resol. 2. Validam esse emptionem illius, qui emit equum à Joanne, quem putabat esse Franciscum; quia substantia Contractus emptionis non est persona vendens, sed res vendita.

CONCLUSIO II.

QUando qualitas falsò apprehensa est motivum principale contrahendi, non subsistit Contractus; subsistit autem, quando tantùm est causa excitans, facilitans, &c.

Ratio est; quia primo casu qualitas erroneè credita non tantùm est causa, cur Contractus facilius fiat, sed ut simpliciter fiat; in secundo autem casu, præcisè ut facilius aut libentius fiat, ut patet in exemplis supposito 3. allatis. In hoc nulla apparet difficultas; sed distinguere quandonam qualitas falsò apprehensa sit motivum, seu objectum principale consensus, & quandonam tantùm impulsivum? hoc opus, hic labor est: hoc unum certum est, quòd quando errans tempore Contractus non cogitat de qualitate, nec de ejus opposito, v. g. an Joanna, quam ducit, sit nobilis, an ignobilis? An equus, quem emit, sit sanus, an infirmus? Valeat Contractus, etiamsi contrahere noluisset, si defectum advertisset; quia ille propriè non errat, cùm errare sit judicare esse, quod non est. Restat ergo sciendum quando contrahens cogitat de qualitate.

CONCLUSIO III.

QUalitas, circa quam error versatur, non habet se per modum motivi principalis, sed tantùm impulsivi seu excitativi, & consequenter non impedit valorem Contractus, nisi formaliter, aut virtualiter apponatur conditio limitans consensum ad talem qualitatem, id est, si Petrus v. g. emat vinum, quod credit vetus, & est recens, si ducat puellam, quam credit divitem, & est pauper, stat ordinariè Contractus, etiamsi contrahere noluisset, si error abfuisset; non staret tamen, si exterius, aut interius dixisset: emo vinum si sit vetus, duco puellam, si sit dives, aliàs non.

Prob. 1. Pars conclusionis; quia taliter contrahens absolutè consentit in substantiam rei: non consensisset quidem, si non errasset, sed cùm hoc non faciat, quòd hic & nunc desit consensus, sed tantùm quòd debuisset, ita non facit, quod non stet Contractus, sed tantùm quòd non debuisset.

Confirm. Quia vix aliter validum esset aliquod Matrimonium, cùm ferè semper sponsorum aliquis decipiatur, circa qualitates compartis: quem enim mulier credit mansuetum, sobrium, parcum &c. videt postea esse iracundum, ebriosum, prodigum: quam maritus putabat castam, prudentem, morigeratam, animadvertit postea esse procacem, stupidam, inurbanam.

Prob. 2. Pars, quia ubi non stat conditio apposita, nec stat consensus in rei substantiam, cùm hæc non intendatur, nisi dependenter ab illa. Sed

Quæritur; An contrahens apponat conditionem limitantem consensum, quando dicit: *Emo vinum quia vetus, duco Mariam, quia divitem?*

R. Rem esse dubiam; quandoquidem illud *quia* tam possit denotare causam impulsivam, quam principaliter motivam: unde ut judicetur, an tunc Contractus valeat, necne, recurrendum est ad mentem contrahentis, & si sit vir probus, & nullatenus suspectus, standum erit illius dicto in foro conscientiæ, non tamen in foro externo, quia ubi verba, quibus fit Contractus, apparent dubia, præsumitur in illo foro pro contractu. Limita tamen, nisi ex circumstantiis externis, ad quas serio reflectendum est, colligi posset mens contrahentis, v. g. quia sæpius dixisset antea coram testibus se non velle emere vinum, nisi vetus, se nolle ducere uxorem, nisi divitem, nec præsumi posset animi mutatio. Idem nisi contrahens omni exceptione major mentem suam juramento firmaret.

Obj. 1. Contra primam partem conclusionis, quando contrahens ita afficitur erga qualitatem, ut si nosset eam non subsistere, nollet contrahere, censetur Contractui suo, saltem implicitè, conditionem apponere.

Resp. Neg. Assumptum; quandoquidem nullatenus cogitet de limitando ad talem qualitatem consensu. Deinde ita contrahit hic & nunc sicut contraheret de facto, si novisset adesse qualitatem, circa quam errat, cùm putet illam subsistere, atqui tunc contraheret sine conditione ulla: ergo & nunc.

Obji. 2. Teste Basilio Pontio, declaratum est nullum Matrimonium fœminæ nobilis, quæ nupserat viro ignobili, putans esse nobilem.

R. Hoc factum esse; quia illa sæpius antea protestata fuerat se nolle virum, nisi nobilem, ita ut crederetur conditio tempore Contractus matrimonialis adhuc virtualiter remanere, & ideo dixi in concl. *nisi formaliter, aut virtualiter apponatur conditio*.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An Fraus, seu dolus invalidet Contractum?

ADverte 1. Fraudem, seu Dolum aliquando causare errorem in contrahente circa rei substantiam, ut si vendens asserat vitrum esse gemmam, aliquando circa rei qualitatem, ut si equus infirmus dicatur sanus. Primo casu certum est Contractum esse nullum, ut patet ex concl. 1. quæst. præcedentis: imò & secundo casu nullus est, si apponatur conditio restringens consensum ad qualitatem falsò apprehensam, ut diximus concl. 3. unde quæstio nostra tantùm procedit quando contrahens nullam conditionem apponit circa qualitatem, circa quam decipitur.

Adverte 2. Dolum, seu Fraudem provenire posse vel à tertio vel à teipso, vel ab eo, qui tecum contrahit. His notatis

CONCLUSIO I.

FRaus, seu Dolus circa rei qualitatem non irritat Contractum, si proveniat à tertio, vel à te ipso ex tua prava opinione. Est communis contra Conradum, & Medinam. Patet ex Glossa in caput *dilecti* De emptione & Venditione.

Ratio est; quia non deest consensus in substantiam rei, sed tantùm in quædam extrinseca, à quibus cùm non dependeat consensus in objectum principale; ita nec valet Contractus, imò nullo jure tibi datur facultas illum authoritate propria rescindendi, saltem si sit onerosus, cùm alter contrahens supponatur omninò innocens: unde si à te ipso deceptus sis, tuæ imprudentiæ damnum imputa, licèt possis æqualitatem in judicio prætendere, si vel infra justum pretium vendideris, vel supra justum emeris. Patet ex cap. jam citato: si autem à tertio proveniat deceptio, actionem habes in ipsum pro damno tibi illato, &, ipso deficiente, in alterum contrahentem pro augmento dato ratione fraudis. *L. Julianus* 13. De actionibus empti & venditi.

CONCLUSIO II.

ETiam validus est contractus, nisi alter contrahens induxerit, aut sciverit dolum, qui est causa contractus; potest tamen rescindi. Est communior Casuistarum sententia.

Prob. 1. Quia stat in utroque foro contractus matrimonialis taliter initus, modo fraus, seu dolus à comparte proveniens non versetur circa substantiam: ergo & alter contractus.

Prob. 2. Potest deceptus, si velit, stare contractui, & tenetur decipiens ad ejus executionem, cùm nullam habeat causam resiliendi: ergo signum est contractum ab initio valuisse: unde stricta est obligatio deceptoris, licèt sit tantùm debilis ex parte decepti, in quantum potest vel resilire, vel indemnitatem urgere.

Prob. 3. L. 5. C. *De inutilibus stipulationibus*, dolus & metus æquiparantur, sed metus non irritat contractum, cujus fuit causa: ergo nec dolus.

Prob. 4. Quia dolus ille non tollit equidem consensum in objectum principale, cùm non rei substantiam, sed qualitatem respiciat.

Dixi in concl. *Potest tamen rescindi*, & quidem authoritate propria; quia si teneatur deceptor ex justitia deceptum in integrum restituere ante sententiam judicis, propter injuriam illatam, quidni posset deceptus ante omnem sententiam per contractus rescissionem injuriam illatam à se excutere, cùm hoc videatur æquitati, & rationi consentaneum? Hoc tamen non habet locum, ubi non est dissolubilis, seu rescindibilis contractus, qualis est matrimonialis, imò volunt aliqui, non improbabiliter, nec posse rescindi pro arbitrio decepti contractum, quando ex altera parte impletus est, nec res manet adhuc integra, sed tunc requiri sententiam judicis, eò quòd jus positivum (secundum quod stat præfatus contractus) non admittat, saltem in illo casu, illius rescissionem privata authoritate faciendam.

Dices 1. Contra concl. contractus ille dicitur aliquando in jure nullus, irritus: ergo &c.

R. 1. Sæpè dici in jure *irritum*, quod est *irritandum*. 2. Potest aliquo sensu dici irritus ex parte decepti, cùm sit pro ejus arbitrio rescindibilis, imò nec deceptor acquirit per illum jus solidum, quandoquidem deceptus in integrum sit restituendus.

Dices 2. Conclusionem esse veram in contractibus *stricti juris*, non tamen in contractibus *bonæ fidei*, de quibus quæst. 2. concl. 2. Hujus Disput. idque propter legem *Et eleganter* 7. ff. *De Dolo*, ubi dicitur, nullam esse emptionem, si in hoc ipso ut venderet, circumscriptus est, nempe venditor.

R. Malè peti distinctionem allatam ex illa lege, cùm ibi agatur de Minore, qui dolosè præventus, Servum vendiderat, cujus Contractus declaratur aliunde, quam ex Dolo, nullus.

QUÆSTIO VI.

An valeat Contractus ex metu initus?

SUppono 1. Metum (qui est apprehensio mali verosimiliter eventuri) alium esse Gravem, qui cadit in constantem virum; alium Levem, qui non nisi meticulosum afficit: subdividitur in absolutè gravem, ut apprehensio mortis, exilii, mutilationis, bonorum amissionis &c. quæ sunt secundum se viro constanti formidabilia: & respectivè gravem, id est, habita ratione personæ timentis, v.g. quòd sit mulier, puer, senex, vir meticulosus. His addi potest metus reverentialis, qui etiam censetur gravis, ubi junguntur verbera, minæ graves, & alia meritò timenda.

Suppono 2. Metum oriri posse, vel ab intrinseco, ut ab infirmitate; vel ab extrinseco, idque vel naturali, ut ab incendio, naufragio &c. vel libero, nempe homine, qui potest illum incutere aliquando justè, ut, cùm Magistratus minatur mortem furibus, aliquando injustè, ut dum sicarius vult vitam, aut bursam viatoris.

Suppono 3. Metum ab extrinseco posse aliquando incuti ad extorquendum Contractum, aliquando ad alios fines. His suppositis

CONCLUSIO I.

UBi Metus gravis provenit ab intrinseco, vel ab extrinseco naturali, vel etiam ab extrinseco libero justè incutiente, stat Contractus. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. & 2. pars; quia licèt Contractus illi sint involuntarii secundum quid, seu hoc sensu quòd non fierent, nisi malum intrinsecum, aut extrinsecum apprehenderetur; sunt tamen absolutè & simpliciter voluntarii; quandoquidem procedant cum advertentia à voluntate medium illud eligente, ad vitationem mali imminentis. Accedit, quòd stet votum ex tali Metu procedens, quidni & Contractus? Unde si mulier in Metu submersionis, combustionis, occisionis &c. promittat liberanti se Matrimonium, tenebitur ad illud.

Prob. 3. pars; quia taliter contrahens non potest justè conqueri quod urgeatur ad contrahendum; cùm ad id obligetur in conscientia; aliàs Metus non esset justè incussus: unde qui sponsalia contraxit, potest ad Matrimonium compelli per Metum Excommunicationis, sicut & ille qui virginem corrupit, ut illam dotet, vel ducat: & ideo in cap. *Ad audientiam. 4. De iis, quæ vi &c.* ubi dicuntur illa: *quæ vi Metusve causa fiunt, carere robore*, agitur de Metu injustè incusso. Nec contradicit Lucius III. cap. *Requisivit* 17. De Sponsalibus & Matrim. cùm dicit, mulierem, quæ sponsalia jurata adimplere recusabat, potiùs monendam esse, quàm cogendam, eò quòd *libera debeant esse Matrimonia*; nam sic loquitur, non quia credit Metum justè incussum tollere libertatem ad matrimonii valorem requisitam, sed quia ex coactione, licèt justa, *difficiles exitus solent frequenter habere*, ut loquitur ipsemet.

CONCLUSIO II.

MEtus gravis injustè incussus, sed ad Contractum non ordinatus, relinquit ipsum validum in utroque foro, saltem si fiat cum eo, qui Metum non incussit.

Ratio est; quia tunc Metus non est causa Contractus, sed tantùm occasio: unde si captus à sicariis tibi mortem minantibus, promittas rusticis transeuntibus 100. nummos, si te liberaverint, ubi liber factus es, teneris promissam adimplere; quia Metus mortis non fuit tibi incussus in ordine ad illum Contractum, sed in ordine ad bursam tuam obtinendam.

Dixi: *Saltem si fiat cum eo, qui Metum non incussit*; quia si aliquid des, aut promittas Metum injustè incutienti, ut illum auferat, nulla est datio, aut promissio, etsi Metus non fuerit ad illam directus; quia tunc deest titulus, eò quod Metum incutiens obligetur ex justitia illum removere. Hinc, si nugandi causa me in aquam projeceris, & ergo Metu mortis

pro-

promittam tibi 20. aureos, si me eripueris, ereptus ad nihil teneor; quia tenebaris ex justitia me extrahere, adeoque Metum sedare. Aliud esset, si alter me projecisset; quia cùm tunc non tenearis ex justitia, sed ex sola Charitate me eripere, posses rem datam, aut promissam recipere.

CONCLUSIO III.

Metus injustè incussus in ordine ad extorquendum Contractum, jure naturæ, adeoque & positivo, invalidat illum cum injusto vexatore initum, si tantùm habeat pro objecto liberationem à vexatione injusta. Est Doctorum Seraphici & Subtilis, quos sequuntur Scotistæ communiter cum Gabriele, Molina, & aliis.

Ratio est; quia jure naturæ nullus est Contractus, ubi venditur res invendibilis; sed hoc fit in Contractu habente pro objecto cessationem à vexatione injusta: ergo. Major certa est, prob. min. quia cessatio ab injusta vexatione debetur ex justitia, & consequenter illam vendens vendit quod suum non est, adeoque invendibile. Hinc, si volenti domum tuam incendere, segetes tuas vastare, pallium tuum surripere, te mutilare, aut occidere, tu metuens ne illa tibi evenirent, bursam dederis ut desisteret, nulla est datio, teneturque recipiens ante omnem judicis sententiam illam restituere.

Dices 1. Non deest consensus sufficiens ad valorem talis Contractus: ergo validus est.

R. Dissimulato ant. N. conseq. Quia non diximus Contractus illos esse irritos defectu consensus, sed defectu materiæ pretio æstimabilis, seu vendibilis.

Dices 2. Si valeret probatio Conclusionis, etiam invalidus esset Contractus initus ex Metu levi, cùm liberatio ab injusta vexatione sive gravi, sive levi, sit semper invendibilis.

R. Totum esse verum; & ideo in Concl. diximus simpliciter *Metus*, & non *Metus gravis*.

Dices 3. Contractus ex Metu præfato initi dicuntur in jure *irritandi*, *infirmandi*, *annullandi*; ergo supponuntur validi.

R. Tunc fieri mentionem de Contractibus, in quibus intercedit res vendibilis & ideo sit

CONCLUSIO IV.

Metus gravis injustè incussus ad extorsionem Contractus, relinquit ipsum naturaliter validum, etiam initum cum injusto vexatore, si utrinque aliquid detur & accipiatur distinctum à ratione vexationis. Exemplum sit. Petrus cogit me per Metum gravem ut emam ipsius equum centum aureis, jure naturæ valida est emptio.

Ratio est; quia si tunc Contractus nullus esset, foret vel defectu consensus, vel ratione injuriæ, vel quia deest titulus: non primum; quia cùm non deficiat consensus ad actum humanum requisitus, v. g. ad peccatum, ità nec ad contrahendum: non etiam secundum; quia injuria illa nec Contractum efficit, nec contrahendi imponit necessitatem; aliàs imponeret & peccandi: non denique tertium; equus enim in exemplo allato non est emptori ex justitia debitus, & consequenter est titulus sufficiens ad fundandam emptionem.

Obj. 1. Scotus supra dicit universaliter consensum ex tali Metu extortum non esse translativum dominii: ergo nunquam valet Contractus ex illo initus.

R. Verius esse, Scotum tantum loqui de Contractibus, de quibus Conclusione præcedenti, cùm non neget adesse consensum, sed tantùm dicat, non esse translativum dominii: quia cùm in illis Contractibus nihil indebitum transferat injustè vexans, nihil etiam transfert injustè vexatus: hic autem aliquid indebitum utrinque transfertur.

Obj. 2. Matrimonium ex tali Metu contractum nullum est: ergo & alii Contractus.

R. Dist. ant. Nullum est jure naturæ: N. ex jure positivo sic ordinante, cap. *Cum locum*. De Sponsalibus, propter justas rationes, C.

QUÆSTIO VII.

An etiam valeant hi Contractus jure positivo, & quid in illis debeat vexans, quid possit vexatus facere?

CONCLUSIO I.

Etiam validi sunt hi Contractus posteriores jure positivo, si aliqui particulares excipiantur. Hæc resolutio non est omnino certa propter varios textus juris, qui huic apparent contradictorii; videtur tamen nobis probabilior.

Ratio est; quia Instit. *De Exceptionibus* §. 1. conceditur actio & exceptio Metum passo contra incussorem: ergo supponitur, stare Contractum; imò ibidem claré dicitur: *Si Metu coactus .... stimulanti Titio promisisti quod non debueras, palam est jure Civili te obligatum esse*. Quid expressius? Item L. ult. Cod. *De his quæ vi &c.* præcipitur judicibus, ut infirment venditiones, transactiones, & donationes, quæ per coactionem extortæ sunt: ergo sunt antea firmæ. Item L. 21. §. 5. ff. *De eo quod Metus causa*, dicitur: *Metu coactus adii hæreditatem, puto me hæredem effici, quia quamvis liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur*. Ubi evidentissimè declaratur validum esse Contractum implicitum, qui intervenit dum quis Metu coactus adit hæreditatem.

Obj. 1. cap. *Ad audientiam* 4. *De his quæ vi &c* legitur: *Quæ vi Metusve causa fiunt, carere debent robore*.

R. Carere robore, non quia nulla sunt, sed quia infirma, eò quòd sint à Metum passo, vel saltem à judice rescindibilia.

Obj. 2. L. 1. Cod. *De rescindenda venditione* decernitur, venditionem domus factam ex Metu, esse irritam. Et L. *Qui in carcerem* 22. ff. *De eo quod Metus causa*, statuitur nullius esse momenti quidquid ex Metu fecerat intrusus in carcerem.

R. Dici irrita, nullius valoris, nullius momenti, quia sunt facilè irritabilia, seu rescindibilia: unde nonnunquam in jure ponitur *irritum* pro *irritandum*.

Obj. 3. Per talem Contractum non transfertur dominium rei traditæ. L. 10. ff. *De eo quod Metus causa*, §. 6. ubi res tradita à Metum passo dicitur *esse in bonis ejus*.

R. Neg. Assumpt. Ad prob. dico, rem traditam esse in bonis ejus, non simpliciter, sed æquivalenter, in quantum est pro ejus libitu recuperabilis.

Inst. Ibidem non tantùm conceditur Metum passo actio in personam, sed etiam in rem; atqui non datur actio in rem translatam: ergo signum est ejus dominium non esse translatum, aliàs tantum daretur actio in personam.

R. Non dari quidem actionem in rem translatam irrevocabiliter, posse tamen dari, ubi ad nutum tradentis revocabilis est, eò quòd dominium accipientis sit debile & infirmum.

Obj. 4. Nihil est adeò consensui ad Contractum requisito contrarium, quàm Metus. L. *Nihil consensus* 117. ff. *De regulis juris*.

R. Fieri mentionem de consensu ad contrahendum omnino liberè; non autem de eo qui sufficit ad valorem Contractus.

Dixi in Concl. *Si aliqui particulares excipiantur*: excipiuntur enim 1. Matrimonium & Sponsalia. 2. Professio Religiosa: quod extendunt nonnulli ad quælibet vota. 3. Dotis solutio, aut promissio. 4. Prælati electio. 5. Traditio, aut promissio rerum Ecclesiasticarum. 6. Authoritas Tutorum per Metum extorta.

CONCLUSIO II.

Qui injustè Metum incussit, tenetur id, quod per consensum, aut contractum ex tali Metu provenientem obtinuit, ante judicis sententiam restituere; imò & omnia damna resarcire.

Ratio est; quia injustè vexans tenetur ratione injuriæ illatæ omnia in pristinum statum reponere, & consequenter accepta reddere, aut nocumenta reparare: hocque verum est, licèt Metus qui dedit causam contractui, sit tantum levis; quia etsi leges positivæ non concedant in foro externo rescissionem talis contractus; ne lites multiplicentur in infinitum; jure tamen naturæ non eximitur metum incutiens à reparatione injuriæ, & damni de facto illati: unde quòd talis contractus sit validus, non patrocinatur metum incutienti, sed metum passo, qui potest ipsum, si velit, ratum habere.

Sed quid: si alter contrahens metum non intulerit, sed tertius ipso inscio? Equidem tenetur acceptum reddere, idque ratione juris positivi concedentis actionem non tantùm in personam injuriantem, sed etiam in rem, ubicumque existat. L. 9. §. *sed quod* ff. *De eo quod metus causa*: undè res metu acquisita semper transit eo vitio affecta; & ideò licèt etiam ad alium possessorem bonæ Fidei transierit, posset metum passus illam repetere, teneturque alter reddere; vel certè gravatum indemnizare.

CON-

CONCLUSIO III.

GRavem metum injustè passus, sive ab altero contrahente, sive ab aliquo tertio, potest contractum, ad quem metus incussus est, rescindere, & quidem authoritate propria. Est communis inter Scholasticos.

Prob. 1. pars; quia expresse jura insinuant pluribus in locis facta ex metu, esse *irritanda*, *infirmanda*, *carere robore*; nec distinguunt, an metus ille proveniat ab altero contrahente, anab alio? imò potius insinuant nou esse distinguendum; cùm L. *Item* 4. § *in hac actione*. ff. *De eo quod metus causa*, dicatur *In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecerit: sufficit enim hoc dicere metum sibi esse illatum, vel vim*.

Prob. 2. pars; quia qui rem obtinuit mediante metu injusto, tenetur ante judicis sententiam omnia in pristinum statum restituere, seu injustè vexatum indemnizare: ergo similiter potest damnum passus antè judicis sententiam se indemnem reddere per contractus rescissionem; non tamen per rei traditæ captionem; quia violaret juris ordinem, quo tenetur ad legitimum judicem pro rei suæ recuperatione recurrere.

QUÆSTIO VIII.

Quid de contractibus ex metu levi, aut reverentiali factis?

SUppono, contractus ex quocumque metu levi initos validos esse, non solùm jure naturæ, sed etiam positivo, modò in illis interveniat materia contractus; si enim jus positivum nou irritet initos ex metu gravi, cur irritaret initos ex metu levi; unde postquam dictum esset L. 1. ff. De eo quod metus causa, *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo*, subditur L. 6. *Metum non vani hominis, sed qui meritò & in hominem constantissimum cadat, ad hoc Edictum pertinere dicimus*; & ideò Contractus præfati in foro externo nequidem sunt rescindibiles, eò quòd præsumatur, metum levem non dedisse causam Contractui.

CONCLUSIO I.

UBi metus levis injustè incussus sic dedit causam Contractui, ut aliàs non esset celebrandus, videtur jure naturæ posse rescindi; si excipimus matrimonium & Professionem religiosam, qui sunt Contractus indissolubiles.

Prob. 1. Ideò Contractus ille non est rescindibilis in foro externo; quia præsumitur, metum levem non dedisse causam Contractui: ergo ubi constat in foro conscientiæ dedisse causam contractui, est in illo foro rescindibilis.

Confirm. quia (ut inquit Wiggers) lex fundata in præsumptione non habet locum coram Deo, si veritas ei non respondeat.

Prob. 2. Quia qui per talem Metum rem alienam obtinuit, aliàs non obtenturus, tenetur illam reddere, cùm habuerit per injuriam: ergo qui ex tali Metu illam tradidit, aliàs non traditurus, potest repetere.

Prob. 3. Metum passus debet libertati suæ restitui, ut sit tanta libertas in uno contrahente quanta in altero, sicque servetur æqualitas: ergo jus habet statum illum assumendi, adeoque & Contractum vel approbandi, vel reprobandi.

Prob. 4. Quia dum metus levis simpliciter dedit causam Contractui, æquè impulit hominem ad contrahendum, quantùm ad effectum, ac metus gravis: ergo si contractus ex metu gravi sit propter coactionem rescindibilis, erit & contractus ex metu levi.

CONCLUSIO II.

MEtus reverentialis junctus cum gravibus minis, verberibus; aut aliis non leviter hominis animum concutere solitis, reddit contractum ex illo initum rescindibilem. Est certa.

Ratio est; quia talis Metus est simpliciter & absolutè gravis. Hinc

Resol. 1. Si filius timens Patris minas, hæreditatis privationem; convictum austerum &c. cedat per donationem, aut contractum bonum aliquod Castrense, aut Quasi-castrense, posse factum rescindere, tenerique Patrem in conscientia restituere.

Resol 2. Idem esse dicendum de uxore, quæ ad vitanda jurgia, aut verbera cedit aliquid marito, aut alteri ex ipsius mandato: unde potest datum, aut venditum, ubicumque sit, repetere, suntque obligati detinentes reddere.

Resol. 3. Preces importunas, ubi nihil aliud timetur, non esse ordinariè sufficientes ad rescissionem Contractus; quia nou debent virum constantem graviter concutere.

Dixi: *Ordinariè*: nam si tales essent, ut absolutè darent causam contractui, aliter esset loquendum.

Quæri solet hic à Thomistis, an votum & juramentum Metu extorta sint valida? Item an juramentum validet contractum invalidum? Sed pro illis vide tract. in secundum Decalogi præceptum, ubi de Voto & Juramento.

QUÆSTIO IX.

Quibus concedatur Restitutio in integrum, quando, & à quibus?

SUppono 1. Restitutionem in integrum (quæ est prioris status redintegratio per judicis authoritatem) posse fieri vel ratione Præscriptionis, vel ratione sententiæ, vel ratione læsionis notabilis in contractu, aut quasi contractu valido. Dico: *Valido*; quia locum non habet, ubi contractus ab initio fuit omninò irritus, ut per se patet: sicut nec quando læsio fuit levis, eò quòd talis in jure pro nulla reputetur.

Suppono 2. Multipliciter posse fieri restitutionem in integrum, 1. rescissione contractus aut quasi contractus sive gratuiti, sive onerosi. 2. restitutione æquivalentis detrimento læsionis. 3. cassatione sententiæ, ubi ex illa fruens beneficio restitutionis notabiliter gravatus est. 4. revocatione præscriptionis, seu faciendo ut ille, qui authoritate publica præscripserat, eadem authoritate re præscripta privetur. His suppositis

CONCLUSIO I.

COnceditur Minoribus, id est, iis, qui needum a 5. ætatis annum expleverunt beneficium restitutionis in integrum, præsertim adversus donationem, contractum, sententiam, & præscriptionem.

1. Adversus *donationem*: etiamsi illam fecerint authoritate Tutoris, aut Curatoris, si gravamen indè passi sunt: quod addo; quia si donaverint ex causa rationabili, & in iis circumstantiis, in quibus attenta loci consuetudine, personarum conditione, actionis qualitate &c. censetur donatio prudens, non restituantur in integrum, eò quòd non reputentur notabiliter læsi.

2. Adversus *contractum*, ut si rem minoris vendiderint, aut illam, quam non expediebat vendere: primo enim casu agere possunt pro recuperatione justi pretii, secundo pro recuperatione rei, apud quemcumque existat. Non habet tamen locum Restitutio. 1. Si Minor contractum prudenter celebravit, id est, eo modo, quo vir sensatus celebrasset. 2. Si contractum juramento firmavit, nisi certè prius relaxationem juramenti ab Ecclesia obtineret. 3. Si major factus contractum ratificavit.

3. Adversus *quasi contractum*, ut si obligationem laborandi, docendi &c. sibi imposuerint, si in electione partem deteriorem elegerint, si acceptaverint hæreditatem nocivam, aut repudiaverint proficuam.

4. Adversus *sententiam*, sive interlocutoriam, sive definitivam, & quemcumque actum judicialem, non solùm à judice inferiore, sed etiam à Principe provenientem, ut patet ex L. *Minor* 9. ff. *De Minoribus*.

5. Adversus *præscriptionem* etiam 30. aut 40. annorum, licèt contra se præscribi noverint L. unica Cod. *si adversus usucapionem*. Imò etiam Majoribus conceditur quandoque restitutio in integrum adversus præscriptionem 10. & 20. annorum, modò tamen probent se, vel præscriptionem currentem invincibiliter ignorasse, vel propter legitimam absentiam, v. g. pro tractandis negotiis publicis, pro gerendo Principis bello &c. non potuisse contra illam reclamare.

Porrò etiam Minorum privilegio gaudent, quantum ad beneficium restitutionis, Respublica, Civitas, Oppidum, Collegium Scholarium, Principes supremi quoad bona Principatus alienata, eò quòd sint Reipublicæ: item Ecclesiæ & alia loca pia, non tamen Ecclesiastici nomine proprio contrahentes. Similiter id etiam concedunt aliqui rudibus, puta rusticis & mulierculis jura ignorantibus. Denique illud competit militibus tempore belli, sicut & absentibus causa Respublicæ, quantum ad præscriptionem, non tamen universaliter quoad contractus ab ipsis celebratos. Circa hoc vide plura apud jurisperitos,

ritos, cùm potius Forum externum respiciant, quam internum.

CONCLUSIO II.

QUibus conceditur beneficium restitutionis, illud petere debent intra quadriennium, quod Minores computare incipiunt ab anno ætatis 25. completo usque ad annum 29. inclusivè: alii autem à die læsionis ad quatuor annos completos: nihil obtinent ex jure communi si magis differant. Dico: *ex jure communi*, quia ex Edicto Principum Belgii, anno 1611. 12. Julii art. 9 quoad rescissiones & annullationes contractuum fundatas super læsione videntur concedi 10. anni, saltem ubi intervenit magna fraus, vis, metus, aut circumventio.

Sed, potest ne restitutionis beneficium Minoribus concedi, postquam Matrimonium contraxerunt, aut veniam ætatis impetrarunt?

R. Concedi posse post Matrimonium, non post impetratam ætatis veniam L. 1. C. *De his qui veniam impetrant*. Ratio discriminis est, quòd non soleant veniam ætatis concedere Principes, aut judices, nisi maturis, & bona sua administrare capacibus; plurimi autem Matrimonium ineant adhuc immaturi ac imprudentes, nec ad res suas gubernandas satis providi.

CONCLUSIO III.

BEneficium restitutionis concedere potest in foro sæculari Princeps, directis ad judicem litteris, quibus rei veritatem, prætensam læsionem, modum præscriptionis &c. mandat attentè examinari, ac postea (si allegationes & preces subsistant) postulaotes in integrum restitui: in foro autem Ecclesiastico concedi potest oon solum à Papa, sed etiam ab Episcopis, eorumque Officialibus, si sint Rei judices, cùm debeat actor sequi forum Rei. Imprimis tamen cavere debent concedentes hoc beneficium, ne illum contra quem conceditur, fraudent pretio & expensis, sive necessariis, sive utilibus in re dotata, aut empta adhibitis, cùm sit injustum ut restitutus lucrum reportet cum alterius injuria. Adverte beneficium restitutionis non esse ita personale, quia etiam ad hæredes Minoris transeat.

QUÆSTIO X.

Quid sit Contractus conditionatus, & quando valeat?

CONCLUSIO I.

COntractus conditionatus est ille, qui non fit absolutè, & simpliciter, sed dependenter à certa conditione præterita, præsenti, vel futura. Hæc autem conditio potest esse necessaria, vel contingens; honesta, vel turpis, possibilis, vel impossibilis: ubi autem posita est conditio, dicitur Contractus purificari, seu esse purus; quia de conditionato transit in absolutum.

CONCLUSIO II.

HIc & nunc validus est, aut invalidus Contractus, qui fit cum conditione de præsenti, aut præterito, v. g. *Emo equum tuum, si sit 6. annorum: duco te in uxorem, si obtinuisti consensum patris*.

Ratio est; quia vel subsistit conditio apposita, vel non: si primum, ex nunc purificatur Contractus, cùm tantum ab illa conditione dependeat ut sit absolutus, si secundum, nullus est, cùm nullus sit consensus, deficiatque contrahendi animus.

CONCLUSIO III.

COnditio de futuro non suspendit valorem Contractus, si sit necessaria; secus si contingens.

Prob. 1. Pars; vel enim seriò agit taliter contrahens, vel nugatoriè seu simulatoriè: si secundum, ex nunc invalidus est Contractus, defectu consensus: si primum, validus est, cùm conditio de futuro necessario, censeatur moraliter præsens, & quasi adimpleta, propter certitudinem eventus, nec possit contrahens seriò agens usque ad eventum conditionis consensum suspendere. Hinc si sciens omnibus hominibus esse moriendum, solem singulis diebus oriri, seriò dicas: si uxor mea aliquando moriatur, promitto tibi 1000. aureos: si crastina die oriatur Sol, ducam te in uxorem, ex nunc stat tua promissio; quia qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, pure videtur stipulari l. 9. ff. *De Donationibus*, vel certè convinceris velle nugari. Aliud esset, si quis conditionem necessariam bona fide crederet contingentem, vellet que se ante positam conditionem obligare.

Prob. 2. Pars; quia cùm conditio de futuro contingenti possit evenire, vel non evenire, nolitque contrahens ante conditionis eventum consensum suum vim habere, clarum est, Contractus valorem eo usque suspendi, quandoquidem tamdiu suspendatur, quamdiu suspenditur efficacia consensus, à quo essentialiter dependet: unde si quis dicat: vendo tibi domum meam, si intra annum uxorem duxero, nullatenus vim habet Contractus ille, nisi inito Matrimonio: secus foret dicendum, si contrahens vellet hic & nunc consensum suum vim habere, si conditio, quam apponit, sit eventura; quia licèt tunc notitia valoris dependeret ab eventu conditionis, non tamen valor ipse, qui ab initio subsisteret, ubi conditio esset de facto ponenda, & ideo taliter contrahens posset fructus ex re data, aut empta recipere, non solùm ab instanti conditionis purificatæ, sed etiam Contractus initi.

CONCLUSIO IV.

STatim ubi evenit conditio de futuro contingenti, purificatur Contractus, seu transit in absolutum sine novo consensu. Est probabilior, & communior. Patet ex L. 7. ff. *De contrahenda emptione*, ubi legitur: *conditionales venditiones tunc proficiuntur, cum impleta fuerit conditio*, nulla facta meotione novi consensus.

Ratio est; quia si opus esset novo consensu, Contractus conditionatus malè diceretur Contractus, cùm non esset nisi promissio taliter contrahendi, eo ipso quo posita esset conditio. Accedit, quòd secundus consensus sit superfluus; quandoquidem secundum communem hominum æstimationem censeatur primus remanere usque ad conditionis eventum. Præterea vel primus consensus est operativus, vel non: si non; ergo nugantur qui sub conditione contrahunt: si sic; ergo operatur posita conditione, cùm antea nullum effectum habeat.

Dices 1. Non valet Matrimonium sub tali conditione initum, nisi accedat novus consensus: ergo.

Prob. Ant. ex cap. *Super eo*, De condit. apposit. ubi Urbanus III. definit eum, qui Matrimonium contraxerat sub conditione paterni consensus, non esse compellendum ad contrahendum, adeoque ad novum consensum.

Resp. Neg. Ant. ad Prob. dico Pontificem non agere ibi de Matrimonio, sed de Sponsalibus conditionatè, contractis; hæc autem cùm, deficiente conditione, deficiant, non est mirum, quòd sponsus non sit ad contrahendum impellendus; esset tamen, posita conditione, impellendus ad contrahendum, adeoque ad novum consensum, sed non circa idem objectum, cùm primus consensus respiceret Sponsalia, secundum Matrimonium.

Replicabis. Fuerat interrogatus Pontifex, an esset compellendus sponsus ad consummandum Matrimonium: ergo ibi non agitur de Sponsalibus, sed de Matrimonio conditionatè inito.

R. Per *consummationem* non intelligi copulæ exercitium, sed Matrimonii per Sponsalia quasi inchoatè initi complementum, & perfectionem.

Dices 2. Talis consensus est de futuro; atqui ad Matrimonii valorem requirit consensum de præsenti Concl. Florentinum: ergo.

Resp. Dist. Ant. Est de futuro ante positam conditionem C. posita conditione, N. quia sicut tunc Contractus fit absolutus, ita & præsens moraliter habetur consensus. Cæterum cùm hic agatur de valore Sacramenti, & sententia opposita non careat probabilitate, in praxi renovandus est consensus, imò nunquam Parochus debet in Contractu Matrimoniali conditiones admittere; sicque multa evitabuntur incouvenientia.

CONCLUSIO V.

PEndente conditione, non potest contrahens licitè resilire, imò nec validè, hoc sensu, quòd possit priorem obligationem extinguere.

Ratio est; quia sicut ex contractu absoluto nascitur obligatio absolutè, quam non potes pro libitu repellere; ita ex conditionato oritur obligatio conditionata, quam, velis nolis, non potes extinguere: nec mirum; quia cùm ex utriusque consensu ortum habeat, ita non nisi utriusque consensu potest

test finem habere: undè si aliter agas, injuriosus es alteri contrahenti, tenerisque ipsum indemnizare propter violatum jus ipsius conditionatum.

Dixi: *Hoc sensu quod possit priorem obligationem extinguere*; quia potest quandoque contractus absolutus posterior contractum priorem conditionatum destruere: nam si qais absolutè matrimonium ineat cum Maria: postquam conditionatè iniit Sponsalia cum Joanna, stat matrimonium, sopiunturque Sponsalia. Similiterque si Petrus vendat, & tradat pallium Joanni, quod conditionatè promiserat Paulo, stat venditio, nullaque fit promissio: debet tamen promittens promissarium indemnizare, æquivalens tradendo, & in priori casu Joannam, defuncta Maria in uxorem ducendo. Hujus autem ratio est, quòd promittens antè impletam conditionem semper maneat dominus rei promissæ, & ideò in casibus allatis, & similibus, valide cum secundo aut secunda contrahat: non valeret tamen contractus posterior, etiam absolutus, si nulla fieret rei traditio, ut si quis contracta conditionatè sponsalia cum una, contraheret absulutè nova cum altera, aut promissum conditionate Joanni pallium, absolutè promitteret Paulo, quia nemo potest obligari ad illicitum, sed ad dandam rem posteriori, cum injuria prioris, & ideò tali casu valida est prima promissio, invalida secunda.

CONCLUSIO VI.

NUllus est contractus initus cum conditione turpi, aut impossibili, si saltem jus naturæ spectes.

Prob. 1. Pars, quia nemo potest obligari ad peccandum ut sufficienter diximus in Tractatu de restitutione, ubi quæsivimus, an restituenda sint accepta ratione rei turpis? Illuc recurre.

Prob. 2. pars, quia taliter contrahens censetur velle ougari, & non contrahere, quandoquidem suspendat consensum suum, adeoque & contractum donec ponatur conditio, quam novit nunquam ponendam.

Dixi: *Si saltem jus naturæ spectes*: nam Ecclesia, quæ jocos non admittit in rebus seriis, ut est matrimonium, declarat per Gregorium IX. cap. finali. *De conditionibus appositis* quod *conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi*, scilicet in foro externo, in quo præsumitur res tam seria seriò peracta, adeoque noluisse contrahens, à conditione turpi aut impossibili consensum suum dependere, in foro tamen conscientiæ nullum erit matrimonium, si voluerit contrahens à positione conditionis impossibilis dependere consensum suum.

Quantum ad conditiones turpes limitat Pontifex supra nisi repugnent substantiæ matrimonii, *ut si alter dicat alteri* (verba sunt Pontificis,) *contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam bonore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas*. Quod autem circa hoc ordinavit jus Canonicum in matrimoniis, ordinavit & jus Civile in testamentis, volens illa esse valida, non obstantibus conditionibus sive turpibus, sive impossibilibus deest quidem consensus testatoris, sed Respublica, quæ potest justa de causa de particularium bonis disponere, censetur defectum supplere.

DISPUTATIO VI.

De Contractibus gratuitis.

NOmine contractuum gratuitorum, seu lucrativorum, veniunt Promissiones, donationes & ultimæ voluntates, de quibus sigillatim.

QUÆSTIO I.

Quid sit Promissio, & quas requirat conditiones?

CONCLUSIO.

PRomissio est gratuita donatio fidei dechibenda re licita & possibili ab altero acceptata.

Dicitur 1. *Gratuita*, id est, liberalis, a nullum onus imponens promissario, ut excludatur proisio utrinque onerosa, in qua tam promittens, quàm preissarius ad aliquid se obligat.

Dicitur 2. *Donatio fidei*, ut distinguatur à donatione, in qua non est fidei donatio, sed rei: unde promissio respicit rem dandam, donatio actualiter datam. Est autem hic fides voluntas sincera conformaodi facta promissis.

Dicitur 3. *De re licita, & possibili*; quia promissio imponit obligationem, quam nullus contrahere potest ad rem illicitam, aut impossibilem.

Dicitur 4. *Ab altero acceptata*; quia seclusa acceptatione tacita aut expressa, nondicitur promissio, sed Pollicitatio. Ex hac definitione

Resol. 1. Eum qui dicit alteri; *promitto*, non intendens dare fidem, sed tantùm indicare desiderium, seu propositum; non obligari ad quidquam.

Resol. 2. Nec obligari illos, qui ex quadam urbanitate promittunt se omni loco, omnique tempore fore paratos ad aliorum obsequium, & similia; quia modus ille loquendi propositum denotat, non promissionem.

Resol. 3. Promittentem rem partim licitam, partim illicitam, teneri ad eam, ex ea parte qua licita est, & ideo qui fecit alteri promissionem prodigam, licèt ad eam non teneatur, inquantum excessiva est, tenetur tamen in quantum liberalis est.

CONCLUSIO II.

VArias conditiones requirit promissio ad sui valorem. Ae 1. *Debet esse vera*, id est, non ficta, qualem habet promittens sine animo promittendi, vel se obligandi, non tamen qui sine animo implendi; & ideo qui primo & secundo modo promittit, ad nihil tenetur in conscientia vi promissionis, utpote non stantis, licèt teneatur ad omne damnum, quod patitur promissarius ratione fictionis: tertio autem casu tenetur; quia voluntas non implendi, utpote posterior promissione, relinquit ipsam in suo vigore; imò & ipsam validam relinqueret intentio se non obligandi, si uno, aut altero instanti sequeretur Promissionem seriò factam; quia eodem instanti, quo stat promissio vera, stat & obligatio, cùm sit ejus proprietas; & consequenter non est instanti sequenti revocabilis: unde quando dicitur non stare Promissionem cum animo se non obligandi, intelligi debet quando & Promissio & intentio se non obligandi sunt simultanea, eò quòd tunc unum destruat aliud, cùm sit impossibile, esse Promissionem, & non esse obligationem.

2. *Debet esse deliberata*, ea scilicet deliberatione, quæ sufficiat ad mortale: & ideo non obligat Promissio semiplenè deliberata, nequidem sub veniali, cum promittens, à cujus voluntate dependet obligatio, non censeatur velle se obligare, nisi plenè advertens & deliberans. Ubi autem omnibus attentis manet quis dubius, an deliberationem, aut advertentiam sufficientem habuerit; tutius debet amplecti, juxta regulas in Tractatu de Conscientia positas.

3. *Debet esse verbis, vel signis exterioribus manifestata*; tum quia id commune est omni Contractui, tum etiam quia non obligat nisi acceptata, ut dicetur infra: non potest autem acceptari, nisi exterius pateat: & in hoc differt Promissio facta homini, de qua hic, à Promissione facta Deo, qui intima cordis penetrans, Promissionem, etiam internam, acceptat, redditque obligatoriam: oritur quidem obligatio à promittentis voluntate sed intimata, sicut obligatio legis à legislatoris voluntate, sed promulgata. Cujus ratio est, quòd cum dicant in ordinem ad alterum, etiam non obligent sine alterius participatione.

4. *Debet esse spontanea*, id est, non coacta, sed libera à metu & violentia, aliàs vel nulla est, vel rescindibilis. Vide dicta de Contractibus in genere. Sed nunquid etiam libera debet esse ab ignorantia? Debet in pluribus: ac 1. Nosse debet promittens naturam Promissionis, v.g. quod imponat obligationem; aliàs cum nullus feratur in incognitum, non censetur id ignorans velle se obligare. Aliud esset, si vellet facere quod alii faciunt; tunc enim tacitè se obligaret. 2. Nosse debet substantiam rei promissæ, cum in illam ferri debeat consensus; & ideo promittens alicui bursam, in qua credit esse horologium portatile, cum tamen sint aurei, non stat Promissio. 3. Etiam debet esse nota causa finalis principalis, cùm præcisè promittat propter hanc causam, & non propter aliam: unde non tenetur stare promissis, si postquam promisit aureum Petro, quia credebat ipsum pauperem, reperiat esse divitem. De ignorantia circa qualitatem rei promissæ dictum est Disput. 5. *De Contractibus in genere* quæst. 4.

QUÆSTIO II.

Quantum, ubi, & quando obliget Promissio?

CONCLUSIO I.

Obligat Promissio juxta rei promissæ qualitatem, nisi promittens aliud intenderit, ita ut si res promissa sit notabilis, obliget sub mortali, si levis, sub veniali.

Ratio est; quia obligatio Promissionis sequitur naturam rei promissæ, sicut obligatio legis sequitur naturam rei præceptæ, aut prohibitæ: unde sicut legislator, nisi aliud constet, censetur legis suæ obligationem proportionare materiæ præceptæ, ita promittens Promissionis suæ obligationem materiæ promissæ; & ideo qui promisit aureum, nisi adimpleat, peccat mortaliter, qui schelingum, venialiter; imò eodem modo loquendum est de materia promissionis non impleta, ac de materia furto ablata, nisi certè promittens non ita strictè intendisset se obligare.

Dices 1. Minorem facit injuriam qui negat promissum, quàm qui aufert alienum: ergo plus requiritur ad mortale in primo, quàm in secundo. Prob. ant. Quia promissarius respectu materiæ promissæ tantùm habet jus ad rem, dominus autem respectu rei suæ ablatæ jus in re.

R. N. Ant. ad Prob. dico, ordinariè non pluris valere jus in re, quàm jus ad rem; aliàs pluris valeret pecunia numerata, quàm credita; pluris apud mutuantem, quàm apud mutuatarium, sicque posset mutuans 1000. aureos pacisci de 1000. & 50. recipiendis sine ullo titulo: quod nullus admiserit.

Dices 2. Non est justum, ut tanta sit obligatio liberaliter promittentis, quàm injustè auferentis: ergo.

R. N. Ant. Cùm utrobique sit obligatio justitiæ, ut diximus; posset tamen aliquo sensu dici minor obligatio promittentis, eò quòd faciliùs ex causa possit aboleri Promissionis obligatio.

Dixi in Concl. *Nisi promittens aliud intenderit*; quia si in re gravi tantùm obligationem levem sibi imposuerit, tantùm leviter obligabitur: & certè si possit legislator rem gravem sub levi peccato præcipere, ut suo loco dicemus, quidni posset promittens, à cujus voluntate nascitur obligatio, rem gravem sub levi obligatione promittere? Imò & id ipsum posse voventem respectu Dei, dictum est in Tract. *In Decal.* ergo à fortiori id potest respectu hominis.

CONCLUSIO II.

Obligat promissio ad sui executionem faciendam in loco assignato; ubi autem nullus fuit locus designatus, pendet à promittentis arbitrio.

Ratio prioris est, quòd sicut promittens voluit se obligare ad rei promissæ executionem, quando promisit; ità & in tali loco faciendam, ubi expressè locum designavit.

Ratio posterioris est, quod sicut fuit promittenti liberum hunc, vel illum locum designare; ita nullum determinando, censetur sibi designationem reservasse. Hoc tamen intellige, seclusa fraude; & ideo non satisfaceret ille, qui ne promissum adimpleret, assignaret rei promissæ receptionem in eo loco, ad quem non posset promissarius pervenire, aut nonnisi cum magnis expensis.

CONCLUSIO III.

Obligat promissio ad exhibitionem rei promissæ statim moraliter, ubi non est terminus præfixus.

Ratio est, quòd videatur eodem modo esse loquendum de promissione facta homini, ac de promissione facta Deo; sed hæc, seu Votum, obligat statim moraliter, ut in Tract. in secundum Decalogi præcept. dictum est; ergo & illa. Illud autem *statim moraliter* patitur latitudinem, eamque majorem, vel minorem pro viri prudentis arbitrio, attentis omnibus circumstantiis. Dixi: *Ubi non est terminus præfixus*; quia appositus servari debet; nisi promissarius remittat. Plura circa hoc vide in materia de Voto, & hic cum proportione applica.

QUÆSTIO III.

Ex qua virtute obliget promissio?

CONCLUSIO I.

Promissio non acceptata non obligat ex justitia, ex Veracitate. Prob. 1. pars; quia cum promissio sit quidam contractus, non imponit obligationem justitiæ, nisi sit duorum consensus, qui non censetur adesse, ubi deest promissarii acceptatio: undè L. 1. ff. *pollicitationibus*, dicitur, promissionem, sicut & donationem, non firmari ante acceptationem; imò L. 1. *Cod de pactis* asseritur, obligationem, nempè justitiæ, oriri ex mutuo consensu. Accedit, quòd nulla sit justitiæ obligatio ex parte promittentis, nisi sit jus ex parte promissarii, cùm illa sint correlativa, sed promissarius nullum jus habet ante acceptationem: ergo. Prob. Min. tum quia jus illud non acquirit, nisi incurrat obligationem gratitudinis, quam non incurrit nisi volens, præsertim cùm *Beneficium acceptare sit libertatem vendere*, ut habet commune axioma; tum etiam quia non implantatur *jus*, nisi in consentiente.

Prob 2. pars; quia tenetur quilibet efficere quantum potest, ut dictum suum verificetur, nisi certè adesset causa rationabilis mutandi: hæc tamen obligatio levis est.

Obji. 1. Contra primam partem: cap *qualiter* 3. *De Pactis* dicitur, promissa esse opere complenda.

Resp. Ibi fieri mentionem de Promissionibus acceptatis, quæ solæ propriè veniunt nomine Promissionis.

Obj 2. Prohibetur Episcopus revocare Beneficium collatum necdum acceptatum: cap. *si tibi absenti* 17. De Præbendis &c. in 6. ergo.

Resp. Neg. Conseq. quia ex eo quòd Episcopus non possit revocare, nullatenus sequitur alterum ante acceptationem *jus* acquisiisse; imò contrarium ibi decernitur. Præterea specialis est ibi de Beneficii collatione dispositio.

Obji. 3. Promissio jurata, sed non acceptata, obligat: ergo.

Resp. Obligare ex vi juramenti, non promissionis; & ideò obligatio est Religionis, non justitiæ.

Obji. 4. Lex obligat ante sui acceptationem: ergo & *Promissio*.

Resp. Disparitatem esse, quòd cùm Lex feratur subditis, possit ipsos etiam invitos obligare; Promissio autem, cùm fiat æquali, non potest *jus* implantare nisi volenti.

Objic. 5. Promissio non acceptata facta Civitati ad reparationem ruinarum, aut causa remunerationis, obligat: ergo &c.

Resp. Hic intervenire acceptationem, quam vocant juris, & per personam fictam, qualis est Respublica. Aliqui id etiam extendunt ad Promissionem factam infanti, Ecclesiæ, Monasterio, Hospitali &c.

Sed cùm jus nullibi statuat de ipsis, sicut de Civitate, non est à regula generali recedendum, præsertim cùm exceptio firmet legem.

Objic. 6. Ut creditor remittat debitum, non requiritur acceptatio debitoris: ergo similiter.

Resp. Neg Ant Cùm enim remissio debiti sit quædam donatio, non censetur esse firmata ante acceptationem.

CONCLUSIO II.

Promissio acceptata obligat ex justitia. Est communis.

Ratio est; quia omnis contractus parit obligationem ex justitia; sed promissio acceptata, censetur contractus: ergo. Deinde, ut quis obliget se alteri ex justitia, sufficit voluntas obligationis in uno, & acceptatio in altero, ut per se patet; sed hæc reperiuntur in Promissiones acceptata: ergo.

Ut autem sit acceptatio, non requiritur; quòd promissarius verbis annuat, sed sufficit, si præsens nec verbo, nec signo contradicens taceat; quia sicut in odiosis, qui tacet dissentire videtur; ita in gratiosis *qui tacet consentire videtur* ex regula 43. juris in 6. Est quidem alia regula (scilicet 44.) dicens: *qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur*; sed tantùm denotat taciturnitatem esse de se ad assensum vel dissensum indifferentem, debereque à materia determinari. Ad assensum quidem per materiam favorabilem, ad dissensum per odiosam. Quòd si promissio fiat absenti per litteras, promissarius non censetur illam acceptare, nisi rescribat; si per nuncium, nisi coram ipso expressè aut tacitè annuat: si autem fiat tertio distinguendum est, vel enim verba diri-

diriguntur ad promissarium absentem, ut si dicatur *promitto fratri equum meum*; vel ad ipsum tertium, ut *promitto tibi me daturum fratri equum*: si primum, non potest tertius nomine fratris acceptare, qualiscumque sit; quia deficit consensus reciprocus, cùm desit consensus illius, ad quem promittentis consensus & verba diriguntur: si secundum, potest tertius quilibet acceptare. 1. In causa dotis L. Cajus 46. ff. *Soluto Matrimonio*, adeoque & in causa pia, quæ dotis favorem participat. 2. Habens speciale mandatum. 3. Ex promissione aut donatione reportans commodum. 4. Persona publica pro subditis 5. Gerens curam promissarii, ut Prælatus, aut Parochus pro Ecclesia, Pater & Mater pro filiis, Tutor pro pupillo, Curator pro minore, Princeps pro subdito &c. 6. Ille qui non est sui juris pro eo cui subjicitur, ut filius non emancipatus pro patre, servus pro domino, Religiosus pro Prælato, aut monasterio, quia censentur una persona cum promissario: non sic famulus pro hero, discipulus pro magistro, subditus pro Principe, cùm sint sui juris. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Revocari posse promissionem non acceptatam absque ulla injustitia.

Resol. 2. Si ante acceptationem moriatur promissarius jus acceptandi non competere ipsius hæredibus, quia cum jus illud sit personale, extinguitur extincto promissario. Accedit, quòd defunctus antè acceptationem nullum jus haberet acquisitum, & reale ad rem promissam, hæredes autem tantùm succedant in jura acquisita & realia defuncti.

Resol. 3. Si è contra ante acceptationem moriatur promittens, liberum esse promissario, utpote gratia, non extinguatur morte gratificantis, & ideò, facta acceptatione, tenentur hæredes promittentis promissionem exequi. Hoc tamen intellige sic, ut acceptatio non potuerit antea fieri, v.g. propter absentiam promissarii: &c.

Resol. 4. Eum, qui nomine absentis promissionem acceptavit, non posse illam remittere, cùm jam non sibi, sed absenti jus sit acquisitum.

Resol. 5. Nunquam sufficere acceptationem tertii, sed necessariam esse repromissionem promissarii, ubi repromissio est onerosa, seu quando promittitur, si alter promittat; quia dicta hactenus tantum respiciunt promissionem, aut donationem merè gratuitam; & aliunde talis promissio non est absoluta, sed conditionata dependens ab alterius repromissione.

QUÆSTIO IV.

Quandonam promissio acceptata desinat obligare?

Volunt aliqui universaliter obligationem promissionis desinere, quando ita mutatur rerum status, ut si illa mutatio fuisset prævisa, noluisset promittens se obligare, adeoque nec promittere: sed cum promissionis, sicut & aliorum contractuum, obligatio non pendeat ab intentione, quæ certis circumstantiis fuisset in promittente, sed ab ea quæ de facto fuit, dum contraxit, videtur illa regula in multis deficere. Præterea certum est, non habere locum in multis promissionibus Deo factis: nam qui post votum Castitatis patitur graves tentationes: qui post Religionis Professionem experitur varias difficultates, quas si ab initio prævidisset, non vovisset, non liberatur propterea ab obligatione votorum, ut concedunt omnes quia ipso tum erat illos eventus facilè prævisibiles prævidere. Etiam non habet locum illa regula in promissionibus homini factis, ubi sunt onerosæ; aliàs vix esset aliqua promissio reciproca, quæ non desineret obligare, cùm sæpè aliquid accidat postea respectu promittentis, aut promissarii, quod ab initio prævisum conventionem impedivisset; imò nec admitti potest præfata regula in promissionibus gratuitis, quando mutatio poterat ab homine prudenter agente prævideri, & ideò aliam subjicimus.

CONCLUSIO I.

Quando res ita mutatæ sunt, ut vir prudens & maturus judicet noluisse promittentem hunc casum comprehendere, desinit, aut potius nulla est promissionis obligatio.

Ratio est; quia tota obligatio promissionis oritur ex voluntate promittentis; ergo ubi judicatur prudenter, non fuisse intentionem promittentis, se in tali, aut casu obligare, non obligat promissio.

Confirm. 1. Quia non censetur promittens velle se in omnem eventum obligare, sed tantum in his casibus, in quibus solent

viri prudentes; & ideo videtur inesse promissioni hæc conditio tacita, *nisi aliquid imprævisum eveniat, quod virum prudentem retraheret à Promissione*.

Confirm. 2. Quia non fortius obligat promissio, quàm lex; sed lex non obligat in iis circumstantiis, in quibus non creditur voluisse prudentem Legislatorem obligare nec promissio. Hinc

Resol. 1. Si quis promisit alteri rem magni momenti, quam credebat vilioris pretii, non teneri ad promissionem, saltem integram, ubi valorem deprehendit, quia prudenter judicatur, noluisse ad id se obligare, præsertim si talis promissio, aut donatio superet vires promittentis, aut non soleat à personis suæ conditionis fieri: quæ omnia spectanda sunt.

Resol 2. Nec obligari promittentem, si, ob supervenientem ex infortunio paupertatem, indigeat ipsemet promissio: limita tamen, nisi tempore præfixo promissionis executionem commodè implebilem neglexisset: tunc enim obligatio esset quidem propter inopiam sopita, non tamen extincta. Cujus ratio est, quòd tunc non tantùm sit debitor ex promissione, sed etiam ex delicto, ob moram culpabilem.

Resol. 3. Si promisisti laborare in horto Petri hodie, & reliquis hebdomadæ diebus, & interim gravis infirmitas uxoris, aut prolis tuam præsentiam requirat per totam septimanam, non teneris stare promissis, quia non censeris voluisse obligari in illo casu.

Resol. 4. Nec implendam esse promissionem sponsalitiam, si quam credebas virginem, deprehendas esse corruptam, quia non præsumitur, quod volueris in hac circumstantia te obligare.

CONCLUSIO II.

Desinit etiam obligatio promissionis, si res promissa fiat inutilis aut nociva promissario, sicut etiam si fiat illicita, aut impossibilis.

Ratio prioris est; quòd promissio fiat in gratiam & commodum promissarii; nullius autem gratiam, aut commodum referat ex re inutili, aut sibi nociva; & ideo si promisisti librum Petro ut studeret, & Paulo gladium ut militaret, ad nihil teneris, si Petrus fiat cœcus, & Paulus furiosus.

Ratio posterioris est, quòd nullus obligari possit ad licitum, aut impossibile, ut patet ex antea dictis.

CONCLUSIO III.

Non est obligatio implendi promissionem, si ille, qui prior tibi promisit, non impleat suam.

Ratio est; quòd non censeris te voluisse obligare eo eventu, quo primus promissor fieret ingratus, datamque fidem violaret: quod præsertim verum est, ubi intuitu prioris promissionis aliquid repromisisti; imò quamvis alio fine promisisses; quandoquidem tunc uti possis compensatione, eò quòd jura & debita utriusque partis sint ejusdem rationis.

QUÆSTIO V.

Quid donatio, quotuplex, & an sit revocabilis?

CONCLUSIO I.

Donatio est liberalis alicujus rei collatio. Dicitur *liberalis*, non tantùm quia nullam parit justitiæ obligationem in donatario; sed etiam quia nullum supponit Justitiæ debitum in donatore; imò ut veniat nomine *Donationis* simpliciter, de qua est sermo, cùm dicitur Donationem ob ingratitudinem donatarii esse revocabilem, aut alicui esse interdictam, debet etiam gratitudinis obligationem excludere, & ideo

CONCLUSIO II.

Dividitur 1. Donatio in strictè liberalem, quæ in donante omne justitiæ, & gratitudinis debitum excludit & latè liberalem, quæ quidem excludit justitiæ debitum non tamen gratitudinis: hæc dicitur Remuneratoria, seu Antidoralis; quia per eam compensantur beneficia accepta, obsequia, officia &c.

Dividitur 2. In absolutam, & conditionatam: hæc conditionem annexam habet, illa non.

Dividitur 3. In Donationem *inter Vivos*, & Donationem *causa mortis*: Prima est, qua quis sic donat, ut rei datæ

dominium velit, se vivente, in donatarium transferri: secunda est, qua quis actualiter quidem donat, sed tantum vult, se mortuo, transferri dominium, ut *do tibi* 1000. *aureos post mortem meam*. Ubi autem dubium est, an Donatio sit *inter vivos*, aut *causa mortis*, nec potest ex circumstantiis, intentione, aut verbis donatoris colligi, judicanda est Donatio inter vivos, eò quòd sit inter Donationes præcipua, & magis obvia, saltem ubi fit voce ab homine sano: solet autem Donatio causa mortis fieri, vel *conditionatè*, ut si quis instante morte, aut mortis periculo dicat: *si moriar, do tibi bursam meam*, morte non secuta, statim evanescit Donatio vel absolutè, ut si sanus dicat: *do tibi hoc post mortem meam*, & hæc Donatio durare potest, sicut testamentum, per 50. annos, & plus, si tamdiu supervivat donator, nec illam revocet.

Dividitur denique Donatio in Verbalem seu incompletam, & realem seu completam: per hanc fit rei donatio & traditio, per illam datio, sed non traditio, ut cùm quis dicit: *do tibi equum, quem habeo in stabulo*. Porrò donatio realis transfert dominium rei, datque jus in re, verbalis autem tantùm dat jus ad rem, & actionem in personam donantis sine translatione dominii, defectu traditionis.

CONCLUSIO III.

LIcèt perfecta Donatio inter vivos non sit ordinariè revocabilis; tres tamen casus assignant ex Jure Doctores, quibus etiam post traditionem potest revocari. 1. Quando est inofficiosa, id est, quando tantùm donavit parer, ut Proles sua legitima privetur, L. 1. Cod. *De inofficiosis Donationibus*: quòd si hæc donatio facta sit extraneo, est in totum revocabilis, saltem ubi fuit animus fraudandi proles; si autem facta sit aliis filiis, vel Ecclesijs, vel piis causis, in tantùm revocabilis est, in quantum necesse est ad prolis legitimam.

2. Revocari potest ob donatarii ingratitudinem. L. ultima Cod. *De revocandis Donationibus*. Ratio est, quia qui se ingratum benefactori suo ostendit, beneficio indignum se reddit. Quinque autem ingratitudinis causæ assignantur L. citata. 1. Si donatarius atrocibus injuriis donatorem affecerit. 2. Si manus improbas intulerit. 3. Si non levem jacturam attulerit ipsius bonis. 4. Si ejus vitæ fuerit insidiatus. 5. Si donationi conditionem appositam non impleverit: quibus additur à Doctoribus communiter crudelitas donatarii nolentis donatorem inopem factum alere. Hæc revocatio (quæ, utpote pœnalis, non obligat donatarium ad restitutionem ante sententiam) tantùm fieri potest à donatore, & quidem coram judice, probata ingratitudine, non autem ab hæredibus donatoris, nisi certum esset donatorem ingratitudinem ignorasse, adeoque non condonasse.

3 Causa revocandi Donationem est nativitas prolis inspiratæ, L. *Si nunquam* 8. Cod. *De revocandis Donationibus*; quia censetur facta sub hac conditione, *nisi mihi nascatur proles*: & quidem si Donatio facta sit extraneo, tota revocabilis est; solùm autem pars legitimæ correspondens, si facta sit filio prius nato, aut patri, vel avo. Supponimus tamen privilegio revocationis non renunciasse donatorem, aliàs nihil posset, licèt proles post ipsius obitum possent illam quatenus sibi inofficiosam revocare, si sint legitimæ: quod addo; quia favor proli legitimæ concessus non censetur ad illegitimam extendi.

Advertendum, in his tribus casibus tantùm fieri mentionem Donationis strictè liberalis; quia ubi remuneratoria est, tantùm est revocabilis secundum illam partem, secundum quam beneficium acceptum excedit.

CONCLUSIO IV.

DOnatio causa mortis tripliciter revocatur. 1. Ubi transit mortis periculum, quando facta fuit conditionatè. 2. Per mortem donatarii, cui non succedunt in hoc ipsius hæredes, eò quòd tantum afficiat personam. 3. Per solam donatoris voluntatem; quia hæc Donatio est usque ad mortem ambulatoria, adeoque & pro libitu revocabilis, sicut testamentum, & legatum; & ideò licèt non requirat insinuationem coram judice, sicut Donatio inter vivos requirit tamen solemnitatem testamenti. Sed quid si donator promiserit, se Donationem non revocaturum? Desinit Donatio esse *causa mortis*, induitque naturam Donationis *inter vivos*, Patet ex L. *Ubi ita donatur* 27. ff. *De donatione mortis causa*.

QUÆSTIO VI.

Quid & quantum donare possint?

CONCLUSIO I.

OMnis & solus ille donare potest nomine proprio, qui habet bonorum dominium & simul administrationem non impeditam. Dico *simul*, quia nec dominium sine administratione, nec administratio sine dominio sufficit; & certè si utrumque requiratur ad contrahendum, ut diximus, quidni ad donandum? Hinc

Resol. 1. Non posse donare Religiosum privatum (semper intellige nomine proprio) etiam ad pias causas, cum careat dominio & administratione, imò nec potest Superior ad causas profanas, cùm non sit dominus bonorum Monasterii; sed tantùm administrator, & idem est de Beneficiato, quantùm ad ea quæ superfluunt honestæ sustentationi.

Resol. 2. Donationis incapacem esse prodigum, cui authoritate publica datus est curator, quia non ipse, sed curator bonorum administrationem gerit: unde qui aliquid ab ipso recipiunt, obnoxii sunt restitutioni.

Resol. 3. Nec donare posse Pupillum, Minorem, imò nec filium-familias non emancipatum, nisi certè de bonis Castrensibus, aut quasi Castrensibus; quia aliorum nullam habet administrationem.

Resol. 4. Etiam ex jure interdictam esse Donationem impuberibus, idque ob non satis stabilem mentis dispositionem: ex quo patet, à fortiori esse interdictam ebriis, amentibus, & furiosis.

Resol. 5. Nec id posse uxores, propter eandem rationem, de bonis communibus, aut dotalibus, licèt possint de Paraphernalibus. Sed nunquid potest uxor donare marito, & è contra? Ne conjuges ex amore mutuo se suis indiscretè spoliarent, hoc jura prohibuerunt, ità ut donatio inter ipsos facta sit semper ad nutum donantis revocabilis: dicitur quidem firmari juramento, sicut & morte donatoris, imò & uxorem donare posse marito, dignitatis obtinendæ causa, v. g. ut fiat Consiliarius; sed quoad hoc, & alia hanc materiam tangentia, spectandæ sunt locorum consuetudines, sicut & pro donationibus filio non emancipato extra casum militiæ sacræ, aut profanæ factis: pro quibus etiam consule dicta de dominio.

Resol. 6. Interdictam esse Ecclesiasticis omnibus donationem bonorum Ecclesiæ immobilium, & mobilium quæ servando servari possunt, sicut & pecuniarum ad emptionem immobilium ex voto, aut promissione designatarum cap. *Nulli liceat*. De rebus Ecclesiæ non alienandis.

CONCLUSIO II.

NUlla est donatio omnium bonorum, tam præsentium, quàm futurorum, si fiat inter vivos; secus, si fiat causa mortis.

Prob. 1. pars ex L. *stipulatio*, ff. 38. *De verborum obligationibus*; & ratio est, quod homo per hoc exponatur variis inconvenientiis, fiatque donandi incapax. Excipiunt tamen authores. 1. Nisi promissio illa sit juramento firmata. 2. Nisi fiat ratione contractus onerosi; quia tunc non est pura donatio. 3. Nisi facta sit Ecclesiæ, aut in pias causas; quia nihil valet potestas civilis contra Consilia Evangelica.

Prob. 2. pars; quia quando fit causa mortis, non reperitur inconveniens ante assignatum.

CONCLUSIO III.

REvocabilis est quoad excessum donatio excedens 500. solidos; sive fiat uni, sive fiat pluribus, si sit actio unica, nec fiat insinuatio judici, L. penultima Cod. *De donationibus*.

Ratio est; quia aliàs possent homines indirectè se donationibus exhaurire, sicque aliis fieri oneri: cui inconvenienti obviare debet Respublica bene ordinata.

Dixi 1. *Revocabilis est*, id est, datur actio donatori, & ejusdem hæredibus in donatarium, itaut possint pro libitu excessum repetere. Nihilominus ante repetitionem non tenetur donatarius restituere; cùm sit probabilius, donationem non esse irritam, sed irritabilem.

Dixi 2. *Quoad excessum*; quia stat irrevocabilis quoad 500. solidos.

Dixi 3. *Si fit actio unica*; quia si fiat donatio præsata per diversas actiones, seu donationes, omnia manent firma, ut patet ex L. *Sancimus* 34. Cod. *De donationibus*.

Dixi 4. *Nec fiat insinuatio*: est autem hic insinuatio (quam exigit lex, ut donatio excedens 500. solidos sit firma) intimatio donationis facta coram judice per se, vel per interpositam personam, v. g dicendo: *volo dare* 1000. *aureos cognato*; ad quam non requiritur judicis sententia, aut decretum, sed sola cognitio, eò quòd non sit actio litigiosa, sed ordinata ut subitæ & intempestivæ donantium voluntates per moram temperentur, aut frangantur. Ex dictis

Resol. 1. Revocabilem esse debiti remissionem, si summam præsatam excedat; quandoquidem debiti remissio sit vera donatio.

Resol. 2. E contra firmam esse donationem, etiam quoad excessum, si sit juramento firmata, aut Ecclesiæ, aliisve piis causis applicata; quia si tunc donatio omnium bonorum sit solida, ut diximus, à fortiori donatio minor: imò etiam fit firma propter juris exceptionem L. citata, si fiat ad reparationem domus incendio, aut ruina dirutæ; vel etiam si militiæ magister donet militi.

QUÆSTIO VII.

Quid dicendum de ultima voluntate?

PEr ultimam voluntatem intelligimus hìc liberam dispositionem de eo, quod quis post mortem suam fieri vult: hujus autem species, aut quasi species sunt Testamentum, Legatum, Codicillus, Fidei-commissum, donatio causa mortis: de hac egimus, de aliis restat paucis dicendum, relicta jurisperitis majori eorundem explicatione.

ARTICULUS I.

Quid Testamentum, Codicillus, Legatum, & Fideicommissum?

CONCLUSIO I.

TEstamentum est suprema voluntatis dispositio solemniter facta cum hæredis institutione ordinaria.

Dicitur 1. *Suprema voluntatis dispositio*, per quod convenit cum aliis ultimis voluntatibus.

Dicitur 2. *Solemniter facta*; quia licèt jure gentium liceat unicuique testari eo modo quo voluerit; jure tamen positivo servanda est illa forma, quam quælibet Provincia pro bono communi, & Reipublicæ tranquillitate requirit; & ideo Testamentum, cui desunt solemnitates à jure requisitæ, dicitur à Juristis injustum, aliàs justum.

Dicitur 3. *Cum hæredis institutione*: quod ita est proprium Testamento, ut ex jure communi sine illa stare non possit; unde dicitur in jure: *Testamenta vim ex institutione hæredis accipiunt*. Additur *ordinaria*, ut excludatur Codicillus, quo milites, aut in castris versantes possunt ex particulari privilegio hæredem instituere L. *militis* 39. ff. *De Testamento militari*.

Duplex est Testamentum; unum Scriptum seu clausum, aliud Nuncupativum: primum (quod dicitur Scriptum, eò quòd sola scriptura possit confici, & clausum: quia debet esse coopertum, & sigillatum) est illud, quo Testator voluntatem suam scripto proprio declarat adhibitis testibus, qui scripturæ subscribant, sigillaque apponant: secundum, quod etiam dicitur apertum, est illud quo Testator coram Testibus sola voce hæredem instituit. Non repugnat quod hoc testamentum etiam scriptura conficiatur; dummodo non testator, sed notarius voluntatem ultimam in scriptum seu instrumentum publicum redigat coram testibus. Hoc utrumque Testamentum varias requirit ex jure solemnitates; sed cùm pluribus in locis non sint in usu, sufficit Juristis nosse circa hoc locorum statuta, & consuetudines: Theologis verò an legitimè requisita, sint observata, necne, ut inde quid in conscientia fieri debeat, possint declarare.

CONCLUSIO II.

COdicillus (sic dictus, quia respectu Testamenti est quasi parvus codex) est certa ultimæ voluntatis dispositio, qua sine hæredis institutione, aut revocatione, quædam in Testamento supplentur, mutantur, temperantur, adduntur, minuuntur: unde si quis velit Codicillo hæredem instituere, aut institutum revocare, nihil conficiet, nisi miles foret, cui hoc competit ex privilegio; ubi tamen non constaret an testator hæredem instituendo, voluerit Codicillum, an Testamentum condere, præsumendum est esse Testamentum; ut valeat. Possunt autem fieri duo, aut plures Codicilli, qui omnes erunt validi, si sibi non contradixerint, ubi autem reperiretur contradictio, standum esset posteriori.

CONCLUSIO III.

LEgatum (quod aliquando sumitur pro re legata) est quædam donatio, quam testator post obitum suum præstandam relinquit ab hærede de eo, quod foret hæredis. Aliud est purum, quod relinquitur absolutè, nullo determinato tempore, onere, aut conditione: aliud conditionatum, quod ab onere, aut conditione pendet.

Circa legata pura, hæc ex jure communi observanda sunt. 1. Si legatarius ante testatorem moriatur, aut instituatur legatarius aliquis defunctus, qui putabatur vivus, nullum est legatum, nec transit ad hæredes legatarii, cùm hic nullum jus ad illud acquisierit: & idem est si legatarius moriatur ante acceptationem legati. 2. Si legetur alicui domus vetusta, & hanc ante obitum reædificet testator, tota, ut est, obvenit legatario; imò si ipsi legavit fundum, & in eo ædificet, aut plantet, totum incrementum est legatarii, sicut è contra ipsius est decrementum, si in eo aliquid tollat, destruat &c. 3. Fructus percepti ex re legata ante obitum testatoris, sunt hæredis, non legatarii: si autem adhuc pendeant, moriente testatore, fiunt legatarii, saltem post acceptationem legati. 4. Si aliquid legatum sit sub disjunctione, v.g. pallium, aut vestis, vel aliquid determinatum in specie, sed non in individuo, putà unus ex equis, satisfaciet hæres etiam minimum tribuendo; quia censetur testator ipsi libertatem reliquisse. 5. Si legatum aliquod relictum sit loco pio jam destructo, aut pauperi defuncto, alteri dandum est, si testator opus pium principaliter intendebat, & tantùm secundariò locum, aut personam; secus, si præcisè in favorem loci, aut pauperis. Denique nulla sunt legata, (si excipiantur facta ad pias causas) ubi hæres non vult hæreditatem acceptare: unde L. *si nemo*, ff. *De testamentaria tutela* dicitur: *si nemo hæreditatem adierit, nihil valet ex iis, quæ in Testamento scripta sunt*.

Circa *Conditionata Legata*, etiam sunt quædam notatu digna. 1. Transeunt in absoluta, seu pura, habentque eandem vim, ac efficaciam, quando onus, tempus, aut conditio sunt impleta. 2. Conditiones impossibiles, aut turpes appositæ legatis, sicut & Testamentis, habentur pro non appositis, & ideo legata illa fiunt absoluta. 3. Etiam legato frui debet illa, cui relictum est, ut honestas nuptias contraheret, si malit Religionem ingredi; imò idipsum asserunt Authores, etsi legatum respiciat personas indeterminatas, v.g tot virgines, tot viduas; quia cùm prævaleat Matrimonium spirituale carnali, præsumi debet talem fuisse testatoris voluntatem, nisi ex circumstantiis, aut aliunde contrarium appareat. Colligitur ex Auth. *De Sanctissimis Episcopis cap. 37. §. Sed & hoc præsente*.

CONCLUSIO IV.

FIdei-commissum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator, sui hæredis fidei aliquid committit tradendum alteri, ut si Petrus hæredem suum constituat Paulum, obligans ipsum ad dandum ex hæreditate Joanni 1000. aureos.

Petes, quid dicendum de Fidei-commisso, quando uxor hæredem constituit amicum, ut reddat marito hæreditatem, quam secundum leges non poterat ei relinquere? Idem est, quando pater hæredem declarat tertiam personam, ut hæreditatem cedat filio spurio.

R. 1. Tam instituentem hæredem cum pacto explicito, aut implicito de reddenda hæreditate, quàm illam accipientem cum tali promissione peccare mortaliter; quia fraudant in re gravi leges sanctissimè & justissimè institutas.

Resp. Neg. Probabilius esse Fidei-commissarium non fieri verum hæredem, adeoque nec posse hæreditatem retinere, nec alteri tradere, sed restituendam esse hæredibus ab intestato. Ratio est; quia fraus & dolus nemini patrocinantur; atqui si tunc valeret institutio hæredis, fraus patrocinaretur testatori leges eludere volenti: ergo. Deinde tali casu instituitur hæres æquivalenter maritus, aut filius spurius; quandoquidem dare hæreditatem filio, vel alium obligare, ad dandam illam filio, æquivaleant à parte rei: unde dici potest, quòd tunc spurius, aut maritus instituatur hæres mediatè; quod tamen invalidatur per leges Præterea per talem hæredis institutionem spurius acquirit jus

ad hæreditatem: ergo instituitur hæres. Prob. Ant. per illam Fidei-commissarius contrahit obligationem dandi hæreditatem spurio, ut supponitur: ergo spurius per eandem acquirit jus ad illam, cùm ex eodem fonte acquiratur obligatio justitiæ in uno, & jus in altero.

Dices, Fidei-commissatius constituitur hæres: ergo non maritus, aut spurius.

Resp. Dist. Ant. Constituitur hæres apparenter, C. realiter, N. cum enim implicet duos simul habere jus ad totam hæreditatem, nec possit Fidei-commissarius in nostro casu jus habere, nisi habeat & spurius, sequitur neutri competere.

ARTICULUS II.

Qui possint testari, & qui hæredes institui?

CONCLUSIO I.

OMnes & soli testari possiint, qui lege naturali, aut positiva uon sunt impediti: res in terminis clara eit. Hinc

Resol. 1. Non posse Testamentum condere infantes ante seprennium, sicut nec furiosos, & perpetuò amentes, idque defectu usus rationis. Dico: *perpetuò amentes*; quia si quandoque lucida habeant intervalla, subiistit Testamenrum illo tempore tactum, sicut subsistit si sint tantùm amentes in una aut altera materia, ut contingere solet Hypocondriacis. In dubio autem, an in amentia aut delirarione testati sint? standum est testibus; aliàs ex circumstantiis judicandum est, attendendo v.g. an immediatè antequam testatentur essent sui compotes, an Testamentum sit prudenter ordinatum, quibus personis legaverint &c.

Resol 2. Testari posse nihil habentes actu, si aliquid habeant in spe. Ratio est, quia ad valorem Testamenti sufficit, si testator aliquid habeat tempore mortis, cùm tunc, & non antè, donatio testamentaria sortiatur suum effectum.

Resol. 3. Incapaces esse ad testandum impuberes etiam ad pias causas; quia præsumitur ordinariè in illis judicium non esse ita perfectum & maturum. Colligitur ex cap. *Licet* 4. *De Sepulturis* in 6. possunt tamen testari puberes facti, etiamsi curatorem habeant cum nulla lex id ipsis prohibeat.

Resol. 4. Filio-familias jam puberi liberum esse testari de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, non de adventitiis L. *Nemo* 11. Cod. *Qui Testamenta*, Excipe tamen nisi Testamentum esser ad pias causas aut nisi adventitia obvenilssent filio jam Clerico, quia tunc reputantur quasi castrensia.

Resol. 5. Nullum esse Testamentum prodigi, cui bonorum administratio est interdicta, licèt valeat factum antè prohibirionem: utrumque patet ea Instit. *Quibus non est permissum facere Testamentum* §. *Item prodigas*. Sed nunquid testari potest ad causas pias, Negant aliqui, quibus non assentior, cùm potestas sæcularis non se extendat ad ea, quæ salutem animæ concernunt.

Resol. 6. Nec posse testari ad causas profanas surdum, & murum à nativitate L. *Discretio* 10. Cod. *Qui Testamenta*. Dico 1. *Ad causas profanas*: eò quòd jus civile non possit pietatis opera impedire 2. *Surdus & mutus*; quia surdus tantùm & non mutus, si dare possit validè, potest & testari. 3. *A nativitate*; quia surdus & mutus ex accidenti, si scribere potest, potest & testari L. citata.

Resol 7. Nec Testamento condendo idoneos esse Beneficiatos quoad partem fructuum suæ sustentationi superfluam: quandoquidem non sint illius domini, ut diximus.

Resol 8. Etiam testandi incapaces esse Religiosos professos, licèt forent Priores aut Abbates, idque defectu dominii, possent tamen ad causas pias ea dispensatione Pontificia, quæ ordinariè non conceditur nisi habentibus beneficium regulare, aut sæculare extra monasterium. Dixi: *Religiosos professos*; quia nulla lex, nequidem Tridentina, aufert à novitio testandi potestatem, si benè inspiciarur.

Resol. 9. Ea variis juribus interdictam esse testandi facultatem certis criminosis: ac 1. Usurario publico, nisi usuras solverit, aut pro illis cautionem præstiterit. 2. Cardinalem hostiliter insequentibus, 3. Damnatis ob libellum famosum 4. Hæreticis, aut illorum fautoribus, receptatoribus, defensoribus &c 5. Damnatis ad mortem, qui tamen certis in locis testari possunt, si eorum bona non sint publicata. 6. Condemnatis ad mortem civilem, id est, ejectis in exilium perpetuum, aut damnatis ad triremes, vel carceres perpetuos: videndum tamen, an per locorum leges, aut consuetudines particulares nihil sit circa jus Cæsareum immutatum?

CONCLUSIO II.

QUilibet institui potest hæres, aut legatarius, nisi ob votum, aut delictum proprium, vel alienum impediatur.

Ratio est; quia omnis ille capax est hæreditatis, aut legati, qui capax est dominii acquirendi; atqui talis est omnis in conclusione assignatus: ergo. Hinc

Resol. 1. Posse institui hæredes, aut legatarios non tantum usum rationis & sensum adeptos, sed etiam infantes, furiosos, amentes, surdos, mutos &c.; non tantùm personas privatas, sed etiam civitatem, Seminarium, Ecclesiam, aut aliam communitatem, nisi esset hostium, Judæorum, aut Mahumetanorum; quia hi, & non alii, jure prohibentur.

Resol. 2. Etiam institui posse Monasterium (nisi sint Fratres Minores de observantia, Capucini, aut domus professa Societaris JESU) quia licèt singuli Religiosi ratione voti non possint hæreditatem, aut legatum suscipere, communitas tamen, quæ est capax professionis, capax est & hæreditatis.

Dixi: *Nisi sint FF. Minores de observantia, aut Capucini*; quia per Clem. *Exivi*, de verborum significatione, declarantur vi suæ Professionis successionis hæreditariæ incapaces; huic tamen Bullæ non repugnat (ut notat Glossa, & censuit Sacra Cardinalium Congregatio die 1. Martii 1590.) si alicui tertio relinquantur aliqua etiam immobilia, cum onere vendendi, pretiumque in necessitates Fratrum expendendi: sicut nec repugnat eorum Professioni, declarante eadem Glossa, si relinquantur ipsis aliqua legata, aut eleemosynæ pro necessitaribus ordinariis, modò non sint res stabiles, aut redditus, imò nec videntur condemnandi redditus, si relinquantur præcisè pro Ecclesiæ fabrica, oleo, vino, cera, & ornamentis, cum hoc non assignetur Fratribus, sed Ecclesiæ ad Summum Pontificem pertinenti. Aliud esset de redditibus pro ea onerandis certis obitibus, officiis &c.; quia cùm cederent in commoditatem Fratrum: etiam eorum paupertati nocerent. Imò priores redditus non possunt FF. Minoribus relinqui, sed solùm eorum Syndico tanquam Sedis Apostolicæ procuratori. Addidi: *Aut domus professa Societatis JESU*; quia pro domibus professis renunciavit Societas anno 1563. privilegio Tridentini possessionem bonorum in communi permittenti.

Resol 3. Non posse hæredes institui illos, qui propter delictum prohibentur testari, jure sic disponente.

Resol 4 Nec posse à Clerico institui hæredem Hæreticum, aut Infidelem, licèt affinem, aut consanguineum. Cap. *Si quis Episcopus* 5. De Hæreticis.

Resol. 5. Non posse hæreditatem adire occisorem hæredis L. ultima §. ultimo ff. *De bonis damnatorum*: unde tunc legatum redit ad hæredes defuncti, & hæreditas applicatur fisco.

Resol. 6. Etsi filio spurio debeantur alimenta proportionata, ut diximus in 4. Decalogi præceptum, non posse tamen patri succedere, sive ex Testamento, sive ab intestato, sive proles legitimas habeat pater, sive non, colligitur ex Auth. *Licet* Cod. *De naturalibus liberis*: & idem est probabilius respectu matris.

Resol. 7. Filium naturalem posse institui hæredem universalem à patre & matre, si desint legitimi, nec supersint ascendentes; patet ex Auth. citata.

Dixi: *Si desint legitimi*; quia si dentur, potest tantum ipsi relinqui duodecima pars bonorum. Addidi: *Nec supersint ascendentes*, quia debetur ipsis tertia pars bonorum, saltem jure Cæsareo, ubi autem sine Testamento moritur pater aut mater, succedit filius naturalis matri in omnibus, si non habeat legitimos; si autem habeat, succedit ex æquo cum illis: respectu verò patris succedit in sexta parte bonorum, si nempe desint ascendentes, & proles legitimæ.

Ut autem præfata melius intelligantur, advertendum est, quadruplicis generis esse filios, legitimos, legitimatos, naturales, & spurios; *Legitimi* sunt, qui nascuntur ex Matrimonio in facie Ecclesiæ bona fide, saltem ex parte unius conjugis, celebrato, *Legitimati*, qui etiamsi ante Matrimonium nati sint; per illud tamen subsequens legitimantur, habenturque tanquam legitimi; *Naturales* dicuntur, qui geniti sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & nativitatis nullum erat impedimentum, quominus possent validè Matrimonium contrahere: *Spurii* verò,

rò, qui naſcuntur ex parentibus, inter quos erat tale impedimentum.

ARTICULUS III.

Qui ſint hæredes ab inteſtato, quinam neceſſarii, & an parentes poſſint quandoque filios exhæredare?

TRiplicis generis ſunt hæredes: Ab inteſtato, neceſſarii, & extranei. Hæredes ab inteſtato dicuntur, qui ſuccedunt in bonis defuncti, etiamſi nullum factum ſit teſtamentum: cenſetur autem aliquis mori ab inteſtato, quando teſtamentum non condidit, vel, ſi condidit, nullum eſt ex aliquo defectu, v.g. quia revocatum. Hæredes neceſſarii ſunt, qui non niſi ex cauſis legitimis poſſunt exhæredari, & ideo ſi in teſtamento non nominentur, declaratur teſtamentum à jure nullum. Extranei vocantur, qui nec neceſſarii ſunt, nec ſuccedere debent ab inteſtato, ſed liberè à teſtatore inſtituuntur.

CONCLUSIO I.

HÆredes ſunt ab inteſtato deſcendentes, aſcendentes, & conſanguinei collaterales ipſius defuncti uſque ad decimum gradum incluſivè, idque ſecundum ordinem, & poſteriores in defectu priorum. Eſt certum ex variis juribus.

1. Succedunt deſcendentes legitimi (nam de illegitimis diximus articulo præcedenti) ita tamen ut ſuccedant. 1. Loco filii. 2. Nepotes defectu filiorum. 3. Pronepotes defectu nepotum, & ſic deinceps, excluſis aſcendentibus & collateralibus, id *eſt*, patre, avo, proavo, ac fratribus & ſororibus &c. defuncti: ubi tamen nepotes repræſentant perſonam Patris ſui defuncti, ſuccedunt avo cum patruis, non tamen per capita ſicut patrui, ſed ſic, ut omnes filii unius patris conſtituant unum caput: Sed ſucceditne etiam patri filius poſthumus? Succedit, ſi non ſit abortivus, ſed paululum vixerit. L. 1. Cod. *De liberis & poſthumis*.

2. Succedunt defectu deſcendentium aſcendentes, id eſt, pater & mater defuncti æqualiter, ita ut, deficiente patre, in totum ſuccedat mater, & è contra excluſis avis & proavis, deficiente autem utroque parente, ſuccedunt æqualiter avus paternus, & maternus, ex quacumque parte bona proveniant; quandoquidem abſque ulla diſtinctione jura loquantur, ſi tamen defunctus habeat fratres, vel ſorores, utrimque conjunctos, id eſt, tam ex parte patris, quàm matris, ſuccedunt in æquali portione cum aſcendentibus. Auth. *De hæreditate ab inteſtato §. ſi igitur defunctus*.

3. Succedunt in defectu deſcendentium, & aſcendentium, collaterales uſque ad decimum gradum incluſivè, excepto, quòd in feudis ſucceſſio tantùm fiat uſque ad quintum gradum, & in majoratibus ad quemlibet ſine fine. Non tamen eo modo jus Civile numerat gradus in ordine ad Teſtamentum, ac jus Canonicum in ordine ad Matrimonium: nam duo fratres, qui tantùm diſtant inter ſe uno gradu in ordine ad Matrimonium, diſtant duobus in ordine ad Teſtamentum, & duo filii fratrum, qui tantùm duobus gradibus diſtant in primo caſu, diſtant 4 gradibus in ſecundo; quia jus Civile utriuſque perſonæ gradus computat. Plura circa hanc materiam videri poſſunt apud juriſtas, & locorum conſuetudinarios.

CONCLUSIO II.

HÆredes neceſſarii ſunt, 1. reſpectu parentum filii, & his deficientibus, nepotes, deinde pronepotes, & alii deſcendentes, ita tamen ut propinquiores præferantur remotioribus, non ſunt tamen hæredes neceſſarii quoad omnia bona defuncti, ſed tantum pro legitima: unde ſolum tenetur pater, ſi habuerit quatuor filios, aut pauciores, tertiam partem bonorum ſuorum in ipſos dividere, ſi plures, mediam partem, relicta ipſi de reliquis diſponendi, ut voluerit, libertate. 2. Hæredes neceſſarii ſunt, reſpectu filiorum, pater & mater, his deficientibus, avus, deinde proavus &c. modò deficiant deſcendentes, aut ſit juſta cauſa ipſos exhæredandi. Quota autem ſit aſcendentium legitima? Non legitur determinatum à jure communi, & ideò conſulendæ ſunt locorum conſuetudines. Fratres verò & ſorores non ſunt hæredes neceſſarii, etiamſi deficiant aſcendentes, & deſcendentes, & ideo non peccat contra juſtitiam teſtator, ſi, ipſis relictis, extraneos hæredes inſtituat, peccat tamen contra charitatem, ſi ſint pauperes.

CONCLUSIO III.

NOn poſſunt parentes ſine juſta cauſa filios exhæredare, ſecus ubi adeſt ratio gravis.

Prob. 1. Pars; quia jure naturæ debetur filii hæreditas paterna: *nam ſi filius, & hæres*; & ideo ſi quæ leges aliter diſponerent, non obligarent, utpote injuſtæ; aliud eſſet, ſi, filii liberrimè & ſine metu reverentiali conſentirent, quia ſcienti & volenti nulla fit injuria. Ubi tamen filii proles haberent, quibus hæreditas neceſſaria foret, illa renunciatio eſſet prodiga, & charitati contraria, non tamen juſtitiæ; quia nepotes, vivente patre, nullum jus habent in bona ſui avi.

Prob. 2. Pars; quia pœna exhæredationis in filios rebelles, aut graviter delinquentes valde utilis eſt; imò & neceſſaria bono communi, ut ſic coerceantur filii, eorumque petulantia refrænetur: & conſequenter illam adhibere poſſunt parentes, ubi gravis eſt filiorum deordinatio.

Cauſæ autem præcipuæ, ob quas exhæredari poſſunt filii, ſunt ſequentes. 1. Gravis contumelia in patrem attenta filii & parentis qualitate. 2. Si filius in judicio fuit accuſator, denunciator, teſtis, aut procurator contra patrem, præſertim in criminalibus, niſi pater reus eſſet hæreſis, proditionis, aut Læſæ Majeſtatis. 3. Si manus injecit in patrem, aut matrem. 4. Si ipſos conatus eſt veneno, aut aliter interficere, etſi nihil factum ſit. 5. Si parentes factos amentes neglexerit, & ipſi poſtea ſenſibus reſtituantur. 6. Si noluit parentes captivos redimere, aut pro incarceratis fidejubere. 7. Si uxorem patris carnaliter cognovit. 8. Si à Chriſti fide apoſtatavit. 9. Si patrem, ne Teſtamentum conderet, aut conditum revocaret, impedivit. 10. Si filia reſpuens dotem ſufficientem ſibi opportuno tempore oblatam, facta ſit meretrix. Cauſas alias rarius evenientes vide apud Authores.

ARTICULUS IV.

An valeat Teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum?

SUppono 1. Teſtamentum poſſe fieri ad cauſas pias, & ad profanas: fit 1. modo, dum cauſa pia, puta Eccleſia ad officium divinum, ſuffragia pro defunctis, vel hoſpitale, pauperes, aut Monaſterium inſtituitur hæres: fit 2. modo, dum quælibet alia perſona, aut communitas inſtituitur.

Suppono 2. Teſtamentum ad cauſas profanas non valere in foro externo, ubi deſunt ſolemnitates requiſitæ, quandoquidem jura variis in locis illa expreſsè irritent & annullent.

Suppono 3. Teſtamentum ad cauſas pias ſubſiſtere etiam in foro externo, ſi adſint duo teſtes, licèt deficiant à jure civili requiſita; patet ex cap. *Relatum* 11. *De Teſtamentis*, ubi Alexander III. præcipit, ut in Teſtamentis, aliiſque ultimis voluntatibus in favorem Eccleſiæ factis, non ſecundum juris civilis apices, ſed ſecundum canones judicetur, tribus vel duobus teſtibus legitimis requiſitis. Sed reſpiciunt hæc forum contentioſum, hìc de foro conſcientiæ inquiritur.

CONCLUSIO I.

TEſtamentum ad cauſas profanas, ubi deſtituitur ſolemnitatibus à jure communi, aut particulari requiſitis, probabilius eſt non valere in foro conſcientiæ.

Prob. 1. Quia L. *Si quæramus* 4. ff. *De Teſtam & qui Teſtamenta facere poſſunt*: & alibi, declaratur Teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum eſſe imperfectum, infectum, nullum, irritum; atqui ubi jus poſitivum declarat certos actus eſſe nullos & irritos, non obligant in conſcientia, ut patet in donationibus pupillorum & ſimilibus, ergo &c.

Prob. 2. Ubi ſolemnitas introducta eſt ad valorem actus, ipſa deficiente, deficit & actus, ut patet in Matrimonio clandeſtino; atqui Teſtamenti ſolemnitas introducta eſt ad ipſius valorem, & non tantum ad probationem, ut evidenter colligitur ex art. 11. & 12. edicti perpetui anni 1615. ergo &c.

Prob. 3. Potuit reſpublica Teſtamentum illud abſolutè reddere nullum ad evitandas fraudes, jurgia & lites inter familias, ut conveniunt adverſarii; ſed id feciſſe, patet ex allegatis, item ex L. *Hac conſultiſſima* 21. Cod. *De Teſtamentis &* L. *ſi unus* 12. eodem tit. ubi legitur *Si unus de 7. teſtibus defuerit &c. jure deficit Teſtamentum*. Similiter Inſtit. *Quibus modis Teſtamen-*

menta infirmentur §. 7. dicitur: *imperfectum Testamentum sine dubio nullum est*: ergo &c.

Obj. 1. L. finali Cod. *De Fidei-commissis* cogitur hæres constitutus ex Testamento solemnitatibus destituto ad præstandum legatum: vel jurare non fuisse talem defuncti voluntatem. Et L. *Etsi inutiliter* eodem tit. non potest hæres ex Testamento non solemni repetere Fidei-commissum quod solverat sciens fuisse testatoris voluntatem: ergo supponitur illa valere in conscientia.

Resp. Ibi fieri mentionem de legato, & Fidei-commisso extra Testamentum agnitis, quorum solutionem promiserat hæres ante mortem testatoris: quod nihil facit ad rem nostram; quandoquidem teneatur hæres illa solvere, non vi Testamenti, quod nullum est, sed vi suæ promissionis. Præterea alia est ratio legati; & Fidei-commissi, quàm Testamenti; quandoquidem illa non requirant testium solemnitatem, sed sufficiat, si hæres cognoscat circa hæc testatoris voluntatem, ut colligitur ex Instit. *De Fidei-commissariis hæreditatibus* §. ult.

Obj. 2. Alex. III. Cap. *Cùm esset* 10. de Testamentis: sic loquitur: *Testamenta quæ parochiani coram Presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere*; atqui non servatur ibi solemnitas juris communis, quæ 7. aut 5. testes requirit: ergo &c.

R. Pontificem hoc statuisse, vel in causis piis, vel, si in profanis, tantùm pro territorio sibi temporaliter subjecto; qualis erat Diœcesis Ostiensis, pro cujus Testamentis consulebatur; unde non volumus, semper observandam esse in Testamentis solemnitatem juris communis, cùm sufficiat si servetur illa, quam consuetudo, vel leges particulares introduxerunt, ut patet in Belgio, ubi sufficiunt duo testes cum notario, ac subscriptione testatoris & testium, aut saltem subsignatione, si non noverint scribere.

Obj. 3. Jura volunt custodiendas esse morientium voluntates.

R. Hoc verum esse, ubi non adest aliunde impedimentum, aliàs non; quandoquidem Testamentum impuberum ad causas profanas non sit observandum.

Obj. 4. Lex civilis tantum requirit solemnitatem ex præsumptione fraudis; atqui ubi constat de voluntate testatoris, nulla subest fraus: ergo &c.

R. Dist. Ant. Ex præsumptione fraudis, quæ subest, N. quæ subesse potest, C. unde leges solemnitatem requirunt non tantùm ut fraudibus, sed etiam ut fraudum periculo obvietur.

Obj. 5. Nihil potest lex positiva contra legem naturæ; sed hæc tantùm requirit, quòd constet de mente testatoris, ergo &c.

R. Dist. Ant. Nihil potest contra legem naturæ præceptivam, aut prohitivam, C. permissivam, N. lex autem naturæ nec præcipit, non prohibet Testamentorum solemnitates, sed permittit adhiberi, vel non adhiberi, prout bonum commune requisierit.

CONCLUSIO II.

SUbsistit in foro conscientiæ Testamentum ad pias causas, etsi non subsistant solemnitates à jure Civili requisitæ, imò etiamsi nullus adsit testis, modò adsint illa, quæ jus naturæ exigit.

Dico: *In foro conscientiæ*; quia in foro externo Ecclesiastico, etsi non requirantur omnes juris Civilis solemnitates, requiruntur tamen duo aut tres testes, ut patet ex Alex. III. supra.

Prob. autem Conclusio; quia potestas civilis non se extendit eousque, ut possit opera ad animarum salutem spectantia impedire; impediret autem quandoque, ut per se patet, si Testamentum ad pias causas solemnitates præfatas requireret.

Dices 1. Saltem nullum est tale Testamentum, quando partim est ad causas profanas, partim ad pias. Prob. assump. quia jus Civile totum irritat.

R. N. Assumpt. Ad prob. Dico, jus Civile id irritare præcisè ad quod ejus potestas se extendit, & consequenter annullare Testamentum illud, in quantum causas profanas respicit, non in quantum pias.

Dices 2. Alex. III. supra, requirit in foro Ecclesiastico duos aut tres testes; atqui ibi judicatur secundùm forum conscientiæ: ergo falsum est in hoc foro nullum testem requiri.

Resp. Pontificem duos, aut tres testes requirere, non ut Testamentum sit validum simpliciter, ut patet legenti caput *Relatum*, sed ut probari possit in foro externo, quantum necesse est, ut judex possit sententiam ferre. Ex dictis

Resol. 1. Posse Papam ex jure Civili ea tollere, & abrogare, quæ impediunt studium, & cursum operum ad salutem pertinentium; cui enim incumbit procurare finem, qui est animarum salus, incumbit & procurare, ut omnino libera sint media ad illum conducentia, quæ sunt opera meritoria.

Resol. 2. Testamentum, in quo ordinantur eleemosynæ aut legata pia, quoad punctum illud subsistere, obligarique in conscientia hæredes ad eorum executionem: quidquid contrarium in foro externo judicatum sit.

Resol. 3. Testamentum prius solemne invalidari per posterius non solemne, quantum attinet ad causas pias, modo tamen non solemne valeat naturaliter.

Resol. 4. Si testator moriturus declaret suo hæredi, aut alteri fide digno, & nullatenus suspecto, voluntatem suam circa quædam pia executioni mandanda, teneri hæredem illa exequi, etiamsi nihil simile in testamento reperiatur: quod à fortiori verum est, si reperiatur scriptura ab ipso facta, aut ejus manu subsignata, quæ sit Testamento posterior.

ARTICULUS V.

An Testamentum sit revocabile, aut mutabile?

CONCLUSIO I.

NOn potest Religiosus professus Testamentum, quod ante Professionem condidit, revocare, aut mutare, nisi accedat dispensatio Papalis.

Ratio est; quia ille solus potest Testamentum suum revocare aut mutare, qui potest novum condere; atqui professus, utpote omni bonorum dominio destitutus, non potest novum condere: ergo nec prius revocare; Accedit, quòd soli viventes possint Testamentum revocare; ille autem sit mortuus civiliter. Deinde non plus juris habet circa bona per Professionem relicta, quàm circa bona aliena; & consequenter cùm de his nullatenus possit disponere, ità nec de illis.

Dixi: *Nisi accedat dispensatio Papalis*: si enim permitteret Pontifex, ut professus ad sæculum rediret, aut statum Clericalem amplecteretur; putem ipsum (nisi Papa aliter statueret) posse bona in professione relicta recuperare, adeoque posse Testamentum revocare; & certè, si Lazarus resuscitatus bona sua recuperavit, quidni civiliter resuscitatus bona per mortem civilem relicta recuperaret?

CONCLUSIO II.

POtest sæcularis Testamentum suum revocare, mutare, augere, minuere &c quamdiu vivit. Est certa ex communi omnium Nationum praxi.

Ratio est; tum quia, ut docet Apostolus ad Hebr. 9. Testamentum solum in morte firmatur; tum quia Testatoris voluntas semper est, ut ajunt, ad ultimam vitæ periodum ambulatoria; tum etiam, quia per Testamentum non perdit rerum suarum dominium, aut administrationem, & consequenter potest adhuc de illis disponere. Sed quid si juravit testator se non revocaturum?

Adhuc potest validè revocare, non licitè: validè quidem; quia vinculum Religionis, quod contrahit jurando, non transfert à testatore rei testatæ dominium, nec mutat naturam Testamenti ex se revocabilis; & ideo revocando non violat justitiam: non licitè tamen, quidquid dicant aliqui; quandoquidem teneamur semper implere juramentum, ubi sine peccato potest impleri: dicitur quidem juramentum illud contra bonos mores civiles, sed quid tum? cùm non sit contra bonos mores morales. Deinde esto foret contra bonos mores illud facere, non est tamen contra bonos mores illud semel factum adimplere.

Observandum hic, quando quis juravit, inquit Bonacina, se non revocaturum Testamentum, & juramentum fuit acceptatum ab eo, in cujus favorem factum fuit, hæredem postea institutum (etsi validus sit) teneri reddere hæreditatem illi, qui prius fuerat institutus hæres: nam qui prius fuerat institutus, per acceptationem juramenti acquisivit jus ad bona testatoris, & testator contraxit obligationem realem; cùm autem obligatio realis transmittatur ad hæredes, sequitur hæredem teneri solvere & adimplere promissionem factam à testatore, & acceptatam à promissario. Hæc ille. Fatendum tamen promissionem illam non dare actionem in

foro

foro Civili, ut deducitur ex L. 61. ff. *De verborum Obligationibus*. Imò volunt aliqui, videri in tali foro irritam, adeoque non esse certam ipsius obligationem in conscientia.

CONCLUSIO III.

Mutari potest testamentum ab Episcopo, aut Sanctæ Sedis Legato, si sit ad causas pias, vel à Magistratu, si sit ad profanas, ubi non potest impleri secundùm mentem testatoris defuncti.

Ratio est; quia cùm tunc legatum non redeat ad hæredem, nec sit justum ut remaneat inutile, superest ut de eo modo convenientiori per Superiores disponatur. Sed quid si eleemosyna ad certum opus pium, v. g. altare marmoreum sit relicta, possitque taliter executioni mandari, potestne Episcopus aut sanctæ Sedis Legatus eleemosynam illam in opus Ecclesiæ utilius, v. g. pro reparationibus necessariis impendere; Probabilius est, quòd non, sed recurrendum est ad Sedem Apostolicam: colligitur ex Glossa ad Clementinam *Quia contingit*; hancque sententiam videtur praxis communis authorizare.

ARTICULUS VI.

Qui possunt esse Testamentorum executores, & quod sit illorum munus?

Suppono, executores alios vocari legitimos, alios Testamentarios: legitimi sunt, qui instituuntur à jure, & tales sunt Episcopi respectu causarum piarum, & Magistratus respectu profanarum; ipsis enim incumbit curare, ut defunctorum voluntates adimpleantur: unde testamentariis recusantibus, aut morientibus, ipsorum est proportionatè ad materiam testamentariam de aliis providere. Testamentarii sunt, qui instituuntur ab homine, id est, testatore, & hujusmodi alii sunt universales, alii particulares: universales sunt, qui in Testamento, in quo nullus nominatur hæres, eliguntur ad debitorum solutionem, & bonorum distributionem juxta mentem testatoris; & hi in jure quasi hæredes reputantur: particulares sunt quibus testator non satis fidens hæredi, quem instituit, demandat executionem rerum in testamento dispositarum. Hoc supposito

CONCLUSIO I.

Institui possunt testamentorum, & legatorum executores omnes illi, qui jure non impediuntur, si aliunde sint executionis capaces.

Ratio clara est, si enim alia negotia valeant expedire, quidni possent hæc? Hinc

Resol. 1. Posse fœminam esse executricem Testamenti, etiam mariti defuncti; quod minus etiam durat postquam ad secundas nuptias transvolavit, quandoquidem uullum jus hanc potestatem ipsi adimat.

Resol. 2. Hujus officii etiam capaces esse Minores, modò 17. ætatis annum compleverint; quia nec jure, nec ætate prohibentur ad debitam Testamenti executionem nominari.

Resol. 3. Similiter institui posse Testamentarios Sacerdotes, & alios Clericos sæculares, hoc enim munus olim ipsis interdictum jam concedit recepta ubique praxis.

Resol. 4. Religiosos Testamenta exequi non posse sine Superioris licentia, sive sint ad causas pias, sive ad profanas. Patet ex cap. *De Testamentis* in 6. imò nec possunt cum Superioris licentia Fratres Minores de observantia. Ex Clem. *Exivi* §. *proinde de Verb. Sign.* hoc tamen non obstat, quominus testator obligare possit executores, ut in omnibus sequantur consilium alicujus Fratris Minoris: ad quod tenebuntur executores.

CONCLUSIO II.

Officium executorum est ultimas defunctorum voluntates ad amussim, & statim moraliter adimplere, præsertim si sint ad causas pias.

Ratio est; quia non minor requiritur exactitudo, & diligentia in peragendo hoc negotio, quàm in quolibet alio gravis momenti, cùm sæpè agatur de liberanda ab igne piaculari anima. Hinc

Resol. 1. Graviter peccare executores, sicut & hæredes, si diu debitorum solutionem protrahant; falsa tamen est opinio vulgi fingentis animas defunctorum tamdiu in Purgatorio detineri, quamdiù debita non solvuntur; quia *negligentia unius*, nempè executoris *non imputatur alteri*, scilicet defuncto, *ad pœnam*, inquit D. Thom quodl. 6. art. 13.

Resol. 2. Indulgentiam anni integri concessam à jure pro solvendis debitis & legatis non habere locum in foro conscientiæ, ubi prius executio fieri potest: quod magis verum est, ubi agitur de missis exonerandis pro refrigerio animæ defuncti: unde abusus est intolerabilis, quod nonnunquam animæ gravissimis torqueantur in Purgatorio suppliciis propter executorum incuriam, aut hæredum avaritiam.

Resol. 3. Nec suo muneri satisfacere testamentarios, aut hæredes, si Missas injungant exonerandas dilata solutione stipendi, cùm vix aut rarò celebrentur Missæ ante solutum stipendium, idque ob varias fraudes, quæ in hujusmodi solutionibus irrepserunt.

Resol. 4. Nec excusari Sacerdotes, qui sub prætextu dilati stipendii etiam Missas differunt postquam fidem dederunt de illis celebrandis credito stipendio: vel enim non debent onus illud suscipere, vel, si susceperint, tenentur quam primum moraliter Missas exsolvere, non minus ac si stipendium recepissent: unde si de solutione timeant, debent se ab illis recipiendis honestè excusare, vel certè se periculo exponere; si secus fecerint, peccant graviter contra fidelitatem: contra justitiam, imò & contra charitatem animabus in Purgatorio debitam. Quàm vera est hæc resolutio, sed quàm malè practicata! Nec excusationem ingerant, quod aliàs non essent Missas recepturi: frivola est hæc excusatio, nec locum reperit apud DEUM, cùm non liceat sibi consulere mentiendo, & animas in suppliciis & cruciatibus relinquendo.

DISPUTATIO VII.

De Contractibus Onerosis.

Ubi egit Doctor subtilis 4. Dist. 15. q. 2. art. 2. de contractibus gratuitis agit de onerosis, qui sunt verè & propriè contractus. Horum autem aliqui transferunt rei dominium, ut permutatio, emptio, venditio: alii, retento dominio, solum usum fructum, ut conductio, locatio, emphyteusis. De primis hic tractandum, de aliis postea.

QUÆSTIO I.

Quid permutatio, emptio, & venditio, & quas conditiones, requirant?

Advertit Scotus loco citato, littera K, tripliciter transferri rerum dominium per contractus onerosos. 1. Dando rem pro re, v. g. vinum pro oleo, granum pro panno; & tunc contractus dicitur permutatio. 2. Dando rem pro pecunia, & est emptio & venditio. 3. Tradendo pecuniam pro pecunia, & vocatur Cambium, aut mutuum, de quo postea.

CONCLUSIO I.

Permutatio specifica est datio rei secundum se utilis pro alia similiter utili: hoc contractu utebantur homines, antequam adinventa esset pecunia, quæ in ratione pecuniæ seu monetæ non est secundum se utilis, sed tantum per respectum ad ea quæ sunt per ipsam comparabilia.

Dixi: *Permutatio specifica*; quia genericè sumpta comprehendit omnem contractum, in quo unum datur pro alio, quodcumque illud sit.

CONCLUSIO II.

Emptio est pactio pretii determinati pro merce determinata; & è contra *Venditio* pactio mercis determinatæ pro pretio determinato.

Dicitur 1. *Pretii*, id est, pecuniæ, seu numismatis, aut monetæ. 2. *Determinati*; quia si res vendatur pro pretio indeterminato, id est, pro eo, quod voluerit dare emptor, non stat contractus L. *Quod sæpè* 35. ff. *De contrahenda emptione*. 3. *Pro merce*, cujus nomine venit omnis res pecunia compensabilis, sive sit mobilis, sive immobilis, sive sit actio, sive jus, sive officium &c. 4. *Determinata*; quia sicut pretium debet esse determinatum; ita & res vendita, saltem quoad speciem: quod addo; quia valet

valet emptio ovis, v. g. ex toto grege eligibilis pro libitu emptoris.

CONCLUSIO III.

ULtra conditiones ad quemlibet contractum requisitas, tres alias requirit Scotus in permutatione, emptione & venditione. 1. Est, ut fiant sine fraude & idolo. 2. Ut servetur æqualitas vel rei ad rem, vel rei ad pretium. 3. Quod exerceantur secundùm rectam rationem: hæcque per se patet; duas alias examinabimus.

1. Conditio est, quòd debeant fieri sine fraude, & dolo tam ex parte venditoris, quàm ex parte emptoris; ita ut excludatur omnis circumventio, non solùm in substantia, sed etiam in modo, quantitate, & qualitate. Quando autem gravis dolus, aut error reddat hos contractus irritos, & quando non, sed tantum imponant obligationem defectum supplendi, attenta fraudis, aut erroris proportione? Facile colligi potest ex dictis in Disput. de contractibus in genere. Hic solùm de peccatis circumvenientium agimus. Undè

Resol. 1. Peccare non onere restitutionis ob fraudem in substantiam commissam, qui vendunt deauratum pro auro, aquam mellitam pro vino hispanico, ferrum pro chalybe, vitrum pro gemma; item qui vinum aut alios liquores aqua temperatos distrahunt tanquàm puros: aliud esset, si habentes vinum generosum, ac ideò cariùs ac difficulter vendibile, illud reducerent per mixtionem alicujus liquoris ad qualitatem, & bonitatem vini mediocris, & simul proportionatè minuerent pretium; quia tunc nulla videtur fieri injuria. Unde S. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 27. §. 4. *Cùm aliqui sophisticant ea, quæ vendunt, ut se servent indemnes, & cum aliquo lucro congruo; quia si venderent res puras: emptores non vellent dare justum pretium; quia alii vendunt talia sic sophisticata & mixta minori pretio, videntur posse excusari, dummodo non fiant tales mixturæ quæ noceant humanis corporibus, quod accidere potest in his, quæ venduntur in cibum & potum humanum, & præcipuè in medicinalibus*. Cavendum tamen, ne mentiatur iniquitas sibi; quia fraus & dolus nemini patrocinantur.

Resol. 2. Similiter reos esse ob fraudem in modo, qui decipiunt mendaciis, perjuriis & monopoliis, de quibus posteà.

Resol. 3. Eidem peccato, & oneri obnoxios esse ob fraudem in quantitate, qui fallunt in pondere, aut mensura, qui pannum, aut aliud mensurando nimis trahunt, qui lanam, filum, granum &c. detinent in locis humidis, aut aspergunt aqua, ut magis ponderent: contra quos est illud Prov. 20 *pondus: & pondus, mensura & mensura, utrumque abominabile est apud DEUM*.

Resol. 4. Etiam delinquere cum obligatione restituendi ob fraudem in qualitate, qui vendit animal infirmum pro sano, pharmaca antiquata pro recentibus, pannum fragilem pro durabili: undè tenentur vitia occulta, quæ minuunt rei valorem, aut eam inutilem, vel damnosam reddunt, Emptori manifestare, juxta illud Ambrosii 3. Officiorum c. 10. *in Contractibus ..... vitia eorum, quæ veneunt prodi jubentur*.

Dixi: *Vitia occulta*; quia si vitium sit patens, v. g. equus claudus, aut monoculus, & aliunde pluris non vendatur, quàm valeat, nulla est injuria: attamen si constaret venditori non posse Emptorem quia simplex est, aut stupidus, vitium illud detegere, esset ipsi manifestandum.

Resol. 5. Eum, qui vendit rem vitiosam, ex qua damnum accidit Emptori, v. g ovem morbidam, ex qua aliæ inficiuntur, teneri ad omne interesse, si vitium non aperuit, cùm sit verè causa totius damni. Aliud esset, si venditor vitium ignorasset: tunc enim sufficit ipsi partem pretii vitio proportionatam refundere.

Resol. 6. Non minus culpabiles esse Emptores, qui scienter emunt à rusticis, aut simplicibus res pretiosas pro vilibus, verb. grat. argentum pro stanno; ipsi enim tenentur non minus ac Venditores in omnibus sincere & candidè Justitiam commutativam servare; & ideo quod diximus de Venditoribus, debet ipsis cum proportione applicari.

2. Conditio est, quòd inter rem & rem, vel inter rem & pretium servetur æqualitas: est autem duplex pretium, unum Legitimum, & est illud quod est à lege, vel Superiore, omnibus prudenter & attentè consideratis, taxatum: aliud est Naturale, seu Vulgare, quod non à lege, vel Superiore; sed ex communi hominum æstimatione constitutum est. Quia tamen diversa est hominum opinio, ideo patitur hoc pretium latitudinem pretii Infimi, Summi, & Medii. *Infimum* est, infra quod non potest justè res emi. *Summum*, seu rigorosum, supra quod non potest justè res vendi: *medium*, supra quod justè potest res vendi usque ad Summum, & infra quod potest justè emi usque ad Infimum. Quantam autem patiatur latitudinem pretium vulgare, vix determinari potest. hoc tamen videtur certum, nempe res pretiosiores majorem pati latitudinem, viliores minorem: unde si pretium rei medium sit 10. supremum erit 11. infimum 9. eritque latitudo duorum graduum. Si autem medium sit 500. supremum erit 105. infimum 95. & erit latitudo 10 graduum.

Porro ut constituatur pretium vulgare, varia spectanda sunt, quorum aliqua concurrunt ad illud augendum, ut mercium raritas & necessitas, mercatorum copia, pecuniæ abundantia, labor, industria, vectigal, expensæ & pericula in obtinendis, vehendis, & conservandis mercibus: aliqua verò ad illud minuendum, ut mercium copia, mercatorum inopia, pecuniæ raritas, facilitas in obtinendis mercibus sine labore, periculo, tributo &c. Ex dictis

Resol. 1. Peccare contra æqualitatem in his contractibus debitam, qui frumenta, aut alia distrahunt ultra pretium à lege taxatum; quandoquidem non liceat pretium legitimum, utpote in indivisibili consistens, vel minimum excedere. Item & peccare illos contra justitiam, qui vel emunt infra pretium vulgare infimum, vel vendunt supra summum, non tamen eos, qui ementes pretio infimo, postea vendunt summo; quia non excedunt hi latitudinem justi pretii, sicut illi: possent tamen quandoque violare Charitatem.

Resol. 2. Ementes infra pretium legitimum, seu legale, non tamen infra vulgare, non lædere Justitiam; quia non censetur magistratus id emptoribus inhibuisse, cùm fiat ordinariè pretii taxatio in favorem ementis, non vendentis: aliud esset, si facta foret in favorem utriusque.

QUÆSTIO II.

Quid negotiatio, an sit licita, & quibus.

CONCLUSIO I.

NEgotiatio est emptio rei cum animo vendendi cum lucro: unde addit negotiatio supra emptionem & venditionem animum lucrandi: & hujus occasione quæritur, an sit licita: nam emptionem & venditionem simplices esse licitas, clamat totius orbis praxis & necessitas, quandoquidem, humano genere multiplicato, sit moraliter impossibile omnia necessaria per nudas rerum permutationes obtinere.

CONCLUSIO II.

LIcita est per se negotiatio. Est communis & certa.

Ratio est; quia est res de se indifferens, potestque ad finem honestum ordinari; ut, si fiat ob utilitatem publicam, ob familiæ sustentationem &c. unde *si malus fuera*, inquit Aug in Psalm. 70. v. 16. *Non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea*, quia vitia negotiationis non sunt artis, sed hominis.

Obj. 1. Illud Apost. 1. ad Tim. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, atqui id intendunt mercatores: ergo &c.

Res. Dist. Min. Id intendunt mercatores, qui volunt lucrum tanquam finem; C. & ideo peccant saltem venialiter. Qui volunt lucrum tanquam stipendium laboris, & industriæ; N.

Obji. 2. Chrysost. hom. 38. operis imperfecti in cap. 21. Matth. sic loquitur: *Homo mercator vix, aut nunquam potest Deo placere, & ideo nullus Christianus debet esse mercator*.

R. Ad hunc locum & similia Patrum, & Canonum, tantùm reprehendi mercatores, qui finem ultimum in lucro constituunt, aut qui perjuriis, fraudibus, aut monopoliis quæstum faciunt. Præterea homiliæ illæ non sunt D. Chrysostomi.

Obj. 3. *Negotiatio secundùm se considerata quamdam turpitudinem habet* D. Th. 2. 2. q. 77. art. 4. in corpore: ergo est illicita.

Resp. Dist. Ant. Habet turpitudinem positivam, Neg. ne-

Instabis 1. Diversitas personæ assecurantis non variat rationem illius contractus: ergo si non degeneret in mutuum cum diversa persona, nec degenerat cum eadem.

Resp. Dist. Ant. Diversitas personæ, id est, quando una est recipiens, & altera assecurans quæcumque sit, C. Quando eadem est assecurans & recipiens, N. quia tunc recipiens fit pecuniæ dominus, cùm illam habeat, ipsi pereat, de illa, prout vult, disponat, non sic persona tantùm assecurans ut per se patet.

Inst. 2. Tenetur recipiens illam applicare ad negotiationem, ergo non disponit de illa ut vult, & consequenter non est totaliter illius dominus, sed tantum eo modo, quo socius.

Resp. Neg. Ant. Quandoquidem reddendo capitale cum lucro; sive cum pecunia negotiatus fuerit, sive non nulli faciat injuriam, faceret autem si teneretur negotiari.

Instit. 3. Impedit ipsum à consecutione justi lucri per negotiationem acquirendi; ergo facit ipsi injuriam.

Resp. Neg. Ant. Quandoquidem dans pecuniam sit certus de suo lucro ante omnem negotiationem, adeoque independentet ab illa.

Inst. 4. Contractus ille fit sub tacita conditione negotiationis futuræ: ergo.

Resp. Neg. Ant. Quandoquidem omnes, ne uno excepto, exigant lucrum, de quo convenerunt, sive interim secuta sit negotiatio, sive non; imò nullus de ea inquirit, an facta sit, necne: quod signum est contractum fieri absolutè, & non conditionatè.

Inst. 5. Supponitur, mercatorem pecuniam negotiationi applicasse, vel, si non applicavit, teneri, ob injuriam illatam, damnum resarcire: & ideo semper lucrum exigitur.

Resp. Sæpè mercatores, defectu occasionis, non uti pecunia data ad negotiationem, ergo saltem illo casu nihil deberent solvere, cùm ubi nulla est culpa, nulla fit injuria, & tamen etiam tunc lucrum exigitur; quod est signum evidens lucrum illud nec ratione negotiationis, nec ratione injuriæ exigi, sed præcisè ratione mutui.

Obji. 3. In illo contractu servatur justitia commutativa, quandoquidem assecuratio sortis, & venditio lucri incerti fiant justo pretio: ergo non est injustus. Prob. Ant. Cum diversa persona fit justo pretio: ergo etiam cum eadem; quandoquidem personæ diversitas non mutet pretia rerum.

Resp. Neg. Suppositum, nempe contractus assecurationis & venditionis in illo casu realiter intervenire; nam juncti cum contractu Societatis in eadem persona, nihil aliud sunt à parte rei, quàm mutuatio, & tantùm apparenter assecuratio & venditio.

Obji. 4. Ex eo, quòd commodatarius, aut locatarius assecuret rem commodatam, aut locatam, non fit illius Dominus: ergo nec socius fit Dominus sortis sibi traditæ per hoc, quòd illam assecuret.

Resp. Disparitatem esse quòd commodatarius, aut locatarius, etiam assecurans, non possit pro libitu de re commodata, aut locata disponere; id autem possit socius assecurans respectu sortis, & sic fit Dominus, non alii.

Pro hujus quæstionis coronide advertendum, multos sententiæ oppositæ patronos ingenuè fateri opinionem suam esse in praxi periculosam, multis usuris expositam, viam sternere usurariis securius usuras suas exercendi sub prætextu Societatis, præ se ferre speciem mali &c. Imò si victoriæ credimus monebat major contractum illum, non publicè, sed secretò esse faciendum: quæ omnia satis ostendunt sententiæ contrariæ infirmitatem, ne dicam falsitatem.

QUÆSTIO VI.

Quid Census? Quotuplex? & Quas conditiones requirat?

CEnsus, (dictus aliter redditus, eò quòd à tempore ad tempus redeat solvendus) sumitur tripliciter, 1. Pro jure exigendi certam pensionem. 2. Pro contractu, quo emitur aut venditur jus illud. 3. Pro pensione ex illo jure recepta, aut recipienda. Hic de censu in prima acceptione agimus.

CONCLUSIO I.

CEnsus est jus percipiendi certis temporibus pensionem aliquam ex re aut persona alterius fructifera.

Dicitur 1. *Jus percipiendi*, quod residet in censuista, seu censualista, id est, in eo qui tali jure gaudet, supponitque debitum solvendi in censuatio, seu in eo, qui tale jus vendidit.

Dicitur 2. *Certis temporibus*, id est, singulis annis vel mensibus, prout conventum fuerit.

Dicitur 3 *Ex re vel persona*; quia jus præfatum non tantùm potest fundari in re reliqua, v. g. domo, agro, vinea &c. Sed etiam in persona, modò sit fructifera, id est, labore aut industria, officio &c. possit aliquid lucrari.

CONCLUSIO II.

DIviditur 1. Census in reservativum, seu conservativum, & consignativum. Primus est, quando quis tradit alteri, rei suæ dominium utile & directum, retento sibi jure certam pensionem ex ea quotannis percipiendi: & tales sunt census, qui solvuntur nonnullis Capitulis, Monasteriis, & Toparchis, qui cedendo certos fundos, reservaverunt sibi, quasi in recognitionem, modicam pensionem annuatim solvendam. Secundus est (de quo deinceps loquemur) quando quis retento rei suæ usu & dominio, assignat seu consignat alteri pensionem, quam tenetur statutis temporibus solvere, vel in fructibus, & dicitur census fructuarius, vel in pecunia, & vocatur pecuniarius.

Subdividitur census consignativus in realem, personalem, & mixtum. Primus fundatur in re, qua pereunte, perit & census; quia tantùm ex illa debebatur, &, si ad alium transeat, transit cum suo onere. Secundus fundatur in persona, quæ se obligat ad pensionem ex omnibus bonis suis & operis: unde si ad securitatem hypothecavit rem aliquam, & ipsa pereat: non perit census. Mixtus fundatur in re aliqua determinata & persona simul; & ideo, re aliqua pereunte, integer manet census propter obligationem personæ.

Subdividitur ulterius in temporalem & perpetuum. Hic vi contractus semper durat: ille ad tempus, & quidem si ad tempus determinatum, v. g. ad 20. aut 30. annos, dicitur simpliciter temporalis, si ad tempus indeterminatum v. g. ad vitam alicujus, dicitur vitalitius. Alius est etiam redimibilis alius irredimibilis, hic non potest extingui, ille potest sive ex toto, sive ex parte, si à venditore totum capitale, vel pars refundatur.

CONCLUSIO III.

AD obviandum variis usuris, quæ sub nomine census irrepserant: voluit Pius V. in sua Bulla, quæ incipit: *Cum onus*, ut sub pœna nullitatis, & confiscationis servarentur postmodum hæ conditiones in creatione census. 1. Ut res, supra quam fundatur census, sit determinata, immobilis, fructifera. 2. Ut contractus non celebretur, nisi numerata pecunia, & quidem coram notario & testibus. 3. Ne censuista cogat censuarium ad anticipatam solutionem. 4. Ut si res fundans censum pereat, pereat & census: si deterioretur, minuatur census proportionatè. 5. Ut pretium sit justum. 6 Ut possit venditor, refuso pretio, censum redimere, modò bimestri ante emptorem moneat. 7. Ut non apponatur conventio de aliquo solvendo propter morositatem debitoris, nequidem sub titulo lucri cessantis, aut damni emergentis. 8. Ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis & non solutis. 9. Ut si censuarius rem censui subjectam velit vendere, teneatur monere Censuistam, quem pro æquali pretio tenebitur aliis præferre; ubi autem Censuista recusabit emere poterit Censuarius aliis vendere, translato in emptores pensionis onere. 10. Ut in casu redemptionis census, detur idem omnino pretium, ac fuerat in ejus creatione solutum &c. Etiam aliquas conditiones antea requisierant Martinus V. & Calixtus III. sed cùm nec Bulla Pii V. nec horum Pontificum vim habeat in his locis, ut satis declarat contraria, etiam timoratorum, praxis, non obligant hic conditiones illæ, quatenus sunt Bullatæ præcisè: unde subjicio alias ex jure naturæ requisitas.

1. Est, ut adsit animus emendi & vendendi 2. Ut res censui subjecta sit ex se fructifera: cùm enim ex re infœcunda non possit aliquid recipi, etiam nec vendi potest jus aliquid inde percipiendi. 3. Ut justum sit pretium: quod spectari debet attentis Provinciæ legibus, ac timoratorum consuetudine; juxta mores autem Belgicos solent dari sexdecim, ut ematur jus ad unum annuatim recipiendum; seu, quod in idem redit, dantur 100. ut recipiantur sex cùm quadrante, 4 Ut census pereat, si perierit res censui subjecta; aut minuatur, si res deterior facta sit. Moribus tamen nostris, etiam re illa pereunte, solet pensio exigi, eò quòd census non sint apud nos mere reales, sed partim personales: & ideò si censuarius sit aliunde solvendo, etiam tunc cogitur ad solutionem.

Attamen ex edicto Regio ultima Octobris 1587. plura

quòd per consilium nulla vis inferatur emptoribus, cùm per hoc nulla sit mercatoribus obligatio: secùs per contractum, aut juramentum; quandoquidem obligatis monopolis, obligentur, adeoque moraliter cogantur emptores. Ex dictis

Resol. 1. Hujus monopolii reos esse artifices, qui inter se conveniunt de non consummando opere ab aliquo ipsorum inchoato, ut si cogatur dominus ab eo, qui opus inchoavit, dependere. Et idem est, si id faciant de operarum suarum locatione.

Resol. 2. Non minùs esse culpabiles illos, qui mutua conventione spargunt rumorem, aut litteras fingunt, quibus persuadere conantur, naves mercium esse ab hostibus captas, aut à mari absorptas, ut sic sua carius distrahant.

Resol. 3. Hoc peccato esse infectos vendentes sub hasta, si apponant certas personas, quæ plus offerant, ut aliis ulteriùs ascendentibus, cariùs vendant.

CONCLUSIO IV.

MOnopolium 4. generis lædit justitiam, imponitque restitutionis obligationem.

Ratio est, quia quando sic coemunt monopolæ omnia frumenta v.g. in urbem invecta, sicque privant alios emendi facultate, ut ipsimet cariùs illa distribuant, violentiam, adeoque injuriam faciunt communitati. Accedit quòd vendant pretio excessivo; quandoquidem non pluris valeat frumentum congregatum apud monopolas, quàm valeat divisum apud plures mercatores; quia si paucitas mercium inducat caritatem; non tamen paucitas venditorum, ubi æqualis est mercium copia.

QUÆSTIO IV.

An liceat rem pluris vendere ob dilatam solutionem, aut minoris emere ob eandem anticipatam?

CONCLUSIO I.

NOn est licitum, secluso titulo, rem pluris vendere ob dilatam solutionem, si excedatur pretium summum.

Prob. 1. Quia talis venditio continet usuram palliatam; quandoquidem vendere 100., credita pecunia id, quod tantùm valet 90. idem sit ac dare 90. cum obligatione reddendi postea 100.: unde D. Tho. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. *Quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi*, id est, solutionis, *expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ*.

Prob. 2. Vel recipitur excessus pretii pro merce, vel pro absentia pecuniæ; neutrum fieri potest: ergo &c. Non pro merce; quia ultra summum pretium vendere, injustitia est, ut antea diximus: non pro absentia pecuniæ, cùm non sit pretio æstimabilis, eò quòd tanti valeat pecunia credita, quanti numerata.

Dixi in Conclusione: *Secluso titulo*; si enim ex dilata solutione lucrum cesset; aut damnum emergat venditori, potest tuta conscientia aliquid titulo proportionatum recipere, modò tamen emptori id manifestaverit: hinc ubi credit aut suspicatur mercator, quod nollet emptor incommodum lucri cessantis, aut damni emergentis emere, si illud cognosceret, tenetur id ipsi manifestare, vel certè non potest ideo cariùs vendere.

Addidi: *Si excedatur pretium summum*; quia si mercator ob solutionis dilationem cariùs quidem vendat, quàm venderet numerata pecunia, sed tamen intra latitudinem justi pretii, non peccat contra justitiam, cùm eo pretio vendat, quo potest numerata pecunia vendere.

CONCLUSIO II.

NOn licet etiam, sine titulo, ob anticipatam solutionem infra pretium infimum emere.

Ratio est; quia non minùs intervenit hic usura palliata, quàm in casu primæ Conclusionis: unde D. Th. loco citato: *Si quis emptor velit emere rem viliùs, quàm sit justum pretium, eò quòd pecuniam ante solvit quàm possit res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emptæ*. Sed potestne anticipatè solvens viliùs emere, si timeatur, ne merces tempore traditionis minoris valituræ sint? Potest, non ratione anticipatæ solutionis, sed periculi, cui se exponit; cùm hoc sit pretio æstimabile. Sicut potest ille, qui merces suas erat in aliud tempus servaturus, vel in alium locum transportaturus, in quo cariùs venderentur, nunc pluris eas vendere, non ratione anticipatæ traditionis, sed ratione spei posteà, aut alibi cariùs vendendi.

Petes, an liceat debitum, actionem, vel obligationem minoris emere?

Res. Cum distinctione: vel enim præfata ita sunt liquida, fundata, & à talibus personis dependentia, ut sine difficultate, periculo, & expensis valeant discuti, aut recipi, vel non: si primum, usuraria est emptio, cùm nihil sit aliud, quàm dare nunc 40. v. gr. ut recipiantur intra annum, aut duos 50. & in hoc vitium impingunt divites illi, qui à pauperibus jus suum prosequi, aut solutionis tempus expectare non valentibus, debitum aut obligationem emunt pretio minuto: si secundum, licita est emptio, modò pretii minutio æquivaleat difficultatibus, periculo aut expensis sustinendis; quia talis actio, aut debitum non censetur tunc, attento prudentum judicio, pluris valere. Sed quid si debiti emptor prævideret se ratione amicitiæ, societatis, aut aliunde nullas difficultates passurum? Equidem posset illud minoris emere, si solutio secundùm se sit difficilis & periculosa, nec reputetur communiter pluris valere. Ratio est; quia debitum illud tanti emit, quanti valet secundùm prudentem hominum existimationem: unde non recipitur hic lucrum ratione mutui, sed ratione emptionis secundùm se quidem periculosæ, sed emptori favorabilis; ac ideo quòd nullas difficultates sit passurus pro obtinenda solutione, ejus bonæ fortunæ imputandum est.

Dices; solutio illa à parte rei non est periculosa, ergo non licet debitum minoris emere.

R. Dist. Ant. Non est periculosa, attenta ementis industria, C. secundùm se, N. & hoc sufficit, ut emptio illa sit licita: hocque patet in nauta, qui potest navigationem secundùm se periculosam majori pretio suscipere, licèt ipse ob industriam non timeat periculum.

QUÆSTIO V.

An vendens, aut emens nomine alterius possit aliquid sibi retinere?

PEr vendentem alterius nomine hic intelligo proxenetam, seu illum, cui commissa est venditio determinato pretio: ita ut prohibeatur minoris vendere, possit tamen pluris, modò servet pretium justum. Quod fieri potest tripliciter, 1. Si mercator dicat proxenetæ, *vel merces referas, vel* 100. *florenos*. 2. Si injungat simpliciter, ut vendat 100. 3. Si pluris vendenti relinquat augmentum terminis expressis. Posse 1. & 3. casu augmentum retinere proxenetam, docetur satis communiter, quamvis in 1. videatur aliquod dubium ex modo loquendi, aut ex aliis circumstantiis determinandum. De 2. casu inquirimus.

CONCLUSIO I.

NOn potest vendens alterius nomine augmentum retinere. Est communis & certa.

Ratio est; quia nullo titulo debetur illi augmentum illud: non quidem ratione rei venditæ, cum non sit sua, non etiam ratione industriæ, aut laboris; quia si conventio præcessit, debetur ipsi ideo stipendium, si non præcessit saltem implicitè, nihil debetur ipsi ex justitia, sed tantùm ex congruo.

Dices 1. Si dominus voluisset habere totum pretium, nihil determinasset, ergo ubi pretium determinat, censetur augmentum relinquere proxenetæ.

R. Dominum pretium determinare, ut non minoris vendatur, non autem ut auctarium cedat vendenti, si justè possit pluris vendere. Dico *si justè*, quia si pretium justum excedat vendendo, excessus restitui debet, non domino, sed emptori.

Dices 2. Ubi dominus nihil promittit proxenetæ, præsumitur augmentum, ipsi relinquere.

R. Id malè præsumi, sed è contra præsumendum est dominum; utpotè rationabilem, daturum posteà mercedem laboris: quòd si fallat, deinceps vel est anteà conveniendum, vel non serviendum.

Sed quid si proxeneta emat ipsemet merces pretio à mercatore determinato, & postea revendat tanquàm suas pretio altiori? Potest lucrum retinere, cùm possit eodem pretio emere, quo potest alteri vendere; non posset tamen retinere, si dixisset dominus, ut non venderet quidem pretio mi-

no-

nori, conaretur tamen vendere altiori; nisi certè emisset sibi in iis circumstantiis, in quibus non poterat ab aliis plus obtinere.

CONCLUSIO II.

EOdem modo loquendum est de emente alterius nomine, ac de vendente, & consequenter si prætextu laboris, aut industriæ aliquid retineat, injustitiam committit obnoxiam restitutioni, cum sit par ratio in uno, ac in altero: & Hinc

Resol. 1. Sartores, quibus injungitur emptio accessoriorum ad vestem, non posse quidquàm ideò retinere. Ratio est 1. quia vix aut ne vix damnum patiuntur ob insumptionem temporis, cùm sit modica, & aliundè censeatur compensata in salario, quod pro vestis confectione recipitur. 2. Quia non est mens illius qui utitur opera sartoris, ut ideò aliquid retineat, imò ita hac de re persuasus est ipsemet sartor, ut nollet committentem scire quidquam de retentione. 3. Quia si committens conscius esset retentionis, non sartori, sed alteri, qui gratis id exequeretur, committeret.

Resol. 2. Non esse tamen condemnandos sartores, si ex eo quod pro emendis vestium accessoriis frequenter accedant ad aliquam officinam, recipiant quandoque certa munuscula, modo tamen (quod serió notandum est) non emant ideò cariori pretio, aut merces viliores. Ratio est; quia cùm dona illa supponantur omninò gratuita, nullatenùs nocent iis, à quibus committuntur.

QUÆSTIO VI.

Quid dicendum de variis emptionem, aut venditionem concernentibus?

PEtes 1. An liceat venditio sub hasta? per venditionem sub hasta intelligimus illam, quæ fit publicis auctionibus in platea, aut foro; ita ut unus offerat 10. alter 15. tertius 20. & sic paulatim ascendendo, donec plus offerenti relinquatur res venditioni exposita.

R. Licitam esse seclusa fraude ex parte ementis & vendentis, licèt res quandoque pluris quandoque minoris, quàm valeat; vendatur. Ratio est; quòd ex tacita quasi conventione partium censeatur fieri mutua condonatio, casu quo interveniat inæqualitas inter merces & pretium: undè non est solitum contra similes venditiones reclamare quantùmcumque fuerit læsus emptor, aut venditor, cùm uterque exponatur periculo: & ideò dici potest hoc casu rem tanti valere, quanti vendi potest.

Dixi, *Seclusa fraude*: si enim venditor interponat secretò certos auctores, ut obligentur ementes ulterius ascendere: vel etiam conveniant inter se emptores de certa actione, ultra quam non ascendatur, justitia læditur, estque onus proportionatè ad fraudem restituendi.

Petes 2. An sciens minuendum esse mercis pretium possit illam vendere pretio currenti; & idem est è contra, si sciatur minuendam esse monetam?

R. Affirmativè: quia quamdiù mercis pretium non est minutum, res tanti valet: undè solùm dici potest quòd res minoris valebit, non quod jam minoris valeat, cùm pretium necdum sit minutum, & ideò si quis adfuisset in domo Civica, imo intervenisset, cum decreta est pretii diminutio, posset merces suas ante decreti publicationem pretio currenti distrahere, modo tamen ex fraude, vel dolo non fuisset author decrementi. Potest tamen quandoque lædi Charitas, præsertim si moneta, aut merces distrahantur egenis.

Petes 3. An liceat tempore messis frumentum, aut tempore vindemiæ vinum vili pretio accumulare, ut posteà vendatur pretio cariori.

R. Licere si fiat intentione honestæ negotiationis; secus si ex animo penuriæ inducendæ; quia tunc intervenit non tantum animus avaritiæ, sed etiam cujusdam crudelitatis in proximum, & Communitatem, quam volunt à se quoad necessaria dependere, & quidem eo pretio, quo ipsis placuerit.

Petes 4. An læsus vendendo, aut emendo possit contractum rescindere?

Res. Posse in foro externo, si læsus sit ultra dimidium justi pretii, non autem ubi minor est læsio. Patet ex cap. *Cum dilecti*. 3. De emptione & venditione; in foro autem conscientiæ, ubi quis vendendo excessit, vel emendo defecit in pretio justo; licèt non excesserit, vel defecerit ultra dimidium, debet vel contractum rescindere, vel æqualitatem inter rem & pretium ponere, etiamsi læsus non conqueratur; quia, ut docet D. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. *Cariùs vendere vel emere rem, quàm valeat, est secundum se injustum & illicitum*.

Petes 5. An liceat venditio cum pacto retrovendendi? id est, an possim vendere obligando emptorem, aut mihi revendat intra certum tempus, vel emere obligando venditorem, ut a me vicissim emat, quando mihi libuerit?

Res. Affirm. quoad utrumque: modò inter venditum & emptum servetur æqualitas. Primum patet tum ex Levitici 25. ubi præcepit Dominus ut omnes Terræ Populi Israel sub conditione redemptionis venderentur: tum ex censibus, qui venduntur cum pacto implicito redemptionis; ubi autem adest facultas in venditore redimendi, adest obligatio in emptore revendendi cùm sit reciproca. Illo tamen casu res debet minoris vendi, eò quòd imponatur onus emptori revendendi, quod est pretio æstimabile.

Secundùm etiam patet; quia si possum obligare emptorem ad revendendum, quidni possem venditorem ad redimendum, cùm sit par ratio? tunc tamen potest venditor rem suam cariùs vendere ob gravamen redemptionis.

Petes 6. An valeat contractus *Mohatra vel Baratta*.

Rem pono in exemplo: aliquis indiget pecunia, quam non potest habere mutuo, convenit mercatorem, à quo emit creditò merces pretio summo, v.g. 100. & 50. cùm pacto revendendi pretio infimo numerata pecunia, v. g. 500. quæritur an hoc sit licitum.

Res. Neg. Sed est usura palliata: cùm nihil sit aliud, quàm mutare 100. cum obligatione restituendi posteà 100 & 10. undè damnavit hanc propositionem Innoc. XI. *contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri*. Etsi autem in hoc contractu nunquam excusari possit venditor, utpotè usurarius, potest tamen quandoque emptor, si id faciat gravi pecuniæ necessitate compulsus, ut dicemus in disp. de usura.

Petes 7. An res illæ, quæ non habent pretium legitimum, aut vulgare determinatum, ut sunt aves Indicæ, flores, picturæ antiquæ, gemmæ extraordinariæ &c. tanti valeant, quanti vendi possunt? Affirmant aliqui, sed rectiùs negant alii, volentes illarum pretium petendum esse à communi æstimatione peritorum in similibus, attentis omnibus circumstantiis industriæ, raritatis, pretiositatis, pulchritudinis, periculi, laboris &c. aliàs posset venditor rem, quam credebat valere 50. vendere 100. si animadverteret aliquem velle ipsam habere quocumque pretio.

Petes 8. An aurifabri teneantur emendo quædam artefacta aurea, vel argentea computare artificium, si adhuc sunt vendibilia, adhibito modico labore.

Res. Ordinariè N. quia non tenentur illa emere, nisi secundùm id, quod communiter æstimari solet; illud autem est pondus, non labor aut artificium.

Dixi: *Ordinariè*; quia si tantum esset artificium, ut pluris æstimaretur, quàm ipsa materia habenda esset aliqua ratio artificii.

Petes 9. An ea, quæ emuntur pecunia Petri v.g. sint Petri, vel emptoris?

Resp. Regulariter esse emptoris, si emat proprio nomine L. *Si ex ea* 6. C. *De rei vendicatione*.

Dixi: *Regulariter*; quia empta pecuniis Ecclesiæ, militis, pupilli, aut Minoris, fiunt ipsorum.

Petes 10. An venditio rei alienæ sit valida?

R. Validam esse quoad translationem pretii, non quoad translationem rei. Ratio prioris est, quòd leges decernant talem venditionem esse validam; sed non est valida quoad translationem rei, ut jam dicemus: ergo quoad translationem pretii. Ratio posterioris est, quòd non possit quis in alium transferre, quod non habet, adeoque rei dare dominium, qui rei non est dominus.

Petes 11. An si mercator affirmet mendaciis, aut perjuriis rem sibi tanti constitisse, aut tanti aliis vendidisse, & ideo sit in causa, cur emptores emant quidem pretio justo, sed summo, teneatur ad restitutionem?

R. Si emptores, seclusis illis mendaciis aut perjuriis, non erant tanto pretio empturi, aut ivissent ad aliam officinam, in qua emissent pretio inferiori, teneri mercatorem tantum refundere, quantum per hoc attulit ipsis detrimenti, cùm sit torius damni causa moralis.

Petes denique, quid dicendum de mercatoribus illis, qui vendendo, duplo plus exigunt, quàm valeant merces, sub prætextu, quod emptore longè minus sint oblaturi?

R. Si

R. Si sint ita dispositi, ut, qoidquid emptor oblaturus est, sint recepturi, licèt ultra pretium summum, esse in continuo statu peccati, cùm sint semper parati, ubi poterunt, justitiam lædere.

QUÆSTIO VII.

Cui res post venditionem pereat, deterioretur, aut melioretur?

RES vendita perit, deterioratur, aut melioratur emptori, si sit tradita.

Ratio est; quia regulariter res perit, deterioratur &c. domino; atqui emptor per traditionem fit rei dominus: ergo. Ut autem censeatur sic facta traditio, ut res transeat in dominium emptoris, debet non solùm venditor rem tradidisse, sed etiam emptor pretium solvisse, aut quasi solvisse, id est, sic ut venditor habeat pretium pro soluto, v. g. quia fidit emptori, pignus accepit, aut ei fidejussor datus est: unde si post venditionem res sit tradita, sed pretium non solutum; aut pretium solutum, sed res non tradita, dominium rei manet penes venditorem, qui potest illam, ubicunque invenerit, vendicare; ipsique tanquam domino imputantur omnia rei commoda, vel incommoda, modò tamen non interveniat culpa ex parte emptoris. Hujus ratio est, quòd secundùm jura contractus non censeatur omnimodè completus, nisi facta utrinque traditione, nimirum pretii ex parte emptoris, & rei ex parte venditoris. Plura circa hoc vide in tractatu de Restitutione.

CONCLUSIO II.

SEclusa cooventione in contrarium, nec non culpa & mora venditoris, res in individuo vendita, & determinata, ut hic ager, hæc ovis &c. perit, deterioratur, & melioratur emptori, etiam ante traditionem. Patet ex Instit. *De emptione & venditione* §. *Cùm autem*.

Ratio est; quia etsi venditio sine traditione non transferat rei dominium, jura tamen statuere justis de causis, verb. grat. ne emptor negligeret procurare sibi rem emptam, ut rei emptæ commoda & incommoda cederent emptori.

Dixi 1. *Seclusa conventione in contrarium*; si enim aliter conventum est, conventioni standum est.

Dixi 2. *Nec non culpa*, quia si ob culpam venditoris res perierit, fuerit deteriorata, aut confiscata, cedit omne damnum venditori, qui tenetur circa rei venditæ custodiam ita se gerere, sicut commodatarius circa rem commodatam.

Dixi 3. *Et mora venditoris*; quia post moram culpabilem in tradendo, subit omne periculum venditor, nisi certè fuisset similiter apud emptorem peritura.

CONCLUSIO III.

UBi venditur res determinata quoad speciem, sed indeterminata quoad individuum, v. g. bos ex armento, perit quoad substantiam venditori, quamdiu non est tradita.

Ratio est; quia juxta L. *Quod sæpè*. 35. ff. *De contrahenda emptione & venditione*; res indeterminata non censetur vendi absolutè, sed sub hac conditione, *si tradatur*: sicut ex eadem lege, res quæ venditur ad mensuram, numerum, aut pondus, non venditur, nisi conditionatè, *Si mensuretur*, *si numeretur*, *si ponderetur*.

Dixi: *Perit quoad substantiam*, nam deterioratio & melioratio intrinseca, aut extrinseca afficiunt emptorem; quia venditor tantùm se obligavit ad exhibendam rem talem, qualis erit tempore traditionis, & consequenter si res deterior facta est vel in se vel ob pretii decrementum ante traditionem, mensurationem &c. mala est fortuna emptoris; si è contra meliorata est vel in se vel in pretio, bona est ejus fortuna. Ex dictis

Resol. 1. Ubi venditus est acervus tritici, dolium vini, aut grex ovium ad corpus, id est sine mensuratione, aut numeratione, totum, antequam mensuretur, aut numeretur, perire emptori; quia tunc venditur res determinata: si autem venditum sit triticum, aut vinum ad mensuram, v. gr. singulo modio ad tres florenos æstimato, aut singulo poculo ad 20. asses, totum perit venditori, quia tunc non censetur res determinata, nisi per mensurationem.

Resol. 2. Si vinum venditum, ante traditionem aut mensurationem acescat, si frumentum corrodatur vermibus, si boves, aut equi fiant macilenti, si eorum pretium decrescat, idque sine culpa, aut mora venditoris, incommodum illud obvenire emptori, sicut obvenit illi commodum, si vinum fiat generosius aut carius &c.

Petes 1. An si mercator vendidisset 10. aut 12. oves indeterminatas, & grex, ex quo intendebat illas sumere pereat, teneatur ex aliis gregibus illas providere?

R. Affirm. quia cùm illa intentio non fuerit emptori manifesta, censetur se obligasse ad illas sumendas ex quolibet grege. Aliud esset, si unicum gregem haberet, aut ex hoc grege sumendas determinasset: tunc enim satisfaceret pretium reddendo.

Petes 2. An si ex grege determinato vendita esset unica ovis indeterminata, grege pereunte, periret ovis illa emptori? Affirmat Silvester volens, translatum esse vagè illius dominium in emptorem; sed probabilius est quòd non, quia tam unica, quàm plures indeterminatè venditæ, non censentur planè traditæ, nisi numerentur.

DISPUTATIO VII.

De Mutuo & Usura.

MAteriam Usuræ subjunxit Scotus contractibus permutationis, emptionis & venditionis, agens enim de mutuo ostendit illius injustitiam, quæ est ipsa usura, ad cujus cognitionem quasi unicè tendit tractatus de mutuo. Nos illi, etiam quoad ordinem, adhærentes, materiam illam (quam varii tractant, practicant plurimi, vix confitentur ulli) hic pro modulo nostro exponemus.

QUÆSTIO I.

Quid sit mutuum, & an semper obliget ad restitutionem?

CONCLUSIO I.

MUtuum (quasi ex meo tuum) est contractus in quo traditur quoad dominium & usum res consumptibilis constans numero, pondere, aut mensura cum obligatione restituendi postmodum similem in specie & qualitate.

Dicitur 1. *Contractus*, quòd est genus, per quod convenit cum omnibus aliis contractibus.

Dicitur 2. *In quo traditur*; & per hoc disconvenit a promissione, & aliis contractibus, qui non requirunt actualem rei traditionem.

Dicitur 3. *Quoad dominium & usum*; quia per mutuum res tradita, quæ mea erat, ita fit tua, ut possis de illa disponere in omnem usum, non minus ac si à 100. annis & plus illam possideres: unde potes illam vendere, donare, destruere &c. & si pereat, crescat, aut decrescat, tibi perit, crescit, & decrescit.

Dicitur 4. *Res consumptibilis*, ut vinum, oleum, frumentum, sicut & pecunia, quæ dicitur consumi respectu utentis, non quidem physicè, sed moraliter, in quantùm desinit esse ipsius eodem modo, ac si desineret esse in rerum natura. Alii loco *consumptibilis*, ponunt *fungibilis*, eò quòd ratione mutui res una substituatur pro altera, seu una fungatur vice alterius.

Dicitur 5. *Constans numero, pondere, aut mensura*: undè non omnis res consumptibilis, aut fungibilis est materia mutui, sed tantùm illa, quæ secundùm communem usum & consuetudinem datur vel ad pondus, ut carnes, vel ad mensuram, ut triticum, vel ad numerum, ut pecunia: unde quia liber, equus, arbor & similia, non solent ordinariè tradi ad pondus, numerum, aut mensuram, non reputantur materia hujus contractus.

Dicitur 6. *Cum obligatione*, & ideo differt mutuum à donatione, cùm hæc nullam obligationem justitiæ imponat donatario; illud imponat mutuatario.

Dicitur 7. *Restituendi postmodum* id est tempore præfixo, aut, si nullum præfixum est, quando rationabiliter mutuatarius à seipso, vel à mutuante interpellabitur, attenta rei mutuatæ natura; cùm aliqua plus, aliqua minùs temporis concedat mutuatario: quòd si ulteriùs differat sine præsumpta rationabiliter mutuantis voluntate, te-

ne-

netur tanquam debitor morosus ad omne interesse inde proveniens.

Dicitur 8. *Similem in specie*, & non in individuo, quia licèt possit mutuatarius eandem rem numero restituere, si non sit consumpta: ad id tamen non tenetur ex vi mutui, quod per hoc differt à commodato, precario & locato, quæ necessariò restituenda sunt eadem numero. Dicitur etiam *similem in specie*, ut excludatur permutatio, in qua res diversæ speciei commutantur, v. gr. vinum pro tritico, oleum pro panno &c.

Dicitur denique: *& qualitate*: unde non satisfacit, qui reddit vinum novum pro veteri, album pro rubro &c. nisi certè consenserit mutuans.

CONCLUSIO II.

Mutuum obligat semper, & generaliter omnem mutuatarium ad restitutionem, nisi juris privilegio excipiatur.

Ratio est; quia seclusa illa obligatione, destruitur mutuum, induitque potiùs rationem donationis.

Excipiuntur autem 1. Ecclesiæ (quarum nomine veniunt Monasteria & alia loca pia) illæ enim, nisi probaverit mutuans conversam esse pecuniam mutuatam in Ecclesiæ utilitatem, non tenentur restituere, si propterea Ecclesiæ immobilia, aut pretiosa debeant alienare, quamvis acceptum fuisset mutuum authoritate Prælati & Capituli; quia Prælato & Capitulo, & utrique simul ablata est facultas similia alienandi. Aliud esset, si mutuum posset ex mobilibus non pretiosis refundi: tunc enim urgeret restitutionis obligatio, etiamsi mutuans non probaret illud fuisse in Ecclesiæ utilitatem conversum. Colligitur ex cap. 1. *De solutionibus*. Ratio est; quia horum bonorum plenam administrationem habet Prælatus cum Capitulo.

Excipitur 2. Civitas cum iisdem limitationibus; volunt tamen aliqui Concilium civitatis (non aliquem ejus nomine) posse mutuum solvere etiam ex bonis immobilibus, eò quòd non sit prohibita civitas hujusmodi bona alienare.

Excipiuntur 3. Minores, qui non tenentur ea restituere, quæ ipsorum nomine curatores, aut tutores acceperunt, nisi probet mutuans conversa esse in Minorum utilitatem; imò si ipsimet Minores sine tutoria licentia mutuum acceperint, non tenentur restituere, nisi in quantùm ditiores facti sunt.

Excipiuntur 4. Filii & filiæ-familias per L. 1. & 2. ff. *ad Senatus-Consultum Macedon.* qui etiam, postquam facti sunt sui juris, non tenentur restituere, saltem in foro externo. Quod tamen intelligendum est cum his limitationibus. 1. Nisi habeant bona castrensia, aut quasi castrensia, aut etiam adventitia, accedente patris consensu. 2. Nisi sint ipsis bona quædam data, aut relicta eo fine, ut mutuum solvant. 3. Nisi deceptus fuisset mutuans, credens bona fide mutuatarium esse sui juris, eò quòd talis haberetur à pluribus. 4. Nisi ex tali mutuo filius emisset libros, vestes, & alia suo statui proportionata, quæ erant à patre subministranda. 5. Nisi mutuum accepisset ex jussu & consensu patris, aut ipso sciente & non contradicente. Item si solebat Pater filii debita solvere; quia tunc præsumitur illius consensus, sicut & quando mutuum convertitur in utilitatem patris. 6. Nisi mutuum factum esset in rebus à pecunia distinctis, putà, vino, tritico &c. quandoquidem lex, quæ odiosa est, adeòque restringenda, tantùm loquitur de pecunia mutuata: modò tamen secludatur fraus, quæ adesset, si ex tritico mutuato colligeretur pecunia. 7. Nisi filii sint milites, mutuumque acceperint tempore belli. 8. Nisi Pater cœperit solvere mutuum à filio acceptum, aut etiam ipse filius sui juris factus. Denique tenetur restituere, si mutuum adhuc exstet, aut ex eo factus sit ditior; quia nemo debet ex alieno ditescere.

Dixi: *Saltem in foro externo*; quia probabilius est teneri in foro conscientiæ; quandoquidem leges præfatæ negent quidem actionem mutuanti in filium familias, mutuatarium, sed contractum non irritent: quod signum est in sua virtute naturali remanere. Præterea cùm lex illa sit odiosa, utpote obligationi naturali contraria, non est extendenda, sed potiùs restringenda. Nec dicas leges præbere per hoc filiis familias causam ruinæ spiritualis; quia eo ipso quo præcisè negant actionem, & contractum, quem facilè irritare potuerunt, non irritant; satis declarant se obligationem naturalem relinquere.

QUÆSTIO II.

Quid sit usura, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Usura dupliciter sumitur. 1. Pro contractu. 2. Pro lucro ex tali contractu immediatè proveniente: quo sensu dicitur usuram esse restituendam.

Usura primo modo est contractus, quo ex vi mutui exigitur aliquid ultra sortem tanquam debitum.

Dicitur 1. *Ex vi mutui*: si enim ex alio titulo justo aliquid exigatur, aut accipiatur, putà propter lucrum cessans, aut damnum emergens, non est usura.

Dicitur 2. *Ultra sortem*, seu capitale, id est ultra id quod dedisti: unde si dedisti 100. & recipias 100. & 5. 500. sunt capitale, & 5. usura, seu fœnus.

Dicitur 3. *Aliquid*, quodcumque illud sit, sive temporale, sive spirituale, sive pretio æstimabile, sive non, modò sit onus mutuatario; & ideo imponere alicui legem ad amandum, intellige amore speciali, usurarium esse docet Cœlestinus: quod confirmare videtur Aug. Concione 3. in Psalmum 36. vers. 26. *Si fœneraveris homini, id est mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plusquam dedisti, exspectes accipere, non pecuniam solam; sed aliud plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive quodlibet aliud, si plusquam dedisti exspectes accipere, fœnerator es*. Unde quando D. Thomas usuram in aliquo pretio æstimabili constituit, tantùm vult sic ordinariè fieri, non quòd non possit quandoque in alio, consistere, v. g. in aliquo beneficio spirituali: & certè si usura est pretium aliquod ultra sortem exigese, à fortiori id exigere quod est supra omne pretium, quale est spirituale.

Dicitur 4. *Tanquam debitum*; quia si aliud accipiatur ex mera mutuatarii liberalitate, non est usurarium: si enim possim ab alio, quidni ab eo, cui beneficium præstiti, aliquid liberaliter accipere?

Non addidi: *tanquam debitum ex justitia*; quia etiam usura est, si aliquid exigatur tanquam debitum ex alio motivo, verb. gr. ex gratitudine. Patet tum ex hac propositione ab Innoc. VI. proscripta: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum*; tum etiam quia aliàs soli stupidi usuram committerent, cùm nihil sit faciliùs, quàm dicere: *dabis mihi 5. ultra sortem, non quidem ex justitia, sed tanquam ex gratitudine debitum*: unde condolendum esset sæculis anterioribus, quibus tam favorabile quorumdam casuistarum inventum fuit absconditum, per quod omnis usuræ ratio tollitur: illud sanè non noverat Augustin. supra, cùm abstrahendo à justitia & gratitudine, dixit: *si plusquam dedisti, exspectes accipere . . . . . . fœnerator es*; nec noverat Ambrosius dicens libro de Tobia caput. 14. *Quodcumque sorti accedit, usura est*. Nec noverat Concilium Agathense Decreto 2. sic loquens: *Usura est, ubi amplius requiritur quam datur*. Ex hac definitione

Resol. 1. Usurarium esse ideo mutuantem, ut alter definat à lite justa, & cedat certo juri, ne ædificium altiùs attollat, ut fenestram aliquam obturet, ut beneficium, vel officium Ecclesiasticum conferat; si ista aliunde indebita in pactum deducantur; quia mutuatario onus imponitur sine titulo. Aliud esset, si mutuaret, ut desineret mutuatarius à lite injusta, ut solveret debita &c. quia onus illud non oritur ex mutuo, sed aliunde.

Resol. 2. Te usuram committere, si ratione mutui obliges mutuatarium, ut frequentet tuam officinam, furnum, molendinum &c. merces tuas emat, etiam eodem pretio, quo deberes illas alibi vendere. Item è contra, si ipsum obliges, ut vendat tibi merces suas pretio currenti &c. Ratio est; quia etsi fortè nullum damnum inde patiatur mutuatarius, tollitur tamen ejus libertas, quod est verum onus & gravamen.

Resol. 3. Idem esse, propter eandem rationem, si mutuando obliges alterum ad remutuandum posteà, vel nunc in alia materia.

Dices 1. Mutuans, ut alter remutuet, servat æqualitatem: ergo non est usurarius.

R. N. Ant. Sicut enim ille mutuat sine obligatione justitiæ, ità (ut servet æqualitatem) non debet alteri remutuandi obligationem justitiæ imponere; aliàs plus exigit quàm dederit.

Dices 2. D. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 4. sic loquitur: *Licèt simul mutuanti unum aliquod aliud mutuum recipere,*

pere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum; ergo saltem licet mutuatarium obligare, ut remutuet nunc in alia materia.

R. N. conseq. Quia S. Doctor non vult ibi posse mutuantem alterum obligare ad nunc remutuandum in alia materia, sed posse recipere à mutuatario aliud mutuum; nempe ex gratitudine; aliàs sibi contradiceret: si enim possit obligari mutuatarius ad nunc remutuandum, quidni & obligari ad remutuandum postea? Cùm sit par ratio.

Dices 3. Possum dicere petenti mutuum: *non mutuo tibi pecuniam, nisi mihi mutues frumentum*: ergo possum illum obligare.

Res. N. conseq. quia ibi nulla reperitur obligatio, sed manifestatio quòd nolis alterum gratificare, nisi ab eo vicissim gratificeris.

CONCLUSIO II.

USura dividitur in formalem seu apertam, & in virtualem seu palliatam. Prima est, quando intervenit mutuum formale & expressum, ex quo lucrum recipitur, ut si dem 100. ut recipiam 100. & 5. Secunda est, quæ in aliis contractibus imbibitur, & ab ipsis, quasi pallio contegitur, ut dum præcisè ob anticipatam, aut dilatam solutionem aliquid de justo pretio detrahitur, aut supra justum pretium exigitur.

Dividitur etiam usura in realem & mentalem: realis est dum exteriùs contrahitur explicitè vel implicitè de lucro ultra sortem vi mutui recipiendo. Mentalis, est, qua lucrum ex mutuo intenditur tanquàm debitum licèt de eo nullum interveniat pactum. Aliter sumitur usura mentalis (de qua hic non est sermo) pro intentione mutuandi cum usura, sicut intentio fornicandi dicitur fornicatio mentalis.

Jurisperiti dividunt usuram in lucratoriam, compensatoriam, punitoriam. 1. Est de qua sola agunt Theologi, qua percipitur lucrum ex mutuo 2. Qua exigitur aliquid ultra sortem ratione justi interesse, quod patitur mutuans. 3. Qua imponitur pœna mutuatario insolvenda sorte moroso.

QUÆSTIO III.

Quo jure prohibeatur usura?

CONCLUSIO I.

USura est jure humano tam Civili, quàm Canonico prohibita: Civili quidem, quia etsi antiquum videatur usuras moderatas respectu certarum personarum admittere; illas tamen damnat & prohibet jus novum tam commune, quàm particulare: Canonico autem, ut patet ex decreto d. 47. c. 2. & decretalium. L. 5. tit. 19. *De Usuris* L. 6. decretalium; eodem titulo, & præsertim ex Clem. unica. *De Usuris.* §. ultimo, ubi legitur: *si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus velut hæreticum puniendum*.

Confirmatur utriusque juris prohibitio ex pœnis, quas in usurarios publicos statuerunt. 1. Excommunicantur Laici, suspenduntur Clerici cap. *Præterea* 7. *De Usuris* & licèt excommunicatio in usurarios publicos ex jure communi sit tantùm ferendæ sententiæ; statutis tamen Synodalibus Diœcesis Camerac. anno 1686. tit. 23. c. 1. & Tornacensis anno 1600. tit. 23. cap. 1. declaratur latæ sententiæ. 2. Privantur communione, & Ecclesiastica sepultura, decreta in Clericos contra facientes suspensionis pœna. 3. Prohibentur testamentum condere, nisi usuras restituerint, aut de earum restitutione cautionem dederint. 4. Declarantur ipso jure infames, saltem ubi excesserint modum usurarium jure antiquo civili permissum.

CONCLUSIO II.

ETiam prohibetur usura jure divino tam veteri, quàm novo: veteri siquidem vocatur *justus*, Ezechielis 18. *qui ad usuram non commodaverit*, & Psalmus 14. Dicitur habitaturus in monte Domini, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*: ergo à contrario qui pecuniam dat ad usuram est injustus, cœloque privandus; imò Ezechiel caput. 22. exponens peccata, quæ DEI iram concitarunt contra Israel: *usuram*, inquit, *& superabundantiam accepisti*. Idem patet ex Levit. 25. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram*: & Exod. 22. *Nec usuris opprimes* populum meum. In novo autem Testamento præter generalia præcepta, quibus rapina, furtum, proximi oppressio, injuria &c. prohibentur, expressè dicitur Lucæ 6. *mutuum date nihil indè sperantes*: undè Concil. Lateranense sub Alexand. III. *usuras*, inquit, *utriusque Testamenti pagina detestatur*.

Dices 1. Deuteron. 23. dicitur: *Non fænerabis fratri tuo ad usuram.... sed alieno*, & c. 21. *fænerabis gentibus*: ergo saltem in lege veteri erat licita.

Res. DEUM hoc quandoque permisisse Judæis, non vi mutui, sed via donationis, transferendo scilicèt tanquàm supremus omnium Dominus rerum dominium ab extraneis in Judæos; sicut donavit ipsis Ægyptiorum spolia, quæ commodato acceperant.

Dices 2. CHRISTUS Lucæ 19. exponit parabolam domini corripientis servum, quòd mnam suam non dederit ad usuram: ergo usuram approbat.

Res. Neg. Conseq. Tantùm enim intendit ibi CHRISTUS (factum domini narrando, non approbando) ostendere discipulis suis, quòd sicut homines terrestres cum tanta sollicitudine utuntur bonis temporalibus ad lucrum transitorium, ita & illi cum majori sollicitudine debeant uti temporalibus & spiritualibus ad lucrum æternum.

Dices 3. Illud Lucæ 6. *mutuum date nihil indè sperantes*, esse consilii, non præcepti.

Resp. Esse quidem tantùm consilii mutuum dare, saltem extra gravem necessitatem, esse tamen præcepti nihil indè sperare, ut patet ex Conc. Lateranensi sub Leone X. ubi habetur: *Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam extra sortem sperare debeamus*. Idem docet aliud Conc. Lateranense sub Alex. III. Can. *quia in omnibus* de usuris: undè D. Th. 1. 2. q. 78. art. 1. ad 4. *Dare mutuam non semper tenetur homo; & ideò quantum ad hoc ponitur inter consilia, sed quòd homo lucrum de mutuo non quærat hoc cadit sub ratione præcepti*.

CONCLUSIO III.

INsuper jure naturali prohibita est usura. Est communis & certa. 1. Quia idem bis venditur, nempè centum pro centum, & iterum idem centum pro auctario, v. g. pro 6. aut 10. 2. Quia non servatur æqualitas, cum plus accipiatur quàm detur. 3. Quia mutuans vendit quod suum non est, nempè rei mutuatæ usum-juris, qui in pecunia & aliis usu consumptibilibus, id est, vino, tritico &c. non distinguitur à dominio in mutuatarium vi mutui translato: Præterea usus pecuniæ, sicut vini, frumenti &c. non habet æstimabilitatem moralem supra valorem pecuniæ, vini &c. secundùm se. 4. Quia exceditur pretium justum, cùm non pluris valeat pecunia præsens, quàm absens, ut dicetur posteà. Hæc autem omnia repugnant naturæ rationali: undè Covarruvias refert testimonium Philosophorum gentilium, ut Aristotelis, Plauti, Catonis, Ciceronis, Aristophanis usuram tanquàm naturæ contrariam damnantium. Permiserunt quidem veteres juris-consulti certas usuras, sed vel id fecerunt ad vitationem majoris mali; vel in hoc erraverunt, sicut fecerunt quidam Theologi in mendacio.

Dices 1. Mutuans confert utilitatem mutuatario: ergo ratione illius potest aliquid requirere.

Resp. Dist. Ant. Confert utilitatem indistinctam à pecunia; C. distinctam, N. undè si cum pecunia lucretur mutuatarius, provenit ex ejus industria, non ex utilitate à pecunia distincta; sicque præter pecuniam nihil recipitur pretio æstimabile.

Dices 2. Prævalet pecunia præsens absenti, cum per primam possim negotiari, non per secundam.

Res. Prævalere non ratione sui, sed ratione lucri ex ea sperati: & ideò si fundatè expectet mutuans ex sua pecunia lucrum faciendum; potest ratione illius lucri cessantis, non ratione pecuniæ, aliquid recipere.

Dices 3. Potest aliquid recipi pro usu domus: ergo & pro usu pecuniæ.

R. Disp. esse, quòd usus domus, utpotè ab ejus dominio separabilis, sit pretio æstimabilis, non sic usus pecuniæ à pecunia indistinctus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Ex quibus titulis possit exigi aliquid ultra sortem?

VArios pro palliandis usuris adinvenit titulos insatiabilis hominum cupiditas, qui si omnes sufficerent, soli stupido & ignaro possibilis esset usura. Numerantur ergo 1. Labor in pecunia numeranda. 2. Onus mutuandi. 3. Difficultas in recuperando capitali 4. Carentia pecuniæ. 5. Obligatio non repetendi sortem, nisi post certum tempus. 6. Utilitas pecuniæ præsentis supra absentem. 7. Periculum amittendæ sortis 8. Lucrum cessans. 9. Damnum emergens. De quibus sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

Rejiciuntur sex primi tituli.

CONCLUSIO I.

L*Abor in numeranda pecunia* non est sufficiens titulus, ut aliquid recipiatur ultra sortem. Est certa.

Ratio est, quia labor ille est intrinsecus mutuo, cùm nunquàm detur mutuum pecuniarium, nisi numerata pecunia: undè mirum esset quòd leges omnes tam strictè usuram prohiberent, si titulus ille sufficeret, quandoquidem generaliter concurrat in omni mutuo pecuniario.

CONCLUSIO II.

NEc titulus est sufficiens *onus mutuandi*.

Ratio est 1. Quia onus illud, si quod sit, est actus benevolentiæ, qui non reputatur pretio æstimabilis. 2. Si actus ille sit onus mutuanti, est etiam onus mutuatario obligatio sortem restituendi, sed hic non potest pro illo onere sortem minuere; ergo nec ille pro onere mutuandi aliquid ultra sortem petere. 3. Ille qui se obligavit ad vendendum justo pretio, non potest ratione istius obligationis aliquid exigere: ergo nec à fortiori qui mutuat sine tali obligatione.

Dices 1. Obligatio remutuandi est onus pretio æstimabile, quandoquidem mutuator obligans mutuatarium ad remutuandum dicatur à S. Thoma & aliis usurarius, ergo & obligatio mutuandi.

R. N. suppositum, nempè mutuantem obligari ex justitia, sicut supponitur obligari remutuantem: & sic non datur hic paritas, cùm primus tantùm mutuet ex honestate & charitate; secundus vero remutuet ex obligatione justitiæ.

Dices 2. Ministri Montium pietatis aliquid recipiunt pro onere mutuandi: ergo.

R. N. Ant. Quod enim recipiunt, oritur ratione expensarum, quas facere debent, ut semper paratas habeant pecunias, vel aliundè, ut fusius posteà.

CONCLUSIO III.

NEc *difficultas in recuperanda sorte*; nec *carentia pecuniæ* sufficiunt ad recipiendum aliquid ultra capitale.

Ratio prioris est, quia plus exigi posset à paupere, quàm à divite, cùm ordinariè loquendo difficilior sit recuperatio sortis à primo; quàm à secundo, hoc autem est contra finem mutui ad levamen indigentium ordinati. Præterea vel difficultas illa causat tibi aliquod damnum, vel non, si non unde auctarium exigis? Si sic, aliquid exigere potes, non ratione difficultatis, sed damni emergentis.

Ratio posterioris est, quod carentia illa sit mutuo essentialis, cùm sit impossibile pecuniam mutuare, & eandem retinere.

Dices cum Caramuel: mutuans privat se recreatione videndi aurum suum, sed recreatio illa est pretio æstimabilis: ergo.

Prob. Min. Pro recreatione audiendi comœdiam, videndi bestiam, legendi fabulam datur pretium, quidni & daretur pro habendis, videndis & possidendis pretiosis auri partibus? Verba sanè speciosa, sed ita infundata ut ea retulisse, sit refutasse; nihilominus.

Resp. Neg. Min. ad Prob. dico pretium non exigi pro recreatione secundùm se, aliàs vinitor vendere posset non tantùm substantiam vini, sed etiam recreationem & lætitiam, quam confert potanti, sed pro expensis, labore, aut industria conferentium ad recreationem causandam, imò si staret objectio, quo quis esset magis circa pecuniam suam affectus, eo plus ultra sortem posset exigere, quod est avaritiam fovere, & charitatem, justitiamque destruere.

CONCLUSIO IV.

SImiliter usurarius est quintus titulus, idest *obligatio non repetendi sortem, nisi post certum tempus*, si pro eo aliquid exigatur. Est communior & verior.

Ratio est; quia obligatio illa est intrinseca & essentialis mutuo, differtque per hoc à Precario, cùm hoc sit ad nutum dantis revocabile; mutuum autem non nisi post aliquod tempus majus aut minus, juxta rei mutuatæ naturam. Præterea, seclusis aliis titulis, nihil potest exigi pro mutuo dato ad septimam, aut mensem, ut concedunt adversarii; ergo nec pro dato ad tres annos.

Prob. Conseq. Tum quia venderetur tempus, & non pecunia; tum etiam quia prolongatio illa nihil est aliud quàm continuatio mutui, adeoque sicut dans mutuum ad mensem, & mense translacto, pretioque soluto, iterum dat ad mensem, & sic semper per duos, aut tres annos, nihil potest ratione temporis exigere, ita nec dans ad tres annos simul, cùm sit par ratio: unde damnata est hæc propositio ab Alex. VII. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Dices 1. Nihil exigitur pro carentia pecuniæ tanto vel tanto tempore, sed pro obligatione carendi, quæ est pretio æstimabilis.

R. Hanc obligationem nullam habere æstimabilitatem, nisi ratione rei ad quam quis se obligat, & consequenter si res illa non sit æstimabilis, ita nec obligatio illam respiciens.

Dices 2. Mutuans ad tres annos facit id, ad quod non tenetur, cùm ultro se privet jure & libertate sortem repetendi ante illud tempus.

R. Jus & libertatem illam nullius esse valoris, prout seorsim à mutuo consideratur, quandoquidem sive habeam pecuniam in arca, sive inter manus mutuatarii, sit omninò idem, si secludatur omne damnum, & interesse, ut hic supponimus.

CONCLUSIO V.

NEc etiam *utilitas pecuniæ præsentis supra absentem* fundamentum est sufficiens ut aliquid exigatur ultra sortem.

Ratio est; quia falsò supponitur utiliorem aut pretiosiorem esse pecuniam præsentem, quàm absentem; numeratam, quàm numerandam, si supponatur, nullum ex mutuata pecunia emergere damnum, nec cessare lucrum mutuanti; unde proscripsit hanc propositionem Innoc. XI. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Prætereà si sit præsens & numerata pecunia mutuantis, etiam erit præsens & numerata pecunia mutuatarii, cùm fiet restitutio, sicque servabitur æqualitas.

Dices 1. Potest quis lucrari cùm pecunia præsente, & numerata, qui non potest cum absente & numeranda.

Resp. Dist. Assumpt. Potest ratione suæ industriæ, C. ratione pecuniæ præcisè; N. illa enim secundùm se nec utilis est, nec fructifera.

Inst. Si industriosus pecuniam non habeat, nihil lucrabitur, si habeat, lucrabitur: ergo ratione pecuniæ.

Resp. Dist. Conseq. Ratione pecuniæ ad lucrum ordinatæ: C. non ordinatæ; N. ita ut non pecunia, sed spes lucri ex ea sperati faciat pecuniam numeratam utiliorem: cùm autem spes illa lucri non sit in mutuante (utpotè qui pecuniam suam ad lucrum non destinavit, ut supponitur) sed in mutuatario, sequitur mutuantem nihil propterea posse exigere.

Dices 2. Qui dat alteri pecuniam ad ostentationem, potest aliquid exigere: ergo à fortiori qui dat ad lucrum.

R. Dissimulato antecedente, Neg. Conseq Disparitas est, quòd in 1. pecunia sit tantùm commodata; adeoque non transferatur illius dominium, in 2. autem sit mutuata, adeoque & dominium translatum.

Dices 3. Multi mallent pecuniam mutuare ad annum, quàm pro altero fidejubere ad tale tempus; sed pro tali fidejussione licèt aliquid exigere, ergo & pro tali mutuatione.

R. Min. Esse veram, ubi adsunt tituli extrinseci, aliàs non, in mutuo autem illo nullus reperitur.

ARTICULUS II.

An propter periculum amittendæ Sortis possit aliquid exigi aut recipi?

SUppono 1. Ut colligi potest ex innumeris Scripturæ textibus, Mutuum fuisse à Deo ordinatum ad sublevamen pauperum, quibus ideò toties ad minimum tenemur mutuare, quoties eis per eleemosynam tenemur succurrere.

Suppono 2. Duplex distingui periculum in mutuo; Intrinsecum unum sive Generale, Extrinsecum alterum sive particulare. Primum est quod ordinariè comitatur mutuum, saltem spectatum secundùm finem, secundùm quem fuit à Deo ordinatum, ut quòd mutuatarius sit pauper, vel, si sit dives, quòd ejus bona exponantur periculo incendii, ruinæ, devastationis. Secundum est quod separabile est à mutuo, v.g. quòd pecunia detur litigioso, prodigo, naviganti in mari periculoso, deferenti merces per hostium castra, aut illas gabellariis non denuncianti.

Suppono 3. Mutuantem posse vel suscipere in se periculum jacturæ Sortis, ita ut illa pereunte nihil possit repetere; vel illud mutuatario relinquere, ita ut illa pereunte debeat aliunde restitutio fieri mutuanti. His suppositis

CONCLUSIO I.

NOn licet quidquam exigere ultra sortem ratione periculi intrinseci amittendæ Sortis.

Ratio est: 1. Quia periculum illud est physicè, aut moraliter à mutuo inseparabile. 2. Quia plus liceret exigere à pauperibus, quàm à divitibus, imò plus ab extremè indigentibus; quàm à pauperibus communibus; hoc autem evidenter repugnat Scripturæ sacræ. Exodi 22. Ubi dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi..... non urgebis eum quasi exactor, nec Usuris opprimes* & Deuter. 23. *Fratri tuo absque Usura id quo indiget, commodabis*. Idem habetur Levitici 24. & Ezechielis 22. 3. Quia si hoc esset, nulla fieri posset usura: vel enim mutuatarius est pauper, & est periculum ratione inopiæ, vel est nobilis, & est periculum, ne ejus bona propter crimen fortè patrandum fisco tradantur; vel mercator, & potest omnia in naufragio perdere, vel est vidua, aut domicella, & fieri potest impotens ex incendio, aut alio infortunio.

Dices 1. Periculum ratione inopiæ mutuatarii non est mutuo intrinsecùm, cùm possit esse dives.

R. Dist. Ant. Non est intrinsecum mutuo secundum se spectato; transeat: prout à Deo in pauperum sublevamen ordinato; N.

Dices 2. Potest auferri periculum in mutuo per fidejussorem, aut pignus: ergo.

R. Ordinariè eos, qui coguntur ob inopiam mutuum accipere, non posse fidejussorem, aut pignus præbere, qui autem possunt, in illis communiter periculum est remotum, & tenue, & consequenter etiamsi non præbeant, nihil potest propter periculum, utpotè moraliter nullum, ultra Sortem exigi.

CONCLUSIO II.

QUamvis ratione periculi extrinseci, seu particularis amittendæ Sortis, fortè possit, speculativè loquendo, aliquid ultra sortem exigi, aut recipi, ubi periculum apparet verum, morale, & fundatum; Nunquam tamen aut rarò in praxi aliquid exigitur aut recipitur ultra sortem ratione periculi extrinseci, quin committatur usura.

Ratio est, quia vix unquam servantur conditiones auctarium purificantes. 1. enim requiritur, ut absit intentio lucrandi ex mutuo, quia aliàs, etiam secluso pacto, erit usura mentalis. 2. Debet periculum esse verum, morale, & nullatenus fictum. 3. Debet mutuatarius fide-jussorem, aut pignus non dedisse, vel non obtulisse. 4. Debet haberi ratio periculi, ita ut plus aut minus requiratur, prout majus vel minus fuerit periculum. 5. Non debet mutuans ratione periculi plus exigere, quàm pro tali periculo vellet alteri dare; atqui ferè nunquam reperiuntur illa in mutuantibus ergo.

Prob. min. 1. Enim ita sunt mutuantes ad lucrum avidi; ut nisi lucrum sperarent, mutuum non darent. 2. Quia ubi verum periculum apprehendunt, nolunt mutuare. 3. Quandoque fidejussorem, aut pignus recusant, ut sic obligetur mutuatarius aliquid pro periculo solvere, quod est onus ipsi imponere, adeoque usurarium. 4. Non distinguunt inter qualitatem periculi; sed tantum volunt habere ab uno, quantum ab altero. Denique non vellent ipsi alteri dare pro tali periculo quod ab aliis postulant, potiusque auctarium exigunt quia mutuant, quàm quia periculum subeunt. Ex his facilè colligere., est quàm sit rarum & extraordinarium sine usura aliquid ratione periculi exigere, aut recipere, quandoquidem sufficiat ad usuram ut desit vel unica ex conditionibus allegatis, & sæpè deficiant omnes. Hoc tamen videtur ab omni usura purgatum, quando mutuarius ipsemet nolens periculum in se suscipere, rogat mutuantem, ut totum, vel partem in se suscipiat, ac postea juxta periculi quantitatem inter se paciscuntur.

Dices, quotidiè exigitur sine scrupulo pro assecuratione, ratione periculi, quidni & pro mutuatione ratione ejusdem?

R. Disparitatem esse, quòd assecuratores in se suscipiant periculum rei alienæ, quod onus cùm sit pretio æstimabile, meritò ratione illius pretium exigunt; mutuantes verò onus illud non suscipiunt; quandoquidem, etiam re destructa, retineant actionem in mutuatarium. Ferè idem objici posset de fidejussione, sed solutio patebit inferius: ubi de eadem ex professo tractabitur.

ARTICULUS III.

An sit licitum aliquid ultra Sortem accipere ratione lucri cessantis?

CONCLUSIO UNICA.

LIcèt ratione lucri cessantis aliquid ultra sortem exigere & recipere, si adsint modificationes posteà recensendæ.

Ratio est; 1. Quia illud licet ratione damni emergentis, ut dicemus infra; sed ubi reperitur lucrum cessans, reperitur & damnum emergens: ergo. Prob. Min. quia non solus ille damnum patitur qui perdit ea, quæ actu possidet; sed etiam qui perdit ea, quæ erat verosimiliter possessurus per lucrum, vel aliundè; & certè parum refert, an perdas 100. nummos, vel ab eorum consecutione impediaris. 2. Lucrum fundatè speratum est pretio æstimabile, adeoque vendibile. 3. Quia non est justum, ut alteri præstans beneficium, lucro honesto & licito privetur.

Dixi: *Si adsint modificationes* &c. 1. Enim lucrum illud debet esse verosimiliter eventurum & prudenter expectatum, ita ut occasio lucrandi sit moraliter præsens: unde non sufficit lucrum tantum possibile. 2. Debet pecunia esse lucro proximè destinata, v.g. negotiationi, censui annuo emendo, domui, villæ, agro &c sibi prima occasione comparandis. 3. Requiritur ut mutuans non habeat aliam pecuniam mutuo dandam, præter eam quæ lucro destinata est: nam si aliam habeat, non cessabit ipsi ex mutuo lucrum, cùm possit ex aliis pecuniis idem lucrum facere: excipe tamen nisi aliam pecuniam ex justa causa reservaret, v.g. ut proles jam nuptiis maturas honesto matrimonio collocaret. 4. In venditione lucri sperati deducendæ sunt expensæ, pericula &c. cùm minoris valeat lucrum speratum; quàm de facto acquisitum. 5. Debet mutuatarius spontaneè consentire in compensationem lucri cessantis, & quidem ab initio: unde si in mutuatione nulla facta sit mentio lucri cessantis, nihil pro eo potest exigi; quia censetur mutuans illud condonasse. 6. non debet recipi auctarium ante sortem, aliàs non mutuares 100. v.g. sed 90. si ab initio reciperes 10. ratione lucri cessantis; & sic non servares æqualitatem, cùm minus lucrum speres ex 90. quam ex 100. Denique (quod serio advertendum est, & mutuantibus inculcandum) fieri debet mutuatio ex animo Charitatis, Benevolentiæ, aut Honestatis, non autem ex animo avaritiæ, & ut lucrum sit majus, aut commodius, aliàs convincitur mutuans exigere auctarium magis ratione mutui, quàm lucri cessantis, undè sic debet esse dispositus mutuans, ut mallet pecuniam suam commercio, emptioni &c. applicare, quàm mutuo tradere, nisi mutuatario vellet benefacere, ità ut motivum mutuandi non sit lucrum, sed proximo succurrere, benefacere &c. & ideò D. Thomas opusc. 73. de usuris cap. 6. *In mutuis vitium usuræ annexum est, ex eo quòd fiant spe lucri*.

Dices 1 D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad primum. Postquam docuit licere aliud exigere ratione damni emergentis: subdit: *Recompensationem verò damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod nondum habet*.

R. S. Doctorem nihil aliud velle, quàm quòd lucrum speratum non possit in pactum deduci eodem pretio, quasi esset jam obtentum, cùm hoc magis valeat, quàm illud; & consequenter quòd sint deducendæ expensæ; non autem quòd nullatenus possit in pactum deduci, aliàs sibi contradiceret, quandoquidem ibid. qu. 62. art. 4. in O. dicat: si quis *damnificet aliquem impe-*

impediendo, ut adipiſcatur quod erat in via habendi.... tenetur aliquam compenſationem facere ſecundùm conditionem perſonarum, & negotiorum.

Dices 2. Si admittatur titulus ille, nulla erit uſura; quandoquidem hoc tempore ſemper ſit lucrum ceſſans reſpectu habentis pecuniam, cùm poſſit lucrari emendo cenſum.

R. Neg. Aſſ. & dico, non ſufficere ad lucrum ceſſans, quòd quis habeat pecuniam, ſed debere eſſe ad lucrum expreſsè deſtinatam, ut antea diximus.

Inſtabis: Rogatus ut tradat mutuum, poterit intra ſemetipſum dicere: volo cum hac pecunia emere cenſum, & poſteà mutuando aliquid exigere, ratione lucri ceſſantis.

Reſp. Fraudem & dolum nemini patrocinari; & conſequenter ſi antea non cogitaverit de lucro ex pecunia faciendo, cenſetur voluntas illa ſubitanea eſſe fictitia & falſa, & quam non haberet, niſi hoc ſtratagemate lucrum ſperaret. Ex dictis

Reſol. 1. Mutuantem alteri triticum ad ſeminationem deſtinatum, poſſe aliquid exigere proportionatè ad ſpem fructuum, deductis expenſis, laboribus &c. Idem dic de opifice mutuante inſtrumentum ſuæ artis, ſi aliud non habeat, quo laboret.

Reſol. 2. Nihil poſſe exigi pro lucro per contractum illicitum obtinendo, v. g. ex cambiis ſiccis & fictis; cùm illud non ſit verum lucrum, ſed furtum.

Reſol. 3. Viduas, ancillas &c. habentes pecunias in arca dormientes, non poſſe ſub prætextu cujuſdam lucri fictitii aliquid exigere ultra capitale, ſi Hero, aut aliis mutuaverint.

ARTICULUS IV.

An damnum emergens ſit titulus ſufficiens, ut auctarium exigatur?

Dicitur *damnum emergens*, detrimentum illud, quod patitur mutuans ratione mutui, v. g. quòd debeat poſteà vitæ & familiæ neceſſaria cariùs emere, quòd debeat ædificii reparationem negligere, unde oritur illius ruina, &c.

CONCLUSIO I.

Poteſt mutuans exigere aliquid ultra ſortem ratione damni emergentis, ubi hoc in pactum deducitur, ſive interim exſpectetur donec damnum emerſerit, ſive antea conveniatur de pretio pro omni damno, quod poterit advenire; modò tamen modificationes pro lucro ceſſante aſſignatæ hic quoque cum proportione applicentur.

Ratio eſt; quia non venditur mutuum, ſed mutui jactura, quàm non tenetur pati mutuans alteri benefaciendo. Prætereà ſi ut alteri mutuarem, deberem expenſas facere, deberet mutuatarius ille ſolvere, ut certum eſt: ergo & damnum quod patior ratione mutui. Cavendum tamen ne auctarium recipiatur ex animo lucrandi, ſed animo in ſe indemnem reddendi; quia tollitur injuſtitia uſuræ, quando *non ſpe lucri accipitur, ſed pro compenſatione damni*, inquit D. Thomas Opuſc. 73. de Uſuris cap. 7.

Dices: huic ſententiæ contrarium eſſe Scotum; quandoquidem 4. d. 15. q. 2. n. 26. expreſsè dicat: *Si non vult damnificari*, intellige mutuans, *pecuniam ſibi neceſſariam reſervet; quia nullus eum neceſſitat ad faciendam miſericordiam proximo: ſed ſi vult miſericordiam facere, neceſſitatur ex lege divina, ut non faciat eam vitiatam.*

R. Hanc eſſe Doctoris mentem, quòd nihil poſſit mutuans exigere ratione damni mutuo intrinſeci, vel potiùs ratione damni tantùm apparentis, quod mutuator, pecuniarum avidus, timet, ne vel ex pecuniarum carentia, vel ex periculis mutuo ordinariis ſibi immineat; non autem ratione damni extrinſeci, aliàs ſibi contradiceret, cùm n. 18. dicat: *Debitor, cujus non ſolutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de juſtitia ſatisfacere creditori de intereſſe.* Ex quo ſequitur, ſi teneatur debitor moroſus, quia damnum intulit, quòd etiam poſſit obligari mutuatarius, qui eſſet damnum illaturus ratione mutui à ſe recepti.

CONCLUSIO II.

Ubi mutuans ratione damni emergentis nihil exigit in mutuatione, nihil poteſt poſteà exigere, etiamſi damnum de facto evenerit, ſi tempore præfixo mutuum reſtituatur: aliud eſſet, ſi mutuatarius eſſet in mora culpabilis.

Ratio prioris eſt, quòd cenſeatur mutuator nullam de compenſatione damni mentionem faciens, juri ſuo cedere, ideòque nec mutuatarium obligare, qui ideò non ex juſtitia, ſed ad ſummum ex congruo debet illud reſarcire. Accedit, quod ſi de damno emergente, aut ejuſdem periculo feciſſe mutuator, facilè noluiſſet mutuatarius cum tanto onere mutuum accipere.

Ratio poſterioris eſt, quòd, ut inquit Maſtrius, quando in contractibus terminus ad ſolvendum præfigitur, tacitè cenſetur pactum initum, ut qui non ſolverit intra illum terminum, teneatur ad intereſſe ex defectu ſolutionis proveniens; unde Scotus ſupra loquens de eo, qui ſolutionem diſtulit, ſic ait: *Licèt ille creditor non poſſet habere contra eum actionem in foro exteriori, utpote quia non ſunt pacta, vel juramenta, tamen in foro conſcientiæ debitor tenetur ultra ſortem ad intereſſe.* Debet tamen damnum illud præcisè ratione mutui emerſiſſe, ſeu quia mutuator caruit ſua pecunia, cum qua damno illato obviaſſet, & ideò ſi per aliam pecuniam, aut aliunde potuit damnum impedire, non cenſetur vi mutui non reſtituti eveniſſe.

ARTICULUS V.

An pœna appoſita mutuatario ſuo tempore non reſtituenti licitè poſſit exigi ultra ſortem?

Senſus quæſtionis eſt, an quando Petrus v. gr. mutuat Paulo cum obligatione reddendi ſortem intra annum, imponitque onus reddendi 5. aut 6. ſupra capitale, ſi ulteriùs differat ſolutionem, poſſit Petrus tuta conſcientia pœnam illam conventionalem exigere, ſi Paulus fiat redditor moroſus.

CONCLUSIO UNICA.

Licitum eſt pœnam præfatam exigere, ubi adſunt certæ conditiones. Ità Scotus ſupra, littera O. Div. Antoninus, Soto, Malderus, Genettus, & alii, contra Van Roy & quoſdam alios.

Prob. 1. Ex Innoc. IV. in caput *Suam*. De Pœnis: *Notandum*, inquit, *pœnam impoſitam ex conventione partium, licere exigere, dummodo intentio ſit recta, ſcilicet ut pareatur placitis, & non ad uſuras, vel lucrum: ſed ſecus eſſet, ſi pœna eſſet appoſita in fraudem uſurarum.*

Prob. 2. Quia jus tam naturale, quàm civile permittit, ut poſſint homines privati ſeſe invicem pœnis conventionalibus obligare, ut ſic tum à contractu adimplendo, tum à ſolutione facienda tollatur omnis pigritia & moroſitas culpabilis. L. *Si pacto* 14. Cod. *De pactis*.

Dixi: *Ubi adſunt certæ conditiones*. 1. Eſt, ut pœna ſit omninò libera & acceptata ex parte mutuatarii; quia poſſunt quidem Superiores imponere pœnam ſubdito invito, privati tamen non poſſunt, niſi conſentienti & volenti. 2. Ut pœna non apponatur in fraudem uſurarum: quod cenſetur fieri, quando quis videns non poſſe ob mutuum lucrum exigere, utitur pœnæ prætextu ad palliandum lucrum: ut autem ſcias quando pœna conventionalis apponatur in fraudem uſuræ, vel non, hanc regulam tibi tradit Scotus ſup. his verbis: *Signum quando* pœna *non eſt in fraudem uſurarum, eſt illud: quando mercator magis vellet pecuniam ſibi ſolvi die præfixo, quàm in craſtino cum pœna adjecta ſibi: & per oppoſitum, eſt in fraudem, quando vult diem transferri potiùs, quàm pecuniam ipſo die ſolvi:* tunc enim ſignum eſſet pœnam illam in fraudem uſuræ appoſitam eſſe, ac proinde uſuram eſſe palliatam. 3. Ut pœna ſit moderata; quia exceſſivam reprobat Caput *ſignificante 7. De Pignoribus* 4. Ut mora ſit culpabilis & notabilis: *culpabilis* quidem; quia niſi ob culpam, non imponitur pœna; & ideò ſi quis factus ſit ad ſolvendum impotens ſine ſua culpa v. g. ex naufragio, incendio, &c. non debet pœnam ſolvere. *Notabilis* verò; quia cùm dilatio unius aut alterius diei ſit modica, & quaſi nulla reputetur, non eſſet pœna culpæ proportionata, ſi ob dilationem illam pœna gravis imponeretur. 5. Ut qui deficit tantùm in media parte ſolutionis, tantùm ſubeat medietatem pœnæ.

Dices 1. Contra concluſionem, culpas punire judicum eſt, non privatorum: ergo.

R. Hoc eſſe verum, ſecluſo mutuo privatorum conſenſu: non autem illo ſuppoſito, quandoquidem nullibi auferatur à privatis facultas pœnas moderatas ſibi mutuo apponendi.

Dices 2. Mutuatarius non niſi coactè in pœnam illam conſentit; quia nempè non poteſt aliundè mutuum habere, ſicque neceſſitati ſuæ providere.

R. Quòd, etſi non rarò id accidere poſſit; contrarium tamen poteſt evenire; ut ſupponit non tantum Gloſſa & Innoc. IV. in caput *Suam*, citatum, ſed etiam jus civile, & Eccleſiaſticum variis locis pro ſimilibus materiis, undè mutuatarii conſenſus & ſpontaneitas colligi debet ex circumſtantiis.

CONCLUSIO I.

MOntespietatis primi & secundi generis non sunt usurarii.

Prob. de primis; quia modicum, quod in illis recipitur ultra sortem, non datur vi mutui, sed pro ministrorum sustentatione, qui non tenentur gratis laborare, pignora recipiendo, registrando, custodiendo, reddendo &c. undè Montes illos à Paulo II. Sixto IV. Innoc. VIII. & Alexandro VI. approbatos, confirmavit Leo X. in Conc. Lateran. tanquàm pietatis, & misericordiæ exercitia, propositis Indulgentiis fidelibus, qui ad eorum erectionem suis eleemosynis concurrerent, & è contra Lata Excommunicationis sententia in eos, qui contra prædicare, seu disputare verbo, vel scriptis ausi fuerint. Accedit quod Trident. sess. 22. cap. 8. 9. & 10. enumerans loca pia ab Episcopis visitanda comprehendat Montespietatis: ergo supponit esse justos & licitos.

Prob. de secundis, quia neque in illis aliquid exigitur ultra sortem ratione mutui; sed & justo titulo, nempè ad Montium conservationem, administrationem, exonerationem. Prætereà licitum est, & ab Usura immune, in Montibus primi generis, aliquid exigere pro ministrorum laboritio & sustentatione, quidni & quando exigitur in Montibus secundi generis aliquid pro censuum solutione; Montium reparatione &c. Quandoquidem hæc omnia æquè fiant in mutuatariorum utilitatem & commoditatem, quàm ministrorum labor & vigilantia. Accedit, quòd hi montes fuerint erecti ex consensu & consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, multorumque Belgii Theologorum, qui omnes, re attentè examinata & in statera Domini librata judicarunt non esse usurarios, sed è contra Usurarum destructivos; quandoquidem ante illorum erectionem, ob usuras hominum improbitate extortas, nonnullorum substantia brevissimo tempore devoraretur.

Multa in nostram sententiam obtrudunt adversarii, volentes Montes illos non esse pietatis, sed usurariæ impietatis; sed cùm jam ex omnium timoratorum consensu, praxi & opinione cessaverit circa hoc in nostro Belgio omnis scrupulus, inutile credimus quoad praxim, objectionibus illis respondere, si qui tamen majorem requirant satisfactionem, consulere possunt Wiggers Tract. 5. de Contractibus, dub. 3. ubi objectiones illas fusè refert, prosequitur, & solvit.

CONCLUSIO II.

ETiam ab usura videntur immunes Lombardi, modò servent ad amussim principium, aut magistratuum edicta, non excedant pretium taxatum, nec plus recipiant, quàm sit detrimentum, quod patiuntur ratione lucri verè & realiter cessantis.

Ratio est, quia lucrum cessans (ratione cujus præcisè, aliquid recipiunt ultra Montespietatis) est titulus sufficiens, ut anteà diximus, ad purificandum ab usura auctarium.

DISPUTATIO IX.

De Cambio, contractu Societatis, & Censibus.

QUÆSTIO I.

Quid Cambium, quotuplex, & an liceat ars Campsoria?

CAmbium idem est quod permutatio: undè cambire nihil est aliud quàm unum cum alio permutare, quodcunque illud sit: hic tamen strictius sumitur, nempè pro permutatione pecuniæ cum pecunia, & ars contractum illum exercendi dicitur *Campsoria*, dans pecuniam *Campsor* & recipiens *Campsorius*.

CONCLUSIO I.

CAmbium est contractus commutationis pecuniæ pro pecunia cum lucro Campsoris.

Differt 1. Ab emptione & Venditione, quod in illis fiat permutatio non pecuniæ cum pecunia, sed pecuniæ pro merce. Differt. 2. à Deposito, quod in hoc non transferatur rei dominium, sicut in Cambio, debeatque in Deposito restitui eadem res numero, in Cambio autem reddatur alia; vel si eadem, alio loco. Differt, à mutuo, quòd non potest fieri ex intentione lucri, nec fit in solis pecuniis sicut Cambium: undè Cambium refertur ad contractum innominatum, *do ut des*.

CONCLUSIO II.

DIviditur Cambium in fictum & Reale. Fictum (quod & Siccum dicitur, eo quòd careat humore, seu vero titulo ad fructum recipiendum) est quod apparentem Cambii imaginem præfert, in se tamen nihil est aliud, quàm mutuum palliatum, cum nec dentur pecuniæ præsentes pro præsentibus, nec præsentes pro distantibus, sed detur pecunia præsens recipienda posteà cum lucro sine ullo titulo; quod Cambium tanquam usurarium damnavit S. Pius V. in Bulla 118. quæ incipit. *In eam pro nostro*: quod & fecit S. Carolus in primo Concil. Mediol. *ne fiant Cambia, cùm litteræ ad destinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed uno & eodem loco pecunia datur, & recipitur*.

Cambium reale seu verum est illud, in quo reverà pecunia præsens cum præsenti, vel præsens cum distanti permutatur.

Subdividitur hoc Cambium in Minutum, Locale, & Temporale. Minutum (aliter Manuale, eo quòd fiat de manu in manum) est contractus, quo in eodem loco majoris valoris pecunia mutatur cum alia minoris valoris, aut è contra; v.g. nummi aurei pro pataconibus, patacones pro schelingis &c.

Locale (quod & dicitur Cambium per litteras) est mutatio pecuniæ præsentis cum distanti; quod fieri potest dupliciter, 1. quando Campsor dat pecuniam Insulis v.g. ut eam à campsario, vel ejus procuratore Lugduni recipiat. 2. quando campsarius numerat insulis pecuniam, ut eam per se vel per alium recipiat à campsore Lugduni.

Cambium temporale, idest ad certum diem seu terminum constitutum, est illud, quo datur pecunia hodie, v.g. 100. aurei, ut recipiantur 100. & duo, aut tres intra 4. aut 5. menses: quod practicari dicitur Parisiis & Lugduni à mercatoribus. Hoc cambium dicitur ab aliquibus Francofurtense, eo quòd Francofurti sint nundinæ bis in anno, & in primis nundinis, quæ fiunt in Paschate, detur quandoque pecunia ut recipiatur cum lucro in secundis nundinis, quæ fiunt in mense Septembri.

CONCLUSIO III.

LIcita est ars campsoria. Patet ex universali mercatorum praxi ubique recepta, idque confirmat D. Th. Opusc. 73. *De usuris* cap. 13. „ Dicendum (inquit) quod ars campsoria
„ de se est justa .... & est ratio, quia illud plus quod accipitur
„ à campsoribus in tali permutatione monetæ, non accipi-
„ tur ratione pecuniæ, quæ de se est invendibilis, sed ratio-
„ ne periculi, vel interesse, ut subveniatur salariis pensio-
„ num, domorum ministrorumque, & laboribus & ex-
„ pensis in arte necessaria & licita, ne frustrà ponant ope-
„ ram & sudorem suum in re licita, ad utilitatem aliorum.
„ Hæc ille.

Accedit quod utile sit, imò & necessarium Reipublicæ ut sint campsores; quandoquidem vix aliter possit satisfieri necessitatibus eorum, qui ad provincias remotas proficisci coguntur.

Dices: Christus ejecit nummularios, seu campsores de templo: ergo est illicita ars illa.

Resp. neg. conseq. Illos enim ejecit, non quia illicita faciebant, sed quia licita in loco illicito, nempè in templo, quod non commerciis sæcularibus, sed Officiis Divinis celebrandis destinatum est.

QUÆSTIO II.

An in Cambio minuto, locali & temporali liceat aliquid lucrari?

CONCLUSIO I.

POtest licitè campsor, sive talis ex officio, sive non aliquid lucrari in cambio minuto, modò absit fraus, intercedat verum cambium.

Prob. de campsore ex officio; quia non potest quis sine expensis, labore, industria comparare sibi omnis generis monetas, ut satisfaciat quibuslibet indigentibus, quorum aliqui requirunt leviores ad transportandum, alii minutiores ad necessaria emendum, alii species particulares proportionatè ad loca, in quæ tendunt &c. Potest autem tale lucrum exigere, quale justum reputatur inter campsores timoratos, vel quod à viris prudentibus, vel à Republica (quod minùs periculosum est) fuit taxatum.

Prob. De campsore particulari, seu de eo, qui non est talis ex officio; quia potest habere justum titulum, v.g. lucrum cessans, aut damnum emergens, ut si statuerat aureos suos aliò transferre, ubi sunt majoris valoris; sed tunc deducenda sunt

pericula & expensa. Hic etiam spectari potest valor monetæ intrinsecus; ut, si aurum sit purius. Item major ipsius commoditas in transportando, numerando, conservando &c. sicut & quòd currat in uno Regno, & non alio &c. quæ omnia simul sumpta videntur aliquo pretio æstimabilia.

Dices 1. Non pluris valent 100. floreni in moneta aurea, quàm in moneta ænea: ergo si commutentur, non licet ideò aliquid accipere.

Resp. dist. ant. Non pluris valent in emptionibus, & venditionibus, C. quia in illis attenditur præcisè valor legalis, seu prout à lege taxatus est. In commutationibus pecuniæ cum pecunia, N. quia tunc etiam attenditur ipsius valor naturalis, qui desumitur ex majori monetæ puritate, utilitate, commoditate, in aliquibus locis acceptatione, & aliquàndo ex antiquitate.

Dices 2. Non obstantibus illis commoditatibus & utilitatibus pecuniæ naturalibus, taxavit Princeps monetam ad tantum valorem: ergo servari debet in omni contractu.

Resp. dist. ant. Non obstantibus &c. taxavit monetam ad tantum valorem, quatenus est pretium rerum venalium, Conc. quatenus est res quædam pretiosa ad negotiandum commodior, ad transportandum facilior &c. N. unde in taxatione pecuniæ attendit præcisè ad usum ipsius principalem, seu ad eum, quem habet ut est pecunia, qui est, ut sit mensura rerum venalium; non autem ad alium usum, qui ipsi competit, ut est res ex tali materia & forma.

Dices 3. Si suam utilitatem habeat pecunia aurea, eo quòd sit commodior ad transportationem &c. etiam suam habet cuprea ad usus quotidianos, seu ad emptionem minutiorum: ergo in Cambio nihil debet recipi, cùm utilitas unius compenset utilitatem ulterius.

Resp. In certis circunstantiis monetam minutiorem non tantùm æquivalere, sed etiam prævalere monetæ nobiliori, quod non repugnat resolutioni nostræ, cùm non dicamus semper præferendam esse nobiliorem ignobiliori, sed aliquando illam huic, aliquando hanc illi, secundùm diversas occurrentias; ad quas campsor prudens & timoratus debet attendere.

Dices 4. Res non est carior, quia utilior emptori: ergo.

R. Dist. ant. Quia utilior utilitate proveniente ex parte emptoris, C. illa enim utilitas seu commoditas nullatenùs pertinet ad venditorem. Quia utilior utilitate proveniente ex re empta, N. hæc enim sicut res ipsa, est venditoris, unde quando D. Th. 2.2. q.77. art.1. O. dicit, *si aliquis multùm juvetur ex re alterius, quam accipit*, venditor *non debet tam supervendere*, loquitur de 1. utilitate, non de 2. ut patet ex sequentibus.

Dices 5. Sicut 15. libræ Flandricæ in auro æquivalent dolio vini, ita 15. libræ in argento: ergo etiam æquivalent inter se; quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

R. N. Conseq. Quia sunt tantum eadem respectu vini secundum valorem legalem, eo quod in re vendibili solus valor attendatur: ut autem inter se considerantur, etiam attenditur valor naturalis, qui cum aliquando sit major in uno, quàm in altero, hinc fit quòd unum pluris valeat, quam aliud.

CONCLUSIO II.

POtest etiam campsor ex cambio locali lucrum facere, sive interim hic numeret pecuniam alibi recipiendam, sive è contra recipiat alibi numerandam.

Prob. 1. Ex Bulla Pii V. citata, ubi, rejectis cambis Siccis, approbat Realia tanquam Reipublicæ utilia & necessaria.

Prob. 2. Ex omnium mercatorum praxi & consensu; qui unanimiter modum illum cambiendi cum lucro, recipiunt & practicant, nullo reclamante.

Prob. 3. Quia beneficium transportandi formaliter, aut virtualiter pecuniam de loco in locum v. g. hinc Parisios, aut Parisiis huc in gratiam Campsarii, est pretio æstimabile, cùm per hoc eximatur Campsarius à periculis, expensis & laboribus, quæ deberet pro transportatione subire. Censetur autem transportatio esse formalis, cùm de facto pecunia hic numerata debet portari Parisios, ut ibidem Campsario, aut ejus correspondenti numeretur: virtualis verò cùm campsor habet Parisiis correspondentem, qui pecuniam hic numeratam ibidem refundat, sed minùs debet recipi, quàm in transportatione reali, eo quòd minùs subsit molestiæ & periculi.

Dices 1. Ubi transportatio solùm est virtualis, præcisè datur mutuum in uno loco reddendum in alio.

Resp. Neg. ass. Quia ulteriùs eximitur Campsarius per artem, industriam, litteras, & correspondentes Campsoris ab oneribus & periculis in transferenda pecunia subeundis: quod est pretio æstimabile.

Dices 2. Quando campsor dat prior pecuniam campsario eam alibi recepturus, nulla fit transportatio pecuniæ campsarii, cùm eam necdùm receperit campsor.

Resp. Fieri æquivalenter: acceptat enim campsor pecuniam campsarii alibi existentem, & posteà huc quasi transmissam eandem hic numerat campsario.

Dices 3. Saltem nihil potest recipi quando cambium cedit in utilitatem campsoris, v. g. quando est ipsi utilius, aut æquè utile habere pecuniam hic quàm Romæ, aut Romæ, quàm hic.

Resp. Neg. ass. Hoc enim bonæ ejus fortunæ, arti, & industriæ imputandum est: & certè, si possit nuntius tuta conscientia exigere pretium, quod erat recepturus, ut hinc DunKerKam pecuniam transferret, etiamsi reperiat hic aliquem, qui in se suscipiat onus illam numerandi DunKerKæ, quidni & campsor pretium transportationis exigere, licèt sibi ipsi commoda? Cùm commoditas non oriatur ex conditione pecuniæ absentis, sed ex industria campsoris.

CONCLUSIO III.

OB pecuniam hodiè traditam, sed recipiendam intra 4. menses, nihil potest campsor exigere, nisi inde cesset ipsi lucrum, aut damnum emergat.

Ratio est; quia nihil aliud intervenit, quàm mutuatio, & quod exigitur, pro carentia pecuniæ ad certum tempus exigitur: quem titulum non esse sufficientem superius ostendimus.

Dices: In cambio pluris valet pecunia præsens, quàm absens: ergo.

R. 1. Nullum ibi intervenire cambium, sed purum mutuum.

R. 2. Dist. Ant. Pluris valet pecunia præsens, quàm absens quoad locum, transeat: quàm absens quoad tempus, N. Ratio disparitatis est, quòd absens quoad locum sit ex natura rei exposita periculis & expensis, ratione quarum potest ejus pretium minui; non sic absens quoad tempus.

Dixi in Concl. *Nisi inde cesset ipsi lucrum, aut damnum emergat*, quia si præcisè propter interesse, quod patiuntur, auctarium exigant mercatores, illi qui hoc modo cambiendi, aut potiùs mutuandi utuntur, excusari poterunt ab usura: aliàs: non: ad quod serio reflectere debent illi, qui non dant pecuniam sibi certo tempore solvendam, nisi quando ipsis mutuis est obdelectum opportunæ negotiationis, sicque auctarium recipiunt, non pro lucro cessante, non pro damno secuto, sed præcisè pro mutuo.

QUÆSTIO III.

Seu potius quæstiones variæ ad materiam præsentem spectantes.

PEtes 1. An ut cambium locale sit justum, debeat fieri de Regno in Regnum, & non de civitate in civitatem ejusdem Regni? Affirmat Sotus, sed

Resp. Probabiliùs neg. modò tamen, quo minus est intervallum, minus accipiatur pretium. Ratio est, quia illa omnia quæ concurrunt ad trajectionem pecuniæ de Regno in Regnum, concurrunt etiam ad trajectionem de civitate in civitatem: ergo si pro illis possit aliquid exigi in 1. casu, etiam poterit in 2.

Petes 2. An liceat cambium cum recambio?

Resp. 1. Usurarium esse, si campsor cambiendo obliget campsarium ad recambiendum. Rem pono in exemplo. Indigeo hic pecunia, quam mercator aliquis nolens mihi dare mutuo, fingit se eam velle mihi dare Antuerpiæ ratione cambii ea lege ut per novum cambium, eam hic sim accepturus. Ratio est, quia nihil est aliud, quàm mutuum palliatum cum vera usura, aut veriùs cum usura duplici.

R. 2. Etiam illicitum esse recambium, cùm litteræ meæ Parisios missæ, ut ibi solvatur pecunia, quàm hic recepi à campsore, remittuntur ad campsorem ab ejus agente cum novo cambio, sub prætextu, quod non fuerint Parisiis admissæ. Ratio est; quia non potest fieri novum illud cambium sine meo consensu. Si tamen ex mea culpa solutio fuit Parisiis denegata, teneor ad omne interesse, quod inde passus est campsor.

Petes 3. An liceat cambire pecuniam præsentem cum futura, secundùm valorem quem habebit intra sex menses, idest, an possim hic dare 100. aureos recepturus totidem intra sex menses Parisiis, sive aurei tunc pluris, sive minoris sint valituri?

R. Affirm. Si sit dubium utrinque de aureorum incremento aut decremento quoad pretium. Ratio est; quod tunc servetur æqualitas, cùm periculum sit utrinque æquale.

Petes 4. An possit campsor exigere pignus, seu fidejussorem?

R. Posse, si pretium minuatur; & aliunde sint tituli sufficientes ad exigentiam auctarii. Ratio est; quia licitum est assecurationem exigere in aliis contractibus, qui fiunt credito,

quidni

quidni & liceret in cambio? & certè non videtur justum, ut campsarius, in cujus gratiam fit pecuniæ translatio, sit in tuto, & campsor, qui pecuniam suam confert, sit in periculo.

Dixi; *Si pretium minuatur*; quia pretium cambii ordinarium taxatur habito respectu, saltem partiali, ad periculum, quod per assecurationem tollitur.

Dixi etiam: *& aliundè sint tituli sufficientes*; quia si daretur casus, ubi assecuratio esset tota ratio auctarium exigendi, nihil posset tali casu recipi.

Petes 5. An campsori, aut ejus famulo debeantur aliquæ provisiones propter munus scribendi, pecuniam numerandi, litteras mittendi &c.

Resp. Nihil deberi ultra pretium cambii ordinarium & justum, quia munia illa censentur per pretium justum sufficienter compensari, famulis quidem campsorum debentur salaria, sed à campsoribus, non à campsariis.

Petes 6. Quid dicendum de Cambio Bizantino, vel Placentino?

Bizantium & Placentia urbes sunt mercatoribus & mercibus destitutæ; & ideò per tale cambium intelligitur omne illud, quod dirigitur ad locum, ubi campsarius nec pecuniam, nec merces, nec correspondentem, nec fidem habet; ita ut fieri debeat recambium ab illo loco, ad eum, in quo campsor pecuniam numeravit. Ad quæstionem

Resp. 1. Si campsor numerans pecuniam petat illius solutionem in loco, ubi novit campsario esse impossibilem, defectu pecuniæ ibidem, aut occasionis ut sic teneatur campsarius ab illo loco ad hunc locum recambire, esse usuram palliatam, cùm non intendatur cambium, sed mutuum, cum duplici usura. Vide petitionem secundam.

Resp. 2. Si campsor bona fide procedat assignans solutionem Bizantii, vel alibi; & posteà peracto ibidem bona fide primo cambio petat campsarius, ut fiat cambium, poterit campsor ab usura excusari; cùm sit verum cambium & recambium; sed caveatur fraus.

Petes 7. An liceat hic cambire 100. nummos cum nummis ejusdem omninò ponderis in Italia recipiendis, si nummi hic valeant duobus florenis, & in Italia tribus?

Resp. Neg. quia non servatur æqualitas, cùm minùs detur & accipiatur plus: servatur quidem æqualitas quoad materiam & pondus, non tamen quoad valorem legalem, à quo pretium habet moneta. Si tamen pretium nummorum vulgare esset in Italia tantùm duorum florenorum, idest, si non plus mercium obtineretur cum illo nummo, ac obtineretur in hac Patria cum nummo duorum florenorum, videtur justum esse cambium præfatum, cùm nummi illi in ordine ad usus quotidianos æquivaleant; & sic, propter illam rationem, practicatur, dum fit cambium pecuniæ Tornacensis v.g. ubi schelingus valet 6. assibus, cùm pecunia Leodiensi, ubi valor legalis schelingi est 10. assium.

Petes 8. An famulus (idem est de alio) qui recepit pecuniam auream à domino, ut solveret ipsius debita, aut ipsi emeret merces, possit pecuniā domini cambire cum lucro suo, dumodò solvat debita, aut emat merces eo modo, quo intendebat dominus?

Resp. Affirm. quia est fructus meræ industriæ, & aliundè nec domino, nec ipsius creditori fit injuria; cùm unus & alter intentum obtineat. Nec obstat, quòd famulus, cui injunctum est aliquid vendere 20. non possit retinere augmentum, si vendat 24. quia famulus in venditione agit nomine domini sui, in hoc autem cambio nomine proprio. Aliud esset, si dominus intendisset cum pecunia aurea gratificari debitori.

Petes 9. Quandonam pretium cambiorum sit justum?

Resp. Vel taxatur pretium authoritate principis, vel communi usu fori, & mercatorum: si 1. debet, ut sit justum, servari taxa principis: si 2. quod magis ordinarium est, standum est judicio, non unius tantùm, aut alterius mercatoris, sed plurium in domo bursaria congregatorum, qui attenta diligenter vera & realia abundantia, vel penuria pecuniæ, tam in loco ubi cambium recipitur, quàm in illo ubi solvitur, judicant secundùm DEUM & justitiam esse legitimum. Ratio est; quia non possunt convenientiùs rerum pretia taxari, quàm à peritis, & aliundè timoratis.

Petes 10. An pataconem hic 54 assibus valentem, liceat cambire pro 55. assibus, eo quòd valeat 56. in Hispania?

Resp. 1. Licere, si campsor decreverat ea pecunia uti in Hispania; quia tunc pretium damni recipit.

Resp. 2. Etiam licere, etsi decrevisset ea uti in Gallia; quia etsi pataco ille tantùm valeat 54. assibus, ut est pretium rerum venalium; tamen in ratione mercis, sub qua ratione consideratur ordinariè in cambio, pluris valet vulgariter. Accedit, quòd principes videantur in id consentire, cùm id scientes non contradicant.

QUÆSTIO IV.

Quid sit contractus Societatis? Quas conditiones requirat: & quomodo, finita Societate facienda sit divisio?

MUltiplicem assignant aliqui Societatem, nempè animalium, vectigalium, bonorum, negotiationis; sed quia tres primæ tum ex dictis, tum ex dicendis de quarta, facilè possunt colligi, & ad praxim reduci, ideò de sola Societate negotiationis hic agimus.

CONCLUSIO I.

COntractus Societatis est conventio duorum vel plurium suam partem ad negotiationem conferentium in ordine ad commune lucrum.

Dicitur 1. *Conventio*; qui enim sine conventione mercatorem adjuvat pecunia, aut industria, non debet ex justitia lucro participare.

Dicitur 2. *Partem conferentium*, sive interim conferant pecuniam, sive laborem, sive industriam, sive navem, sive aliud pretio æstimabile.

Dicitur 3. *In ordine ad commune lucrum*; quia ubi totum lucrum uni obvenit, & aliis cooperantibus tantùm merces, aut stipendium, non est contractus Societatis, sed locationis & conductionis.

CONCLUSIO II.

REquiritur ad justitiam hujus contractus 1. Ut singuli verè aliquid conferant collatumque statim fiat singulis commune, ita ut omnium collatorum periculum respiciat omnes socios: nam *est usura tacita*, inquit D. Bonav. tom. 2. opusc. specul. animæ cap. 2. *cùm aliquid commune habet cum aliquo, quidquid sit illud, & periculum vel damnum non sit commune*. 2. Ut nullus sociorum sit securus de sorte principali, aut de lucro certo. 3. Ut servetur æqualitas, idest, ut expensæ & lucra sint communia, attenta portione majori, aut minori, quam quisque contulit. 4. Ut Societas sine ulla prorsùs fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione ineatur, seu contrahatur, ut ait Sixtus V. in Bulla 45. anno 1586.

CONCLUSIO III.

QUando socii æqualiter in Societatem contulerunt, v.g. singuli cum æquali pecunia, æqualem operam navaverunt; vel quando unus totam pecuniam, alter totam operam pecuniæ æquivalentem contulit, debent, finita Societate, omnia æqualiter dividere, idest, tam lucrum, quàm summam capitalem; ubi autem pecunia excedit medietate valorem operarum, aut instrumentorum, ut sunt currus, naves, equi &c. debet qui pecuniam contulit, ultra summam datam, ex tribus partibus lucri, duas reportare; qui verò operam & instrumenta, habet tertiam partem lucri, & insuper summam pecuniæ æquivalentem labori & instrumentis: undè, si Petrus, v.g. dedit bis mille aureos ad Societatem; & Paulus operas & instrumenta æquivalentia 1000. aureis, &, finita Societate; reperiantur in bursa communi tria millia aureorum cum trecentis, cedunt Petro 2200. & Paulo 1100. & sic proportionatè in aliis casibus, augendo vel minuendo, sive sortem, sive lucrum, sive damnum prout magis vel minus collatum fuerit.

Ratio horum est, quòd non possit assignari modus justitiæ commutativæ servandæ convenientior.

Dices. D. Thom. 2.2. q. 78. art. 2. ad 5. docet committentem alicubi pecuniam per modum Societatis, non transferre illius dominium: ergo capitale nunquàm est dividendum, sed semper illi, qui tradidit, restituendum.

Resp. Div. Thomam nihil aliud velle, quàm quòd non transferat dominium integrè & totaliter, quasi res tradita non esse amplius sua, licèt transferat partialiter, seu faciat ut id, quod erat ipsi singulare, fiat omnibus sociis commune. Ex his

Resol. 1. Si, finita Societate, nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, dividendam esse inter ipsum & alium, qui operas pecuniæ æquivalentes contulit; aliàs si totum capitale rediret ad eum, qui illud contulit; unus penderet totum, scilicèt operas, alter nihil.

Resol. 2. Si capitale periret antequàm alter operas & instrumenta capitali æquivalentia exhibuisset, teneti hunc medium capitalis refundere illi, qui pecuniam contulit; si autem postquàm mediam partem operarum adhibuit, periret, tantùm quarta pars sortis esset reddenda.

QUÆSTIO V.

An liceat contractus triplex cum eadem persona?

PEr contractum triplicem intelligimus hic contractum Societatis, assecurationis sortis, & venditionis lucri incerti pro certo. Totum ponimus in exemplo. Joannes dat 100. aureos Petro, ut simul cum eo, partem suam similiter conferente, negotietur, sed timens ne sui 100. aurei ex naufragio, aut aliundè pereant; offert 100. aureos Petro, ut sortem assecuret: & postea volens esse certus de lucro, vendit eidem Petro lucrum ex negotiatione speratum pro 15. aureis, sicque fit, ut Joannes post annum, recipiat totum quod dedit, & insuper 5. aureos sine labore, sine periculo, sine lucro cessante, aut damno emergente. Quæritur, an hic triplex contractus, quem à 200. circiter annis adinvenit, aut potius suscitavit hominum avaritia & cupiditas in Germaniæ partibus, possit ad praxim reduci?

CONCLUSIO UNICA.

PRobabilior est sententia asserens contractum illum esse illicitum & usurarium.

Prob. 1. Quia eo ipso, quo contractui Societatis adjungitur contractus assecurationis illius quod in Societatem collatum est, degenerat in mutuum, si sit eadem persona sortem recipiens, & assecurans, atqui usurarium est ex mutuo lucrum reportare: ergo. Minor certa est.

Prob. Maj. Quia pecunia sic tradita, & assecurata transit totaliter in dominium assecurantis; cùm possit de illa pro libitu disponere, & ipsi pereat, si perierit quod signum est translati dominii, adeoque mutui, & non Societatis, in qua tradens pecuniam, retinet illius dominium sensu antea explicato.

Dices 1. Quando Joannes tradit pecuniam Petro ad Societatem, si Paulus assecuret sortem, Paulus non fit illius dominus: ergo nec Petrus, si illam assecuret.

Resp. Neg. Conseq. Disp. est, quòd Paulus tunc nec pecuniam recipiat, nec de ea pro libitu disponat: quod tamen facit Petrus.

Dices 2. Tenetur Petrus pecuniam receptam & assecuratam negotiationi applicare: ergo non potest de ea pro libitu disponere.

R. Antecedenti repugnare praxim, & sensum communem omnium, qui taliter pecuniam tradidere, cùm ne unus quidem intenderit unquam obligare recipientem ad negotiandum, sed præcisè curaverint omnes sortem & lucrum reportare, sive alter cum pecunia negotiaretur, sive ædificaret, sive villam emeret, sive quidpiam aliud faceret: unde nunquam auditum est, vel unum contra taliter facientes reclamasse; quia nempè credebant omnes datæ pecuniæ dominium, non penes se, sed penes recipientem residere.

Prob. 2. Quia una ex conditionibus ad Societatem requisitis, est ut lucrum & damnum ex Societate proveniens, sit sociis commune; sed hic unus est certus de lucro, & tutus ab omni periculo: ergo. Nec dicas conditiones illas tantùm respicere Societatem puram, non autem illam, cui annexi sunt alii contractus; quia reprobant leges civiles Societatem illam (in qua lucrum & damnum non est commune) tanquam Leoninam, non distinguentes, an contractus Societatis sit purus, an mixtus; ubi autem jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus.

Prob. 3. Ex duobus celeberrimis Sacrorum Canonum interpretibus Zonara, & Theodoro Balsamoni Patriarcha Antiocheno, quorum primus in Canonem 17. Concilii Nicæni sic loquitur: *Fœneratorii enim nominis infamiam aliqui* (Clerici) *declinantes, pecuniam ità dant mutuam, ut sibi lucri partem ex ea paciscantur, nec se fœneratores, sed socios dicunt, ac emolumenti tantummodo participes, nullum interea jacturæ periculum subeunt: hæc omnia hujusmodi Canon vetat.* Secundus in eundem Canonem sic disserit: *Quidam Sacerdotes ..... dant nonnullis pecuniam, & tantam ex lucro partem se capturos paciscuntur; periculum autem agnituros, qui eam recipiant, & cùm sint reverà fœneratores, verbo tamen Societatem prætexunt: hoc ergo Canon aversatur, & eos, qui hujusmodi quid faciunt, deponit.* Quis autem non videat præfatam Societatem contrahentes idipsum facere, quod S. Synodus Nicæna tam severè arguit, & reprehendit?

Prob. 4. Ex proscriptione hujus propositionis à Facultate Parisiensi anno 1664. *Si au Contract de Societé on ajoute un Contract d'assurance du capital, & de vente d'un profit incertain pour un profit certain: en vertu de ces trois Contracts, il est permis d'exiger un profit certain avec l'assurance du sort capital.* Condemnata est autem tanquam falsa, scandalosa, inducens ad usuras, & aperiens artes eas palliandi, justitiam ac charitatem violando.

Prob. 5. Quia si contractus triplex esset licitus, immeritò variæ Synodi, ut Cameracensis 1. Mechliniensis 1. Audomarensis sub Joanne Six, Iprensis sub Rithovio, Attrebatensis sub Monlartio, immeritò, inquam, condemnassent universaliter contractus, quos faciebant tutores tradentes pecunias pupillorum sub lucro annuatim recipiendo, & cum potestate recipiendi capitale, ubi indiguerint pupilli; quandoquidem similis contractus cum mercatore initus foret licitus, intendendo scilicet explicitè vel implicitè facere contractum triplicem.

Prob. 6. Ex Bulla Sixti V. *Detestabilis* anno 1586. per quam expressè, formaliter, & terminis evidentibus condemnat hunc contractum tanquam usurarium.

Dices 1. Bullam illam non fuisse in Belgio publicatam, adeoque nec receptam. Sed contra est, quòd contractus non sit præcisè malus; quia per illam Bullam prohibitus, sed è contra per Bullam illam prohibitus, quia de se malus: ait enim Pontifex loquens de præfato Contractu: *Nuper cum magno dolore audivimus hoc malum in quasdam Provincias irrepsisse:* ergo censet Pontifex ante prohibitionem fuisse malum.

Replicabis: Si credidisset Sixtus V. contractum illum esse de se malum, non dixisset: *Statuimus hujusmodi contractus, conventiones, pactiones usurarios & illicitos posthac censeri debere;* sed simpliciter, *declaramus esse usurarios*, ut sic tam initos, quàm ineundos comprehenderet. Sed

Dicendum est, sic Papam fuisse locutum; quia sciebat quosdam suis temporis Theologos contrarium docere, quorum sententiæ ut obviaret, dixit: *statuimus posthac usurarios censeri debere*, idest, volumus ut nullus deinceps illos doceat, teneat, defendat, nisi tanquam usurarios; quia nempè credebat illos esse de se tales, cum in fine Bullæ dicat usurarios esse habendos, qui ratione talis contractus jam initi (adeoque non tantùm ineundi) sortem perditam, aut lucrum promissum exegerint.

Dices 2. Ex Comitolo lib. 3. Responsionum qu. 12. num. 3. Cardinalem S. Severinæ, sicut & Cardinalem Toletum, qui jussu Sixti V. dictam Bullam condiderunt, asseverasse Patri Tuccio Societatis Jesu Theologo nonnisi contractus illos per hanc Bullam condemnari, quos Doctores classici condemnarunt.

R. Nihil indè sequi contra nos, sed potius pro nobis, cùm omnes Doctores rem in statera Dei librantes debeant dictum contractum tanquam ex natura sua usurarium condemnare, sicut ut talem condemnavit dictus Pontifex; quandoquidem Navarrus, teste Azorio, optaret & laboraret ut contractus ille declararetur à Pontifice licitus & justus, & tamen contrarium declaraverit & definierit. Præterea vel aliquid utilitatis habet illa Bulla, vel nihil: si secundum frustranea est. Si primum condemnat dictum contractum, cùm de nullo alio fiat ibi mentio.

Dices 3. Sixtum V. tantùm condemnare Societatem, in qua periculum sortis rejicitur in socium ex vi solius Societatis, non autem quando rejicitur ex vi alterius contractus, nempè assecurationis. Sed

Contra est, quòd Pontifex expressè damnet & reprobet omnes contractus, conventiones, & pactiones, quibus sors assecuratur, & de lucro certo convenitur.

Prob. Denique ex Edicto Caroli V. Anno 1540. quo prohibet omnibus subditis suis, qui nec sunt mercatores, nec cum mercatoribus Societatem habent sub lucro & damno communi, ne pecuniam dent mercatoribus cum pacto de certo lucro annuatim recipiendo, idque sub pœna confiscationis capitalis, & quòd tanquam usurarii publici habebuntur & punientur, ex quo patet contractum præfatum non esse necessarium, & utilem Reipublicæ ut immeritò sustinent aliqui.

Obji. 1. Cap. *Per vestras* 7. de donationibus inter virum & uxorem, præcipitur, ut dos uxoris, cujus maritus prodigus vergebat ad inopiam, daretur mercatori ad lucrum.

Resp. Dist. Assumpt. Ut daretur ad lucrum per contractum Societatis sub communi lucro & damno, C. per assecurationem capitalis & lucri certi; N. quandoquidem ne vel umbra assecurationis appareat in dicto capite.

Obji. 2. Contractus triplex initus cum diversis personis est licitus, ut si Paulus det pecuniam ad Societatem Petro, & Joannes assecuret capitale: ergo etiam cum eadem persona. Respondent aliqui negando ant. eo quòd pecunia exposita negotiationi, debeat esse exposita periculo; sed illo admisso. N. Conseq. Disparitas est, quòd contractus Societatis in nostro casu ratione assecurationis degeneret in mutuum; non sic in primo casu, ut patet ex antea dictis.

Insta-

Inſtabis 1. Diverſitas perſonæ aſſecurantis non variat rationem illius contractus: ergo ſi non degeneret in mutuum cum diverſa perſona, nec degenerat cum eadem.

Reſp. Diſt. Ant. Diverſitas perſonæ, id eſt, quando una eſt recipiens, & altera aſſecurans quæcumque ſit; C. Quando eadem eſt aſſecurans & recipiens, N. quia tunc recipiens ſit pecuniæ dominus, cùm illam habeat, ipſi pereat, de illa, prout vult, diſponat, non ſic perſona tantùm aſſecurans ut per ſe patet.

Inſt. 2. Tenetur recipiens illam applicare ad negotiationem, ergo non diſponit de illa ut vult, & conſequenter non eſt totaliter illius dominus, ſed tantum eo modo, quo ſocius.

Reſp. Neg. Ant. Quandoquidem reddendo capitale cum lucro; ſive cum pecunia negotiatus fuerit, ſive non nulli faciat injuriam, faceret autem ſi teneretur negotiari.

Inſt. 3. Impedit ipſum à conſecutione juſti lucri per negotiationem acquirendi; ergo facit ipſi injuriam.

Reſp. Neg. Ant. Quandoquidem dans pecuniam ſit certus de ſuo lucro ante omnem negotiationem, adeoque independenter ab illa.

Inſt. 4. Contractus ille fit ſub tacita conditione negotiationis futuræ: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Quandoquidem omnes, ne uno excepto, exigant lucrum, de quo convenerunt, ſive interim ſecuta ſit negotiatio, ſive non; imò nullus de ea inquirit, an facta ſit, necne: quod ſignum eſt contractum fieri abſolutè, & non conditionatè.

Inſt. 5. Supponitur, mercatorem pecuniam negotiationi applicaſſe, vel, ſi non applicavit, teneri, ob injuriam illatam, damnum reſarcire: & ideo ſemper lucrum exigitur.

Reſp. Sæpè mercatores, defectu occaſionis, non uti pecunia data ad negotiationem, ergo ſaltem illo caſu nihil deberent ſolvere, cùm ubi nulla eſt culpa, nulla ſit injuria, & tamen etiam tunc lucrum exigitur; quod eſt ſignum evidens lucrum illud nec ratione negotiationis, nec ratione injuriæ exigi, ſed præcisè ratione mutui.

Obji. 3. In illo contractu ſervatur juſtitia commutativa, quandoquidem aſſecuratio ſortis, & venditio lucri incerti fiant juſto pretio: ergo non eſt injuſtus. Prob. Ant. Cum diverſa perſona fit juſto pretio: ergo etiam cum eadem; quandoquidem perſonæ diverſitas non mutet pretia rerum.

Reſp. Neg. Suppoſitum, nempe contractus aſſecurationis & venditionis in illo caſu realiter intervenire; nam juncti cum contractu Societatis in eadem perſona, nihil aliud ſunt à parte rei, quàm mutuatio, & tantùm apparenter aſſecuratio & venditio.

Obji. 4. Ex eo, quòd commodatarius, aut locatarius aſſecuret rem commodatam, aut locatam, non fit illius Dominus: ergo nec ſocius fit Dominus ſortis ſibi traditæ per hoc, quòd illam aſſecuret.

Reſp. Diſparitatem eſſe quòd commodatarius, aut locatarius, etiam aſſecurans, non poſſit pro libitu de re commodata, aut locata diſponere; id autem poſſit ſocius aſſecurans reſpectu ſortis, & ſic fit Dominus, non alii.

Pro hujus quæſtionis coronide advertendum, multos ſententiæ oppoſitæ patronos ingenuè fateri opinionem ſuam eſſe in praxi periculoſam, multis uſuris expoſitam, viam ſternere uſurariis ſecurius uſuras ſuas exercendi ſub prætextu Societatis, præ ſe ferre ſpeciem mali &c. Imò ſi victoriæ credimus monebat major contractum illum, non publicè, ſed ſecretò eſſe faciendum: quæ omnia ſatis oſtendunt ſententiæ contrariæ infirmitatem, ne dicam falſitatem.

QUÆSTIO VI.

Quid Cenſus? Quotuplex? & Quas conditiones requirat?

CEnſus, (dictus aliter redditus, eò quòd à tempore ad tempus redeat ſolvendus) ſumitur tripliciter, 1. Pro jure exigendi certam penſionem. 2. Pro contractu, quo emitur aut venditur jus illud. 3. Pro penſione ex illo jure recepta, aut recipienda. Hic de cenſu in prima acceptione agimus.

CONCLUSIO I.

CEnſus eſt jus percipiendi certis temporibus penſionem aliquam ex re aut perſona alterius fructifera.

Dicitur 1. *Jus percipiendi*, quod reſidet in cenſuiſta, ſeu cenſualiſta, id eſt, in eo qui tali jure gaudet, ſupponitque debitum ſolvendi in cenſuario, ſeu in eo, qui tale jus vendidit.

Dicitur 2. *Certis temporibus*, id eſt, ſingulis annis vel menſibus, prout conventum fuerit.

Dicitur 3. *Ex re vel perſona*; quia jus præfatum non tantùm poteſt fundari in re reliqua, v. g. domo, agro, vinea &c. Sed etiam in perſona, modò ſit fructifera, id eſt, labore aut induſtria, officio &c. poſſit aliquid lucrari.

CONCLUSIO II.

DIviditur 1. Cenſus in reſervativum, ſeu conſervativum, & conſignativum. Primus eſt, quando quis tradit alteri, rei ſuæ dominium utile & directum, retento ſibi jure certam penſionem ex ea quotannis percipiendi: & tales ſunt cenſus, qui ſolvuntur nonnullis Capitulis, Monaſteriis, & Toparchis, qui cedendo certos fundos, reſervaverunt ſibi, quaſi in recognitionem, modicam penſionem annuatim ſolvendam. Secundus eſt (de quo deinceps loquemur) quando quis retento rei ſuæ uſu & dominio, aſſignat ſeu conſignat alteri penſionem, quam tenetur ſtatutis temporibus ſolvere, vel in fructibus, & dicitur cenſus fructuarius, vel in pecunia, & vocatur pecuniarius.

Subdividitur cenſus conſignativus in realem, perſonalem, & mixtum. Primus fundatur in re, qua pereunte, perit & cenſus; quia tantùm ex illa debebatur, &, ſi ad alium tranſeat, tranſit cum ſuo onere. Secundus fundatur in perſona, quæ ſe obligat ad penſionem ex omnibus bonis ſuis & operis: unde ſi ad ſecuritatem hypothecavit rem aliquam, & ipſa pereat: non perit cenſus. Mixtus fundatur in re aliqua determinata & perſona ſimul; & ideo, re aliqua pereunte, integer manet cenſus propter obligationem perſonæ.

Subdividitur ulterius in temporalem & perpetuum. Hic vi contractus ſemper durat: ille ad tempus, & quidem ſi ad tempus determinatum, v. g. ad 20. aut 30. annos, dicitur ſimpliciter temporalis, ſi ad tempus indeterminatum v. g. ad vitam alicujus, dicitur vitalitius. Alius eſt etiam redimibilis alius irredimibilis, hic non poteſt extingui, ille poteſt ſive ex toto, ſive ex parte, ſi à venditore totum capitale, vel pars refundatur.

CONCLUSIO III.

AD obviandum variis uſuris, quæ ſub nomine cenſus irrepſerant: voluit Pius V. in ſua Bulla, quæ incipit: *Cùm onus*, ut ſub pœna nullitatis, & confiſcationis ſervarentur poſtmodum hæ conditiones in creatione cenſus. 1. Ut res, ſupra quam fundatur cenſus, ſit determinata, immobilis, fructifera. 2. Ut contractus non celebretur, niſi numerata pecunia, & quidem coram notario & teſtibus. 3. Ne cenſuiſta cogat cenſuarium ad anticipatam ſolutionem. 4. Ut ſi res fundans cenſum pereat, pereat & cenſus: ſi deterioretur, minuatur cenſus proportionatè. 5. Ut pretium ſit juſtum. 6. Ut poſſit venditor, refuſo pretio, cenſum redimere, modò bimeſtri ante emptorem moneat. 7. Ut non apponatur conventio de aliquo ſolvendo propter moroſitatem debitoris, nequidem ſub titulo lucri ceſſantis, aut damni emergentis. 8. Ne cenſus antea conſtitutus augeatur ex penſionibus debitis & non ſolutis. 9. Ut ſi cenſuarius rem cenſui ſubjectam velit vendere, teneatur monere Cenſuiſtam, quem pro æquali pretio tenebitur aliis præferre; ubi autem Cenſuiſta recuſabit emere poterit Cenſuarius aliis vendere, translato in emptores penſionis onere. 10. Ut in caſu redemptionis cenſus, detur idem omnino pretium, ac fuerat in ejus creatione ſolutum &c. Etiam aliquas conditiones antea requiſierant Martinus V. & Calixtus III. ſed cùm nec Bulla Pii V. nec horum Pontificum vim habeat in his locis, ut ſatis declarat contraria, etiam timoratorum, praxis, non obligant hic conditiones illæ, quatenus ſunt Bullatæ præcisè: unde ſubjicio alias ex jure naturæ requiſitas.

1. Eſt, ut adſit animus emendi & vendendi 2. Ut res cenſui ſubjecta ſit ex ſe fructifera: cùm enim ex re infœcunda non poſſit aliquid recipi, etiam nec vendi poteſt jus aliquid inde percipiendi. 3. Ut juſtum ſit pretium: quod ſpectari debet attentis Provinciæ legibus, ac timoratorum conſuetudine; juxta mores autem Belgicos ſolent dari ſexdecim, ut ematur jus ad unum annuatim recipiendum; ſeu, quod in idem redit, dantur 100. ut recipiantur ſex cùm quadrante, 4. Ut cenſus pereat, ſi perierit res cenſui ſubjecta; aut minuatur, ſi res deterior facta ſit. Moribus tamen noſtris, etiam re illa pereunte, ſolet penſio exigi, eò quòd cenſus non ſint apud nos mere reales, ſed partim perſonales: & ideò ſi cenſuarius ſit aliunde ſolvendo, etiam tunc cogitur ad ſolutionem.

Attamen ex edicto Regio ultima Octobris 1587. plu-

ra

ra circa bona per bellum devastata, sunt ordinata. Statuitur namque 1. (ut refert Neesen) ut dum aliquorum bona devastata fuerint, & possessiones per bella redditæ inutiles, creditores non possint adversùs eos, eorumvè bona procedere per arresta & executiones, sed teneantur per libellum supplicem adire Concilia Regia, quæ per commissarios datos examinabunt partes, &, comperta veritate damni per remissionem aut dilationem debiti partes concordabunt.

Statuitur 2. Ut quando redditibus non suberat personalis obligatio, & hypotheca reddita fuerat inutilis, daretur remissio omnium annorum, quibus meti, seri, aut habitari non potuerat.

Statuitur 3. Ut mercedes seu annuæ præstationes rerum conductarum integrè remitterentur, ubi nihil fructuum haberi poterat; pro parte autem ubi pars fructuum obvenit, & pars perierat.

Statuitur 4. De redditibus, quibus suberat personalis obligatio, ut ubi notabilis jactura debitoribus obvenit, dilatio congrua tribuatur, nec cogi possint statim totum debitum solvere. Ubi autem omnibus proventibus caruerint remissio fiat ad ratam temporis & proportionem jacturæ; habita ratione status conditionisque debitorum & creditorum.

Hæc autem pro tempore belli statuta, videntur ad similes casus extendenda ne crudeliter afflicti debitores rigorosiùs tractentur à creditoribus.

QUÆSTIO VII.

An possit creari census realis pecuniarius?

POsse creari censum realem fructuarium, seu emi jus percipiendi singulis annis tot raserias bladi ex tali agro, aut tot dolia vini ex tali vinea, satis conveniunt Doctores, sed de censu pecuniario, seu de jure percipiendi quotannis certam pecuniæ summam, dubitant aliqui, imò Henricus Gandavensis cum quibusdam aliis id absolutè negat, propter rationes postea solvendas: alii autem à Sylvestro citati volunt quidem emi posse censum jam ab alio institutum, non posse tamen de novo institui. Contra quos

CONCLUSIO UNICA.

LIcita est emptio census realis pecuniarii, sive de novo instituantur, sive jam institutus ab aliquo tertio ematur ita communiter casuistæ.

Prob. 1. Ex approbatione 5. Summorum Pontificum, Martini V. Bulla *Regiminis universalis Ecclesiæ*, Nicolai V. Bulla *Sollicitudo*, Calixti III. Bulla *Regimini universalis Ecclesiæ*, Pauli III. Bulla *Dilectus*, & Pii V. in motu proprio, *Cum onus*: unde Rebellus dicit esse oraculum fide tenendum.

Prob. 2. Quia in contractu censuali intervenit vera emptio & venditio; sed hi contractus sunt liciti: ergo. Prob. Maj. quia justo pretio emitur, non pecunia quotannis recipienda, ut volunt adversarii, sed jus percipiendi ex re fructifera certam summam pecuniæ: quod jus est vera merx, adeoque pretio æstimabile; & certè si jus percipiendi fructus, puta triticum, aut vinum sit merx, quidni jus percipiendi pecuniam?

Prob. 3. Destruendo fundamentum adversariorum. Ideo, secundùm ipsos, contractus ille est illicitus; quia nihil est aliud, quàm mutuum formale aut virtuale, cùm dentur 100. v. gr. ut recipiantur singulis annis 5. salva manente sorte; quod idem est ac mutuare 100. cum lucro annuatim recipiendo, donec reddatur capitale: sed si staret hoc fundamentum, etiam usurarius esset census fructuarius; cùm nihil esset aliud, quàm mutuare 100. cum pacto recipiendi tot fructus ex agro, donec refunderetur capitale: ergo.

Prob. 4. Contra eos, qui dicunt non posse emi censum novum, posse tamen antiquum: Vel enim antiquus potuit ab initio licitè institui, vel non: si primum: ergo etiam nunc potest alius de novo institui, cùm sit par ratio: si secundum: ergo jam non potest emi; cùm non sit alius nunc quàm fuerit ab initio.

Obj 1. Pensio illa accipitur ex pecunia data: ergo ex mutuo.

Resp. neg. ant. Quia sicut qui emit agrum non recipit triticum ex sua pecunia, sed ex agro empto, ità qui emit censum, non recipit pensionem ex sua pecunia, sed ex jure empto.

Obj. 2. Non plus lucratur, qui accipit annuàtim 5. aut 6. ex mutuo, quàm qui totidem ex censu.

Resp. Totum esse verum; sed lucrum in secundo casu fit medio licito; non sic in primo.

Inferes: ergo requiritur tantùm certus modus ad vitandam usuram.

Resp. dist. illatum. Requiritur tantùm certus modus varians totaliter essentiam mutui, Conc. nullatenus varians, Nego. Est autem discrimen inter mutuum & censum, quod in primo possit sors repeti post certum tempus, & ipso pereunte, ejusque hypotheca, remaneat obligatus mutuatarius: in secundo autem non possit Censuista pecuniam pro libitu repetere & pereunte re, supra quam fundatus est census, pereat & ipse census. Ex quo patet longè majori periculo exponi censuistam, quàm mutuatorem.

Obj. 3. Vendens censum, vendit jus quod non subsistit; ergo.

Resp. Neg. Ant. cùm venditor jus habeat ante venditionem percipiendi quidquid provenit ex re sua fructifera, supra quam fundatur census creatus.

Obj. 4. In censu non servatur justitia, cùm minus det emptor quàm recipiat: si enim det 1000. aureos, ut recipiat annuatim 50. post 24. annos receperit totum quod dedit, & insuper 200. aureos.

• Resp. Neg. Ass. Cujus probatio nulla est, aliàs sequeretur quod emens domum, cujus pretium recepisset post 40. annos, mediante conductione, non servasset justitiam: quod nemo dixerit. Servatur ergo justitia; quia etsi 1000. illi aurei non æquivaleant omnibus pensionibus, quas fortè recepturus est censuista, æquivalent tamen hic & nunc juri percipiendi quotannis 50. eò quòd propter varia pericula, & damna minoris valeat, secundùm communem hominum æstimationem, jus percipiendi, quàm pensiones receptæ. *Ex dictis*

Resol. 1. Censum temporalem, v. g. 20. annorum licitè emi posse minori pretio, quàm valeant pensiones omnes simul sumptæ.

Resol. 2. Eo majori pretio posse vendi Censum, quo super re securiori & stabiliori fundatus est, idque propter minus periculum.

Resol. 3. Posse super eandem rem fundari duplicem Censum, modò utrique solvendo sufficiat.

Resol. 4. E contra rem, in qua fundatur Census, debere tot fructus reddere, ut deductis expensis laboris & industriæ, sufficiat ad pensionem solvendam; aliàs si non sufficiat, censetur ex ea parte, qua insufficiens est, esse infructifera, adeoque Census fundandi incapax.

Resol. 5. Quòd etsi possit institui Census temporalis super re mobili, v. g. super gregibus &c. non tamen Census perpetuus, cùm, ut diximus, Census pereat, ubi perit res supra quam fundatur: unde perpetuus fundari debet in re immobili, v. g. agro, prato &c.

Resol. 6. Censum minui proportionatè ad deteriorationem rei, supra quam institutus est; nisi certè aliter conventum esset, & aliunde res deteriorata adhuc in suis fructibus sufficeret pro pensione solvenda.

QUÆSTIO VIII.

An sint liciti Census personalis & vitalitius?

OCcasionem dubitandi de justitia Census personalis dedit Bulla Pii V. volentis inter alias conditiones ad Censum requisitas, ut res, supra quam instituitur Census, sit immobilis, qualem certum est non esse personam, nihilominus sit

CONCLUSIO I.

LIcitus est jure naturali & positivo Census personalis fundatus super persona utili & fructifera, saltem in his locis. Est communis Doctorum opinio, communisque timoratorum praxis.

Prob. Quantùm ad jus naturale. Licitus est contractus jure naturæ, ubi res pretio æstimabilis venditur pretio justo; sed hoc fit in Censu personali: ergo. Prob. Min. Quia pretio justo venditur jus ad utilitatem ex personæ operibus & industria spetatam: sicut autem labor & industria sunt pretio æstimabiles, cùm ordinariè elocentur, ità & jus ad fructus inde speratos.

Confir. 1. Ideo institui potest Census realis super re aliqua, quia fructifera est; sed non minùs potest persona suis operibus fructificare: ergo.

Confir. 2. Lex Ecclesiastica constituit decimas personales, ut patet ex cap. *Non est*, & cap. *Pastoralis* 28. De Decimis; atqui

atqui quod per legem justam statuitur potest & per conventionem partium institui: ergo.

Prob. Quantum ad jus positivum; quia etsi contraria videatur Bulla Pii V. certum est tamen in Belgio nullam vim habere, sicut nec in Gallia, Hispania, Germania, & Sicilia, si Lessio & aliis credimus, & ideo addidi in Conclusionem: *saltem in his locis*.

Obj. 1. Pius V. in sua Bulla decernit, Census super re immobili non fundatos, habendos esse tanquam usurarios; ergo census personalis repugnat juri naturæ.

Resp. Dist. Ant. Decernit habendos esse tanquàm usurarios, quia tales sunt ex natura sua. N. quia tales statuuntur extrinsecè per ejus constitutionem, C. unde sicut Ecclesia prohibet quosdam contractus tanquam Simoniacos licèt non sint ex natura sua tales; ita & ex justa causa quosdam prohibet ut usurarios, licet non sint ex se usurarii. Hanc autem esse mentem Pontificis, patet ex eo, quòd in eadem Bulla varias alias conditiones requirat, quas certum est non requiri ex natura rei ad justitiam illius contractus, & tamen etiam, his deficientibus, declarat Censum usurarium esse habendum.

Obj. 2. Ex illa sententia sequitur posse quidem fundari Censum personalem super artificem, non tamen super nobilem, cum laboret ille, non hic: hoc autem videtur ridiculum.

Resp. Posse super utrumque institui, si nobilis (idem est de persona debili, infirma, sene, aut fœminei sexus) sit fructifer ratione bonorum possessorum, aut possidendorum; si autem nobilis, nec actu, nec in spe, bona habeat & aliunde non sit opere, aut industria lucrativus, non est mirum, quòd non possit super eum Census institui, cùm non sit res fructifera.

Obj. 3. Si hoc esset; nonnisi stupidus committeret usuram, saltem quando mutuaret pecuniam homini, ratione operis, aut bonorum lucrativo, cùm creari possit Census personalis.

Resp. Neg. sequelam; quia cum plurimi nolint se privare libertate repetendi sortem pro libitu, clarum est, etiam admisso Censu personali, alios quàm stupidos posse usuram committere.

Obj. 4. Leges Civiles prohibent, ne homo detur in pignus; sed per Censum personalem homo ponitur in statu deteriori, cùm jus Census sit majus, quàm jus pignoris: ergo saltem lege positiva prohibetur ille contractus.

R. dist. Ant. Leges prohibent, ne homo detur in pignus propriè, id est, sic ut deficiente solutione, possit creditor illum sibi in servum usurpare, C. ne detur in pignus impropriè id est, ne se obliget ad certam pensionem ex suo labore & industria solvendam; idque sine ullo servitutis periculo, N. imò idipsum fieri posse insinuant Principes sæculares, dum justa de causa imponunt quandoque subditis suis tributa personalia, quæ nonnisi ex laborum suorum fructibus solvere possunt.

Obj 5. Census personalis minoris emitur, quàm valeant omnes pensiones speratæ: ergo illius emptio est illicita. Prob. conseq. Quia cùm Census personalis sit quoddam debitum personale; hoc autem debitum, secluso periculo, non minoris valeat, quàm res ipsa quæ debetur, v. g. debitum 100. aureorum, non minoris quàm 100. aurei, licèt per partes & successivè solvendi sequitur, illicitam esse ipsius emptionem, ubi minoris emitur.

Resp. neg. conseq. Ad prob. dico, falsum esse Censum personalem esse quoddam debitum, aut jus debitum exigendi, sed est jus ad certam utilitatem ex alterius labore provenientem. Sicut ergo non dicitur emere debitum, qui emit jus percipiendi 20. raserias tritici ex alterius agro; ità nec in nostro casu, cùm sit par ratio.

CONCLUSIO II.

Etiam licitus est Census vitalitius.

Prob. Tum ex praxi recepta, tum ex eo, quòd etiam hic interveniat vera emptio & venditio rei pretio æstimabilis, possitque fieri justo pretio, sicut quilibet alius; tum etiam ex Clem. 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, ubi dicitur, posse Prælatum vendere ad vitam alicujus redditum annuum certæ possessionis. Si autem vendi possit ad vitam redditus fructuarius, quidni & pecuniarius, cùm illi fructus pecuniæ æquivaleant.

QUÆSTIO IX.

Quid dicendum de Censu redimibili & irredimibili?

CONCLUSIO I.

Potest creari Census, qui sit redimibilis ad nutum venditoris seu Censuarii, licèt Censuista non possit illum ad redemptionem cogere. Patet ex Bulla Sixti V. citata, ubi inter conditiones ad justitiam Census requisitas, vult ut maneat Censuario libertas Censum, quando voluerit, pro eodem pretio extinguendi, modò bimestri ante Censuistam de redemptione moneat. In Bullis vero Martini V. & Callixti III. interdicitur Censuistæ facultas Censuarium cogendi ad redemptionem.

Ratio Conclusionis est, quòd cùm Census ordinariè sit Censuario onerosus, & Censuistæ commodus, eò quòd ille propter necessitatem, hic propter pecuniæ abundantiam Censum admittat, justum est ut redimibilitas concedatur potius in favorem venditoris, quàm emptoris.

CONCLUSIO II.

Licitus est jure naturæ, sed illicitus jure positivo Census utrumque irredimibilis, seu perpetuus, id est, qui nec possit à venditore redimi, nec ab emptore revendi.

Prob. 1. Pars; quia nulla est ratio cur non possit emi jus censuale, eo modo quo emitur domus aut ager, præsertim cùm seputentur bonum immobile, sed domus emitur in perpetuum ergo & jus censuale sic potest emi.

Confirm. 1. Posset Ecclesia, accedente Papali dispensatione, vendere alicui in perpetuum jus decimale, sed tunc esset Census perpetuus: ergo &c.

Confirm. 2. Census resignativus potest licitè esse perpetuus: ergo & consignativus.

Prob. 2. Pars ex Bulla Pii V. citata, ubi legitur *volumus Census omnes posse pro eodem pretio extingui*, si autem dicatur Bullam illam hic non vigere, saltem viget Statutum Caroli V. editum 2. Februarii 1528. per quod inhibetur, ne deinceps in Flandria Census irredimibiles creentur, statuitque jam creatos posse eodem pretio, quo venditi sunt, redimi, saltem si de pretio constare possit: quod addo, quia creati post mortem Caroli Audacis, id est, post annum 1476 redimi possunt nummo vigesimo quinto; anteriùs autem constituti, nummo trigesimo currentis monetæ tempore redemptionis.

Dices 1. Contra primam partem: non potest assignari pretium justum census perpetui; nam cùm duret quasi in infinitum, ita & quasi in infinitum debet ejus pretium excrescere.

Resp. Neg. Assumpt. Licèt enim pensiones in perpetuum recipiendæ, sint innumeræ, omnibus tamen consideratis, v. g. quòd capitale nunquam sit refundendum, quòd singulæ pensiones sint tantùm singulis annis recipiendæ, quòd res censui subjecta sit multis periculis & deteriorationibus exposita &c. his inquam, consideratis, ejus pretium est omninò finitum, potestque à viro prudente determinari, sicut determinatur pretium agri, licèt ex eo pensiones quasi infinitæ sint ab emptore recipiendæ.

Dices 2. Magis onerosus est census perpetuus censuario, quàm solutio usurarum mutuatario; quandoquidem possit hic refundendo capitale ab usuris eximi, ille autem quia sortem reddere impeditur, perpetuo gravatur onere.

Resp. Neg. Suppositum, nempe talem Censum onerosum esse Censuario, cùm pretium justum omnibus pensionibus solvendis proportionatum receperit: est quidem onus pensionem annuatim solvendi: sed ubi quis non suscepit illud, nisi prius recepto pretio oneri proportionato, immeritò dicitur inde gravari: meritò tamen dicitur gravatus mutuatarius per usurarum solutionem, cum illas solvere debeat sine titulo, nulloque recepto pretio. Ex dictis

Resol. 1. A fortiori licere, spectato jure naturæ, creare Censum irredimibilem conditionatè, v. gr. si Censuarius non refuderit capitale ante 20. annos, plus minusve.

Resol. 2. Ita posse institui censum, ut non possit redimi membratim, id est, per partes, sed debeat vel integer redimi, vel nunquam redimi; quia creatio hujus census est commodior censuario, quàm creatio census simpliciter perpetui.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Seu potius Quæstiones variæ ad materiam hujus contractus spectantes.

PEtes 1. Quodnam sit justum pretium census vitalitii?

R. Non posse universaliter constitui, cùm ex censuistis alius sit delicatus, alius robustus, unus morbidus, alter sanus, hic senex, alter juvenis: unde attendi debet vel ad legem Principis, si quæ sit, vel ad communem usum, & opinionem prudentum, spectata censuistæ complexione, ætate &c.

Petes 2. An possit vendi census majori pretio, quàm fuerit emptus?

R. Affirm. Quia potest fieri, quòd nunc pluris valeat, quàm valeret, quando fuit institutus; unde sicut possum domum minori pretio emptam, majori pretio vendere, si ejus pretium secundùm communem æstimationem creverit; quidni & similiter censum? Dixit quidem Pius V. in bulla toties citata, pretium semel censui constitutum, nunquam posse ob temporum aut contrahentium qualitatem seu accidens, nec quoad ultimo contrahentes minui, vel augeri; sed tantùm loquitur Pontifex in casu, quo per pretii augmentum, aut decrementum vel censuarius à censuista, vel censuista à censuario injustè gravaretur; non autem quando censuista censum venderet alicui tertio sine censuarii detrimento, quandoquidem etiam Romæ, ubi dicta Bulla maximè viget, emantur census difficiles minori pretio, quàm fuerint ab initio constituti, ut refert Lugo; Quanto magis poterit idipsum hìc fieri, ubi Pii V. constitutio nullius est vigoris.

Petes 3. An liceat pacisci de Censu solvendo, etiamsi res Censui subjecta perierit?

R. Vel Census est merè realis, vel realis & personalis simul: si primum, pactum illud est injustum, quandoquidem re illa pereunte, nihil restet fructiferum, supra quod fundetur Census: unde non posset alio titulo pensio exigi, quàm vi mutui, quod usurarium est: si secundum, licita est talis conventio: sicut enim potuit ab initio fundari Census super solam personam, ita & nunc sic fieri potest, ut, re pereunte, maneat persona obligata.

Petes 4. An possit Censuarius obligari ut redimat censum non tantùm eodem pretio, sed etiam eadem specie monetæ, v. g. aureis, pataconibus &c.

R. Posse, quando certum est, valorem monetæ non esse mutandum, sicut & quando æqualiter dubitatur, an sit augendus vel minuendus; quia tunc nullum onus imponitur Censuario; si autem probabilius sit, monetæ æstimationem esse minuendam, non potest Censuarius ad id obligari, cùm ipsi imponatur nova obligatio ex vi contractus nullatenus debita, nisi certe aliunde augeretur pretium proportionatè ad illam obligationem. Quod autem hic resolvimus de pretio redemptionis, idipsum resolvimus de solutione pensionis.

Petes 5. An possit ex pensionibus non solutis creari novus Census?

R. Posse, ubi non viget Pii V. Constitutio. Ratio est; quia cùm pensiones illæ debitæ sint pretio æstimabiles, possum cum illis jus censuale, sicut & quamlibet aliam mercem emere: non emitur quidem pecunia numerata; sed hanc conditionem requirit Bulla præfata, non jus naturæ, secundùm quod emi potest Census eo omni modo, quo potest res altera; præterea tali casu censetur pecunia virtualiter numerata, cùm cedat censuario pecuniam, quam hìc & nunc recipere deberet.

Petes 6. An teneatur censuarius, rem censui subjectam alienare volens, monere censuistam?

Resp. Teneri non solùm ex constitutione Pii V. sed etiam ex natura rei, quandoquidem multùm intersit censuistæ nosse personam, à qua debet pensionem recipere, scilicèt an sit solvendo difficilis, litigiosa, morosa, &c. ut possit sibi consulere.

Petes 7. An possit obligari Censuarius, ne rem Censitam alienet?

Resp. non posse, nisi gravamen illud aliundè compensetur; quia imponeretur ipsi onus ex vi contractus indebitum.

Petes 8. An Census sit redimibilis per partes?

Resp. Affirm. Modò tamen non fiat per partes ita parvas, ut redemptio sit incommoda Censuistæ. Ratio est quia jus censuale est æquivalenter multiplex, adeoque divisibiliter vendibile, cùm jus ad 12. contineat tria jura ad 4.

Petes 9. Quis sit præferendus, quando duo Censum emerunt super eandem rem; quæ posteà ita deterioratur, ut utrique Censui solvendo sit insufficiens.

Resp. Præferri debere primum emptorem; quia obligatio Census habet quamdam speciem hypothecæ. Præterea juxta regulam 54. juris in 6. *qui est prior tempore potior est jure*. Accedit, quòd primus emptor non debeat esse deterioris conditioni propter creationem secundi Census: ergo sicut, secundo censu non creato, totam pensionem in casu nostro reciperet, ita & recipere debet illo creato.

Petes 10. An beneficiarius possit Censum constituere super Beneficio?

Resp. Neg. nam 1. Non potest super pensionem quatenùs congruæ sustentationi superfluam, cùm illius non sit dominus: non potest etiam super eandem ut honestæ sustentationi necessariam; quia licèt illius sit dominus, ex ea tamen parte non censetur fructifera, nisi in ordine ad sustentandum Clericum.

Petes 11. An hic contractus sit Census, quando nempe quis dat alteri centum, recepturus annuatim 5. aut 6. donec pecunia restituatur; ita tamen, ut dans pecuniam privet se libertate repetendi sortem, sitque solum ad nutum recipientis reddibilis?

R. Cum StocKmans in Decisionibus Brabantinis, affirmativè: quia eo ipso, quo dans pecuniam privat se facultate sortis repetendæ, seu relinquit arbitrio debitoris vel pecuniam reddere, vel retinere, solvendo annuum interesse, æquivalenter constituitur Census personalis, nisi certè persona esset ex omni parte infructifera. Cujus ratio ulterior est, quòd tunc non sit mutuatio, cùm mutuans retineat facultatem sortis repetendæ, quando voluerit.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Reliquis Contractibus.

RElìqui contractus usitati, saltem in Belgio, sunt Depositum, Commodatum, Precarium, Assecuratio Fidejussio, Conductio, Locatio, Emphyteusis, Feudum, Ludus, & Sponsio. Nam de pignore & Hypotheca diximus in tract. De Restitutione, ubi de præferentia creditorum De his omnibus restat nobis breviter agendum.

QUÆSTIO I.

Quid Depositum, Commodatum, & Precarium.

ALiquando sumuntur Depositum, Commodatum, & Precarium, pro re deposita commodata, &c. aliquando pro contractibus, quibus res illæ alteri traduntur: de illis in ultima acceptione agemus.

CONCLUSIO I.

DEpositum est contractus, quo res alteri custodienda traditur, ut eadem gratis, integra reddatur.

Dicitur 1. *Quo res custodienda*, non autem consumenda, deterioranda, aut usibus applicanda; & ideò si Depositarius re deposita usus fuerit in detrimentum deponentis, tenetur illud resarcire, imò & pretium usus non concessi solvere.

Dicitur 2. *Traditur*, ut distinguatur ab Emptione, Venditione, & aliis contractibus, qui subsistere possunt sine rei traditione.

Dicitur 3. *Ut reddatur eadem*, nempè numero, per quod differt à mutuo, in quo sufficit, si eadem specie reddatur, modò sit & eadem in qualitate.

Dicitur 4. *Gratis*; quia etsi non repugnet huic contractui, quòd merces assignetur depositario pro re custodienda, illo tamen casu non est Depositum purum, sed mixtum ex locatione; operarum est autem Depositum duplex, judiciale unum, privatum alterum, primum fit quando authoritate judicis res aliqua, circa quam pendet lis, apud tertium deponitur, donec lis decidatur, & constet cui sit reddenda, & solet vocari sequestrum. Secundum verò contingit, dum quis apud confidentem rem suam deponit custodiendam.

Petes 1. An nunquàm liceat uti re deposita?

Resp. Quandoque licere, ac 1. quando expressè aut tacite consentit dominus; sed tunc intervenit Depositum & Commodatum simul 2. quando bona Fide creditur usum non fore domino ingratum: undè hoc præsumi potest, quando dominus tradit pecuniam custodiendam, quæ nec est sacculo clausa; nec sigillo munita, nec arca obserata; & aliundè certus est Depositarius, se pecuniam similem tempore solutionis reperturum; quia tunc non censetur dominus invitus, cùm nihil

hil indè patiatur, ubi tamen pecuniam sigillo, arca, aut sacco clausam deponit dominus, censentur illius usum Depositario interdicere, adeoque graviter peccat, si ea utatur; cùm gravem injuriam censeatur facere domino.

Petes 2. Qui possint esse depositarii?

R. Quemlibet ratione utentem, adeoque Pupillum, Minorem, Fœminam, Clericum, imò & Religiosum, accedente Prælati consensu: quo tamen casu non censetur Monasterium pro deposito respondere, si etiam ex culpa Religiosi pereat, sicut nec Ecclesia, si pereat ex culpa Clerici; quia dum Prælatus subdito licentiam depositum retinendi concedit, nullatenus censetur in Monasterium, aut Ecclesiam onus illud assumere.

CONCLUSIO II.

COmmodatum est contractus, quo res gratuitò conceditur ad certum usum pro determinato tempore.

Dicitur 1. *Gratuito conceditur*; quia ubi pretium exigitur, non est commodatum, sed locatio.

Dicitur 2. *Ad usum*, ut distinguatur 1. à mutuo, in quo etiam dominium transfertur 2. à deposito, in quo ordinariè nec usus, nec dominium conceditur.

Dicitur 3. *Ad certum usum*; quia non potest commodatarius re commodata uti, nisi ad eum usum, ad quem concessa est: unde si equum habeat commodato, ut eat hinc Parisios, vadat autem Lugdunum, tenetur usum ulteriorem domino solvere; imò si tunc pereat, non eodem modo apud dominum periturus, debet equi pretium domino reddere, quia ejus culpa periit.

Dicitur etiam: *Pro determinato tempore*, & in hoc differt à precario, quod hoc sit ad nutum concedentis revocabile: illud autem non possit repeti, nisi elapso tempore concesso: unde si dominus antea rem commodatam extorqueat, indeque damnum patiatur commodatarius, obnoxius est restitutioni; quia ubi commodans voluntariè usum concessit ad certum tempus, jus ad talem usum acquisivit commodatarius, & consequenter fit ipsi injuria, si antea repetatur. Excipe tamen, nisi commodans simile damnum esset passurus, quia cùm quis magis sibi quàm alteri obligetur, non censetur se velle privare libertate repetendi commodatum in tali circumstantia.

CONCLUSIO III.

PRecarium est contractus, quo alicujus rei usus conceditur ad nutum concedentis revocabilis.

Dicitur autem *Precarium*; quia precibus petentis conceditur. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Quòd licèt materia Depositi sit ordinariè res mobilis, v. gr. equus, vestis &c. possit tamen etiam esse res immobilis, ut domus, villa &c. imò & res usu consumptibilis; quandoquidem possint res istæ sub alterius custodiam cadere.

Resol. 2. Res unico usu consumptibiles non esse materias Commodati, aut Precarii. Ratio est; quia in illis non potest usus juris concedi, de quo hic loquimur, nisi concedatur & dominium.

Resol. 3. Posse tamen pecuniam esse materiam Commodati, aut Precarii, non ut est pretium rerum, sub quo respectu dicitur usu consumptibilis moraliter, sed ut potest esse alicui materia ostentationis, cùm usus ille possit concedi, non concesso dominio.

Quærunt hic aliqui ex qua culpa teneatur restituere depositarius, commodatarius &c. Sed de his sufficienter dictum est in principio Tractatus *de Restit.* q. 4.

QUÆSTIO II.

Quid assecuratio, an liceat, & quas conditiones requirat?

CONCLUSIO I.

ASsecuratio est contractus, quo quis suscipit in se rei alienæ periculum, obligans se ad eam compensandam si perierit. Hoc contractu non raro utuntur mercatores, qui mediantibus navibus marinis, in Provinciis externis negotiantur: cùm enim non raro naves mercibus onustæ exponantur periculo, vel ob tempestates, vel ob Pyratas, vel ob concursus navium hostilium, mercatores nonnulli timentes omnium jacturam aut naufragium, offerunt alicui certam pecuniæ summam, ut merces & naves velit assecurare, seu se obligare ad dandum æquivalens rebus perditis, si perierint. Hunc contractum praxi authorizatum condemnat Conradus volens non licere, nisi assecurans ad rei assecuratæ conservationem aliquam operam sit adhibiturus; & ideo vult quidem posse Nautam navem cum mercibus assecurare, non tamen alium, qui ad navis conservationem nihil confert. Contra quem sit

CONCLUSIO II.

LIcitus est contractus Assecurationis, modò vestiatur conditionibus recensendis.

Ratio est; quia si foret injustus, esset vel quia periculum suscipitur vel quia pretium exigitur; non primùm, aliàs nec liceret Fidejussio, quam tamen practicant personæ honestiores & maximè timoratæ: non etiam secundum, quandoquidem susceptio talis periculi sit pretio æstimabilis, ut patet tum ex *L. Periculi* 5. ff. *De Nautico fænore*; tum ex communi sensu omnium: unde nullus est homo sensatus qui nollet aliquid conferre, ut res sua periculo exposita, assecuraretur.

Confirm. 1. Licitus est contractus, ubi uterque contrahens exponitur æqualiter lucro & damno, sed hoc reperitur in assecuratione; ergo. Prob. min. quia dominus rei exponitur lucro possidendi æquivalenter rem suam, etsi perierit; & damno pretium perdendi, si non perierit; assecurans autem, lucro habendi pretium sine labore, & damno solvendi rei valorem, si perierit.

Confirm. 2. Licita est Fide-jussio, ut postea dicemus; ergo & assecuratio, cùm sit quædam species Fidejussionis; si enim in 1. homo sit cautio pro persona, in 2. est cautio pro merce.

Dices 1. Pretium exigitur pro nihilo, cùm assecurans nihil mercis, aut laboris conferat: ergo.

R. N. ant. Sed exigitur pro obligatione quam in se suscipit assecurans nempe solvendi valorem rei assecuratæ, si perierit.

Dices 2. Mutuans nihil potest recipere pro periculo amittendæ sortis: ergo nec assecurans pro periculo quod in se suscipit.

R. Dissimulato ant. de quo antea, neg. conseq. Quia si non possit aliquid recipi pro periculo amittendæ sortis, oritur ex eo quòd periculum dicatur mutuo intrinsecum; & consequenter si aliquid reciperetur pro eo, reciperetur vi mutui: in nostro autem casu nullum intervenit mutuum, adeoque pretium recipitur pro periculo ut periculo: quod licitum esse docet D. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. § 21. ubi ait: *aut recipit illud ultra sortem præcisè ratione periculi ut pretium periculi, & sic non est usura, sed licitum.*

CONCLUSIO III.

TRes præsertim requiruntur conditiones ad justitiam contractus assecurationis, si fiat pro pretio. 1. Ut sit æqualitas inter pretium & periculi susceptionem; ita ut si periculum sit majus aut minus, majus aut minus exigatur pretium. 2. Ut assecurans habeat unde solvat rei assecuratæ valorem, si perierit; aliàs, si non habeat, nullus est contractus, &, si pretium recepit, tenetur illud refundere: etiamsi res salva consistat. 3. Ut ille, cujus merces assecurantur, servet omnes conditiones in contractu positas, v. g. ut navis non ineat aliam viam, non ingrediatur alium portum, non gravetur aliis oneribus &c. 4. Ut periculum sit verum, saltem secundùm contrahentium existimationem; quia ubi nullum periculum, ibi nulla haberi potest assecuratio, cùm hæc sit essentialiter de periculo, cui res creditur exposita. Ex dictis

Resol. 1. Fraudulentum esse contractum, adeoque restitutioni obnoxium, si assecurator sciat navem, de cujus naufragio timetur ad portum appulisse; aut si alter petat assecurationem navis, quam novit jam periisse.

Resol. 2. Idem esse dicendum, etiamsi secundùm famam communem crederetur navis esse in periculo, si assecurator sciat in tuto esse positam. Ratio est; quia cùm solum periculum, saltem putatum, sit fundamentum & materia assecurationis, ubi scitur nullum esse periculum, nulla potest esse assecuratio.

Resol. 3. E contra validum esse contractum, si res extra periculum posita, bona fide credatur esse in periculo; & idem est si navis de facto perierit, & uterque contrahens sincerè credat adhuc subsistere; quia censentur contrahentes ultrò se illis eventibus ac periculis exponere, nisi aliter conveniant.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quid Fide-jussio? quandonam expiret, & qui possint Fide-jubere?

CONCLUSIO I.

Fide-jussio est contractus; quo quis suscipit in se obligationem alterius debiti solvendi, si debitor unde Fidejussor (qui aliter Intercessor dicitur, eo quòd pro debitore intercedat) duplicem respicit personam, unam cui se obligat, & alteram pro quà se obligat, & respectu hujus dicitur mandatarius, si jubeat ipsa inquirente; vel negotiorum gestor, si jubeat ipsa nesciente.

Porrò ut sit justa Fide-jussio, varias exigit conditiones.

1. Ut obliget in foro civili, requirit certam stipulationis formam, licèt ut obliget in foro conscientiæ, & Ecclesiæ, sufficiat consensus externè manifestatus.

2. Non potest ad plus obligari Fidejussor quantùm ad quantitatem, locum, & tempus solutionis, quàm debitor principalis: quia obligatio Fidejussoris, utpote accessoria, sequitur obligationem principalem.

Dixi: *Quantum ad quantitatem* &c. nam quantùm ad obligationem potest esse major in Fide jussore, quàm in debitore, ut, si Fide-jussor juramentum adjiciat, aut hypothecam, aut etiam si fide-jubeat pro eo qui tantùm naturaliter obligatur v. g. pro Minore contrahente sine authoritate Curatoris, pro uxore sine consensu mariti, pro Religioso sine licentia Prælati &c. tunc enim obligatur naturaliter & civiliter; ità ut si debitor principalis renuat, aut non possit solvere, possit judicialiter conveniri, ut ex lib. 3. Instit. De Fide-jussoribus §. 10. *In omnibus* colligunt Gomesius, Bonacina, Amicus, Lessius & alii.

3. Ut non obligetur Fide-jussor, nisi obligetur debitor, undè si ob contractus invaliditatem ad nihil teneatur debitor, ad nihil etiam tenetur Fide-jussor, cùm se tantùm obligaverit in eventum, si principalis deberet, & non solveret. Aliud esset, si non solùm se obligasset ad securitatem debiti, sed etiam ad securitatem contractus, casu quo vel à Superiore, vel legis beneficio rescinderetur; tunc enim posset obligari, debitore non obligato.

4. Ut ordinariè loquendo non possit creditor Fidejussorem convenire, nisi prius ad solvendum, sufficienter debitorem compulerit, cùm tantùm solvere debeat Fidejussor in defectum debitoris. Dixi; *Ordinariè loquendo*; quia poterit 1. conveniri Fide-jussor, si renuntiaverit juri quod habet, ne ante debitorem compellatur. 2. Si constet debitorem non esse solvendo, aut longè absit, nec bona possideat in territorio. Similiter si negavit se esse Fide-jussorem. L. *Si dubitet* 10. §. 1. ff. De Fidejussoribus.

5. Ut hic contractus supponat alium debitorem; & ideo qui se alterius loco constituit principalem, & unicum debitorem, non est Fidejussor. Ex dictis

Resol. 1. Teneri Fidejussorem ad solvendum ante judicis sententiam, quia succedit in locum debitoris, qui tenetur ante sententiam judicis solvere.

Resol. 2. Nec posse fidejubere pupillos, sicut nec filios familias, qui carent peculio castrensi, aut quasi castrensi, eò quòd nullam habeant bonorum administrationem. Minores verò fide-jubere possunt pro patre incarcerato, tenetque tunc civiliter & naturaliter Fide-jussio: si autem in aliis casibus fidejubeant sine licentia curatoris, obligantur quidem naturaliter, sed possunt per beneficium restitutionis in integrum indemnizari.

Resol. 3. Nec permitti Religioso inferiori Fide-jussionem, nisi adsit licentia Prælati, & majoris partis capituli; si aliter fidejusserit, ad nihil tenetur Monasterium. Imò etsi in rebus levioris momenti ad fide-jubendum admittatur superior: in rebus tamen majoris momenti repellitur, si major pars capituli non consentiat. cap. *Quod quibusdam* 4. *de Fide-jussoribus*.

Resol. 4. Idem esse dicendum de militibus, saltem tempore expeditionis, ut limitant Doctores; patet ex L. *Milites*, Cod. *De locato*, ubi legitur: *Milites nostros alienarum rerum conductores seu procuratores, aut Fide-jussores ....fieri prohibemus*.

Resol. 5. Mulierem validè quidem posse fidejubere pro alio, quàm marito, si ejus Fidejussio sit munita instrumento publico à tribus testibus subscripto, aut saltem à notario coram tribus testibus; posse tamen etiam ante sententiæ executionem Fidejussionem suam revocare privilegio Senatus-Consulti Veliejani, si excipiantur casus sequentes. 1. Si fidejubeat recepto pretio, aut addito juramento. 2. Si pro dote alterius. 3. Si pro libertate servi. 4. Si fidejussit ut deciperet. 5. Si pignus aut Fidejussorem pro alio dedit, & post biennium ad idem se obligavit. 6. Si dicto privilegio expressè renuntiaverit, sive in judicio, sive extra, ut jam consuetudine receptum est, inquit Covarruvias.

CONCLUSIO II.

Expirat 1. Fide-jussio obligatoria, soluto pretio à debitore, vel alio quocumque. 2. Elapso termino, aut à creditore prorogato, si ad certum tempus se obligaverat Fide-jussor. 3. Si inter debitorem & creditorem fiat quædam novatio sine consensu Fide-jussoris L. 4. Cod. *De Fide-jussoribus*. Est autem novatio prioris debiti in aliam obligationem translatio, ita ut prima causa sit quasi perempta 4. Quando debitor succedit Fide-jussori, aut Fide-jussor debitori L. *Generaliter* 5. ff. *De Fide-jussoribus*. Et ratio est, quia, inquit Glossa Bartoli, *obligatio principalis extinguit accessoriam, si in eadem persona concurrant*.

Petes 1. Quibus casibus agere possit Fide-jussor contra debitorem, ut ab onere Fide-jussionis liberetur?

Resp. Quòd etsi ordinariè non possit agere contra debitorem nisi postquam ipsius loco solvit; tamen in casibus sequentibus etiam ante solutionem, contra ipsum agere potest. 1. Si Fide-jussor sit in judicio condemnandus ad solvendum pro eo. 2. Si debitor bona dilapidare incipiat, ita ut periculum sit ne tempore solutionis non sit solvendo. 3. Si debitor Fide-jussorem diù obligatum detinuit, seu, quod idem est, si diu debiti solutionem distulit. Illud autem *diu*, judicis prudentis arbitrio determinandum est 4. Si cum debitore convenerit ut se à Fide-jussione liberare teneatur.

Petes 2. An maneat obligatus Fidejussor, si creditor debiti petitionem suo tempore neglexit, & posteà debitor factus sit impotens?

R. Neg. Quia non tenetur Fide-jussor damnum resarcire, quod creditor sua culpa patitur; nec censetur se ad solutionem loco debitoris obligasse, nisi posita a creditore sufficienti & opportuna diligentia ad solutionem obtinendam, & ideò si debitum perdat, sibi imputet, non Fidejussori.

QUÆSTIO IV.

Quid dicendum de locatione & conductione?

Locatio & conductio non sunt contractus diversi, sed unus & idem, sicut emptio & venditio: undè sicut hic contractus dicitur emptio quatenus respicit illum, qui dat pretium, & venditio prout respicit illum, qui tradit mercem, ita similiter contractus ille dicitur locatio per respectum ad eum, qui rem ad usum tradit, & conductio per respectum ad eum, qui ad usum accipit, & ideò tradens dicitur *Locator*, & accipiens *Conductor*, qui si conducat domum, dicitur in jure *Inquilinus*, si agrum, *Colonus*. Varia occurrunt de locatione & conductione aliquot articulis resolvenda.

ARTICULUS I.

Quid Locatio & conductio, quæ res sint locabiles & quibus?

CONCLUSIO I.

Locatio est contractus, quo traditur ad certum tempus usus, aut fructus rei vel personæ pro pretio, conductio autem contractus, quo accipitur ad certum tempus &c.

Dicitur 1. *Ad certum tempus*, quod non debet excedere decennium, aliàs transit in Emphyteusim, si res locata non sit persona.

Dicitur 2. *Usus*; & per hoc differt à contractu emptionis & venditionis, in quo transfertur rei dominium, saltem si accesserit traditio.

Dicitur 3 *Aut fructus*, quia tam fructus locabilis est, quàm usus; unde sicut ad usum elocatur Domus, Villa, Navis &c. ita ad fructum elocatur ager, hortus, vinea &c.

Dicitur 4. *Rei vel personæ*, quia non tantùm res sive mobiles, sive immobiles locantur, sed etiam personæ ratione operum & artificii.

Dicitur 5. *Pro pretio*, ut distinguatur à commodato & precario, quæ gratis conceduntur. Est autem indifferens ad locationem sive pretium sit pecunia, sive frumentum, sive animalia, sive quodlibet aliud, & per hoc iterum differt ab emptione

ne

ne & venditione, quæ transeunt in contractum permutationis, si pro merce non detur pecunia, sed aliquid aliud.

CONCLUSIO II.

LOcari possunt res omnes, quæ per jus naturale, Ecclesiasticum, aut civile non prohibentur.

Ratio est; quia res illæ possunt vendi: ergo & locari, cùm sit minùs locare, quàm vendere. Hinc

Resol. 1. Locabiles esse non solùm Domos, Villas, Agros &c. sed etiam fluvios ad piscationem, certa loca ad venationem, nemora ad lignorum cæsionem, greges ad lanæ, & fœtuum perceptionem, &c.

Resol. 2. Non posse locari, ob juris naturalis prohibitionem, Sacramentorum administrationes, sicut nec actiones injustas & turpes, quia illæ superant omne pretium, hæ autem non possunt pretio æstimari.

Resol. 3. Non licere (jure canonico prohibente) locare domum usurario publico cap. *Usurarum* 1. *De Usuris*. in 6. Item nec licent locationes jurisdictionum Ecclesiasticarum, quales sunt jus nominandi, admittendi, instituendi, Diœcesim visitandi &c.

Resol. 4. Bona Ecclesiastica non esse ad longum tempus, id est, per decennium, ut communiter intelligitur, elocabilia. Patet ex Clemen. 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*: sunt tamen ad breve tempus, id est, per triennium, ut declarat Paulus III. in sua Bulla, quæ incipit *Ambitiosæ*, & non ultra; unde omnem conductionem & locationem ultra triennium declarat irritam & invalidam, non quidem quatenùs triennalis est, *sed* quatenus triennium excedit, & ideo si novennalis fiat, va*lida* erit quoad tres primos annos, invalida quoad sex alios, ut communiter explicant Doctores. Non videtur tamen condemnanda praxis eorum, qui locant quidem ad novem annos, sed ita, ut singulo triennio liceat tum locatori, tum conductori resilire; imò si locatio non respiciat res, sed tantùm fructus, aut redditus Ecclesiasticos, poterit etiam ad novennium extendi, cùm illi sint potius bona Ecclesiasticorum, quàm Ecclesiæ.

Resol. 5. Ex jure civili prohiberi locationem servitutis prædialis, seu facultatis quam quis habet ad transeundum per prędium, aut agrum alterius. L. *Locare* 44. ff. *Locati*. Item nec locabilis est res, cujus quis habet tantùm usum nudum, seu qua potest uti præcisè ad necessitatem. Aliud esset, si haberet usum fructum, id est posset uti re etiam ad voluptatem, & commoditatem. Ita decernit Iustinianus lib. 2. instit. tit. 5. §. 1. *Is qui fundi nudum habet usum, nulli alii jus quod habet, locare potest, cum is, qui usum-fructum habet, possit hoc facere.*

CONCLUSIO III.

QUamvis, spectato jure naturæ, res locari possint quibuslibet personis, quæ non putantur illis abusuræ; contradicente tamen jure positivo, non sunt locabiles sequentibus. 1. Curialibus, id est, iis qui sunt obstricti & obligati curiæ L. *Curialis* 30. Cod. *De Locato*. 2. Militibus, qui sunt in actuali militia, ut intelligunt interpretes L. *Milites* 31. C. *De Locato*, ubi inhibetur illis conductio sub pœna cadendi à militia, & à gradu quem in militia obtinent. 3. Clericis & Monachis prohibetur ne sint *sæcularium rerum conductores aut procuratores*. Cap. *Multa* 1. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* possunt tamen conductori succedere: imò his temporibus permittitur ipsis variarum rerum conductio, ut satis declarat praxis communiter recepta. 4 Usurariis publicis, ut antea diximus, quamvis cap. 1. *De Usuris* in 6. tantùm specificentur usurarii alienigenæ, non indigenæ. 5. Ludimagistris ne elocent domum vicinam domui alterius Magistri, si propter vicinitatem voces Magistrorum, aut discipulorum confundantur: sed hoc non videtur amplius in usu.

Dixi in Conclusione: *quæ non putantur illis abusuræ*, & ideò reus ea, si elocaveris arma illi, quem credis usurum ad occisionem. Sed quid si domum eloces meretrici? Etiam reus es, si verisimiliter existimes ea abusuram ad actus meretricios. Ratio est; quia prębes illi occasionem & commoditatem peccandi. Accedit quod non possis locare domum exercenti artem cui per se annexum est peccatum: ergo nec à fortiori exercenti meretricium: unde Authentica *De lenonibus* §. *Prætonizamus*, dicitur: *si quis patiatur in domo sua quemdam lenonem... & hæc denunciata cognoscens, non ex domo sua expulerit, sciat se & decem librarum auri sustinere pœnam, & citra ipsam perditurum habitationem*: ergo cùm hæc pœna sit gravis, supponit locatorem, nisi lenonem expellat, gravem committere culpam.

Dices 1. Domus elocatio non est inductiva ad peccatum: ergo:

R. 1. Neque elocationem gladii esse inductivam ad occisionem, & tamen occidere volenti non licet illum elocare.

Resp. 2. Dist. Ant. Non est inductiva ad peccatum quærenti domum præcisè ad habitationem, C. quærenti ad artem meretriciam, ita ut sine illa aut alia elocata non posset exerceri: N. Quia si nullus domum similibus elocaret, deberent sordidam artem illam relinquere.

Dices 2. Licitum est vendere meretrici cibum & potum: ergo & locare domum, cùm habitatio sit necessaria, sicut refectio.

Resp. Dist. Conseq. Ergo & locare domum, si ea usura sit solùm ad habitationem, sicut cibo & potu, C. & ideo non est prohibitum ipsi locare domum, si alibi meretricium exerceat. Si usura sit ad turpitudinem, N.

ARTICULUS II.

Quæ sint obligationes locatoris & conductoris?

CONCLUSIO I.

TEnetur 1. Locator aperire vitium rei locatæ.

Ratio est; quia fieri potest quòd res cum tali vitio sit futura conductori incommoda, inutilis, imò damnosa, & ideo si vitium scienter celaverit, tenetur conductori de omni interesse ex rei vitio proveniente.

Dico: *Scienter*, quia si bona fide credebat rem à vitio immunem, non est damno reparando obnoxius. Ex his

Resol. 1. Si ad transportandas merces elocasti equum aut mulum, quem sciebas assuetum onera excutere, aut secum illis in aquas immittere, tibi inesse onus conductorem indemnizandi. Idem est si damnum patiatur conductor ex eo quòd ipsi inscio locaveris domum ruinosam, spiritibus vexatam, male famatam &c.

Resol. 2. Te ad nihil teneri, si ex prato tuo locato, cujus herbarum virtutem nocivam omnino ignorabas, fiant animalia conductoris macilenta, morbida, deteriora &c. non poteris tamen pensionem petere; quandoquidem conductor sine sua culpa non possit re locata uti. Hæc omnia patent ex *L. Si quis domum* 9. *ff. locati*.

Resol. 3. Nec peccato, nec restitutioni obnoxium esse locatorem, si rem locandam dederit antea conductori probandam, visitandam &c. nisi certè vitium esset occultum.

Tenetur 2. Locator (seclusâ conventione in contrarium) ad omnes expensas ad rei locatæ conservationem, reparationem, & utilitatem necessarias; quia per locationem concedendo rei locatæ usum, censetur implicitè se obligare ad efficiendum, ut usus ille sit conductori aptus, commodus, proportionatus &c. & ideo si conductor, ob defectum locatoris, expensas necessarias fecerit, debet locator eas resarcire. Aliud esset si fecisset expensas præcisè in majus sui commodum, quia licet elapso locationis tempore posset illas auferre, si essent à re locata separabiles, non teneretur tamen locator illas compensare, si non essent separabiles, quia sicut non tenebatur locator expensas illas facere; ita nec tenetur ab alio spontè factas resarcire, nisi tacitè in eas consensisset.

Dixi. *Seclusa conventione in contrarium*, quia non repugnat huic contractui, quod conductor assumat in se onus expensarum; modò res elocetur minori pretio.

Quantùm autem ad tributa, an sint à locatore, an à conductore, an ab utroque simul solvenda? Spectandæ sunt locorum consuetudines.

3. Non potest locator ante elapsum locationis tempus conductorem expellere, quia cùm jus habeat conductor, ratione contractus, inhabitandi toto tempore statuto, non potest sine injuria antea expelli. Excipiuntur tamen casus sequentes a jure. 1. si conductor per biennium pretium locationis non solverit, ubi res plusquam ad duos annos locata est, ubi verò ad minus spatium; potest expelli quotiescumque pensionis convente solutionem distulit, nisi locorum consuetudo legitima aliud introduxisset. 2. Si accidat casus inopinatus & tempore locationis imprævisus, ob quem indiget locator domo locata, v. g. si uxorem duxit, si domus quam habitabat, fuerit combusta, si corruerit, si ruinam minetur &c. Dixi: *Domo locata*; quia lex solùm de domo loquitur, non de aliis rebus locabilibus. 3. Si conductor re locata abutatur, vel deteriorando, vel in usus pravos convertendo. 4. Si res locata sit reficienda, aut restauranda, & illo tempore non sit habitabilis, quo casu, sicut & quando domus necessaria est locatori, remittenda est pensio pro rata temporis. In 1. autem & 3. casu etiam remittenda est, si reperiatur alius, qui rem eodem pretio conducat;

ducat; si autem non seperiatur, vel non nisi minori pretio, debet conductor expulsus omne damnum resarcire, cùm ejus culpa, acciderit.

CONCLUSIO II.

TEnetus 1. Conductor re locata uti præcisè ad eum usum, ad quem ipsi concessa est.

Ratio est, quia in omnibus contractibus standum est conventioni: undè lib. 4. Instit. tit. 1. §. 6. legitur: *Si is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quàm cujus gratia ei data est, furtum committit.*

2. Non potest conductor ante elapsum locationis tempus rem locatam deserere sine justa causa, vel certè debet pretium de quo conventum est, solvere. Ratio est, quia nullus potest à contractu justo resilire, nisi causa legitima intervenerit. Est autem causa sufficiens; si res locata propter pestem, bellum, inundationem, ruinam, aut ejusdem periculum fieret inhabitabilis.

3. Debet, finito conductionis tempore, rem locatam reddere integram, & incolumem locatori, cùm fuerit ipsi præcisè concessus usus, salva, quantum fieri potuit, rei substantia

3. Tenetur solvere pensionem taxatam, tempore per contractum, legem, aut consuetudinem constituto. Excipe tamen, nisi ob impedimentum sine sua culpa aut interventu superveniens non posset re locata uti, aut eam colere; tunc enim non debet toto tempore impedimenti pensionem solvere, cùm non sit justum, ut non sentiens sine sua culpa rei locatæ commodum, patiatur solutionis incommodum.

Sed quid si absque culpa, aut imperitia conductoris accidat sterilitas? Si tanta sit, ut nihil, aut ferè nihil recipiatur, non est solvenda pensio; si modica, nihil est de ea minuendum. Si notabilis, minuendum erit pro rata sterilitatis. Hæc omnia ordinata sunt in jure tum civili, tum canonico, cui standum est; nisi loci consuetudo, aut partium conventio contradicat, vel nisi anni præcedentis aut subsequentis ubertas sterilitatem compenset. Ut habetur c. *Propter sterilitatem 3. De locato & conducto.*

ARTICULUS III.

In quo resolvuntur reliqua ad hunc contractum spectantia.

PEtes 1. Quænam censeatur sterilitas notabilis & sufficiens ut pensio remittatur pro rata? Varii variè respondent, sed crediderim standum esse expertorum judicio, attenta loci consuetudine, & contractuum tenore.

Petes 2. An ad remissionem pensionis debeant fructus ante messem perire?

R. Neg. sed sufficit, sive collecti in fundo, sive in aream transportati pereant, modo non potuerint antea commodè in horreum recondi. Patet ex L. *Ex conducto.* 5. §. 1. ff. *Locati*: imò volunt aliqui etiam remissionem esse faciendam, si fulmen, aut hostis inopinato superveniens positos in horreo succendat vel auferat.

Petes 3. An teneatur conductor pensionem augere, si adsit specialis ubertas.

Respondent aliqui teneri, si non proveniant ubertas ex ipsius industria.

Ratio est, quia postulat æquitas, ut, si pensio propter sterilitatem minuatur, etiam propter ubertatem extraordinariè fructuosam augeatur, modò tamen, qua proportione crescit fructuum copia, non decrescat eorundem pretium propter abundantiam, aliàs non est augenda pensio; cùm ubertas illa non sit colono proficua: Nihilominùs moribus Belgicis introductum est, ut etiam tunc non augeatur pensio.

Petes 4. An possit conductor cogere locatorem ad minuendam pensionem, si res locata facta sit deterior.

R. Posse, quia cum res deterioretur domino, etiam debet deteriorationis effectus ipsi obvenire, ubi nulla intercessit conductoris culpa.

Petes 5. An locatio transeat ad hæredem?

R. Transire ad hæredem universalem, non singularem. Ratio est; quia hæres universalis, utpote repræsentans ex juris fictione personam defuncti, succedit in omnia ipsius jura & onera, non sic hæres singularis; quia cùm non gerat personam Locatoris, ità nec ejus obligationes suscipit.

Petes 6 An Minor, finita curatela, stare debeat Locationi, quam fecit Curator?

R. Affirm. quia Curator non suo, sed Minoris nomine locavit: ubi tamen læsus esset Minor, posset per beneficium restitutionis in integrum indemnizari.

QUÆSTIO V.

Quid Feudum, & Emphyteusis, & quas conditiones requirant?

CONCLUSIO I.

FEudum est contractus, quo traditur rei immobilis possessio & dominium utile sub onere fidelitatis & obsequii personalis, Emphyteusis verò, contractus, quo præfata traduntur sub onere pensionis realis; ità ut Feudum & Emphyteusis differant ex parte oneris, sub quo res accipitur, seu quòd in uno, onus sit reale, in altero personale, cum juramento fidelitatis, quod non præstat Emphyteuta. Si autem aliquando imponatur onus personale & reale simul, erit contractus mixtus, seu partim feudalis, partim Emphyteuticus.

Dicitur 1. In definitione feudi & Emphyteusis: *quo traditur res immobilis*, ut ager, domus, stagnum, nemus &c. & in hoc differunt à locatione, quæ respicit indifferenter rem mobilem & immobilem.

Dicitur 2. *Possessio*; & ideò fieri potest, quòd feudatarius, aut Emphyteuticus præscribat contra dominum, non quidem dominium directum, cùm illius possessio civilis, contra quam non præscribitur, semper maneat penes infeudatorem; sed dominium utile, si nempe rem traditam incipiat bona fide possidere tanquam suam, & continuet per tempus ad præscriptionem requisitum.

Dicitur 3. *Et dominium utile*, in quo distinguuntur à venditione rigorosa, per quam utrumque dominium in emptorem transfertur. Illud tamen dominium utile ità proprium est Feudatario, aut Emphyteutæ, ut possint vocari domini, possintque illud donare, locare, alienare, in aliam Emphyteusim dare &c. modò non fiat absque domini directi consensu.

Dicitur 4. In definitione Feudi: *sub onere obsequii personalis* quod dicitur homagium, domino directo quandoque in recognitionem reddendum: illud autem reddens dicitur *Feudatarius* seu Vassalius, recipiens *Infeudator*.

Dicitur denique in definitione Emphyteusis: *sub onere pensionis realis*, quam solvere debet Emphyteuta singulis annis; ità ut si per biennium non solverit, ubi Emphyteusis est Ecclesiastica, vel per triennium, ubi est sæcularis, perdat rem emphyteuticam cum omnibus meliorationibus, quas fecit, illaque redeat ad dominum directum. In Emphyteusi tamen Ecclesiastica, seu quando res in Emphyteusim tradita, est bonum Ecclesiæ, aut pii loci, potest Emphyteuta moram biennii purgare per celerem satisfactionem: non sic in Emphyteusi sæculari, ubi non conceditur moræ purgatio, elapso triennio.

CONCLUSIO II.

COnditiones ad feudum requisitæ sunt sequentes: 1. Debet feudatarius à domino investiri, & mitti in possessionem. 2. Tenetur ad juramentum fidelitatis; non est tamen hoc juramentum de essentia feudi, cùm ab initio non fieret: unde sufficit promissio fidelitatis. 3. Præstare debet obsequium personale, ubi fuerit ad hoc interpellatus. 4. Non potest, extra casus à jure permissos, feudum donare, alienare, oppignorare &c. sine domini directi consensu; si autem ob necessitatem cogatur feudatarius feudum alienare, tenebitur maturè infeudatorem monere, ejusque consensum requirere, quem, juxta Rebuffum, non potest recusare. 5. Ubi feudatarius obsequium debitum renuit, perdit feudum, sicut Emphyteuta ob pensionem non solutam perdit rem Emphyteuticam. Aliæ etiam sequiruntur conditiones, sed quia sunt Feudo & Emphyteusi communes, jam de illis agemus.

CON-

CONCLUSIO III.

VAriæ etiam requiruntur conditiones ad Emphyteusim. 1. Debet res Emphyteutica esse immobilis & fructifera: immobilis quidem; quia jura nonnisi de rebus immobilibus exempla proponunt: fructifera verò; quia aliàs non traderetur dominium illius utile, si, mediante locatione, aut alio justo titulo possit pecuniam domino exhibere.

2. Debet illius rei dominium directum, sicut & possessio civilis manere penes priorem dominum, dominio utili in Emphyteutam translato, qui ideo solvere debet tributa, etiamsi Ecclesiæ bona in Emphyteusim acceperit; quandoquidem dominium utile, ratione cujus tributum exigitur, non sit Ecclesiæ, sed ipsius.

3. Obligatur Emphyteuta ad solutionem pensionis annuæ, ad quod non tenetur feudatarius; ab illa tamen liberatur, ubi res Emphyteutica sine ipsius culpa totaliter perit, nec se ad casus fortuitos obligavit. Dico *totaliter*; si enim tantùm ex parte pereat, postulat æquitas ut partem proportionatam solvat; imò ut totam, si fructus ex re deteriorata percipiendi, adhuc æquivaleant aut prævaleant pensioni solvendæ; quia ubi in creatione Emphyteusis fructus sperati sunt magni, & pensio modica, hæc magis exigitur in recognitionem domini directi, quàm ad fructuum compensationem.

4. Non potest Emphyteuta, idque sub pœna totius juris perdendi, meliorationes à se factas vendere, nisi priùs *mo*neat dominum directum, qui potest illas eodem pretio ante omnes alios emere; imò conceditur ipsi bimestre ad deliberandum, an acceptare velit, necne, quo non acceptante aliis vendi possunt.

5. Nec potest, nisi dominum monuerit, ad decennium rem Emphyteuticam locare, potest tamen ad minus spatium. Ratio est; quia per locationem decennalem alienatur dominium utile, non per novennalem, aut minorem: ubi autem res alienatur, licèt ad tempus, monendus est dominus, ut præferatur in emptione, si velit.

6. Juxta Authenticam *Qui rem* C. *de sacrosanctis Ecclesiis*, rem amittit Emphyteuta, si ejus culpa facta sit deterior; & licèt tantùm ibi fiat mentio de Emphyteusi Ecclesiastica, etiam hoc ad Emphyteusim sæcularem extendunt Doctores communiter, ob rationis paritatem.

7. Si pro rei conservatione, reparatione, congrua utilitate, commoditate &c. faciendæ sint expensæ, fieri debent ab Emphyteuta, jure & consuetudine sic disponente.

8. Quando res Emphyteutica, sive donatione, sive venditione, sive aliter alienatur, tenetur accipiens pro investitura solvere laudemium, quod est certum pretium majus aut minus juxta loci consuetudinem. Illud tamen non est solvendum. 1. Quando Pater rem Emphyteuticam, alia deficiente, tradit filiæ in dotem. 2. Quando titulo hæreditatis illam accipit hæres necessarius. 3. Quando plures, quibus res Emphyteutica communis est, illam inter se dividunt. 4. Quando resoluto contractu redit ad priorem Emphyteutam; quia tunc censetur potiùs contractus rescissio, quàm nova venditio.

Petes, unde originem habeat Emphyteusis?

R. Quoad nomen, originem habere à verbo græco Emphyteusis, quod latinè idem est ac plantatio seu insitio, eò quòd ordinariè in re Emphyteutica ad meliorationem tradita fieri soleant variæ plantationes. Quoad rem verò dicitur initium habere à Zenone: quod & alii multorum agrorum domini frequentare cœperunt, ut terras, quas ob nimiam extensionem per se non colebant, sterilesque & inutiles illis fiebant, colerentur per Emphyteutas, paulatimque meliorarentur, reddita tamen annuatim modica pensione, idque potiùs in recognitionem domini directi, quàm in pretium usus fructus. Sed postea etiam agri fertiles & fœcundati, in Emphyteusim dari cœperunt.

Plura alia de Feudo & Emphyteusi restant dicenda, sed quia raro aut nunquàm sunt confessariis pro suo munere obeundo necessaris, ideo relinquimus illa jurisperitis tractanda.

QUÆSTIO VI.

Quid ludus, quotuplex, quis prohibitus, quis restitutioni obnoxius?

LUdus in genere sumitur pro omni eo, quod animum relaxare potest. Si fiat verbis, dicitur *jocus*, si factis, *Ludus* specificè.

Porro Ludus in 1. sui institutione fiebat sine ulla pretii expositione, ita ut non lucrum, sed delectatio intenderetur, postea tamen ad majorem oblectationem, pretium aliquod victori propositum est, quod erat à victo solvendum: sicque factus est contractus, sub qua ratione hic de Ludo agimus.

CONCLUSIO I.

LUdus est contractus, quo de certo pretio victori solvendo inter se conveniunt ludentes. Triplex assignatur communiter à Doctoribus: primus est qui à sola fortuna, aut forte dependet, ut Lusus tesserarum, taxillorum, & chartarum qui omnes veniunt sub nomine *Alearum*, vulgò *jeu de hazard*, licèt in aliquibus parum industriæ admisceatur. 2. Qui solo ingenio, solaque industria regitur, ut lusus tabularum, 3. Quem partim industria, partim fortuna regulat, ut lusus tabularum cum taxillis.

CONCLUSIO II.

LIcitus est omnis Ludus, qui vestitur conditionibus sequentibus. 1. est, si non per Legem Ecclesiasticam, aut civilem prohibitus. 2. Si per eum non exponatur quis perjuriis, blasphemiis, rixis, turpitudinibus &c., quia ubi tale periculum reperitur, licèt lusus foret simplicissimus & honestissimus, semper est vitandus; quia *qui amat periculum, in illo peribit* Eccli. 3. 3. Si pecunia Ludo exposita sit colludentium statui proportionata: undè qui exponit ea, quæ sunt vel ad debita solvenda, vel ad familiæ sustentationem necessaria peccat mortaliter, ob detrimentum quod creditoribus, uxori, & prolibus infert, aut inferre exponitur. Imò quamvis ipsemet tale periculum non subiret, si tamen socios colludentes illi periculo subjiciat, etiam est graviter reus, eò quòd alieno peccato cooperetur. 4. Debent colludentes habere liberam administrationem pecuniæ Ludo expositæ; & ideo peccant Filii-familias non habentes bona Castrensia, aut quasi-Castrensia: sicut & uxores non habentes Paraphernalia, si plus exponant Ludo, quàm sibi per licentiam expressam, aut tacitam permittatur; imò & peccant cum eis ludentes, cùm animum habeant lucrandi & reservandi, quæ non possunt accipere; & licèt animum illum non haberent, equidem cooperantur peccato talia exponentium. Idem dic cum proportione de prodigo mancipato, & Religioso, sicut & de aliis cum eis ludentibus.

Notandum tamen, si filius-familias, aut uxor, quæ hodiè poterat exponere 5. totidem lucretur, posse die sequenti exponere 10. consuetudine sic disponente, nisi certè Pater, aut maritus contradiceret: quod præsumendum est, ubi pecunia exposita, etsi lucro comparata, censetur à timoratis excessiva, attenta ludentis conditione. Plura de Ludi pretio vide in fine Tractatus de statu Religioso q. 9. art. 3. §. 5.

5. Servandæ sunt Leges, quas vel ipsi collusores statuerunt, vel, si nullas posuerunt, quæ communiter sunt in tali loco receptæ; quia contractus, ubi contrarium non exprimitur, censetur juxta loci consuetudinem celebrari. Ubi autem dubium circa leges oritur, consulendi sunt hac in re periti. 6. Debet abesse omnis fraus; ita ut fraudans chartas v. g. supponendo, mutando, occultando, notando, puncta aut calculos falsò multiplicando, teneatur non tantùm lucrum acquisitum refundere, sed etiam omne damnum inde aliis illatum reparare. Excipe tamen, nisi tales essent fraudes, quæ admitterentur à colludentibus sub hoc onere, quòd deceptus pretium taxatum perderet. 7. Non est collusor ad Ludum cogendus, sivè minis, sivè verberibus, sivè injuriis, sivè precibus violentis & importunis, sivè aliis quibuscumque modis vim & coactionem moraliter inferentibus, ita ut taliter cogens sivè in principio lusus, sivè postquam lucratus est alter, teneatur omne lucrum coacto restituere, licèt possit coactus lucrum suum retinere. Ratio est, quia qui alium ad ludendum cogit, spontè se huic oneri subjicit, possit perdere & non lucrari: non lucrari quidem, quia si ita socium cogeret ad ludendum cum ter-

G tio,

tio, teneretur quidquid perdidisset, refundere, eò quòd esset causa moralis alterius damni: ergo à fortiori nihil potest ipse à coacto sperare: potest autem perdere; quia, non obstante dicta coactione, restat adhuc satis voluntarii, ut contractus sit validus, & consequenter exponatur perdendi periculo: undè sibi imputet & non alteri, quòd sit in talem angustiam redactus. Aliud esset dicendum, ubi attractio ad Ludum tantùm esset invitatoria, non coactiva.

Dices contra hanc conditionem: contractus ille est validus: ergo uterque potest lucrari & perdere.

Res. Esse quidem validum; coactum tamen non posse perdere, non propter contractum, sed propter coactionem; ratione cujus est ab omni jactura indemnizandus;

CONCLUSIO III.

JUre positivo prohibitus est tam laicis, quàm clericis ludus, qui sola fortuna & casu regitur, seu omnis ille, qui Alearum nomine venit. De laicis patet ex L. 1. 2. & 3. ff. *De Aleatoribus*, ubi sancitur ludentes esse puniendos: hocque statutum est ad evitanda gravia mala ex Ludis non rarò evenientia, ut sunt perjuria, blasphemiæ, bonorum dilapidationes, familiarum lapsus, rixæ, homicidia &c.

Prob. Præsertim de Clericis, ex cap. *Clerici* 15. De vita & honestate Clericorum, ubi Innoc. III. *Ad aleas & taxillos*, inquit, *non ludant, nec hujusmodi Ludis intersint* & Can. *Episcopus* 1. dist. 35. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur: similiter etiam Laicus:* quòd & confirmavit Sancta Synodus Trident. Sess. 22. de Reform. cap. 1. de vita & honestate Clericorum, his verbis: *Statuit S. Synodus ut quæ aliàs à Summis Pontificibus & à Sacris Conciliis de Clericorum vita & honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis, copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis, observentur.*

Hanc prohibitionem quantùm ad Laicos, non esse in vigore, saltem ubi Lusus est moderatus, quoad pretium, tempus, verba &c. declarat totius Orbis praxis recepta & à timoratis frequentata.

Quantùm ad Clericos, dici non potest, inquit Amicus, præfatas leges non esse in viridi observantia, cùm eas terminis expressis confirmaverit, innovaritque Tridentinum; sed intelligendæ sunt, saltem ut his temporibus videntur receptæ, de ludentibus vel publicè, vel cum scandalo, vel frequenter, vel magno pretio, vel bona Crucifixi exponendo: non autem de iis, qui solùs recreationis causa aliquoties, privatim, pretio modico, sine clamore, aut contentione colludunt.

Sciant interim Clerici, & Ecclesiæ Ministri se esse lumen mundi, adeòque debere aliis exemplo prælucere, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Sciant insuper, potiùs solatio sua in Sacris Scripturis debere quærere, quàm in Ludis & nugis sæcularibus; juxta illud 1. Machab. 12. *Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.*

CONCLUSIO IV.

COmparata per Ludum lege humana prohibitum, non sunt restituenda ante judicis sententiam, saltem his temporibus.

Ratio est, quia cùm Ludus ille sit ex lege naturæ validus, nec aliundè per legem positivam invalidus, non est undè lucrum sit victo restituendum: leges quidem humanæ certum Ludum prohibent; sed aliud est prohibere, aliud irritare, prohibendo igitur, tantùm concedunt victo pretii perditi repetitionem, ut leges attentè consideranti patebit.

Dixi in Conclusione: *saltem his temporibus*; quia etsi fortè in initio leges præfatæ contractum lusorium irritarent, sicut & temporibus divorum Thomæ, & Bonaventuræ, eò quòd tunc sic reciperentur, nunc tamen videntur per consuetudinem contrariam quo ad hoc abrogatæ. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui Ludo prohibito perdiderit, nec solvit, non teneri ad solutionem. Ratio est; quia cum ille possit pretium datum repetere, ut diximus etiam, potest necdum datum denegare, cùm juxta L. *Invitus* 198. ff. *De regulis juris*, cui conceditur actio datum repetendi, datur & exceptio ne det exigenti.

Resol. 3. Ludo permisso ludentem teneri perdita solvere, etiamsi creditò luserit, quia cùm jus commune circa hoc nihil statuerit, standum est juri naturæ, secundùm quod debita ex contractu debent solvi. Excipe tamen, nisi alicubi lex particularis perdentem liberaret à solutione.

Petes 1. An possit lucrari, qui ludit Ludo prohibito, cum intentione non solvendi, aut perdita repetendi?

Res. N. Quia in omni contractu non coacto servanda est æqualitas, seu justitia commutativa, ita ut qui potest perdere, possit lucrari, & è contra: non servatur autem, ubi unus collusorum potest lucrari, & non perdere.

Dixi: *qui ludo prohibito*, nam etsi ludens Ludo licito peccet, si non intendat solvere, potest tamen lucrari, modo possit ad solutionem cogi. Aliud esset, si nihil haberet, quia cùm tunc nec possit solvere, nec ad solutionem cogi, ita nec potest lucrari.

Petes 2. An habens tantùm 5. nummos, possit uno jactu lucrari decem?

Res. N. Quia sicut qui non potest perdere, non potest lucrari, ita qui potest tantùm 5. perdere, tantum potest 5. lucrari. Intellige tamen, ubi periculum est utrimque æquale, aliàs si unus majori periculo jacturæ exponatur, quàm alter, etiam proportionatè potest magis lucrari, quàm perdere.

Dixi: *Uno jactu*; nam si per quinque, alia quinque fuit lucratus, potest 2. jactu decem exponere, & sic deinceps.

Petes 3. An Filius-familias, aut alius exponens Ludo *rem*, de qua non potest disponere, possit lucrari?

Res. N. Quia debet esse æqualis colludentium conditio. Præterea idem dici debet de eo in tali casu, ac de illo qui non potest perdere.

Petes denique, ad quid teneatur ille, qui simulans se in aliquo lusu inexpertum, alium fraudulenter attrahit, ejusque pecuniam lucratur?

Resp. Teneri ad restitutionem totius lucri, quod per fraudem obtinuit; quia fraus & dolus nemini patrocinantur.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quid sit contractus Sponsionis, & an sit licitus?

CONCLUSIO I.

SPonsio est contractus, quo duo de alicujus rei eventu incerti, pecuniam aut aliud exponunt obtinendum ab eo, qui veritatem fuerit assecutus: ut, si Petrus certet pro aureo Scotiam v. g. intra mensem esse reducendam, Paulus autem sub eodem pretio contrarium affirmet. Indifferens est autem ad Sponsionem, sive res, de qua certatur, sit præsens, sive præterita, sive futura, modò ab utroque certante ignoretur eventus.

CONCLUSIO II.

LIcitus est hic contractus, modò ex parte utriusque sit incertitudo, absit fraus & dissimulatio, verseturque circa rem licitam.

Ratio est, quia nullo jure legitur prohibitus, & aliundè per illum æqualiter exponitur uterque lucro & jacturæ.

Dixi: *Modo ex parte utriusque*, quia si unus spondentium sit certus, altero incerto, nulla est Sponsio, defectu æqualitatis. Hinc

Resol. 1. Eum, qui per revelationem, per litteras certas, per sensuum experientiam &c. novisset rem ita esse, vel evenisse, vel eventuram, non posse spondere, tenerique pretium Sponsionis, si spoponderit, restituere. Aliud esset, si is, qui certus est, sincerè manifestaret certitudinem suam comparti, quæ, hac non obstante, vellet spondere, dicens se ipsi cedere pretium Sponsionis, casu quo sit certus, quia scienti & volenti nulla fit injuria.

Resol. 2. Si quis spoponderit, credens se certum de rei eventu, & posteà videat se fuisse incertum, peccasse quidem spondendo, non tamen teneri restituere, si fuerit lucratus, quia de facto Sponsio erat justa: unde sicut faciens contractum, quem putat Simoniacum, peccat quidem, sed non est obnoxius restitutioni, ubi postea advertit esse licitum, ita in nostro casu.

Resol. 3. Teneri solvere pretium Sponsionis eum, qui certavit se victurum socium, v. g. scribendo, pingendo &c. si no-

si nolit scribere, aut pingere; quia tunc censetur juri suo cedere, seque victum agnoscere.

Resol. 4 Nullam esse Sponsionem ejus, qui spondet se victurum alium, edendo, aut bibendo; cùm se & alium exponat periculo immoderatè edendi vel bibendi.

APPENDIX

SEU DISPUTATIO ACCESSORIA

De Judice & Judicio publico.

POstquàm de justitia diximus, ratio postulat, ut aliquid etiam de Judice & Judicio publico, aliisque justitiæ administratoribus breviter dicamus.

QUÆSTIO I.

Quid judex, quid debeat, & quid possit?

SUppono 1. Licitum esse judicium publicum, cùm sit actus justitiæ in Republica omninò necessarius ad conveniens communitatis regimen; illudque authorizat Scriptura tum veteris, cum novi Testamenti: & ideò cum dicit Christus Matth. 7. & alibi: *Nolite judicare* &c. de privatis hominum judiciis loquitur non de publicis à Superiore legitimo exercitis.

Suppono 2. Non esse per se illicitum sua in judicio per litem repetere; cùm hoc nec justitiæ, nec Charitati repugnet: *unde* quando dicit Christus Lucæ 6. *Qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas*, & Matth. c. 5. *Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, consilium est, non præceptum. Reprehendit quidem Apostolus 1. Corinth. 6. judicia tanquàm peccata: quod & faciunt Sancti PP. sed propter abusum, eò quòd ferè semper intermisceantur animositates, Charitatis læsio, affectus vindictæ, detractiones, iræ, rixæ, nimia temporalium aviditas, æternorum oblivio, salutis incuria &c. quæ sanè deberent homines Christianos, nisi gravis admodum causa urgeret, à litigando retrahere.

CONCLUSIO I.

JUdex est persona publica habens potestatem de sibi subditorum controversiis & criminibus cognoscendi, eorumque causas per sententiam terminandi, juxta legis præscriptum.

Dicitur 1. *Persona publica*, ad distinctionem judicis privati, vel potius arbitri, cui se ultrò subjiciunt partes ad compositionem controversiarum.

Dicitur 2. *Habens potestatem* sive ordinariam, sive delegatam; quia, cùm sententia sit quædam lex particularis præscribens partibus quid sit agendum, non potest nisi ab habente potestatem & jurisdictionem validè ferri; & ideò invalida est sententia judicis excommunicati non tolerati cùm sit privatus usu suæ jurisdictionis, ut colligunt DD. ex variis Canonibus. Si tamen esset toleratus, valida foret sententia; imò & licita, ex parte litigantium, si ex justa causa illam postulent.

Dico: *Ex parte litigantium*; quia graviter peccat judex, si se ingerat non rogatus, quandoquidem toleratio à Concilio Constantiensi concessa, non sit in favorem excommunicati, sed aliorum cum ipso communicantium. Valeret tamen sententia judicis, qui laborans occulto defectu, haberet titulum coloratum, ratione cujus putaretur communiter legitimus; quia tunc, ob bonum commune jurisdictionem suppleret authoritas publica.

Dixi 3. *Sibi subditorum*; quia nulla est sententia lata in non subditum, vel in subditum in crimine exemptum, & ideò ubi Tribunalia non sunt mixti fori, invalidè judicantur Clerici à judicibus Laicis, etiam in civilibus: sicut & Religiosi exempti ab Officialibus, quia sunt ab eorum Tribunali liberi. Acquiritur autem subjectio, non tantum ratione domicilii, sed etiam ratione contractus, delicti in loco extraneo patrati, sicut & ratione rei, de qua litigatur.

Dixi 4. *Cognoscendi*: cùm enim non possit ignota judicare, sequitur, quod cum habeat potestatem judicandi, habeat & judicanda cognoscendi, aliàs exponetur evidenti periculo injustè & temerariè procedendi, vel reum absolvendo, vel innocentem condemnando: quod est contra naturam & finem judicii. Ex quo ulterius patet, requiri in judice scientiam competentem legum, constitutionum, consuetudinum localium, sicut & prudentiam; ut, quod lex universaliter statuit, valeat causis particularibus applicare, aliàs tenetur damna ex sua imperitia secuta resarcire.

Dixi 5. *Controversiis & criminibus*, ut comprehendatur tam judicium civile, quàm criminale: civile quidem, in quo unicuique quod suum est, adjudicatur: criminale verò, in quo pœna juxta delicti qualitatem reo infligitur.

Dixi 6. *Per sententiam terminandi*, eò quòd habeat jus non tantùm sententiam ferendi, sed insuper cogendi ad sententiæ prolatæ executionem.

Dixi denique: *Juxta legis præscriptum*; debet enim judex tam supremus, quàm inferior, non solùm legem naturalem, sed etiam positivam in judicando servare: *Judex quidem inferior*, quia, cùm non sit supra legem, sed subditus legi, debet illam ad amussim sequi, quantùm fieri potest: *judex autem supremus*; quia postulat æquitas naturalis, ut quod quisque in alium juris statuit, aut servari præcepit, observet & ipsemet: undè Aug. lib. de vera Religione cap. 31. de Legibus humanis sic ait: *quanquàm de his homines judicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas.* Potest nihilominùs judex supremus (quod non potest ordinariè judex inferior) ob justam rationem in illis dispensare, pœnam taxatam vel minuendo, vel etiam remittendo.

CONCLUSIO II.

NOn debet judex in aliquem inquirere, nec in judicium quemquam vocare: multò minùs sententiare, nisi adsit accusator formalis, aut virtualis: Ita statuerunt jura & praxis communis. Est autem accusator formalis auctor quidam, sive sit pars læsa, sive alius, cui de jure competit, vel qui spondet se probaturum crimen, quod objicit: virtualis verò (qui supplet vices accusatoris) est vel evidentia facti, vel præcedens infamia, vel denunciatio juridica, seu depositio criminis sine onere probandi, ex quo patet 1. differre denunciatorem ab accusatore, quòd hic sumat onus probandi, quod objicit, ille non. Patet 2. Tres esse modos, quibus ordinariè proceditur in judicio adversùs crimina, nempè viam accusationis, viam denunciationis, & viam inquisitionis, quando judex, nulla facta accusatione aut denunciatione, inquirit de aliquo crimine propter infamiam præcedentem, seu rumorem publicum.

Advertendum hìc, viam denunciationis esse duplicem, unam, qua crimen denunciatur superiori tanquàm patri ad ipsius rei emendationem, & tunc dicitur *Evangelica*, sed non debet fieri, nisi monitio fraterna nihil profuerit. Alteram, qua crimen defertur superiori tanquàm judici, sed ut illud puniat, & dicitur *judicialis*: hæc non est adhibenda, ubi profutura sunt monitio fraterna, aut denunciatio Evangelica, nisi certè bonum Reipublicæ, aut alicujus honor seu fama id postularet.

CONCLUSIO III.

AD inquisitionem generalem nulla præcessisse debet infamia; ad specialem debet ordinariè, si tendat ad punitionem; ad mixtam quandoque, non semper. Inquisitio autem *Generalis* est, dum inquiritur de persona, aut crimine in genere, v. g. an nullus sit in Urbe, in Pago, in Communitate suspectus, infamatus, reus de crimine. *Specialis*, dum de persona & crimine in particulari, v. g. An talis tale quid commiserit: *Mixta*, dum de persona in particulari, sed de crimine in genere, aut è contra.

Prob. 1. Pars; quia generalis inquisitio vergit in bonum communitatis, ut nempè vitia exterminentur, & studia virtutum augeantur: nec ullus potest de illa justè conqueri, cùm nullum in particulari respiciat: undè talis inquisitio in Religionum visitationibus annuis usurpatur. Non debent tamen, imò non possunt subditi patefacere superiori crimina secreta illorum, qui non laborant infamia aliqua, nisi certè tanquàm patri ad Rei emendationem, ubi priùs monitio fraterna nihil profuisset. Si quis verò per imprudentiam crimen alterius manifestasset, posset Superior, ubi id exigeret bonum commune, contra reum inquisitionem specialem instituere, modò nec proximè, nec remotè habeatur notitia delicti ex Confessione Sacramentali. Ratio est; quia licèt ille propter dictum unius non sit propriè infamatus, adest tamen hìc notorium facti, quod æquivalet aut prævalet infamiæ. Ubi tamen advertit judex non posse crimen juridicè probari, debet desistere, aliàs solùm tenderet inquisitio ad infamationem proximi.

Prob. 2. Pars ex cap. 21. *De accusatione*. lib. 5. Tit. 1.

ubi monet Pontifex non esse faciendam inquisitionem specialem, nisi præcesserit infamia, seu clamorosa insinuatio ad quam non sufficit vox malevolorum, aut maledicorum, sed requiritur proborum, & quidem in tanto numero, ut delicti rumor sit quasi publicus; imò non debet judex infamatum de uno crimine interrogare de alio, sicut nec de complicibus non infamatis. Aliud esset, si crimen aliquod connexionem haberet cum altero, aut illius suspicionem ingereret.

Dixi: *Ordinariè*; quia excipitur crimen læsæ Majestatis & delictum in judicio commissum, puta falsum testimonium, item Hæresis, occisio domini in sua domo respectivè ad servos, & submersio navis respectivè ad nautas. Similiter conspiratio in principem & proditio civitatis, ubi hæc non sunt patrata sed patranda: in illis enim casibus potest judex ex vehementi suspicione & indiciis, etsi non præcesserit infamia, specialiter inquirere. Sic nec requiritur infamia, quando constat de authore evidentia facti, aut notorietate juris per confessionem ipsius Rei in judicio, modò cognitio non fuerit injustè exorta.

Dixi 3. *Si tendat ad punitionem*: ubi enim vergit in emendationem præcisè, non debet præcessisse infamia, sicut nec quando fit inquisitio de alicujus vita & moribus, ne indignus eligatur ad aliquod Officium, Prælaturam &c. Item nec quando sponsus de futuro inquirit de vita sponsæ, aut è contra. Si tamen delictum aliquod detegatur, ex quo nocumentum Ecclesiæ, Communitati, Reipublicæ, aut Matrimonio timetur, silentio prætereundum est, & interim persona, de cujus promotione agitur, relinquenda.

Prob. 3. Pars de inquisitione mixta; quia si rumor sit in civitate, grave crimen patratum esse de nocte, nescitur autem, aut sit occisio hominis, violatio virginis &c. non potest inquiri de Petro v. g. nisi sit infamatus; cùm autem constat de crimine, & ignoratur criminosus, etsi nulla de aliquo præcesserit infamia, licita est inquisitio, modò de nulla persona determinata inquiratur. Patet ex praxi universali.

Advertendum hic:,] ad inquisitionem specialem non requiri infamiam præviam ex jure naturæ, sed tantùm ex jure positivo, cui derogare potest, imò & derogavit multis in locis consuetudo in judiciis sæcularibus, saltem respectu criminum Reipublicæ nocivorum, ut sunt homicidia, furta &c. eò quòd non spectetur nuda punitio, sed communitatis conservatio.

QUÆSTIO II.

Quomodo se gerere debeat Judex circa torturam, sententiam ferendam, & munera oblata?

SUppono 1. Illicitè, ordinariè loquendo, adhiberi torturam, ubi plenè constat, aut constare potest de crimine & criminoso, licèt hic fateri crimen detrectet.

Ratio est; quia tortura tantùm adhibetur ad veritatem extorquendam: ergo ubi de illa constat, aut constare potest, injustè torquetur reus.

Dixi: *Ordinariè loquendo*; quia ubi ex justa causa sancitum est; ne condemnetur reus, nisi propria confessione convictus, posset judex confessionem denegantem torturæ adjudicare.

Suppono 2. Non posse ob debilitatem torqueri senes, ob ætatem impuberes, ob periculum aborsus prægnantes, ob privilegium, ubi receptum est, viros illustres, dignitate conspicuos, Doctores eorumque filios. Hoc tamen privilegium non favet accusatis de crimine Hæreseos, læsæ Majestatis, & proditionis civitatis.

Suppono 3. Non nisi in criminibus gravioribus adhibendam esse torturam, seu in iis quæ pœna mortis, mutilationis aut triremium sunt corripienda.

CONCLUSIO I.

NOn potest judex aliquem adjudicare torturæ, nisi adsit semiplena probatio, aut indicia æquivalentia.

Ratio est; quia cum tortura sit supplicium durissimum, non potest justè adhiberi, nisi adsit magna apparentia criminis patrati. Facit autem semiplenam probationem testis de visu, contra quem non est exceptio, id est, vir non minor 25. annis, boni nominis & famæ, non excommunicatus, non inimicus, non litigans cum accusato. Indicia, quorum aliqua sunt levia, aliqua gravia; aliqua gravissima, alia proxima, alia remota, censetur æquivalere semiplenæ probationi, quando vir prudens & probus id judicaverit, attenta qualitate personæ, criminis, loci, temporis, demonstrationum, suspicionum &c. cùm nulla assignari possit certa regula. Dicuntur satis communiter sufficere indicia sequentia Primum, communis suspicio cum fuga patrato crimine, deletur tamen suspicio, ubi citatus comparet. Secundum. Quando quis rixari & percutere assuetus, prius ex odio aut inimicitia mortem minatus est, arma quæsivit, & circa locum criminis patrati visus est. Tertium. Dum quis se delicti authorem fecit apud duos testes omni exceptione majores, qui deponunt se id ab illo audivisse. Quartum. Assertio duorum. Quintum. Si quis visus est egrediens è loco homicidii districto ense aut cultro cruentato, nec alius author appareat. E contra non videntur sufficere quæ sequuntur. 1. Sola accusatio, aut sola infamia, aut etiam utraque simul; quia neutra quidquam probat, sed prima aperit viam ad audiendos testes, secunda ad inquirendum. 2. Quòd quis inventus sit circa locum interfectionis habens apud se cultrum cruentatum; quandoquidem non rarò homicidæ sacco innocentis cultros suos clanculùm imponant. 3. Si cadaver occisi ad præsentiam unius & non alterius sanguinem emittat per vulnus, cùm hoc signum sit valdè infirmum & debile. 4. Si accusata ut saga, ligetur, & aquis imposita supernatet; cùm possit dæmon per hanc viam superstitiosam, innocentem calumniari & reum eripere. Prudenter ergo, cautè & maturè perpendere debet judex indicia, non tantùm illa, quæ nocent accusato, sed etiam quæ favent; quia hæc elidunt illa, aut certè reddere possunt insufficientia. Etiam attendere debet, an accusatus fuerit hactenus vir integri nominis, necne?

Petes, an tutus possit iterum torqueri, ubi nihil fuit confessus?

R. N. Nisi indicia sint gravissima, aut nova supervenerint; quia ob constantiam putantur indicia elisa. Ubi autem fuisset in tortura confessus, & extra negasset, posset 2. torqueri, imò & 3. si in idem reincidat; non tamen ultra; ut detur in tanto cruciatu terminus; imò post tertiam vicem debet absolutus dimitti.

CONCLUSIO II.

QUantùm ad sententiam criminalem, invalidè fertur, prætermisso juris ordine, sicut & quando criminis confessio, sive à judice, sive ab ejus ministris injustè extorta est, nisi aliundè probetur crimen.

Prob. 1. Pars; quia ubi judex *juris ordinem* prætermittit, usurpat potestatem, quam non *habet*; cùm non nisi sub tali conditione sit ipsi concessa.

Prob. 2. Pars; quia confessio per injuriam extorta pro nulla habetur in jure. Unde hoc & illo casu tenetur judex ad reparationem omnium damnorum realium inde *sequentium*. Excipe, nisi haberet aliunde rationes sufficientes ad condemnandum juridicè reum: tunc enim excusaretur à restitutione.

CONCLUSIO III.

QUantùm ad sententiam civilem, non potest judex ferre judicium secundùm sententiam minùs probabilem, sed tenetur ferre secundùm illam, quam coram Deo, omnibus diligenter pensatis, & æquissima lance libratis, apparet ipsi probabilior.

Prob. 1. Pars, quæ est contra Medinam, Aragon. Dianam, & quosdam alios volentes in quæstionibus juris, non tamen facti, licitum esse judici secundùm sententiam minùs probabilem judicare. Probatur, inquam. 1. Ex condemnatione hujus propositionis ab Innocentio XI. *Probabilius existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

Prob. 2. Ex Scriptura Exodi 18. *Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas*; sed si liceret judicare juxtà opinionem minùs probabilem, non esset opus eligere viros tam sapientes: cùm possit facilè quilibet in revolvendis titulis & librorum indicibus utcumque versatus deprehendere, an sententia aliqua habeat pro se graves Doctores, adeòque an sit probabilis. Prætereà, quomodo esset in tali judice veritas? cùm judicet secundùm sententiam, quam credit potiùs falsam, quàm veram.

Prob. 3. Ratione; quia frustra quærerentur sapientiores & eloquentiores Advocati; nam eo fine præcisè desiderantur peritiores, ut suorum clientum causas judicibus verisimiliores reddant, & ea via eos flectant ad ferendam sententiam

ipsis

ipsis favorabilem: qui finis cessat, si possit judex secundùm sententiam minùs probabilem judicare.

Prob. Denique; quia hæc sententia facit judices arbitros, & quasi Dominos omnium hæreditatum, prædiorum, redditum & bonorum, de quibus controvertitur, quandoquidem possint illa, cui voluerint ex duobus litigantibus assignare: quod est iniquum & Reipublicæ perniciosum.

Prob. 2. Pars, quæ est Soti, Sanchez, Malderi, Layman, Becani, & aliorum: quia judex à Republica statuitur, ut judicium ferat secundum id, quod magis æquum viderit; sed magis æquum est, ut judicet secundùm opinionem verisimiliorem. ergo &c. unde si aliter faciat, convincitur esse personarum acceptor, non minùs ac prælatus, qui relicto digniori, minus digno beneficium confert. Nec dicas, sequendam quidem esse opinionem probabiliorem in quæstionibus facti, id est, quando sunt testes, indicia, instrumenta urgentia ad probandum factum, verb. grat. aliquem recepisse summam pecuniæ, non tamen in quæstionibus juris, id est, quando sunt fundamenta & rationes Doctorum fortiores ad probandum jus, quod quis v. g. habet ad testamentum, quia nulla est disparitas inter quæstionem juris & quæstionem facti; cùm eodem modo se habeant rationes Doctorum in quæstionibus juris, sicut testes, indicia &c. in quæstionibus facti: si ergo judicandum est in favorem partis, quæ habet pro se testes plures, aut longè majoris authoritatis; quidni & judicandum foret in favorem partis, quæ habet pro se rationes aut plures æquales, aut longè fortiores?

Quando, omnibus spectatis, sive rationibus, sive testimoniis, jura utriusque partis videntur æqualia, non potest judex totum uni parti adjudicare, sed debet rem, si divisibilis est, dividere, sin minùs, compositionem inter partes facere; ita ut utrique parti ex æquo satisfiat. Ratio est; quia si judex rem totaliter uni parti applicaret, convinceretur id fecisse, non attendendo præcisè ad jura partium, sed acceptando personas ob passionem, vel affectum inordinatum, cùm nullam rationem habeat, cur rem totam adjudicet uni parti potiùs, quàm alteri.

Exceptio est ab hac regula 1. Quando unus litigantium est in possessione, quia in pari causa melior est conditio possidentis: adeoque debet ipsi totum adjudicari. 2. Quando causa est criminalis, tunc enim in favorem Rei judicandum est, ut patet ex illa regula 11. juris in 6. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*, imò idem faciendum est, licèt probationes accusatoris aut fisci essent paulò probabiliores, aut clariores, quia tunc parum debet pro nihilo reputari. Excipiuntur & alii casus, quos consule apud juristas.

CONCLUSIO IV.

POtest judex pro labore recipere stipendia, seu honoraria non tamen munera, saltem majora.

Prob. 1. Pars, quia dignus est operarius mercede sua, labor autem & studium ad judicandum requisita sunt opera pretio æstimabilia. Excipe tamen, nisi pro officio judicandi sit ipsi aliundè stipendium assignatum: quod fieri solet respectu judicium Ecclesiasticorum, tam ordinariorum, quàm delegatorum, qui ideò tenentur restituere quidquid acceperunt, etiamsi partes remittant. Patet ex c. *Statutum* 11. de rescriptis in 6. §. 7. *si quid*.

Prob. 2. Pars; quia talia munera, si ante sententiam recipiantur, sunt vere corruptiva justitiæ, excæcant siquidem judices, pervertunt etiam justos, & vias veritatis obscurant: unde Deuter. 16. legitur, *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum*. Hinc qui talia munera accipit, semper tenetur ante latam sententiam accepta restituere; cum sint ipsi periculum proximum subversionis: nec timere debet notam inurbanitatis remittendo, cùm inde potius honorem, quàm dedecus apud Deum & homines sibi conciliet.

Dixi: *Ante latam sententiam*, quia cum finita causa, desinat periculum, & aliundè donantes, liberaliter, ut suppono, dederint, potest judex si non sit Ecclesiasticus, accepta retinere, cùm nulla lex obliget judicem sæcularem ad restituendum, sicut obligat Ecclesiasticum.

Dixi in conclusione, *munera saltem majora*, quia judici Ecclesiastico permittitur c. 11. de Rescr. §. 4. in 6. accipere in esculentis & opulentis munuscula paucis diebus consumptibilia, modò sint merè liberaliter oblata: quod à fortiori licitum est judici sæculari. Et ratio est, quòd non credatur animus judicis ex Xeniolis illis corrumpendus, judici tamen integro, etiam ab illis foret abstinendum, quia cùm animus hominis sit infirmus, si ex modicis non moveatur, sæpè tamen debilitatur. A fortiori abstinere debet à virtualiter extortis, quod fit, cum data opera judicium protrahitur, ut per munera sollicitetur acceleratio, illa enim, ut potè injustè accepta, sunt obnoxia restitutioni. Ex dictis

Resolve, quando judex licitè potest munus accipere, posse litigantem etiam licitè offerre, quando autem ille accipit illicitè, & hunc similiter illicitè offerre. Ratio est, quia si judex non possit recipere, ne moveatur: nec litigans potest offerre, ne moveat: nisi certè hoc faceret ad redimendam injustam vexationem, quæ tamen non est præsumenda; nisi manifestè appareat.

QUÆSTIO III.

Quid accusatio judicialis, quibus competat, an liceat, & an aliquando obliget?

CONCLUSIO I.

ACcusatio est delicti patrati apud judicem delatio facta scripto ad punitionem publicam, cum onere probandi sub pœna talionis.

Dicitur 1. *Facta scripto*. Ita statutum est c. 1. & 3. 2. q. 8. In illo autem scribi debet nomen accusantis & accusati, species criminis, tempus, locus, annus, mensis, imò & dies, si petatur, quo fuit patratum crimen: volunt tamen nonnulli sufficere accusationem verbalem, modò Notarius præsens illam excipiat scripto, & illi subscribat accusator per se, vel per alium, si non novit scribere.

Dicitur 2. *Ad punitionem publicam*, quia semper habet accusatio pro scopo bonum publicum, ut nimirùm crimina puniantur ad aliorum exemplum, & in hoc differt à querela, quæ fit quandoque ob bonum privatum partis læsæ.

Dicitur 3. *Cum onere probandi*, per quod distinguitur à denunciatione, cui tale onus non est annexum.

Dicitur 4. *Sub pœna talionis*, id est, ejusdem pœnæ, qua afficeretur reus convictus: & hoc ne detur occasio calumniandi propter impunitatem. Hæc tamen conditio non videtur amplius in usu in foro sæculari; imò nec in Curia Romana, eò quòd retrahat homines ab accusando, sæpè cùm magno Reipublicæ detrimento.

CONCLUSIO II.

REgulariter potest quilibet civis accusare in delicto publico; non sic in privato, in quo tantùm potest ille, cujus interest; nisi certè affixa esset delicto pœna fisco applicanda. Ita praxis & jura statuerunt.

Est autem hic *delictum publicum*, quod directè afficit personas publicas, aut publicam authoritatem, ut hæresis, blasphemia in DEUM aut Sanctos, contemptus aut irrisio Ecclesiæ, conspiratio in principem, proditio civitatis, rebellio, falsificatio monetæ, crimen læsæ Majestatis, Magistratus aut Officialium publicorum verbo aut verberibus indigna tractatio &c. quibus adduntur adulterium, veneficium, parricidium, & similia. *Privatum* verò est quodlibet aliud.

Dixi in conclusione: *Regulariter*, nam 1. Ab accusatione prohibentur infames & excommunicati, qui tamen admittuntur in crimine læsæ Majestatis, hæreseos & proditionis. 2. Filii respectu patris, servi respectu Domini, inferiores respectu Prælati, idque ob decentiam, nisi certè id exigeret bonum commune. 3. Clerici in causa sanguinis: possunt tamen judicialiter denunciare, modò protestentur, se non rei mortem, sed suum, aut Reipublicæ bonum quærere. 4. Inimicus 5. Mulieres & minores. Hi tamen omnes admittuntur ad accusandum, quando prosequuntur injuriam suam, aut etiam suorum usque ad quartum gradum juxta jus Canonicum, & usque ad octavum juxta jus Civile; sive interim crimen sit publicum, sive privatum.

CONCLUSIO III.

LIcitum est offenso offendentem accusare, aut denunciare juridicè, ad id tamen non tenetur, ubi crimen non vergit in damnum publicum.

Prob. 1. Pars; quia licitum est læso in fama, honore, membris, bonis fortunæ, aut etiam in suis parentibus, tum criminis punitionem, tum damnorum reparationem à ju-

dice competenti exigere, cùm restitutio & injuriarum vindicatio authoritate publica sint actus virtutis justitiæ; atqui illa non possunt obtineri sine accusatione, aut denunciatione: ergo. Cavendum tamen ab odio & affectu inordinato, quæ facilè in similibus immiscentur: satisfactionem quidem & restitutionem possumus intendere; obligamur tamen ex corde injurias remittere.

Prob. 2. pars; quia potest quilibet injuriam sibi; aut suis factam condonare, estque actus virtutes heroicus, quem consulit lex gratiæ in Oratione Dominica; nbi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

CONCLUSIO IV.

UBi crimen aliquod vergit in grave damnum Reipublicæ aut innocentis, tenetur quilibet sub gravi peccato illud accusare, si possit in judicio probari.

Prob. Quia incumbit unicuique avertere, quantùm in se est, damnum publicum, adeoque, si non possit, nisi accusando, ad id tenetur: quod etiam verum est etsi delinquenti secretum promiserit, cum jure-jurando, quod tunc non obligat, cum sit de re illicita.

Dixi 1. *In damnum Reipublicæ*; quia si non noceat, eò quòd jam crimen completum sit, nec ex eo ulterius damnum timeatur, non est accusandi obligatio: hoc tamen raró accidit, cùm fere semper expediat crimina, saltem publica, puniri, idque ad terrorem sceleratorum.

Dixi 2. *Aut innocentis*; quia raro & bonum commune postulant innocentes servari innoxios: undè Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*, id est, impedi, quantùm potes, ne innocentes occidantur, aut puniantur.

Dixi 3. *Sub gravi peccato*; quia ubi gravis est proximi indigentia, etiam ad ei succurrendum nos graviter urget Charitas. Obligatus tamen ex sola Charitate accusari aut denunciare, non est obnoxius restitutioni, si deficiat; quandoquidem ex violatione solius justitiæ oriatur restituendi obligatio. Essent restituendo obnoxii Officiales, puta Fiscalis, Custos Gabellarum, Sylvarum &c. cùm ex justitia accusare aut denunciare teneantur.

Dixi denique: *Si possit in judicio probari*; quia nemo tenetur ad id, quod non potest debito modo perficere, imò cùm accusatio criminis non probandi tantùm vergat ad infamationem proximi, non potest sine gravi culpa fieri: unde in praxi deberet unusquisque ante accusationem, aut denunciationem peritos consulere.

Petes: An possit accusator accusationem inchoatam relinquere?

R. Posse, imò & debere. 1. Si omnibus attentis, appareat dubia. 2. Si unam personam accusavit pro alia. 3. Si, testibus ipsum deserentibus, videat non posse probare, quia tunc esset mera calumnia: non potest tamen desistere in causa criminali sine authoritate judicis, imò nec absque Rei consensu, si jam sit torturæ applicatus, aut infamatus, idque sub pœna incidendi in Turpilianum, id est solvendi libras auri fisco, si crimen sit publicum, aut pœnam judici arbitrariam, si sit occultum, teneturque accusato satisfacere.

QUÆSTIO IV.

Qui possint testificari? Quando teneantur? Quot ad sententiam requirantur testes, & an testimonium datum aut denegatum possit esse obnoxium restitutioni?

CONCLUSIO I.

POtest quilibet habens usum rationis testificari jure naturali, non sic jure positivo.

Prob 1. Pars; quia quilibet talis potest ingerere judici cognitionem causæ in judicio agitatæ.

Prob. 2. Pars; quia jura varios repellant ae 1. Minores 20. annis in criminalibus in ordine ad torturam aut condemnationem: quod addo, quia dictum illorum præbet indicium ad informandum, in Civilibus admittitur pubes. 2. Mulieres, quæ repelluntur à Testimonio jure Civili, & à causa criminali jure Canonico. 3. Inimicos accusati, etiam in criminalibus exemptis, ut in Hæresi, Simonia &c. 4. Ascendentes, Descendentes & Consanguineos accusatoris usque ad quartum gradum. Consanguinei verò accusati licèt testificari possint pro consanguineo accusato, non tenentur tamen testificari contra, etiamsi desint alii testes, nisi certè sint crimina exempta, ut læsæ Majestatis Divinæ, aut humanæ, in quibus, aliis deficientibus, potest & tenetur filius contra patrem testificari. 5. Repelluntur à Testimonio, accusatoris Domestici. 6. Socii criminis, qui tamen in pluribus admittuntur. 7. Perjuri 8. Personæ viles & inopes perversionis suspectæ. 9. Infames infamia juris, seu de aliquo crimine damnati. Hinc

Resol. 1. Posse testificari Religiosos extra causam sanguinis, & quidem in instrumentariis (ut testamento) sine licentia Superioris quæ requiritur in judicialibus. Cujus ratio est, quòd in his agnoscat judicem non suum, non sic in illis. Sed possuntne cogi ad testificandum? Resp. posse, ubi veritas aliter haberi non potest, non tamen à judice sæculari, aut ab Episcopo, si sint exempti, sed à proprio Prælato, & quidem tantùm in suis Monasteriis, ut declaravit Pius II.

Resol. 2. Etiam posse testificari in testamento, in quo relinquitur aliqua eleemosyna eorum Conventui, quia ubi aliquid relinquitur Universitati aut Collegio, potest illius membrum testificari, eò quòd non vergat testamentum in utilitatem ipsius particularis immediatè, atqui idem fit in nostro casu: ergo.

Resol. 3. Testificari posse Moniales contra Moniales coram judice competenti; quia non possunt aliter earum crimina detegi, & certè si id possunt mulieres laicæ, quidni possent & Religiosæ? & ideo advertendum, quòd, quando supra exclusimus mulieres à testificando, hoc intelligi debeat, ubi aliter veritas haberi potest, aliàs tam ipsæ, quàm alii inidonei testificari possunt, quia licèt non semiplenè probent; sicut idonei, faciunt tamen indicium, quod cum aliis indiciis æquivalere potest semiplenæ probationi. Unde etsi non possit quis condemnari propter testimonium duarum mulierum; ubi tamen plures concurrerent, defectum supplerent.

CONCLUSIO II.

OBligatur testis sub gravi peccato Testimonium ferre in sequentibus casibus, si juridicè citetur 1. Si de authore delicti semiplenè probatum est. 2. Si author laboret infamia criminis patrari. 3. Si per hoc à Republica aut ab aliquo privato damno notabile sit avertendum. 4. Si procedatur via accusationis & possit crimen sufficienter probari. Ratio horum est, quia nisi in casibus illis obligetur quis testificari, nihil proderit accusatio, imò cessabit omnis tamquam frustranea cum magno Communitatis & particularium detrimento.

Dices: *Si juridice citetur*; quia ubi delictum non nocet bono communi, non debet se ultro offerre ad testandum contra infamatum aut accusatum, cùm ultro se offerens habeatur quandoque suspectus. Potest tamen, imò & debet, etiam non citatus, in favorem proximi testificari, si aliàs immineret ipsi grave *malum* aut damnum; quia tunc urget Charitas, ut innocenti succurramus.

Nullus obligatur ferre testimonium, etiam præcipiente Superiore, in casibus sequentibus. 1. Si rem tantùm ex Confessione Sacramentali noverit. 2. Si Doctor, Advocatus, Medicus, Chirurgus, Obstetrix, aut alius id solùm sciat ab eo, qui auxilii aut consilii petendi causa crimen patefecit, aliàs secluderetur miseriis subsidium necessarium. Si tamen defectu Testimonii immineret communitati aut privato grave damnum, obligaretur, cùm tunc non obliget naturale secretum. 3. Si procedatur via accusationis, & crimen non possit sufficienter probari: excipe tamen, nisi delictum vergat in grave nocumentum Reipublicæ: tunc enim etiamsi solus sciat, debet testificari, quandoquidem ejus Testimonio semiplenam probationem efficiente, poterit reus torqueri. 4. Si author non laboret infamia, nec damnum timeatur postea. 5. Quando ex testimonio mihi aut meis immineret damnum notabile; nullum autem communitati; quia non teneor privato succurrere cum notabili meo aut meorum gravamine. 6. Si rem noverim à personis dubiæ aut modicæ fidei.

CONCLUSIO III.

IN causis tum civilibus, tum criminalibus, duo ad minus requiruntur testes omni exceptione majores, nisi adsint alia adminicula.

Ratio est; quia ubi agitur de fortuna aut vita alicujus, non est temerè deferendum unico testi facilè pervertibili; & ideo non dicit Scriptura: *in ore unius*, sed *duorum aut trium testium stabit omne verbum*, Deut. 19. In rebus tamen levioribus, v. g. furtis uvarum in vineis, lignorum in sylvis,

sylvis, fructuum in viridariis &c. ex testimonio solius custodis puniuntur delinquentes.

Porrò, ut plenè probent testes, quatuor requiruntur 1. Ut sint omni exceptione majores, seu nihil possit ipsis objici, cur eorum testimonium rejiciatur. 2. Ut deponant cùm juramento veritatis simpliciter aperiendæ. Patet ex cap. *nuper De testibus*, ubi decernitur, non esse adhibendam fidem testi, etiam Religioso, nisi juraverit. 3. Ut sint contestes, id est, ut ambo deponant eandem specie actionem cum iisdem circumstantiis substantialibus ut si disconveniant in specie criminis, loco, tempore &c. non sint contestes, sed testes singulares, qui non sufficiunt ad condemnationem, cùm non plenè probent, eò quòd dictum unius non adjuvet dictum alterius. 4. Ut id deferant, quod ipsimet perceperunt, id est, si crimen consistat in facto, ipsimet viderint, si in voce, ipsimet audierint, nam deponentes quod ab aliis audierunt, faciunt indicium, non probationem.

CONCLUSIO IV.

Qui ex malitia, ignorantia vincibili, aut ex alia culpa falsum Testimonium dixit, tenetur omne damnum resarcire, sicut & ille, qui legitimè à judice competenti citatus noluit testificari.

Prob. 1. Pars; quia ille est defacto causa moralis damni proximo illati, & ideo si mors, flagellatio, exilium &c. imminerent accusato ob falsum testimonium, deberet testis per sui ipsius accusationem malum istud avertere, etiam cum periculo similis pœnæ subeundæ: ad quod etiam teneretur ille, qui alios ad falsum testimonium induxisset, si crederetur innocens per hoc liberandus. Tenetur quidem vitam meam aut honorem alterius vitæ aut honori præferre, ubi cætera sunt paria, non tamen ubi alter debet illa perdere ex mea culpa. Aliud esset, si falsum testimonium nihil fuisset operatum, quia equidem ob aliorum testimonia præcedentia fuisset eodem modo condemnatus: tunc enim peccatum meum non foret restitutioni obnoxium.

Prob. 2. pars (quam negant nonnulli volentes legitimè citatum peccare quidem contra Obedientiam, negando testimonium, non tamen contra justitiam) quia ubi quis legitimè citatur, declaratur testis ex officio; ipsique à Republica altum dominium in sua membra possidente imponitur illud munus, sicut imponit officium illi, quem etiam invitum constituit pupillorum tutorem, aut egenorum curatorem, atqui si ex horum defectu eveniat pupillis aut egenis damnum, oritur obligatio restitutionis: ergo & in nostro casu secus esset, si antequam citaretur, aufugeret: tunc enim posset peccare contra charitatem, non contra justitiam; quia necdum esset ipsi propositum judicis mandatum, ex quo provenit obligatio justitiæ, imò nequidem peccaret contra charitatem, si ex testimonio sibi, aut suis grave damnum timeret: nisi id exigeret bonum publicum, cui cedere debet bonum particulare.

Petes 1. An possit judex torquere testem, qui denegat veritatem?

R. Posse una vice, non plus, si adsint indicia ad torturam sufficientia. Ratio est; quia cui commissum est causam decidere, commissum est & omnia illa adhibere, sine quibus non potest expediri, & hoc etiam habet locum apud Regulares juxta Rodriguez.

Petes 2. An citatus ut testimonium dicat pro Petro contra Paulum, teneatur etiam faventia Paulo deponere?

R. Affirm. & quidem cum onere restitutionis damnorum, si secus fecerit. Ratio est, quia aperiens nocentia Paulo & reticens faventia, facit ipsum magis culpabilem, quàm sit à parte rei, adeoque ipsi nocet.

Petes 3. An possit quis recipere pecuniam, ut falsum testificetur?

Certum est non posse, ut dicat verum, sicut nec potest judex, ut ferat sententiam justam; quia nemo potest aliquid accipere pro eo, ad quod tenetur ex officio & ideo accepta sine restituenda. Si tamen debeat testis extra domicilium proficisci, aut tempus perdere, potest indemnizationem exigere. Ad quæstionem

R. N. quia si testis falsum dicat, committit actum injustitiæ, sicut quando judex fert sententiam iniquam: nullus autem potest pro actu injustitiæ pecuniam recipere: Unde hoc nuperrimè condemnavit Illustr. Attrebatensis.

Petes 4. An sit adhibenda fides testi varianti circa depositionem?

R. N. nisi sufficienter appareat variationem procedere ex stimulo conscientiæ, & quidem antequam depositis subscripserit. Ratio est, quia non apparet justum, ut ille, qui sibi ipsi non constat circa rem aliquam, faciat aliis de eadem constare.

QUÆSTIO V.

An reus teneatur fateri veritatem? An possit detegere occulta testium crimina? Et quomodo possit se contra sententiæ executionem defendere?

CONCLUSIO I.

Tenetur reus nudè fateri veritatem, etiam cum periculo mortis, si judex legitimè interroget, secus, si illegitimè. Censetur autem legitimè interrogare, 1. Si sit judex legitimus. 2. Si non sit in sua jurisdictione interdictus. 3. Si servet ordinem juris, qui exigit, ut præcesserit accusatio formalis aut virtualis, & semiplena probatio, vel indicia æquivalentia. 4. Si manifestaverit Reo accusationem, probationem, indicia &c quæ contra ipsum allata sunt, ut sciat, an legitime vel illegitimè interrogetur.

Prob. autem 1. pars conclusionis, quia tunc judex habet jus inquirendi de veritate: ergo debet esse obligatio in reo illam manifestandi, cùm illa sint correlativa, & aliàs inutile esset jus interrogandi, si non foret obligatio respondendi. Unde si præstito juramento veritatis aperiendæ, quod ordinariè exigitur, veritatem reus negaverit, peccat contra veritatem ratione mendacii, contra justitiam ratione juris in judice, & contra Religionem ratione perjurii.

Dixi in conclusione: *Nudè fateri*, & ideo non potest uti æquivocatione, restrictione, amphibologia, dolo aut fraude, ut patet ex dictis in Decal. ubi de restrictionibus agitur.

Dices: intolerabile est, & humanam fragilitatem superans, quòd quis debeat esse ore proprio damnationis suæ author.

R. Quod sicut non debet esse intolerabile reo delicti sui pœnam luere, ita nec patratum crimen aperire cum periculo pœnæ luendæ, sibi enim imputare debet quòd in illas angustias sit redactus.

Dices 2. Non tenetur aliquis contra Patrem, Fratrem, Sororem &c. testificari: ergo nec seipsum prodere.

R. Jus sic disposuisse in 1. casu: ne essent in familiis odia implacabilia, inimicitiæ perpetuæ, exprobrationes &c. cujus rei, nullum est periculum in 2. casu.

Prob. 2. Pars, quia judex illegitimè, seu non juridicè procedens, non censetur agere ut judex, sicque nullam potest obligationem imponere, unde illo casu debet reus judicis interrogationem prudenter declinare, non quidem mentiendo, sed vel appellando, vel tacendo vel injustitiam interrogationis ostendendo, vel aliis artificiis utendo. Vide dicta de Restrictionibus in Decalogo.

CONCLUSIO II.

Non potest reus falsum crimen testi imponere, ut ejus testimonium eludat, potest tamen verum detegere, si sic possit evadere, aliàs non.

Prob. 1. Pars; quia ultra mendacium justè famam alterius destruit: Unde meritò hanc propositionem proscripsit Innocentius XI. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat.* Imò etiam graviter peccat ipse reus, si ut torturam evadat; sibi ipsi crimen falsum affingat; quia etsi fortè non sit graviter culpabilis, in quantum famam suam destruit; peccat tamen lethaliter in quantum seipsum gladio linguæ interficit; & ideò tenetur sub gravi peccato crimen; quod vi tormentorum sibi affinxit, revocare. Plurimi quidem potiùs eligerent mortem, quàm torturæ cruciatum, sed eam mentiri, sicut & seipsum occidere, sit intrinsecè malum; potiùs essent omnia Martyrum tormenta toleranda, quàm se facere reum criminis non patrati, cùm ultra mendacium concurrat quia ad finem necem.

Prob. 2. Pars; quia tunc testis non habet jus ut servem ipsi famam. Præterea cum debeam vel meam, vel ipsius famam perdere, possum meam præferre, saltem ubi etiam agitur de gravi pœna vitanda.

Dixi in conclusione: *Si sic possit evadere*; quia si reus prævideret, se equidem condemnandum, eò quòd non deessent alii testes idonei, aut quia crimen illius testis non posset sufficienter probare; non esset defensio, sed vindicta sicut si crimen detectum esset omninò impertinens ad infirmandum testimonium.

Dixi 2. *Aliàs non*; quia si adsit alia via, tenetur illam arripere, cùm præcisè possit illum infamare, quia necessarium est ad justam sui defensionem.

CONCLUSIO III.

LAta à judice sententia, tenetur reus pœnam subire; imò quandoque potest obligari, ut eam per se exequatur; non autem semper.

Prob. 1. Pars, quia sententiæ justæ parendum est.

Prob. 2. Pars; quia fieri potest, quòd sententia ad id obligans nihil contineat crudelitatis aut injustitiæ: & ideò tenetur reus condemnatus, patibulum conscendere, collum præbere, linguam amputandam extendere &c. item mulctam solvere, saltem ubi exigitur.

Confirmatur; quia in officio sanctæ inquisitionis, & in domibus Religiosis plerumque imponitur reis, ut seipsos flagellent.

Prob. 3. Pars, quia non potest judex, etiam deficiente justitiæ ministro, præcipere reo, ut in seipso exequatur sententiam, quæ gravem horrorem & repugnantiam concitaret, v. g. ut se laqueo suspendat, membratim concidat &c. Pro quibus vide dicta Disp. 5. quæst. 3. art. 3. petitione 5. in Decalog.

CONCLUSIO IV.

POtest reus post latam mortis aut mutilationis sententiam, fugere, imò & carceres ideo effringere.

Prob. Quia nimis durum est potestatem illam à reo auferre, cùm nihil sit ita naturale, quàm vitæ conservationem quærere. Imo id extendunt aliqui ad condemnatos ad triremes aut carceres perpetuos: quod tamen rectè limitat Suarez; nisi reus ratione voti aut juramenti, vel speciali promissione ad permanendum sit obligatus, & ideò vult regularem condemnatum ad carcerem perpetuum non posse fugere; quia ratione voti obedientiæ tenetur superiori obedire in omnibus quæ sunt secundùm regulam & accessoria ad illam.

Dices 1. Jure-consultus lib. 1. §. *De Effractoribus*, dicit puniendos esse illos, qui, effractis carceribus, aufugiunt.

R. Vel Jure-consultum fuisse contrariæ sententiæ, quam defendunt aliqui Theologi: volentes illicitum esse reis è carcere aufugere: vel certè loqui de illis, qui ad carcerem moderatum, nec perpetuum, sunt condemnati, quos fatemur non posse carceres effringere, imò nec fugere: & consequenter, si secus faciant, posse puniri.

Dices 2. Parere debet reus justæ sententiæ: ergo peccat, si fugæ causa carceres effringat.

R. Parendum esse quidem reo justæ sententiæ, sed tantùm secundùm id quod præcipit, non præcipit autem ut reus morti aut mutilationi adjudicatus remaneat in carcere, cùm potest aufugere; aliàs simplici filo ligatus, aut ergastulo papiraceo inclusus teneretur ibi manere, quod vix aut ne vix ullus homo dixerit: undè sententia tantùm præcipit, ut reus pœnam luat, nullam vim aut injuriam justitiæ aut ministris inferendo.

Dices 2. Effractio carceris cedit in detrimentum custodis, aut Reipublicæ: ergo &c.

Res. N. Conseq. Quia licitum est reo tale damnum permittere, quando jure suo utitur.

An autem teneatur damnum illud resarcire? Disputant authores; crediderim tamen non teneri, cùm ex parte illius nulla interveniat culpa Theologica.

Advertendum tamen, quòd licèt tunc possit reus fugere, possit etiam non fugiendo pœnam expectare, imò & ultro sese judici offerre, ut justitia exerceatur.

Petes 1. An quando licitum est reo catenas aut custodiam effringere, licitum sit aliis, secluso speciali præcepto, aut officio id prohibente, illud etiam consulere, imò ad id instrumenta præbere?

Res. Affirm. Ratio est; quia non est cooperari alterius peccato, sed actioni ipsi licitæ. Aliud esset, si quis cum ipso reo carcerem effringeret: hoc enim esset publicæ authoritati vim inferre: undè hoc quidem conceditur reo ratione gravissimi mali ipsi imminentis, non tamen aliis; alioqui non foret satis justitiæ provisum.

Dixi 1. *Secluso præcepto*; quia licèt carceris effractio reo prohiberi non possit in casu conclusionis, utpotè quia nimis durum, potest tamen aliis prohiberi, quominùs instrumenta ministrent &c. cùm ipsis non sit nimiùm difficilis illa prohibitio.

Dixi 2. *Aut officio id prohibente*, quia custodi, judici & aliis justitiæ ministris prohibitum est, ratione officii, reum hac in re adjuvare.

Petes 2. An possit damnatus ut fame pereat oblatos cibos respuere?

R. Probabiliùs negativè, quia censeretur seipsum occidere: licèt enim sententia judicis prohibeat, ne ipsi offerantur cibi, non præcipit tamen reo oblatos respuere; aliàs essent injusta, adeoque non obligaret.

QUÆSTIO VI.

Quæ sint onera & peccata Advocatorum?

CONCLUSIO I.

TEnetur advocatus à causa injusta sive inchoanda, sive inchoata abstinere. Ratio est; quia si tali causæ patrocinetur, cooperatur formaliter iniquitati & injustitiæ litigantis, & ideo tenetur ad restitutionem omnis damni utrique parti inde provenientis. Item si causa ab initio appareat probabilis, & postea propter rationes antea ignotas appareat injusta.

CONCLUSIO II.

NOn potest Advocatus suscipere causam, nisi in se verè probabilem, licèt possit minùs probabilem respectivè.

Ratio 1. Partis est; quia quando causa est ita exiguæ probabilitatis, ut raro aut nunquam soleant judices juxta talem opinionem judicare, exponit clientem manifesto jacturæ periculo, ac ideo obnoxius est omnium damnorum reparationi.

Prob. 2. Pars; quia officium advocati non est rem definire, tradendo uni quod petit, & auferendo ab altero quod tenet (id enim judicis est) sed illius tantùm est fundamenta juris & facti suo clienti faventia judici proponere, ut ille, his perpensis, decernat pro quo ferenda sit sententia: poterit autem fieri, ut rationes, quæ advocato minùs probabiles apparent, appareant judici probabiliores.

Confirm. Advocatus gerit vices litigantis, sed potest litigans illo casu sententiam postulare à judice, suas rationes exponendo: ergo & advocatus.

Limita tamen 1. Nisi agatur de sanguine, quia sicut tunc actor, ita & ejus advocatus charitatem læderet, molestando reum sententiæ probabiliori nixum.

Limita 2. Modò judex & ejus consiliarii sint rationum ponderandarum capaces.

Limita 3. Modò patrocinans causæ minùs *probabili*, aut dubiæ, monuerit clientem de causæ periculo, illique fideliter exposuerit quid timere, & quid sperare debeat; aliàs tenetur damnum ex mala informatione secutum reparare.

CONCLUSIO III.

PEccant 1. Tam contra juramentum, quàm contra justitiam Advocati, qui causas, processus, lites suscipiunt, quando vident illas esse falsas, injustas, improbabiles: quod à fortiori verum est, ubi clientes ad id instigant. 2. Qui in processu causæ injustitiam advertentes, illam non deserunt, aut ad compositionem partes impellunt. 3. Qui suis fallaciis & subtilitatibus causas protrahunt, majus lucrum reportaturi. 4. Qui in eadem re utrique parti serviunt, quædam consilia aut instrumenta parti adversæ secretò subministrantes. 5. Qui sua incuria aut imperitia lites perdunt, ab Advocato diligente & perito lucrandas. 6. Qui scriptis innumeris & scripturarum ambagibus judices circumveniunt, ut vel tædio tracti, vel obscuritate circumvoluti lucem justitiæ apprehendere nequeant. 7. Qui astutiis, subtilitatibus, eloquentiæ lenociniis, garrulitatibus incautos judices decipiunt. 8. Qui allegationibus impertinentibus, repetitionibus tædiosis augent pagellas & articulos, majoris salarii causa.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Quid dicendum de Scribis, Notariis, & Procuratoribus?

CONCLUSIO. I.

SCribæ (quorum officium est acta, dicta, inquisita judicialia fideliter scribere, & in librum aut instrumentum authenticum referre) obligantur ad amussim suo juramento stare, & fidelitatem omnimodam in suis scriptis servare, ita ut si secus fecerint in re gravi, graviter peccent, & teneantur omnia damna resarcire. Ratio est; quia ideò à Republica aut particularibus stipendium accipiunt, ut id, quod sui muneris est, fideliter exequantur. Hinc

Resol. 1. Committere grave peccatum obnoxium restitutioni, si in scripturis alicujus momenti aliquid addant, omittant, mutent, falsificent &c. item si ex eorum culpa irrepserit mendum notabile aut verbum dubium, æquivocum, absurdum &c.

Resol. 2. Reos esse ejusdem peccati, si aliquid dicant, revelent, scribant, tradant, quod cedere possit in præjudicium Communitatis, Magistratus, Judicis, aut personarum privatarum, quibus serviunt.

CONCLUSIO II.

IN notario seu tabellione, sic dicto, eò quòd olim in tabulis testamenta, aliaque publica conscriberet, quinque requiruntur, authoritas, idoneitas, juramentum, diligentia & fidelitas.

Authoritas: debet enim ab habente potestatem institoi: ac 1. In causis civilibus & criminalibus ab Imperatore, Rege, aut alio supremo Principe pro suis respectivè terris & subditis. 2. In causis Ecclesiasticis à Papa pro tota Ecclesiâ, ab Episcopo pro sua Diœcesi, nonnunquam autem Summus Pontifex potestatem creandi notarios aliis delegat, ut pronotariis ordinum superioribus pro suis Religiosis & causis regularibus.

Idoneitas, id est, debet esse 25. annorum vir, non fœmina, honestus fama, & fortuna, integer sensibus, adeoque nec mutus, nec cœcus, nec surdus.

Juramentum, complectens ferè sequentia. 1. Quòd de visis, auditis, scriptis, missis, testatis, legatis facturus sit instrumenta integra, vera, pura, nullatenus vitiata. 2. Quòd de contractu usurario, aut usuram sapiente non faciet instrumentum. 3 Quòd omnium instrumentorum sit facturus protocollum. 4. Quòd erit fidelis in servandis decretis. 5. Quòd seclusa omni passione officium suum integrè sit administraturus.

Diligentia, ut sedulo ponat in suis instrumentis omnes conditiones requisitas ad hoc ut fidem faciant: conditiones autem illæ, juxta Angelum, sunt sequentes. Invocatio Divini nominis. 2. Inscriptio anni, mensis, diei, indictionis, nominis Papæ aut Principis Supremi, in cujus ditione instrumentum conficitur. 3. Series facti, seu actus. 4. Locus contractus. 5. Nomen testium, quorum erit etiam subsignare. 6. Subscriptio ipsius Notarii cum suo signo ordinario, qui & notare debet, à quo sit institutus Notarius, & quòd ad id negotii fuerit vocatus vel rogatus. 7. Relectio instrumenti coram partibus, quæ si etiam instrumento subscripserint, erit magis authenticum.

Fidelitas, ut non faciat acta falsa, alterata, vitiata, aut manca, & non conficiat testamentum dictatum ab amente, aut sensibus destituto, ut non revelet secreta, ut non det instrumentorum copias iis, quibus non debet, nec deneget quibus debet: unde si in illis desit, peccat graviter, aut leviter, juxta materiæ proportionem, teneturque ad omnium damnorum reparationem.

CONCLUSIO III.

PEr Procuratorem hic intelligimus illum, qui nomine & mandato clientis causam in judicio agitatam prosequitur ac terminare nititur mediante Advocato & aliis ad causæ definitionem necessariis. Hic autem debet esse idoneus, authorizatus, diligens & fidelis.

Idoneus, nempe eadem idoneitate, qua Notarius, & qui habeat insuper qualitates, quas Curia, in qua officium suum exercet, requirit.

Authorizatus, scilicet ab eo, cujus causam gerit, à quo, mediante instrumento expresso & authentico, & Procurator instituitur, & mandatum de lite prosequenda accipit.

Diligens, ut sine causa litem non protrahat, ut suo tempore responsiones, defensiones, instrumentorum productiones exhibeat, ut omnia eadem vigilantia & assiduitate peragat, qua cliens ipse, si adesset, perageret.

Fidelis, ne excogitet fraudes, fallacias, detractiones &c. aut excogitatas exhibeat in præjudicium justitiæ, illusione Judicis, deceptionem Advocati; & nocumentum partis.

Item nec causam dubiam, improbabilem, injustam, aut periculi plenam tanquam justam & certam suo clienti exhibeat. Alias tenetur resarcire omne damnum, quod ex sua malitia, infidelitate, aut negligentia intulit Clienti. Quod de Advocatorum peccatis diximus, hic cum proportione applica.

Quædam hic desiderantur, quæ tangunt judicia Regularia; sed quoniam hæc rarissima sunt, & aliunde solos Superiores majores respiciunt, quibus obvia sunt Commentaria Kerchovii in Statuta nostra generalia, ubi hæc materia fusè tractatur, illuc Lectorem remittendum judicavimus.

TRACTATUS III.

De Statu Religioso.

DISPUTATIO UNICA.

De Variis Statum Religiosum Concernentibus.

QUoniam ad virtutem justitiæ spectat *Religio*, non solùm ut virtus, sed etiam ut Status; cùm Religionis Status fundamentum sit promissio solemnis Deo facta, adeoque quidam quasi-contractus strictum justitiæ vinculum inducens: non incongruè Tractatui *De Justitia* annectitur Tractatus brevis *De Statu Religioso*; Præsertim cùm totum hoc Opus in gratiam maximè Religiosorum prodierit. Ideo sit

QUÆSTIO I.

Quid sit Status Religiosus, quotuplex, & quinam perfectior?

CONCLUSIO I.

STatus Religiosus seu Religio, est status immobilis hominum ad perfectionem tendentium per vota Castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ac sui traditionem sub certa Regula ab Ecclesia approbata.

Dicitur 1. *Status*, id est, certa vitæ conditio.

Dicitur 2. *Immobilis*, ut excludatur status mutabilis; qui est Virginitas, Viduitas &c. Tres sunt autem status immobiles, Episcopatus, Religio, & Conjugium. Primus adstringit Episcopum suæ Ecclesiæ, seclusa Papali dispensatione. Secundus Religiosum Divino cultui. Et tertius Maritum Uxori, & è contra, per totam vitam.

Dicitur 3. *Hominum ad perfectionem tendentium*, quia Religio est status perfectionis acquirendæ, non acquisitæ, ut Episcopatus; & ideo licèt ratione sui non obliget Religiosum esse perfectum, obligat tamen, ut generoso conatu perfectionem acquirere studeat.

Dicitur 4. *Per vota Castitatis* &c. quia non tenetur Religiosus per omnia Consiliorum opera perfectionem quærere, sed sufficit si illam quærat per exactam Votorum & Constitutionum suarum executionem. Dixi tantùm *per vota* & non *per vota solemnia*, quia post Bullam Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, vota simplicia Scholarium Societatis JESU constituunt Religiosum: unde si alicubi in jure requirantur vota solemnia ad Statum Religiosum, hoc intelligitur juxta jus antiquum.

Dicitur 5. *Ac sui traditionem*; quia cùm Religiosus per Professionem non sit amplius sui juris, sed alieni, debet seipsum totaliter tradere Superiori, à cujus nutu & jurisdictione in omnibus dependeat, quod non facit nuda votorum emissio, quæ promissionem continet, non traditionem. Debet autem illa traditio esse completa, seu acceptata ex parte Superioris, aut alterius ejus nomine; aliàs vovens quantumvis promittat, & se tradere intendat, non est Religiosus, tenebitur tamen ad votorum executionem quantum poterit.

Dicitur 6. *Sub certa Regula*; quia licèt sola mandato-

rum

rum & votorum obſervantia poſſit hominem ad perfectionem deducere, non ſolet tamen Eccleſia Religionem approbare, niſi ejus Profeſſores certam vivendi formulam aſſumpſerint.

Dicitur denique: *Ab Eccleſia approbata*, & non à Sede Apoſtolica; quia licèt poſt conſtitutionem Innocentii III. cap. *Ne nimia* 9. De Religioſis domibus, nullus præter Romanum Pontificem poſſit Religionem aliquam approbare; antea tamen plures fuerunt veræ Religiones ſola Epiſcoporum approbatione, aut conniventia erectæ: ut Religiones Sanctorum Auguſtini, Baſilii, Antonii, Benedicti: quæ tamen omnes fuerunt poſtea à Conciliis & Pontificibus approbatæ & confirmatæ. Ex hac definitione

Reſol. 1. Quinque requiri ad Religionis conſtitutionem, nempe ſtatus immobilitatem, votorum eſſentialium obligationem, ſui traditionem acceptatam, Regulæ determinationem, & Eccleſiæ approbationem.

Reſol. 2. Emittentem tria vota in aliqua Religione, etiam de conſenſu Papæ, cum poteſtate retrocedendi quando libuerit, non eſſe Religioſum, cùm illa vitæ conditio non ſit immobilis.

Reſol. 3. Scholares Societatis JESU poſt primam Profeſſionem eſſe verè Religioſos: quia licèt donec tertiam emiſerint, poſſint à Superiore ex cauſa dimitti, ipſi tamen, quantùm eſt ex parte ſua, ſunt perpetuò Religioni mancipati; quod ſufficit, ut eorum ſtatus dicatur immobilis: hocque patet in ſervitute perpetua quæ dicitur ſtatus firmus, licèt poſſit ſervus à Domino dimitti.

Reſol. 4. Canoniſſas, Beguinas Belgicas, filias-Charitatis in Diœceſi Attrebatenſi, ſicut & filias-Virginis Montibus, non eſſe Religioſas, cùm non emittant vota eſſentialia: unde videmus plurimas ad nuptias tranſvolare.

Reſol. 5. Eremitam tria vota emittentem & Regulam à ſancta Sede approbatam aſſumentem, non eſſe Religioſum defectu ſui traditionis alicui Superiori ſub cujus obedientia vivat: unde ſi quidam antiquitus Anachoretæ ſic vixerint, tantùm fuerunt Religioſi æquivalenter, non formaliter.

Reſol. 6. Illum, in quo reperiuntur quinque aſſignata ſuperius, eſſe quidem Religioſum, ſed peccare graviter contra ſubſtantialem ſui ſtatus obligationem, ſi negligat tendere ad perfectionem. Terribilis hæc ſententia, inquit Navarrus, multis Religioſis, qui nec actualiter, nec virtualiter animum habent in dies proficiendi, nec curant eſſe perfectiores bonis Clericis ſæcularibus, aut laicis.

Porrò cenſetur Religioſus ſtudium perfectionis negligere, & graviter delinquere. 1. Quando vult in quodam mediocritatis ſtatu remanere, ut ſi diceret; *ſatis laboravi pro obtinenda perfectione, volo deinceps quieſcere*. 2. Quando omittit aliquod punctum Regulæ, aut aliquam conſtitutionem eo animo, ut non ſit perfectior. 3. Quando negligit Legem, Statutum, Conſtitutionem, medium, aut quodcumque aliud ſui inſtituti ex intentione ſe non ſubjiciendi præcepto, aut præcipienti, tunc enim adeſt contemptus formalis. 4. Dum omittit præfata, reputans illa vana, frivola, inutilia. Aliud eſſet, ſi illa omitteret ex pigritia, aut ex alia paſſione ſine contemptu. 5. Quando ſine contemptu Superioris, aut Regulæ proponit tranſgredi omnia præcepta obligantia tantum ad veniale, aut non obligantia ad culpam, licèt intendat ſervare omnia obligantia ad mortale; quia propoſitum illud directè opponitur perfectioni acquirendæ.

CONCLUSIO II.

TAnta eſt Religionum diverſitas, per quas Eccleſia Chriſti firmamentum tanquam per ſtellas decoratur, & cœli via tanquam per ſemitas robuſtorum & debilium capacitati accommodatas facilitatur, ut eas omnes enarrare vix ſit homini poſſibile. Nec eſt quòd diverſitatem illam ſuggillent Hæretici, cùm quælibet ſuum finem habeat & utilitatem: una enim convenit uni propter contemplationem: altera alteri propter Verbi Divini prædicationem: illa illi propter Chori ſervitium: iſta iſti propter Hoſpitalitatem, & ſic de aliis. Nihilominus cum ſit unicus finis generalis cujuslibet Religionis, qui eſt Charitas Dei, & ſalus hominis, ideo omnes ex ea parte unicam eſſe concludendum eſt. Præter finem illum generalem tres ordinariè ſpeciales ſtatuuntur, nempe vita contemplativa, activa, & mixta, & ideo poteſt Status Religioſus per reſpectum ad triplicem illum finem in triplicem dividi, ſcilicet in Contemplativum, Activum, & Mixtum. Religio contemplativa eſt, quæ inſtar Mariæ occupatur ad pedes Domini, orando, legendo, pſallendo, meditando &c. ad hanc pertinent ferè omnes Religioſæ, ſicut & Benedictini, Canonici Regulares Sancti Auguſtini, Bernardini &c. Activa eſt, quæ inſtar Marthæ occupatur circa miniſteria externa, incarceratos viſitando, captivos redimendo, ægrotis ſubveniendo, contra Eccleſiæ hoſtes militando: ad hanc ſpectent Ordines militares, Hoſpitalarii &c. Mixta denique, quæ comprehendit contemplationem, & actionem, v. g. concionando, docendo, Sacramenta miniſtrando &c. hujus Religionis ſunt Ordines mendicantes, & Patres Societatis.

CONCLUSIO III.

REligio contemplativa prævalet Activæ, & cuilibet prævalet Mixta.

Prob. 1. pars; quia contemplativa Deum, activa proximum immediatè reſpicit.

Prob. 2. pars, quia eò perfectior eſt Religio, quo vitæ Chriſti eſt conformior, ſed conformior eſt Mixta, cùm Chriſti vita fuerit partim contemplativa, partim activa, ergo.

Deinde Mixta perfectionem in utraque diviſim contentam includit. Inter illos autem Ordines, qui vitam mixtam profitentur ille eſt perfectior, cujus vota eſſentialia ſunt perfectiora. Libenter aliis Ordinibus præponerem Seraphicum Ordinem, cujus tanta eſt Caſtitas, ut illius Profeſſores ſuſpecta mulierum conſortia ex ſpeciali præcepto teneantur vitare: tanta Paupertas, ut nequidem aſſiculam tam in communi, quàm in particulari valeant poſſidere: tanta Obedientia, ut teneantur ſubditi obedire Superioribus *in omnibus quæ non ſunt contraria animæ & Regulæ ſuæ*. Cujus regula eſt ipſummet Evangelium, cujus vita, veſtitus, victus, converſatio, prædicatio ſunt Apoſtolica: ſed cùm omnis comparatio ſit odioſa, illis omnibus ſuperſedeo.

QUÆSTIO II.

Ad quid teneatur qui vovit Religionem?

QUandonam teneatur Religionem ingredi, qui vovit illius ingreſſum, nullo determinato tempore, *diximus* de Obligatione Voti: ſicut & quantum laborare debeat ut admittatur, qui vovit Religionem in genere, aut aliquam in ſpecie. Illuc recurre. Hic reſtat examinandum quid facere debeat ad Religionem admiſſus, ut voto ſatisfaciat.

CONCLUSIO I.

QUi tantùm vovit Religionis ingreſſum, voto ſuo ſatisfacit, ſi ingreſſus, ex juſta cauſa egrediatur, aliàs non Ita Divus Thom. 2. 2. q. 189. art. 4.

Prob. 1. Pars; quia per votum ſuum tantum ſe obligavit ad ſumendam experientiam, an Religio ſibi conveniret, necne; ut ibi convenientem videret, illam *profiteretur*, ubi diſconvenientem, illam deſereret: ergo ubi videt Religionem ſibi ad ſalutem non convenire, poteſt ſine ſcrupulo egredi, nec tenetur aliam intrare; cùm jam voto ſatisfecerit.

Prob. 2. Pars; quia ſine cauſa egrediens (& idem eſt de illo qui culpa ſua facit, ut remittatur) non adimplet quod Deo promiſit, quandoquidem votum ingrediendi Religionem non tantùm obliget ad ſumendum Religionis habitum, ſed etiam ad perſeverandum in ea, ubi probata placuerit, aut conveniens fuerit. Hinc

Reſol. 1. Sine cauſa egredientem teneri ad laborare, ut iterum admittatur; cum voto non ſatisfecerit.

Reſol. 2. Suſcipientem habitum cum animo ſuſceptum dimittendi, peccare graviter, licèt poſtea, mutata voluntate, in Religione perſeveret; quia licèt voto ſatisfaciat effectu, noluit tamen ſatisfacere affectu.

CONCLUSIO II.

QUi vovit Religionem determinatam ingredi & profiteri, ſi abſque culpa ſua remittatur, manet liber à voto. Qui autem vovit religionem indeterminatè, tenetur quandoque remiſſus aliam ingredi, quandoque non. Tres partes habet concluſio.

Prob. 1. Pars; quia ille tantùm vovit Religionem profiteri in illo Monaſterio, & non in alio: ergo ubi impoſſibilis eſt illi profeſſio in illo conventu cenſetur votum eſſe de re impoſſibili, adeoque non obligare. Aliud eſſet, ſi pigrè vixiſſet in novitiatu & ideo fuiſſet dimiſſus: tunc enim teneretur iterum poſtulare, & majorem fervorem promittere: quod, ſi non obſtantibus precibus & proteſtationibus denegetur ei reingreſſus, manebit abſolutus à voto: ſed tenebitur pœnitentiam

tiam agere de sua pigritia, quæ fuit obstaculum professioni.

Prob. 2. Pars; quia sicut qui vovit ingredi Religionem in genere, tenetur non admissus in una, alteri se præsentare, donec tandem admittatur in aliqua, ita similiter qui vovit profiteri Religionem in genere, tenetur dimissus ex una (licèt sine sua culpa, ut supponitur) alteram quærere, si spes affulgeat in aliqua profitendi. Cujus ratio ulterior est, quòd causa, cur dimittatur in una, non semper impediat professionem in altera.

Prob. 3. Pars; quia potest fieri, quòd dimittatur propter causam, quæ reddat ipsum inhabilem ad quamlibet Religionem profitendam, ut si sit mente turbatus, litteraturæ incapax &c.

CONCLUSIO III.

AD plus tenetur qui vovit Religionem profiteri, quàm qui tantum vovit ingredi. Ita tenent cum Divo Thom. Cajetanus, Navarrus, Valentia, Portel, & alii contra nonnullos.

Ratio est; quia ad plus tenetur, qui plus promisit; atqui, ut patet evidenter, plus promisit primus, quàm secundus: ergo. Unde qui vovit professionem, tenetur majorem sibi vim inferre, majores difficultates subire, longè majorem diligentiam adhibere antequam possit tutò egredi, quàm qui tantùm vovit ingressum; quia hic vovendo Religionis ingressum, censetur tantùm se obligasse ad id, quod faciunt ordinariè Novitii tempore probationis, id est, in Religione manere, si possit sine magna molestia illi vitæ attemperari, aliàs egredi. Ille autem censetur voluisse remanere, nisi adessent difficultates maximæ, causæ urgentissimæ &c. & ut verbo dicam, nisi vita Religiosa appareret illi moraliter impossibilis.

Dices 1. Trid. Sessione 25 cap. 16. *De Regularibus*, dicit liberum esse Novitiis exitum; & annullat quamlibet renuntiationem libertati repugnantem.

R. Concilium annullare quamlibet renuntiationem libertati omnimodè repugnantem; non autem illam, qua quis se obligat per votum perseverandi in Religione; quandoquidem ubi forent causæ urgentissimæ, posset adhuc egredi, ut dictum est.

Dices 2. Qui vovit Religionem ingredi, tacitè vovit illam profiteri, si nempe conveniat: ergo non plus promisit unus, quàm alter.

R. N. conseq. Quia vovens professionem, non tantùm se obligat ad Religionem, si conveniat, sed etiam in ea remanere, nisi sit moraliter impossibilis, ut dixi.

QUÆSTIO III.

Quinam possint ad religionem recipere, quid debeant observare, & an possint postulantem repellere?

CONCLUSIO I.

OMnis & solus ille potest ad Religionem recipere, cui ex jure, consuetudine, aut Privilegio concessa est facultas, nisi lex, aut constitutio sit in contrarium. Conclusio patet ex terminis. Ex jure communi recipere possunt Prælati immediati, ut sunt Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, patet ex cap. finali. De Regularibus in 6. ex Privilegio Nicolai III. recipere possunt Generales pro toto Ordine, Provinciales pro sua Provincia, & Prælati locales cum Capitulo pro suo Conventu cap. *Exiit* 3. De verborum significationibus in 6.

Dixi: *Nisi sit lex aut constitutio in contrarium*, quia juxta Religionum varietatem, variè restricta est illa potestas: nam solus præpositus Generalis apud Jesuitas potest per se, vel per alium recipere. Apud Fratres Minores ultra Generalem possunt etiam Provinciales pro sua respectivè Provincia; ita tamen ut nulli possint hanc facultatem delegare: *Prohibemus* inquiunt statuta nostra cap. 1. §. 2. *ne Ministri Provinciales Guardianis, aut quibuscumque aliis Religiosis hujusmodi facultatem Novitios recipiendi committant*. Et ideo nec Custodi, nec Diffinitoribus, imò nec Vicario Provinciali possunt illam concedere: quod si fecerint, peccant graviter, estque admissio nulla, ut docet in hunc textum regulæ Marchantius. Per Vicarium autem Provincialem intelligitur ille, qui substituitur quando Provincialis pergit ad Capitulum Generale, aut ex causa egreditur de Provincia iterum reversurus. Porrò ubi requiritur ad receptionem consensus Prælati & Capituli, sufficit si major pars Capitularium consentiat.

CONCLUSIO II.

ANtequam Prælati ad Religionem recipiant, debent 1. observare illud Tridentini Sessione 25. cap. 3. De Regularibus: *In Monasteriis tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari*. Quod & confirmavit Clemens VIII. anno 1599. pro reformatione regularium per constitutionem quæ incipit, *nullus omninò*, idemque Paulus V. Urbanus VIII. & Innocentius X. sanxerunt. Unde peccant 1. Prælati in communi possidentes, qui ita augent numerum Religiosorum, ut eis nec per redditus annuos, nec per eleemosynas ordinarias, valeant necessaria ministrare. Excusantur tamen si super-numerarius ad Religionem admissus, dotem pro sustentatione sufficientem conferat; aut si speretur propter egregias animi dotes, Religioni potius fore levamento, quàm oneri. Item excusari possunt, si id faciant propter servitium Chori aliàs deficientis ratione senum, & habitualiter infirmorum. Peccant. 2. Nihil possidentes, si ob nimiam Fratrum receptionem, fieri debeant mendicationes importunæ, & insolitæ, ex quibus gravatur populus, minuitur Religio, sæcularizantur fratres.

2. Observare debent, quòd Nicolaus III. c. *Exiit qui seminat §. verum* de verborum significationibus in 6. seriò moneat superiores, ne indifferenter omnes admittant, sed illos tantum, *qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint esse utiles Ordini, sibique per vitæ meritum, aliisque proficere per exemplum*: ex novitiorum enim receptione dependet Ordinis conservatio, aut destructio; quia sunt quasi palmites, inquit Kerchov. in statuta Fratrum Minorum, ex quibus Religio plantanda est, qui si fuerint boni & selecti, uberes proferent fructus, & vinum fervidæ charitatis, quod Deum lætificat & homines, ac vineam Religionis conservabunt. E contra si hæ novellæ plantationes ac propagines fuerint malæ, selectam hanc Dei vineam dissipabunt, regularemque disciplinam penitus labefactabunt. Et ideo non debent ita facilè postulantes recipere prælati, cum bonum Religionis non in numero; sed in sanctis moribus, non in multitudine, sed in probitate consistat.

CONCLUSIO III.

DEficiente causa justa & rationabili, peccant Prælatus aut Capitulum denegans habitum postulanti idoneo. Ratio est, tum quia facit injuriam Religioni, quam privat digno subjecto, tum quia male utitur, saltem negativè, jurisdictione sibi concessa, tum quia lædit charitatem debitam proximo in re tanti momenti: & certè si graviter lædat charitatem qui alium sine causa retrahit à Religione, quidni & læderet ille, qui potens & debens non vult idoneum recipere?

Dixi: *Charitatem*; quia cum postulans respectu Religionis non habeat jus in re, aut jus ad rem, nec Prælatus, nec capitulares lædunt justitiam ei non suffragando. Aliud est de novitio recipiendo ad professionem: ille enim per novitiatum acquisivit jus ad profitendum, & ideò peccant graviter contra justitiam & charitatem qui sine causa sufficienti ipsum reprobant, sicut injustitiam faciunt Religioni qui approbant indignum. In dubio autem: an recipiendus ad novitiatum aut professionem sit idoneus, debet dubitans, antequam suffragetur, dubium deponere, vel rem magis examinando, si sit capax, vel doctiores consulendo. Quod, si omnibus consideratis, remaneat dubium, non est recipiendus, cùm propter bonum alicujus particularis non sit bonum commune periculo exponendum.

Dixi in Conclusione, *Deficiente causa &c.* quia si causa subsit, non tantum potest, sed etiam debet repellere, aliàs injuriam Ordini, imò & quandoque ipsi candidato facturus. Porrò causæ sufficientes ad denegandum habitum candidato, sunt sequentes. 1. Nimia fratrum multitudo. 2. Si multi æquales postulent; nec expediat omnes recipere, tunc enim erit liberum Prælato hos vel illos admittere. 3. Si recipiendus sit malæ indolis & capitosus. 4. Si sit ebriosus. 5. Si sit assuefactus rixis, injuriis, & discordiis. 6. Si sit in rebus spiritualibus piger & tepidus, nisi certè affulgeret vera & fundata spes emendationis. 7. Si magis per hoc intendat parentibus placere, quàm salutem quærere, ex quibus causis quatuor ultimæ, etiam ad denegandam Novitio Professionem possunt inservire. Caveat tamen Prælatus, director, aut quilibet alius suffragium denegare ob defectum ex confessione Sacramentali cogni-

cognitum, cum sit directè contra sigillum Confessionis, & talis usus sit Sacramento & pœnitenti graviter injuriosus.

QUÆSTIO IV.

Quinam sint ad Religionem recipiendi, & quinam dimittendi.

CONCLUSIO I.

OMnes illi possunt validè & licitè ad Religionem admitti, qui sunt sui juris, nec aliquo impedimento naturali, aut positivo sunt ligati. Ratio est, quia illis omnibus concessum est honestum vitæ genus arripere: ergo si ad Religionem aspirent, possunt absque difficultate recipi. Hinc

Resol. 1. Posse recipi adolescentes & puellas 15. annorum, quia licèt necdum possint de bonis suis disponere, possunt tamen disponere de suis personis in ordine ad salutem; imò recipi possunt eo ipso, quo facti sunt puberes (quod accidit puellis anno ætatis duodecimo completo, viris decimo quarto) & ex tunc novitiatum inchoare, licèt non possint ante annum decimum sextum profiteri ante pubertatem autem licèt possint habitum ferre, non tamen inchoare novitiatum. Patet ex Clem. ultima *De regularibus*: & hoc verum est, quamvis malitia suppleat ætatem.

Resol. 2. Etiam recipi posse Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes, imò & Parochos, quia eorum ordinatio aut officium sic eos submittit Ecclesiæ, ut jura relinquant ipsis liberum Religionis ingressum. Ut dicitur cap. *Duæ sunt* 2. 19. q. 2. de curatis, quorum beneficium, sicut & quodcumque aliud non vacat ante professionem. Aliud esset de Episcopis, aut Archiepiscopis; qui nisi dispenset Papa in voto solemni, quo se suis ovibus curandis adstrinxerunt, nec licitè nec validè probabilius, possunt admitti.

Resol. 3. Validam esse & licitam receptionem sponsorum de futuro, quia censentur sponsalia contrahere cum tacita conditione: *Nisi Religionem ingredi voluero*. Esset tamen illicita tam ex parte recepti, quàm ex parte recipientis, si inde injuriam patiatur sponsa ratione copulæ ob Matrimonii promissionem concessæ.

Resol. 4. Ligatum solo Matrimonio rato, posse ante bimestre à contracto Matrimonio, licitè & validè Religionem ingredi, etiam repugnante comparte, quæ post professionem alterius, & non ante, ad alias nuptias poterit transvolare. Dixi & *non ante*; quia si exeat tenebitur ad compartem redire. Sed quid si sponsus tempore bimestris sponsam per vim oppressisset? posset oppressa Religionem ingredi, & teneretur opprimens, vivente comparte Religiosa à Matrimonio secundo abstinere, quia primum, utpotè consummatum, non fuit per professionem compartis dissolutum Hæc omnia patent ex variis juris textibus.

Resol. 5. Posse etiam recipi Matrimonio consummato ligatum, aut ligatam si compars sit notoriè adultera, aut per divortium judiciale separata. Patet ex c. *Constitutus* 15. *De Conversione Conjugatorum*, & alibi. Ratio est, quod conjux innocens ratione adulterii nocentis, aut devortii, facta sit quasi sui juris.

An autem in Ordine Seraphico, ut receptio illa sit licita, requiratur licentia Episcopi, & quod uxor vel castitatem voveat, vel Religionem intret, ac talis sit ætatis ut non possit oriri suspicio, præscribit regula, negant aliqui, eò quòd tunc cessent rationes, cur similia requirat regula: ad quid enim licentia Episcopi, ubi licentiam concedit jus? ad quid votum continentiæ in uxore, cum jus ad copulam & cohabitationem adulterando perdiderit? ad quid etiam ætas provecta, ut impediat suspicionem fortè oriundam, cum equidem non teneatur apud ipsam manere? undè dicunt, talem casum non comprehendi à nostra regula, sed cum hunc casum nullatenus excipiat, nec nos excipimus.

CONCLUSIO II.

INvalidè, adeoque & illicitè recipiuntur omnes illi, quibus inest impedimentum dirimens, sive ex jure naturæ, sive ex jure positivo.

Ratio est; quia debemus hic loqui de Statu Religioso cum proportione ad Matrimonium: atqui impedimentum dirimens reddit Matrimonium invalidum & illicitum: ergo & receptionem ac professionem Religiosam. Hinc

Resol. 1. Invalidè recipi servum, sive mancipium; quia cùm non sit sui juris, non potest se tradere Religioni.

Resol. 2. Propter eandem rationem irritam esse professionem conjugati post Matrimonium consummatum sine licentia compartis: Dixi: *Professionem*; quia cum nullum jus irritet illius novitiatum, poterit, accedente postea conjugis consensu, servire in ordine ad profitendum.

Resol. 3. Idem esse de Religioso, qui professus in uno ordine transvolat ad alium, qui non sit strictior.

Resol. 4. Invalidam esse receptionem & professionem viri in Monasterio Monialium, sicut & fœminæ in Monasterio virorum. Patet ex cap. *Diffinimus* 21. 18. qu. 2. An autem vir detectus teneatur ingredi Monasterium virorum, & fœmina Monialium; probabilius est, quòd non; cum Professio sit omnino irrita defectu acceptationis ex parte Religionis: teneretur tamen ad vota, eo modo quo posset, observanda, si illa emisisset cum intentione se obligandi, sive in Religione, sive extra.

Resol. 5. Hermaphroditum invalidè recipi, si sexus uterque sit æqualis, cum ratione periculi respectu virorum sit fœmina, & respectu fœminarum sit vir. Jura quidem permittunt tale inire Matrimonium juxta quemlibet voluerit sexum, non tamen profiteri Religionem propter indecentiam & periculum. Si autem prævaleat sexus virilis, & admittatur in conventu virorum; vel si fœmineus, & recipiatur apud moniales, valida erit professio & receptio, cùm reputetur vir aut fœmina juxta sexum prævalentem, erit tamen illicita tam ex parte recepti, quàm recipientis ob incontinentiæ periculum sibi & aliis; & ideo consultò separatur ab aliis vivet.

Resol. 6. Nullam esse receptionem & professionem Petri, cui deest aliqua conditio requisita, si facta sit protestatio à superiore, vel ab alio ejus nomine, si conditiones petitæ & affirmatæ non subsistant, eum fore dimittendum, etiam emissa professione, quod verum est, licèt conditiones illæ nec ex jure naturæ, nec ex jure positivo professionem invalidarent.

Ratio est; quia non stat receptio aut professio sine Superioris consensu; atqui illo casu, deficiente conditione, non consentit Superior imò positivè dissentit; ergo. Si hoc tamen intelligatur de infirmitate occulta, debet esse talis, ut Religionis exercitia impediat; quia non censentur aliud velle Superiores protestantes: & ideò consultus nuperrimè à Fratre Laico de valore suæ professionis, eò quòd, non obstante Superioris protestatione, illam emisisset cum surditate integra ex parte unius auris, respondi esse validam, cùm posset omnia exercitia suæ conditioni proportinata eodem modo exercere, ac si fuisset aure gemina sanus: aliud sanè respondissem de Clerico, cui ex suo instituto incumberet Confessiones audire, cùm talis infirmitas exercitium illud vel impediat, vel saltem difficile reddat.

CONCLUSIO III.

MUltorum valida est professio & receptio, quæ tamen est illicita, vel ex parte recipientis & recepti simul, vel recipientis tantum.

Ratio est; quia naturalis ratio, jus positivum, aut particularia Religionum statuta prohibent aliquos recipi, & ad professionem admitti, quorum tamen receptionem aut professionem non irritant. Hinc

Resol. 1. Filium profitentem, relictis parentibus in extrema vel gravi necessitate, peccare graviter, sicut & superiorem ipsum admittentem, licèt professio teneat. Ratio est, quia præceptum naturale subveniendi parentibus tali necessitate constitutis prævalet consilio, imò & obligationi ortæ ex voto ingrediendi Religionem. De hac re fusius postea.

Resol. 2. Criminosos, contra quos ante habitus susceptionem facta est accusatio, aut specialis inquisitio à judice sæculari, illicitè recipi. Patat ex Bulla Sixti V. *Ad Romanum spectat* anno 1588. per quam declarat etiam invalidam esse eorum professionem, quam postea validavit Clem. VIII. constitutione, quæ incipit *Altissima paupertatis via*, relictis pœnis, quas Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus* anno 1587. sanxerat contra recipientes hujusmodi criminosos, nempè privationem vocis activæ & passivæ, sicut & officiorum, graduum, honorum & dignitatum quarumcumque, ac perpetuam ad illa deinceps possidenda inhabilitatem. Intelligunt autem Doctores per *criminosos* homicidas, fures, sodomitas, adulteros, Patriæ proditores, assassinos, & alios hujusmodi publicos, contra quos imponi solet pœna mortis, triremium, aut exilii perpetui.

Resol. 3. Nec recipi posse ære alieno gravatos, aut reddendis ratiociniis obnoxios, quales possent esse tutores, testamentorum executores, Thesaurarii, Depositarii æris publici &c. ita inhibuit Sixtus V. Bulla *cum de omnibus* sub eisdem pœnis antea recensitis. Excipe tamen 1. Nisi alter gravamen il-

lud

lud totaliter in se susciperet. 2. Nisi patrimonium reddendis ratiociniis obnoxii tale esset, ut sine periculo molestiæ novitio aut Religioni inferendæ, ad prædicta dilucidanda & solvenda sufficeret.

Resol. 4. Etiam illicitè admitti ad Religionem, saltem Fratrum Minorum, debitis gravatos, illegitimos, descendentes usque ad quartum gradum ex Judæis aut Hæreticis, quorum corpora in fidei vindictam fuere cremata, infames jure, facto, arte, aut conversatione, laborantes lepra, paralysi, epilepha, lue venerea, aut quocumque alio morbo, qui contagiosus, aut caducus solet appellari. Si tamen lues venerea, aut simile quid post assumptionem habitus Religiosi appareat, & facilè ac brevi tempore sine scandalo possit sanari, non videtur novitius proterea expellendus, cum tunc cesset ratio inhibitionis. Circa alia impedimenta dirimentia aut prohibentia receptionem aut professionem Religiosam consulat unusquisque proprias constitutiones.

QUÆSTIO V.

Qualis debeat esse habitus, locus & annus Novitiatus?

CONCLUSIO I.

DEbet habitus novitii esse talis, qualis præscribitur in constitutionibus illius Ordinis, quem vult amplecti: hoc tamen non requiritur ad essentiam novitiatus, & ex causa posset aliter fieri: unde in Anglia, Hybernia, & aliis Hæreticorum locis, *Benedictini*, *Jesuitæ*, & Recollecti Novitios suos probant in habitu sæculari, nemine reclamante.

Dices 1. Tridentinum requirit pro novitiatu annum à die suscepti habitus: ergo supponit habitum Religionis esse suscipiendum.

Resp. Concilium ita loqui; quia sic ordinariè fit: undè sumit diem suscepti habitus pro die, quo quis incorporatur Religioni. Et certè, si voluisset habitum esse de essentia Religionis, illud apertè declarasset, sicut fecit de anno novitiatus & ætatis.

Dices 2. Qui non fert Religionis habitum, non experitur illius asperitatem: ergo &c.

Resp. Non omnes Religionis asperitates esse necessariò probandas; aliàs deberet etiam novitius mitti ad pagum per vias lutosas, aut nive coopertas tempore frigido, aut pluvioso, cum sola panis & aquæ sustentatione, quandoquidem non ita raro accidat professis.

Dices 3. Saltem in Ordine Seraphico formam habitus novitiorum præscribente, gestari debet habitus Religionis.

Resp. Etiam in illo Ordine posse Provinciales dispensare, si secundum DEUM videatur aliter expedire. Patet ex regula.

CONCLUSIO II.

LOcus novitiatus debet esse aliquod Monasterium, vel aliqua domus istius Religionis, quam quis vult profiteri: ita ut, si extra fiat, nullus sit & irritus. Patet tum ex declaratione Cardinalium, quam refert Sanchez libro 1. Summæ c. 4. n. 7. tum etiam quia extra Religionem profitendam non potest quis experiri austeritates & modum vivendi illius ordinis, quem vult amplecti: ad quod tamen ordinatus est novitiatus.

Dixi: *vel aliqua domus*; quia non requiritur necessariò Monasterium formatum, ut patet in Anglia & Hybernia ubi novitii in aliqua domo particulari cum aliquibus confratribus observant, quantum possunt, regulæ constitutiones. Quamvis hoc non videatur probandum. Ex dictis

Resol. 1. Irritum esse Novitiatum Franciscani, qui etiam à Superiore legitimo receptus, extra Religionem, vel in Religione Sancti Benedicti v.g illum perageret, nisi adesset dispensatio Papalis.

Resol. 2. Validum esse novitiatum illius, qui ex licentia Superioris per unum aut alterum mensem abest à conventu, non tantùm ad catechizandum, aut quæstam faciendam, sed etiam amicos visendi ergo, aut recreationis causa; quia ex juris præsumptione, qui degit ad tempus breve extra conventum cum licentia Prælati, censetur in illo commorari. Præterea non requiritur, ut Religionis austeritates toto tempore experiatur; aliàs ægrotans novitiatum non ageret: sed sufficit si illas aliquo tempore experiatur, & alio tempore sit paratus illas experiri ad nutum Superioris: peccaret tamen Prælatus licentiam illam concedens novitio sine causa.

Resol. 3. Non esse verisimilem opinionem Azorii dicentis illum, qui per decem menses, imò per annum integrum degisset apud sæculares, novitiatum suum complere, si antea alicui Monasterio fuit incorporatus, quia videtur esse omninò contra finem novitiatus à Tridentino requisiti, cùm solus habitus non possit facere Monachum.

CONCLUSIO III.

ANnus novitiatus debet esse omninò integer, seu computari debet de momento suscepti habitus in momentum professionis; ita ut si quis hoc anno susceperit habitum prima Januarii hora nona, & profiteatur anno sequenti eodem die eadem hora, valeat professio, si autem vel unica hora ante nonam, sit nulla. Ita communissimè Doctores contra paucos volentes sufficere, si ultimus anni dies sit inchoatus. Ratio est; quia eodem modo loquendum est de anno novitiatus, ac de anno ætatis decimo sexto, sed hic annus ad valorem professionis debet esse omninò completus: ergo & ille. Accedit quòd in re tanti momenti non sit recedendum à sententia communi.

Resol. 1. Laudabiliter quidem in multis Religionibus requiri ad professionem annum cum uno die, ita ut qui habitum suscipit prima Januarii, profiteatur secunda ejusdem mensis anno sequenti. Hoc tamen non requiritur ad valorem professionis.

Resol. 2. Annum requisitum à Tridentino non esse solarem, qui continet 365. dies cum 6. horis, sed civilem & politicum, qui componitur ex 365. diebus præcisè, quando non est bissextilis, & uno plus, quando est bissextilis.

Ratio est; tum quia taliter computatur annus in aliis commerciis humanis, tum quia Gregorius XIII. qui ad correctionem Kalendarii abstulit ab anno 1528. dies decem, declaravit dies illos non esse supplendos pro ætate requisita ad suscipiendos Sacros Ordines; quia annus ille fuit integer non quidem solariter, sed politicè & civiliter. Eodem modo loquendum est à fortiori in nostro casu.

Resol. 3. Etiam annum integrum novitiatus requiri quando Religiosus transit de una religione ad aliam, sive interim alia sit strictior, sive mitior, sive eundem habeat fundatorem, sive diversum. Ratio est; quia Tridentinum requirit annum completum ad professionem; atqui transiens, ad aliam religionem, quæcumque sit, emittit novam professionem; ergo requiritur alter annus completus probationis. Accedit, quòd diversa religio diversas habeat constitutiones, & consequenter diversam requirat probationem. Potest enim fieri quòd quis in religione mitiori reperiat difficultatem, quam non reperiebat in strictiori, & à fortiori è contra: imò quamvis hoc non esset, equidem debet religio novitium probare. Unde Barbosa de jure Ecclesiastico lib. 1. cap. 42. n. 86. refert declarationem Cardinalium asserentium debere facere Discalceatum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis ad Calceatos transeuntem probationis annum.

Resol. 4. Nec religionem, nec novitium, nec utrumque simul posse renuntiare juri integræ probationis annuæ; quia licèt in favorem utriusque requiratur, cùm etiam sit in favorem publicum, non possunt ei cedere, sicut nec potest Clericus cedere suo juri in detrimentum status Clericalis. Poterat quidem olim hoc fieri, ut patet ex cap. *Ad Apostolicam* 16. de Regularibus, sed huic juri derogavit Tridentinum apertissimè, dicens quamlibet professionem, nisi probatio annua præcesserit, esse nullam, nihil operari &c.

Resol. 5. Hoc esse intelligendum, seclusa dispensatione, quia ex privilegio Pii V. dato per Bullam *Summa Sacerdotibus* anno 1570. Monialibus Sancti Dominici, & aliis per communicationem, licèt ægrotis in mortis articulo, si decimum sextum ætatis annum compleverint, tempus prævenire, sicque Indulgentias profitentibus concessas lucrari. Si tamen convaluerint, debent postea tempus complere, & de novo profiteri; quia non solet Monasterium professionem acceptare, nisi sub conditione mortis securæ, & hoc insinuare videtur ipsemet Pius V. in sua Bulla per quam non concedit indulgentias professioni annexas, nisi moriantur professi. An autem conventus, moriente sic professo, aut professa habeat jus ad dotem in professione promissam? Respondeo negative cum Rodriquez, Miranda & Portel; quia Pontifex tantùm voluit professionem illam stare quoad effectus spirituales, seu pro consolatione animæ, ut satis insinuat.

CON-

CONCLUSIO IV.

ANnus novitiatus debet etiam eſſe continuus moraliter, id eſt, abſque ulla interpolatione morali.

Prob. Tum ex jure, quod, ubi tempus requirit, continuum requirit, ut probat Leſſius lib. 2. cap. 41. n. 59. ex pluribus locis. Tum etiam, quia aliàs novitius non experiretur perfectè Religionis auſteritates cùm ſit difficilius per menſem continuum jejunare, orationi vacare, ſilentium & ſolitudinem ſervare, quàm illa per intervalla exercere. Adeſt quidem privilegium Julii III. in contrarium nobis conceſſum, ſed illud per Tridentinum eſſe revocatum, ſatis declarat praxis communis. Hinc

Reſol. 1. Exeuntem è Monaſterio, habitu dimiſſo, & animo non redeundi, interrumpere novitiatum, licèt tantùm per unam aut alteram horam abeſſet; quia cùm perfectè renunciet jugo obedientiæ, cenſetur ſtatum Religioſum dimittere: imò idem eſt probabilius, etſi habitum retineat.

Reſol. 2. Diſcedentem furtivè cum animo revertendi poſt duas aut tres horas, in foro conſcientiæ non diſcontinuare probationem. Quod etiam verum eſt, licèt ad exitum facilitandum depoſuiſſet habitum; quia tunc non dimittit jugum religionis, eſtque paratus corripi, ſi deprehendatur: nec nocet habitus dimiſſio, aliàs nequidem poſſet dimitti tempore infirmitatis.

Dixi: *in foro conſcientiæ*; quia in religione Seraphica præſumitur novitiatus interruptus quoad forum externum, eo ipſo quo novitius ſine licentia è conventu exivit, ſive habitu retento, ſive dimiſſo. Patet ex ſtatutis generalibus cap. 1. §. 2.

Reſol. 3. Non eſſe continuam probationem illius, qui à conventu juſtè expulſus, poſt aliquot horas readmittitur; quia ſicut exiens cum animo non redeundi deſinit agnoſcere Religionem ut Superiorem, ita & Religio Novitium expellens deſinit ipſum agnoſcere ut inferiorem. Ubi autem injuſtè expellitur & cognita injuſtitia readmittitur, debet in integrum reſtitui, cùm nullus ſine ſua culpa debeat privari jure ſuo. Non videtur tamen computandum tempus abſentiæ, quidquid dicant aliqui, cùm tunc moraliter non fuerit novitius, ſed debet, ſi poſt octo menſes v.g. fuit expulſus, quatuor alios complere.

Reſol. 4. Eum, qui, dimiſſo habitu, cum animo egrediendi latitat in Monaſterio expectans tempus fugæ idoneum, ſicut & illum, qui ex ita habitum dimittit, & ſæcularem induit, non diſcontinuare novitiatum, ſi facti pœnitens Religionis habitum reaſſumat antequam egrediatur è Conventu; quia non cenſetur perfectè ſtatum deſeruiſſe, quamdiu necdum è Monaſterio exivit, & ideo poteſt etiam exutus à Superiore habitu Religionis, & indutus ſæculari, probationem continuare, ſi ante egreſſum iterum paulo poſt de licentia Superioris induatur.

Reſol. 5. Illum, qui, expleto novitiatus anno, ad ſæculum redit, non poſſe poſtea vi illius probationis valide profiteri; quia, ut declarat praxis communis, inter novitiatum & profeſſionem nihil debet vitæ ſæcularis intercedere: poſſet quidem aliquis probationem abſolviſſe 15. ætatis anno, ut diximus, ſed deberet in Religione, & non extra, ætatem ad profitendum requiſitam expectare.

Petes, an, completo anno, poſſit profeſſio differri?

R. Affirmativè ex juſta cauſa, v.g. ſi novitius diu ægrotavit, ſi novitia dotem non habeat &c. quia Tridentinum nullibi condemnat dilationem rationabilem. Inter nos tamen non poteſt Guardianus ſine expreſſa Provincialis licentia ultra octo dies profeſſionem differre. Patet ex ſtatutis generalibus ſupra.

QUÆSTIO VI.

Quid dicendum de Eleemoſynis, Expenſis, & Teſtamentis Novitiorum?

CONCLUSIO I.

NUlla Eleemoſyna notabilis facta à novitio, aut ab ejus parentibus, propinquis, aut curatoribus, de bonis ipſius novitii, poteſt recipi, niſi in quantum neceſſaria eſt ad illius victum & veſtitum. Ita declarat Tridentinum Seſſ. 25. cap. 16. *De Regularibus*.

Ratio eſt; quia hoc expediebat ad relinquendum novitiis liberum omninò egreſſum, quem minutum aut abſorptum per Eleemoſynas patrimonium potuiſſet impedire.

Dixi 1. *Notabilis*; quia non prohibetur, quominus novitius, aut alter ejus nomine Conventui, vel pauperibus paucas Eleemoſynas largiatur; quandoquidem non intendat Concilium congrua pietatis opera impedire, ſed tantum illa, quæ patrimonium notabiliter minuentia obſtarent libertati egreſſus.

Dixi 2. *De bonis ipſius Novitii*; quia poſſunt parentes, aut propinqui Monaſterium de bonis propriis gratificare.

Dixi 3. *Niſi in quantum neceſſaria eſt ad victum & veſtitum*; & ideo detractis pro victu & veſtitu neceſſariis, reſtituendum eſt novitio egredienti quod ſupereſt ex datis Eleemoſynis, ita ut poſſit Epiſcopus etiam per cenſuras Monaſterium renuens compellere. Patet ex Tridentino ſupra. Non eſt tamen reſtituendus habitus Religionis, ſed ſufficit, ſi detur pretium æquivalens. Ex dictis

Reſol. 1. Graviter peccare Superiorem, tenerique ad reſtitutionem, ſi à Novitio aut ab alio de bonis novitii aliquid notabile recipiat ultra victum & veſtitum.

Reſol. 2. Hoc tantum intelligi ante profeſſionem, & ideo, facta profeſſione, quodlibet de novitii ſubſtantia liberaliter oblatum poteſt recipi.

Reſol. 3. Non eſſe abſolutè condemnandam praxim certarum Religionum, quæ in die veſtitionis novitii, aut novitiæ prandium quoddam commune recipiunt, tum quia non apparet veriſimile hoc eſſe à Concilio condemnatum; tum etiam quia, ſecundùm Toletum & multos alios, hoc venit nomine victus & veſtitus.

CONCLUSIO II.

TEnetur Novitius egrediens expenſas pro victu & veſtitu factas ſolvere, ſi pro ſolvendis cum Monaſterio convenit: aliàs non tenetur.

Prob. 1. Pars: quia licitum eſt ex Tridentino ſupra aliquid pro victu & veſtitu novitii recipere: ergo & de illo convenire; & id, de quo conventum eſt, exigere.

Prob. 2. pars: quia Monaſterii redditus & Eleemoſynæ tam pro Novitiis, quàm pro Profeſſis ſunt conſtitutæ, ut tenent Doctores communiſſimè. Si quis tamen intraret ſine animo perſeverandi, teneretur, etiam ſecluſo pacto, expenſas ſolvere; quia certum eſt nec fundatores, nec benefactores pro illo redditus aut Eleemoſynas conſtituiſſe. Excipiendum eſt, niſi præſtitiſſet Conventui ſervitia quędam particularia expenſis æquivalentia.

CONCLUSIO III.

POteſt Novitius quocumque probationis tempore in favorem cujuslibet de bonis ſuis liberis teſtari. Eſt communis & certa.

Ratio eſt: quia Novitius toto probationis tempore retinet dominium, poſſeſſionem & uſum illorum, nec ulla lege impeditur, quominus poſſit cauſa mortis civilis de illis diſponere: ergo &c.

Dixi: *Quocumque probationis tempore*; quia cùm dicit Trid. ſupra, omnem renuntiationem & obligationem factam à Novitio ante bimeſtre pręcedens immediatè ante profeſſionem, eſſe nullam, loquitur de donatione inter vivos, non autem cauſa mortis, ut fit in Teſtamentis. Et certè ſi etiam Teſtamentum comprehenderet, nequidem poſſet Novitius in illo bimeſtri teſtari ſine licentia Epiſcopi, aut ejus Vicarii; cum ad renuntiationem & obligationem præfatam requirat Epiſcopi aut ejus Vicarii licentiam: contrarium tamen docet praxis quotidiana.

Dixi 2. *In favorem cujuslibet*, quamvis conſultum ſit illa pauperibus relinquere, vel in pias cauſas erogare juxta conſilium Evangelicum. Excipe tamen, niſi ipſimet parentes, aut propinqui eſſent pauperes.

Dixi 3. *De bonis liberis*; quia in quibuſdam locis prohibentur Novitii de bonis immobilibus diſponere.

Petes 1. Cujus ſint bona Novitii morientis ab inteſtato?

R. Eſſe hæredum ipſius Novitii, non autem Monaſterii ut volunt viginti duo Authores à Sanchez citati. Ratio eſt; quia Monaſterium novitium non facit ſuum: ergo nec bona ipſius fecit ſua, cùm nullo alio titulo poſſit bona illius acquirere, niſi quia Novitium facit ſuum; quod tantum accidit in profeſſione.

Petes 2. Cujus ſint bona Novitii, ſi profiteatur, nullo facto Teſtamento, aut renuntiatione?

R. De jure communi eſſe ipſius Monaſterii, ſi ſit ſucceſſionis capax. Patet ex ordinatione Juſtiniani L. *Deo* 42. §. hujus Cod. *De Epiſcopis & Clericis*, & Novella 123. *De ſanctiſſimis Epiſcopis* cap. 38. item Novella 76. cap. 1. & alibi.

alibi. Quod confirmat D. Gregorius lib. 7. Epistolar. Epist. 7. ad Januarium, ubi ait: *Quia ingredientibus Monasterium, convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est.*

Dixi 1. *Jure communi*; quia Reges Hispaniæ à monasteriis Belgicis (non tamen à Collegiis Societatis JESU) jus hæreditariæ successionis abstulerunt.

Dixi 2: *Si sit successionis capax*, quales non sunt Conventus Recollectorum, Capucinorum &c.

Petes 3. An novitius possit sibi per Testamentum relinquere redditum annuum? loquor v. g. de Dominicanis, & aliis in communi possidentibus; quia cum nequidem Conventus Fratrum Minorum redditus illos possint habere, à fortiori nec ullus ex illis.

R. Non posse, si intendat habere dominium illius: cùm per Professionem Religiosam fiat omnis dominii incapax: poterit autem, si dominium relinquat Monasterio, & tantùm dependentem à Superioris voluntate & dispositione velit illo uti; quia praxis communis etiam maximè timoratorum hoc satis declarat.

Petes. 4. An novitius, qui obligavit suum hæredem ad alendas sex aut octo viduas, possit sibi earum electionem reservare.

R. Affirmativè, si habeat licentiam sui Superioris.

Ratio est, quia talis electio nec ullo jure prohibetur, nec ullo modo sapit dominium.

QUÆSTIO VII.

Quos effectus habeat Probatio, & Professio Religiosa?

CONCLUSIO I.

FAcit probatio Religiosa, ut Novitius gaudeat omnibus privilegiis, quibus gaudent professi.

Ratio est, tum quia in favorabilibus reputantur Religiosi; tum quia justum est, ut sentiant commoda, sicut sentiunt incommoda, tum etiam, & maximè, quia sic declaravit Clemens VIII. ut referunt Authores plurimi fide digni. Hinc

Resol. 1. Novitium gaudere privilegio Fori; ita ut ratione delicti, aut debiti non possint à Judice sæculari conveniri: imò nec ab Episcopo, nisi se illi subjiciat, aut sit Religionis non exemptæ. Si tamen Judex ante Religionis ingressum cœpisset de Novitii delicto cognoscere, posset illum extrahere & punire.

Resol. 2. Etiam frui privilegio Immunitatis Clericalis, ita ut ipsum percutiens incurrat excommunicationem Canonis. *Si quis suadente Diabolo*.

Resol. 3. Exemptum esse à Gabellis aut tributis solvendis; quia in hoc habetur tanquam persona Ecclesiastica.

Resol. 4. Indulgentias Novitio & professis esse communes. Item posse absolvi per Prælatum, aut per alium legitimè deputatum ab omnibus Censuris, Irregularitatibus, pœnis & peccatis etiam reservatis, à quibus possunt Professi. Quamvis autem eorum tota non possint à Prælato irritari defectu potestatis Dominativæ, possunt tamen dispensatione tolli, ratione potestatis jurisdictionalis. Vide dicta *De Voto* in Tract. in Decal. Disp. 2. q. 3. concl. 2.

Petes 1 An, Novitio egrediente, reviviscant Censura, Irregularitas, peccatum reservatum, à quibus fuit absolutus?

R. Neg. Quia sic ab illis fuit absolutus, sicut ab iisdem absolverentur professi; sed hi absolutè & simpliciter absolverentur, ita ut illa nunquam reviviscerent, ergo & ille similiter.

Petes 2. Quibus confiteri possint Novitii?

R. Posse & Religiosis pro suo Monasterio deputatis, & aliis à solo Ordinario approbatis: sive hi interim sint regulares, sive sæculares, sive extra, sive intra Monasterium. Ratio est; quia Novitii reputantur sæculares & regulares: Sæculares de facto, cùm necdum sint professi: Regulares verò in favorabilibus; quia sustinent onera Religionis. Posset tamen Prælatus respectu Novitiorum dare jurisdictionem soli Directori, ut sæpè fit, & tunc confessio aliis facta, si à solo Prælato sint approbati, est invalida. At prohibere non potest, quominus validè & licitè confiteantur approbatis ab Ordinario; cùm revera jus habeant tanquam sæculares.

CONCLUSIO II.

PRobatio Religiosa nullam imponit Novitio obligationem perseverandi.

Ratio est; quia sicut fuit ipsi liberum Religionem ingredi, vel non ingredi; ita & in ea remanere, vel non remanere. Accedit quod nulla lege, nullo voto, nulla promissione ad id obligetur, unde cap. *non solum*. de regularibus in 6. permittitur Novitiis liberè egredi.

Dices 1. Quædam jura prohibent Novitiis egressum.

R. Loqui de iis, qui perseverantiam voverant.

Dices 2. Non potest Religio Novitium pro libitu dimittere: ergo nec ipse pro libitu exire, cùm sit justum, ut pactum utrinque obliget.

R. Contractum illum in favorem Novitii claudicare, sicut & accidit in pluribus aliis.

Dices 3. Saltem est quædam inconstantia.

R. N. ass. quia sicut ille, qui cœpit dicere Rosarium quotidie per aliquod tempus, non dicitur inconstans, si non perseveret: ita nec ille. Ut autem ratione vocationis non sit Deo ingratus, sufficit, quòd in sæculo Christianè vivat.

CONCLUSIO III.

PRobatio Religiosa subjicit Novitium Prælato, non tanquam professum Superiori, sed tanquam Clericum Episcopo.

Ratio 1. partis est; quòd necdum Novitius se tradiderit integrè Religioni, cùm talis traditio fiat per votorum emissionem, & ideo, secluso scandalo, non peccat jejunia Regulæ non servando, Officium non recitando, silentium aut solitudinem non custodiendo &c. quamvis propter illa & alias Regulæ transgressiones subjiciatur Superiorum correctioni & punitioni, quam si velit remanere, tenetur sine violentia acceptare, id exigente probationis statu.

Dixi: *Secluso scandalo*, quod cum inde natum sit sequi, vel saltem pravum exemplum, debet Novitius vel publicè Regulam servare, vel ad sæculum redire.

Ratio 2. Partis est, quòd Prælatus habeat in ipsum jurisdictionem quasi Episcopalem in utroque foro in Papa concedente ad debitum Monasterii & Novitii regimen, & certè justum est, ut, cum tunc à jurisdictione Episcopali & sæculari eximatur, subjiciantur Regulari. Unde Superior ipsum cogere potest, ut in casibus occurrentibus veritatem aperiat, ut Dei & Ecclesiæ leges custodiat, idque etiam per Censuras, si opus fuerit. Imò si graviter delinquat, licet, antequam expellatur, ipsum graviter punire etiam, longo carcere, si expulsio delictum non satis diluat; quia Prælatus id potest in ipsum, quod potest in simili Episcopus in Clericum.

Dices: Novitius juxta c. *Non solum*. De Regularibus in 6. debet liberè dimitti: ergo &c.

R. D. ant. Quando delicta manerent impunita, & essent aliis Novitiis occasio, ruinæ spiritualis, N. aliàs, C.

CONCLUSIO IV.

PRofessio Religiosa varios habet effectus, quos breviter recensebimus. Primus est, quòd omnia omninò vota, sive reservata, sive non; sive personalia, sive realia, sive in sæculo, sive in Novitiatu emissa, in ipsam professionem commutentur, si id intendat ille qui profitetur. Ratio est, tum quia professio Religiosa est evidenter melior quibuslibet votis simplicibus: unde c. *Scripturæ* De voto dicitur: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui in temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare*, tum quia id indulsit Ecclesia ob voti solemnis perfectionem.

Dixi: *Si id intendat ille, qui profitetur*; quia, quidquid dicant plurimi, probabilius est, sine illa intentione vota priora non esse commutata, cùm professio Religiosa nec ex se, nec ex jure hunc effectum habeat: jura quidem dicunt posse vota priora in eam commutari, sed nulla dicunt dari commutationem sine intentione commutandi: unde sicut ille, qui vovit unum *Pater* & *Ave*, & postea jejunium, non censetur primum in secundum commutare, nisi positive intendat, ita nec in nostro casu. Nec contrarius est D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2. cùm fundetur in præfata Decretali, quæ apertè requirit commutationem, quæ non stat sine intentione commutandi.

Dices: Licèt ille, qui vovit ingredi Religionem strictiorem, peccet tum ingrediendo, tum profitendo laxiorem, absolvitur tamen à priori voto: ergo & ab aliis.

R. Hic esse specialem juris exceptionem ex c. *Qui post. De Regularibus*: in 6. & sic indè magis firmatur nostra conclusio.

Secun-

Secundus effectus est dissolvere Matrimonium ratum & sponsalia, etiam jurata. Trid. sess. 24. can. 6.

Tertius tollere Irregularitatem defectu natalium in ordine ad suscipiendos Ordines sacros & beneficium simplex non tamen in ordine ad prælaturam, aut Beneficium Curatum, Nec tollit Irregularitatem ex bigamia aut homicidio, ut sine fundamento dixerunt aliqui.

Quartus est parere obligationem mutuam inter Religionem & Religiosum; ita ut debeat Religio ipsi professo tanquam filio omnia munia matris, & professus debeat Religioni tanquam matri omnia munia filii.

Quintus, expiare maculam quoad certos actus judiciales, ita ut possit professus testificari, licèt antea ratione perjurii, aut furti fuisset inhabilis declaratus. Authentica *De Monachis*. Collatione 1.

Sextus, extrahere filium à Patria potestate in iis, quæ sunt filio odiosa, non in aliis.

Septimus, remittere omnem pœnam peccatis debitam, non quidem ex opere operato instar Sacramenti, sed ex opere operantis, eò quòd sit opus præstantissimum, quia homo parentibus, amicis & charis, possessis & possidendis, suæ voluntati, imò & sibi ipsi renuntiat, ut semper & in omnibus alienæ subdatur voluntati: unde D. Hieron. Epist. 25. circa med. appellat professionem Religiosam secundum Baptisma. Debet tamen profitens esse in statu gratiæ, cum opus satisfactorium in mortali factum nullatenus prosit; imo, nec, sublato peccato, reviviscat.

An autem operetur professio, quoties ita renovatur, ut si non esset emissa, hìc & nunc emitteretur? Affirmant aliqui, negant alii: & his suffragamur, eò quòd renovatio illa non sit ita meritoria & satisfactoria, ac ipsa professio: illam tamen omnibus Religiosis consulimus, cùm ex ea ingentes fructus referantur, novus zelus concipiatur; amor sæculi minuatur, & desiderium æternorum accendatur. Alios alii referunt professionis effectus; sed cum vix sint ullius momenti, illos brevitatis causa omittimus.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo debeat ratificari possessio nulla, & quando liceat contra illam reclamare?

Suppono 1. Professionem Religiosam posse esse nullam ex variis capitibus. Primò defectu potestatis in recipiente. Secundò; defectu consensus in profitente. Tertiò, defectu ætatis sufficientis. Quartò, defectu probationis completæ. Quintò, quia novitius non erat sui juris. Sextò, quia erat alterius sexus.

Suppono 2. Professiones aliquas nunquam posse ratificari, ut est professio mulieris in Monasterio virorum, perpetuo amentis, sicut & illegitimi, vel continuò lue venerea aut morbo caduco laborantis in iis Ordinibus, in quibus illa professionem dirimunt. Et ideò de illis professionibus hìc non agimus.

Suppono 3. Professionem irritam non validari tractu temporis, etiam sublato impedimento dirimente: v. g. emisit quis professionem ante ætatem requisitam, aut ante completum probationis annum; non censetur validari ejus professio, quando ætatem necessariam attigit, aut novitiatus annum complevit. Ratio est; *quia non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit*, ut habet regula 18. juris in 6. & ideò requiritur novus consensus, novaque professio. His suppositis

CONCLUSIO I.

Ex quocumque capite professio sit nulla, requiritur ad ratificationem cognitio nullitatis, novus consensus, saltem ex parte profitentis, non tamen novæ cæremoniæ, aut nova probatio, ubi fuit completa. Hæc conclusio quatuor habet partes.

Prob. 1. Pars; quia quantumvis approbet & renovet suam professionem, ubi ignorat illam fuisse nullam, semper approbat & renovat talem, qualis est à parte rei: approbans autem rem invalidam. Validaret autem, si renovando, expressum haberet animum, ut si ex aliquo capite fuit nulla, etiam velit ratam habere; quia nullitatis cognitio tantùm requiritur ad positionem consensus circa Professionem validam; hunc autem consensum habet renovans cum præfata conditione.

Prob. 2. Pars; quia nulla professio potest esse valida, nisi adsit consensus profitentis, cùm sit quidam contractus, atqui ubi fuit impedimentum dirimens Professionem, nullus fuit consensus: ergo ad ipsius ratificationem necessariò requiritus novus.

Dixi: *Saltem ex parte profitentis*; quia excepto solo casu, quo professio fuit nulla defectu potestatis in recipiente, probabilius est non requiri novum consensum ex parte Religionis, sed tantùm ex parte profitentis; quia Papa tanquam supremus omnium Religionum Generalis pro bono pacis & Religiosorum solatio professionem illam acceptat nomine Religionis. Patet ex cap. *significatum*. De regularibus. Ubi à Papa cogitur ille ad Religionem regredi, qui professionem nullam, defectu ætatis, postea, ætate completa, ratificaverat, nulla facta mentione ratificationis ex parte Religionis. Colligitur etiam ex Trid. sess. 25. cap. 19. *De regularibus*, ubi præsumit nulliter professum vel ratione metus, aut violentiæ, vel defectu ætatis, aut probationis completæ, si per quinquennium sine reclamatione ut professum se gerat in habitu & in exercitiis Monasterii, ratificare suam professionem, non requirendo consensum Religionis.

Prob. 3. Pars; quia cæremoniæ non sunt de essentia professionis, sed tantùm ad majorem solemnitatem.

Prob. 4. Pars; quia eo ipso, quo per annum integrum ut Religiosus mansit in Religione, satisfecit intento Trid. quod est, ut ipse probet Religionem, & ipse vicissim ab ea probetur: ergo non debet annum probationis reiterare. Ex dictis

Resol. 1. Quòd ubi quis novit professionis suæ nullitatem, posse; non expectato novo Superioris consensu, nec reiterato novitiatu, sine cæremoniis illam emittere; modò adsit testis; quia cùm Ecclesia semper abhorruerit contractus *clandestinos*, litibus & controversiis obnoxios, non censetur professionem aliter factam acceptare, saltem in foro *externo*: quod addo; quia in foro conscientiæ videtur sufficere ratificatio soli DEO facta.

Resol. 2. Quòd licèt in casibus allatis suppleat Papa consensum ex parte religionis, nunquam tamen supplere possit ex parte profitentis. Ratio est; quia non potest in re tanti momenti ac tantæ obligationis aliquem ligare, nisi actualiter volentem, & de facto in ipsam *validè* consentientem; & ideò nunquam hìc sufficit præsumptus profitentis consensus, aut sperata ratihabitio: sed debet in omni omninò casu nullitatis professionis, illam per se verbo, aut facto ratificare.

Resol. 3. Quando professio nulla fuit defectu potestatis in recipiente, requiri ad ipsius validationem ultra consensum profitentis, etiam consensum religionis, quia nec in jure, nec in Trid. reperimus sufficiens fundamentum, quòd tunc Papa suppleat, sicut in aliis casibus.

CONCLUSIO II.

Quando quis credit probabilius professionem suam *esse* nullam, potest intra quinquennium à die *professionis* inchoandum, contra illam reclamare, non post, 2. sicut nec ante, habitu Religionis dimisso. Ita statuit Tridentinum sess. 25. cap. 19. *de Regularibus*.

Dixi 1. *Quando quis credit probabilius*: nam peccat graviter reclamando, 1. si sciat professionem suam esse validam, 2. invalidam, Coram DEO ratificaverit: 3. si tantùm sit dubius de valore suæ professionis, sive negativè, quod accidit, quando non habet rationes pro, nec contra; sive positivè, quando rationes sunt utrinque æquales.

Ratio hujus tertii casus est (nam duo primi per se patent) quòd in dubio circa materiam justitiæ melior sit conditio possidentis; Religio autem dubitantem possideat titulo justitiæ à die præsumptæ professionis.

Dixi 2. *Potest intra quinquennium*, sicque sufficit si intra illud tempus judicium reclamationis fuerit inchoatum, licèt postea continuetur.

Dixi 3. *A die professionis inchoandum*; quia non adhæremus sententiæ illorum, qui volunt esse computandum à die sublationis impedimenti, ignorantiæ, aut impotentiæ, quandoquidem in terminis dicat Concilium: *Nisi intra quinquennium tantum à die professionis non audiatur*. Et certè si voluisset, ut inchoaretur quinquennium illud à die, quo quis novit professionis suæ nullitatem, vel fuit liberatus ab eo, quòd reclamationem impediebat, illum expressisset, cùm esset ipsi æquè facile hoc modo, quàm alio se declarare; imò debuisset: quandoquidem ejus verba omninò aliud significent.

Dixi 4. *Non potest*, quia ut obviaret Ecclesia litibus & controversiis nunquam finiendis, determinavit illud tempus pro bono & tranquillitate Religionis, in cujus favorem hoc Decretum emanavit: & certè videtur ordinariè tempus illud sufficere, ut meritò præsumatur vel professionem fuisse vali-

validam, vel saltem fuisse ratificatam. Si quis tamen posset aliqualiter probare se integro quinquennio, vel ignorasse professionis suæ oullitatem, vel toto illo tempore fuisse impeditum, aut impotentem ad reclamandum, v. g. quia erat infirmus, aut incarceratus, posset, secundùm Doctores communiter, in integrum restitui, seu à judice legitimo, qui est Papa, vel Congregatio Cardinalium ad hoc deputatorum, obtinere restitutiooem quinquennii, ut coram Superiore & Episcopo aut ejus Vicario posset reclamare: quia videtur nimis durum, quod quis nullatenùs professus teneatur per totam vitam in religione manere, nec concedatur ei audieotia, ubi sine sua culpa tempore quinquennii oon reclamavit.

Dixi tandem: *Nec ante, habita dimisso. Quia si habitam sponte dimiserit* (nempè ante reclamationem, aut pendente lite) *nullatenus ad allegandam quancunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur*, inquit Trid. supra. Excipe tamen 1. nisi habitus dimissio sit ei necessaria ad reclamationem peragendam, à qua injustè à Superiore impediretur. 2. Nisi habitum dimissum reassumpserit, ac Monasterium spontè repetierit; quia satis insinuat Concilium se loqui de eo, qui, habitu dimisso, extra Monasterium vagatur, & ideò addit: *ad Monasterium redire cogatur*. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui ante reclamationem, aut post, lite necdum decisa, è Monasterio aufugit, peccare graviter, licèt certò sciat professionem suam esse oullam, si nullitatem probare possit. Ratio est; quia contravenit Tridentino id ob gravissimas causas statuenti: & certè justum est, ut qui in foro Ecclesiæ Religiosus habetur, in foro Ecclesiæ facultatem recedendi obtinere teneatur.

Resol. 2. Frustraneam esse reclamationem illius, cujus professio nulla est defectu solius coosensus, cùm hoc in foro externo non possit probari. Et ideò tenetur ille, qui sic professus est, professionem ratificare in foro Ecclesiæ: quod addo, quia in foro conscientiæ probabilius est, etiam post quinquennium, posse aufugere & uxorem, si non sit ordinatus, ducere, quandoquidem coram Deo professio sit nulla, & aliunde sit durum homini nolenti & dissentienti tale onus imponere. Tenebitor tamen omne damnum ex consensu ficto religioni provenieus resarcire, quod si non possit aliter, nisi ratificando professionem, reparare, ad id obligabitur, ut dicitur de Matrimonio & aliis contractibus fictè initis.

Resol. 3. Eum, qui novit professionis suæ nullitatem, non posse in religione remanere, nisi vel reclamet, vel professionem ratificet. Ratio est; quia oullum habet jus ad alimenta. Et aliundè exponit se manifesto periculo invalidè suffragandi, illicitè Ordines sacros suscipiendi ratione ficti tituli paupertatis, imò si illos suscipiat, est ipso facto suspensus, & si in illis ministret, fit irregularis.

Resol. 4. Quòd licèt non possit Religiosus post quinquennium in foro externo reclamare, aut aufugere, possit tamen religio ipsum professionem ratificare denegantem, etiam post quinquennium, expellere; quia Decretum Concilii de non reclamando post quinquennium in favorem religionis concessum est, non in præjudicium.

QUÆSTIO IX.

Ad quid teneatur Religiosus ratione votorum solemnium?

CUm hæc quæstio varia admodum & disparata contineat, illam in varios articulos secandam judicavimus.

ARTICULUS I.

Quid Obedientia Religiosa, quid & qualiter possit Superior præcipere, quibus & in quibus teneatur inferior obedire?

SUppono Obedientiam inter vota essentialia primas tenere; nam si paupertas offerat Deo divitias, & castitas corpus, offert Obedientia ipsammet voluntatem: eo autem nobilius est votum, quo plus Deo offertur: hinc Joann. XXII. Extravag. *Quorundam* De verborum significationibus circa finem: *magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est Obedientia maximum.*

CONCLUSIO I.

OBedientia Religiosa est vinculum spirituale obligans Religiosum ad obediendum Prælato competenti in omnibus, quæ cadere possunt sub virtute Obedientiæ.

Dicitur 1. *Vinculum Spirituale*, ortum scilicèt tum ex pro-

missione Deo facta, tum ex sui traditione Religioni. Et ideò tenetur inferior obedire Superiori ex triplici capite. Primò ratione voti. Secundò ratione traditionis. Tertiò ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, quam habet Prælatus in ipsum, sicut habet Episcopus in Diœcesanum.

Dicitur 2. *Obligans Religiosum*, ad distinctionem voti simplicis Obedientiæ, quod obligat personam liberam, v. g. devotariam ad obediendum suo Directori in materiis discretis & prudentibus. Hanc simplicem Obedientiam non deberet à muliere recipere Frater Minor, cùm circa hoc voluntatem suam manifestaverit D. Franciscus in prima sua regula cap. 12. licèt non obliget.

Dicitur 3. *Prælato competenti*, ad excludendam quamlibet Obedieotiam alteri promissam.

Dicitur 4. *In omnibus quæ cadere possunt* &c. per quod ostenditur objectum Obedientiæ, quæ cùm sit duplex, etiam duplex habet objectum, est enim Obedieotia alia perfectionis, alia necessitatis. Prima est illa, qua Religiosus obedit in omnibus, quæ non sunt contra Deum, & hæc habet pro objecto omne, quod non est peccatum. Secunda, quam sufficientem vocat D. Thomas Quodlib. 1. art. 15. est illa, quæ terminis regulæ & votorum coarctatur: hujus objectum sunt omnia explicitè, vel implicitè in regula contenta, vel quæ ad ejus observantiam sunt necessaria, utilia, aut convenientia. Hoc objectum est tantùm remotum: nam proximum est solum Superioris præceptum, sive obliget ad culpam, sive tantùm ad pœnam: unde executio illius, quod superior tantùm consulit, aut desiderat, non est in rigore obedientia, licèt sit magna perfectio.

Porrò quatuor sunt obedientiæ perfectę conditiones, cæcitas, promptitudo, humilitas & fortitudo. *Cæcitas*, ut non examinentur rationes, motiva, aut intentio præcipientis, quamdiu non constat rem præceptam esse illicitam: unde D. Bernardus, vel potius Guillelmus Abbas Epist. ad FF. de monte Dei cap. 5. novæ edit. *Perfecta obedientia est, maximè incipiente, indiscreta, hoc est non discernere quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter & humiliter fiat, quod à majore præcipitur.* *Promptitudo*, ut vitetur omnis mora, torpor, pigritia, saltem in iis, quæ non sunt nobis commoda, aut honorifica. Hinc Doctor mellifluos serm. de virt. Obedient. circa med. *Fidelis obediens moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem.* *Humilitas*, ut refrænetur vana gloria aut complacentia. Hanc humilitatem commendat Christus Lucæ 17. ubi ait: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.* *Fortitudo*, ut generosè vincatur omnis difficultas. Hoc insinuat S. Benedictus in sua regula cap. 5. *Obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè*, sed viriliter & strenuè fiat.

CONCLUSIO II.

ID omne & solum potest Superior præcipere, quod vel ad regulam, vel ad regularem observantiam pertinet. Ita Doctores communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 104. a. 5.

Ratio est; quia in tantùm potest Superior præcipere, in quantùm prudenter voluit inferior se obligare, sed in omnibus religionibus tantùm intendit subditus vovens se obligare secundùm regulam & regularem observantiam: ergo: unde D. Bernardus opusc. *De præcepto & dispens.* cap. 5. aliàs cap. 8. *Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi.* Hinc

Resol. 1. Non posse præcipi à Superiore res vanas, inutiles, & quæ ad institutum nihil conferunt. Posset tamen præcipere ambulationem, honestam recreationem &c. si hoc judicaret expediens, ut subditus vegetior resurgeret ad observantiam regularem.

Resol. 2. Nec posse quidquam injungere contra regulam, & ideò non tenetur, imò non potest Frater Minor obedire si Prælatus sine justa causa præcipiat equitationem, pecuniarum receptionem &c.

Resol. 3. Graviter peccare Religiosum, obedientem Prælato præcipienti conversationem, consortium, aut familiaritatem cum mulieribus, etiam titulo Charitatis, si inde immineat periculum proximum subdito, aut Prælato, Castitatis labefactandæ.

Resol. 4. Licere Prælatis certas orationes, jejunia, flagellationes &c. subditis præcipere, ubi exigit necessitas publica: si enim id possint Episcopi, quidni & possent illi, qui jurisdictione quasi Episcopali fruuntur? Non debent tamen illa imponere alicui particulari, seclusa circumstantia speciali.

Resol. 5. Quòd licèt Prælatus non possit ad exercendam subditi virtutem ipsi aliquam austeritatem extraordinariam injungere, possit tamen, tum ad puniendum crimen commissum, tum ad recidivam præcavendam: quia hoc expedit ad regulæ observantiam.

Resol. 6. Posse Capitulum Generale aut Provinciale, sicut & Prælatum, cui incumbit pro toto Ordine, vel provincia constitutiones condere, certas abstinentias vel austeritates imponere, licèt in regula, nec explicitè, nec implicitè contineantur, si expediat pro majori votorum, regulæ, aut statutorum observatione, & ideò prohibetur in aliquibus Ordinibus usus tabaci, vini adusti, chocolati &c. eo quòd consumptiones illæ, saltem immoderatæ, graviter noceant paupertati.

Resol. 7. Posse cogi subditum à Superiore, si sit dignus, ut acceptet officium Prælati, vel aliud Beneficium Ordinis, non tamen Beneficium Curatum aut sæculare, nisi certè id exigeret animarum salus ob aliorum defectum. Ratio est; quia primum conducit ad regularem observantiam, non secundum, quod potius eximit ipsum à regulari Observantia, & ideò nec tenetur acceptare Episcopatum, aut Cardinalatum, nisi obligaretur à Summo Pontifice, qui, ratione jurisdictionis, quàm habet in totam Ecclesiam, potest, ubi id exigit Ecclesiæ regimen, quemlibet Christianorum ad id cogere.

Dixi: *Si sit dignus*, quia si certo sciat se esse indignum, peccat acceptando: si autem sit dubius, tenetur parere. Quamvis autem sit quis dignus, semper humilitatis est seclusa pertinacia, aut præcepto, oblatas dignitates aut prælaturas declinare.

Resol. 8. Professum in Religione relaxata teneri obedire Prælatis illam reformantibus in votis essentialibus, aut in iis, quæ ad illa immediatè conducunt. In aliis autem observantiis, etiam tenetur, si mitigatio introducta fuit authoritate propria, secus si authoritate Papali. Ratio primæ partis est, quod nunquam Ecclesia approbet aut toleret, imò detestetur relaxationem in votis essentialibus, ut patet ex c. *Cum ad Monasterium*. De statu Monach. & ex Trid Sess. 25. *De Regularibus*; & ideò si quæ fuit introducta, est abusus, qui nulli potest prodesse: unde si præcipiatur ut nullus introducat mulieres in Monasterium, nullus pecunias retineat sine licentia &c. tenetur quilibet obedire, licèt tempore professionis contrarium vigeret.

Ratio secundæ partis est, quòd qui vovet aliquam Regulam, debeat esse in animo paratus obedire Prælatis aliquid ad ejus conservationem præcipientibus, & ideò si judicet Capitulum non posse Religionem conservari sine antiquis Observantiis, illas præcipienti obediendum est. Interim quandiu non sit reformatio, non peccat Religiosus illas non observando, si per consuetudinem legitimam sint abrogatæ.

Ratio tertiæ partis est, quod regula à summo Pontifice mitigata, sit quasi alia Regula, ejusque professores respiciat independenter à primæva, & ideò nullus potest præcipere Monialibus Urbanistis, ut sequantur ad amussim Regulam S. Claræ, sicut nec pluribus Monasteriis Benedictinorum, ut punctualiter adhæreant Regulæ Sancti Benedicti, quia Regulam suam voverunt cũ modificationibus à Sancta Sede approbatis.

Resol. 9. Non posse Superiorem præcipere aliquid cum periculo vitæ, aut honoris ipsius subditi, nisi bonum commune Religionis id exigat, quia talem Obedientiam nec regula, nec Regularis Observantia postulat.

Resol. 10. Posse injungere subdito, ut fratribus peste infectis assistat in corporalibus, & spiritualibus; quia id convenit bono Religionis. Debet tamen eligere robustiores ac minùs utiles, & quidem pro corporalibus primariò Laicos, bono communi id exigente.

Dixi: *Fratribus* non *exteris*, nisi religio aut Conventus esset ad id obligatus. Imò posset Superior mendicantium id præcipere respectu exterorum pro spiritualibus, deficiente Parocho, aut alio ad id conducto, quia mendicantes sunt Episcoporum coadjutores.

Resol. denique posse mitti ad loca non sana, si id postulet Conventuum conservatio, aut regimen, imò mitti possunt extra provinciam ad terras remotissimas, etiam cùm longa & difficili navigatione, si ibi sint Ordinis Monasteria, quia omne quod spectat ad bonum Religionis, non est supra regulam.

CONCLUSIO III.

POtest Prælatus rem gravem sub gravi peccato præcipere, levem sub levi, & licèt possit quandoque gravem sub levi, nunquàm tamen levem sub gravi. Hæc omnia patent ex Tractatu de Legibus, ubi etiam colliges quaodonam Superioris præceptum obliget sub mortali. Cæterum nisi utatur illis verbis: *In virtute sanctæ Obedientiæ*, *Spiritus Sancti*, aut *sub præcepto formali*, non videtur graviter obligare, nisi aliundè constet.

CONCLUSIO IV.

TEnetur Inferior ut Religiosus obedire Pontifici tanquam Religionum Capiti, ad quod specialiter obligatur Frater Minor ob speciale præceptum Regulæ. Item obedire debet Generali, Provinciali, Prælato locali, sicut & Capitulo Generali & Provinciali, quia illis omnibus competit jure ordinario facultas præcipiendi. Porrò illorum præcepta afficiunt subditos, licèt sint extra Conventum, aut provinciam, nisi aliud sit determinatum, quia non afficiunt territoria, sed personas, in quo differunt à præceptis Episcopalibus.

CONCLUSIO V.

TEnetur subditus obedire in omnibus, in quibus potest Prælatus præcipere. Ratio est, quia illa sunt reciproca, & jus præcipiendi in uno supponit obligationem parendi in altero. Quænam autem possit Superior præcipere, diximus Conclusione secunda.

Petes, quotupliciter peccet inferior transgrediens præceptum Superioris? Certum est peccare duplici peccato, quando id, quod præcipit Superior, est aliunde præceptum lege Divina, naturali, aut huma a; quia ultra peccatum oppositum virtuti quam violat, etiam peccat contra specialem obedientiam Supriori debitam: unde Religiosus, cui prohibuit Superior carnis comestionem in urbe, peccat contra obedientiam, & temperantiam, si carnes comedat die veneris. Aliud esset, si quod lege Divina aut humana præceptum est, tantùm per regulam præciperetur; quia regula tunc censetur præcipere sub eodem motivo, sub quo præcepit illud Deus aut Ecclesia; & ideò sunt duæ Leges supra eandem materiam cadentes, quæ peccata non multiplicant, ut suo loco dicitur, & patet in Usura per legem Divinam & humanam prohibita. Unde Frater Minor non jejunans in Quadragesima Resurrectionis, tantùm peccat unico peccato, licèt Ecclesia & regula illud jejunium præcipiant; quia utraque procedit ex motivo temperantiæ, non autem obedientiæ, ut dum præcipit Superior. De hoc non dubitamus.

Sed difficultas est, an quando res, quam præcipit aut prohibet Superior, non est aliunde præcepta aut prohibita, illam violare sit duplex peccatum, unum inobedientiæ ratione subjectionis, alterum sacrilegii ratione voti: sicut servus, qui vovit obedire suo Domino, peccat contra obedientiam vi servitutis, & contra Religionem vi voti, si Domini sui præceptum transgrediatur.

R. Probabiliùs affirmativè; quia in Professione duplex intervenit obligatio, una per quam vovens traditur & subjicitur homini tanquam legitimo Superiori, altera per quam obligat se Deo ad obediendum hinc homini tanquam ejus Vicario; ità ut votum obediendi superaddat novam obligationem illi, quam habet quilibet ad obediendum legitimo Superiori, ut patet in servo supra, & in filiofamilias, qui reus esset duplicis peccati, si postquam vovit obedire patri ejus præceptum transgrederetur.

Dices, si quis Deo promitteret obedire homini indifferenti, tantùm Deo obligaretur; hoc fit in Professione: ergo &c.

R. Dist. maj. Si quis promitteret Deo tantùm, C. si Deo & homini, N. profitens autem per promissionem, acceptatam promittit Prælato, quòd obediet ipsi, & per suum votum promittit Deo, quòd obediet Prælato. Prima promissio inducit vinculum obedientiæ, & secunda vinculum Religionis.

ARTICULUS II.

Quid Castitas Religiosa, quos effectus habeat, & in quo differat à voto Castitatis simplici?

CONCLUSIO I.

CAstitas est votum solemne interdicens Religioso omnem delectationem veneream licitam & illicitam.

Dicitur 1. *Votum solemne*, per quod convenit cum obedientia & paupertate Religiosa, & disconvenit cum voto Castitatis simplicis.

Dicitur 2. *Interdicens Religioso*, & per hoc differt à Castitate initiatorum Sacris Ordinibus, licèt sustineri possit etiam differre per primam particulam, probando eorum Castitatem non oriri ex voto, sed ex præcepto. Sed hac de re suo loco.

Dicitur 3. *Omnem delectationem veneream*, idest, cogitationem, desiderium, tactum, aspectum, colloquium, amplexum, actionem, coitum, & generaliter omnem illud, quod virtuti Castitatis adversatur; ità ut, quidquid est sæculari extra Matrimonium peccatum mortale in hac materia, sit duplex mortale Religioso; quidquid veniale illi, huic veniale duplex, eo quod superaddatur malitia sacrilegii.

Dicitur

Dicitur tandem: *Licitam vel illicitam*: quia etiam interdicit copulam maritalem, cùm interdicat & irritet Matrimonium. Tenetur insuper Frater Minor ex regula c. 11. mulierum consortia suspecta vitare; ità ut etsi nec modicam impudicitiæ labem contineant, si tamen nata sint generare solam impudicitiæ suspicionem, v. g. quia sunt tempore nocturno, in loco tenebroso aut sequestrato, cum aspectibus fixis, risibus dissolutis; colloquiis scurrilibus, peccet graviter.

CONCLUSIO II.

TRes præcipui sunt effectus castitatis religiosæ.

Primus est irritare sponsalia ante & post ipsam contracta: ante quidem, quia fiunt sub hac tacita conditione: *Nisi Religionem amplecti voluero*; post verò, quia cùm sint de re illicita, imò impossibili, saltem seclusa dispensatione Papali, nullatenus obligant.

Secundus est annullare Matrimonium subsequens, imò & antecedens necdum consummatum: & in hoc differt à castitate Ordinibus sacris annexa, quæ semper irritat Matrimonium subsequens, nunquam tamen præcedens.

Tertius est interdicere omnem actum venereum proprium.

Dico: *Proprium*; quia si Religiosus induceret sæcularem ad fornicandum v.g. ultra peccatum scandali, non committeret sacrilegium, nisi in alterius actu sibi complaceret, aut aliqualiter interveniret; quia non violaret castitatem propriam, quam in se ratione voti tenetur observare.

CONCLUSIO III.

LIcèt in hoc conveniat votum solemne castitatis cum simplici, quòd utrunque prohibeat quamlibet actionem veneream sive externam, sive internam.

Differunt tamen 1. Quòd votum simplex nec Matrimonium subsequens, nec antecedens irritet, sicut votum solemne.

2. Quòd hoc irritet sponsalia præcedentia, non illud; & ideò castitati simplici ligatus tenetur, si possit, & sponsa velit, dispensationem petere.

3. Quòd voto solemni adstrictus contrahens Matrimonium, nec petere, nec reddere possit debitum; quia invalidè contraxit, ligatus autem voto simplici, etsi petere non possit, potest & tenetur reddere; quia tantùm contraxit illicitè, & quidem ex parte sua: Si tamen conjux adulteretur, non poterit deinceps reddere; quia in tantùm poterat, in quantùm tenebatur: ab hoc autem vinculo liberatur per compartis adulterium. Similiter nec poterit, mortua conjuge, transvolare ad secundas nuptias: nam si illas contrahat animo Matrimonium consummandi, votum transgreditur; si animo ante consummationem claustrum ingrediendi, facit injuriam comparti. Excusari tamen posset, si id faceret ex causa rationabili, v. g. ut evaderet manus parentum ingressum Religionis impedientium. Sed quid si puella post votum castitatis nuptias contraxit, teneturne ante consummationem Religionem ingredi? Affirmant aliqui, eo quòd non subsit aliud medium ad observantiam voti. Sed probabiliùs credideram contrarium; quia susceptio status Religiosi, quem quis non vovit, est onus gravissimum, & medium extraordinarium respectu castitatis servandæ; & ideò sufficit ipsi de peccato pœnitere, & in conjugio, eo modo quo potest, debitum non petendo, sed tantùm reddendo, castitatem observare.

Petes; an gravibus concupiscentiæ fluctibus jactatus & vario lapsu contaminatus validè voveat castitatem?

Negaverunt aliqui, quia votum castitatis de se bonum non est de meliori bono respectu illius, cum per hoc exponatur innumeris sacrilegiis: undè illi applicari potest illud Apostoli 1. Cor. 7. *melius est nubere, quam uri*, etsi tamen non expediat illo casu vovere.

R. Votum esse validum, aliàs in similibus circunstantiis nequidem valeret votum castitatis solemne, cum sit par ratio: hoc autem nemo admiserit: undè qui taliter affectus voveret castitatem, censetur velle fortiter adlaborare ad reprimendas carnis tentationes per sensuum cohibitionem, carnis macerationem, occasionum vitationem, assiduam orationem &c. qui enim vult finem, debet velle media, & qui vult finem arduum, debet & ardua media velle; per media autem illa poterit pravam consuetudinem extirpare. Cæterum si adhuc fragilitatis suæ experientiam habeat, petat dispensationem, sed caveat ante obtentam nubere.

ARTICULUS III.

De Paupertate Religiosa.

DUplex est paupertas, necessaria una, voluntaria altera; Primam patiuntur illi, qui vel adversante fortuna, vel indigente familia, omnibus destituti, alieno sustentari coguntur. Secundam amplectuntur illi, qui voluntariè possessis & possidendis, vel ex toto vel ex parte renuntiantes vitam agunt parcam & pauperem. Hæc subdividitur in philosophicam seu moralem, quæ ex motivo humano contemnit temporalia, ut fecit Crates cum multis aliis; & in Apostolicam, quæ omnia generosè abdicat propter Deum & Christi sequelam: de hac sola hic agimus, sed ante

Suppono 1. Tantam rerum indigentiam non esse de ratione paupertatis Religiosæ, quia Actorum 4. describitur credentium paupertas Euangelica, consistens in hoc, quòd omnia essent omnibus communia, & tamen subditur: *neque enim quisquam egens erat inter illos*: sufficit ergo quod pauper Euangelicus sit animo dispositus ad rerum inopiam, & interim sciat cum Apostolo *abundare & penuriam pati*, servando in abundantia temperantiam, & in penuria patientiam.

Suppono 2. Quòd dominium bonorum, sive mobilium, sive immobilium in communi non repugnet Religiosæ paupertati, quandoquidem Tridentinum sess. 25. c. 3 *De Regularibus*, id concedat omnibus Religiosis, exceptis Minoribus de Observantia, & Capucinis, quia tamen privilegium est, possunt illi renunciare Religiones, ut fecerunt domus professæ Societatis, & Carmelitæ discalceati quoad immobilia: His suppositis hunc articulum propter materiæ copiam in varios §§. dividemus.

§. I.

Quid Religiosa Paupertas, quos effectus habeat & præsertim in Franciscanis?

CONCLUSIO I.

REligiosa paupertas est votum solemne, quo Religiosus abdicat à se dominium, possessionem, proprietatem & usum civilem bonorum temporalium, sive mobilium, sive immobilium, actualium, sive possibilium.

Dicitur 1. *Votum solemne*, per quod differt à paupertate philosophica, seu morali, de qua suprà.

Dicitur 2. *Quo Religiosus abdicat à se*, non autem à Ministerio, si possideat in communi.

Dicitur 3. *Dominium*, quod consistit in eo, quòd quis possit de re sua pro libitu disponere, illamque impetitam defendere, aut ablatam juridicè repetere.

Dicitur 4. *Possessionem*, quæ supra dominium importat actualem rei habitionem.

Dicitur 5. *Proprietatem*, quæ hic infert rei dominium & professionem, aut saltem usum civilem independenter à Superiore, & ideò.

Dicitur 6. *Et usum civilem*, quia Religiosus nequidem potest uti re aliqua independenter ab alio, sed dependenter à Superioris voluntate.

Dicitur 7 *Bonorum temporalium*, quia potest habere dominium, possessionem &c. bonorum spiritualium, ut sunt reliquiæ Sanctorum, Agnus DEI &c. de quibus potest sine licentia superioris disponere, non tamen de Imaginibus, Medaliis, Crucibus, Rosariis &c. quia hæc pretio comparantur, non illa. Item potest, non petito Prælati consensu, pro amico orare, prædicare, Confessiones audire, Missas celebrare, licèt amicus pro illis stipendium accipiat; quia sunt spiritualia, quorum habet Religiosus dominium, non potest tamen pro Missa acceptare stipendium sine licentia, nec acceptum dare amico, quia cùm sit temporale, acquiritur Monasterio: vel saltem non potest de illo disponere sine licentia Superioris. Cæterùm sicut potest Prælatus à subditis Missarum applicationem exigere, ita & prohibere, ne se aliis obligent.

Dicitur 8. Sive *mobilium*, *sive immobilium*, & ideò non tantùm abdicat Religiosus agros, villas, domos, & alia hujusmodi, sed etiam res viliores, puta cultrum, vestem, librum, baculum &c. ita ut nequidem unius aciculæ possit habere dominium, imò in rigore nec usum sine licentia. Sed quid de manuscriptis? volunt aliqui liberum esse Religioso illa donare, comburere, aut de illis aliter disponere sine licentia; quia ajunt, sunt ideæ mentis, adeoque quid spirituale: Prætereà sunt effectus scientiæ, sed scientia non est objectum paupertatis:

ergo nec illa, cùm accessorium sequatur principale. Dico tamen esse pretio æstimabilia, imò sæpè cariora libris impressis, quorum tamen Religiosus non potest habere dominium: undè illa, sicut picturæ, quælibet artefacta acquiruntur Monasterio, vel Papæ apud Fratres Minores, si Religiosus illa ad usum suum fecerit.

Quod addo; quia si, accepta ab amico materia, pro illo laboret pingendo, cælando, transcribendo sine licentia, non videtur condemnandus si sit Chorista, aut Laicus, modò id faciat extra horas servitii. Ratio est, quia Choristæ non sunt addicti Religioni ut artifices, sed ut Monachi; Laici autem sunt quidem addicti ut artifices, sed non pro omnibus horis; & ideò si illa facerent contra præceptum Superioris, peccarent quidem contra Obedientiam, sed non contra paupertatem.

Dixi denique: *Sive actualium, sive possibilium:* hæc est enim essentia hujus virtutis, non tantùm juri in possessa, sed etiam in possidenda totaliter renuntiare, seclusa omni spe & affectu; ità ut & habitationem & desiderium habendi penitùs excludat.

CONCLUSIO II.

Paupertas Religiosa prohibet Religioso receptionem, detentionem, donationem, usum, venditionem, emptionem & quemlibet contractum cujuslibet rei temporalis pretio æstimabilis sine consensu Prælati.

Ratio est; quia illa omnia sonant proprietatem, quæ exulare debet à statu Religioso, ut patet ex cap. *Cum ad Monasterium* De statu Monachorum: undè Trid. suprà cap. 2. docet esse privandum per biennium voce activa & passiva Religiosum, qui sine Prælati licentia de rebus mobilibus disposuerit, aut usus fuerit. Hinc

Resol. 1. Religiosum ita debere se gerere circa ea, quorum usus sibi à Superiore conceditur, ut sit semper paratus illis spoliari ad nutum Prælati. Et & ideò peccant, juxta materiæ proportionem, qui libros, cultros, aut alia abscondunt ea intentione, ne à Superiore auferantur.

Resol. 2. Etiam peccare illos, qui res sibi concessas, aut Monasterio communes dant mutuo aut commodato sine licentia, saltem præsumpta, præsertim sæcularibus; quia illa sunt actus usufructuarii, non autem simplicis usurarii, qualis est religionis.

Resol. 3. Reos esse læsæ paupertatis aliquid dantes, aut recipientes sine licentia, licèt illud cedat in bonum communitatis, cùm agant nomine proprio: faciliùs tamen præsumere possunt licentiam aliquid recipientes pro Communitate, quàm pro seipsis. Item si aliquid recipiant prosè, quod aliàs sibi foret à Communitati tribuendum. Similiter si dent aliquid vilis pretii benefactoribus potiùs, quàm personis extraneis; quia rationabiliùs præsumitur in illis voluntas Superioris.

Resol. 4. Violare similiter votum paupertatis accipientem sine consensu Prælati alicujus rei usum, licèt dominium maneat apud datorem; quia te illa utitur tanquàm proprietarius; usus autem proprietarius æquè ac dominium prohibetur religioso.

Resol. 5. Etiam culpabilem esse recipientem sine legitima facultate schedulam campsoriam, ut illa utatur pro suis necessitatibus; cùm illa pecuniæ æquivaleat.

Resol. 6. Similiter peccare illos, qui sub prætextu, quòd omnia in religione sint communia, res communitati destinatas, aut alicui particulari concessas sibi appropriant, cùm per hoc de illis disponant tanquàm si essent illarum domini, aut proprietarii.

Resol. 7. Reos quoque esse illos, qui res Monasterio aut sibi concessas corrumpunt, prodigaliter consumunt, negligenter tractant, v. g. libros, chartam, vestes &c. Ratio est; quia illarum rerum tantùm habent usum facti, & non nisi juxta mentem Prælati (idest, modo paupertati congruo) possunt de illis disponere.

CONCLUSIO III.

Alios præterea effectus habet paupertas religiosa in Franciscanis, ipsos siquidem tam in communi, quàm in particulari reddit omninò incapaces dominii & juris politici circa quamlibet rem, sive mobilem, sive immobilem; Patet ex cap. 6 regulæ & declarationibus Summorum Pontificum. Item ipsi & eorum Conventus prohibentur institui hæredes. Patet ex Trid. sess. 25 cap 3. ubi declaratur nec Minoribus de Observantia, nec Capucinis jus successionis competere, Insuper inhibet ipsis regula usum equorum, calceamentorum, pecuniarum, imò & reddituum, etiam pro Ecclesia aut Sacristia, ut declararunt Clemens V. & Clemens VII. Potest tamen benefactor aliquis alteri redditum assignare, ut per modum Eleemosynæ tribuat indè Franciscanis vinum pro Missis, oleum pro Ven. Sacramento &c. ut diximus antea. Præcipit etiam ut vilia ferant vestimenta, & unicam habeant vestem, aut ad summum cum tunica: ut in aliis usum servent moderatum juxta prudens judicium Prælati, attenta personarum, locorum, temporum & rerum qualitate.

Denique tanta est Minorum paupertas (quam eorum fundator & Summi Pontifices vocarunt *Altissimam*) ut non possint quidquam vendere, emere, mutuare, locare &c. sive suo, sive conventus nomine. Ita omnes regulæ nostræ expositores, qui circa hoc & præfata videri possunt.

Sed petet aliquis: Cujus ergo erit dominium rerum, quibus utuntur Franciscani?

R. Dominium Ecclesiarum, Cæmeteriorum & Oratoriorum Ecclesiis annexorum esse penes Sedem Apostolicam, sicut & aliarum rerum, quarum dantes non reservarunt sibi dominium. Excepit quidem Nicolaus III. eleemosynas pecuniarias & res ad illas reducibiles, quarum dominium voluit ut remaneret penes dantes, donec alienarentur, attamen Martinus V. etiam illarum dominium assumpsit, ubi donantes illud à se ablegarent.

§. II.

Quænam conditiones requirantur, ut quis possit uti rebus aliquibus intra terminos Religiosæ Paupertatis?

Quatuor assignat conditiones Reverendus Pater Marchantius in suo Tribunali Tom. 3. p. 2. tract. 2. tit. 1. q. 4. Prima est, uti rebus tanquam non suis. *Secunda*, cum rationabili Superioris licentia. Tertia, juxta modos in qualibet religione expressos. Quarta, servata honestate & modestia. Hanc quadruplicem conditionem quadruplici conclusione explicabimus.

CONCLUSIO I.

Debet Religiosus uti rebus tanquam non suis.

Prob. 1. Ex Scriptura Act. 4. *Nec quisquam eorum quæ possidebat*, idest, quæ possederat antequam ad pedes Apostolorum fuissent delata, *aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*.

Prob. 2. Ex Trid. supra cap. 2. prohibet ne Religiosi aliqua *quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possideant, vel teneant*.

Prob. 3. Ratione; quia, ut inquit Marchantius ibid. Resp. 2. in hoc consistit essentia Paupertatis, ut quis alieno vivat, aleno utatur, & si quid usibus suis sit concessum, non suum, sed alienum reputet. Hinc

Resol. 1. Ita se debere gerere Religiosum circa *peculium* sibi vel à parentibus, vel à Monasterio debitè concessum, sicut se gerit respectu aliorum Conventus redditum ita ut sicut hos nec tractat, nec respicit, nec dat, nec respicit tanquam suos, ita nec illud.

Resol. 2. Peccare omnes illos, juxta materiæ proportionem, qui in sua professione reservant sibi pecunias, redditum, censum, aut quodvis aliud mobile, vel immobile sub qu cumque prætextu; quia cùm per professionem debeant vovere tam sine proprio, debent omnia sua facere non sua: alias non potest dici, quòd renuntiaverint omnibus quæ possident. Et ideò quamdiu in illis perseverant, tandiu peccant. Aliud esset, si illa relinquerent Monasterio, ut indè provideretur suis necessitatibus ad nutum Superioris. Sed de hoc posteà.

Resol. 3. Etiam lædere paupertatem, qui onerant hæredes aut hæreditatem aliquo pecnlio sibi de jure tribuendo.

Resol. 4. Similiter reos esse, qui pro peculio sibi concesso authoritativè dant quitantias, volunt solutionem pro suo libitu fieri, prohibent inter manus Superiorum deponi, cogunt creditores tanquam domini &c.

Resol. 5. Etiam peccare Fratrem Minorem, qui obligat hæredes ad certas eleemosynas, sibi aut etiam Conventui erogandas, licèt sub prætextu infirmæ valetudinis, studiorum, primitiarum &c. etsi fiat de licentia expressa Superioris; quia nec ille Conventus, nec totus Ordo est capax talis obligationis.

Resol. 6. Nec posse ullatenùs concurrere, ut sibi vel Conventui relinquantur certa legata annua. Ubi autem, Fratribus insciis, relicta sunt, debent protestari se nullum jus io illa habere, sed si dentur, se illa tanquam puras eleemosynas recepturos.

CON-

CONCLUSIO II.

DEbet Raligiosus uti rebus cum vera & rationabili Superioris licentia.

Ratio est; quia nisi illa adsit, est verè proprietarius, quantumvis dominium rerum, quibus utitur, maneat apud donantes, ut diximus ante.

Dixi 1. *Cum vera*; quia si metu, fraude, dolo, minis, vexationibus, allegatione falsi, molestiis &c. obtineatur, vel est violentia, vel, si sit licentia, est subraptitia, adeoque nulla.

Dixi 2. *Et rationabili*; quia si absque justa ratione concedatur, nec Inferior, nec Superior ast tutus in conscientia. Imò tales concessiones illaqueant animas, relaxant Religionem, corrumpunt mores, sæcularizant Regulares. Interim dum Superior habetur vir prudens, nec apparet relaxatus, ordinariè supponere debet Inferior ejus licentiam esse rationabilem.

Porrò quadruplex assignari potest licentia, expressa, virtualis, tacita, & præsumpta seu interpretativa.

Expressa est, quæ verbo, scripto, aut alio signo apertè conceditur: hæc est optima, securior, & in praxi consulenda.

Virtualis est, quæ in expressa continetur: sic cui permittitur ambulatio per aliquot dies, permittitur ut possit oblatas sibi recreationes honestas acceptare, cui committitur Officium, permittuntur & actiones ad ejus executionem necessariæ, & ab aliis id muneris exequentibus exerceri solitæ. Hujus etiam licentiæ sufficientia est indubitata.

Tacita est, quando circunstantiis, signis, consuetudine, verisimilibus creditur usum rei, sicut & ejus receptionem, aut donationem à Superiore approbari. Hanc licentiam, quæ supponit præsentem Prælati voluntatem, crediderim sufficere in iis, quæ videns ordinariè Superior, non tantùm dissimulat, sed etiam approbat, seu non sibi displicere manifestat. Item in rebus levioris momenti & crebro occurrentibus, sicut & in iis quæ timorati practicant in Religionibus reformatis, aut benè ordinatis; quia respectu similium potest applicari hoc axioma juris: *Taciti & expressi eadem est virtus*. Prætereà religiosus non agit suo nomine, aut sine licentia, cùm præsumatur adesse.

Denique præsumpta seu interpretativa dicitur, quando, occurrente necessitate, justa causa, aut ratione, concluditur quòd Superior vellet, si rem sciret. Hæc non respicit voluntatem Prælati præsentem sicut tacita, sed futuram sub conditione, & ideò male ab aliquibus confunduntur. Circa hanc licentiam variè admodum sentiunt Doctores: nunquam sufficere asserunt Salmanticenses, quia licentia illa non est, dum Religiosus operatur, sed tantùm foret, si peteretur. Aliqui volunt sufficere, quando non potest Superior conveniri, aut consuli, aliàs non: alii docent satis esse in omni casu, ut excuset à mortali dantem, recipientem, detinentem &c. qui tamen, ut ajunt, peccat venialiter, si modus ille præsumendi displiceat Superiori. Nos media via procedentes credimus illam non sufficere in rebus gravioris momenti, ubi ad Superiorem patet recursus. Ratio est, quia si Superior sit talis, qualis debet esse, respectu illorum præsumi debet invitus, non tantùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam, cùm illa præsumptio enervet paupertatem Religiosam, & ex ea innumeri sequantur abusus: unde licèt credatur, quòd Superior consultus consentiret, quia tamen videre debet, quòd, admissa universaliter licentia præsumpta, Inferior semper aut ferè semper pro libitu ageret, facilè sibi persuadendo rem esse justam, adeoque concedendam, censetur in gravioribus velle jus suum quoad substantiam servare: tuncque tollitur licentiæ præsumptio. In rebus autem ordinariis, ut sunt munuscula recepta, quædam esculenta aut poculenta non nociva, tabacum &c. uti licentia præsumpta non videtur mortale præsertim si sit difficilis ad Superiorem accessus, aut si Inferior difficultatem patiatur in petendo ratione timoris, aut verecundiæ. Est tamen veniale, ubi modus displicet: imò erit mortale, si accedat præceptum Obedientiæ de petenda licentia expressa, & aliundè materia sit notabilis.

Faciliùs autem præsumi potest licentia in una Religione, quàm in alia respectu hujus Superioris, quàm illius, de rebus acceptis, quàm datis, in commodum Communitatis, quàm particularis. Item potius præsumere potest senex, quam juvenis; benemeritus, quàm simplex Chorista, Prælato, ob bonos mores amicus, quam ipsi invisus. Ex dictis

Resol. 1. Dissimulationem aut taciturnitatem Superioris non semper esse licentiā, quia sæpè vident Superiores & tacent ob effrænatam aliquorum murmurandi licentiam, querelas, injustas de Superiore detractiones, insanabiles quorundam abusus &c. aut etiam quia non expedit hic & nunc contradicere.

Resol. 2. Eum, qui aliquid recepit ex facultate præsumpta, eo quòd Superior abesset, teneri revertentem monere, si res adhuc existet; quia tam requiritur licentia ad retinendum, quàm ad recipiendum: quando autem præsumptio aliundè petitur, quàm ex absentia physica aut morali Superioris, ubi sufficit licentia præsumpta ad recipiendum, sufficit ad retinendum. Item licentia data ad receptionem est etiam ad distributionem, si acceptum soleat distribui.

Resol. 3. Non tantum Superiores, sed etiam œconomos, Procuratores, Provisores, &c. posse facere quasdam eleemosynas intra terminos honestatis & Charitatis quia hoc consequitur Officium. Excipe tamen nisi ex causa justa potestatem restringeret Superior.

Resol. 4. Si Superior det pecuniam studioso pro alimentis in Academia necessariis, iter agenti pro sumptibus viæ, alteri ob honestas recreationes, residuo posse uti Inferiorem vel meritoriè in eleemosynam, vel Religiosè ad pietatem, vel honestè in gratitudinem, quia illa non datur sub restrictione indivisibili ad expensas physicas. Excipe tamen, nisi excessus esset gravis, vel nisi datum fuisset abundanter pro sumptibus, aut negotiis incertis, sicut fit respectu Procuratorum &c.

Resol. 5. Eum, cui conceduntur escæ, potus, pharmaca, conservæ &c. posse suis fratribus illa communicare, imò & extraneis pauperibus, nisi obstet Obedientia, quia censentur ipsius usui honesto & piæ dispositioni relicta. Dixi; *Nisi obstet obedientia*; quia pluribus in locis ad vitandos abusus non permittitur Religiosis particularibus distributio, etiam propriæ pitanciæ.

Resol. 6 Eum, cui data est pecunia in suos usus, non posse illam expendere in res omninò vanas aut turpes, puta cùm meretrice, pro vestibus sericis, conviviis sumptuosis, multis canibus alendis &c. imò ipse & recipiens tenetur ad restitutionem. Ratio est; quia illæ expensæ factæ sunt sine licentia, cùm juxta Religionem & Sanctos Canones illam nec licitè, nec validè possit Superior concedere, cùm nequidem possit illam sibi sumere.

CONCLUSIO III.

TEnetur Religiosus servare Paupertatem juxta modos suæ Religionis. Ratio est; quia tenetur quilibet paupertatem servare eo modo, quo illam Deo promisit, sed Religiosus vovit illam servare juxta modos in sua Regula expressos, & in sua religione servari solitos: ergo &c. unde Frater Minor tenetur ad usus arctos & pauperes in sua regula contentos, ut definivit Clem. V. quoad alios ibidem non expressos, debet esse Religiosa moderatio, attenta personarum, locorum, temporum, officiorum, & aliarum circunstantiarum exigentia, ità ut vitetur superfluitas, immoderantia, & omne quod sapit thesaurizationem: Ità declarat Nicolaus III. in Extravag. *Exiit qui seminat*.

Quantùm ad alios Religiosos, debent etiam in rebus sibi ad usum concessis vitare superfluitatem, curiositatem, & pretiositatem; ità ut si in illis graviter excedant, etiam graviter peccent. Ratio est; quia non tenentur tantùm ad præcisam Paupertatis essentiam, quæ consistit in abdicatione omnis dominii, proprietatis, & juris politici in res, sed etiam ad illius accessoria veluti proprietates, idest, ad *temperantiam*, quæ tollit nimiam abundantiam & superfluitatem in victu & potu: *sufficientiam*, quæ damnat multitudinem & superfluitatem in equis, rhedis, canibus, ædificiis, hortis &c. *modestiam*, quæ tollit fastum, superbiam, curiositatem &c. *fidelitatem* in administratione bonorum Monasterii: illa enim Deo & Monasteriis, data sunt in sustentationem Religiosorum, conservationem ædificiorum, cultum Dei, auxilium pauperum; & ideò quidquid contra hos fines Prælatus aut Religiosi præsumunt, peccant, suntque dicendi dissipatores, non dispensatores. Fateor quidem excedentem usum simplicem facti contrà unam aut alteram ex quatuor virtutibus assignatis, non peccare graviter contra quidditatem Paupertatis, peccat tamen mortaliter in re notabili contra proprietates jure Divino & humano à religiosa Paupertate inseparabiles. Debent denique servare *exemplaritatem*: quod non faciunt illi, qui sumptibus, profusionibus, pompis & nescio qua præsumpta magnificentia magis sordidant Statum Religiosum, quàm commendant.

CONCLUSIO IV.

QUarta conditio est, ut servetur honestas, seu ut res concessa non expendatur, nisi in usus licitos & honestos, Circa hoc vide finem Conclusionis præcedentis.

§. III.

An usus Peculii liceat Religioso, & quæ conditiones requirantur, ut sit licitus?

NOmine *Peculii* intelligo redditum annuum, censum vitalitium, pensionem temporaneam, aliamve retentionem bonorum mobilium, aut immobilium, quibus utitur quis successu temporis. Ante resolutionem

Suppono 1. Non esse hic quæstionem de dominio, proprietate, aut possessione peculii, cùm hoc manifestè repugnet voto & statui Religioso, sed de simplici usu facti, & quidem ad nutum Superioris revocabili.

Suppono 2. Peculium non habere locum apud Franciscanos de Observantia, sicut nec apud Carmelitas Discalceatos, quibus vel ex Regula, vel ex Constitutionibus hoc prohibetur.

Suppono 3 Quæstionem intelligi post Tridentinum, nam ante sententiam affirmativa erat communis.

Suppono 4. Esse omninò indifferens, sive professurus peculium sibi reservet, sive ejus parentes aut Monasterium ipsi concedant. His suppositis

CONCLUSIO I.

MOdò adsint conditiones posteà recensendæ, videtur usus peculii Religioso licitus.

Prob. 1. Tum ex jure antiquo; tum ex praxi & consuetudine omnium ferè Religionum possidentium, & præsertim Monialium; tum etiam quia peculium ad nutum Superioris revocabile non repugnat ex natura sua religiosæ paupertati.

Prob. 2. Refutando Fundamentum aliorum, quia Tridentinum Sess. 25. c. 2. de Regularibus dicens: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum*, tantùm prohibet peculium, quod sonat proprietatem, sive quod possidetur, aut tenetur extra manus & dispositionem Superioris ac Monasterii; hocque patet ex iis, quæ immediatè præcedunt: *Nemini liceat*, inquit, *bona tanquam propria aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere*. Unde Concilium non imponit jus novum, sed renovat & magis explicat antiquum, quo peculium tanquam proprium cuilibet regulari prohibebatur, ut patet ex cap. *Cum ad Monasterium* De statu Monach. ubi legitur: *Prohibemus districtè in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat*.

Confirm. 1. Quia licèt cap. *Monachi* 2. De Statu Monachorum dicatur: *Monachi non permittantur peculium habere*; tamen sententia communis ante Tridentinum sic illud intellexit, ut non Peculium simpliciter, sed tanquam proprium inhiberetur: ergo à fortiori eodem modo intelligi debet Tridentinum, cùm paulò ante agat de bonis tanquam propriis.

Confirm. 2. Quia Superiores Ordinum S. August. & Dominici (quorum Generales & quàm plurimi particulares virtute & scientia eximii Concilio interfuerunt) permittunt suis magistris usum redituum, quos legendo in Academiis acquirunt: ergo signum est, intelligendum esse Trid. ut supra.

Confirm. 3 Quia in Hispania & in Portugallia, ubi viget religiosa Tridentini observatio, usu receptum est, ut scripsit Beja, jam à centum circiter annis ut parentes ultra dotem Monasterio pro sustentatione traditam, consignent filiæ suæ Moniali certos redditus annuos, apud Bursariam Conventus reponendos, & ipsius Monialis usibus ad nutum Superiorulæ applicandos: ergo talis est Concilii sensus.

Confirm. 4. Quia in ipsamet Italia coram oculis Summorum Pontificum, tale peculium habent sine ulla contradictione quàm plurimi Religiosi, ut refert idem Beja, jam à 100. annis Professor in Academia Bononiensi

Dices 1. Juxta Concilium administratio bonorum Monasterii ad solos Officiales pertinet; atqui si liceret Religioso particulari usus peculii, haberet administrationem alicujus boni ad Monasterium pertinentis: ergo.

R. Neg. min. Ad administrationem enim requiritur: quòd quis possit debita judicialiter exigere solutionem hoc vel illo modo regulare &c. quod non competit simplicem usum facti in peculium habenti: unde cui competit administratio bonorum communiū Monasteria, cōpetit & administratio illius peculii.

Dices 2. Opponitur fini vitæ monasticæ, qui est ut communis vita communibus bonis, communi labore, communibus velut stipendiis conservetur: ergo.

R. Hoc esse verum, ubi bona communia pro communi sustentatione sufficiunt; non tamen ubi deficiunt.

CONCLUSIO II.

VAriæ requiruntur conditiones, ut usus peculii sit Religioso licitus:

1. Est, ut illud non habeat per proprietatem, sed per simplicem usum facti.

2. Ut fiat ex licentia Superioris, ad cujus nutum sit revocabile.

3. Ut sit moderatum, nec excedat limites modestiæ religiosæ.

4. Ut sit incorporatum quoad dominium, proprietatem &c. bonis communibus Monasterii, ut patet ex Tridentino supra volente, ut res omnes *Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*.

5. Ut tantùm in usus pios, licitos, aut necessarios expendatur.

6. Ut apud Officialem Monasterii ad hoc deputatum reservetur, cui tanquam administratori, vel Prælato, necessitates exponere tenebitur inferior aliquid exigens.

7. Ut permittatur ex justa & rationabili causa à Superiore dijudicanda, quæ justitia peti potest 1. Ex parte personæ, ut si propter debilitatem, complexionem infirmam, senium &c. indigeat particularibus. 2. Ex parte Officii, ut si quis *sit Missionarius* apud Hæreticos, Actor rerum publicarum, *Agens* in Curia Romana, egregius Componista &c. quibus ideò vel propter libros, vel propter varias expensas, vel propter negotia peragenda &c. peculium sit necessarium. 3. Ex parte Monasterii ratione bellorum, incendii, incuriæ Superiorum, aut Officialium ità indigentis, ut vix refectiones communes possit Religiosis procurare, & ideò teneantur sibi vestes, pharmaca, supellectilem necessariam aliunde quærere: Sæpè tamen, si omnia peculia particularia in unum coalescerent, & omnes in vitam communem labore, industria, mendicatione conspirarent, faciliùs Fratrum aut Sororum necessitatibus provideretur: unde videmus Divinam Providentiam supra Religiones reformatas, ubi vita communis ad amussim restituta est, ità largam infundere benedictionem, ut Monasteriis ne vel obolum possidentibus nihil desit, dum Monasteria aliunde opulenta, debitis supra modum gravantur, eo quòd unusquisque studeat sibi, non communitati. 4. Ex parte congruæ cujusdam necessitatis: sic videmus in multis Abbatiis certum peculium Officialibus distribui, ut unusquisque studeat Monasterii utilitati, conservationi &c. Ex dictis

Resol. 1. Quòd licèt peculium ità circunstantionatum non repugnet paupertati, adversetur tamen vitæ Monasticæ perfectioni, cujus est communis professio, communis Ecclesia, communis observantia, ità communis debet esse victus, communis vestitus, commune auxilium, quantum fieri potest. Circa quod fortiter adlaborare tenentur Superiores.

Resol. 2. Posse Superiorem, ubi Monasterium indiget, ex peculiis particularibus apud Officialem reservatis assumere: & utinam hoc quandoque tentarent Superiores, ut discerent subditi sibi, non proprietatem, sed simplicem usum ad nutum Superioris esse concessum.

Resol. Graviter peccare inferiorem, qui vult à Superiore reddi sibi computum juridicum de suo peculio, cùm hoc sonet proprietatem.

§. IV.

Quid sit peccatum proprietatis, qualis materia requiratur ad mortale, quæ pœnæ proprietariorum?

CONCLUSIO I.

PEccatum proprietatis est sacrilegium, quo Religiosus usurpat sibi rem aliquam, sive quoad proprietatem sive quoad simplicem usum, invito rationabiliter Superiore.

Dicitur 1. *Sacrilegium*; quia est voti paupertatis violatio.

Dicitur 2. *Quo Religiosus usurpat sibi*, quod potest fieri vel rem Monasterii sibi appropriando, vel aliquid à sæculari, vel etiam à Confratre quomodolibet recipiendo, vel aliquid ex rebus Monasterii aut suis usibus concessum donando, mutuando, locando, vendendo, aut aliter disponendo.

Dicitur 3. *Rem aliquam*, sive mobilem, sive immobilem, sive usu consumptibilem, sive permanentem.

Dicitur 4 *sive Quoad proprietatem*, & tunc ultra sacrilegium

legium committit furtum: quod etiam committit quando utitur re aliena, invito domino, licèt tunc plus requiratur ad peccatum mortale, quàm dum usurpat proprietatem, eo quòd minorem faciat injoriam domino. Censetur autem usurpare sibi proprietatem, quando non intendit rem domino reddere: usum verò, cum intendit reddere post certum tempus, ita ut non rem, sed præcisè usum illius intendat.

Dixi: *Proprietatem*, & non dominium; quia illius incapax est religiosus, & ideò rei oblatæ & ab ipso receptæ statim fit dominus ipse Conventus, & in Ordine Seraphico Summus Pontifex.

Dicitur 5. *Sive quoad simplicem usum*, ut, si accipiat à sæculari rem aliquam, cujus ille reservavit sibi dominium & illo casu tantùm est peccatum proprietatis, non furti.

Dicitur denique: *Invito rationabiliter Superiore*, quia Prælato necessaria ad victum, vestitum, aut sanationem denegante, non peccat Religiosus, si illa accipiat à sæcularibus, aut etiam ex bonis ipsius Monasterii; quia tunc subditus otitur jure sibi à natura concesso ad soi conservationem. Prætereà in defectum; Superioris irrationabiliter inviti censetur religio aut Papa in præfatis consentire. Graviter tamen peccat Superior, & per avaritiam suam causa est multorum malorum & relaxationum in religione. Cæterùm non sibi adulentur inferiores, memierintque se esse pauperes, qui cum Apostolo scire debent abundare & penuriam pati; & advertant nequidem ipsos divites omnia pro votis habere: *Sunt*, inquit D Bernardus serm. 4. de adventu, *qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.*

Petes, An qui cum licentia Superioris retinet superflua, aut suo statui indebita, sit proprietarius?

Resp. Affirm. qoia tunc, reclamante Religione, aut Papa tacite, Soperioris facultas requiratur nulla. Censetur autem superfluum, quod nec ad vitam, nec decentiam status religioni requiritur; quia tamen superfluitas non consistit in indivisibili, potest fieri; quod aliquid sit superfluum uno tempore, in tali religione, respectu hujus personæ, qood est moderatum altero tempore, in altera religione, aut respectu alterius personæ. Interim in vitium superfluitatis impingunt, qualescunque sint religiosi, qui cellas ornant more magnatum.

CONCLUSIO II.

OMissis innumeris circa determinationem quantitatis materiæ proprietatis opinionibus, credo probabiliorem illam, quæ asserit eam materiam esse gravem, quæ æquivalet materiæ furti mortalis in filiisfamilias respectu Parentum, idque tam in rebus permanentibus, quàm ipso usu consumptibilibus, ut sunt esculenta, poculenta &c. cùm hac tamen modificatione, quòd plus requiratur ad mortale in iis, quæ à sæcularibus oblata sunt, quam in iis, quæ à Monasterio surripiuntur: minùs è contra in iis, quæ dantur extraneis, quàm quæ sois usibus applicat Religiosus: minùs si detur ex bonis Monasterii communibus, quam si ex proprio peculio, quia ubi major vel minor sit Monasterio injuria, eriam magis aot minus invitus, creditur Superior, æqualiter tamen hic erit invitus, sive quis surripiat è Conventu, sive recipiat ab extraneo, si extraneus, quod particulari concedit, aliàs erat communitati daturus: ad quod serio reflectere debent illi, qui ex confratrum suorum vigiliis, laboritio, & sudore viventes omnem operam conferunt, ut fraudata communitate, sibi studeant, sibi consulant, suisque obtemperent sensualitatibus, aut commoditatibus, quasi verò pretium laboris cujuslibet Religiosi non debeatur communitati. Nec sibi abblandiantur, quòd sæculares tantùm illorum intuitu eleemosynas illas conferant, si enim inculcarent benefactoribus fore sibi æquè gratum, si darentor communitati pro victo & vestitu servorum Dei illas libentissimè & cum majori merito sic concederent.

Prob. aotem Conclusio, quia Prælati respectu suorum succedunt in locum parentum, tam quoad corporalia, quàm spiritualia, ergo non est credibile in furtis esse magis invitos respectu inferiorum, quàm parentes respectu filiorum. Prætereà non decet Superiores esse magis tenaces circa CHRISTI patrimonium quod nec suo labore, nec suorum parentum hæreditate acquisierunt, quàm sint sæculares circa ea, quæ sæpissimè sudando, periculis se exponendo &c. sibi compararunt.

Dices 1. Filiisfamilias sunt in spe dominii bonorum Paternorum, & sic quasi de suis accipiunt, non ita Religiosi, ergo &c.

R. Quod si filii superent Religiosos in bonorum successione, Religiosi tamen superent filios in hoc, quod sint actualiter partes communitatis, cui bonorum dominium competit: filii aotem non sint actualiter partes parentum.

Dices 2. Prælati ægriùs ferunt, & severiùs puniunt furta subditorum, quàm parentes filiorum: ergo hi sunt minùs inviti, quàm illi.

R. Dist. Conseq. Sunt minùs inviti quoad sobstantiam N. quoad modum, C. nec mirum; quia filii sunt tantùm fures; religiosi verò & fures & votifragi.

Dices 3. Indè sequitur plus requiri ad peccatum mortale in Benedictino, quàm in Franciscano; cùm plus requiratur ad furtum mortale in filio parentis divitis, quàm in filio parentis pauperis.

Resp. Totum esse verum per se loquendo; quia tamen sæpè fit quod Monasteria opulenta, sint debitis gravata ratione bellorum: Conventus autem pauperum sufficienter habeant ex liberali DEI providentia ad victum & vestitum suæ paupertati proportionatum, ideò non semper mensuranda sunt Monasteria secundùm id, quod annuatim recipiunt, aut recipere debent. Ex dictis

Resol. 1. Quod sicut filius per varia furta minima in rebus permanentibus tandem peccat graviter, ubi materia facta est notabilis; ita & religiosus, licèt major quantitas requiratur in iis, quæ paulatim surripiuntur, quàm si unica vice surriperentur.

Resol. 2. Etiam graviter peccare religiosum, tenerique ad restitutionem, ubi per varia modica recepit summam notabilem ab extraneis, si non adfuerit Prælati consensus, saltem rationabiliter præsumptus quoad substantiam; quia etsi non faciat injuriam extraneo liberaliter illa offerenti, gravem tamen facit Monasterio, cui illa acquiruntur.

Resol. 3. Reum esse proprietatis & furti gravis, qoi simul res comestibiles, aut potabiles in magna quantitate surripit; quia censetur rationabiliter invitus Superior, etiam quoad substantiam, ob magnum Conventus detrimentum.

Resol. 4. In eadem crimina impingere illos, qui esculenta aut poculenta paulatim accipiunt, non ad actualem consumptionem, sed ad provisionem in futurum, ubi materia facta est notabilis: quia eadem est ratio de illis, ac de iis, qui simul omnia illa acciperent.

Resol. 5. Accipientem paulatim victualia ordinaria ad præsentem usum, ordinariè non peccare lethaliter, licèt quantitas ablata fiat notabilis, si nunquam simul existat. Ratio est, quia illis tantum præsumitur invitus Superior quoad modum, non quoad substantiam: cùm non soleant parentes in illis tam rigorosè procedere.

Dixi: *Victualia ordinaria*; quia non idem sentio de iis, qui surripiunt extraordinaria, infirmis, hospitibus, aut honestæ Communitatis recreationi reservata, sicut nec de iis, qui colligunt fructus rariores benefactoribus destinatos, quia merito in illis censentur eriam quoad substantiam inviti Superiores.

Resol. 6. Raro delinquere graviter eos, qui sine damno Communitatis oblata ab extraneis comestibilia, aut potabilia recipiunt, saltem minoris valoris, quia licèt sint inviti Prælati, & quidem meritò in ordine ad perfectionem, non tamen quia reputant materiam gravem in ordine ad Paupertatem: quod verius est quando ipsi extranei illa consumunt com Religiosis.

Dixi: *Sine damno Communitatis*, quod sæpè evenit apud eos, qui vivunt ex eleemosynis.

CONCLUSIO III.

TRes sunt pœnæ Proprietariorum pecuniam, aut aliud notabile apud se retinentium, vel apud alios deponentium.

Dico: *Retinentium*; quia pœnæ illæ non afficiunt dantes aut expedientes.

1. Est, qoòd pœnitentiæ causa sit recludendus. Cap. fin. *De Regularibus*.

2. Est privatio vocis activæ & passivæ per biennium Trid. sess. 25. cap. 2 *De Regularibus*.

3. Est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, & inhumatio in sterquilinio cap. *Monachi.* De Statu Monachorum: imò in loco sacro sepultus debet inde extrahi, si absque gravi scandalo fieri possit. Cap. *Super quædam* eodem titulo. Hæ tamen pœnæ non incurruntur, nisi post Jodicis sententism. Imò ad ultimam reqoiritur quòd Proprietarius ante mortem non pœnituerit, & apud ipsum defunctum, aut depositarium inventa fuerit pecunia, aut aliud permanens, de cujus detentione proprietaria & voluntaria non dubitetur.

Aliam pœnam continet caput, *Cùm ad Monasterium*. De Statu Monachorum, nempè expulsionem è Conventu, sed illam revocavit Urbanus VIII. Præcipiens in decreto edito 21. Septẽbris 1624. ut in posterùm à Religione nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis. Clemens VIII. aliàs pœnas statuit in quadam Bulla, de largitione anno 1594.

quas confirmavit Urb. VIII. sed constitutiones illæ vel non fuerunt receptæ, vel per desuetudinem sont infirmatæ.

§. V.

Quid ludo exponere possit Religiosus, quid expendere Prælatus, & quando insit illis obligatio restituendi?

CONCLUSIO I.

POtest Religiosus honestæ recreationis causa exponere ludo licito modicam pecuniæ quantitatem, si adsit Superioris licentia, quam censetur habere ille, cui permittitur divertere aliquo tempore ad parentes, aut amicos sæculares, non potest tamen quantitatem magnam.

Prob. 1. pars; quia possunt Religiosi de Superioris consensu expendere concessa in usus honestos & licitos, atqui supponitur usus licitus & honesta recreatio: ergo.

Prob. 2. pars; quia ubi exponitur magna quantitas, lusus est ipsis indecens, nec reputatur pro Religiosis pauperibus honesta recreatio, sed potius aviditas ad lucrum; & ideò nec licitè, nec validè potest prælatus id subdito permittere, adeoque pecunia tali ludo parta, in quantùm excedit moderatam quantitatem, est restituenda; quia, ut diximus Superioris licentia expendendi peculium, aut aliud in usus vanos & illicitos, est nulla & irrita, cùm excedat illius potestatem. Crediderim autem quantitatem esse magnam, quæ excedit illam, quam quis potest liberaliter donare, modicam verò, quæ non excedit: & ideò consulat unusquisque Monasterii sui consuetudinem. Ex dictis

Resol. Religiosum exponentem uno ictu duos patacones, supposito, quòd unus pataco sit justa quantitas, teneri restituere unum, si duos lucretur; quia in ludo justo debet esse æquale periculum æqualiter lucrandi aut perdendi: imò totum restituere teneretur, si sine licentia lusisset, cùm in tali casu teneretur colludens omne lucrum restituere.

CONCLUSIO II.

NOn potest Prælatus res immobiles, aut mobiles pretiosas alienare, nisi ex justa causa, & servata solemnitate: ex aliis autem rebus potest illa dare, aut expendere, quæ cedunt in commodum, decentiam, & splendorem Monasterii, modo serventur limites Religiosæ honestatis.

Prob. 1. Pars, Ex Pauli II. Extravag. quæ incipit, *Ambitiosæ cupiditatis*, & habetur inter communes titulo *De rebus Ecclesiasticis non alienandis*: ubi etiam prohibetur locatio ad longum tempus, Emphyteusis, Hypotheca, Infeudatio.

Porrò censetur adesse justa causa. 1. Si pro sustentandis Religiosis, aut conservando Monasterio sit necessarium. 2. Si res facta sit Monasterio damnosa, aut inutilis. 3. Si ex alienatione succedat evidens Monasterii utilitas 4. Si pietas id postulet v.g. ad erigendum pro studiosis Collegium, ad fundandum pro pauperibus Xenodochium, ad ædificationem novi Monasterii &c.

Solemnitas verò requirit hæc tria Primum: Authoritatem in Superiore per licentiam à Sancta Sede obtinendam, quod jurant Episcopi & Abbates, dum inaugurantur. Secundum: Consensum Capituli legitimè congregati, ita ut non sufficiat, si unusquisque extra Congregationem consentiat, aut si vocem suam aliorum suffragiis committat. Tertiom: Contractum scriptum à singulis Religiosis signatum, vel saltem à Notario publico, postquam accepit singulorum vocem & authoritatem. Hæc intelligenda sunt, secluso privilegio, quod habent certæ Religiones & Syndici apud Fratres Minores circa rerum alienationem.

Dixi in Conclusione: *Vel res mobiles pretiosas*, ut sunt tapetes, vasa aurea vel argentea, gemmæ, & alia pretiosa, valoris saltem 25. aureorum, ut dicuntur respondisse Cardinales. Flores autem, Numismata, Statoæ &c. quorum æstimatio consistit in varietate, antiquitate, aut hominum imaginatione, alienari possunt sine dictis solemnitatibus; quia non veniont nomine *rerum pretiosarum*.

Prob. 2. Pars; quia Prælatus, licèt non sit bonorum Monasterii dominos, est tamen verus administrator, tenetque locum communitatis; sicque potest facere quidquid potest prudenter communitas.

Resol. 1. Posse facere pro obsequiis præstitis donationes remuneratorias, munera ad conciliandas Conventui personas necessarias, honestas gratitudines erga benefactores, certa dona ad promovenda negotia; quia id exigit bonum communitatis. Debent autem hæc esse majora vel minora, attentis obsequiis, rei gravitate, personarum necessitate, Ordinis aut Monasterii consuetudine.

Resol. 2. Posse facere eleemosynas, non tantùm ex superfluis, ad quod strictè obligatur, cùm bona Monasterii sint pauperibus hypothecata; sed etiam ex necessariis, juxta laudabilem Conventus praxim, Regionis penuriam, temporum calamitates, urgentem pauperum famem: nec propterea debent timere, *ne propter Regnum DEI militantibus hujus vitæ necessaria desint*, inquit V. Beda lib. 4. cap. 24. in Lucam: qui enim dixit, *date*, dixit: *& dabitur vobis*.

Resol 3. Non posse quidquam expendere ad ostensionem suæ liberalitatis, ad ditandos parentes, ad conciliandos sibi amicos particulares, ad epulas extraordinarias, ad equorum, canum venaticorum, rhedarum, domesticorum &c. multitudinem; quia communitas, cujus bona administrat, censetur rationabiliter invita.

Resp 4. Respectu amicorum & parentum id ad minimom posse, quod potest subditis respectu suorum concedere, cùm ipse non sit deterioris, sed melioris conditionis, quàm subditi. Errant tamen graviter Superiores illi, qui sibi ferè omnia concedunt, aliis autem omnia denegant, non attendentes, quòd subditi sint membra ejusdem communitatis, & filii ejusdem Matris.

CONCLUSIO III.

OMnis Religiosus, sive Prælatus, sive subditus, qoi facit gravem injuriam Monasterio, illius bona dando, negligenter custodiendo, prodigè administrando, dissipando, consumendo, aut expendendo, ultra limites honestatis & prudentiæ, tenetur restituere, largè loquendo, quantùm potest.

Ratio est, quia bonorum Communitatis nec Prælatus, nec subditus habet dominium, sed tantùm usum, aut administrationem: ergo sicut administrator dissipans bona, quorum tantùm habet administrationem, tenetur restituere Domino, ita & Religiosus Monasterio.

Dixi 1. *Largè Loquendo*; quia restitutio stricta fieri debet *ex propriis* ipsius restituentis; proprium autem nec habet nec habere potest Religiosus.

Dixi 2. *Quantùm potest*: undè si res alienata adhuc extet in se, vel in æquivalenti apud extraneum, tenetur Religiosus ipsum admonere de restitutione necessariò facienda, quam, deficiente extraneo, facere debet ipsemet Religiosus: si autem res illa sit apud Religiosum, debet illam Conventui reddere; quia etsi dominium semper remaneat penes Monasterium; tamen usurpans usum rei, invito rationabiliter Domino, committit furtum, estque obnoxius restitutioni.

Sed quo pacto restituet Religiosus, deficiente extraneo, aut re jam consumpta.

R. Ex peculio sibi concesso, si habeat, si non, labore extraordinario sibi proportionato. Non videtur tamen obligatus aliquid sibi substrahere de cibo aut potu ordinariis; quia sicut benignitas Patris, ita & Superioris non censetur velle filios suos ad id obligare.

Dixi: *Ordinariis*; quia justitia postulat, ut aliquando se privet extraordinariis. Item poterit Religiosus restituere, efficiendo ut id, quod Parens aut Amicus solet illi gratis concedere, concedatur Monasterio.

Advertendum hic 1. Religiosum, qui aliquid recipit ab uno è Confratribus habente facultatem illud distrahendi, non teneri ad restitutionem; quia eo ipso quo Superior dat uni licentiam rem aliquam distrahendi, virtualiter dat etiam alteri sibi subdito illam recipiendi; quia minùs gravatur Monasterium, si res detur subdito quàm si extraneo. Excipe tamen, nisi danda esset Benefactori, aut si alteri Religioso nullatenus conveniret.

Advertendum 2. Extraneum, qui rem aliquam injustè recepit à Religioso, debere illam restituere Monasterio, eo tamen secretiori modo, quo potest, ut servetur fama Religiosi, nisi propter relapsum monendus esset Superior. Ratio est; quia rei illius dominium est penes Monasterium, & non penes Religiosum; si tamen sciretur re illa non iterum abusurus, posset ipsi restitui, præsertim si foret illi ad usum concessa.

QUÆSTIO X.

Quid dicendam de Clausura Religiosorum, & Monialium?

CONCLUSIO I.

PRohibitus est sub gravibus pœnis ingressus mulierum non exemptarum in Clausuram Regularium, ubi non adest justa necessitas, aut determinata pietas.

Prob. ex Bulla Pii V. edita 1570. die 16. Julii, quæ incipit *Decet Romanum Pontificem*: voluerunt quidem aliqui ingressum illum tantùm prohiberi mulieribus ingredi præsumentibus, sub

sub prætextu privilegiorum, non autem aliis, eò quòd ipsemet Pius V. in alia Bulla quæ incipit, *Regularium personarum* & Gregorius XIII. in Bulla: *Dubiis emergunt*, tantum loquantur de illis, seu Pius V. in Constitutione: *Decet Romanum Pontificem*, interminis comprehendit omnes, & quascumque mulieres, tam in genere, quàm in specie.

Dixi in conclusione: *Sub gravibus pœnis*; quia fœminis ingredientibus imponitur axcommunicatio Papæ reservata, & ipsis Religiosis introducentibus pœna privationis officiorum, & inhabilitas ad illa, ac etiam suspensionis à divinis ipso facto incurrenda. Attamen exceptis excommunicatione, & à divinis suspensione, quæ sunt Censuræ, aliæ pœnæ non incurruntur ante judicis sententiam criminis declaratoriam, ut constat ex praxi.

Ab excomunicatione & à suspensione absolvere possunt Confessarii Mendicantium virtute privilegiorum. Imò semel in vita, & semel in morte Pœnitentis quilibet ab Ordinario approbatus, ut patet ex Bulla *Cruciatæ*. Aliæ verò pœnæ utpotè non reservatæ, possunt à Mendicantium Prælatis tolli, sicut & ab aliis eorum privilegiis communicantibus.

Porrò 1. Censentur Religiosi fœminas introducere, si ad ingressum cooperentur immediatè, vel mediatè: immediatè, portam aperiendo, per fenestram intromittendo, clavem præbendo &c. mediatè jubendo, consulendo, impellendo; imò si Clausuræ custodiam habeant, ut Prælatus aut Janitor, tantùm permittendo; quia sunt de facto causæ morales ingressus. Qui autem licitè vel illicitè ingressas longè diutiùs detinent confabulationibus, ambulationibus &c. admisisse censendi sunt, saltem quoad peccatum, sicut & Clausuræ custodes illas non expellentes.

Excusantur nonnunquàm ab his pœnis (rariùs à peccato) mulieres ratione bonæ fidei, aut ignorantiæ etiam vincibilis, modò non sit affectata; quia in præfata constitutione requiruntur audacia, præsumptio, scientia.

Dixi 2. *Ingressus mulierum*, adeoque & Ducissatum, Comitissarum, Marchionissarum, & aliarum quacumque nobilitate, conditione, gradu &c. fulgentium, si nactæ sint usum rationis, licèt pubertatem non attigerint.

Dixi 3. *Non exemptarum*; quia exceptæ sunt Imperatrices, Reginæ, Regum filiæ & Neptes ob supremam earum dignitatem, sicut & Fundatrices, eò quòd domum suam ingrediantur. Volunt Authores, posse illas ingredi cum suo mulierum comitatu ordinario, non tamen Fundatrices, quibus unius tantum aut alterius honestæ domicellæ consortium permittitur.

Dixi 4. *In Clausuram Regularium*: comprehenduntur autem sub Clausura Dormitorium, Claustrum, Bibliotheca, Capitulum, Hortus, Refectorium, Infirmaria, Culina, & aliæ Officinæ interiores, non tamen Sacristia, Chorus, Capella juncta Ecclesiæ, si ad illam detur accessus sine transitu per Monasterium. In Hospitiis autem, Prioratibus, Collegiis & aliis locis, ubi degunt Religiosi, nec Officium Divinum communiter celebratur, non videtur esse Clausura. Sed quid de Abbatiis? Certè videmus in Belgio passim mulieres etiam ad interiora Monasterii loca divertere; sed an ex privilegio, an ex legitima consuetudine, an autem ex abusu? Videant & diligenter examinent illi, quorum interest. Dixerim tamen ibi & alibi non esse observandam Clausuram, quamdiu per alicujus parietis destructionem, aut per aliud fracta est.

Dixi 5. *Ubi non adest justa necessitas*, quam vix reperio: assignant Doctores Conventus incendium, pro quo extinguendo nulli adessent homines; sed ego credo ipsas magis obfuturas, quàm protuturas. Assignant etiam casum quo deficientibus Medicis adesset mulier perita, quæ posset Religioso infirmanti succurrere: hic casus non videtur ita metaphysicus, præsertim tempore pestis. Alter casus est, si mulier quæsita ad necem, aut à satellitibus, non posset evadere aliter quàm intrando Clausuram. Hi casus omnes, ubi subsistunt, sufficiunt ad licitum Clausuræ ingressum, cùm præceptum Clausuræ Ecclesiasticum non obliget in illis circumstantiis.

Dixi 6. *Aut determinata pietas*, ut dum in Claustris Religiosorum Missæ, aut Divina Officia celebrantur. Processiones fiunt, Fidelium cadavera sepeliuntur, aut etiam quando ad infirmum defertur processionaliter Eucaristia. Item dum tantus est populi concursus, ut Ecclesiæ porta non sufficiat ad commodum ingressum & egressum; tunc enim licet mulieribus ingredi & egredi cum aliis per portam Claustri. Illis tamen casibus tantùm possunt esse in Clausura tempore Officii, & quidem in solis locis, ubi celebratur; ita ut si tempus Officii notabiliter præveniant aut subsequantur, vel etiam ad alia loca progrediantur, violent graviter preceptum Clausuræ, licèt non excommunicentur, eò quòd lata sit excommunicatio contra mulieres indebitè ingredientes, non autem contra debitè ingressas diutiùs commorantes, aut ultra progredientes.

CONCLUSIO II.

Datur in Ecclesia præceptum obligans, saltem in actu primo, omnes omnino Moniales verè Religiosas ad Clausuram perpetuam, nisi ex fundatione, aut contractu legitimo obligentur ad curam & obsequium infirmorum.

Prob. Ex cap. *Periculoso*. De Statu Regulari in 6. ubi illam præcipit Bonifacius VIII. cujus præceptum approbarunt & innovarunt non solum Pius V. & Gregorius XIII. sed ipsummet Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. *De Regularibus*, tam quoad egressum earum, quàm quoad ingressum aliarum in earum Monasteria. Hoc autem præceptum, fuisse ubique receptum indè patet, quòd nulla sit pars Orbis, ubi illam Clausuram non introduxerint Episcopi, aut Prælati regulares, etiam apud illas, quæ nec ex voto, nec ex consuetudine, nec ex Regula ad illam tenebantur. Scio aliquos negasse potestatem esse in Ecclesia præcipiendi Clausuram iis, quæ illam non voverunt, sed etiam scio, post tot Pontificum Bullas, postquàm tota Ecclesia in Tridentino in Spiritu Sancto congregata id ordinavit, temerarium esse dubitare. Non potuit quidem Pontifex obligare ad votum Clausuræ, cùm votum excludat omnem coactionem, potuit tamen facere, ut nisi Moniales simul cum tribus votis etiam votum Clausuræ, emitterent, professio esset nulla, defectu acceptationis; sicut re-verà fecit.

Dixi 1. *Obligans, saltem in actu primo*: quia in iis Monasteriis, in quibus ratione litis, processus, indigentiæ, bellorum, oppositionis ex parte Magistratus &c. non fuit introducta, potest ad nutum Superiorum introduci sine novo præcepto.

Dixi 2. *Omnes omninò moniales*, adeoque & Conversas cujuslibet Ordinis, quæ si professæ fuerint ad quærendas eleemosynas pro sustentatione communitatis, debent in domo Monasterio contigua habitare, nec Monasterium ingredi, seclusa dispensatione Papali, quia sic ordinarunt Pius V. & Gregorius XIII.

Dixi 3. *Verè Religiosas*, quales non sunt illæ, quæ vivunt in Congregatione sub Obedientia, & castitate perpetua vel etiam sub tribus votis ordinariis, sed limitatis quamdiu nempè manserint in Congregatione, sed debent emittere tria vota solemnia secundùm aliquam regulam à Sancta Sede approbatam ita ut non sufficiat Episcopi approbatio.

Dixi 4. *Nisi ex fundatione, aut contractu legitimo &c.* quia cum Clausura sit tantùm juris humani, non potest derogare juri naturali orto ex fundatione, aut contractu legitimo. Et ita declaravit de Tertiariis S.P. Francisci Leo X. cui declarationi non derogatunt Tridentinum, Pius V. aut Gregorius XIII. cùm nullibi reperiatur specialis particula derogatoria. Ubi tamen fundatio, aut contractus non amplius subsistit; vel quia bona dilapsa sunt, vel quia stipendium sororibus servientibus denegatur, possunt & debent Superiores, si fieri possit, Clausuram introducere, imò etiam subsistente fundatione, aut contractu, si duæ aut tres pro servitio infirmorum, aut peregrinorum sufficiant: illis enim poterit permitti egressus, quantùm requiret necessitas, aliis interim Clausuram servantibus, ut fit in S. Thomæ Conventu Duaci, vel certè recipi poterunt tres aut quatuor, quæ in domo Monasterio contigua degentes illud munus obeant.

CONCLUSIO III.

Quælibet persona, cujuslibet ætatis, sexus, aut conditionis non exemptæ ingrediens Clausuram Monialium sine licentia Superioris legitimi, incurrit excommunicationem ipso facto, sicut privationem ab officiis obtentis, & inhabitabilem ad illa, aut alia in posterùm obtinenda, nisi necessitas moralis excuset. Colligitur tum ex Tridentino sess. 25. cap. 5. *De Regularibus* tum ex motu proprio Pii V. *Cura Pastoralis*.

Dixi 1. *Cujuslibet ætatis*: modo tamen usum rationis fuerit adepta, quia pueri ante usum rationis nec præcepti, nec censuræ sunt capaces. Amentes autem adulti, licèt non peccent ingrediendo, peccant tamen illos introducentes, ob periculum tumultus, & aliorum.

Dixi 2. *Sexus*, quia tam prohibetur fœminis, quàm viris.

Dixi 3. *Aut conditionis non exemptæ*, quales sunt Reges, Imperatores, & mulieres illæ, quibus permittitur ingressus in Clausuram Religiosorum.

Dixi 4. *Ingrediens Clausuram*; ita ut totum corpus ingre-

gredientis sit intra Clausuræ septa, ubi autem ingressus est completus, non admittitur materiæ parvitas, cùm in distantia unius aut alterius passus tantum sit inconveniens, quantum in maiori distantia. Facilius admitterem materiæ parvitatem in Clausura virorum, dum ingressus fit per portam Claustri, eò quòd non appareat idem inconveniens: & sic non videntur condemnandæ, saltem graviter mulieres illæ, quæ per portam Claustri ingrediuntur Ecclesiam, ubi porta Claustri & porta Ecclesiæ nonnisi duobus aut tribus passibus distant.

Dixi 5. *Sine licentia Superioris legitimi*: hanc enim, & quidem in scriptis obtentam, requirit Trident. suprà. Prælati verò, nisi causa sit magni momenti, graviter peccant illam concedendo. Si autem sine causa ingressum jubeant, aut consulant, crimen incurrunt, non pœnas, quia latæ sunt contra ingredientes, non mandantes: lex autem pœnalis non est extendenda. Limita tamen, nisi quis faciat sub prætextu licentiæ Apostolicæ, quia tunc non tantum ingrediens, sed etiam permittens aut ingredi faciens pœnas incurrit. ut patet ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ubi gratiæ*.

Dixi 6. *Incurrit excommunicationem* &c. hoc semper subintellecto, nisi excuset bona fides, simplicitas aut ignorantia.

Dixi tandem, *Nisi moralis necessitas excuset*: unde possunt ingredi opifices necessarii pro reparando, aut construendo ædificio, pro fodienda terra pro aperiendo sepulchro. Item Visitator ut munus suum obeat, Confessarius ut infirmis tum in Sacramentorum administratione, tum in morte assistat, imò hic toties poterit, quoties id requiret infirmæ devotio, aut ejusdem indispositio. Similiter Medici, Chirurgi & generaliter omnes illi, qui requiruntur ad debitam Monasterii conservationem, & gubernationem, tum spiritualem, tum corporalem pro casibus tamen ordinariis pro extraordinariis enim requiritur expressa legitimi Superioris licentia.

QUÆSTIO XI.

Qualis debeat esse electio Superioris?

CUm in Religione sint Inferiores & Superiores, hujus tractatus ratio postulat, ut postquàm varia Religiosis tanquàm Inferioribus diximus, pauca saltem de Superioribus dicamus.

CONCLUSIO UNICA.

ELectio Superioris debet esse Canonica, libera, & dignioris.

1. Conditio requirit, ut fiat secundùm *sacros Canones*, id est, ut 1. Ad eam vocentur omnes, qui habent jus eligendi, ita ut si vel unicus Vocalium, qui commodè citari poterat, non fuerit vocatus possit electionem irritare: c. *Quod sicut* 28. De electione, ipso tamen non contradicente, manet valida.

2. Ut omnes electores sint capitulariter congregati. Cap. *in Genesi* 55. De Electione.

3. Ut Capitulares sint ad minimùm tres: unde Glossa in cap. 1. De Electione: *duo faciunt congregationem, tres collegium*: & ideo est illud axioma commune: *tres faciunt Capitulum*. Apud nos tamen ut electio sit Canonica, requiruntur ad minùs 5. Vocales, patet ex Stat. Generalibus cap. 7. §. 1. *De Electionibus*.

4. Ut major pars Capituli consentiat, ità ut, si sint 25. vocales, ad minus 13. vota habeat electus; ubi autem vota sunt paria, nec jus Canonicum, nec constitutio particularis, imò nec ullus author, quem viderim, dat suffragium decisivum Præsidi Capituli; unde si alicubi hoc practicetur, videndum est, an ex consuetudine legitima, an potiùs ex corruptela sit introductum. Hoc tamen intelligitur de Electionibus à toto Capitulo faciendis; nam si fiant à solo Definitorio habet Præsidens illis Electionibus, concurrente suffragiorum paritate, vocem decisivam ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Religiosos viros*, quod & ordinavit Alexander VII. Bulla *Creditæ nobis*: quam vocem tum in Electionibus, tum in aliis negotiis etiam concessit Provincialibus, deficiente alio Præside, sacra Cardinalium Congregatio 13. Martii 1653. licèt alia Eminentissimorum Congregatio facta 15. Martii 1663. noluerit ut præses habeat votum decisivum in electionibus per ballotationes, nisi per tres vices vota fuerint æqualia. Unaquæque Religio consulat quoad hoc legitimam Provinciæ consuetudinem.

Sed habentne in Electione Canonica Abbatissæ, aut alterius Monialium præfectæ, suffragium electivum Prælati.

Resp. Apud Recollectos nationis Belgicæ hoc esse consuetudine legitima introductum: caveant tamen illa uti, nisi in bonum Religionis. Quoad votum decisivum nihil introductum legimus.

2. Conditio exigit in electionibus omnimodam *libertatem*, excluditque omnem coactionem, sicut & ex parte Præsidis minas, promissiones, imperium, verba aspera; quia illa nata sunt causare in inferioribus metum saltem reverentialem adeoque obstant electionis libertati, redduntque illam irritam saltem in foro conscientiæ, ut docent Navarrus, Portel. & alii. Item graviter obstant electionis libertati Præsides illi, qui per se vel per alios murmur spargunt inter vocales se talem respuere, ut sic faciliùs alteri pateat aditus ad Superioratum.

3. Conditio requiritur eligatur persona *dignior*; ità ut graviter peccent, non tantùm qui positivè indignum, sed etiam qui dignum, relicto digniore, eligunt, *Meminerint*, inquit Trident. sess. 24. cap. 1. De Reform. *nihil se ad Dei gloriam & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ* (dic & Religioni) *magis utiles sibi judicaverint præfici diligenter curaverint*. Et cùm aliqui vellent Concilium per *digniores* tantùm excludere indignos, non verò dignos, eorum propositionem in terminis condemnavit Innoc. XI. estque 47. inter condemnatas. Est autem *dignior*, non qui sanctior, non qui doctior, sed qui, attenta probitate, scientia, prudentia, experientia, vita regulari &c. judicatur aptior. Sed de hoc fusius postea.

Videant ergo illi & contremiscant, qui non ad merita, *sed* ad passiones, ad effectum inordinatum, ad Patriam, *vel ad* proprium interesse respiciunt; ità ut magis sibi, quàm *Religioni* consulant, magis quærant præesse, quàm prodesse, & ideo Prælaturam dividunt, electo nomen, sibi factum reservantes, ut sic semper & super omnia dominantes sibi amicos subliment, alios autem deprimant.

QUÆSTIO XII.

Qualis debeat esse Prælatorum vita, quale regimen?

CONCLUSIO I.

VIta Prælati debet esse pura, regularis, & exemplaris.

Paritas consistit non tantùm in immunitate ab infamia, à defectu natalium, à censuris Ecclesiasticis &c. sed etiam peccatis gravibus, qualia sunt rixæ, contentiones impudicitiæ, ebrietas & alia hujusmodi: si enim illa dedeceant graviter inferiorem, à fortiori Superiorem.

Regularitas exigit vitam communem in omnibus, in victu, vestitu, incessu, in frequentandis Choro, Meditatione, Capitulo, Refectorio, & aliis, quantùm ipsi per occupationem licuerit, ità ut irregularis sit inter regulares, & scandalosus Superior ille, cui nauseat Chorus, refectio ordinaria, vita communis, cui nimiùm placeant cibi exquisiti, vinum delicatum, somnus longus, evagationes inutiles &c.

Exemplaritas postulat ut priùs faciat, quàm doceat: longum enim iter per verba, breve per exempla: *sermo vivus & efficax exemplum est operis facilè faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur*. D. Bern. epist. 201. ad Balduinum. Prætereà scire debet Prælatus, tales futuros esse subditos, qualis est Superior: nam *qualis est Rector Civitatis* (dic & Religionis) *talis & habitantes in ea*, Ecclesiastici 10.

CONCLUSIO II.

REgimen Superioris debet esse scientificum, prudens, & charitativum.

1. Debet esse *scientificum*, seu scientia suffultum, ut possit Prælatus illos, quorum sibi cura demandata est, saltem necessaria ad salutem edocere, id est, Fidei & legis Christianæ præcepta, votorum essentialium ac præceptorum regulæ notitiam, & tandem ea quæ tangunt uniuscujusque Religiosi gradum & vocationem. Ratio est; quia necessariò debet suorum salutem procurare; atqui nisi in tribus præfatis instruantur subditi, non possunt salvari: ergo. Accedit quòd turpe sit ignorare artem, quam profitemur; & ideo cap. *Si in Laicis* 3. dist. 38. dicitur ignorantiam esse intolerabilem in iis qui præsunt. Nec sufficit, inquit Pellizarius, quòd Superior habeat apud se Viros doctos, quorum opera utatur: nam verecundum est ex aliorum manibus, quærere, quod apud se inveniri debet, ut docet Innocent. in cap. *Cùm in cunctis*: De Electionenum. 1. Hinc

Resol. 1. Graviter peccare illos, & esse omnium peccatorum

rum inde sequeotium causam, qui sub prætextu alicujus pietatis, aot dexteritatis Superiores ignaros eligunt.

Resol. 2. Etiam reos esse Superiores, qui vel ex incuria, vel ex insufficientia, raro, aut nunquam verbum instructorium, exhortatorium, aut monitorium habent apud suos subditos, qui nec per se, nec per alios Fidei rudimenta & regulæ præcepta Laicis & Clericis nondum sufficienter instructis exponunt.

Resol. 3. Etiam illorum peccatorum participes esse instructores, si erga suos munus illud negligant: & super hoc maximè debent invigilare Superiores, quibus noo sufficit instructores designasse, sed efficere debent, ut de facto sequatur necessariorum instructio.

Resol. 4. Rationem Domino Deo reddituros esse Theologiæ Lectorés, qui speculativis totaliter intenti, vix aut nunquam descendunt ad ea, quæ iiuot hominis Religiosi & Christiani.

2. Debet regimen esse *prudens*; & ideo debet Superior tanquam verus Pastor pecoris sui vultum agnoscere, id est, subditorum suorum qualitates, genia, dispositiones, inclinationes investigare, & in suis reprehensionibus, dissimulationibus, correctionibus &c. circumstantias personarum, loci, temporis, actionum attentè considerare, ut sic nec rigor nimius, nec induigentia nimia adhibeatur, sed quædam paterna dulcedine moderata severitas. Hinc

Resol. 1. Delinquere Prælatos illos, qui sub titulo fervoris, obstinato quodam sensu semper & ubique observantias etiam minimas indiscretè zelant, nullo habito respectu ad personas, loca, tempora, occasiones &c.

Resol. 2. Peccare è contra Superiores illos, qui sub prætextu pacis omnia permittunt, omnia dissimulant. Prudentia igitur opus est, ut nec Religiosi in summa periclitentur pericula per nimium rigorem, nec Religio detrimentum patiatur per nimiam libertatem.

Resol. 3. Ad hanc Superioris prudentiam spectare, ut opportunè, non importunè ovibus suis invigilet, ut non sit exactor aut satelles, sed verus Pastor, qui de suorum necessitatibus corporalibus & spiritualibus inquirat, externam conversationem tam in Conventu, quàm extra, imò & interioris dispositionem perscrutando. Caveat tamen delatores, aut adulatores fovere: sunt enim pestes communitatum.

3. Debet esse *Charitativum*; quandoquidem finis regiminis debeat esse amor Dei, & Charitas proximi: & ideo debet Superior subditis suis corporalia & spiritualia, quantùm fieri potest, subministrare: corporalia quidem, ut sic viam excludat proprietatibus, divagationibus, discursibus, amicitiis perversis, quæ nonnunquam palliantur titulo necessitatis: spiritualia verò, exhortando, monendo, consolando afflictis compatiendo, infirmos visitando, & omnibus de confessariis prudentibus, & idoneis providendo. Hinc

Resol. 1. Juxta materiæ gravitatem peccare Prælatos, qui ex quadam tenacitate bene habentibus victum aut vestitum necessarium, infirmis medicamenta, senibus restauramenta denegant.

Resol. 2. Se & suos exponere damnationis periculo Superiores, qui afflictus in omnibus duri suot & rigidi, qui ipsos contemnunt, abjiciunt, negligunt, & quandoque in desperationis barathrum præcipitant.

Resol. denique multùm adversari Charitativo regimini modum agendi imperiosum, & nimis absolutum, verba aspera, clamores, vultum severum &c. *Audiant Prælati*, inquit D. Bern. sermone 23. super Cantica, *qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini, qui judicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quàm metui, & si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica; Matres, fovendo, Patres vos, corripiendo exhibeatis: Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera.*

QUÆSTIO XIII.

Seu variæ quæstiunculæ magis obviæ Superiorum electionem concernentes.

Petes 1. Quinam excludantur à Superioratu ex solo Jure?

R. Breviter excludi sequentes 1. Illegitimos, non tamen illegitimas, ut sunt Abbatissæ, Priorissæ, Matres &c. quia jura excludentia viros, nullam mentionem faciunt de fœminis, quæ in odiosis non veniunt nomine *virorum*. Porrò cum illegitimis dispensare possunt ex Bulla Gregor. XIV. *Circumspecta*, Generales in Capitulo Generali, & Provinciales in Provinciali, etiam intermedio. 2. Descendentes intra quartum gradum à Judæis, Mahumetanis, vel Hæreticis, quorum ossa, vel statuæ igni tradita sunt. Ità pro Ordine nostro statuit Paulus IV. Bulla *Cùm ex Apostolatus officio*. 3. Transeuntes de Mendicantibus ad non Mendicantes. Clem. 1. *Ut professores de Regul.* 4. Religiosi, qui Chirurgiam exercuerunt ex qua secuta est mors, prohibentur implicitè eligi in Abbatem, cap. *Tua de Homic.*

Petes 2. Quinam excludantur ex crimine?

Resp. 1. Falsificantes litteras Apostolicas, & apud nos falsificantes sigillum Ordinis, aut Conventus. 2. Infames. 3. Excommuoicati, Interdicti, Suspensi & Irregulares. 4. Homicidæ voluntarii. 5. Per abusum potestatis sæcularis semel electi, & apud nos sæcularium favore officia & alia procurantes. 6. A Sancto Officio pœnitentiati, & alii, de quibus fusè Tamburinus de Jure Abbatum Tomo 1. disp. 5. Quæsito 21.

Petes 3. Quinam excludantur ex infirmitate?

Resp. Omnes illi, quibus deest valetudo sufficiens ad obeundum decenter munus suum; & horum electionem esse nullam tenent multi DD. à Tamburino suprà citati; hincque infert ineligibile esse leprosos, paralyticos, laborantes morbo caduco, sicut & laborantes lue venerea, furiosus & lunaticos, surdos, mutos, cœcos, gibbosos ita curvos, ut non nisi difficillimè valeant ad Cœlum oculos attollere, & generaliter omnes illos: quos statura monstruosa, aut extraordinaria reddit contemptibiles & ridiculos. Item podagros continuos, aut quasi continuos: non tamen illos, quorum podagra tantùm est intermedia. Plura de illa materia. Vide apud eundem ibidem.

Petes 4. Quinam sint excludendi ratione morum?

Resp. Adulatores, Hypocritæ, magis Politici, quàm Religiosi, omnes ad instar Absalon exterius honestissimè recipientes & suis tantùm benefacientes; suorum imperfectiones excusantes & perfectiunculas ad Cœlum usque extollentes; aliorum verò exaggerantes imperfectiunculs: perfectiones labefactantes; in bonis suorum memores, aliorum immemores, in malis è contra: magis solliciti placere sæcularibus: quàm prodesse Religioni; quærentes Superiorum majorum gratias & favores litteris & laudibus adulatoriis, muneribus, delicatioribus ferculis &c. & idem est, si ipsemet similibus capiantur; Chorum ideò & refectionem communem fugientes.

Petes 5. An Fratrum Minorum, *qui vitam communem in victu & vestitu, Chori frequentatione, iter pedibus agendo aliisque similibus à Regula præscriptis rigoribus non observant, idque ex infirmitate aut alterius impotentiæ causa electio sit valida?* hoc ipsum iisdem terminis quæsivit Reverendissimus Pater Bonaventura à Perrio olim Ordinis nostri Generalis nunc Archiepiscopus Salernitanus, ab Innoc. XII. qui in Bulla sua quæ incipit: *Altàs à fel. recordationis* data anno 1695. 2. Julii, cui subscripsit Papa Modernus.

Resp. *Religiosos omnes qui vitam communem observantiæ verè & cum effectu insequi non solent, etiamsi ex infirmitate, seu alia quavis necessitate, & absque ipsorum culpa accidat, in Prælatos seu Superiores ejusdem Ordinis eligi non posse, eorumque electionem, si quando fiat, tametsi aliàs Canonica foret, à Prælato, seu Superiore Generali dicti Ordinis, servata quoad hoc earum litterarum forma, irritandam esse, illos verò, qui in prædictis observantiæ Communis exercitiis, seu in eorum aliquo culpabiliter deficere consueverunt, non modo, ut supra ineligibiles esse; sed insuper pœnis Constitutionum ipsius Ordinis subjacere, authoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, & Ordinamus* &c. Ex quibus sequitur non solùm Electores, sed etiam Commissarios, aut Visitatores Generales graviter delinquere, si tales confirmaverint.

Petes 6. Quis reputari debeat dignior inter eligendos?

Resp. Illum, in quo sequentia reperiuntur. 1. Major humilitas, & minor ad Prælaturas ambitio. 2. Major erga Fratres Charitas, minor ad amiticias particulares propensio. 3. Major Deo & bono communi adhæsio, minor sibi, suisque commoditatibus addictio. 4. Pro conservanda Religione, ejusque institutis in viridi observantia fovendis zelus ferventior ab exercitiis communibus Officii Divini, Meditationis, Capituli, Refectorii &c. relaxatio minor. 5. Major in tractandis Provinciæ aut Conventus negociis scientia, prudentia & dexteritas, minor in frequentandis sæcularibus inclinatio & voluntas. 6. Major in fovendis & promovendis honestioribus subditis integritas, minor in sustinendis imperfectorum adulationibus & vitiis corruptela. Hæc omnia si in uno, eodemque repereris Prælaturæ digniorem credito: sin minùs, illum, quem ad hæc magis appropinquare existimaveris, idque seclusa passione, affectu, patria, præventione interesse

pro-

proprio &c. ita ut non te, sed Deum, non bonum particulare, sed commune respicias.

Petes 7. Qualiter peccent eligentes scienter inidoneos?

R. Peccare 1. contra Justitiam distributivam & commutativam: distributivam quidem, in quantùm hæc inclinat ut officia, gradus & dignitates dentur benemeritis; commutativam verò, in quantùm nocent bono communi quod tenentur ex officio promovere. 2. Peccant omnibus peccatis, quibus propter ignorantiam, imprudentiam, absurditates &c. exponuntur electus, & electi inferiores. 3. Reddere volunt inutiles, quantùm in se est, omnes orationes & Missarum Sacrificia, quæ ad Deum diriguntur pro obtinendo Superiore idoneo.

QUÆSTIO XIV.

Seu aliæ quæstiunculæ ad eandem materiam spectantes

PEtes 1. Quid dicendum de iis, qui præsidendo aut assistendo electionibus Superiorum localium, ita efficiunt suis artificiis, suaque authoritate, ut eligantur omnes, aut quasi omnes, à quibus norunt se, aut suum amicum fore posteà in Provincialem eligendum.

R. Peccare 1. Contra justitiam commutativam & distributivam, si Superiores locales sic electi non sint digniores. 2. Contra libertatem electionibus essentialem. 3 contra humilitatem, nedùm Religiosam, sed etiam Christianam, ob apertum ambitionis argumentum. 4. Contra virtutem Religionis, quandam Simoniæ palliatæ speciem committendo si enim Simoniacus est dicens: *Eligam te in Priorem, si eliges me in Provincialem*, ut diximus in Tract in Decal. disp. 1. *De Simonia*, etiam Simoniacus est, saltem mentalis, qui in electionibus idipsum principaliter intendit.

Petes 2. Quis dicendus Subornator in Electionibus?

Respondent Ordinis nostri statuta c. 6. § 12. *Declaramus illum dici Subornatorem, qui alium trahit donis, promissis, timore, obsecrationibus falsis, ut suum suffragium alicui in electionibus ferat, aut non ferat. Subornator etiam censendus erit quicunque fecerit colligationes & inductiones ad prædictum finem.*

Dicitur 1. *Donis, promissis*; sive interim detur, aut promittatur pecunia, sive Officium, sive remissio pœnæ, sive certa habitatio, sive ambulatio, sive aliud.

Dicitur 2. *Timore*: quod accidere potest, dum Superior creditus magnæ authoritatis aliquem determinatum postulat in Prælatum, dicens: *talis est eligendus, & non alius*; quia tunc possent subditi apprehendentes manus longas talis Superioris, ex metu succumbere ejus voluntati, talemque eligere, quem aut crediderant indignum, aut saltem longè minùs dignum.

Dicitur 3. *Obsecrationibus falsis* quod fit vel extollendo excessivè promovendum, vel deprimendo excessive excludendum. In quod vitium manifestè impingunt illi, qui non solum excludendis affingunt crimina chimerica, sed etiam detegunt vera occulta, si inde nullum immineat bono communi detrimentum. Imò ejusdem peccati Rei sunt, qui nulla in particulari aperientes crimina, dicunt in genere: *Ah! si talem, vel talem novisses, sicut novi, si ejus vitam, mores, imperfectiones, modum agendi, conversationem &c. nunquam eligeres.*

Dicitur denique *aut fecerit colligationes &c.* quas facere convincuntur illi, qui ut sibi, aut amico consulant, rationibus fucatis, argumentisque apparentibus vocales in suam partem trahunt.

Petes 3. Quid sentiendum de Præsidente, aut assistente electionibus, qui, inter eligendum, Electores, quos sibi, aut suo amico existimat contrarios, terret verbis, minatur signis respicit torvis oculis &c.

R. Esse verè Subornatorem, omnesque pœnas Subornatoribus impositas incurrere: cùm per hoc intendat electoribus suadere ut sibi, aut suo amico suffragentur.

Petes 4. An Electionem invalidet Subornatio?

R. Affirm. Si ex illa sequatur, aliàs non secutura. Ratio est; quia libertatem electioni essentialem vel tollit, vel notabiliter lædit. Deberent tamen subornati, si magis Deum timerent, quam homines, neglecta Subornatoris authoritate & consilio, ipsum eligere; non quem vanus timor, authoritas, passio, interesse, patria, aut effectus pravus suggerit sed quem Deus, ratio, conscientia, bonum commune dictat eligendum. Nihil igitur trepidandum: nihil præsertim Christianissimo Regi LUDOVICO MAGNO subjectis, cùm Monarcha ille integerrimus sæpe sæpius declaraverit se velle plenam, integram, expeditamque in Superiorum electionibus libertatem. Fortè times Virgam hominis, *magis* time Brachium Dei omnipotentis, quem si non timeant nunc subornatores tui, timebunt fortè in lecto mortis; sed utinam non serius!

Petes 5. Quænam sint pœnæ Subornatorum?

R. Ex Bulla Pii V. *Pastoralis Officii*, incurrere excommunicationem Papæ reservatam, cujus absolutionem etiam Ministro & Commissario Generali postea commisit Greg. XIII. in sua Bulla *Consuevit*. Hæc tangunt FF. Minores, quos eorumdem statuta volunt (si de Subornatione fuerint convicti) etiam ipso facto actibus legitimis esse privatos. Quantùm ad Regulares indiscriminatim, privantur per Decretum Clem. VIII. relatum in Bulla 28. Urbani VIII. *Sacra Constitutio*, officiis obtentis, redduntur que ad futura obtinenda inhabiles.

Petes denique: an liceat Subornatione Subornationem impedire?

Resp. Neg. Quia nunquam licet mala facere ut eveniant bona, adeoque nec peccatum peccato impedire. Ultra tamen, quòd liceat ex zelo publicæ utilitatis Subornationem & Subornatores, ac per ipsos promovendum patefacere, ut sic malo communi occurratur, etiam licitum est conferendo, digniorem, ejusque egregias dotes aperire: cùm hoc non sit subornare, defectu suasionis, sed bonum commune zelare, hocque patet ex Statutis nostris generalibus cap. 6. §. 12. Solus igitur Deus sit omnium electionum & hujus operis

F I N I S

TRA-



T R A C T A T U S
DE INCARNATIONE
SEU LIBER TERTIUS SENTENTIARUM.



Uamvis Catholici formidaverint aliquando uti voce *Incarnatio*, ne scilicet viderentur Apollinaris aut Arii errorem amplecti, qui volebant Verbum Divinum carnem quidem assumpsisse, seu corpus sine anima, non tamen naturam humanam integram; nihilominus à multis sæculis apud Patres & Teologos usus invaluit, ut vox *Incarnatio* significaret illud reconditum mysterium, quo 2. Trinitatis persona completam in esse naturæ humanitatem sine ipsius personalitate assumpsit: nec sine fundamento; quandoquidem ipsamet Sceiptura Sacra usurpet quandoque vocem *caro* pro voce *homo*, ut Gen. 6. *Omnis quippe caro*; id est homo, *corruperat viam suam*: & Lucæ 3. *Videbit omnis caro*, seu homo, *salutare Dei*: unde hic *Incarnatio* (quam ab his verbis Joan. 1. *Verbum caro factum est*, originem sumpsisse valde probabile est) idem est quod humanatio seu inhumanatio, ut loquitur Damascenus 3. de Fide c. 6. & incarnari idem est quod hominem fieri.

DISPUTATIO I.

De quidditate, possibilitate, convenientia, necessitate & fine Incarnationis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Incarnatio & an sit possibilis?

CONCLUSIO I.

INcarnatio est unio seu unitio humanitatis & Divinitatis in una Verbi Divini persona.

Dicitur I *Unio*, quam ordinariè hypostaticam vocamus eò quòd humana Christi natura uniatur hypostasi seu personæ Verbi Divini.

Dicitur 2. *Humanitatis & Divinitatis*, non quidem immediatè, quasi verò natura humana immediatè uniretur naturæ Divinæ; aliàs non esset ratio, cur Pater & Spiritus Sanctus non essent incarnati, sicut Filius; quandoquidem quidquid immediatè convenit naturæ Divinæ, conveniat tribus personis: sed mediatè, inquantùm natura humana immediatè unitur personalitati Verbi, & illa mediante, naturæ Divinæ.

Dicitur 3. *In Una Verbi Divini persona*; quia Filius Dei assumens naturam humanam, non assumpsit ejus personalitatem: sicque natura humana in Christo subsistit non personalitate propria, sed personalitate Verbi: & ideo licèt Christus duas habeat naturas, est tamen unica persona.

CONCLUSIO II.

POssibilis est Incarnatio. Ita omnes Catholici.

Prob. 1. Valet argumentum ab actu ad potentiam; sed Incarnatio facta est, ut patet ex Joan. 1. *Verbum caro factum est*. Ergo possibilis est.

Prob. 2. Quia solvi possunt omnes repugnantiæ apparentes petitæ tum ex parte Divinitatis, tum ex parte humanitatis tum ex parte compositi per Incarnationem resultantis.

Obj. 1. Si Deus assumeret naturam humanam, mutaretur atqui Deus est immutabilis, ergo &c.

Resp Dist. Maj. Mutaretur extrinsecè, C. intrinsecè, N. assumendo enim naturam humanam nihil in se reciperet, sed præcisè terminaret unionem in natura humana receptam.

Inst. 1. Deus fieret homo, ergo mutaretur intrinsecè.

Resp. Dist Ant. Fieret homo recipiendo in se naturam humanam; N. illam præcisè terminando & personando, C. Ut autem intrinsecè mutaretur, deberet esse subjectum alicujus formæ in se de novo receptæ.

Inst. 2. Deus est habens humanitatem: ergo est illius subjectum.

Resp. Dist. Ant. Est habens humanitatem receptivè aut subjectivè, N. terminativè & personaliter, C. Sufficit autem, ut aliquid dicatur habere formam, si illam habeat aut subjectivè, aut terminativè, cùm habere formam abstrahat ab utroque.

Inst. 3. Paries terminans visionem meam, non dicitur illam habere: ergo ut aliquid dicatur habere formam, non sufficit quòd illam terminet.

Resp. Dist. Conseq. Non sufficit, quòd illam terminet sine unione, ut fit in pariete, qui nullo modo unitur visioni meæ, C. cum vera unione, ut fit in Verbo Divino, quod intimè unitur naturæ humanæ; N.

Inst. 4. Licèt Verbum uniatur humanitati, illa tamen erit ipsi extrinseca, sicut visio parieti, si tantùm illam terminet. Prob. Assumpt. Quia denominabit Verbum, in quo non est.

Resp. Dist. Assumpt. Erit ipsi extrinseca, id est; non in ipso recepta, C. omninò extrinseca, N. Ut enim aliquid dicatur omnino extrinsecum alteri, debet nec in ipso reperiri, nec ipsi intimè uniri: sicque patet quòd humanitas aliquo sensu dici possit Verbo Divino intrinseca; quia scilicet ipsi intimè unita: & ulteriùs quòd dici possit verbum esse hominem intrinsecè.

Inferes ex dictis. Deus est homo intrinsecè: sed antea non erat, ergo est mutatus intrinsecè.

Resp. Neg. Conseq. Quia plus dicit mutari intrinsecè, quàm esse aliquid intrinsecè; ad 2. enim sufficit vel unio vel receptio formæ advenientis; ad primum autem requiritur & unio & receptio in eo quod dicitur mutari: jam autem natura humana unitur quidem Deo, sed non recipitur in illo.

Inst. 5. Nihil alteri unitur, nisi perficiatur: ergo si Deus humanitati uniatur, intrinsecè mutatur.

Resp. Dist. Ant Nihil finitum alteri unitur, nisi perficiatur, C. nihil infinitum, N. Disparitas est quòd non sit ratio, cur finitum utpote ulteriùs perfectibile & capax unionis & formæ novæ, per illa non perficeretur; infinitum autem, cùm dicat omnem prorsùs perfectionem, nec ul-

lam

lam potest recipere, nec ullius esse subjectum: unde unitur ut purus terminus, seu per hoc præcisè, quod alterum uniatur ipsi.

Inst. 6. Deus esset in potentia ad unionem: ergo non posset uniri, nisi perficeretur. Prob. Ant. quia de unibili fieret unitus.

Resp. Dist. Ant. Esset in potentia ad unionem recipiendam N terminandam, C. sicque non perficeretur, sed naturam, cujus dependentiam terminaret, perficeret: unde fieret unitus, unionem terminando, non recipiendo.

Inst. 7. Si intellectus Divinus nunc terminaretur ad aliquid, ad quod non terminabatur ab æterno, perficeretur: ergo etiam perficeretur Verbum Divinum, si nunc terminaret naturæ humanæ dependentiam.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quod cognoscere sit perfectio cognoscentis, adeoque plura cognoscere major illius perfectio; terminare autem præcisè, est quidem perfectio rei terminatæ, non tamen semper terminantis; cùm nihil per hoc recipiat.

Obji. 2. Si Deus incarnaretur, haberet rationem formæ aut partis; atqui hoc implicat, ergo &c. Prob. Maj. Quia suppleret vices personalitatis aut subsistentiæ creatæ.

Resp. Neg. Maj. Ad Prob. Dist. Assumptum, suppleret vices personalitatis creatæ, naturam informando, N. terminando, C. in quo nulla reperitur imperfectio.

Obji. 3. Natura humana utpote finita, non est capax personalitatis infinitæ, atqui personalitas verbi est infinita, saltem identicè & realiter: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Non est capax personalitatis infinitæ, per quam informetur, C. per quam præcisè terminetur, N.

Obji. 4. Magis distant natura divina & humana quàm amor & odium, atqui hæc non possunt uniri: ergo nec illa.

Resp. Dist. Maj. Magis distant entitativè, C. proportionaliter, N. Nam inter amorem & odium nulla est proportio, sed summa oppositio: inter autem naturam divinam & humanam est proportio personativi ad personabile: quod enim habet personalitatem, est personativum alterius; quod caret personalitate ab personabile ab illo, quod habet personalitatem.

Obji. 5. Si DEUS assumeret naturam humanam, deberet assumere individuam & singularem, atqui hæc esset persona? cùm non dependeret ab alio, ut sustentante; ergo non posset aliunde personalizari.

Resp. Neg. Min. quia alia est formalitas, qua natura constituitur individua, alia, qua constituitur persona, cùm hæc sit à natura singulari separabilis, ut patet in hoc Mysterio, illa autem, nempe hæcceitas, omnino inseparabilis, ut pote idem aliter cum natura.

Inst. Non potest natura existere per aliud, ergo nec subsistere.

Resp. Neg. Cons. Disparitas est, quòd existentia non distinguatur à natura actuali, ut dicitur in Metaphysica benè tamen à substantia.

Obj. 6. Natura Divina non potest esse pars compositi nempè Christi: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Non potest esse pars propriè dicta, & toto imperfectior, C. pars impropriè dicta, & æquè perfecta, ac ipsum totum, N.

Inst. Natura Divina est completa: ergo non potest esse pars.

Resp. Dist. Ant. Est completa in esse naturæ C. in esse personæ, N. Jam autem natura Divina cum natura humana non faciunt unum in esse naturæ, sed in esse personæ, nempè Christum, qui non obstante quod natura Divina non sit rigorosè pars, dici tamen potest rigorosè compositus; quandoquidem talis pars sufficiat ad faciendum unum in esse personæ.

Objic. 7. Si Deus incarnaretur, esset creator & creatura, passibilis & impassibilis: atqui hæc in eodem repugnant: ergo &c.

R. Dist. Min. Hæc in eodem repugnant secundum idem C. secundùm diversa, N. Christus autem esset creator, impassibilis &c. secundùm Divinitatem, creatura autem, passibilis &c. secundùm humanitatem.

QUÆSTIO II.

An solis naturæ viribus cognosci possit hujus Mysterii possibilitas?

SUppono non posse evidenter ostendi hujus Mysterii impossibilitatem; quia quod evidenter ostenditur debet esse verum cum sit de ratione evidentiæ, ut sit ex veris, & verum inferat; jam autem quomodo ejus impossibilitas posset esse vera? Cum ejus possibilitatem veram esse doceat Fides?

CONCLUSIO I.

NUllus intellectus humanus, aut Angelicus sibi relictis potest evidenter cognoscere hujus Mysterii possibilitatem, etiam postquàm peractum est. Ita satis communiter Theologi.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ hoc Mysterium vocat ad Ephes. 3. *Sacramentum absconditum à sæculis in DEO & ad* Coloss. 1. *mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus.*

Prob. 2. Ex Concil. Toletano. *Si ratione ostendi posset non esset mirabile, si exemplo, non esset singulare.*

Prob. 3. ex Patribus, Chrysostomo Homil. de S. Joanne Baptista *Miraris, quia ego nesciam? Omnis creatura ignorat.* Ambrosio in cap. 2. 2. ad Corinth. *Abscondita est ergo DEI sapientia..... non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis*. Augustino Epist. 3. ad Volusianum *fateamur ergo DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.*

Prob. 4. Ratione, quia nullum datur medium naturale, per quod à priori, aut à posteriori possit cognosci hujus mysterii possibilitas; quandoquidem sit omninò, supernaturale seu supra naturam. Præterea non potest evidenter cognosci possibilitas Incarnationis, nisi cognoscatur evidenter possibilitas Trinitatis; atqui hæc non potest naturaliter cognosci cognitione evidenti, ut suo loco dicetur: ergo nec illa. Prob. Mai. non potest cognosci Incarnationis possibilitas: nisi cognoscatur Verbum Divinum 2. Trinitatis persona: quod tamen, seclusa fide, impossibile est.

Objic. 1. Novit Angelus naturæ viribus, DEUM posse quidquid non involvit contradictionem; atqui hoc mysterium non involvit contradictionem, cùm factum fuerit: ergo novit esse possibile.

Resp. Dist. Min. Atqui hoc mysterium non involvit contradictionem, & hoc cognoscitur, naturaliter ab Angelo, N. & non cognoscitur; C. Aliud est enim scire, DEUM posse quidquid non involvit contradictionem & aliud nosse: quidnam in particulari illam non involvat: ad 1. enim sufficit scire DEUM esse omnipotentem, quod cognosci potest naturæ viribus; ad 2. verò requiritur, ut res à fundo penetretur, ad quod sæpè non sufficit ratio naturalis.

Inst. 1. Potest intellectus Angelicus, imò & humanus solvere naturaliter omnia sophismata contra hujus mysterii possibilitatem allata: ergo cognoscere possibile.

Resp. Dist. Cons. cognoscere possibile negativè, id est sic ut ipsi de hoc mysterio cogitanti nulla appareat implicantia C. possibile positivè, id est sic, ut ipsi profundius cogitanti nulla prorsus apparere possit implicantia, N. licet enim solvat quis omnes implicantias contra scientiam aliquam propositas, sæpe tamen dubius est & incertus, an non sit alia implicantia sibi occultata: hocque accideret circa hoc mysterium intellectui sibi relicto.

Inst. 2. Intellectus non judicat hoc Mysterium impossibile: ergo judicat possibile.

Resp. Neg. Conseq Licet enim non detur medium inter possibile & impossibile: datur tamen inter judicare possibile, & judicare impossibile, nempe suspendere judicium: quod fit, dum non apparent rationes sufficientes ad determinandum judicium circa unum aut circa alterum.

Inst. 3. Miracula à Christo patrata possunt esse rationes sufficientes, ut judicet Angelus hoc mysterium esse possibile, cùm indicent ipsum non esse purum hominem.

Resp. Neg. Ant. Quia nullum patravit Christus miraculum quod non potuerit fieri per puram creaturam, si nempe Deus eam tanquàm instrumentum adhibere voluisset. Imo multa & similia prodigia patrarunt Sancti, quos tamen puros fuisse homines, nullus dubitat.

Inst. 4. Saltem accedente Christi testimonio dicentis se illa facere in suæ divinitatis confirmationem faciebant evidentiam hujus mysterii.

Resp Dist. Assumpt. Faciebant evidentiam credibilitatis, C. possibilitas, N. Nam possibilitas petitur ex natura rei, seu ex ipsius rei intrinsecis, quorum unum non repugnat alteri, non autem ex authoritate dicentis, unde petitur credibilitas.

Obj. 2. Potest Angelus evidenter cognoscere Christi humanitatem sua personalitate privatam: ergo & personalitatem Verbi subsistentem.

Resp. Dissimulato Ant. quod negari posset, nego cons quia cùm non possit naturaliter cognoscere personalitatem Divinam,

nam, nec illam cognoſcere poteſt, quatenus naturam humanam ſuſtentat: unde illo caſu potiùs crederet Deum ſibi occultare illius naturæ perſonalitatem, quàm illam ſubſiſtere perſonalitate Divina, cùm hoc non videatur fieri poſſe ſine informatione & compoſitione, quæ Deo repugnant.

Obj. 3. Poteſt Angelus unionem hypoſtaticam evidenter cognoſcere: ergo &c. Prob. Ant. ex Scoto 4. diſt. 10. q. 8. n. 12. ubi dicit quod Angelus, etiam malus, poſſit cognoſcere quodcumque intelligibile cauſatum, adeoque & myſteria gratiæ, ſi non impediatur.

Reſp. Neg. Ant. Quia non poteſt unionem illam evidenter cognoſcere, niſi evidenter cognoſcat illius extrema, jam autem licèt ſic cognoſcat Chriſti humanitatem, non autem Divinam, cùm ſit ſpeculum voluntarium ſeſe exhibens videndum, quibus vult, & quando vult. Præterea cùm illa unio ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, non poteſt à virtute naturali attingi, aliàs eſſet ſupernaturalis & non eſſet; unde licèt omne verum ſub adæquato intellectus objecto contineatur, ſunt tamen aliqua, in quæ non poteſt ferri niſi elevetur, aliàs etiam poſſet naturaliter Deum clarè cognoſcere.

Ad Scotum autem Reſp. quòd loquatur de intelligibilibus cauſatis, quæ non dicunt ordinem ad Deum tanquàm ad terminum aut partem, aut quaſi partem illorum entium aut myſteriorum, qualis eſt exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia, quam exiſtentiam ideo dicit ibidem cognoſci naturaliter poſſe ab Angelis & Beatis.

Inſt. Addit Doctor Subtilis inferius, quod Dæmon Incarnationem ignoraverit, quia fuit ipſi abſcondita, ne generis humani redemptionem impediret; ergo poterat naturaliter cognoſcere.

Reſp. Diſt. Conſeq. Ergo poterat naturaliter cognoſcere certò & evidenter, N. conjecturaliter ex ipſis Chriſti operibus & Prophetarum vaticiniis de Chriſto in Scriptura Sacra poſitis. C. Nec de alia ſcientia loquitur Evangeliſta, cùm dicit quod Chriſtus, *non ſinebat ea loqui, quia ſciebant*, nempe dæmones, *ipſum eſt Chriſtum*. Vel certè ſi de alia ſcientia loquatur, illam dæmones acquiſierant, non naturæ viribus, ſed revelatione ſibi ante lapſum facta.

Obj. 4. Conſtat ex variis Autoribus hoc myſterium à Gentibus fuiſſe cognitum: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Fuiſſe cognitum naturaliter, N. mediantibus oraculis, vel Sybillarum, vel Prophetarum, vel dæmonum, quibus forte illud ante lapſum fuerat revelatum vel etiam ex converſatione cum Hebræis, qui hoc myſterium edocti, totam ſpem in Chriſtum venturum ponebant, C. Porro inter Sybillas excelluit præſertim in hujus myſterii Vaticinio Sybilla Cumana, ut videre eſt in Auguſtino lib. 18. de Civit. c. 23.

CONCLUSIO II.

Etiam, ſuppoſita fide & revelatione, non poteſt Incarnatio ſola ratione evidenter probari, poteſt tamen veroſimiliter ſuaderi.

Prob. 1. pars; quia nec fides, nec revelatio ponunt in creaturis evidens aliquod Incarnationis veſtigium: ergo, cùm omnis cognitio naturalis, quam de hoc myſterio habere poſſumus, oriatur ex creaturis, non poteſt etiam ſuppoſita revelatione, evidenter probari ſola ratione.

Prob. 2. pars, 1. Si purum corpus poſſit uniri puro ſpiritui in unam natura humanam, quidni humanitas, quæ eſt ex parte ſpiritus uniri poſſet ſpiritui puriſſimo in unam perſonam 2. Si rami diverſæ naturæ in unam arborem coaleſcunt ratione inſitionis, cur natura humana & Divina uniri non poſſent in unum ſuppoſitum? 3. Natura Divina eſt una in tribus perſonis, ergo poteſt una perſona ſubſiſtere in duabus naturis. 4. Accidens, quod natum eſt exiſtere in alio, ſtat per ſe in Euchariſtia, ergo natura quæ nata eſt ſubſiſtere independenter ab alieno ſuppoſito, poteſt dependenter ab illo ſubſiſtere.

QUÆSTIO III.

Quomodo probari poſſit contra Judæos Meſſiam de facto veniſſe?

Veniſſe hominem illum, qui dictus eſt JESUS Nazarenus non dubitant Judæi, ſed ipſum fuiſſe Meſſiam in lege promiſſum, negant pertinaciter, contra quos ſit

CONCLUSIO UNICA.

JESUS Nazarenus, qui fuit vir potens opere & ſermone à Judæis crucifixus, fuit Meſſias, quem fruſtra etiam nunc præſtolantur Judæi.

Prob. 1. Ille eſt Meſſias, de quo, & in quo verificata ſunt omnia de Meſſia à Prophetis prædicta, atqui in JESU Nazareno hæc omnia verificata ſunt: ergo. Prob. Min. conceptus eſt ex Virgine, ut prædicitur Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet*. Natus eſt in Bethleem, ut Michææ. 5. *Bethleem Ephrata, ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael*: & quidem tempore, quo pax erat in univerſa terra, ut fusè Iſaiæ 2. Michææ 4. Zachariæ 9. *In terris viſus eſt cum hominibus converſatus*, ut Baruch. 13. Prædicavit, ut Iſaiæ 61. *Spiritus Domini ſuper me ..... ut prædicarem captivis indulgentiam*. Prodigia patravit, ut Iſaiæ 53. *Tunc aperientur oculi cæcorum & aures ſurdorum patebunt.* Ingreditur Jeruſalem ſuper aſinam, ut Zachariæ 3. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam*. Venditus eſt pro 30. denariis, ut Zachariæ 11. *Appenderunt mercedem meam 30. argenteos*. Cum latronibus ſuſpenſus eſt, ut Iſaiæ 53. *Cum ſceleratis deputatus eſt*. Ejus veſtimenta diviſa ſunt, ut Pſal. 21. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*. Ejus manus & pedes fuerunt perforati, ut ibid. *Foderunt manus meas & pedes meos*. Gloria illa ſepulchri prædicitur Iſaiæ 11. *Erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Illius Reſurrectio Pſal. 3. *Ego dormivi & ſoporatus ſum, & exſurrexi*. Ejus Aſcenſio pſal. 67. *Aſcendiſti in altum* &c. Idem eſt de aliis circa Meſſiam prophetatis: ergo JESUS NAZARENUS de facto fuit Meſſias, cùm de nullo alio excogitabili prædicta omnia verificari poſſint.

Prob. 2. Jacob moriturus prædicit filio ſuo, Sceptrum Judæ, ſeu Judæorum Principatum in ejus ſtirpe permanſurum uſque ad Meſſiæ adventum; ait enim Gen. 49. *Non auferetur Sceptrum de Juda & Dux de Femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*, atqui Principatus ablatus eſt à Judæis circa Chriſti tempora, dum ſcilicet Judæ Regnum Herodi Aſcalonitæ non Judeo, ſed Idumæo collatum eſt à Cæſare Auguſto conſentientibus & juramentum præſtantibus Judæis, ut refert Joſephus lib. 17. Antiquitatum c. 3. ergo Chriſtus eſt Meſſias; cùm de nullo alio hæc Prophetia verificari poſſit, attentis ſaltem aliis Prophetiis de Meſſia dictis, & in JESU Nazareno completis.

Dices 1. Rex & Regnum Judæ ceſſaverunt cum Jechonia: ergo vel illa Prophetia nulla eſt, vel diu ante Chriſtum adimpleta eſt.

R. Diſt. Ant. Rex & Regnum Judæ, id eſt, Sceptrum Regale & Majeſtas Regia ceſſaverunt cum Jechonia, C. id eſt, Sceptrum Ducale & poteſtas regendi, judicandi & leges ferendi, quod ſufficit ad Prophetiæ verificationem, N. Hæc enim manſerunt poſt Jechoniam in Zerobabel, tempore ſcilicet captivitatis Babylonicæ, & poſt captivitatem penes Pontifices, tum tempore Machabæorum, tum ante, tum etiam poſt: deinde in Judicibus & Concilio Sanhedrin. Porrò Concilium Sanhedrin conſtituebant 70. Seniores, quos ab initio Moyſes juſſu Dei aſſumpſit, ut ſimul cum illo Populum Iſraeliticum regerent, ut patet ex n. 10. Hi autem qui ad quatuor mortis genera damnare poterant (uſtulationem ſcilicet, ſtrangulationem, lapidationem & occiſionem) ſemper duraverunt in ſuis ſucceſſoribus (etiam tempore captivitatis Babylonicæ) uſque ad Herodem Aſcalonitam, qui juſſit illos interfici cum omnibus Regii Stemmatis Proceribus, totumque Senatum & Concilium Sanhedrin exauthoravit & extinxit.

Inſt. 1. Machabæi non erant Judæi: ergo illorum tempore ablatum erat Sceptrum de Juda.

Reſp. Diſt. Ant. Non erant Judæi ſecundùm lineam Paternam, C. ſecundùm Maternam N.

Inſt. 2. Vir & fœmina debebant eſſe ex eadem Tribu juxta illud num. 35. *Omnes viri ducent uxores de Tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient*: ergo &c.

Reſp. Quidquid fuerit de aliis Tribubus, licitum fuiſſe Tribui Judæ & Tribui Levi (ex qua erant Machabæi ſecundùm Patrem) ſimul inire matrimonia, ut refert Philo Judæus lib. 2. de Monarchia: unde Aaron primus Summus Pontifex qui erat de Tribu Levi, junctus eſt Elizabeth Filiæ Aminadab, qui erat Princeps Tribus Judæ Exodi 6. Præterea Lucæ 1. Maria dicitur cognata Elizabeth, hæc tamen erat de filiabus Aaron, illa de Tribu Judæ.

Inſt. 3. Maternum genus pro nullo habebatur apud Hebræos: ergo &c.

Reſp.

Resp. Dist. Ant. Pro nullo habebatur in ordine ad Genealogiam contexendam, transeat; nam Christus describitur quidem de Tribu Juda per Mariam, sed hoc inde factum est, quòd nullum cognosceret patrem secundùm carnem; & ideo dixi *transeat*. Pro nullo habebatur in ordine ad regendum, N. contrarium enim patet ex Regno Athaliæ, & ex Debora.

Dices 2. Ablatum est Sceptrum de Juda 20. annis ante Christi Nativitatem, quando scilicet regnare cœpit Herodes Ascalonita, qui regnavit 37. annis: ergo non stat Prophetia de JESU Nazareno.

Resp. Dist. Ant. Ablatum est inchoativè, sicut morti proximus dicitur mori, C. totaliter, N. licèt enim Judæ regnum ab Augusto collatum fuerit Herodi, sicque deficere cœperit ex hac parte Sceptrum de Juda; nihilominus cum Herodes Regnum consentientibus Judæis, obtinuerit, dici potest, quòd Sceptrum aliqualiter adhuc ab Ipsis dependeret; sicque foret Herodi quasi commodatum & non proprium, donec tandem nato jam dudum Christo, amotus est à Regno Archelaus dicti Herodis filius; Judæaque à Romanis in Provinciam redacta totaliter Sceptrum amisit, non habens alium Regem toto Christi tempore nisi Cæsarem, ut ipsimet Judæi Pilato dixerunt.

Prob. 3 Quæ Danielis 9. leguntur. Christi scilicet adventus, Sancti Sanctorum unctio, prophetiæ adimpletio, peccati deletio, adductio justitiæ, Christi mors, ejusdemque à populo suo negatio, & (quæ de solo JESU Nazareno intelligi possunt) erant intra 20. Hebdomades adimplenda: atqui constat 70. illas Hebdomades effluxisse jam pridem, ergo &c. Prob. Min Vel enim per hebdomadam intelligitur septimana dierum, vel mensium, vel annorum: non dierum, non mensium; cùm, ut fatentur ipsimet Judæi, plus temporis inter Danielis vaticinium & ejusdem terminum intercesserit: ergo annorum, quos constat etiam effluisse: quandoquidem, ut referunt historiæ, à Danielis vaticinio usque nunc non tantùm 70. hebdomades annorum, sed plusquam 300. præterierint, sive interim anni illi sint solares, sive lunares.

Dices 1. Messias futurus est dives, ut dicitur Isaiæ 6. atqui JESUS Nazarenus fuit pauperrimus: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Futurus est dives terrenis bonis, Neg. spiritualibus, C. & ideo hallucinantur Judæi, ingentem ab ipso auri, & argenti copiam expectantes, cùm nonnisi gloriæ & gratiæ divitias afferre debeat.

Dices 2. Dicitur Messias venturus cum majestate, quod non competit Mariæ Filio.

Resp. Dist. Assumptum: Dicitur Messias venturus cum majestate in secundo adventu, quando veniet judicaturus vivos & mortuos, C. in primo adventu, quando veniet ipsemet judicandus, N.

Dices 3. Messias erit in novissimis diebus, ut legitur Isaiæ 2. atqui JESUS Nazarenus jam dudum apparuit; ergo &c.

Resp. Totum tempus, quod à lege nova usque ad finem mundi intercedit, vocari à Scriptura novissimum, tum quia impletæ sunt in eo prophetiæ, tum quia post ipsum, nulla alia lex, nullus legislator nullius alius Religionis status succedet.

Dices 4. Circa Messiæ tempora *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*, Isaiæ 11. atqui hæc nondum advenerunt: ergo &c.

Resp. Neg. Min. Hæc enim acciderunt, quando Apostoli (qui in Evangelio ovibus comparantur) conversati sunt cum nationibus barbaris, quæ veniunt mysticè nomine luporum.

Inst. Contra solutiones antea datas, non est ratio, quòd quidam scripturæ passus intelligantur potiùs litteraliter de Messia, quàm alii: ergo vel omnes litteraliter, vel omnes mysticè sunt intelligendi.

Resp. Neg. Ant. Quia cùm Deus non possit mentiri, non potest una Prophetia de Messia adimpleri, quin adimpleatur altera; jam autem cùm plurimæ sint adimpletæ, ut evidenter patet ex dictis, debent & aliæ similiter fuisse adimpletæ; & ideo quæ in sensu litterali intelligi non possunt, mysticè sunt intelligendæ.

Dices 5. Cùm Judæis recentioribus. Principatus Judæorum etiam nunc in Civitate Babylonica perdurat: ergo signum est Messiam necdum advenisse.

Resp. Ant. Esse falsum cùm sint ubique sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, sine Sacerdotio, ità ut manifestè adimpleatur in ipsis Oseæ Prophetia c. 2.

QUÆSTIO IV.

An Incarnationis Mysterium fuerit ex omniparte conveniens?

SEnsus quæstionis est, an Incarnatio fuerit conveniens Deo, homini, secundæ Trinitatis personæ potiùs quàm alteri? Item an fuerit conveniens ex parte temporis, sexus, matris, & quòd fieret potiùs in natura humana, quàm Angelica?

CONCLUSIO I.

INcarnatio fuit conveniens Deo.

Prob. 1. Conveniens est Summo Bono se summè communicare, atqui Deus per Incarnationem se summè communicavit ad extra, ergo &c. Prob. maj. conveniens est bono se communicare; quandoquidem bonum ex natura sua sit sui diffusivum, ut patet ex Dionysio de Divinis Nominibus cap. 4 ergo summo bono (quale est Deus, qui est essentialiter bonus, imò & bonitas ipsa) convenit se summè communicare: nam quia competit calido calefacere, competit magis calido magis calefacere, & maximè calido maximè calefacere. Prob. Min Deus se communicat ad extra quatuor modis, in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ & hypostaticæ: in 1. Tantùm præbet dona quædam naturalia, ut essentiam, potentias &c. in 2. dat quædam dona supernaturalia sed creata, ut gratiam sanctificantem, gratias actuales &c. in 3 seipsum præbet, sed præcisè in esse *intelligibili*: in 4. autem, seipsum communicat verè, realiter & *entitativè*, humanæ naturæ suam conjungendo. Unde 1. communicatio facit hominem rationalem, 2. Sanctum, 3. Beatum, 4. Deum, ita ut dici possit: *homo est Deus, & Deus est homo*.

Prob. 2. Quia per Incarnationem maximè elucent divinæ perfectiones, 1. quidem Charitas & liberalitas; nam, si *probatio dilectionis, exhibitio est operis*, ut inquit Greg. hom. 30. ubi major dilectio & charitas, quam ubi quis dat seipsum totum & totaliter? 2. Sapientia, quæ per hoc opus adeo mirabile ita justitiam cum misericordia temperavit, ut verissimè dicatur Psal. 84. *Justitia & pax osculatæ sunt*. 3. Misericordia cùm non solum sine meritis nostris, sed etiam sine meritis ipsius-met hominis Christi tantum beneficium nobis contulerit: 4. Justitia, in quantùm Christus ratione carnis assumptæ plenè satisfecerit pro peccatis nostris: denique onnipotentia, quæ extra infinitè distantia connectit, summum scilicet cum nihilo, creatorem cum creatura, fortem cum debili, & sic de aliis.

Dices 1. Reperitur in Incarnatione prodigalitas: ergo non fuit conveniens Deo. Prob. Ant. Quia Christus flagella, mortem, opprobria &c. passus est, cùm posset genus humanum unico suspirio redimere.

Resp. Neg. Ant. Quia licèt plebejus facile possit esse prodigus, non ita facilè Rex aut Imperator; jam autem cùm Christus esset Regum maximus, illius donum non prodigalitatem, sed maximam ostendit liberalitatem.

Dices 2. Videtur etiam læsa justitia; cùm hic ab innocente satisfactio exigatur pro nocente.

Resp. Quod Christus licèt innocens factus fuerit spontaneè noster fidejussor, & ideo pœna peccatis nostris debita potuit ab ipso sine violatione justitiæ exigi.

Dices 3. Magis exaltata fuisset Dei bonitas, si nobis gratis peccata nostra remisisset.

Resp. Neg. Assumpt. Magis enim exaltavit Deus bonitatem suam nobis adhuc inimicis filium suum donando, quàm culpas gratis remittendo. Præterea sic melius servari videntur jura justitiæ.

Dices 4. Obscurata est & quasi fœdata Divina Majestas dum carni juncta est: ergo &c.

Resp. Neg. Ant. Sicut enim anima corpori fœdissimo unita nullo modo fœdatur & obscuratur, ita nec divinitas carni conjuncta, cùm nihil de sua eminentia & gloria perdiderit: unde Christus fuit quidem humiliatus secundùm humanitatem, non tamen secundùm Divinitatem; imò quando humiliabatur humanitas, ferè semper magis splendebat divinitas concipitur in carne, sed ex spiritu sancto: nascitur, sed de Virgine; jacet in stabulo, sed à Regibus adoratur: fugit in Ægyptum, sed ibi idola subvertit; vivit pauper, sed miracula patrat rapitur à militibus, sed prius eos prosternit; crucifigitur, sed terra concutitur; moritur, sed sol obscuratur; sepelitur, sed propria virtute resurgit, ut ait P. Contenson.

Dices

Dices 5. Si Incarnatio esset Deo conveniens, per eam accepisset novam perfectionem, quod Deo repugnat.

Resp. Neg. Assumpt. Quia licèt sit perfectio posse se communicare, quod Deo ab æterno competit, non tamen semper se actualiter communicare, quod Deo tantùm competit in tempore. Unde sicut sol non perficitur per illuminationem, sed bene aer illuminatus, ita Deus non perficitur se communicando per Incarnationem, sed tantùm natura, cui communicatur.

Dices 6. Si Incarnatio foret Deo conveniens, ejus carentia esset ipsi inconveniens, quod dici nequit.

Resp. Neg. Assumpt. Quia quando quis liber est ad agendum, vel non agendum, qualis est Deus in operationibus ad extra, cessatio ab opere non dicitur necessariò ei inconveniens: hocque patet in homine, cui propter libertatem, non dicitur inconveniens cessatio ab ambulatione. Aliud est de agente necessario, cùm per non actionem patiatur violentiam, ut patet in igne, qui impediretur divinitus calefacere.

CONCLUSIO II.

FUit etiam Incarnatio conveniens homini. Ratio est; quia, per illam fuit homo in multis reparatus, à dæmonis & peccati servitute liberatus, Christi verbis & exemplis viam cœli edoctus, pluribus donis supernaturalibus cumulatus; imò ipsa humanitas in Christo fuit per Incarnationem subsistentia infinité perfectiori terminata, Deo quasi consanguinea, ipsimet divinitati intimè conjuncta, cultu latriæ digna, & ut verbo absolvam, ita *prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam excelsa & summa subvectio ut quo attolleretur altius non haberet*.

Dices Christi humanitas per Incarnationem privata est propria subsistentia, ad quam appetitum habet naturalem: ergo non est ipsi conveniens.

Resp. Dist. Ant. Privata est propria subsistentia formaliter C. æquivalenter, N. nam cùm sit terminata persona divina eminenter continente omnem subsistentiæ creatæ & creabilis perfectionem, non censetur privata, nec appetitus ejus violentatus, sed magis satiatus.

CONCLUSIO III.

COnveniens fuit secundam Trinitatis personam incarnari, quàm alteram.

Ratio est quia decebat: 1. ut imago Dei per peccatum in homine fœdata, per imaginem Dei naturalem, nempe verbum Divinum, reformaretur: 2. ut filius naturalis filios adoptandos patri suo reconciliaret; 3. ut idem esset in tempore filius matris sine patre, qui ab æterno fuerat filius patris sine matre: 4. Ut vitaretur idiomatum confusio, nam si pater fuisset incarnatus, fuisset Pater & Filius, Pater respectu secundæ Trinitatis personæ, & filius respectu Virginis: si Spiritus Sanctus, duo fuissent in Trinitate filii: 5. ut eadem persona, quæ est media in Trinitate, mediatrix foret inter Deum & hominem. Fatendum tamen potuisse etiam Incarnari Patrem & Spiritum Sanctum, licèt revera non fuerint incarnati.

CONCLUSIO IV.

NOn conveniebat Incarnationem fieri in principio, aut in fine mundi, adeoque convenienter peracta est in plenitudine temporis.

Prob. prima pars, quia 1. si facta fuisset ab initio mundi, vix jam remaneret ullum fidei & Charitatis vestigium, ut colligimus ex eo quòd Fides & Charitas primitivæ Ecclesiæ, quæ à 17. circiter sæculis florebat, jam tantopere refriguerint, ut potiùs languescere, quàm vivere videantur. 2. Ut homo, qui superbiendo peccaverat, profundè humiliatus, magis cognosceret morbi sui gravitatem, naturæ fragilitatem, ac medici necessitatem: unde videns, quòd per legem naturæ & Moysis non posset salvari, suspiria, clamores, gemitus, preces, desideria pro obtinendo medico geminabat. 3. Ut paulatim homines per sacrificia, umbras, figuras & ceremonias legis naturæ & Mosaicæ, ad tanti beneficii receptionem disponerentur. 4. Ut ostendatur, quàm severè puniat peccata Deus, qui non obstantibus continuis vivorum suspiriis & clamoribus, ac mortuorum in limbo exulantium desideriis, tandiu venire distulit. 5. Ut hoc beneficium magis æstimaretur, quo enim res aliqua magis expetitur, eò magis obtenta æstimatur.

Dices 1. Si Christus citiùs venisset, plures fuissent salvati: ergo &c.

Resp. Hoc esse valde incertum; nam si forte plures fuissent salvati ab initio, propter recentia adhuc Christi exempla, & incalescentem quodammodo ejus sanguinem, plures forté fuissent in fine damnati, propter refrigescentem hominum Charitatem, nam quo magis homines sunt à Christi passione remoti, eo magis sunt tepidi.

Dices 2. Meliùs est infirmo citò medicinam præbere, quàm differre. Ergo convenientiùs peracta fuisset Incarnatio statim à lapsu Adami.

Resp. dist. Ant. Meliùs est aliquando, C. semper, N. sæpe enim medicus, attentis circumstantiarum opportunitate, ægroti complexione & morbi conditione, differt medicinam, quia videt tunc profuturam, quæ ab initio obfuisset, quod & fecit Deus prævidens medicinam suam (si citiùs dedisset) ab hominibus superbis forté contemnendam, aut parvi pendendam. Præterea non defuerunt ab initio lapsus medicamenta; nam ex Christi meritis prævisis fuerunt hominibus gratiæ auxilia oblata, quibus salvari potuerunt, & plurimi revera salvi facti sunt.

Prob. secunda pars, Quia si Incarnatio in fine mundi facta fuisset, vix ulli profuissent virtutum exempla nobis à Christo relicta: deinde pauci admodum salutem consecuti fuissent: nam, crescente in dies hominum malitia & ignorantia, fides pene fuisset extincta & spes desperata.

Restat ergo (& est 3. pars) ut convenienter facta fuerit in plenitudine temporum: quod non est physicé intelligendum, quasi verò tot restent anni post Incarnationem, quot anni ante illam effluxerunt; cùm hoc sit incertum, sed moraliter, in quantùm non est peracta in principio, aut in fine temporis: quo sensu dixit Abacuc c. 3. *in medio annorum notum facies*.

Ratio conclusionis est, quod sicut sol in medio planetarum collocatus lucem præbet superioribus & inferioribus; ita sol justitiæ Christus in medio temporum apparuit, ut homines anteriores per sui fidem & spem illuminaret, & posteriores suis exemplis, gratiis, ac Sacramentis justificaret.

CONCLUSIO V.

COnvenientius facta est Incarnatio in sexu virili, quàm in fœmineo; nam cum Christus venerit, ut virtutem doceret, vitia carperet, leges conderet Sacramenta institueret, decuit ipsum apud homines magnæ esse authoritatis, quæ potius viro quàm fœminæ competit.

CONCLUSIO VI.

ETiam convenienter carnem assumpsit Christus ex matre virgine, ut non tantùm ratione unionis hypostaticæ, sed etiam ratione viæ procedendi extraordinarie à peccato originali fieret immunis.

CONCLUSIO VII.

IN ordine ad reparationem generis humani convenientius fuit Christo assumere naturam humanam, quàm Angelicam: imo non ita convenienter fuisset reparata hæc potius quàm illa.

Prob. 1. pars; Quia licèt potuerit Verbum, mediante natura Angelica assumpta, genus humanum reparare, eliciendo actus infinité meritorios & satisfactorios; magis tamen expedire videtur, ut natura illa præferatur, cujus reparatio intenditur. Deinde si naturam Angelicam assumpsisset, nulla (utpote invisibilis) reliquisset nobis virtutum exempla. Prætereà quò magis se humiliavit, eò magis suam erga nos charitatem ostendit.

Prob. 2. pars 1. Quia videntur homines misericordia magis digni, quàm Angeli, cùm illi voluntate aliena (si Adamum & Evam exceperis) peccaverint, hi propria: illi Diabolo impellente, hi vero, saltem in eorum principe nemine suadente: illi essent ob carnem imbecilliores, hi utpote à carne liberi fortiores: illi non tot, tamque gravibus peccatis Deum offenderint, quàm hi, ut suo loco dicitur. 2. Quia naturam humanam assumendo totum mundum nobilitavit & quasi Deificavit: quod non fecisset, assumendo naturam Angelicam; homo enim habet aliquid commune cum omnibus creaturis, intelligere scilicet cum Angelis, sentire cum brutis, vegetare cum plantis, esse cum inanimatis. 3. Quia tota natura humana corruerat, non sic Angelica; quandoquidem multi cum Michaele in gratia perseveraverint; & sic potius illa, quàm hæc erat reparanda. 4. Quia poterat Angelorum ruina per homines ad cœlum evehendos reparari, & reipsa reparatur, cùm S. Pater Franciscus jam unius Seraphim locum occupet, hominum

autem ruina non poterat per aliam creaturam inferiorem reparari cum quælibet creatura homine inferior sit incapax beatitudinis.

QUÆSTIO V.

An necesse fuerit Deum incarnari?

CONCLUSIO I.

INcarnatio non fuit Deo simpliciter necessaria.

Prob. Deus est summè liber in operando ad extra; atqui Incarnatio, seu conjunctio humanitatis cum Verbo est operatio ad extra, ut patet: ergo &c.

Dixi *Simpliciter*: ex supposito enim quòd Deus illam decreverit, fuit necessaria, ne Deus dicatur mutabilis.

CONCLUSIO II.

INcarnatio, etiam supposito primi hominis peccato, non fuit Deo necessaria. Ita Scotus 3. dist. 20. q. unica, §. *ad istam*. Hæc sententia, licèt communis, videtur esse contra D. Anselmum, qui fere toto libro, *cur homo Deus*, docet supposita hominis creatione & voluntate Divina ipsius lapsum permittendi, necessariam fuisse incarnationem quamvis ejus probationes convenientiam ostendant, non necessitatem.

Prob. Concl. 1. ex Scriptura Sapientiæ 12. *Quis tibi imputabit, si perierint Nationes, quas tu fecisti?* Quasi dicat, cùm tu sis supremus & absolutus omnium Dominus, quis audebit te arguere, si lapsos homines à massa perditionis non liberaveris? Præterea nemo dixerit fieri ex necessitate, quod fit ex summa misericordia; atqui Incarnatio est opus summæ misericordiæ, ut patet ex multis Scripturæ locis & præsertim Joan. 3. ubi dicitur: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: ergo &c.

Prob. 2. Non minus est DEO libera Incarnatio, supposito hominis lapsu, quàm illo non supposito; sed absolutè loquendo Incarnatio est DEO libera, ut patet ex conclusione præcedenti: ergo & supposito hominis lapsu.

Prob. Maj. Quia nihil libertatis à Deo recedit, aut accedit propter hominum salutem, aut perditionem; cùm hæc impertinenter se habeant ad illam.

Prob. 3. Justissimè reliquit Deus Angelos lapsos in massa perditionis: ergo poterat etiam relinquere in ea homines, cùm hanc pœnam mererentur ob peccati originalis culpam.

Dices 1. Incarnatio est opus Dei perfectissimum ad extra, atqui Deus non potest non efficere quod est perfectissimum; ergo &c.

Resp. Neg. Min. Cùm enim Deus sit agens liberum ad extra, non tenetur facere quod perfectius aut perfectissimum est, aliàs debuisset Angelos, homines, bruta, plantas, & alias species perfectiores facere, cùm possit illas, saltem accidentaliter, meliorare.

Dices 2. Videtur Deo indecens opus manuum suarum, qualis est homo, velle privare suo fine, atqui suo fine privatus fuisset non posita Incarnatione: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Videtur Deo indecens &c. si homo id non mereatur, transeat. Si id meritus sit, v. g. per peccatum originale; N. nam dæmones ad Beatitudinem sicut homines creatos, propter lapsum, Beatitudine privavit.

Dices 2. Incarnatio est manifestativa gloriæ Dei: ergo &c.

Resp. Neg. Conf. quia manifestatio illa non fuit absolutè Deo necessaria; cùm ab æterno gloria illa caruerit.

CONCLUSIO III.

SUpposito quòd voluerit Deus hominem lapsum reparare, non fuit etiam necessaria Incarnatio.

Prob. 1. ex Augustino L. de agone Christi C. 11. *Sunt stulti qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem*: cui consonat Athanasius Serm. 3. contra Arianos. *poterat sine adductione Christi solummodo loqui Deus, & solvere maledictionem*.

Prob. 2. Quia non desunt Omnipotenti alia media, quibus hominem lapsum potuisset liberare: unde D. Bernardus Epist. 190. *Quis negat ad manum Omnipotentis fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, & liberationis?* potuisset ergo Deus hominem à peccati & diaboli servitute liberare, vel assumendo naturam Angelicam, vel à quolibet homine reo illam exigendo satisfactionem à Christi meritis independentem, cujus adimplendæ foret capax, sicut nunc exigit pro peccato actuali dependentem à Christi meritis: vel etiam Reis offensam gratis condonando, ipsisque conferendo gratiam, non ex meritis Christi, sed ex suo beneplacito.

Nec refert, quòd non possit judex gratis offensam aliquam remittere; quia ipsi incumbit satisfacere personæ læsæ, vel Reipublicæ, quàm administrat, vel Principi, cujus personam gerit: Deus autem, qui solus per hominis lapsum est læsus, quique nulli subditur, potest absque ulla cujuslibet injuria offensam condonare. Imo & id præstare posset judex humanus justa de causa, modo sit supremus, nec inde adveniat alteri injuria aliqua. Præterea condonare injuriam omnino bonum esset, si fieret ab homine particulari: ergo à fortiori, si fieret à Deo, qui solus hac in re læsus est.

Obj. 1. Cyrillum lib. 5. Thesauri c. 7. ubi ait, *quoniam imperfectum esse opus Dei non decuit, & non potuit aliter fieri, necessariò Deus factus est homo*.

Resp. Ipsum vel loqui de necessitate, quam habet Deus aliquid faciendi supposito quod decreverit, quam necessitatem Doctor Seraphicus, sic explicans D. Anselmum, vocat *immutabilitatis*: vel de necessitate morali, importante scilicet maximam convenientiam: quo sensu intelligendus est D. Ambrosius, dùm in caput 9. ad Hebræos sic loquitur, *tantam fuit peccatum nostrum, ut salvari non potuissemus aliquando, nisi unigenitus filius Dei pro nobis moreretur*: quandoquidem absolutè loquendo potuerit ad hoc sufficere unica Christi operatio v. g. Unicus Christi amor, unica gutta sanguinis, imò unica lacryma supposita illius Incarnatione, quæ non fuit magis necessaria, quàm ipsius mors: unde mortem ipsius fuisse tantùm decentiæ, & non necessitatis insinuat Apostolus ad Hebræos 2. v. 10. *decebat* inquit, *eum... qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari*.

Obj. 2. Cum D. Anselmo fuisset indecens, si Deus Angelorum lapsorum sedes non reparasset, atqui non potuerunt reparari sine Incarnatione: ergo &c.

Resp. Deum sine ulla indecentia potuisse relinquere illas vacuas (quod Angelorum malorum malitiæ, & non Dei negligentiæ aut nimiæ severitati fuisset imputandum) vel certè illas sine Incarnatione reparare aut creando Angelos æquè perfectos, aut perfectiores prioribus, aut lapsos ad pœnitentiam revocando, aut etiam creando novos homines tali modo, ut non haberent peccatum Adami &c.

QUÆSTIO VI.

An, Adamo non peccante, verbum Divinum fuisset Incarnatum?

SEnsus Quæstionis est, an Deus decreverit ab æterno Verbi Divini Incarnationem præcisè propter Adami peccatum in signo priori prævisum, ita ut illius lapsus reparatio fuerit unicum & totale motivum illam decernendi: an verò illam decreverit omnino independenter *ab illo peccato?*

Tres sunt circa hanc opinionem sententiæ 1. Docet Incarnationem fuisse ita decretam & factam occasione lapsus reparandi, ut illo non existente, nec extitisset Incarnatio. 2. Verò quidem fuisse decretam independenter à reparatione generis humani tanquam motivo non tamen independenter ab ipsa tanquam medio unico & necessario, per quod erat executioni mandanda. 3. Denique asserit primariò fuisse decretam propter Dei gloriam, ita ut Adamo non peccante, adhuc Verbum fuisset incarnatum.

3. Huic sententiæ subscribunt ultra Scotum & Scotistas Alensis, Albertus, Catharinus 2. Suarez, Lorca, Mendoza &c. 1. verò S. Thomas cum suis, qui tamen hac in re longè modestius loquitur quàm multi ex ejus sequacibus: nam in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. Ubi utramque sententiam refert, utriusque fundamenta perpendit, utriusque objectiones solvit; imo & nostram verè probabilem vocat, sic modestè de sua sententia loquitur. *Assertioni illi magis assentiendum videtur*. Sed antequàm difficultatem resolvamus.

Adverte 1. Ad faciliorem hujus mysterii intellectionem, quòd per ordinem ad modum nostrum concipiendi varia sint Decretorum Divinorum signa distinguenda, non quòd reipsa sint in Deo plura decreta, seu plures actus voluntatis, sicut in nobis, sed quia diversa sunt objecta ab ipso volita, à quibus diversis unicus & idem divinæ voluntatis actus dicitur multiplex nempe objectivè: in 1. itaque signo Deus se ut summum bonum intellexit & amavit: in 2. intellexit omnes creaturas ut possibiles: in 3. volens suæ virtutis ac bonitatis effusionem suorumque attributorum manifestationem, mundum hunc è Cælo, Terra, Hominibus, brutis &c. compositum ex infinitis possibilibus elegit creandum, ita tamen ut Christus tanquam omnium finis fuerit 1. in intentione, licèt non fuerit

fuerit. 1. in executione: in 4. prævidit Adami lapsum: in 5. quosdam prædestinavit ad gloriam, ac 1. Christum, circa alios se negativè habuit, nec prædestinando, nec reprobando positivè: in 6. cupiens Adami lapsum reparare, voluit ut Christus cujus Incarnatio in 3. signo decreta erat quoad substantiam, veniret in carne passibili. Licet autem in assignandis his signis ordinem, quem tenuit Scotus 3. dist. 19. q. unica n. 6. parùm immutaverimus propter dicenda in 1. sententiarum ubi ex Augustino manifestè ostendemus prædestinationem factam esse post prævisum Adami lapsum, cum ipso tamen in omnibus, quæ ex professo tractat, convenimus.

Adverte 2. Christum potuisse venire in carne vel passibili, vel impassibili. Si autem, Adamo non peccante, venisset, procul dubio in carne impassibili venisset: nam si non peccasset primus hominum parens, nec ipsimet ejus posteri passibiles fuissent, adeòque nec Christus. Supposito autem illius peccato, reipsa carnem passibilem assumpsit, & ideo antequam principalius resolvamus, sit

CONCLUSIO I.

DE facto venit Christus in carne passibili, ut genus humanum redimeret, ita ut hoc fuerit ratio unica, cur ità venerit. In hoc conveniunt omnes contra Abailiardum, qui teste D. Bernardo Epist. 190. ausus est dicere Christi Incarnationem nihil nobis profuisse ad Redemptionem, sed solùm ad doctrinam & exemplum.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 18. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat*. Et 1. ad Timoth 5. *Venit Jesus peccatores salvos facere.*

Prob. 2. Ex PP. Irenæo lib. 5. cap. 14. adversus Hæreses. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Caro factum esset*. Athanasio Serm. 3. contra Arianos: *Sublatà nostrà indigentià, carnem non induisset Dei Verbum*.

Ambrosio lib De Incarnatione c. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Nazianzeno orat. 36. *Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa exititit; Profectò ut nobis salus pararetur* Augustino serm. 8. de Verbis Apostoli: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset*.

Prob. 3. Ratione: quia nec ex Scriptura, nec ex Patribus aut Conciliis, nec aliunde adferri potest alia ratio, cur Christus passibilis venerit, nisi ut nos redimeret.

CONCLUSIO II.

NOn fuit decreta Incarnatio dependenter à peccato primi parentis tanquam medio unico, & ad ejus executionem necessario, ut volunt 2. Sententiæ assertores.

Prob. 1. Quia licèt multùm extollat Dei bonitatem & charitatem, quod Incarnationem decreverit propter generis humani redemptionem; nullam tamen ejus perfectionem videtur extollere, imò potiùs Deum deprimere, quod peccati permissionem assumat tanquam medium ad Incarnationis execurionem, cùm plurima ipsi suppetant media nobilissima, & peccati permissionem quasi velit ad duritiam cordis, & tantùm ex supposito, quòd velit creatura peccare.

Prob. 2. Ordinate agens non vult culpam propter pœnam, aut morbum proptet medicinam, sed è contra; atqui, si Deus decrevisset Incarnationem dependenter à peccato tanquam medio, voluisset culpam propter pœnam, & morbum propter medicinam: ergo &c.

Deinde si peccatum esset medium necessarium ad Incarnationem, ut volunt Adversarii, sequeretur, quòd Deus non existente peccato, non potuisset incarnari, cùm tamen circa hoc sit liberrimus.

CONCLUSIO III.

DEcreta fuit Incarnatio quoad substantiam ante prævisionem peccati, & independenter à reparatione generis humani, ità ut Adamo, non peccante, adhuc venisset Christus, non quidem in carne passibili, & ut redemptor; sed in carne impassibili, & ut nos justificaret, glorificaret, & naturam nostram dignificaret. Ità Scotus 3. dist. 7. §. *Sed hic sunt*; & alibi cum Scotistis communiter, & aliis antea citatis.

Prob. 1. Ex Script. quæ Proverbior. 8. loquens de Christo seu de Sapientia Incarnata, secundùm Clementem Romanum, Basilium, Athanasium, Nazianzenum, Cyrillum Alexandrinum, Chrysostomum, Hilarium, Ambrosium, Augustinum (ut fatentur Suares, Vicentius, Gonet & alii) sic habet; *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, ubi Septuaginta legunt, *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Ex quo sic formo argumentum.

Incarnatio fuit primum opus Dei ad extra, cùm sit initium viarum illius; atqui non fuit primum in tempore, seu in executione; cùm Christus in medio temporum fuerit natus: ergo fuit primum ab æterno, seu in intentione: ergo ulteriùs Incarnatio ante prævisionem peccati fuit decreta, ac proinde independenter ab ipso; quandoquidem ratio, seu occasio decernendi debeat præcedere decretum in mente decernentis.

Confirmatur ex illo Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*, quod de Christo Domino intelligit Concilium Sardicense in Epist. ad omnes Episcopos. Item ex illo ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, similiter de Christo Domino ut homine intelligitur à Patribus: imò talis esse videtur mens ipsiusmet Apostoli, cùm paulò post addat: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*; quam dignitatem possidet Christus secundùm naturam visibilem, seu quatenus homo; atqui non est primogenitus tempore, cùm mille & milliones hominum ipsum præcesserint: ergo in Dei intentione, adeoque priùs decretus, quàm sit decreta & prævisa peccati permissio; cùm Deus non possit hominum peccatum permittere & illud præscire, nisi habeat voluntatem ipsos producendi.

Dices cum aliquibus textum Proverbiorum 8. intelligi de sapientia increata.

℟. Hoc non posse dici; aliàs esset sapientia creata & increata: increata, ut supponitur, & creata, cùm dicatur ibid. Dominus creavit me, juxta versionem septuaginta.

Dices cum Vasquez fieri ibi mentionem de sapientia in genere, abstrahendo à creata & increata. Sed

Contra est, quòd sapientia in genere nihil sit reale, & consequenter non possit creari; cùm terminus creationis sit quid positivum.

Dices cum aliis Christum non dici initium omnium viarum Domini, sed tantùm viarum redemptionis & prædicationis Evangelicæ.

Resp. Contrarium colligi ex sequentibus: additur enim, quòd fuerit antequam foret terra, abyssi, fontes, colles &c. & consequenter quòd non tantùm fuerit initium operum redemptionis, sed etiam creationis.

Dices cum Platel. ex prædicto textu tantùm haberi, quòd Christus fuerit decretus antequam mundus de facto fuisset, non autem antequam decernerentur creaturæ; sed

Contra est, quòd Scriptura hic aliquid attribuat Christo, quod non attribuit aliis creaturis: quod non faceret, si vera esset objectio; cùm quælibet creatura, etiam vilissima, ante mundum conditum decreta fuerit.

Dices cum Contenson Christum dici initium viarum Domini primatu dignitatis non prioritate voluntatis; sed

Contra est quòd non dicatur simpliciter ante colles, terram, fontes &c. quod posset sonare primatum dignitatis, sed antequam Deus illa faceret, seu facere decerneret; quod sonat verè & propriè voluntatis prioritatem, & nullo modo dignitatis.

Dices cum Gonet: licèt Christus sit prior in mente Divina omnibus creaturis, adeoque prævisione peccati in ratione finis *qui* seu *cujus*; est tamen prius Christo genus humanum redimendum in ratione finis *cui*. Ante solutionem

Adverte finem qui seu cujus secundùm ipsum, esse illud bonum, quod appetitur, & cujus gratia media ponuntur: finem autem *cui*, esse illud, cui, vel propter quod bonum illud appetitur. Sicut quando infirmus sumit pharmaca, finis *cujus* illius sumptionis est sanitas; quia illius causa pharmaca sumuntur; finis autem *cui* est ipse infirmus, qui sibi sanitatem desiderat. Unde vult in nostro casu Christum esse finem *cujus* omnium creaturarum, quia est bonum illud; cujus gratia vult Deus omnes creaturas; genus autem humanum redimendum esse finem *cui*, quia illud est, cui tanquam utilis appetitur Christus. Hoc notato

Resp. Quòd genus humanum redimendum non sit finis, cui appetitur Christus simpliciter, cùm Christus ut sic non habeat rationem medicinæ, sed finis cui appetitur Christus ut passibilis, & sic stat, quòd licèt Christus ut passibilis sit posterior genere humano redimendo, sit tamen illo prior secundùm substantiam consideratus. Ex quo sequitur, quòd licèt non debuisset venire Christus ut passibilis, si genus humanum non fuisset redimendum, debuisset tamen venire alio modo, quandoquidem, ut fatetur ipsemet Gonet, esset efficaciter intentus ante prævisionem peccati: imò esset implicantia, si in supposito non venisset, nam fuisset efficaciter intentus independenter à peccato, ut supponit Gonet, quando asserit Christum esse absolutè decretum ante omnem creaturam,

& non fuisset intentus independenter ab illo, quandoquidem illo non existente, non extitisset Christus.

Prob. 2. Ex PP. Ruperto lib. 13. de Gloria Filii hominis. *Ipse causam necessariam non habuit ipsum peccatum, ut homo fieret ex hominibus*. Cyrillo lib. 5. Thesauri: *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei*: ergo si ante omnes homines decretus fuit Christus, à fortiori ante prævisionem peccati: imò postea subdit *Creator noster Christum salutis nostræ fundamentum etiam ante initium mundi formavit, ut si prævaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur*: adeòque supponit formatum fuisse Christum in intentione Divina, antequam prævideretur peccatum; aliàs non dixisset: *ut si prævaricatione caderemus*; quando quidem modus ille loquendi sonet casum necdum esse prævisum. Irenæo, qui lib. 5. contra hæreses c. 14. docet, quòd priùs fuerit in intentione Dei *salvans*, nempe Christus, quàm *salvandi*, nempe homines. Tertulliano, qui illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram* intelligit ad imaginem Verbi Incarnati; & sic priùs fuit Christus in intentione SS. Trinitatis quàm Adamus, ejusque peccati permissio. Huic conformis est Nyssenus in testim. contra Judæos, ubi sic habet: *Ad imaginem quidem Divinitatis nuda anima, ad similitudinem Incarnationis Verbi; istud animæ nostræ corporisque compositum*.

Prob. 3. Ex Symbolo fidei, ubi legitur: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis*, ubi duæ adferuntur causæ adventus Christi in carne, 1. scilicet *propter nos homines* nobilitandos, dignificandos & glorificandos; quod erat decretum ... fuit, præviso Adami peccato.

Prob. 4. *Nostræ justificationis causa finalis est gloria Dei & Christi*, ut ait Trident. sess. 6. c. 7. atqui ordinatè volens, qualis est Deus, priùs vult finem, quàm ea quæ ad finem ordinantur; ergo prius voluit Deus Christi gloriam, adeoque ipsum Christum, quam vellet justificationem nostram.

Resp. Platel. tantùm ibi mentionem fieri de gloria Christi accidentali, non essentiali, sed

Contra est, quòd gloria essentialis præsupponatur accidentali; adeoque si Deus prius voluit Christi gloriam accidentalem, prius & voluit essentialem.

Prob. 5. Deus non plus dilexit genus humanum lapsum, quam Christum; atqui si voluisset ipsum Christum propter genus humanum redimendum, plus dilexisset genus humanum lapsum, quàm Christum, quandoquidem plus diligatur finis, quàm medium, v. g. plus Sanitas, quam medicina, ergo &c.

Prob. 6. *Inconveniens est dicere, quod aliquid fit propter vilius se*, inquit D. Thomas in 2. dist. 15. q. a. 1. quia, ut ait Nazianzenus orat. 3. Theologica, *Quidquid alicujus rei causa factum est; abjectius est eo, propter quod factum est*; atqui si Incarnatio quoad substantiam foret propter hominem redimendum, esset propter vilius se, quandoquidem omnes prædestinati simul, juxta eundem Doctorem Angelicum 1. p. q. 20. a. 4. minoris sint valoris, quàm Christus & ejus gloria: ergo &c. Unde

Cyrillus lib. 5. thesauri c. 3. contra Arianos, qui volebant filium propter nos esse factum, sic argumentatur: *si propter nos factus est filius, & non propter filium nos, erimus nos ipso multo præstantiores*.

Prob. 7. Juxta Augustinum lib. 14. de civitate Dei c. 23. non fuit necessarium peccatum, ut sancti nascerentur, & fieret hominum generatio: ergo nec à fortiori ut hominum caput, & sanctus sanctorum Christus nasceretur.

Prob. Denique; quia si præcisè ratione nostri decreta esset Incarnatio, potius deberet Christus gratias nobis agere, quàm nos illi, ut infert Cyrillus lib. 5. thesauri cap. 3. ubi sic loquitur, *cur ergo nobis gratiam non aget, qui propter nos est?*

OBJECTIONUM SOLUTIO.

OBj. 1. Eo modo decrevit Deus ab æterno Incarnationem, sicut peracta est in tempore; atqui peracta est, ut salvarentur peccatores; ut patet ex scriptura & Patribus Conclusione prima allegatis: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Eo modo decrevit Deus ab æterno Incarnationem pro signo subsequente prævisionem peccati, sicut peracta est in tempore C. pro signo illam precedente, N. nam pro signo priori illam decreverat propter gloriam suam, in signo autem posteriori, decrevit etiam, ut fieret ob generis humani redemptionem.

Inst. 1. *Non possunt diversa illa signa circa Incarnationis decretum admitti in Deo*. ergo &c.

Prob. Ant. Quia Incarnationem, quam Deus in signo peccati prævisionem subsequente decrevit in carne passibili, debuisset in signo illam præcedente decernere in carne impassibili; cùm tunc nulla esset ratio, cur Christus carnem passibilem assumeret; atqui implicat, ut quod Deus decrevit in carne impassibili, decernat postea in carne passibili: ergo &c.

Resp. Neg. Maj. In signo enim priori illam decrevit abstrahendo à carne passibili & impassibili in actu 2. & sic potuit illam decernere postea in carne passibili absque ullo inconvenienti.

Advertendum, nos hic loqui de carne passibili in actu 2. seu velle Deum, qui in signo priori decreverat Christum passibilem in actu 1. quia ipsum decreverat hominem, quatuor humoribus compositum, decrevisse in signo posteriori passibilem in actu 2. seu ut de facto pateretur.

Inst. 2. Non potest Deus velle efficaciter Incarnationem abstrahendo à carne passibili & impassibili: ergo &c. Prob. Ant. Actus divinæ voluntatis efficax respicit rem cum omnibus modis & circumstantiis, cum quibus ponenda est à parte rei; atqui implicat ut reipsa ponatur Incarnatio abstrahendo à carne passibili & impassibili. Ergo &c.

Resp. Neg. Ant. & ejus Prob. Si enim potest homo velle efficaciter solvere 1000. florenos, abstrahendo, utrum sit soluturus in moneta aurea & argentea, si utramque habeat: quidni posset Deus similiter in nostro casu?

Inst. 3 Modus ille volendi multiplicat in Deo decreta sine necessitate, nam quòd semel voluit abstrahendo à circumstantiis, debet postea velle cum tali circumstantia, quam potuisset velle in 1. volitione.

Resp. Neg. Ant Deus enim justa de causa sic processit: cùm enim Christus esset finis creaturarum, saltem mediatus juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei*, decrevit illum ante omnes creaturas, abstraxit autem à modo quo foret venturus propter decernenda in signis posterioribus: sicut in volitione conditionata salvandi omnes homines, si bene vivant, non determinavit quos absolutè vellet salvare, licèt postea secundùm nostrum concipiendi modum id determinaverit.

Inst. 4 Nullum reperitur in Scripturis, aut Patribus vestigium duplicis illius decreti; imò expressissimè unicum Patres agnoscunt, cum simpliciter dicant, *si Adam non peccasset, Christus non venisset*.

Resp. Neg. Assumpt. Cùm enim ex una parte Scriptura dicat ipsum venisse, ut salvaret peccatores; & ex alia parte ipsum esse primogenitum omnis creaturæ, duplex decretum debet admittere, unum ante prævisionem peccati & aliud post; Patres autem nihil aliud volunt, quam quòd, secluso Adami peccato, Christus non venisset, sicut reipsa venit, id est, in carne passibili, seu tanquam medicus & salvator, non negando quod venisset in carne impassibili.

Inst. 5. Ista explicatio est à mente Patrum aliena, eosque facit mendaces: nam sicut mentiretur, qui diceret *Petrus non venit*, quia non venit vestitus, ita & ille, qui diceret, *Christus non venisset*, quia non venisset passibilis.

Resp. Quòd, sicut Christus non fuit mentitus, quando Joannis 7. dixit, *Ego autem non ascendo ad diem festum istum*, licet ascenderit postea; ita nec Patres in nostro casu nam sicut circumstantiis colligi poterat, quòd Christus tantum nec ascendere publicè, bene tamen occultè, ita ex subjecta materia colligimus Patres tantùm velle, quòd non venisset ut pateretur & moreretur: Unde August. serm. 9. de Verbis Apostoli. *Tolle morbos & vulnera, & nulla est causa medicinæ*. Jam autem Christus non fuit medicina præcisè, quia venit, sed quia venit pati, & ideo quando dicit *nulla est causa medicinæ* implicitè asserit: non est causa cur Christus veniat pati: quod ultro fatemur, imò explicatio nostra videtur necessaria, ut concilientur Patrum sententiæ: nam si dicerent simpliciter, quòd Christus, Adamo non peccante, nullo modo venisset, sibi contradicerent: quandoquidem asserentes ipsimet sapientiam Incarnatam esse initium viarum Domini, seu esse decretam ante omnem creaturam, adeoque independenter à peccato, etiam fateri debeant Incarnationem independenter à peccato fore peragendam, quod enim independenter ab aliquo decretum est, independenter ab illo ponendum est: unde quando loquuntur de Incarnatione independenter à peccato, loquuntur de illa secundum substantiam, quando autem dependenter à peccato, loquuntur de illa secundum circumstantiam carnis passibilis.

Ad Confirmationem autem lata disparitas est inter eum qui diceret, *Petrus non venit*, quia non venit vestitus, & inter Patres dicentes, *Christus non venisset*; quia non venisset passibilis; nam prior propositio nullum habet sensum verum in circumstantiis consignificantibus, secus posterior, ut patet ex jam dictis.

Inst.

Inst. 9. Ante prævisionem peccati, tantùm erat decreta Incarnatio secundùm substantiam, id est, abstrahendo à carne passibili & impassibili, atqui Incarnatio sic sumpta non potest poni à parte rei, ergo, Adamo non peccante, non fuisset Incarnatio.

Resp. Dist. Maj. Abstrahendo à carne passibili & impassibili in actu 1. N. sic enim decreverat ipsum passibilem; quandoquidem decrevisset hominem talem, qualis erat Adam ante lapsum, qui ex intrinsecis suis erat passibilis. Abstrahendo à carne possibili vel impassibili in actu 2. seu abstrahendo, an de facto pateretur, nec ne C. sed N. conseq.

Inst. 6. Homo est intrinsecè passibilis, cum sit compositus ex quatuor qualitatibus contrariis: ergo non potuit decerni Verbi Divini Incarnatio secundum carnem impassibilem.

Ref. Dist. Conf. Secundùm carnem impassibilem ab intrinseco, transeat; secundùm carnem Impassibilem ex privilegio, seu ex lege, corporis humores ac qualitate attemperante; N. tali siquidem impassibilitate fruebatur Adamus antequam peccaret.

QUÆSTIO VII.

Ad quæ peccata delenda venit Christus passibilis?

CONCLUSIO I.

De facto venit Christus ut passibilis ad delenda omnia peccata, licèt principalius venerit propter Originale, quàm propter actuale.

Prob. 1. Pars ex Scriptura 1. Joan. 1. *Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, & ad Titum 2. *dedit semetipsum pro nobis at nos redimeret ab omni iniquitate*. 2. ex D. Ambrosio in Ps. 35. *Bonum aurum est sanguis Christi, dives ad pretium, profluens ad lavandum omne peccatum*. 3. Ratione, quia venit Christus ut nobis cœli aditum pateficeret, atqui quod libet peccatum sive originale sive actuale nobis occludit cœli aditum: ergo venit, ut omnia peccata deleret, saltem mortalia; imo etiam revera venisse ad deletionem venialium insinuant scripturæ præfatæ universaliter loquentes. Fatemur tamen, quod, existentibus solis venialibus, non venisset Christus ut salvator, quandoquidem non destruant illa amicitiam cum Deo, ob quam reparandam taliter venit.

Nec refert quòd Christi adventus in carne passibilis fuerit determinatus post prævisionem solius originalis, adeoque antequam præviderentur actualia; quia eo ipso, quo intendit Deus eripere totaliter hominem ex dæmonis servitute, intendit & liberare à peccatis actualibus, si sequerentur. Præterea etiamsi post decretam Christi mortem prævideri actualia: pro ipsis tamen posteà prævisis illam acceptavit: sicque etiam pro illis delendis venit Christus.

Prob. 2. Pars. Ideo venit Christus in carne passibili, ut hominis perditi salutem procuraret; atqui ex omnibus peccatis nullum magis repugnat humanæ saluti, quàm originale: ergo præsertim ad illius destructionem venit ut passibilis. Prob. min. quia ultra quòd sit velut fons radix & caput reliquorum peccatorum, universam inficit hominum naturam, si Christum ut hominem, ejusque matrem exceperis. Ergo &c.

Dices 1. Peccatum actuale gravius est originali: ergo potiùs venit actuale deleturus, quàm orginale. Prob. ant. quia originale saltem in Adæ posteris minus est voluntarium.

Resp. Dist. Ant. peccatum actuale gravius est intensivè, quia magis voluntarium; C. est gravius extensivè, N. actuale enim personam particularem afficit, originale autem universum genus humanum.

Replicabis: omnia Peccata actualis commissa & committenda quasi infinities superant malitiam peccati originalis, cùm sint innumera; ergo &c.

Ref. Dist. Ant. Quasi infinities superant &c. si originale spectetur præcisè secundùm suam malitiam originalem C. si spectetur, ut est radix omnium actualium. N. ut sic enim ultra malitiam propriam, suo modo participat malitiam omnium actualium.

Dices 2. Magis satisfecit Christus pro peccato actuali, quàm pro originali, quandoquidem subierit pœnam sensus peccato actuali debitam, & non pœnam damni, quæ debetur originali: ergo principaliter ad delendum actuale venit.

Res. Pœnam sensus etiam deberi peccato originali in hac vita, & sic malè deducitur magis satisfecisse pro actuali, quàm pro originali.

DISPUTATIO II.

De actione incarnativa, secundùm se, ejusque Principio & termino.

QUÆSTIO I.

Quid sit actio Incarnativa, & an distinguatur à creatione animæ & humanitatis productione.

Quæritur hic 1. Quid sit actio illa, per quam accipit esse Mysterium Incarnationis, seu persona illa, quæ dicitur Christus, vel Deus-homo? 2. An actio præfata sit etiam creativa animæ Christi & productiva humanitatis ejusdem?

CONCLUSIO I.

Actio Incarnativa est actio transiens, qua Deus naturam humanam conjunxit cum Verbo, seu, quod idem est, unitio seu actio unitiva humanitatis cum persona verbi.

Prob. Illa actio est incarnativa, per quam ponitur in esse Mysterium Incarnationis; atqui per actionem unitivam humanitatis cum verbo, ponitur in esse mysterium illud, & illa seclusa, ut ponitur: ergo &c.

Porrò notandum est hoc esse discrimen inter unitionem & unionem, quòd unitio sit transiens, unio permanens: hæc sit in composito, illa non: quòd unitio sit actio, qua immediatè producitur unio; ipsa autem unio sit terminus proximus & immediatus per illam unitionem productus: unde unitio dici potest unio in fieri, ejus autem terminus unio in facto esse.

CONCLUSIO II.

Actio Incarnativa non est creativa animæ Christi. Est contra Contenson & quosdam alios Thomistas.

Prob. 1. Idem non potest esse productio rei ex nihilo & productio rei ex aliquo, atqui si actio Incarnativa esset creativa animæ Christi, idem esset productio rei ex nihilo, & productio rei ex aliquo: ergo &c. Prob. maj. quia per hoc præcisè differunt realiter eductio & creatio, quòd hæc sit ex nihilo, illa ex aliquo. Prob. etiam min. quia anima Christi facta est ex nihilo, sicut anima nostra, nam, ut ait Augustinus Ep. 99. *Ità sibi creavit animam Dei filius, ut cæteris creat*; unio autem per actionem incarnativam producta facta est ex aliquo subjecti, nempe ex humanitate, in qua recipitur, & quam denominat unitam.

Prob. 2. Prius est natura animam Christi esse creatam, quàm uniri verbo, quandoquidem unio sit rerum existentium: ergo prior est saltem natura actio creativa animæ Christi, quàm sit actio unitiva humanitatis cum Verbo, & consequenter non est eadem, cùm aliquid non possit esse prius seipso. Præterea actio Incarnativa est maximè supernaturalis, creatio autem animæ Christi purè naturalis: unde prima Deum habet ut authorem gratiæ: secunda ut authorem naturæ.

CONCLUSIO III.

Actio Incarnativa non est etiam productiva humanitatis Christi. Est contra Authores conclusione præcedenti citatos: qui volunt una & eadem actione creari animam Christi, illius humanitatem produci, & naturam humanam Verbo uniri.

Prob. 1. Ubi diversitas terminorum, ibi diversitas actionum, cùm hæ specificentur ab illis, atqui actio incarnativa & productio humanitatis diversos habent terminos, illa quidem unionem hypostaticam, hæc verò humanitatem: ergo &c.

Prob. 2. Quod assumitur assumptioni præsupponitur saltem natura, ut docet S. Thom. hic q. 4. a. 20. atqui humanitas Christi assumitur: ergo assumptioni seu actioni incarnativæ præsupponitur. Et certè quomodo potest assumi id, quod dum actualiter assumitur, tantum est in fieri? Cum per ipsammet assumptionem accipiat esse. Præterea productio humanitatis Christi est purè naturalis, actio autem incarnativa omnino supernaturalis: hanc nullo modo attigit B. Virgo, nequidem ut causa instrumentalis, ad illam autem concurrit etiam ut causa principalis.

Obji. Fulgentius lib. de Incarnatione Christi c. 3. ait: una quippe fuit Mariæ Virginis Conceptio Divinitatis & carnis, quasi diceret, unica actione fuit Christi caro facta & unita Verbo.

Resp. Dist. Assumpt. Una fuit conceptio quoad entitatem N. quoad tempus, id est, eodem instanti reali fuit humanitas producta & unita verbo; C. nec plus intendit D. Fulgentius, ut patet ex contextu: unde paulò ante dixerat non est igitur aliquod intervallum temporis existimandum inter conceptæ carnis initium & conceptæ majestatis adventum.

Inst. 1. Natura humana ipsa assumptione producta est ut patet ex D. Leone Epist. 11. ad Julianum, ubi ait; natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur: ergo eadem fuit actio quoad entitatem.

Resp. Dist. Ant. natura humana ipsa assumptione producta est quoad esse essentiæ & existentiæ, N. illud enim esse præsupponitur assumptioni. Quoad esse subsistentiæ, in quantum, mediante assumptione subsistit subsistentia verbi, C. vel certè, si loquatur S. Leo de natura humana quoad esse essentiæ & existentiæ, dicendum est tantum velle concomitantiam inter productionem, & assumptionem, non verò identitatem.

Inst. 2. Christi humanitas non habet aliud esse, quàm Divinum, atqui tale esse accepit per assumptionem; ergo & esse existentiæ.

Resp. Neg. Maj. Quia licèt humanitas subsistat subsistentia Divina, existit tamen existentia propria, quidquid dicant Thomistæ.

Inst. Si Christi humanitas non existeret existentia Divina, B. Virgo non diceretur mater Dei.

Resp. Neg. Assumpt. Quia non dicitur mater Dei, eò quòd produxerit humanitatem existentem existentia Divina, sed ex eo quòd eodem instanti reali, quo illam produxit, à Verbo Divino assumpta sit, à quo complementum accepit: vel etiam dicitur mater Dei, quia mater est hominis illius, qui est Deus.

QUÆSTIO II.

Quisnam sit Principium actionis Incarnativæ & unionis ab ea productæ?

CONCLUSIO I.

NUlla creatura potuit esse causa efficiens principalis actionis incarnativa, aut unionis ab ea producta: Ita DD. communiter.

Prob. vel enim hoc fecisset creatura virtute naturali vel supernaturali, atqui neutrum dici potest: ergo &c.

Prob. Min. Non primum, quia si quis virtute naturali naturam humanam Divinæ conjungeret, homo esset naturaliter Deus, quod nemo cogitaverit: non etiam secundum: quia quamcumque dederit Deus virtutem creaturæ, semper erit insufficiens ad productionem unionis hypostaticæ, cum hæc, utpote faciens, quod homo sit Deus, longè superet quodcumque aliud donum supernaturale.

CONCLUSIO II.

NUlla etiam extitit creatura; quæ fuerit aut esse potuerit causa instrumentalis unionis hypostaticæ, aut actionis incarnativæ, adeoque nec B. Virgo.

Prob. Quia nulla causa instrumentalis potest concurrere ad aliquem effectum; nisi respectu illius habeat virtutem inchoatam; atqui nulla creatura habuit virtutem inchoatam ad producendam unionem hypostaticam, quandoquidem nulla sit ratio cur Deus hoc concesserit creaturæ: ergo &c.

An autem possit Deus producere talem creaturam, cui hoc competeret, videtur probabilius quod sic, quia potest Deus uti quolibet instrumento, ad quemlibet effectum possibilem, saltem si habeat ad hoc virtutem inchoatam, quam potuit concedere Deus creaturæ respectu unionis hypostaticæ, quia in hoc nulla videtur implicantia.

Dices contra Conclusionem, potest Deus producere creaturam cum potentia inchoata ad productionem unionis hypostaticæ, ut jam dictum est: ergo talem creavit B. Virginem, cùm non debeamus ei denegare, quod potuit Deus ei concedere: ergo vel de facto fuit causa instrumentalis respecto unionis hypostaticæ, vel saltem esse potuit.

Resp. Nego primam Conseq. adeoque & secundam. Et certè quandoquidem non concesserit Deus B. Virgini esse causam instrumentalem omnis gratiæ resurrectionis Christi, omnium miraculorum ab ipso patratorum & nec concessit esse instrumentum ad productionem unionis præfatæ, cùm, hoc secluso, adhuc stet quòd sit verè & proprie mater Dei ob quod conceditur illi virtus ista ab aliquibus magis pietate, quam ratione ductis.

Inst. 1. Hanc virtutem tribuit ei D. Ambrosius epist. 82. ubi ait, *Per virum autem & mulierem caro ejecta de Paradiso & per Virginem juncta est Deo*: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Tribuit illi hanc virtutem dispositivè, in quantùm concepit & genuit humanitatem, quæ postea unita est Verbo, C. formaliter, quasi revera carnem junxisset Divinitati, N.

Inst. 2. Secundum Isichium homilia 2. de Deipara, *fuit instrumentum incarnationis*, atqui non fuit instrumentum respectu humanitatis, cùm illius fuerit causa principalis; ergo respectu unionis.

Resp. Dist. Min. Non fuit instrumentum respectu humanitatis in rigore Philosophico, C. latiùs loquendo, sicut dici solet instrumentum; quod concurrit ad productionem alterius, quocumque modo concurrat, N.

CONCLUSIO III.

SOLUS Deus fuit principium actionis incarnativæ & unionis per eam productæ.

Prob. 1. Ex Scriptura; quæ incarnationem opus Dei particulariter appellat Abacuc. 3. *Domine opus tuum*.

Prob. 2. Ratione, quia requiritur virtus infinita.

CONCLUSIO IV.

TOta Trinitas unionem hypostaticam ejusque actionem est operata; hanc conclusionem insinuare videtur Scriptura: cùm hanc operationem modò attributa Patri ut ad Galatas 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere*: Modò filio, ut ad Philipp. 2. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Modò Spiritui Sancto, ut Matth. 1. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*.

Prob. Etiam ratione Theologica: opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, seu sunt omnibus communia; atqui Incarnatio est operatio ad extra: ergo &c.

Prob. Maj. Quia principium operandi ad extra est omnipotentia Divina; quæ cùm sit omnibus personis communis, sicut essentia, non potest una persona operari ad extra, quin operetur & altera: Ex dictis

Resolve, quòd licèt solus Filius fuerit incarnatus, solus naturam humanam assumpserit, tota tamen Trinitas incarnaverit, univerit, entitatem assumptionis produxerit. Unde Concilium Toletanum 6. *Et cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen accepit hominem in singularitate personæ*, nempe terminativè: nam effectivè humanitatem assumpsit tota Trinitas, sicque patet, quod filius dupliciter humanitatem assumpserit, effectivè scilicet & terminativè; effectivè quidem per potentiam activam tribus personis communem, terminativè autem per subsistentiam relativam seu personalitatem sibi propriam.

QUÆSTIO III.

An Verbum Divinum habuerit specialem causalitatem respectu humanitatis, & an fuerit in eo dispositio aliqua ad unionem?

CONCLUSIO I.

NUllam exercuit Verbum Divinum causalitatem in genere causæ efficientis, respectu humanitatis producendæ aut conservandæ; quam non exercuerit Pater & Spiritus Sanctus.

Ratio est; quia talis causalitas est communis toti Trinitati, cùm, ut diximus, opera Trinitatis ad extra sint indivisa. Præterea vel hoc faceret per suam essentiam, vel per suam personalitatem; nihil enim est aliud in Verbo Divino; atqui non per essentiam, nam cùm hæc sit communis singulis personis, etiam communis esset illa causalitas: non etiam per suam personalitatem, cùm hæc non sit activa, & id præcisè faciat respectu humanitatis, quod faceret personalitas propria, si adesset, quæ tantùm humanitatem terminaret absque ulla prorsus efficientia.

Dices 1. Cùm personalitas sit quid perfectissimum, non debet denegari actio in humanitatem, cùm sit perfectius in eam agere, quàm non agere.

Resp

Resp. Quòd licèt personalitas ut essentiæ identificata sit quid perfectissimum, non tamen ut est ab ea formaliter distincta, cùm ut sic nec sit quid perfectum, nec imperfectum, ut dicitur in lib. 1. sententiarum: & sic nihil inde urget ad concedendam ei causalitatem in naturam humanam.

Dices 2. Filius humanitatem assumpsit, aliæ personæ non assumpserunt; atqui assumptio est actio: ergo &c.

Resp. Dist. Min. Assumptio prout est unitio naturæ humanæ cum Verbo, est actio, C. prout est præcisè terminatio naturæ humanæ, N. solum autem 2. modo sumpta competit specialiter Verbo; nam 1. modo competit omnibus personis.

CONCLUSIO II.

VErbum Divinum exercet aliquam causalitatem, & quidem in genere causæ quasi materialis & formalis in naturam humanam, quam non exercent aliæ personæ.

Prob. 1. pars, quia ut doctè loquitur quidam Author modernus in suis scriptis, ubi est vera & realis dependentia in esse unius ab alio, ibi est vera & realis causalitas, atque in natura humana assumpta talis est dependentia respectu Verbi, cùm accipiat ab illo ultimatum complementum essendi, sine quo existere non potest ergo &c.

Prob. 2. pars: Vel enim consideratur Verbum prout sustentat naturam humanam, terminando illius dependentiam, & sic reducitur ad causam quasi materialem; vel consideratur prout seipsum communicat humanitati, tanquam intrinsecum illius terminum & complementum & sic reducitur ad quasi formalem.

Dixi autem in genere causæ quasi materialis & formalis, quia causa materialis & formalis propriè important imperfectionem mentis incompleti, partis, perfectibilis &c. quæ Deo repugnant.

CONCLUSIO III.

NUlla fuit dispositio in Christi humanitate ante unionem. Est Scoti 3. d. 2. q. 2. §. *quantum*, contra Alexandrum & Gabrielem, qui illam requirunt ut necessariam, & contra Paludanum, qui illam vult ut congruam.

Prob. 1. Eodem instanti, quo fuisset natura humana personalizata per subsistentiam propriam, personalizata est per subsistentiam Verbi; cùm hæc locum illius suppleat; atqui natura humana, antequam subsistat subsistentia propria, nullam recipit dispositionem: ergo nec antequam subsistat subsistentia Verbi.

Prob. Min. Quia prius est naturam perfici in esse substantiali, quàm recipere perfectionem accidentalem, qualis est dispositio sive naturalis, sive supernaturalis, ut gratia habitualis, de qua præsertim hic controvertitur.

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ, qui dicit gratiam unionis pertinere ad esse Christum, gratiam autem habitualem ad illius operari; atqui prius est esse, quàm operari: ergo &c.

Prob. 3. Quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione; atqui Christus in intentione 1. prædestinatus est ad gloriam, 2. ad gratiam, 3. ad unionem hypostaticam, ut suo loco dicetur: ergo in executione prius habuit unionem hypostaticam, quàm gratiam.

Dices 1. Nulla natura capax est subsistentiæ verbi nisi sit capax gratiæ: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Nisi sit capax gratiæ ante subsistentiam recipiendæ, N. post illam recipiendæ transeat.

Dico *transeat*; quia secundùm nos absolutè falsum est: cùm etiam natura irrationalis, quæ est incapax gratiæ, sit capax subsistentiæ verbi.

Dices 2. Non potest intellectus sine lumine gloriæ videre Deum: ergo nec humanitas sine gratia habituali uniri verbo.

Resp. Neg. Conf. Disparitas est, quòd intellectus utpote principium naturale, sit de se insufficiens ad eliciendam visionem beatificam, quæ est supernaturalis, & ideo admittere debet principium supernaturale, quorum illam eliciat; humanitas autem cùm respectu unionis hypostaticæ non sit operativa, sed merè receptiva, non requirit aliquid supernaturale sive tanquam dispositionem, sive alio modo; cùm natura recipiat formam supernaturalem; nempè gratiam habitualem sine ulla dispositione supernaturali, ut fit in baptismo parvulorum.

Dices 3. Inter humanitatem & Verbum est distantia infinita: ergo debet admitti aliqua dispositio quæ ipsam distantiam modificet.

Resp. Neg. Conseq. Quia equidem admissa illa dispositione, adhuc restabit distantia infinita inter Verbum & naturam humanam, quandoquidem quocumque modo disposita, sit adhuc finita.

QUÆSTIO IV.

Quis sit terminus actionis Incarnativæ?

ADverte duplicem esse terminum actionis productivæ, unum totalem, alterum formalem: totalis est illud totum, quod accipit esse per actionem, & quod agens ultimò intendit. Formalis autem, quem alii terminum *quo* appellant, est ratio seu forma, à qua effectus habet esse. Sic in productione ignis, terminus totalis est ipsemet ignis adæquatè sumptus, seu secundum illud omne quod importat, formalis est ejus forma substantialis.

CONCLUSIO I.

TErminus totalis actionis incarnativæ est ipsemet Christus, seu Deus homo. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. ex 5. Synodo collat. 8. can. 4. ex Toletano 6. & 12. ubi hoc esse definitum, asserit P. Herinx.

Prob. 2. Ratione: terminus totalis alicujus actionis est res illa completa, quæ resultat ex actione, quamque ultimò intendit agens, ut patet ex definitione termini totalis; atqui res completa resultans ex actione incarnativa & ultimò à Deo intenta, est Christus, cùm nihil aliud sit assignabile: ergo &c.

Dices terminus actionis temporaneæ est quid temporaneum & creatum; atqui actio incarnativa est temporanea, seu facta est in tempore; ergo ejus terminus non est Christus, cùm sit persona & increata.

Resp. Neg. Conf. Quia licèt Christus sumptus pro persona sit quid æternum & increatum, utpote ipsamet persona Verbi; sumptus tamen pro composito resultante ex Unione Hypostatica, potest dici quid temporaneum & creatum: Temporaneum quidem, cùm cœperit esse in tempore: Creatum verò, saltem Creatione latè sumpta, in quantum per veram actionem factum est id, quod antea non erat.

Inst. Christus, ut resultans ex unione Hypostatica, habet essentiam Divinam & Personalitatem Verbi; ergo potius debet dici increatus, quàm creatus. Prob. Conf. Quia à nobiliori parte sumitur denominatio.

R. Neg. Conf. Quia increatum, cùm sit terminus negativus negat omnem inceptionem: Falsum est autem dicere simpliciter: *Christus nunquam incœpit*: creatum verò, cùm sit terminus positivus, non negat increationem (ut ita loquar) alterius in composito reperti; sicque Christus dici debet creatus potius, quàm increatus. Unde à nobiliori parte desumitur, denominatio, quando terminus denominans est positivus; non negativus.

CONCLUSIO II.

TErminus formalis actionis incarnativæ, ut productivæ, est unio. Ita Scotus, Suarez, Herinx, Platel. & alii.

Prob. Terminus formalis est ipsa ratio seu forma, à qua terminus totalis habet suum esse; atqui illud, per quod Christus accepit suum esse per productionem seu unitionem, est unio: Ergo &c. Prob. Min. Quia nihil præter illam potest assignari: Non quidem essentia aut personalitas Divina, cum non producantur: non etiam Humanitas, cùm actioni incarnativæ seu unitivæ præsupponatur: non denique Christus, cùm sit terminus totalis: Ergo unio.

Dices 1. Cum Gonet: Terminus formalis Generationis filii in divinis non est filiatio, quæ producitur, sed essentia, quæ tantum communicatur: Ergo terminus formalis actionis incarnativæ non debet esse aliquid productum.

Resp. Dist. Ant. Terminus generationis Divinæ, ut communicatio est præcisè, non est filiatio, sed essentia, C. ut productio est formaliter, N. nihil enim nisi productum potest esse terminus formali productionis, ut productio est: unde spectari potest dupliciter generatio in Divinis, 1. ut est communicatio tantum, & illius terminus formalis essentia. 2. ut est productio, & illius terminus formalis est ipsa filiatio: & sic nihil inde sequitur contra nos, cùm loquamur de Incarnatione, prout pro-

ductio est, quæ ut sic necessariò dicit relationem ad aliquid productum.

Dices 2. Terminus generationis humanæ non est unio inter materiam & formam: Ergo nec terminus actionis incarnativæ est unio inter Humanitatem & Verbum.

Resp. Neg. Conseq Disparitas est, quòd per actionem incarnativam sola unio producatur, & sic illa sola potest esse terminus formalis illius, ut productio est; per generationem autem humanam, producitur, saltem inadæquatè, ipsa humanitas, quæ est ratio principalis, per quam homo habet esse.

Dixi in conclusione: *actionis incarnativæ, ut productio est*: Nam, si Incarnatio consideretur ut est mutatio, seu transitus à negatione talis esse ad tale esse, diversos habet terminos formales juxta diversas, quas patitur, acceptiones: Nam si accipiatur Incarnatio secundum id quod significat ex vi vocis, ejus terminus formalis est caro, si sumatur ut est Humanatio, est humanitas; si ut est Divinatio, est Divinitas, si ut Impersonatio, est persona Verbi.

Ratio est; Quia terminus formalis est ratio seu forma, à qua terminus totalis habet esse tale; atqui forma, à qua habet Christus, qui est terminus totalis, quòd sit Incarnatus, est caro; quòd sit homo, est humanitas; quòd sit Deus, est Divinitas; quòd subsistat subsistentia Divina, est personalitas Verbi: ergo illa omnia sunt termini formales Incarnationis diversimodè consideratæ: ac per hunc loquendi modum conciliamus authores, quorum aliqui voluerunt terminum formalem Incarnationis esse humanitatem, alii personalitatem, alii unionem.

CONCLUSIO III.

Terminus formalis *à quo* actionis incarnativæ (nam hactenus de termino formali *ad quem* factus est sermo) est carentia termini *ad quem*.

Prob Quia loquendum est de hac actione quantum ad terminos, sicut de aliis; atqui in aliis actionibus terminus formalis *à quo*, est privatio formæ acquirendæ, seu carentia termini formalis *ad quem*: ergo &c. Quia tamen actio incarnativa diversimodè sumpta diversos habet terminos formales *ad quos*, ut diximus, ita etiam diversos habet terminos formales *à quibus*: unde si terminus *ad quem* sit humanitas, ejus privatio erit terminus *à quo* & sic de aliis proportionatè.

QUÆSTIO V.

An unio, quæ est terminus formalis Incarnationis, sit quid distinctum ab extremis?

Humanitatem esse verè & realiter unitam Verbo, admittunt omnes Catholici contra Nestorium. Hic Germanicæ in Syria natus, Antiochiæ Sacerdos factus, Constantinopoli ejusdem Urbis Episcopus, Tempore Theodosii junioris, ordinatus, ac postea in Concilio Ephesino, præsidente nomine Cœlestini Papæ Cyrillo Alexandrino, condemnatus Anno 451. substinuit Christi humanitatem non personaliter, sed merè extrinsecè & accidentaliter fuisse Verbo unitam; adeoque non eundem fuisse Deum & hominem, sed alium fuisse Deum, alium hominem, aliam personam filium DEI, aliam personam filium Virginis, quam ideo non DEI, sed puri hominis matrem vocavit impurus homo: voluit tamen hunc hominem Christum progressu temporis fuisse dictum filium Dei propter unionem, non physicam & secundum hypostasim, sed moralem & accidentariam, quam asserebat esse quintuplicem. Primam inhabitationis, qua filius Dei in filio Virginis tanquam in templo suo habitabat. Secundam affectus, quo Verbum Divinum Mariæ proli adhærebat. Tertiam operationis, per quam Filius Dei filio Virginis tanquam instrumento ad miracula utebatur. Quartam communicationis excellentiæ, honoris, dignitatis, Ita ut homo ille Christus diceretur filius Dei, Deus &c. Quintam personarum, ita ut licèt Verbum & filius Mariæ essent duæ personæ, una tamen dicerentur, sicut vir & mulier dicuntur una caro: at cum illius errores non terra solum, sed & ipsum cœlum condemnaverit, ut lingua ejus vermibus exesa testificatur, non contra hunc agimus, sed contra Catholicos, qui tenentes Christi humanitatem Verbo fuisse realiter ac personaliter unitam, negant tamen inter illa nexum medium, seu aliquid ab extremis distinctum.

CONCLUSIO UNICA.

Unita est natura humana Verbo per unionem ab extremis realiter distinctam. Ita Scotus variis in locis quem sequuntur Suarez, Lugo, Pratel. & alii communissimè contra quosdam Thomistas, quibus adversari videtur S. Thomas; quandoquidem variis in locis asserat, ut fatentur ipsimet adversarii, Unionem Hypostaticam esse relationem humanitatis ad Verbum; relationem autem, esse realiter ab extremis distinctam, docet in terminis expressis, ut suo loco dicitur.

Prob. 1. Conclusio: si non daretur unio ab extremis distincta, non aliter haberet se Filius respectu naturæ humanæ, quàm Pater aut Spiritus Sanctus; ac proinde vel Filius non esset incarnatus, vel omnes personæ essent incarnatæ. Prob. Assumpt. nam si Filius sit naturæ humanæ intimè præsens, ab ea omninò indistans, non solùm per immensitatem, sed etiam per propriam personalitatem; ita etiam aliæ personæ sunt intimè præsentes tum per immensitatem, tum etiam per propriam personalitatem.

Dices, Verbum sustentare naturam Humanam, quam non sustentant aliæ personæ; & ideo potius esse incarnatum, quàm Patrem & Spiritum Sanctum. Sed

Contra est, quòd non possit concipi, quomodo sustentet naturam humanam potius, quàm aliæ personæ, si nihil speciale mediet inter ipsum & naturam humanam; nos autem facilè ab illa difficultate expedimur, dicendo intercedere unionem inter humanitatem & Verbum, quæ non intercedit inter ipsam & alias personas.

Prob. 2. Si non daretur unio ab extremis realiter distincta, SS. Trinitas non causaret hoc Mysterium; atqui hoc est falsum; ergo &c. Prob. Min. quia nihil in eo produceret, non quidem Divinitatem aut personalitatem Verbi, cùm sint increatæ: non etiam humanitatem; cùm, ut diximus, actioni incarnativæ seu unitivæ præsupponatur ergo &c.

Confirmatur; quia non datur causans aut producens, nisi detur causatum aut productum, cùm sint correlata.

Dices SS. Trinitas producit ipsum Christum, seu compositum ex natura humana & divina. Sed

Contra est, quòd Christus sit terminus *qui* seu totalis actionis incarnativæ: & ideo assignari debet ulterius terminus formalis, seu ratio, aut forma, per quam terminus totalis habet esse.

Prob. 3. Non datur denominatio nova sine nova forma; atqui Verbum ante incarnationem non dicebatur unitum, & post illam dicitur unitum: ergo datur nova forma seu unio, non quidem in ipso recepta, cùm illius sit incapax, sed recepta in natura humana, & ad ipsum terminata.

Obj. 1. Si inter humanitatem & Verbum mediaret unio distincta, non unirentur immediatè, ac proinde non componerent immediatè Christum: quod falsum est.

Resp. Dist. Ant. Non unirentur immediatè ut quod, N. ut quo, C. quia reverà intercederet ipse nexus, mediante quo unirentur; sed hoc non impedit compositionem immediatam, ut patet in materia & forma, quæ immediatè componunt totum, licèt inter illas mediet unio distincta.

Obj. 2. Ut Deus producat creaturas, non requiritur actio ab ipso distincta: ergo, ut terminet naturam humanam, nec requiritur unio distincta. Antecedens clarum est. Prob Conseq Quia non majoris virtutis est Deus in operando, quàm in terminando.

Resp. Dissimulato antecedente, quod admitti potest, quando Deus aliquid producit solus, N. conseq. Ad Prob. dico rationem, cur non possit terminare naturam sine unione intermedia, sicut potest illam producere sine actione distincta, non oriri defectu virtutis, sed ex contradictoriis indesequentibus: nam in tali casu Verbum esset unitum, ut supponitur, & non esset unitum; quia tantum esset intimè præsens & indistans, solus Filius esset incarnatus, & non esset solus; quia aliæ personæ eodem modo se haberent respectu humanitatis, sicut Verbum, ut patet prima Probatione.

Replicabis. Si Deus produceret sine actione à se distincta, esset producens, ut supponitur, & non esset producens: cùm talis dicatur ab actione; ergo vel ratio illa contradictoriorum nulla est: vel militat pro utroque.

Resp. Neg. Replicam: Quia, ut quis dicatur producens, sufficit, quòd ponat actualiter effectum, sive interim intercedat actio distincta, sive non, ut patet in Divinis, ubi Pater dicitur producens Filium sine actione à se distincta.

Obj. I.

Obji. 3. Non potest humanitas recipere esse accidentale, ut esse unitum; nisi habeat esse simpliciter, & substantialiter; atqui esse simpliciter habet per subsistentiam Verbi; ergo priùs intelligitur Verbo conjuncta & personalizata, quàm recipiat uoionem, adeòque est superflua.

Resp. Dist. Maj. Non potest recipere esse accidentale absolutum, nisi habeat esse simpliciter, Conc. non potest relativum, mediante quo accipit ipsum esse simpliciter, Nego.

Obj. 4. Natura humana conjungitur subsistentiæ propriè sine unione distincta: ergo & subsistentia Verbi, cùm hæc illius locum suppleat.

Resp. Delgadillo negando Aotecedens; sed, illo dissimulato, nego conseq. disparitas est, quòd ex ipsa natura singulari resultet necessario subsistentia propria, oisi divinitus impediatur: non nisi autem ab extrinseco adveniat humanitati Verbi subsistentia, ideòque necessarius est nexus medius, per quem conjungantur.

Obj. 5. Si daretur illa unio, esset extensa & inextensa, corporalis & spiritualis: extensa quidem & corporalis, io quantùm subjectaretur in corpore; inextensa autem & spiritualis, in quantùm subjectaretur io anima; atqui hoc implicat: ergo.

Resp. Dist. Min. Hoc implicat, si intelligatur de eadem unione, C. si de diversa, N. jam autem alia est unio, qua corpus unitur Verbo, & alia, qua eidem unitur anima. Prima est extensa ratione corporis, secunda inextensa ratione animæ: nam, cùm relatio (qualis est unio) de se nec sit spiritualis, nec materialis, nec extensa, nec inextensa, habet quòd sit talis vel talis ratione fundamenti.

Petes 1. Utrùm unio sit relatio?

Resp. Affirm. Ratio est, quia illud est relatio, cujus totum esse, est referre unum ad aliud; atqui totum esse unionis est referre humanitatem ad Verbum: ergo &c. Si curiosus sis, vide Authores de hac materia fusè tractantes.

Petes 2. An relatio unionis sit extrinsecùs adveniens?

Resp. Affir. Ratio est, quia relatio extrinsecùs adveniens est illa, quæ non statim resultat positis extremis; atqui positis in rerum natura Verbo Divino & humanitate, non statim resultat relatio unionis inter illa: ergo &c.

Prob. Min. Quia requiritur præterea nova actio, & extremorum unitio: ergo &c.

Petes 3. Utrum relatio unionis sit mutua?

Resp. Neg. Ratio est; quia relationes mutuæ sunt, dum utraque est realis, vel rationis; atqui tales non sunt relationes Verbi ad humanitatem, & humanitatis ad Verbum: ergo &c. Prob. Min. quia Verbum, utpotè incapax novæ formæ recipiendæ, refertur relatione solùm rationis ad humanitatem; humanitas autem, relatione reali ad Verbum: ergo &c.

Petes 4. Ad quod prædicamentum pertineat relatio unionis?

Resp. ad prædicamentum passionis. Ratio est; quia relatio passionis est relatio transmutati ad transmutans; atqui talis est relatio unionis; ergo &c. Prob. Min. quia per Unionem Hypostaticam natura humana transmutatur de non esse personalitatæ ad esse personalitatam, dicitque ordinem ad Verbum Divinum tanquam transmutans per communicationem suæ personalitatis: ergo &c.

QUÆSTIO VI.

Quænam prædicata conveniant Unioni Hypostaticæ?

CONCLUSIO I.

UNio Hypostatica est *creata*.

Prob. 1. Ex Script. Jeremiæ 31. *Creavit Dominus novum super terram; fæmina circumdabit virum*: quod Patres intelligunt de Christo & Incatnatione.

Prob. 2. Ratione; quia omne temporaneum est ereatum; atqui unio illa est temporanea; cùm non fuerit ante Christum, quem constat incœpisse esse in plenitudioe temporum: ergo &c.

CONCLUSIO II.

UNio præfata, est *substantialis*. Est contra Durandum qui voluit esse accidentalem, non quidem ad sensum Nestorii, cùm Durandus asserat hanc Unionem factam esse io unitate personæ, quod negabat Nestorius; sed quia natura humana advenit enti completo, scilicet supposito Verbi.

Prob. 1. Ex Lateranensi Concilio sub Martino I. Ann. 649. can. 6. ubi dicitur: *Si quis secundum SS. Patres non confitetur propriè & secundum naturam duabus & in duabus naturis substantialiter unitis &c.*

Prob. 2. Ex Patribus, qui hanc Unionem nunquam vocant accidentalem, sed semper vel secundùm substantiam, vel expressè substantialem.

Prob. 3. Ratione: Illa Unio est substantialis, mediante qua resultat unum substantiale; atqui mediante Uoione Hypostatica resultat Christus, qui est unum substantiale: ergo &c.

Obj. 1. Unio Hypostatica est accidens, cùm sit relatio: ergo non debet dici substantialis, sed accidentalis.

Resp. N. Cons. Non enim Unio dicitur substantialis, quia est substantia, sicut nec dicitur accidentalis, quia est accidens; sed dicitur substantialis aut accidentalis à termino; qui, mediante illa, resultat; ita ut, si terminus sit substantialis, illa dicatur substantialis, si accidentalis, etiam dicatur talis, sive interim secundùm se sit accidens, sive non: sic unio inter corvum & nigredinem est accidentalis, quia terminus, nempe nigrum, est accidentalis; è contra unio corporis cum anima est substantialis; quia terminus est quid substantiale, nempe homo.

Obj 2. Natura humana advenit enti in acto, nempe Verbo Divino: ergo Unio conjungens humanitatem cum Verbo est accidentalis.

Resp. Dist. Ant. Advenit enti in actu, sic ot non possit efficere uoam naturam, C sic ut non possit efficere cum personalitate Verbi unam personam, quæ substantialis est, Nego.

Obj. 3. Est merè accidens quòd humanitas & Divinitas uniantur: ergo Unio medians dici debet accidentalis.

Resp. Neg. Cons. Quia, ut dixi, Unio dicitur substantialis à termino, sive interim, extrema uniantur, per se, sive per accidens.

Adverteudum tamen quòd, secluso suspicionis periculo, posset illa Unio dici accidentalis logicè tam respectu Verbi, quàm respectu humanitatis; quandoquidem verè accidat Verbo Divino uniri naturæ humanæ, & è contrà: undè, si nihil aliud voluit Durandus, ut verisimile apparet ex ejus fundamentis, immeritò sententiam ejus notant aliqui.

CONCLUSIO III.

HÆc Unio est simplicitet *supernaturalis*; adeoque non est dicenda naturalis, nequidem secundùm essentiam. Ratio est; quia superat omnem naturæ ordinem & exigentiam, quòd natura creata uniatur alieno supposito, præsertim Divino.

Dices in 6. Synodo Act. 11. dicitur: *Deus Verbum est, non caro, quamquàm carnem rationaliter animatam assumpsit, hancque sibi unitione naturali .. ... adunivit.* Itcm dicunt aliqui Patres.

Resp. 1. Locutionem illam non esse satis propriam; cum propriè & ex vi verborum significet vel unionem illam non esse suprà naturam, vel per eam plura in unam naturam seu essentiam coaluisse, quorum neutrum admitti debet: unde hic loquendi modus non est facilè imitandus, sicut nec imitari debemus quosdam Patres, dum dicunt Verbum assumpsisse hominem, aut naturam uoicam esse in Christo, sumentes naturam pro hypostasi.

Resp. 2. Patres usurpasse naturale pro vero, reali, & physico, ut confunderent vel Manichæum, qui volebat Unionem illam esse tantum appareotem & phantasticam, vel Nestorium, qui asserebat tantum esse moralem, per affectum &c. Vel dic vocare naturalem Unionem illam, quia unit naturas. Fatendum tamen hanc Unionem posse dici naturalem Christo, non quidem inadæquatè spectato secundum alterutrám naturam, cum non sit de natura seu essentia Verbi Divini uniri humanitati, vel de natura humanitatis uniri Verbo, sed Christo adæquatè spectato, pro composito subsistente in natura Divina & humana: nam sicut Christo ut sic naturalis est & intrinseca utraque natura, Divina scilicet

licet

licet & humana ita naturalis est illi & intrinseca Unio naturæ humanæ cum Verbo.

Nec inde inferas, quòd unio illa sit naturalis secundùm se; aliud enim est aliquid esse alteri naturale, & esse tale in se: ut enim primum subsistat, sufficit, quòd sit de natura alterius, aut concurrens ad illius naturam; ut autem subsistat secundum requiritur, ut sit in se aliquid secundùm naturæ exigentiam: Primum hic reperitur, non Secundum.

QUÆSTIO VII.

An hæc Unio sit præstantissima in ratione tum Unionis, tum operis, tum beneficii?

CONCLUSIO I.

HÆc Unio in ratione Unionis est omnium præstantissima quoad aliqua, non tamen quoad omnia. Hæc sententia est satis communis, licèt varient DD. in modo explicandi.

Prob. 1. Pars: Quia 1. est omnium magis indissolubilis; quandoquidem nec ipsa Christi morte Unionem inter corpus & animam dissolvente, potuerit dirimi: undè D. Leo Serm. 17. de Passione ait: *In tantam Unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi*. 2. quia sic intima est, ut ratione illius dici possit *Deus est homo*, & *homo est Deus*; cùm tamen ratione Unionis in homine non possit dici: *corpus est anima*, vel *anima est corpus*. 3. quia est omninò singularis, cùm in tota natura illius exemplar non reperiatur 4. quia unit infinitè distantia.

Prob. 2. Pars; Quia Unio inter materiam & formam superat in aliquibus Unionem hypostaticam 1. enim ex illa Unione resultat unum tum in natura, tum in persona; ex hac autem, unum in persona, sed duplex in natura; eò autem est major Unio, quòd ex illa major resultat unitas. 2. quia major est proportio, inclinatio & aptitudo ad unionem inter materiam & formam, quàm inter Verbi personalitatem & naturam humanam. 3. quia strictius est compositum ex illa resultans, quàm ex Unione Hypostatica.

Dices D. Bernardus 5. de consideratione ad Eugenium c. 8. sic loquitur: *Inter omnia, quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet Unitas Trinitatis ..... secundo loco illa præcellit, qua è converso tres substantiæ* (Divinitas scilicet, caro & anima) *una in Christo persona sunt*: ergo censet Unionem Hypostaticam inter creatas esse præstantissimam.

Resp. Concedendo totum: licèt enim admittamus hanc Unionem ab unione materiæ & formæ in paucis superari; cùm tamen Unio Hypostatica illam & alias in multis superet, stat, quòd omnibus pensatis & comparatis, sit omnium maxima.

CONCLUSIO II.

UNio Hypostatica est etiam omnium operum Dei ad extrà opus præstantissimum, si spectetur secundùm terminum, non tamen, si expectetur ut nexus est præcisè.

Prob. 1. Pars; Quia terminus illius adæquatus est Christus Dominus, qui excedit omne opus Dei ad extrà, & quidquid non est Deus, ut satis patet.

Prob. 2. Pars; Quia Unio ut sic est tantùm accidens, adeòque inferior qualibet substantia etiam minima: nam sicut homo, quantumlibet perfectus, nunquàm ascendere potest usquè ad perfectionem Angeli, etiam infimi, quia nempè inferioris est ordinis, ità propter eamdem ratione, nunquàm potest accidens, quantumlibet perfectum attingere perfectionem substantiæ: undè nec gratia, nec lumen gloriæ, nec ipsa Unio Hypostatica in ratione accidentis sunt opera Dei perfectiora verme aut musca.

Dixi, *In ratione accidentis*: nam si considerentur quatenùs sunt supernaturalia, excedunt in illo genere omnia naturalia; cùm hæc sint intrà ordinem naturæ; illa suprà: hæc naturam compleant, illa completam elevent.

CONCLUSIO III.

HÆc Unio in ratione Beneficii, seu doni supernaturalis, super excellit omnia alia dona. Ità D. Thomas, Scotus, & alii communiter contrà Marsilium, Durandum, Delgadillo, &c. qui visionem beatificam Unioni Hypostaticę præponunt.

Dixi: *In ratione doni supernaturalis*, in quo convenit cum gratia & gloria: nam si spectetur secundùm rationem specificam, sicut & visio beatifica, *propriè loquendo*, inquit Scotus 3. d. 2. q. 1. *Potest dici, quòd neutra est major alia; quia sunt alterius rationis*: Unio siquidem est actus primus & inter illos præstantissimus, visio autem, actus secundus similiter inter illos dignissimus: undè sese invicem excedunt, & ab invicem exceduntur: Unio etenim excedit, in quantùm perficit in actu 1. Excedit & visio, in quantùm perficit in actu 2.

Prob. Igitur conclusio 1. ex Augustino 13. de Trinitate cap. 19. *In rebus per tempus ortis; illa summa gratia est, quòd homo in unitate personæ conjunctus est Deo*. & lib. de prædest. Sanctorum c. 15. *Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam celsa, & summa subvectio, ut quò attolleretur altiùs non haberet*.

Prob. 2. ratione: Illud est præstantius aliis, quod est fons & radix cæterorum; atqui Unio Hypostatica est fons & radix gratiæ, gloriæ, & aliorum donorum supernaturalium: ergo &c. Major videtur certa, cum radix sit perfectior eo, quod in illa radicatur. Prob. Min. Nam si Deus sit in anima justi per gratiam, in Eucharistia per præsentiam, in cœlo per claram sui ostensionem, numquid horum causa & origo est Unio Hypostatica?

Prob. 3. Ex effectu: Quia si gratia faciat hominem sanctum, gloria beatum; hæc Unio facit hominem Deum, & cultu latriæ dignum: unde si per gratiam Deus se communicet inhabitanter, per Eucharistiam præsentialiter; per gloriam visibiliter, communicat se per hanc Unionem substantialiter & personaliter.

Obji. 1. Beatitudo est summum bonum: ergo *præstantius* Unione hypostatica.

Resp. Dist. Ant. Beatitudo objectiva, quæ est ipsemet Deus; est summum bonum, C. Beatitudo formalis, quæ est ipsa visio, N.

Obji. 2. Finis prævalet medio, atqui Unio Hypostatica est medium ad summam Christi gloriam tanquam finem: ergo &c.

Res. Majorem non esse universaliter veram: unde non tantùm hic deficit, sed & in multis aliis: nam qui vult arborem propter fructum, vult perfectius propter imperfectius, animatum scilicet propter inanimatum.

Obji. 3. Lapis est capax Unionis Hypostaticæ, non gratię aut gloriæ: ergo hæc prævalent illi.

Resp. Nullam esse sequelam: aliàs etiam sequeretur: lapis est capax Unionis Hypostaticæ, non visionis: ergo hæc prævalet illi.

Obji. 4. Potuisset Deus velle privari Unione Hypostatica propter salutem animarum: ergo hæc præstantior est illa.

Res. Quòd illo casu Christus hoc voluisset, non *quia perfectior* est salus animarum, quàm Unio Hypostatica, *sed quia* magis est necessaria.

Obji. 5. Si vel Unio Hypostatica, vel beatitudo foret alicui eligenda, potiùs deberet eligere hanc, quàm illam: unde Scotus in reportatis 3. d. 2. q. 2. *§. in ista quæstione* sic loquitur: *Mallem, si daretur mihi optio, habere gratiam B. Virginis, & fruitionem*, seu beatitudinem: *quàm esse subsistens a Patre & Filio & Spiritu Sancto*.

Resp. Antecedens esse verum propter majorem beatitudinis utilitatem, non perfectionem; sicut, propter eamdem rationem, potiùs eligendus est panis tempore famis, quàm nummus aureus, aut quid simile.

Obji. 6. In donis Dei nullum est majus charitate, neque æquale; unde Augustinus 15. de Verbis Dom. Serm. 50. *Quale bonum est Charitas ista fratres? quid pretiosius, quid luminosius, quid firmius, quid utilius, quid securius?*

Resp. Dist. Ant. In donis Dei includentibus actum secundùm seu operationem, C. quia revera inter operationes primatum sibi vindicat actus charitatis. In aliis donis, Nego vel certè dicendum est Augustinum ibi loqui de donis, quæ fiunt ordinariè creaturis, qualis non est Unio Hypostatica; aliàs sibi contradiceret, ut patet ex probatione prima.

D I-

DISPUTATIO III.

De modo, quo facta est Unio Hypostatica.

QUÆSTIO I.

An Unio facta sit in duabus naturis vel unica?

EUtiches Abbas cujusdam Monasterii Constantinopolitani, qui tempore Leonis Papæ primi, & Marciani Imperatoris, floruit anno circiter 450. volens Nestorii (qui duas in Christo finxit personas) hæresim declinare, in aliam æquè, aut magis perniciosam miserrimè prolapsus est, unicam asserens post Unionem esse in Christo naturam, licèt duas antè Unionem sustineret: quod ipsemet Constantinopoli coram Synodo 40. Episcoporum, ubi præsidebat Flavianus, fassus est his Verbis: *Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante Unionem; post Unionem verò, unam naturam profiteor*. Porro duas ante Unionem admittebat naturas, quia non tantum Divinitatem, sed & ipsam humanitatem, prius ipsa Unione revera extitisse affirmabat, non quidem in utero virginis, à qua negavit esse productam, sed in cœlo, unde deducta est in uterum virginis, ibique Verbo copulata est, non manendo per novem menses, sed per modum aquæ per fistulam fluentis transeundo, ut refert Vigilius lib. 3. contrà Eutichen. Post Unionem autem, qualis esset natura illa unica, quam in Christo admittebat, non satis constat: nec mirùm, cùm nec ipse sibi constiterit: unde volunt aliqui sustinuisse Divinitatem conversam esse in carnem, alii è contra carnem in Divinitatem, alii admisisse naturam ex Divinitate & humanitate conflatam, vel per quamdam mixtionem & coalitionem, vel per transmutationem, sicut elementa in mixtum transmutantur; sed ego crediderim, illa omnia diversis temporibus admisisse, modò sic, modò aliter sustinendo, prout diversimodè urgebatur, & inde nobis relictam esse tantam de ejus errore opinandi diversitatem: sed, quidquid sit, dicebat saltem Divinitatem in Christo, esse natam, passam, crucifixam &c. contrà quem sit

CONCLUSIO I.

NEc fuit, nec esse potuit post Unionem unica in Christo natura.

Prob. Vel enim natura humana conversa esset in Divinam, vel Divina in humanam; vel ex duabus facta esset una; atqui nihil ex his stare potest: ergo &c. Non primum: nam cum Christus post Unionem dictus sit & fuerit revera verus homo, utpote qui natus sit, comederit, biberit, fuerit locutus, passus & mortuus, aliaque ediderit veræ humanitatis signa non potuit natura humana in Divinam esse conversa: cùm implicet esset hominem sine humanitate. Non etiam secundum: nam, cùm natura Divina sit immutabilis, non potest in aliud converti; quandoquidem omne convertibile sit necessariò mutabile. Non denique tertium quia vel fieret per transmutationem, & sic Christus nec esset formaliter Deus, nec formaliter homo, quia nec natura Divina, nec humana remaneret formaliter in ipso: naturæ etenim transmutatæ non manent formaliter in mixto, nec mixtum formaliter denominant, ut patet in elementis. Vel per compositionem, & sic Divinitas debet induere rationem partis propriè dictæ, & dicere essentialem ordinem ad humanitatem: quæ Deo repugnant. Unde concludo cum S. Leone: *Nec Verbum in Carnem, nec in Verbum caro mutata est; sed utrumque in uno manet, & unus in utroque, non diversitate divisus, non permixtione confusus.*

Obji. 1. *Verbum Caro factum est*: Joan. 1. ergo divinitas in carnem conversa est. Pro. Conseq. Quia quando in Cana Galilææ aqua dicitur Vinum facta, intelligitur in ipsum conversa.

Resp. Nego consequent. Quia licèt particula *factum*, aliquando sonet conversionem, ut in caso de aqua, non tamen semper, aliàs Christus fuisset conversus in maledictum, cum ad Gal. 3. dicitur *factus pro nobis maledictum*. Denotat igitur aliquando acquisitionem, vel assumptionem alicujus de novo: Sic homo dicitur factus Papa, Rex &c. non per mutationem humanitatis in dignitatem Papalem aut Regiam, sed dignitatem illam ad se assumens. Similiter *Verbum carnem factum dicimus*, inquit Gregorius lib. 4. Epist.

Obji. 2. Athanasius lib. de Incarnatione sic loquitur: *Neque duæ perfectiones seorsim sunt constituendæ*: Ergo censet esse unicam naturam in Christo. Quod confirmat Cyrillus Epist. 1. Ad Successum, ubi ait: *Unam Verbi naturam dicimus Incarnatam*.

Res. Quòd Athanasius non neget duas perfectiones seu naturas, sed tantùm velit illas non esse seorsim constituendas, id est duabus personis seorsim existentibus, ut volebat Nestorius, contra quem agebat.

Ad Cyrillum dico, ipsum non asserere unicam simpliciter esse in Christo naturam, sed unicam Incarnatam. Quod verissimum est, cum sola divinitas sit incarnata: humanitas verò assumpta, imò dicendo naturam Divinam esse incarnatam, implicitè admittit duas naturas, Divinitatem scilicet & carnem, seu humanitatem. Imò expressissimè ibidem duas naturas admittit impermixtas.

Obj. 3. Ex anima & carne fit una natura: ergo etiam ex humanitate & divinitate: Quod insinuat Athanasius in symbolo: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd anima & caro sint incompleta & essentialiter ordinata ad unum, non sic humanitas & Divinitas. Athanasius autem, tantùm in hoc ponit paritatem, quòd sicut in 1. casu ex duobus exurgit unum, ita & in 2. abstrahendo an ex duobus resultet natura unica, vel non.

Obj. 4. Si essent in Christo duæ naturæ, Christus esset duo, sicut tres personæ sunt unus, nempe Deus, quia unicam habent naturam.

Res. N. Assumpt. Quia ad multiplicationem concretorum substantialium requiritur multiplicatio naturæ & suppositi, jam autem licèt duæ sint in Christo naturæ, unicum tamen est suppositum seu persona.

CONCLUSIO II.

IN Christo post Unionem reperiuntur formaliter duæ naturæ veræ & reales, nec mixtæ, nec confusæ, divina scilicet & humana. Est de fide in Conciliis Lateranensi, Hispalensi, 2. Toletano 6 & 15. ac præsertim Calcedonensi sub Leone 1. contra Eutichen congregato, ubi in symbolo ejusdem Concilii legitur: *Confitemur filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfusè, incommunicabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem*.

Prob. 1. Ex scriptura, quæ Christum modo Deum, modo hominem appellat: ergo censet esse simpliciter in ipso naturam humanam & divinam, cùm non detur, nec dari possit homo sine humanitate, nec Deus sine divitate.

Prob. Ant. Nam 1. Vocat ipsum Deum Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & salvabit vos*, &c. 35. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator*. Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei vivi*. In Epist. prima Joan. c. 5. *Hic est verus Deus*. 2. Vocat illum hominem Joan. 8. *Quæritis me interficere hominem*, & Joan. 9. *Ille homo, qui dicitur JESUS*. Ad Rom. 5. *In gratia unius hominis JESU Christi*, & ad Rom. 1. dicitur. *Factus ex semine David secundum carnem*.

Prob. 2. Ex Patribus, qui docent hoc Mysterium fuisse præfiguratum in rubo, quem vidit Moyses ardentem simul & incombustum; quia in Christo nec humanitatem consumpsit divinitas, nec divinitatem minuit humanitas.

Prob. 3. Ratione: fuit quidem homo; quandoquidem, ut diximus, omnia veri hominis signa dederit, exceptis peccato & ignorantia. Fuit etiam Deus, cùm non tantùm miracula patraverit, sed etiam illa fecerit in confirmationem suæ divinitatis: quod non fecisset, si tantum fuisset homo; quandoquidem non permisisset Deus fieri miracula in testimonium alicujus falsitatis.

QUÆSTIO II.

An Unio Hypostatica facta sit in unitate personæ, & an aliter fieri potuerit?

NEstorius, ut diximus q. 5. disp. 2. duas admisit in Christo personas, unam divinitatis, aliam humanitatis: cujus fundamentum erat hoc argumentum: natura & persona sunt quid idem; atqui in Christo sunt duæ naturæ: ergo & duæ personæ, quas volebat unione tantùm morali, id est, per affectum, gratiam, conformitatem &c. esse conjunctas: ex quo sequitur totam Trinitatem esse Incarnatam; cùm non minus Pater, & Spiritus sanctus forent in humanitate

tate

tate Christi per gratiam, affectum, operationem, inhabitationem &c. quàm Filius. Imò sequitur, opus Incarnationis non esse singulare; cùm tres personæ Divinæ omnibus modis illis fuerint in iis, qui sanctitate, ac miraculorum gloria illustres fuere. Ut autem hic principalius intentum stabiliamus, sit

CONCLUSIO I.

UNio hypostatica reipsa facta est in unitate personæ. Hæc veritas definita est in Concilio Ephesino contra Nestorium congregato, quæ postea in Conciliis Calcedonensi, Lateranensi 1. Hispalensi 2. Toletano 6. confirmata est.

Prob. 1. Ex Scriptura, ubi Christus loquens tanquam homo aliqua sibi attribuit, quæ non competunt ipsi, nisi ratione Divinitatis, ut cùm dicit: *Ego sum panis vivus*. Item *antequam Abraham fieret, ego sum*; atqui si Christus esset duæ personæ, non posset ita loqui sine mendacio: ergo &c. Prob. Min. quia pronomen ego denotat personam loquentem, adeoque personam humanam, si in Christo sit; falsum est autem Christum ut hominem fuisse ante Abraham: unde necessariò admittenda est in Christo unica persona, ratione cujus illa verificentur.

Prob. 2. Ex Symbolo fidei in Missa decantato, ubi unus & idem dicitur ex Patre Deo natus, & ex Virgine Incarnatus; atqui si Christus esset duplex persona, alius esset ex Patre Deo natus, alius ex Virgine Incarnatus: ergo &c.

Prob. 3. Ex Patribus, Athanasio in symbolo, ubi ait: *Non duo tamen, sed unus est Christus*, Augustino Enchirid. C. 35. *In unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro*. Et C. 36. *Christus una persona, Verbum & homo*.

Prob. Etiam ratione: veræ sunt hæ propositiones: *Deus est homo, homo est Deus*: ergo est aliqua identitas inter Deum & hominem, non ratione naturarum, utpote realiter distinctarum: ergo ratione personæ.

Confir. Non est vera hæc propositio: *album est dulce*, nisi quia albedo & dulcedo inhærent eidem subjectio, v. gr. eidem lacti: ergo non esset vera hæc propositio, *Deus est homo*, nisi natura Divina & humana in eadem persona convenirent.

Objic. 1. Verbum, juxta Ambrosium & Augustinum in hymno *Te Deum*, suscepit hominem: ergo personam humanam; cùm vox *homo* denotet personam, seu suppositum.

Resp. Illos sumpsisse concretum pro abstracto, seu hominem pro humanitate; quia nihil adhuc timebant de hæresi Nestoriana necdum pullulante.

Objic 2 S Leo Epist X. sic de Christo loquitur; aliud coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis: ergo sunt in Christo duo supposita seu personæ.

R. Neg. Conf. Quia *aliud & aliud* substantivè denotat quidem diversitatem naturæ, sed non personæ, quæ diversificatur per *alius & alius*; & ideo dicitur quidem in divinis alius Pater, alius Filius, quia sunt diversæ personæ, non tamen aliud Pater, aliud Filius: quia non sunt diversæ naturæ.

Objic 3. Cum Nestorio, natura & suppositum sunt quid idem; atqui in Christo sunt duæ naturæ: ergo & duæ personæ.

Resp. Neg Maj. Suppositum enim addit suprà naturam, negationem communicabilitatis seu unionis ad alienam subsistentiam; & ideo, cum natura humana sit copulata Verbo, est quidem in Christo natura humana non persona.

Objic 4. B Virgo producendo Christum, produxit hominem: atqui natura præcisè non est homo, sed humanitas; ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Produxit hominem, id est, produxit naturam subsistentem aliqua subsistentia, C. subsistentem subsistentia propria, N. Ad hominem autem, sicut ad terminum generationis humanæ, sufficit natura humana subsistens subsistentia sivè propria, sive aliena.

Objic. 5. Terminus generationis Divinæ est persona Divina: ergo terminus generationis humanæ est persona humana.

Resp. Dist. Conseq. Est persona humana entitativè, N. denominativè, C. undè ad duplicem generationem, requiritur persona duplex, vel realiter, vel æquivalenter; jam autem persona Verbi æquivalet duabus, potestque dici persona humana, quatenus personat naturam Divinam, cavendum tamen dicere simpliciter, quòd Christus sit persona humana; quandoquidem realiter & entitativè sit Divina.

CONCLUSIO II.

UNio Hypostatica non potuit aliter fieri, quàm in unitate personæ.

Prob. 1. Ex patribus, qui crediderunt manifestam contineri implicantiam in his terminis, assumere naturam humanam per unionem veram & realem, & simul assumere personam: unde nihil aliud petebat Cyrillus à Nestorio, quàm ut fateretur veram & realem Unionem naturæ humanæ cum persona Verbi: hoc enim admisso, dicebat pacem fore inter catholicos; quia ex unione reali ad hypostasim Verbi credebat necessariò sequi non esse personam creatam.

Prob. 2. Et confirmatur dictum SS. Patrum; quia persona, vel potius personalitas, juxta DD. Angelicum, Seraphicum & Subtilem, nihil addit suprà naturam, nisi negationem actualis existentiæ in alio, seu communicabilitatis, vel unionis ad aliud, à quo tanquàm sustentante aliquo modo dependeat in esse & operari; atqui implicat Verbum Divinum realiter & physicè uniri naturæ humanæ, & simul esse illam negationem, ut ex terminis patet; ergo &c.

QUÆSTIO III.

An ita facta sit Unio Hypostatica, ut persona Christi debeat dici composita?

ADverte 1. Quòd licèt sæpissimè confundantur à *Doctoribus* persona & personalitas, in hoc tamen *differunt* quòd personalitas sit quædam forma, aut quasi *forma afficiens* seu terminans naturam; persona autem, sit quoddam constitutum ex natura & personalitate: undè plus dicit persona, quàm personalitas, cùm ultrà personalitatem importet naturam.

Adverte 2. Duplicem in persona Christi assignari *posse* compositionem; immediatam unam ex natura humana & personalitate Verbi, & mediatam alteram ex humanitate & divinitate inter se unitis, mediante Verbi personalitate, cui identificatur ipsa divinitas: & de hac duplici compositione procedit quæstio.

CONCLUSIO I.

PErsona Christi, quatenus est quoddam constitutum ex natura humana & divina, eadem verbi personalitate terminatis, debet dici composita. *Est de fide*.

Prob. 1. Ex variis Conciliorum definitionibus, & præsertim ex VI. Synodo generali actione 11. in Epist. Sophronii, ubi expressè habetur, *personam Christi ex duabus naturis esse compositam*. Et in quinta Synodo dicitur anathema *ei qui dixerit*, Christi personam non esse compositam.

Prob. 2. ex Patribus, Cyrillo lib. de Incarnat. ubi dicit, mediatorem Dei hominumque esse compositum, ex humanitate nostra &c. Damasceno 3. de fide cap. 7. *Ita ut . . . composita facta sit Verbi persona, quæ prius simplex erat, composita, inquam, ex duabus perfectis naturis nempe Divinitate & humanitate*. Augustino Epist. 3. *In illa ergo persona* nempe *hominis, mixtura est animæ & corporis, in hac persona* nempe Christi, *mixtura est Dei & hominis*.

Prob. etiam ratione: Quia ad compositionem, saltem largè sumptam, tantùm requiritur plurium realiter distinctorum unio in ordine ad unum constituendum, quandoquidem componere nihil sit aliud, quàm unum cum altero ponere; atqui hæc omnia hic reperiuntur, cum natura humana & Divina inter se unitæ constituant unum Christum: ergo &c.

Dixi: *ad compositionem largè sumptam*; quia utrum persona Christi sit largè aut strictè composita, dicemus conclusione 3.

CONCLUSIO II.

PErsona Christi quatenus coalescit ex natura humana & Verbi personalitate etiam dici debet composita.

Prob. Quia hic eadem militat ratio, ac antè: cùm natura humana & Verbi personalitas realiter distincta conveniant ad constitutionem unius. Imò non potest admitti prior compositio, nisi & hæc admittatur: nam ideò natura humana & divina componunt Christum, quia uniuntur inter se; atqui natura humana non unitur Divinæ, nisi quia priùs & immediatiùs unitur personalitati Verbi, cui identificatur Divinitas: Ergò ideò persona Christi est composita ex humanitate & divinitate, quia prius composita est ex natura humana & personalitate Verbi.

Dices,

Dices, natura cum personalitate propria non componit personam: Ergò nec cum personalitate Verbi.

Ref. N. conseq. Disparitas est, quòd personalitas creata sit tantùm negatio, divina verò quid positivum; & ideò hæc, non illa, potest intrare compositionem.

CONCLUSIO III.

PErsona Christi non potest dici rigorosè composita, si ad strictam compositionem requiratur, ut unum extremorum habeat se per modum actus, & aliud per modum potentiæ, aliàs dici potest.

Prob. 1. Pars; quia nec divinitas in prima compositione nec Verbi personalitas in secunda, habent se per modum actus aut potentiæ: non quidem per modum potentiæ, cum non sint quid perfectibile: non etiam per modum actus; quia licèt natura divina, sicut & Verbi personalitas reipsa perficiant naturam humanam; quia tamen nec eam informant, nec ei propriè inhærent, non habent rationem actus rigorosè considerati.

Prob. 2. Pars; quia, hoc secluso, habet omnes conditiones ad strictam compositionem requisitas, quæ, juxta Scotum, sunt quatuor. 1. Ut extrema componentia sint realia & realiter distincta. 2. Ut realiter uniantur. 3. Ut unum habeat se ut actus, aliud ut potentia. 4. Ut sint substantialia, & ex eis resultet unum substantiale, quod sit unum per se, atqui hæ omnes conditiones, si tertiam exceperis, reperiuntur in persona Christi, ut facilè patebit rem vel leviter consideranti: ergo.

Obji. 1. Persona Verbi non est composita: atqui persona Christi est persona Verbi: ergo persona Christi non est composita.

Ref. Dist. Min Atqui persona Christi est persona Verbi tantum, N. persona Verbi & hominis, C. unde plus dicit persona Christi, quàm persona Verbi; quia licèt sit eadem utriusque personalitas, post incarnationem tamen non mansit illa personalitas in simplici officio terminandi Divinitatem, sed etiam munus habet personandi humanitatem, ideò plus dicit persona Christi, quàm persona Verbi.

Obj. 2. Si Christus esset compositus, Deus etiam diceretur compositus, atqui hoc repugnat: ergo &c. Prob. Maj. Quia quęcumque prædicantur de Christo, prædicantur de Deo.

Ref. N Maj. Ad Prob dist assumpt. quęcumque prædicantur de Christo, vel ratione Divinitatis, vel ratione humanitatis, prædicantur de Deo, C. sic quia Christus dicitur homo, natus; passus &c. dicitur & Deus. Quæcumque prædicantur de Christo, ut est quoddam totum resultans ex pluribus, prædicantur de Deo, N. aliàs diceretur Deus constare duabus naturis, sicut dicitur Christus, sed hæc fusius postea.

Obj. 3. Nec natura Divina, nec Verbi personalitas possunt esse pars compositi: ergo nec Christus potest esse compositus ex illis.

Ref. Dist. Aut. Non possunt esse pars compositi sumpta pro ente incompleto, aut involvente aliquam imperfectionem, quales sunt materia & forma respectu compositi physici, C. sumpta pro eo præcisè, quod cum alio facit aliquod totum, N. ut sic enim abstrahit ab omni imperfectione: undè non est de ratione partis ut sic: esse ens incompletum, esse quid imperfectius toto, dependere ab illo, &c Illa etenim solùm competunt parti creatæ, quæ ratione suæ limitationis, potest perfici, compleri, dependere, &c.

Replicabis, quocumque modo sumatur pars, minus dicit, quàm totum: ergo involvit aliquam imperfectionem.

Ref. Dist. Ant. Minus dicit, quàm totum extensivè, C. quia totum dicit illam partem & aliquid aliud. Intensivè, subdistinguo, pars finita C. infinita N. hæc enim ratione suæ perfectionis infinitè continet eminenter omnem perfectionem totius compositi, & ideò hæc propositio, *Compositum est perfectius suis partibus componentibus*, non habet hic locum.

Obji 4. Partes componentes sunt priores composito, atqui persona Christi nihil datur prius, cùm sit æterna: Ergo &c.

Ref. Dist. Min. Nihil datur prius persona Christi inadæquatè sumpta, seu prout est persona Verbi præcisè, C. adæquatè sumpta, prout est persona Verbi & hominis, N. ut sic enim ante bis mille annos non existebat.

Obj. 5. Unica est persona in Christo, sed illa non erat composita ante unionem: ergo nec post. Prob. Cons. Quia implicat unum & idem esse compositum & non esse compositum, etiam pro diverso tempore.

Ref. N. Cons. Ad Prob. Dist. Assump. Idem eodem modo se habens non potest esse compositum & non esse etiam pro diverso tempore, C. idem aliter se habens, N. jam autem persona, quæ est Christus, aliter se habet post Unionem ac ante, cùm post illam personet humanitatem, quam ante non personabat. Pro aliis objectionibus

Adverte 1. Ad multiplicationem personarum requiri & sufficere multiplicationem personalitatis, sive interim natura multiplicetur, sive non. Cujus ratio est, quod formale aut quasi formale constitutivum personæ in ratione personæ non sit natura, sed personalitas, & ideo quia tres sunt in Divinis personalitates, tres sunt personæ, licèt unica sit natura: hic verò, quia unica personalitas, licèt natura duplex, unica est persona.

Adverte 2. Quòd licèt ad compositionem naturalem requiratur inclinatio in partibus ad unionem, non tamen ad supernaturalem seu obedientialem, qualis est hæc.

Adverte 3. quòd licèt sit eadem persona Verbi & Christi Verbum tamen distinguatur à Christo, non quidem ratione personalitatis, cùm utriusque sit eadem, sed ratione naturæ, cùm Christus includat humanitatem, quam non includit Verbum præcise.

Adverte 4. quod sicut homo per studium non fit simpliciter novus, sed tantùm secundùm quid, in quantùm fit doctus, quod antea non erat, ita Christi persona per unionem non fit simpliciter nova, sed secundùm quid in quantùm fit humana & composita, cùm anteà non esset.

Adverte 5. personam Christi æquè & propriè dici compositam, ac ipsum Christum: unde Patres modò Christum, modò personam dicunt esse compositam sine ulla distinctione. Imo Damascenus 3. de fide c. 3. dicit quòd Christus sit nomen personæ. Si ergo Christus sit propriè compositus, erit & persona Christi. Præterea ideo Christus est compositus, quia est unum resultans ex pluribus, sed non est unum tale in ratione naturæ, ut patet ex dictis: ergo in ratione personæ, adeoque persona dici debet composita, sicut ipse Christus.

QUÆSTIO IV.

In quo subjectetur Unio Hypostatica, & ad quid terminetur?

CONCLUSIO I.

UNio Hypostatica non subjectatur in Verbo Divino, sed in natura humana.

Prob. 1. Pars. Quia si Verbum Divinum haberet se in Unione Hypostaticam, mutaretur, cùm aliquid haberet in tempore, quod non habuisset ab æterno. Præterea Deus non potest substare accidentibus, qualis est unio.

Dices: Verbum non potest dici unitum per unionem in alio receptam: ergo &c. Prob. Ant. Quia unio non communicat suum effectum formalem (qui est reddere unitum) nisi subjecto, in quo recipitur.

Ref. N. Ant. & ejus Prob Quia unio non tantum communicat suum effectum formalem subjecto, in quo recipitur, sed etiam alteri extremo, ad quod terminatur: quod etiam admittere debent, qui unicam admittunt unionem inter materiam & formam in physicis.

Prob. 2. Pars, Unio illa est accidens aliquod reale ut diximus: ergo debet in aliquo subjectari: non in Verbo Divino: ergo in natura humana, cùm nihil aliud sit assignabile.

CONCLUSIO II.

UNio Hypostatica non terminatur immediatè ad naturam Divinam, aut ad aliquid aliud absolutum. Est contra Durandum, qui hic duplicem admittit unionem, unam immediatè terminatam ad personalitatem Verbi, alteram primariò & magis immediatè terminatam ad totam personam Verbi, seu tam ad naturam, quàm ad personalitatem; quia nullam inter illas agnoscit distinctionem, imo nequidem rationis.

Prob. 1. Conclusio ex Conc. Toletano 6. ubi sic habetur: *Solus Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate Divinæ naturæ, id est, in eo quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati.*

Prob. 2. Ex Patribus, qui passim asserunt naturam humanam inexistere Verbo, esse in Verbo, dependere ab illo, esse factam propriam Verbo: quæ non dicerent, si natura humana immediatè uniretur naturæ Divinæ, aut alicui tribus personis communi, quandoquidem tunc non esset ratio, cur à Verbo potiùs dependeret &c. quàm Patre aut Spiritu sancto.

Prob. 3. Ratione: quia si Unio Hypostatica terminaretur immediatè ad aliquid absolutum, non minùs Incarnati essent Pater, & Spiritus Sanctus, quàm Filius: in Divinis enim quidquid competit uni personæ ratione alicujus absoluti, competit omnibus: sic quia ratione bonitatis, sapientiæ, justitiæ, quæ sunt quid absolutum, competit Patri esse bonus, sapiens,

ju-

justus, etiam competit Filio & Spiritui Sancto; adeòque, si Filius ratione essentiæ Divinæ aut alterius absoluti immediatè terminaret naturam humanam & ejus Unionem, etiam terminarent illam Pater & Spiritus Sanctus, adeòque etiam essent Incarnati; cùm per hoc una persona dicatur Incarnata, quòd immediatè terminet naturam humanam & ejus Unionem.

CONCLUSIO III.

UNio Hypostatica terminatur immediatè ad personalitatem Verbi. Ita DD. communiter.

Prob. Quia cùm Filius dicatur Incarnatus, & non Pater aut Spiritus Sanctus, debet Unio illa terminari ad aliquid, quod est particulare Verbo; atqui nihil est ei particulare præter ejus personalitatem; cùm reliqua omnia sint absoluta, adeòque omnibus personis communia: ergo &c.

Obj. 1. Personalitas Verbi non distinguitur ab essentia Divina: ergo si Unio illa terminetur immediatè ad personalitatem Verbi, terminatur etiam immediatè ad essentiam Divinam, si autem ad essentiam, etiam ad Patrem & Spiritum Sanctum: quod ante rejecimus, ne dicantur Incarnati. Hic est nodus indissolubilis distinctionem formalem inter essentiam Divinam & personalitates rejicientibus: nam ad quodcumque recurrant, sive ad distinctionem virtualem, sive ad distinctionem rationis, sive ad præcisiones, sive ad æquivalentiam unius pluribus, si cum illis omnibus fateantur à parte rei independenter ab intellectu stare omnimodam identitatem inter essentiam Divinam & personalitates, etiam fateri debent, terminatum à parte rei immediatè ad Verbi personalitatem, etiam terminari immediatè ad essentiam. Et certè si non possit Unio Hypostatica immediatè terminari ad Verbum, quin terminetur etiam immediatè ad Filium, quia Verbum & Filius sunt omnino idem, non poterit etiam immediatè terminari ad personalitatem Verbi, nisi immediatè terminetur ad Divinitatem, si sint omnino idem. Nos autem faciliùs ad objectionem

Respondemus dicendo quòd licèt non sit distinctio realis inter essentiam Divinam & Verbi personalitatem, sit tamen distinctio actualis independenter à mentis opera, ità ut sit verum dicere, etiam nullo intellectu præscindente, *Verbi personalitas non est formaliter en natura rei essentia Divina*: quod sufficit ut Unio terminetur immediatè ad unum & non ad aliud.

Obj. 2. Si Unio Hypostatica terminaretur immediatè ad personalitatem Verbi, natura humana esset Filia Dei & referretur ad Patrem Divinum. Prob. Assumpt. quia sicut Verbum per suam personalitatem constituitur Filius & refertur ad Patrem, ità natura humana constitueretur per eam Dei Filia & relata ad Patrem Divinum.

Res. N. Assumpt. Ad Prob. Dico personalitatem Verbi seu filiationem non denominare naturam humanam Dei filiam & relatam ad Patrem, sicut denominat Verbum, quia reipsa inest Verbò intrinsecè imò & intransitivè; naturæ verò humanæ tantùm extrinsecè saltem per unionem; cùm tamen ad denominationem filii aut filiæ debeat filiatio esse intrinseca denominato.

QUÆSTIO V.

An ex eo quòd Unio Hypostatica terminetur ad personalitatem Verbi, sequatur Patrem & Spiritum Sanctum esse in Christi humanitate modo quodam speciali?

DIxi: *modo quodam speciali:* nam certum est Patrem & Spiritum Sanctum esse in Christi humanitate per essentiam, ratione immensitatis, per præsentiam, ratione ubiquitatis, per potentiam, ratione conservationis, cùm ità insit omnibus rebus; item per gratiam sicut in Justis, per gloriam sicut in Beatis. Ad hanc quæstionem negativè respondent Cardinalis Lugo, Rada, Alvarez & Castillo, qui volunt Patrem & Spiritum Sanctum non esse ibi realiter, sicut nec in Eucharistiæ Sacramento, nisi eo modo, quo inest aliis rebus. Contrarium tamen sustinent Suarez, Vasquez, Ragusa, Delgadillo & alii, quos ut sequamur, sit

CONCLUSIO UNICA.

PAter & Spiritus Sanctus insunt specialiter Christi humanitati ratione Unionis Hypostaticæ, ità ut, si per impossibile non ibi forent ratione suæ immensitatis, adhuc inessent ratione hujus Mysterii.

Prob. 1. Ex Patribus, Basilio lib. Ep. *Si quis verè Filium apprehenderit, habebit & ipsum utrumque, hinc Patrem illius, illinc Spiritum Sanctum una compactum.* Augustino serm. Dominicæ Tertiæ Adventus: *Cùm ergo una sit Deitas, una sit Divinitas, implevit quidem carnem Christi Pater & Spiritus Sanctus, sed Majestate, non susceptione.* Quibus verbis ostendunt PP. non potuisse Patrem & Spiritum Sanctum à Filio separari, non ratione immensitatis, sed ratione vinculi communis, seu quia una & eadem est trium personarum essentia, ratione cujus ubi reperitur una, necessariò debet esse & altera per connexionem & concomitantiam.

Prob. 2. Ratione: Quia si per impossibile Pater & Spiritus Sanctus non essent ubique per immensitatem, adhuc essent realiter in Christi humanitate ratione hujus Mysterii: ergo illi insunt modo speciali. Consequentia clara est, quia si per impossibile non essent in aliis rebus per immensitatem, non essent realiter in illis. Prob. Ant. quia tunc Verbum adhuc esset in humanitate; si autem Verbum: ergo & essentia Divina, cùm sit Verbo identificata, si autem essentia Divina: ergo & Pater & Spiritus Sanctus; cùm non minùs essentiæ identificentur, quàm Filius. Fatendum tamen alio modo Filium esse in humanitate, & alio modo Patrem & Spiritum Sanctum: nam Filius ipsi inest 1. per se, & immediatè; quandoquidem per suam proprietatem personalem ipsam immediatè personalizet; aliæ autem personæ, nonnisi per concomitantiam & connexionem cum Verbo ratione vinculi communis, nempe essentiæ Divinæ.

Obj. 1. Si Pater & Spiritus Sanctus essent per concomitantiam in Christi humanitate, essent etiam Incarnati; atqui hoc est falsum: ergo &c. Prob. Maj. quia *personalizarent*, saltem concomitanter, naturam humanam.

Res. N. Maj. Ad Prob. Dist. Assumpt. Personalizarent naturam humanam primariò, per se, immediatè & directè, sicut Verbum, N. secundariò, mediatè indirectè, seu ratione vinculi communis, C. sed hoc non sufficit, ut dicantur Incarnati, sicut nec sufficit, ut dicantur concepti, *geniti*, nati; licèt specialiter fuerint in utero Virginis.

Obj. 2. Sola illa persona fuit modo speciali in humanitate Christi, quæ fuit ipsi unita: atqui sola persona Filii fuit ipsi unita: ergo &c.

Res. Dist. Maj. Sola illa, quæ fuit ipsi unita mediatè, vel immediatè, C. sola illa, quæ fuit ipsi unita immediatè, N. jam autem, cùm essentia Divina mediatè fuerit unita humanitati Christi, Pater autem & Spiritus Sanctus essentiæ Divinæ identificentur, sequitur etiam ipsos fuisse humanitati suo modo unitos, adeòque specialiter in ea fuisse. Ex dictis

Resolve, propter eamdem rationem, Patrem & Spiritum Sanctum esse etiam modo speciali in Eucharistiæ Sacramento, per concomitantiam scilicet & connexionem cum Verbo, ratione identitatis naturæ.

DISPUTATIO VI.

De causa meritoria Incarnationis.

PEr causam Incarnationis meritoriam intelligimus hic personam aliquam, quæ fuit lacrymis, precibus, jejuniis, suspiriis, aut aliis hujusmodi actibus bonis meruerit, ut Dei Filius carnem assumeret, seu fieret homo. Porro hic dupliciter spectari potest Incarnatio, 1. secundùm substantiam, quæ in hoc præcisè consistit, quòd Deus fiat homo: 2. secundùm illius circumstantias, v.g. quòd Verbum Divinum carnem sumpserit tali tempore, ex tali matre, familia &c.

QUÆSTIO I.

An Christi humanitas meruerit, aut mereri potuerit Incarnationem?

DIxi: *Christi humanitas*, & non Christus; quia cùm hic nec tempore, nec natura Unionem Hypostaticam præcesserit, imò subsecutus sit, quandoquidem per illam resultet, clarum est illam nec meruisse, nec potuisse mereri per opera illam præcedentia.

CON-

CONCLUSIO I.

NOn meruit Christi humanitas Incarnationem per opera illam tempore aut natura præcedentia.

Prob. 1. Pars, quæ est de fide; quia Christi humanitas nec quoad animam, nec quoad corpus Incarnationi præextitit secundùm aliquam temporis moram & prioritatem: ergo nec illam meruit, imò nec mereri potuit per opera Incarnationem tempore præcedentia; quandoquidem mereri sit operari, operari autem supponat esse. Prob. Ant. Quia definitum est in Concilio Ephesino & in Lateranensi sub Martino I. contra Nestorium & alios, quòd eo instanti, quo anima fuit creata, fuerit corpori unita, & ipsa tota humanitas Verbo copulata.

Prob. 2. Pars 1. Ex scriptura, quæ Incarnationis opus soli Divinæ liberalitati attribuit, ut Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Et Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto*. Et alibi. Non tamen inde inferas hanc partem esse de fide; quia ex illis & similibus passibus ostenditur Incarnationem fuisse nobis sine meritis nostris concessam, non tamen fuisse concessam Christi humanitati sine illius meritis, licèt hoc non sit tenendum propter unanimem omnium Scholasticorum oppositionem.

Prob. 2. Ex Augustino Enchiridii C. 36. *Quæ bona voluntas, cujus boni propositi studium, quę bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo, ut una fieret persona cum Deo*; & Tr. 82. in Jo: *Neque illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt*.

Prob. 3. Ratione: vel humanitas illam meruisset solis naturæ viribus, vel cum gratiæ adjutorio, atqui neutrum dici potest: ergo &c. non quidem primum, quia sonat Pelagianismum, repugnatque Augustino expressè variis in locis asserenti Incarnationem factam esse gratis, sicut nobis confertur gratis prima gratia præveniens: non etiam secundum; quia, cùm ante Incarnationem humanitas non intelligatur personalizata, non recipit gratiam; quandoquidem prius sit rem perfici & compleri substantialiter, quàm accidentaliter. Præterea principium meriti non potest cadere sub meritum, aliàs idem esset principium sui ipsius, atqui Incarnatio fuit in Christo principium & radix omnis meriti (ex unione siquidem Hypostatica valor operum & vis merendi processerunt) ergo &c. Deinde actiones sunt suppositorum; atqui humanitas ut præintellecta Incarnationi non est suppositata: ergo non potest operari, adeoque nec mereri, cùm meritum sit quædam operatio.

Obj. 1. Apocalipseos 5. dicitur: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere Divinitatem*: ergo Christi humanitas meruit conjungi Divinitati.

Ref. N. Conf. Quia per ly *Accipere Divinitatem*, non intelligitur, fieri Deum, aut divinitatem acquirere, quam non habebat Agnus, sed Divinitatem ostendere ac manifestare, quam antea occultaverat.

Obj. 2. Illud Psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo justitiæ*, idest, Divinitatis, juxta Naziantenum, Augustinum, Bedam & Anselmum.

Ref. 1. Quòd Patres per *Oleum lætitiæ* intelligentes Divinitatem, nolint quòd ly *propterea* significet causam meritoriam, quasi verò sensus sit, *Quia dilexisti justitiam* &c. *Ideo unxit te Deus* &c. sed causam finalem, ita ut sensus sit: *Dilexisti justitiam, propterea*, id est, *& ut justitiam diligeres, unxit te Deus*.

Ref. 2. Quòd alii Patres, ut Hieronymus & alii velint quidem quòd particula *propterea* denotet causam meritoriam, at volunt per ly *Oleo lætitiæ* non intelligi Divinitatem, sed effectus accidentales, quos Christus sibi promeruit, ut conscientiæ exhilaritatem, triumphum de hoste, gaudium de victoria, Resurrectionem, Ascensionem &c.

Obj. 3. S. Basilius Homil. de humana Christi generatione sic loquitur: *Digna fuit*, scilicèt humanitas, *Unigeniti Divinitati conjungi*: ergo &c.

Ref. Dist. Ant Digna fuit dignitate meriti, seu meruit ut Divinitati conjungeretur, N. digna fuit dignitate congruentiæ & capacitatis, seu fuit congrua & capax, ut illi conjungeretur, C. sed N. Conf.

Obj. 4. Christi humanitas in priori naturæ, quàm uniretur, potuit de potentia Dei absoluta mereri: ergo reverà meruit, quandoquidem omnis perfectio possibilis sit Christo, ejusque matri concedenda.

Ref. N. Conf. Rationem autem ejus distinguo; omnis perfectio est Christo concedenda, si rerum ordo inverti non debeat, C. secus, N. inverteretur autem iste ordo, si natura operaretur, antequam esset personalizata.

CONCLUSIO II.

POtuit Christi humanitas de potentia Dei absoluta mereri Incarnationem in priori naturæ, quàm uniretur Verbo. Ità tenent Rada, Castillo, Felix, Delgadillo, & alii Scotistæ contra Thomistas, qui, cùm negent humanitatem in illo priori, quàm uniretur Verbo, habuisse existentiam, ità negant illam potuisse operari, adeoque mereri.

Prob. 1. Non apparet potius contradictio, quòd natura operetur sine personalitate, quam quòd accidentia sine subjecto; atqui hæc de potentia Dei absoluta operari possunt sine subjecto, ut patet in Sacramento Eucharistiæ: ergo & illa sine personalitate. Prob. Maj. quia accidens à subjecto separatum non est etiam suppositatum.

Prob. 2. quia, etsi secundùm communem rerum ordinem, personalitas sit modus naturæ substantiali necessarius ad operandum, nulla tamen assignari potest urgens ratio, cur Deus, qui omnes naturæ transgreditur limites, non possit naturæ verè existenti & singulari (qualis est humanitas in priori naturæ, quàm uniatur Verbo) tribuere vim operandi, præsertim cùm hæc operandi vis resideat in natura, & non in personalitate.

Obj. 1. Actiones sunt suppositorum, atqui in illo priori humanitas non est suppositata, seu personalizata: ergo non potest operari, adeoque nec mereri.

Ref. 1. Quòd 1. Metaphysices c. 1. ubi axioma istud reperitor, textus Græcus habeat: actiones sunt singularium, ut latentur Lorca, Vasquez & alii, humanitas autem in illo priori est verè singularis.

Ref. 2. Axioma illud intelligendum esse de Lege ordinaria; ex quo non probatur, quòd de potentia Dei absoluta non possit contrarium evenire.

Obj. 2. Principium meriti non potest cadere sub meritum, cujus est principium, aliàs effectus esset causa suæ causæ; atqui Incarnatio est principium & radix omnis meriti: ergo non potest cadere, sub meritum: ac proindè non potest Christi humanitas illam promereri.

Ref. Dist. Min. Atqui Incarnatio est principium omnis meriti de Lege ordinaria Con. de Lege extraordinaria, sicut per Deum non possit aliter fieri, N. Potuisset enim Deus illo casu infundere humanitati gratiam habitualem, quæ esset illius meriti principium.

Obj. 3. Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18 dicit quod essentia divina non generet, sed Pater: quia actiones sunt suppositorum. ergò illud axioma etiam intelligendum est de possibili.

Ref. Sic Joannem fuisse locutum, quia; utpotè Thomista, erat illius Sententiæ, cui non contradixerunt Græci, quibuscum agebat, eò quòd fortè idem sentirent: quamvis tamen ratio optima, cur generet Pater, & non essentia, sit quia inter generantem & genitum debet esse distinctio realis, qualis non est inter essentiam & Filium.

Obj 4 Priùs est esse, quàm operari, ergo priùs est humanitatem esse suppositam, quàm operari.

Ref. Dist. Ant. Priùs est esse completè vel incompletè, quàm operari; Conc. completè, subdistinguo: de Lege ordinaria, Con. de Lege Dei absoluta & extraordinaria, N. Et sic potest operari humanitas, antequàm per Verbi personalitatem intelligatur completa.

QUÆSTIO II.

An Christus, per opera Incarnationem subsequentia illam meruerit, aut saltem meriri potuerit?

QUærimus hic an Christus per actiones, quas in tempore exercuit, moverit, aut saltem movere potuerit Deum, ut Incarnationem ab æterno intenderet, seu prædestinaret, vel saltem ut illam in tempore exequeretur ex quo patet Incarnationem spectari posse vel secundùm intentionem, vel secundùm executionem.

CONCLUSIO I.

CHristus non meruit Incarnationem per opera illam subsequentia, sive spectetur secundùm intentionem, sive secundùm executionem. In hoc conveniunt omnes, si unicum Delgadillo exciperis.

Prob. 1. Merita Christi necessariò præsupponunt Incarnationem: ergo illam non meruit Christus. Prob. Ant. Quia merita illa desumunt suum valorem & habent quòd sint Christi merita ab ipsamet Incarnatione.

Prob.

Prob. 2. Quod jam est, non potest alium movere, ut sit, atqui quando est Christi meritum vel præsens, vel futurum, est & ipsamet Incarnatio; cum sit illius meriti principium: ergo &c.

Prob. 3. Si Christus sic meruisset Incarnationem, non esset ratio, cur non possemus mereri primam gratiam sanctificantem, imò & primam gratiam prævenientem, quod nemo dixerit.

CONCLUSIO II.

CHristus non potuit mereri Incarnationem secundùm intentionem spectatam per opera illam subsequentia. Est communis contrà Delgadillo.

Prob. 1. Priùs decreta fuit Incarnatio, quàm fuerint decreta Christi merita; ergo hæc non potuerunt Deum movere, ut illam decerneret. Conseq. clara est. Prob. Ant. Quia sicut priùs est esse, quàm mereri, ità priùs est decernere Christum esse, quàm Christum mereri, atqui Christus habuit esse per Incarnationem: ergo priùs decreta est incarnatio, quàm decreta fuerint Christi merita: & consequenter non poterant hæc (utpote nec existentia, nec futura) Deum movere, ut incarnationem decerneret.

Dices cum Delgadillo; merita Christi possibilia & quasi in spe, potuerunt movere Deum, ut incarnationem] decerneret, sicut merita alicujus militis sperata, possunt movere Regem, ut illum militem nobilitet

Ref. Dist. Ant. Merita Christi possibilia potuerunt movere Deum, ut decerneret Incarnationem tanquam donum gratuitum, transeat, tanquàm præmium seu mercedem meriti, N. præmium enim actuale requirit meritum actuale. Idem est de milite

Replicabis: Patres veteris Testamenti habuerunt gratiam ex Christi meritis nondum existentibus: ergo præmium actuale non requirit meritum actuale.

Ref. Dist. Conf. Non requirit meritum actuale, id est, actualiter existens, quando confertur præmium, C. non requirit meritum actuale in sua temporis differentia, N. jam autem Christi merita, licet non existerent actualiter, dum Patribus veteris Testamenti conferebatur gratia; pro tunc tamen videbantur à Deo, ut actualia in sua temporis differentia.

Inst. 1. Potest Deus decernere gloriam ut coronam, antè absolutam prævisionem meritorum; ergo potest decernere incarnationem ut præmium, antequam prævideat Christi merita in aliqua temporis differentia. Prob Ant Quia prædestinatio ad gloriam fit independenter à prævisis meritis.

Ref. N. Ant. ad Prob. Dist. Assump. prædestinatio ad gloriam, ut donum merè gratuitum, fit independenter à prævisis meritis, C. ad gloriam ut coronam formaliter, vel præmium, N. datur ergo in Deo duplex decretum in ordine ad gloriam, unum intentivum, quo ante prævisa merita vel præcisè gloriam, aliud executivum, quo prævisis meritis, vult gloriam ut coronam.

Inst. 2. Licèt præmium ut revera debitum requirat prævisionem meritorum in sua temporis differentia existentium; ut est tamen solutio anticipata tantum requirit merita in Spe, & certe quidni potuisset dicere Deus: volo Christi Incarnationem propter opera ab ipso patranda; licèt illam necdum intelligatur prævidere, quia necdum futura; sed quasi sperate, quia possibilia.

Ref. N. Anticipatam illam solutionem non esse verum præmium, quia non supponit meritum reale; nam licèt duceretur Deus ex Christi meritis quasi in spe futuris ad decernendam Incarnationem; Christus tamen illam non mereretur. Quòd sic ostendo. Si, facta Incarnatione Christus per possibile vel impossibile nihil mereretur, adhuc staret, quòd Deus voluisset Incarnationem ob Christi merita quasi in spe futura; & tamen non staret, quòd Christus illam meruisset: ergo, ut aliquis dicatur mereri, non sufficit quòd præmians det aliquid ex spe meritorum tantùm possibilium. Et certè si herus dedisset famulo 100. nummos ob illius labores tantùm in spe futuros, famulus autem statim moreretur, nullus diceret famulum illum 100. nummos meruisse, licèt faterentur omnes, datos esse ex spe laboris.

CONCLUSIO III.

NEc potuit mereri Christus Incarnationem in executione spectatam per opera illam subsequentia. Ità Scholastici satis communiter contrà Suarez & Delgadillo.

Prob. 1. Non potest aliquid mereri suum principium formale & intrinsecum; atqui, si Christi merita mererentur executionem incarnationis, mererentur suum principium formale & intrinsecum: ergo &c. Major videtur certa: nam si aliquid mereretur suum principium formale, mereretur suam formam: adeoque partem sui-ipsius, quod implicat. Prob. Min. quia non incarnatio, prout abstrahit ab existentia, sed ut existens & executioni mandata, est principium meritorum Christi; quandoquidem ab ea non tantùm intenta: sed de facto executioni mandata, sumant suum valorem & condignitatem.

Prob. 2. Non potest moveri Deus à prævisis Christi meritis, ut exequatur incarnationem tanquàm præmium dictis meritis, debitum; ergo non potest illam mereri Christus Prob. Ant. Quia non potest moveri Deus à Christo, ut ponat Christum, seu ab incarnatione, ut ponat incarnationem: atqui, si moveretur Deus à Christi meritis, ut exequeretur incarnationem, moveretur ab incarnatione, ut incarnationem poneret; quandoquidem Christi merita illam involvant tanquam formale sui principium, à quo habent suum valorem: ergo &c.

Dices cum Suarez, licèt merita Christi in intentione non possint movere Deum ad Incarnationem in intentione, sicut nec illius merita in executione ad Incarnationem in executione, quia scilicet posterius non potest movere ad prius, possunt tamen merita in intentione movere ad Incarnationem in executione, quia hæc ut sic intelligitur posterior illis.

Ref. N. Assumpt. Quia, cùm meritum non possit præmiari per se-ipsum, aut per aliquid à se omninò inseparabile, aliàs præmiatus non foret ditior formaliter cum præmio, quàm cum solo merito, sequitur non posse Deum præmiare Christi merita per Incarnationem: quandoquidem hæc in illis ita formaliter vel præsuppositivè includatur, ut nequidem per potentiam Dei absolutam possit ab illis separari aut præscindi *sive in intentione*, sive in executione: aliàs essent *Christi merita*: & non essent. Pro aliis objectionibus

Adverte 1. Quòd sit ratione causæ meritoriæ movere, quia est realiter in sua temporis differentia: & in hac differt à causa finali, quæ movet, ut sit.

Adverte 2. Non sequi possumus mereri gloriam in executione; ergo & Christus Incarnationem in executione, quia Incarnatio ut executioni mandata præsupponitur ad merita Christi, cùm sit illorum principium, gloria autem ut collata, subsequatur merita nostra tanquam illorum effectus.

QUÆSTIO III.

An Christus meruerit Incarnationis circumstantias?

ADverte Incarnationis circumstantias alias esse antecedentes, ut quòd Christus fuerit à Prophetis prædictus, ab Angelo prænunciatus, ex Virgine conceptus. Alias comitantes, ut quod Incarnatio facta sit tali loco, tali tempore, tali modo. Alias subsequentes, ut sunt concentus Angelorum, laudes Pastorum, adoratio Magorum, apparitio Stellæ, &c.

CONCLUSIO I.

CHristus meruit omnes circumstantias Incarnationis tum antecedentes, tum concomitantes, quæ nec in aliquo genere sunt causæ aut principia substantiæ Incarnationis ut executioni mandatæ, nec eam necessariò concomitantur. Est contra Vincentium volentem nullas meruisse. Item contra Honet, Suarez & alios, qui negant meruisse antecedentes & concomitantes.

Prob. Concl. Christus meruit illud omne quod congruenter habere potest rationem præmii, atqui præfatæ circumstantiæ sunt tales, cum nec sint principium meriti, nec illud influant, nec ab illis dependeant Christi merita: ergo &c. Hinc

Resol. 1. Christum meruisse annunciari ab Angelo, desiderari à Patribus, prædici à Prophetis: item meruisse suæ Matri Virginitatem, Conceptionem ab originali peccato immunem &c. quia nec per se, nec per accidens sunt causæ aut principia Incarnationis, etiam ut in executione considerate, nec ad eam necessariò requiruntur: nam revera posset esse Incarnatio peracta, licèt Maria non foret Virgo, aut non foret ab originali præservata, licèt Christus non fuisset ab Angelo prænunciatus &c.

Resol. 2. Christum non meruisse concipi de Spiritu Sancto, nasci ex hac Matre potius quàm illa, ex hoc populo potius quàm illo, quia illa fuerunt causæ mediatæ, vel immediatæ Incarnationis executioni mandatæ, quæ cùm non possit cadere sub meritum, quia est principium meriti, nec à fortiori cadere possunt principia principii.

Dices 1. Meruit Christus nasci ex Virgine: ergo meruit nasci ex tali Matre, cùm Virginitas sit talitas Matris.

Resp. Neg. Conf. Rationem autem ejus distinguo: Virginitas

nitas est talitas Matris non influens in ipsam Incarnationem, C. influens, N. licèt enim Maria non fuisset Virgo, eadem numero fuisset ex omni parte Incarnatio; cùm Virginitas non plus faciat ad Incarnationem, quàm albedo aut nigredo matris.

Dices 2. Mater, familia, populus, sunt tantum causæ per accidens Incarnationis; quandoquidem, ipsis non existentibus, potuisset existere Incarnatio, scilicet ab alia matre, ab alio populo &c. ergo Christus meruit circunstantias matris populi &c.

Resp. Neg. Conf. Quia eo ipso, quo aliquid est principium alicujus rei sive per se, sive per accidens, non potest esse illius principiatum: cùm ergo Maria, populus Judaicus sint reverà aliquod principium Incarnationis, licèt per accidens, non possunt, mediante Christi merito, esse illius principiatum.

Dices 3. potuit Deus velle poni hanc numero humanitatem, hancque Verbo unitam exercere talia vel talia merita, absque eo quòd decerneret adhuc hanc numero matrem: ergo potuit moveri à prævisis Christi meritis, ut signo sequenti decerneret Mariam in Christi Matrem, & consequenter potuit Christus illam meruisse. Prob. Ant. Quia potuit Deus secundùm Scotum, decernere Incarnationem, abstrahendo à modo passibili vel impassibili: ergo & potuit decernere hanc numero humanitatem &c. abstrahendo à tali vel tali matre.

Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Ant. potuit decernere Incarnationem abstrahendo &c. decreto intentivo, C. decreto executivo, N. posset eodem modo distingui antecedens prius. Hujus autem ratio est, quod decretum intentivum tantum respiciat rem secundùm substantiam præcisè, executivum autem, rem cum omnibus circunstantiis in ea ut executioni mandata necessariò involutis: unde vi decreti intentivi tantum habet res decreta futuritionem initiativè seu remotè, in quantùm tenetur Deus vi illius decreti habere decretum executivum, quod causat rei futuritionem proximè & completè, ac existentiam in sua temporis differentia.

Dices 4. Potuit Deus, decreto Christo quoad substantiam abstrahendo à concursu hujus vel illius matris, decernere decreto intentivo ejus merita, atqui talia merita potuerunt movere Deum, ut vellet decreto executivo, nasci Christum ex hac matre, nempè B. Virgine: ergo potuit Christus mereri B. Virgini maternitatem Dei.

Resp. Neg. Min. Nam merita movent, aut quia sunt, aut quia cognoscuntur absolutè futura in sua temporis differentia, per decretum autem intentivum nec habent esse actuale, nec futuritionis, cùm illud accipiant per Decretum executivum.

CONCLUSIO II.

MEruit Christus omnes circunstantias Incarnationem subsequentes. Est communis.

Prob. Potuit Christus illas facilè mereri: ergo reverà meruit, quandoquidem nihil sit Christo denegandum ad ejus honorem conducens, quod ei facilè potest attribui. Prob. Ant. Quia Christus meruit à 1. suæ conceptionis instanti, atqui circunstantiæ illæ sunt natura & tempore Incarnatione posteriores: ergo potuit illas mereri. Hinc

Resol. 1. Meruisse esse mundi Judicem, Instituere Sacramenta, facere prodigia, adorari à Magis, serviri ab Angelis, timeri à Judæis &c.

Resol. 2. Etiam meruisse, ut Unio Hypostatica toties replicaretur, quoties in Eucharistiæ Sacramento poneretur, cùm hoc sequatur ex merito instituendi Sacramenta.

Resol. 3. Quod licèt potuerit mereri Christus hujus unionis continuationem, cùm ut sic non fuerit in Christo principium meriti, probabilius tamen illam non meruerit; quia ex natura rei debebatur ipsi Unioni conservatio perpetua, sicut animæ rationali & visioni beatificæ, idque ob intrinsecam illius incorruptibilitatem. Idem dic de extensione unionis ad novas corporis partes successivè per nutritionem acquisitas; quia, posita prima rei productione, sicut debetur ei naturaliter conservatio, ita & restauratio, ne pereat.

Resol. 4. Meruisse etiam in Resurrectione reunionem, non tantùm animæ cum corpore, sed etiam totius suæ humanitatis cum Verbo Divino; cùm hæc videatur pertinere ad Resurrectionem quam meruisse suo loco dicemus.

Dixi: *Totius suæ humanitatis*; quia licèt partes separatæ, anima scilicet in limbo & corpus in sepulchro, semper fuerint Verbo unitæ; cùm nihil eorum Deus dimiserit, quod semel assumpsit: quia tamen humanitas ut est quoddam totum suo modo periit, etiam restituta, Verbi personalitati reuniri debuit.

QUÆSTIO IV.

An B. Virgo meruerit Dei maternitatem?

ADverte 1. Duplex assignari meritum, condignum unum, congruum alterum. Primum est, cui ex quadam justitia & operis dignitate debetur præmium. Secundum verò, cui tantùm ex quadam amicitia & congruitate: quibus tertium addit Doctor Seraphicus, consistens in quodam medio inter utrumque, quod meritum dignum vocat: seu de digno.

Adverte 2. Ad meritum condignum seu de condigno tria requiri, 1. Quòd operans sit in gratia. 2. Quòd opus vel formaliter val virtualiter in Deum referatur. 3. Quòd adsit promissio de reddendo operi præmio, ex quibus patet meritum condignum habere infallibilem effectum apud Deum ratione promissionis Divinæ, non sic meritum congruum, cui tamen debetur præmium ex congruitare.

Adverte 3. Christi maternitatem dupliciter spectari posse, nempè secundùm actum generandi, & secundùm Officia maternitatis, quæ sunt prolem in utero gestare, parere, ablactare, fovere &c.

CONCLUSIO I.

BEata Virgo non meruit de condigno Christi maternitatem sive quoad electionem, sive quoad executionem. Hæc est communissima contra Aimainum, Abulensem & paucos alios, quorum sententiam probabilem reputat Gabriel, & sequitur de facto Delgadillo.

Prob. 1. Non potuit B. Virgo mereri de condigno esse mater Christi, nisi meruerit de condigno ipsummet Christum; atqui Christum non potuit mereri de condigno: ergo nec esse Mater Christi. Minor admittitur ab omnibus, quia, cùm Christus sit principium meriti, non potest cadere sub meritum. Prob Maj. Quia sicut quis non potest de condigno mereri esse pater Joannis, nisi de condigno mereatur Joannem, ità nec B. Virgo potuit mereri de condigno esse Mater Christi, nisi eodem modo mereretur Christum.

Prob. 2. Non potest quis de condigno mereri præmium, nisi adsit præmii operibus reddendi promissio seu pactum, ut patet ex tertia conditione ad meritum de condigno requisita; atqui nec in tota Scriptura, nec in Patribus, nec ex revelatione habemus promissionem de Christi maternitate operibus B. Virginis retribuenda: ergo &c.

Prob. 3. Quia ex natura rei, & de lege ordinaria præmium operibus puræ creaturæ condignum, est gratia & vita æterna, atqui B. Virgo fuit pura creatura: ergo maternitatem Dei non meruit de condigno suis operibus; aliàs si non fuisset mater Dei, non potuissent illius opera condignè præmiari, quod nemo dixerit.

Prob. 4. B. Virginis merita sunt ordinis gratiæ; atqui Dei maternitas est ordinis Hypostatici; ergo non potuit illam condignè mereri. Prob. conseq. Quia, cùm ordo Hypostaticus sit longè superior ordine gratiæ & gloriæ, non possunt merita ordinis gratiæ ad illum tanquam ad præmium debitum ordinari.

Dices 1. Non defuit operibus B. Virginis promissio in ordine ad merendam Christi maternitatem: ergo illam condignè meruit. Prob. Ant. Quia Isaiæ 7. dicitur: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*.

Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dico passum illum, sicut sequentem: *Egredietur virga de radice Jesse* c. 11. continere prophetiam, non promissionem aut pactum de reddendo operibus meritoriis præmio.

Dices 2. B. Virgo fuit condignè disposita, ut esset Mater Dei; ergo meruit de condigno illius maternitatem. Prob. Ant. Quia ad Divinam sapientiam & bonitatem spectabat condignè disponere personam, cui se dare in filium volebat. Prob. etiam conseq. Nam qui meretur ultimam dispositionem ad formam, videtur mereri & ipsam formam.

Resp. Dist. Ant. Fuit condignè disposita, idest, habuit tantum sanctitatis gradum, quantum habere potest pura creatura, C. idest, fuit taliter disposita, ut ei Christi maternitas deberetur, N. nulla ergo fuit connexio necessitatis inter Virginis sanctitatem & Dei maternitatem, sed tantùm cujusdam aptitudinis & congruentiæ; quia supposito quòd Deus vellet fieri homo, nulla erat creatura sanctior, nulla purior, adeòque nulla aptior, ex qua carnem sumeret.

Ad id quod dicitur, eum qui meretur ultimam dispositionem ad formam, mereri & ipsam formam: Dico illud esse verum, quando reperitur connexio necessaria inter ipsam dispositionem & formam, qualis non reperitur hic, ubi totum pendet à mero Dei arbitrio.

Dices 3. Minùs fuit B. Virgini concipere carnem Christi, quàm fidem Christi; atqui hoc meruit de condigno: ergo illud. Minor certa est. Prob Maj. Quia ut ait Augustinus: *Felicior fuit Maria concipiendo Christum mente, quàm ventre.*

Resp. Dist. Maj. Minùs fuit B. Virgini in ordine ad suam sanctitatem, C. in ordine ad dignitatem, N. nam altioris est ordinis Dei maternitas, quàm animæ sanctitas, licèt secundùm se hæc sit magis subjecto suo proficua, quàm illa.

CONCLUSIO II.

NEc meruit B Virgo de congruo Dei maternitatem secundùm electionem. Ità Rada, Sylvius, Lorca, Navarrus, Castillo & alii quàm plurimi; quibus non contrariantur Sancti Patres, cùm dicunt B. Virginem dignam fuisse Christi maternitate; probabilius enim est, eos loqui de Christi maternitate secundùm executionem, de qua postea, quàm secundùm electionem.

Prob. 1 Conclusio: Non potuit mereri Christus B. Virgini Dei maternitatem: ergo nec potuit ipsamet illam sibi mereri. Antecedens Quæst præced. probatum est, & ulteriùs confirmatur ex eo, quod Christi merita dignificentur & suum valorem habeant per Incarnationem reverà executioni mandatam seu involventem tanquam sui principium ipsammet Dei maternitatem; adeoque ista merita, utpote Incarnatione & Dei maternitate posteriora non tantùm tempore, sed & natura ac prævisione, non potuerunt Deum movere, ut Dei maternitatem decerneret. Prob. conseq Quia B. Virginis merita sunt adhuc posteriora Christi meritis & ab aliis dependentia cùm ex illis & propter illa acceperit gratias, quibus posset mereri.

Confirmatur: Quia principium meriti & Christi & B. Virginis & aliorum, non est Christus ut sic, seu ut abstrahens à circumstantiis familiæ, matris, loci, temporis &c. ut volunt Adversarii, sed Christus ut reipsa existens in determinata temporis differentia (licèt non actualiter) adeoque ut importans talitatem loci, temporis, matris &c. Cujus ratio est, quòd Christi merita habeant valorem quemdam realem, adeoque ab aliquo reali, qualis non est Christus ut abstrahens à tali vel tali Matre, à tali vel tali tempore; cùm ut sic nec existat, nec existere possit.

Dices: B. Virgo respondendo Angelo Gabrieli Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, meruit aliquid; atqui non aliud, quàm DEI maternitatem: ergo &c. Resp. Neg. Min Meruit enim vitam æternam, quod est meritum condignum meritis puræ creaturæ.

Inst. 1. Nisi B. Virgo consensum dedisset, Christus non fuisset in illa Incarnatus, ut dicunt PP. ergo per illum consensum meruit Dei maternitatem.

Res. Neg conseq. Quia ex eo quòd vi præsentis decreti dependeat Incarnatio à Virginis consensu, non sequitur propter ea consensum illum esse causam meritoriam Incarnationis Christi, sed tantùm quòd sit conditio sine qua non: sicut ex eo quòd quis statuisset non dare eleemosynam nisi pauperi seminudo, non sequitur quòd seminuditas sit causa meritoria eleemosynæ, sed conditio sine qua non fuisset data.

Inst. 2. Per consensum præfatum meruit puerum JESUM in utero portare, parere, alere, in sinu fovere &c. ergo meruit illius maternitatem.

Res. Concesso antecedente, dist. cons. meruit illius maternitatem ut terminatam ad primam Christi generationem, N. ut terminata ad obsequia maternam generationem subsequentia, C. quia hoc modo considerata Christi maternitas est posterior principio merendi, non 1. modo.

Inst. 3. Mereri maternitatem Dei 1. modo spectatam, est magnus honos: ergo B. Virgini tribuendus. Prob. conseq. Quia B. Virgini tribuenda est omnis perfectio & dignitas possibilis.

Res. Neg. conseq. ad Prob. Dico verum esse Assumpt Sed nego prætensum honorem esse B. Virgini possibilem propter rationes in conclusione allatas.

CONCLUSIO III.

BEata Virgo meruit de congruo Dei maternitatem ut in tempore impletam, seu meruit, ut Deus, qui ipsam ab æterno elegerat in Dei matrem, ipsam electionem in tempore compleret, quasi propter illius merita, approbando, confirmando, & sibi complacendo in eo, quod ab æterno circa illam decreverat, ita ut vi illius complacentiæ efficacis futurizaret Dei maternitatem, si non inveniret futurizatam. Ita Rada, Castillo, Frassen, & innumeri alii.

Prob. 1. Ex Sanctis PP. Epiphanio hæresi septima *Quomodo audent impetere impollutam Virginem, quæ digna facta est habitaculum fieri Filii Dei?* Ambrosio l. 2. de Virginibus: *Digna fuit, ex qua Dei Filius nasceretur.* Hieronymo ad Eustochium de custodia Virginitatis: *Propone tibi B. Mariam, quæ tantæ puritatis extitit, ut mater Domini esse mereatur.* Bernardo sermone de aquæ ductu: *Quomodo illam inaccessam attigit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo?* Idem habet Augustinus pluribi.

Dices vel passus illi nihil probant, vel nimium, quandoquidem etiam probent meruisse eligi in Dei matrem.

Resp. Neg. Assumpt. Quia ne unus quidem Pater attigit electionem æternam, sed omnes electionis æternæ impletionem temporalem, ut ipsos vel leviter consideranti patebit unde longè verisimilius est hanc esse genuinam Patrum mentem, sicut & Ecclesiæ, dum canit in oratione post complerorium, *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur.*

Prob. 2. Ratione Theologica. Quos Deus ab æterno prædestinavit ad gloriam sine prævisis meritis, salvat in tempore propter merita: ergo quam elegit ab æterno in Dei matrem sine prævisione meritorum, facit in tempore esse Dei matrem propter merita, quandoquidem hoc faciat ad Virginis gloriam, cujus honorem quantùm potuit, promovit amantissimus ejus Filius.

Confirm. quia sicut Princeps aliquis ex gratia statuens reo ad mortem damnato vitam servare, quandoque tamen in favorem sui intimi disponit, ut gratiam illam ante à se exigat, & ad illius supplicationem, quod decreverat, exequitur, à Deus Filii sui maternitatem ab æterno ex mera gratia prædefinitam & decretam, in honorem Virginis, propter ejusdem orationes & merita, executioni tradidit.

Dices: Dei maternitas est quoddam principium Incarnationis, adeoque principium meriti, atqui principium meriti non cadit sub meritum: ergo nec à fortiori principium principii omnis meriti.

Res. Dist. Min. Principium meriti secundùm æternam prædestinationem non cadit sub meritum, C. secundùm impletionem temporalem, N.

Inst. Incarnatio ut executioni tradita est principium meriti ergo etiam secundùm impletionem temporalem non cadit sub meritum.

Res. Dist. Ant. Ut executioni tradita, secundùm Dei prævisionem in sua temporis differentia, C. ut executioni tradita secundùm realitatem temporalem, N. Nolumus ergo. quòd Incarnatio ut de facto posita in rerum natura sit principium meriti; aliàs Sancti Patres ante Christum existentes non potuissent mereri, sed Incarnatio prævisa ut executa, &, ut ad captum nostrum loquamur, ut exequenda in sua temporis differentia. Cùm ergo postquam prævidit Deus Christi Incarnationem, ac ipsius maternitatem ut exequendas in sua temporis differentia, prævideret Christi merita, ac postea merita B. Virginis, sanctorum Patrum &c. antequam impleretur temporaliter Christi Incarnatio, ac illius maternitas, potuerunt Virginis merita Deum movere, ut quod ab æterno decreverat; in tempore exequeretur, adeoque potuit mereri B. Virgo Dei maternitatem secundùm impletionem

QUÆSTIO V.

An B. Virgo & Sancti Patres meruerint Christi Incarnationem, aut saltem aliquas ejus circumstantias?

CONCLUSIO I.

NEc B. Virgo, nec SS. Patres meruerunt aut mereri potuerunt de condigno Christi Incarnationem quomodocumque spectatam. Est communis.

Ratio est, quia nullum reperimus in Scriptura sacra pactum aut promissionem de reddendo operibus B. Virginis aut SS. Patrum tali præmio. Præterea gratia B. Virgini & SS Patribus collata tantùm ordinabatur ex se ad gloriam, cujus est semen.

CONCLUSIO II.

NEc meruerunt, nec mereri potuerunt de congruo Christi Incarnationem secundùm prædestinationem. Ita Scotus 4 dist. 2. q. 1. n. 1 r. Kelliion, Rada, Castillo, Platel & alii.

Prob. 1. Repugnat principium meriti cadere sub meritum, ut diximus; quia idem non potest esse principium & effectus meriti, atqui Incarnatio fuit B Virgini & SS. Patribus principium omnis meriti, adeoque tam congrui, quàm condigni: ergo &c. Prob. Min. Quia omne meritum illorum fundabatur in fide Christi venturi: ergo supponebant Christum venturum, ac consequenter prædestinatum: unde non petebant

à Deo,

à Deo, ut Chriſtum prædeſtinaret; ſed ut prædeſtinatum mitteret.

Prob. 5. Chriſtus fuit ante omnes prædeſtinatus, atqui aliorum prædeſtinatio facta eſt ante prævisa merita: ergo à fortiori facta eſt Chriſti prædeſtinatio ante prævisa B. Virginis aut SS. Patrum merita.

CONCLUSIO III.

Dici poteſt B. Virginem & SS. Patres meruiſſe de congruo temporalem Incarnationis executionem, colligitur ex Scoto ſupra, quem ſequuntur Suares, Rada, Contenſon, Gonet & alii, quibus expreſsè favere videtur S. Thomas hic q. 2. a. 11. o. ubi ait: *ex congruo tamen meruerunt SS. Patres Incarnationem, deſiderando & petendo &c.*

Prob. 1. Congruum eſt, ut Deus exaudiat Juſtas & Sanctas amicorum ſuorum, ac præſertim Matris ſuæ, preces, deſideria, poſtulationes; atqui petebant illi inſtantibus precibus ac ſuſpiriis ferventiſſimis, ut Incarnationem, quam ab æterno decreverat, Deus in tempore adimplere dignaretur: ergo &c. Prob. Min. Nam Iſaiæ 16. dicebant: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ*. Et 45. *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant juſtum*. Item 64. *Utinam diſrumperes Cœlos, & deſcenderes*. Similia habentur in Pſalmis: unde Deus quaſi victus eorum precibus ait Pſ. 11. *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam . . . Ponam in ſalutari*.

Prob. 2. Si B. Virgo & SS. Patres accepiſſent gratiam independenter à Chriſti meritis, potuiſſent Incarnationem de congruo mereri; atqui ex eo quòd acceperint gratiam ſuam ex prævisis Chriſti meritis, illorum opera non ſunt minùs efficacia, nec minoris valoris: ergo potuerunt illam de congruo mereri ſecundùm executionem.

Objici. 1. Ex paſſibus ſcripturæ allegatis colligitur quidem B. Virginem & SS. Patres meruiſſe de congruo executionem quarumdam circumſtantiarum, puta loci, temporis, non tamen ipſiuſmet incarnationis.

Reſp. Patres meruiſſe de congruo id quod petebant, atqui non circumſtantias, ſed ipſammet incarnationem petebant, ut evidenter oſtendunt paſſus citati: ergo &c.

Objici. 2. Incarnatio, etiam ut in tempore executioni mandata, fuit opus meræ liberalitatis & miſericordiæ, ut patet ex Lucæ 1. *Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto*: Ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Fuit opus meræ liberalitatis; id eſt, excludens ex parte Dei omnem obligationem, C. id eſt etiam excludens congruitatem, N.

Objici. 3. Chriſtus non potuit mereri incarnationis ſuæ executionem: ergo nec SS. Patres.

Reſp. Neg. conſeq. Quia licèt poſſit quis mereri aliquid à ſe diſtinctum, non tamen ſeipſum, aliàs non eſſet ditior eum præmio, quam ſine illo; jam autem ſi Chriſtus incarnationem meruiſſet, ſeipſum meruiſſet, ſeu Chriſtus meruiſſet eſſe Chriſtus.

Objic. 4. Principium meriti non cadit ſub meritum, atqui merita ſanctorum non minùs habent pro principio incarnationem, quàm Chriſti merita: ergo &c.

Reſp. 1. Diſt. Min. Non minùs habent pro principio incarnationem ut executam in Dei præviſione, C. ut executam in tempore, N. alias non potuiſſent ante incarnationem peractam mereri defectu principii meriti.

Reſp. 2. Diſt. Maj. Principium meriti formale & intrinſecum non cadit ſub meritum, C. principium extrinſecum, N. Ratio diſcriminis eſt, quod principium formale meriti ſit id, à quo tanquam intrinſeco recipit meritum ſuam formam, ſuum valorem, ſuam condignitatem, & ideò meritum non poteſt principium illud mereri; aliàs meritum mereretur ſe ipſum, cùm mereretur ſuam formam &c. Principium autem extrinſecum (quale eſt incarnatio ut ſuo tempore implenda reſpectu meritorum B. Virginis & Sanctorum, à qua tanquàm cauſa efficiente morali procedunt) cùm non ſit aliquid ipſius meriti, poteſt ſine ulla contradictione eſſe effectus illius ſecundùm ſuam impletionem temporalem.

Inſt. Indè ſequitur merita B. Virginis & SS. Patrum eſſe cauſam moralem Incarnationis, & Incarnationem eſſe cauſam moralem eorumdem meritorum; atqui implicat mutua cauſalitas in eodem genere: ergo &c.

Reſp. Diſt. Min. Implicat &c. Si utrumque extremum eodem modo ſe habeat, C. ſi diverſo modo, N. unde incarnatio actualiter exiſtens non poteſt cauſare moraliter merita Sanctorum, à quibus ipſamet moraliter recauſetur; aliàs merita Sanctorum moverent Deum, ut poneret id, quod eſt de facto poſitum. Poſſunt tamen merita prævisa ut effectus moralis incarnationis prævisæ cauſare moraliter ipſam incarnationem ſecundùm executionem, cùm poſſint Deum movere, ut incarnationem, quam futuram prævidit, de facto ponat ipſorum intuitu. Et certè nonquid gloria dici poteſt cauſa & effectus meritorum noſtrorum in genere cauſæ moralis? cauſa quidem in quantum à Deo intenta ipſum movet, ut nobis gratias conferat, quibus mereamur; effectus autem, in quantùm nobis in tempore propter merita noſtra confertur.

CONCLUSIO IV.

Sancti nullo modo meruerunt accelerationem Incarnationis. Ratio eſt; vel enim acceleratio iſta ſumitur ſic, ut Deus in exequenda incarnatione prævenerit tempus à ſe determinatum, vel certè, ſic ut tempus indeterminatum propter prævisa Patrum merita, determinaverit. Si 1. modo, ſonat Divinæ voluntatis mutationem, ſi 2. modo indicat præviſionem meritorum illorum præceſſiſſe præviſionem incarnationis ut certo tempore determinatæ: quod non poteſt admitti: quandoquidem merita Sanctorum fundentur ſuper Chriſti Incarnationem ut executioni mandatam adeòque ut determinatam quoad temporis differentiam. Nec refert, quod Danielis 9. dicatur *Septuaginta Hebdomades abbreviatæ ſunt* &c. Quia ly *Abbreviatæ* Non ſignificat tempus eſſe contractum, ſed brevi futurum ut ex Hebræo colligunt interpretes. Prætereà hoc inſinuatur Danieli, non tanquàm orationis præmium, ſed tanquàm temporis brevi futuri revelatio.

CONCLUSIO V.

Sancti Patres meruerunt de congruo omnes incarnationis circumſtantias ſecundum executionem, non tamen omnes ſecundùm prædeſtinationem.

Prob. Prima; pars Meruerunt de congruo Incarnationem ſic ſumptam: ergo à fortiori illius circumſtantias eodem modo ſumptas.

Prob. Secunda; Quia antè prævisa Patrum merita decrevit Deus Incarnationem cum omnibus ſuis circumſtantiis, ad eam tanquàm cauſis aut quaſi cauſis; concurrentibus; adeòque ut fieret ex tali familia, ex tali matre; quia nulla eſt ratio, cur Deus dicatur priùs decreviſſe incarnationem, & poſtea, prævisis Patrum meritis, decreviſſe illius circumſtantias; cùm (niſi cauſa ſubſit) ſupponere debeamus Deum in rebus decernendis & creandis agere modo connaturali; undè nec B. Virgo meruit ſuam electionem, ut diximus: nec Abraham & David, ut eſſent illius progenitores. Et ideò Scriptura, quæ contrarium videtur inſinuare, intelligenda eſt de circumſtantiis ſecundum executionem; non ſecundum prædeſtinationem, ut hìc loquimur.

DISPUTATIO V.

De Perſona Aſſumente.

Tantùm ſecundam Trinitatis perſonam carnem aſſumpſiſſe, Fides docet contrà Sabellianos, qui cum diſtinctionem Realem inter perſonas Divinas negarent, ſola nominis diſtinctione contenti, conſequenter dixerunt non poſſe Filium reipſa incarnari, quin etiam Pater & Spiritus Sanctus incarnarentur. Quem errorem jam pridem extinctum excitavit quidam Clericus tempore D. Anſelmi, ſi Suario fidem faciamus; ſed, ſi rem attentiùs conſideremus, videbimus clericum illum nec negaſſe diſtinctionem realem inter perſonas divinas, nec affirmaſſe ſolùm Filium fuiſſe incarnatum: undè tantùm volebat vel tres perſonas eſſe tres Deos totaliter diſtinctos, vel naturam Divinam à perſonis realiter diſtingui; quia, admiſſa identitate naturæ Divinæ cùm perſonis, non poterat concipere, quomodo incarnari poſſet Filius, quin incarnaretur natura divina, ac proinde quin etiam incarnarentur Pater & Spiritus Sanctus ab ipſa natura realiter indiſtincti. Damnata eſt hæc hæreſis in Concilio Rhemenſi tempore Renaldi Archiepiſcopi. Ad hujus erroris fundamentum penitus evertendum conſule dicta Diſp. 3. q. 4. concl. 3. obj. Prima.

Nec addas: tres perſonæ producunt Unionem Hypoſtaticam: ergo tres etiam terminant; quia diſcrimen eſt, quòd in tribus perſonis ſit unica ac indiviſibilis virtus operandi ad extra ſeu producendi, adeoque, uno producente, debet & alter producere: non eſt autem unica in omnibus perſonalitas, ſed triplex, & quidem realiter diſtincta; & ſic non eſt mirum, quod, una terminante, non terminet altera.

QUÆSTIO I.

Quid sit persona, an personalitas creata superaddat naturæ aliquid positivum?

HÆc quæstio est philosophica magis, quàm Theologica: quia tamen ad faciliorem tum dictorum, tum dicendorum intelligentiam Scholasticos plurimum juvare poterit, ideo non incongruè hic breviter illam tractabimus, sed ante resolutionem

Suppono 1. Personam esse quoddam constitutum ex natura & personalitate, ita ut natura habeat se quodam modo instar materiæ, & personalitas ad instar formæ, aut quasi formæ.

Suppono 2. quòd licèt olim fuerit concertatio inter Catholicos pro voce *Hypostasis*, ita ut aliqui vellent significare naturam seu essentiam, aut quidditatem, & ideo negarent in Deo tres Hypostases, ne viderentur admittere tres naturas, alii autem, assererent idem esse ac personam, & ideo tres in Deo Hypostases admitterent sine scrupulo: jam tamen usus invaluit apud Scholasticos, ut communiter ly *Hypostasis* usurpetur pro persona, ita ut hæc tria *Persona*, *Hypostasis*, *suppositum*, pro eodem sumantur, licèt sit aliqualis differentia interius assignanda. His suppositis

CONCLUSIO I.

OMissis variis personæ definitionibus, hanc ut clariorem ac magis adæquatam præferimus.

Persona est *Substantia intellectualis, individua, completa, incommunicabiliter subsistens ut quod & ut quo.*

Dicitur 1. *Substantia*, ut excludantur à ratione personæ accidentia omnia tum absoluta, tum relativa.

Dicitur 2. *Intellectualis* 1. Ut conceptus personæ extendatur ad omnem naturam intellectivam, adeoque non tantùm ad hominem, sed etiam ad Deum & Angelos. 2. Ut ostenditur, quòd persona minus latè pateat, quam suppositum & Hypostasis: omnis enim substantia completa incommunicabiliter subsistens dicitur suppositum & Hypostasis, in quacumque natura sit sive animata sive inanimata, sive intellectuali, sive non; sed ut persona vocetur debet esse in natura intellectiva.

Dicitur 3. *Individua*, ut excludantur naturæ sub conceptu generis aut speciei.

Dicitur 4. *Completa*, quia partibus ut partibus sive logicis, sive physicis, sive essentialibus, sive integralibus non competit ratio personæ.

Dicitur 5. *Incommunicabiliter existens*, & ideo licèt Divinitas seu natura Divina subsistat per se & independenter ab alio, ut sic tamen non est persona, cùm sit alteri communicabilis, nempe tribus personis Divinis. Per has particulas iterum excluduntur partes, quæ sic existunt, ut sint communicabiles toti vel actu, ut anima & corpus in homine, vel aptitudine, ut anima separata.

Additur denique: *Ut quod & ut quo*. Illud autem est incommunicabile ut quod, quod nulli potest communicari, de quo prædicetur in recto: tale est individuum, v. g. Joannes, quia nihil habet sub se, cui communicetur, & de quo possit in recto enunciari, quia tamen genera & species. V. G. animal & homo habent sub se aliqua, quibus communicentur, & de quibus in recto prædicentur (animal enim habet sub se hominem & brutum, homo Petrum & Paulum) sunt communicabilia ut quod. Incommunicabile verò ut quo; est illud, quod nullius potest esse forma aut pars; unde, quia corpus & anima possunt esse partes hominis, ideo dicuntur communicabilia ut quo. Hanc utramque incommunicabilitatem sibi vindicat persona, non tamen natura, ut personalitati præintellecta, quia licèt hæc, utpotè singularis, sit incommunicabilis ut quod, est tamen communicabilis ut quo nempe ipsimet supposito seu personæ.

Dices: Boetius lib. de duabus naturis refert hanc personæ definitionem à Theologis communiter receptam: *Rationalis naturæ individuæ substantia*: ergo in definitione allata aliquid superfluit.

Resp. Neg. Conf. Quia Theologi definitionem Boetii recipientes, alias particulas subintelligunt, aliàs fateri deberet animam separatam, Deitatem; imo & naturam sine personalitate esse personam, cùm illis omnibus competat definitio Boetii, ut consideranti patet.

CONCLUSIO II.

PErsonalitas creata nihil addit positivum supra naturam sed duplicem præcisè negationem, unam dependentiæ actualis, alteram aptitudinalis ad alterum suppositum. Huic sententiæ licèt non expresse suffragetur Scotus, in illam tamen magis inclinat 3. d. 1. q. 4. Imò Faber existimat Scotum hac in re non esse problematicum, sed determinatè sententiam nostram defendere. Sed ante Probationem

Adverte 1. Quòd sicut datur triplex dependentia seu communicabilitas, prima actualis, secundùm quam unum actu dependet ab alio; sic humanitas assumpta dependet à Verbo, accidens à subiecto, cui inhæret, secunda aptitudinalis, secundùm quam aliquid dicit inclinationem ad dependentiam ut accidentia Eucharistica tertia potentialis, & est non repugnantia ad dependere seu communicari, ita triplex datur negatio ipsi correspondens. Prima negat actum dependendi, secunda negat inclinationem ad dependendum: tertia negat potentiam, & dicit repugnantiam ad posse communicari. Duplicem primam negationem importat natura personata, non tertiam, quia licèt ipsi ut personæ repugnet communicari, quandoquidem impossibile sit ut simul insit eidem negatio & affirmatio communicabilitatis, non tamen repugnat ei, posse communicari, quia non est in quo fundetur hæc repugnantia.

Adverte 2. Aliud esse repugnantiam ad posse communicari aliud ad communicari: hæc enim competit naturæ personatæ, non illa: hæc est repugnantia tantùm secundum quid illa repugnantia simpliciter: hæc convenire potest ratione negationis præcisè, illa ratione alicujus positivi. *His positis*

Prob. 1. Conclusio ex SS. Patribus, qui *docent tanquam* rem indubitatam ac certam Verbum, assumendo naturam humanam non assumpsisse illius personalitatem, atqui illam certitudinem habere non possunt, dicendo esse negationem: ergo &c. Prob. Min. Quia dicendo esse quid positivum, nulla est implicantia, secundùm adversarios, ut patebit ex qu. quòd humanitas in Christo personalitate Verbi sustenta etiam sustenteтur personalitate propria: dicendo autem negationem, sequitur infallibiliter humanitatem personalitate Verbi unitam, non posse personalitatem propriam habere aliàs haberet negationem dependentiæ ab alio, & simul revera dependeret ab alio: quod implicat.

Prob. 2. Quia, posita illa duplici negatione, & seclu quocumque positivo, natura substantialis completa est incommunicabilis alteri, existit ut quid suum, & non alterius, ponit actiones ut suas &c. ergo.

Prob. 3. Nequit personalitas creata esse substantia aut accidens: ergo non est quid positivum; non quidem accidens, quia dare debet naturæ singulari ultimum complementum substantiale, quod superat virtutem accidentis; non etiam substantia, quia vel esset materia prima, & sic essent duæ materiæ primæ in homine, v. g. quod nemo somniavit; vel esset forma, & sic duæ formæ informarent eandem numero materiam, quod repugnat secundùm adversarios: vel compositum ex utraque, & sic homo esset duplex compositum quod nunquam admittent.

Dices positivum illud nec esse substantiam, nec accidens, sed modum, at

Contra est: nulla forma intrinseca dare potest affectum formalem sibi contrarium, aut alium, quàm sit is quem in se formaliter continet; atqui si personalitas esset modus, hoc præstaret: ergo &c. Major certa est; cùm enim causa formalis non aliter causet, quàm seipsam formaliter communicando, sicut non est alia quàm sit, ità nec causat aliud quàm sit. Prob. min quia modus, qui essentialiter postulat esse in alio, nempe mendicato daret naturæ existere per se, seu non in alio.

Prob. 4. Eodem modo loquendum est de persona ac de supposito, ut fatentur adversarii; atqui suppositum nihil addit positivum supra naturam: ergo nec persona Prob. min Quia quando gutta aquæ jungitur alteri guttæ, desinit esse suppositum atqui tunc non destruitur aliquid positivum: cùm nulla sit assignabilis causa ejus destructiva: ergo &c.

Obj. 1. Personalitas Divina, ut Paternitas aut Filiatio sunt quid positivum: ergo & personalitas humana.

Resp. N. conf. Disparitas est, quòd personalitas Divina non tantùm debeat complere naturam, sicut personalitas creata, sed etiam reddere personam realiter ab altera distinctam, v. g. Patrem à Filio: ad quod requiritur quid positivum.

Obj. 2. Verbum Divinum, juxta Patres, assumendo naturam humanam, consumpsit personam: atqui non sic loquerentur, si persona tantùm esset negatio: ergo &c.

Resp. Patres ibi sumere ly *consumpsit* pro *impedivit*: quod & admittere debent adversarii volentes personam creatam

esse

esse quid positivum: quandoquidem Verbum assumendo naturam humanam, tantùm impediverit illius personalitatem sive dicatur quid positivum, sive quid negativum: nam si consumpsisset rigorosè loquendo, debuisset natura humana priùs habuisse personalitatem propriam, quàm uniretur personalitati Verbi: quod nemo dixerit, cùm eodem instanti reali, quo producta est natura, fuerit Verbo unita.

Obj. 3. Si personalitas importaret negationem aut negationes, ridicula esset Patrum & Conciliorum locutio, dum dicunt Verbum assumpsisse naturam humanam & non personam: quia idem esset, ac si dicerent: Verbum assumpsisse naturam, & non naturam cum negatione assumptionis: vel quod in idem redit, Verbum univit sibi naturam, & non naturam non unitam.

Resp. Potiùs esse ridiculos illos, qui nobis talia objiciunt, cùm non inspexerint scopum Patrum & Conciliorum, nec contra quos egerint: agentes enim Patres & Concilia contra Nestorium, dixerunt Verbum assumpsisse personam humanam seu Filium Mariæ, scilicet per unionem moralem, seu per affectum, ut fingebat Nestorius, sed naturam per unionem physicam; in quo nihil est ridiculi, sed omnia seria & vera: unde si non fuisset illis cum Nestorio negotium, tantùm dixissent: Verbum assumpsit naturam humanam; quia eo *ipso* dixissent, non assumpsisse personam; cùm sit impossibile naturam simul cum persona assumi, ut dictum est *superiùs*. Ex quibus patet, concedere Patres unionem physicam inter Verbum & naturam, & negare unionem moralem inter Verbum & personam: in quo hallucinantur adversarii volentes ipsos negare unionem physicam inter Verbum & personam, cùm jam illam negassent, dicendo assumpsisse naturam humanam.

Obj. 4. Personalitas est quædam perfectio; atqui negatio non est perfectio: ergo &c.

R. Dist. Min. Negatio formaliter non est perfectio, C. fundamentaliter, N. exigere enim negationem unionis cum altero est quædam dignitas & perfectio.

Inst. 1. Personalitas formaliter sumpta complet naturam: ergo vel negatio formaliter est perfectio, vel personalitas est quid positivum.

Res. Dist. Ant. Complet naturam in esse naturæ, N. in esse personæ, C. sed hoc non obest, quominus sit negatio.

Inst. 2. Complere naturam in esse personæ, est ipsam reddere subsistentem per se; atqui hoc est effectus positivus: ergo & ipsa personalitas est quid positivum.

Resp. Neg. Min. Subsistere enim per se, est non subsistere in alio, à quo in esse & in operari dependet: quod est quid negativum.

Inst. 3. Inhærentia accidentis est quid positivum; ergo & subsistentia per se naturæ. Prob. cons. quia sicut proprium est inhærentiæ constituere accidens in alio, ità proprium est subsistentiæ constituere substantiam in se & per se, ac proinde si primum sit quid positivum, erit & secundum.

Res. Neg. cons. Disparitas est, quòd alteri inhærere sit in *ipso* recipi, subjectari, ipsi uniri, quæ sunt positiva: subsistere autem per se simpliciter, est non subsistere in alio, non dependere ab alio, quæ sunt negativa.

Obj. 5. Personalitas Verbi in Christo supplet personalitatem humanitatis: atqui non supplet negationem: ergo &c. Prob. Min. quia aliàs suppleret nihil.

Resp. Neg. Min. Ad Prob. Dist. Assumpt. Suppleret nihil, id est, quod non est ens reale & physicum, C. id est, id quod nullo modo existit, aut existere potest, N. negationes enim & privationes suo modo existunt, suo modo sunt reales, quandoquidem, nullo cogitante intellectu, sit negativo visus in lapide, privatio lucis in aere.

Inst. 1. Effectus personalitatis Divinæ est quid positivum: atqui effectus negationis non potest esse nisi quid negativum: ergo personalitas Verbi non potest supplere effectum personalitatis humanæ, si hæc sit negatio: quandoquidem positivum non possit supplere negativum.

Res. dist. Maj. Effectus personalitatis Divinæ primarius est quid positivum, C. est enim reddere naturam positivè personalizatam. Effectus secundarius, N. est enim reddere naturam alteri supposito incommunicabilem, seu non communicabilem, quod est negativum: & hunc effectum supplet personalitas Verbi non primum; quandoquidem personalitas creata, utpote quid negativum illum nec habeat, nec habere possit:

Inst. 2. Positum non potest habere effectum formalem negativum: quandoquidem causet seipsum communicando.

Resp. Hoc esse verum de effectu primario, non de secundario: albedo enim, quæ reddit primario parietem album, reddit etiam incapacem seu non capacem alterius numero albedinis: quod est negativum.

Obj. 6. omnis negatio fundatur in positivo: atqui negatio quam dicit personalitas, non fundatur in natura: ergo in alio positivo naturæ superaddito.

Resp. Dist. Min. Non fundatur in natura ut sic, C. in natura singularizata, N. eo ipso enim, quo natura facta est singularis, pullulat ex ipsa negatio præfata.

Inst. In instanti, quo natura intelligitur singularizata & nondum personalizata, non habet illam negationem ut postea illam habet: ergo advenit ipsi aliquid positivum, ratione cujus competit ipsi ista negatio. Prob. conseq. quia, secundùm Scotum, nulla negatio potest competere subjecto cui antea non competebat nisi ratione alicujus positivi supervenientis.

Resp. Neg. conseq. ad Prob. Dico esse veram de negatione repugnantiæ, quando negat id, quod repugnat subjecto: sic negatio identitatis inter Patrem & Filium est negatio repugnantiæ; quia repugnat Patrem esse Filium; negatio autem communicabilitatis quam dicit natura personalizata, non est repugnantiæ; quandoquidem posset divinitùs alteri supposito communicari, perdendo tamen personalitatem propriam.

QUÆSTIO II.

An unica natura Divina possit assumere plures naturas?

CONCLUSIO UNICA.

Unica persona potest assumere plures naturas, sive interim solo numero differant, sive specie: sive simultaneè assumantur, sive successivè.

Prob. 1. Non minoris est potentiæ Deus, ut naturam assumat, quàm ut naturas creet; atqui potest plures creare: ergo plures assumere. Minor certa est. Prob. Maj. quia sicut virtus creandi est infinita, cum sit ejus omnipotentia: ità similiter infinita est virtus assumendi & terminandi, cùm personalitas sit essentiæ Divinæ identificata.

Prob. 2. Quia nulla est repugnantia tum ex parte personæ assumentis, tum ex parte naturatum assumptibilium: non quidem ex parte personæ assumentis; quia cùm habeat realiter virtutem infinitam terminandi, non potest per unius naturæ terminationem exhauriri, non etiam ex parte naturarum nam si reverà natura Divina & humana sese compatiantur in eadem persona: à fortiori sese compatientur naturæ creatæ, inter quas longè minor est diversitas.

Obji. 1. Implicat unam & eamdem personam esse rationalem & irrationalem: atqui si persona divina posset assumere plures naturas, v. g. hominis & equi, esset simul rationalis & irrationalis: ergo. Prob. Maj. quia rationale & irrationale sunt contradictoria.

Res. Dist. Maj Implicat unam & eamdem personam esse rationalem & irrationalem ratione ejusdem naturæ, C. ratione diversarum naturarum, N. inde enim non sequitur contradictio, cùm non sit affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem, sed secundùm diversa, nempe secundùm naturam hominis & naturam equi. Prçterea negari potest rationale & irrationale; prout sunt differentiæ, esse contradictoria, cùm irrationale ut sic non includat negationem, sed principium faciens differre.

Obj. 2. Pater Divinus non potest generare nisi unicum filium, licèt habeat vim operandi infinitam: ergo ex eo quòd persona divina habeat vim infinitam terminandi, non sequitur quòd possit terminare plures naturas.

Res. Neg. conseq. Disparitas est, quòd vis generandi adæquatè compleatur per unicum Filium, quia hic est infinitus, non tamen vis terminandi per unicam naturam creatam cùm hæc sit finita.

Inst. Inde sequitur personam divinam ne unam quidem posse assumere naturam creatam: quia vis ejus terminandi infinita completur adæquatè per terminationem naturæ Divinæ, quæ est etiam infinita.

Resp. Neg. Sequelam ad Prob. dico compleri quidem adæquatè ad intra propter naturæ infinitatem, non tamen ad extra propter naturæ creatę limitationem, sicut licèt Dei amor adæquatè satietur ad intra per objectum infinitè amabile, non tamen ad extra per ullum objectum: cùm quodlibet sit bonitatis finitæ.

Obj. 3. Si unica persona duas assumeret naturas, natura prius assumpta assumeret posterius advenientem: quod est absurdum. Prob. Assumpt. quia ex eo quòd Filius Divinus assumpserit humanitatem, verum est dicere, quòd natura Divina, quam r. terminat, etiam illam assumpserit.

Resp. Neg. Assumpt. Ad Prob. Dico, naturam Divinam censeri assumpsisse humanitatem, quia identificatur Filio; natura autem creata, licèt sit in Filio, non tamen ipsi identifica-

tur, & sic, Fillo assumente secundam naturam creatam, prima non deberet dici illam assumens.

Obj. 4. Ex nostra conclusione sequitur, quòd plures illæ naturæ sese compenetrarent. Prob. Duo corpora in eodem loco existentis sese penetrarent: ergo & duæ naturæ in eodem supposito existentes.

R. N. Assump. ad Prob. neg. cons. Disparitas est, quòd suppositum divinum non requirat contactum intimum naturarum assumptibilium inter se, sicut requirit locus, corporum in se existentium, quandoquidem suppositum divinum ratione suæ immensitatis possit assumere naturam humanam hic existentem, & columbinam v. g. existentem Romæ.

Obj. 5. Implicat duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subjecto: ergo & duas naturas solo numero distinctas in eodem supposito.

Resp. Neg. cons. Disparitas est, quòd in 1. casu subjectum haberet effectum formalem, v. g. esse album à duabus causis totalibus formalibus, quod repugnat in physica: in 2. autem, nullum inconveniens sequeretur, quandoquidem suppositum divinum, utpote æquivalenter multiplex, idem præstaret respectu cujuslibet naturæ, ac quodlibet illius suppositum proprium, cujus vices gereret. Ex dictis

Resol. Quòd in illo casu daretur communicatio idiomatum inter naturas assumptas: unde si Verbum v.g. assumeret duas humanitates, ita ut secundùm unam esset Petrus & secundùm alteram Paulus, diceretur: *Petrus est Paulus*, & è contra: sicut diceretur: *homo est Angelus*, *& Angelus est homo*, si assumeret naturam humanam & Angelicam. Cujus ratio est, quòd sicut idiomatum communicatio inter naturas accidentales fundatur in unitate subjecti, ac ideo dicitur, album est dulce & è contra, quia albedo & dulcedo in eodem saccaro reperiuntur, ita inter naturas substantiales in unitate suppositi: unde sicut dicitur nunc, *Homo est Deus*, *omnipotens* &c. Et è contra, *Deus est homo*, *crucifixus*, *mortuus*, *&c.* Ita dicetur tunc: *Homo est Angelus*, *Spiritus* &c. Et è contrà, *Angelus est homo*, *corporeus*.

QUÆSTIO III.

An plures personæ possint assumere eamdem numero naturam?

CONCLUSIO UNICA.

PLures personæ Divinæ non possunt assumere eamdem numero naturam. Ita universa Scotistarum Schola cum suo Duce 3. d. 1. q. a. n. 3. contra Thomistas communiter.

Prob. 1. Ex D. Anselmo lib. de fide Trinit. & Incarnatione cap. 4. ubi rem ex professo tractans, ait: *Quapropter impossibile est, Deo incarnato secundùm unamquamlibet personam, illum secundùm aliam quoq; personam Incarnari.* Ubi vult quòd natura, quam potest persona quælibet assumere, possit ab alia simul assumi. Quod tam evidens crediderit Lorca, ut, licèt nobis contrarius, ingenuè dixerit; *Quamvis Anselmus à diversis diverso modo exponatur, mihi videtur nullam admittere explicationem & plane id docere.*

Prob. 2. Implicat unum & eumdem effectum esse à pluribus causis totalibus & adæquatis ejusdem ordinis, atqui si tres personæ assumerent eamdem numero naturam hoc fieret: ergo &c. Major admittitur in physica à Thomistis, sicut & à Scotistis, quia nempe effectus ille dependeret totaliter & ab illis, ut patet, & non dependeret; quia, una causa sublata, effectus omnino invariabilis perseveraret. Prob. Min. quia natura illa haberet suum esse personale totaliter & adæquatè ab unaquaque personarum, sicut nunc habet reipsa à Verbo Divino: quandoquidem illæ eodem modo satiarent naturæ indigentiam ad personari, sicut satiat de facto naturam humanam Verbum Divinum.

Dices 1. Inde quidem sequi eumdem effectum in substantia fore è pluribus causis totalibus, non tamen eumdem tam in substantia quàm in modo: quia licèt omnes personæ darent illi naturæ idem esse personale, hoc tamen fieret per diversos modos, cùm substantia Patris hoc faceret, trahendo illam, & elevando ad esse personale Patris: subsistentia Filii trahendo & elevando ad esse personale Filii &c. Sed

Contra est, quòd subsistentiæ divinæ terminarent naturam non quatenus personalitates Patris aut Filii, cùm ut sic nihil faciant ad supplendam naturæ assumptæ personalitatem, sed quatenus sunt personalitates præcisè.

Dices 2. Cum Cajetano argumentum valere, quando habetur dependentia causati ad causam, non autem quando habetur tantùm dependentia terminati ad terminantem ut hic. Sed

Contra est, quòd in 1. casu argumentum valeat, eò quòd idem secundùm suum esse simpliciter, à pluribus dependeret & non dependeret, atqui in 1. casu idem secundùm suum esse personale à pluribus dependeret & non dependeret: ergo eadem est utrobique ratio.

Dices 3. Cùm aliis; licèt quælibet personalitas Divina terminaret naturam assumptam tanquam causa adæquata intensivè, non tamen extensivè seu quantùm ad modum. Sed

Contra est, quòd modus personalitatis v. g. Patris aut Filii nihil hic faciat ad rem, ut diximus; non enim terminat naturam quatenus personalitas Patris v. g. sed quatenùs personalitas præcisè, & sic una persona terminans naturam est causa adæquata istius effectus tam extensivè, quàm intensivè cùm terminet naturam omni modo, quo potest terminat illam tam extensivè, quàm intensivè, ità ut nequeat per aliam creatam aut increatam terminari ullo modo: quidni idem faceret personalitas Divina?

Prob. 3. De ratione personæ est reddere naturam supposito ab ipsa realiter distincto incommunicabilem, ut patet ex ejus definitione, quæ est hæc, *Naturalis existentia incommunicabilis* &c. ergo natura habens personalitatem sive propriam, sive alienam, non potest ab alia personalitate terminari.

Prob. 4. Natura creata habens personalitatem propriam non potest assumi à Filio v. g. ergo habens personalitatem Filii non potest assumi à Patre, aut Spiritu Sancto; quandoquidem non minùs, imò magis compleatur in esse personæ p Divinam personalitatem, quàm per propriam.

Objic. 1. Illa repugnantia non oritur ex parte personarum, cùm non se excludant à consortio ejusdem naturæ, *neque ex* parte naturæ assumptibilis: cum hæc habeat *inclinationem* ad omne illud, quod potest ejus personalitatem supplere: ergo &c.

R. Dist. Maj. pro secunda parte: neque ex parte naturæ nudè spectatæ, C. ut personatæ, N. implicat enim; ut natura adæquatè personata per unum, personetur & per aliud

Inst. 1. Natura creata est in potentia obedientiali, ut personetur ab omnibus personis Divinis.

Resp. Dist. Assumpt. Ut personetur ab omnibus simul, N successivè, C.

Inst. 2. Natura personata à Verbo Divino non habet actum quem habere potest, quatenùs ordinatur ad Patrem; ergo potest ab illis simul personari.

Resp. Dist. Ant. Non habet actum, quem habere pot necdum redacta ad actum per aliam personalitatem C. jam dacta ad actum per aliam personalitatem, nempè Verbi, N

Inst. 3. Non minùs potens est Pater in terminando, quàm Filius; atqui hic potest terminare: ergo & ille.

Resp. Dist. Min. Hic potest terminare naturam jam adæquatè terminatam, N. necdum terminatam, C. sed hoc etiam potest Pater Divinus.

Inst. 4. Pater & Filius simul agant, non erit ratio, cur potiùs terminet unus, quàm alter: ergo uterque terminabit.

Resp. Neg. Suppositum; cùm enim Deus agnoscat esse impossibile, quòd duæ personæ terminent simul eandem numero naturam, non potest illud intendere; cùm non exe virtutem suam circa impossibile.

Inst. 5. Natura humana terminata personalitate Verbi retinet inclinationem ad personalitatem propriam; ergo ad personalitatem Patris.

Resp. Dist. Ant. Retinet inclinationem ad personalitatem propriam simul cum personalitate Verbi habendam, N. habendam casu quo dimitteretur à Verbo C. idem dic cum proportione ad consequens.

Inst. 6. Quòd plures personæ possint eamdem numero naturam assumere, sonat abundantiam, non superfluitatem: ergo non est hoc ipsis denegandum.

Resp. Antecedens esse verum de assumptione successiva, simultanea; quandoquidem, natura adæquatè satiata per unam personalitatem, superfluat altera.

Obj. 2. Natura Divina triplicem admittit personalitatem ergo idem potest natura creata.

R. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd divinæ personalitates non dent essentiæ divinæ rationem subsistendi (cum ut præintellecta subsistat subsistentia absoluta) sed tantùm personis realiter inter se distinctis; in nostro autem casu daret subsistentiam naturæ creatæ, quæ simul per unam adæquatè satiata, nequit per aliam satiari.

Inst. Si divinæ personalitates non dent naturæ divinæ subsistentiam, saltem dant incommunicabilitatem; atqui magis videtur repugnare, quòd tres personæ dent naturæ subsistentiam, quàm incommunicabilitatem: ergo &c.

Resp. Maj. esse falsam; quia natura divina ut in Patre

com-

communicabilis Spiritui Sancto; sic ad summum unica Spiritus Sancti personalitas naturam divinam reddit incommunicabilem. Dico *Ad summum* quia hoc non oritur ex illius personalitate præcisè, sed quia, ut est in Spiritu Sancto, habet natura omnem terminum suæ fœcunditatis, quem necdum habet in Patre & Filio.

Obji. 2. Idem numero accidens potest dependere à pluribus subjectis, si illis supernaturaliter insit: ergo eadem natura à pluribus suppositis.

Resp. Dist. Ant. Potest dependere à pluribus subjectis secundùm eandem præsentiam, N. secundùm diversam, penes quam est virtualiter multiplex, Con. sed nego consequentiam, quia natura in nostro casu nec virtualiter nec præsentialiter est multiplex, sed ex omni parte una.

Obji. 4. Unum Corpus potest suscipere duas ubicationes, & idem locus duo corpora: ergo & eadem natura duas personalitates.

Ad primum membrum antecedentis Resp. sicut ad objectionem priorem de accidente.

Ad secundum dico, quòd si agatur de loco materiali seu de spatio continente duplex illud Corpus, illud esse verum; quia *nulla inde* sequitur contradictio; cùm locus materialiter sumptus in nullo genere dependeat à locatis. Quod si agatur de loco formali, seu intrinseco, qui dicitur ubi, duo sunt corpora seu locata, duo sunt loca, seu duo ubi, quandoquidem, multiplicatis terminis, multiplicentur relationes, qualis est locus intrinsecus, seu ubi.

QUÆSTIO IV.

An, si unica persona assumeret plures humanitates, aut plures personæ unicam humanitatem, si esset possibile, foret unicus homo vel plures?

HÆc quæstio adeò controvertitur inter Doctores, ut non tantùm Scotistæ Thomistis, sed etiam Scotistæ Scotistis, imò etiam Thomistæ Thomistis hac in re bellum indixerint; aliqui enim volunt, ut Gabriel 3. d. 5. q. 2. pluralitatem vel unitatem concretorum substantivorum, quale est homo, desumendam esse ex pluralitate vel unitate suppositi, ità ut si una persona assumeret centum humanitates, esset unus homo, & è contra si centum personæ assumerent eandem numero humanitatem, essent centum homines: alii è contrà, ut Castillo disp. 6. q. 3. & quampiurimi Scotistæ, docent pluralitatem vel unitatem concretorum substantivorum desumendam esse ex pluralitate vel unitate formæ, ità ut ubi reperitur unica humanitas, sit unicus homo, ubi plures humanitates, plures homines, sive interim sint plures personæ, sive non: alii tandem communius, ut Lugo, Gonet, Becanus & alii, requirunt ad multiplicationem concreti substantivi multiplicationem formæ & suppositi simul, ità ut ubi sunt duæ humanitates & unica persona, vel duæ personæ & unica humanitas, sit unicus homo. Scotus, qui 1. d. 12. 2. q. §. *Juxta quæstionem istam*, Difficultatem hanc vocat grammaticalem & de nomine, ac dicit se non velle illi immorari, non videtur satis circà hoc mentem suam aperuisse, ut legenti patebit, quandoquidem videatur D. Thomam, contrà quem ibi agit, magis de modo loquendi, quam de substantia arguere; eo quòd hic q. 3. art 7. ad 2. videatur insinuare quòd multiplicatio concretorum substantivorum petenda sit à multiplicatione solius suppositi: ait enim D. Angelicus: *Nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicatur, nisi propter pluralitatem suppositorum*: Unde crediderim liberum esse cuilibet Scotistæ quamlibet opinionem amplecti.

CONCLUSIO UNICA.

SIve unica persona assumeret plures humanitates, sive plures personæ unicam humanitatem (casu quo foret possibile) foret unicus homo. Ita Thomistæ quamplurimi & ex Scotistis, Fabro, Cavellus Scoti scholiastes, Delgalido ac plures alii in manuscriptis.

Ratio est; Quia ad multiplicationem concretorum substantivorum requiritur tam multiplicatio formæ, quàm suppositi; atqui in 1. casu esset unicum suppositum, licèt essent plures formæ seu naturæ, & in 2. esset unica natura, licèt forent plura supposita: ergo esset unicus homo. Prob. Maj. (in qua consistit tota vis argumenti) quia in Divinis unica est natura, licèt plures personæ, unicus est Deus & è contrà, quia in Christo unicum est suppositum, licèt duæ naturæ, unicus est Christus: ergo signum est, quod ad multiplicationem concretorum substantivorum requiratur tam multiplicatio formæ, quàm suppositi; aliàs si sufficeret multiplicatio suppositi, essent in Divinis tres Dii, si autem multiplicatio naturæ, Christus esset duo; quod est contrà Symbolum Athanasii ubi dicitur: *Non duo, sed unus est Christus*.

Dices 1. Christum non esse duo sed unum ratione suppositi, cùm quo stat, quòd sit duo ratione naturarum. Sed

Contrà est, quòd Symbolum neget absolutè, simpliciter & sine restrictione Christum esse duo, atqui si multiplicatis solis naturis, multiplicarentur concreta substantiva, non posset negare simpliciter esse duo, cùm reipsa & propriè loquendo esset duo, imò magis (ut ita loquar) quam persona habens duas humanitates; quandoquidem inter has sit sola distinctio numerica, inter humanitatem verò & Divinitatem distinctio specifica: ergo &c.

Dices 2. Christus est unus Deus & unus homo, atqui unus & unus sunt duo: ergo &c.

Resp. Dist. Min. Unus & unus in diversis suppositis sunt duo, C. in uno & eodem supposito, N.

Confirmatur 1. Major Argumenti mei præcedentis, quia si sufficeret ad multiplicationem concretorum substantivorum multiplicatio solius formæ, ut volunt ferè omnes adversarii, Pater Divinus non diceretur unum principium, sed duo principia, quandoquidem habeat in se & virtutem generandi Filium, & virtutem spirandi Spiritum Sanctum.

Confirmatur 2. Si unica persona assumens duplicem humanitatem, esset duo homines, V. G. homo *A* & homo *B*, homo *A* posset negari de homine *B*. & è contrà; atqui contrarium apparet in Christo, ubi hæreticum est dicere: *Deus non est homo & homo non est Deus*: ergo &c. Prob. Maj. Quia ubi dualitas, ibi alietas, & ubi alietas, ibi non identitas, quæ autem non sunt idem, possunt de seinvicem negari.

Obji. 1. Juxta Scotum suprà, terminus numeralis, *Unus, duo tres*, desumit suam multiplicationem à terminis omninò independentibus, quo appellat, atqui naturæ concretorum substantivorum sunt termini omninò independentes quandoquidem natura significet per modum per se stantis, adeoque independentis: ergo, juxta Doctorem nostrum, ad multiplicationem concretorum substantivorum sufficit solius formæ multiplicatio.

Resp. Dist. Min. Naturæ præcisè sunt termini omninò independentes, N. illæ enim, cùm dependeant à supposito in esse personali, non sunt omninò independentes. Naturæ suppositatæ, C. Et sic ubi sunt tres humanitates & unicum suppositum, unicus est homo.

Inst. 1. Ubi tres humanitates & unicum suppositum, tres sūt naturę suppositatę, atqui à naturis suppositatis desumitur multiplicatio concretorum substantivorum, ut dictum est: ergo &c.

R. Dist. Min. Atqui à naturis suppositatis desumitur &c. Ita ut potior habeatur, ratio suppositi quàm naturæ, quia illud omninò independens, hæc non, C. secus, N. Et sic ubi unicum suppositum, ibi unicum concretum est.

Inferes: Ergo ubi unica humanitas & tria supposita essent, tres forent homines.

Resp. Neg. illationem, Quia licèt potior habeatur ratio suppositi, quam naturæ, cùm tamen hæc sit etiam independens in esse substantiali, hujus etiam ratio habetur in numeratione concretorum substantivorum.

Inst. 2. In multiplicatione concretorum adjectivorum habetur ratio solius subjecti: unde si in tribus subjectis sit unica albedo, erunt tria alba: ergo in multiplicatione concretorum substantivorum debet haberi sola etiam ratio suppositi.

Resp. Neg. Cons. Disparitas est quod concretum adjectivum sit ex omni parte dependens à subjecto, non sic substantivum, quia licèt dependeat à supposito in esse personali, non tamen in esse essentiali. Hæc ut magis pateant

Adverte ex Scoto supra, quod quando nomen numerale; *Unus, duo, tres*, additur concreto adjectivo, non sumat ab ipso suam determinationem, sed, cùm utrunque sit adjectivum, nempè nomen numerale & concretum, cui additur, utrunque est dependens ab aliquo substantivo subintellecto: & sic quando dicuntur duo alba, supponuntur duo subjecta, à quibus determinantur quoad numerationem, at quando nomen numerale afficit concretum substantivum: ab ipso determinantur, quia est omninò independens tum in esse essentiali ratione naturæ, tum in esse personali ratione personalitatis.

Inst. 3. In Divinis licèt unica natura, sunt tamen tres personæ, quia sunt tres personalitates: ergo sufficit solius suppositi multiplicatio.

Resp. Dist. Cons. Sufficit solius suppositi multiplicatio in concretis personæ, C. in concretis naturæ, qualia sunt Deus, homo &c. de quibus hic agimus, N. disparitas est, quòd in concretis personæ præcisè, tantum habeatur ratio personalitatis: non sic in concretis naturæ.

Obji. 2. Ad unitatem concreti substantivi sufficit unitas formæ: ergo ad pluralitatem sufficit pluralitas formæ.

R. Dist. Conf. Sufficit pluralitas formæ tanquàm rationis formalis & causæ per se, C. ita ut nihil aliud requiratur, N. Sicut enim per unum hominem v. g intelligimus suppositum habens humanitatem, ita per tres homines intelligi debent tria supposita habentia humanitatem: & sic ultra formarum multiplicationem requiritur etiam pluralitas suppositorum tanquàm conditionum sine quibus non: & certè sicut natura humana sine personalitate non dicitur homo (& ideò dicimus propriè Christum assumpsisse humanitatem, non hominem) ità tres naturæ humanæ non dicuntur tres homines, nisi sint tres personalitates.

Inst. 1. Sicut homo constituitur in esse hominis per naturam humanam, ita constituitur in esse hujus hominis per hanc naturam humanam: ergo ubi sunt plures naturæ humanæ singulares, ibi sunt plures homines.

R. Dist. Ant. constituitur in esse hujus hominis per hanc naturam suppositatam, C. non suppositatam, N. Et ideò ut sint tres homines, etiam tria requiruntur supposita.

Inst. 2. Quod per se significatur per hanc vocem *homo*, est humanitas: ergo ubi sunt plures humanitates, ibi plures sunt homines, licèt sit unicum suppositum.

Resp. Dist. Ant. Quod per se significatur primario, C. adæquatè N. *homo* enim adæquatè significat humanitatem subsistentem seu suppositatam.

Obji. 3. Ex hac sententia sequitur, quod si persona Divina assumeret naturam equinam & columbinam, esset unicum animal.

R. Hoc esse verum, nec inde aliquid inconveniens sequitur, quia etsi implicet animal, quod est unum tam unitate naturæ, quàm suppositi, esse in diversa specie animalis, cùm genus dividatur in species per differentias oppositas & se excludentes; non tamen implicat, quando animal, quod est unicum unitate suppositi, habet diversas naturas, tunc enim ratione unionis constituitur in una specie, & ratione alterius constituitur in altera, quia specierum diversitas peritur præcisè à naturarum diversitate.

Petes utrum persona creata assumere possit naturã alienam?

Resp Neg. Quia impossibile est concipere quomodo personalitas creata, utpote consistens in negativo, possit naturæ alienæ negationem communicabilitatis actualis & aptitudinalis communicare, quandoquidem negatio, utpote nihil, nec possit alteri uniri, nec à proprio subjecto separari, ut ãb alio reperiatur.

DISPUTATIO VI.

De natura assumpta & assumptibili.

VArii admodum errores circà Christi humanitatem irrepserunt. Ac 1. quidem Saturnilus, vel, at alii ferunt, Saturninus Simonis Magi Discipulus docuit Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma quoddam, adeoque nec fuisse natum nec verè mortuum, nec quidquam passum, sed passionem simulasse: unde Basilides ejus Discipulus & sectator sustinuit Simonem Cyrenæum (quem cruce parata in sui figuram transmutaverat Christus) ejus loco fuisse crucifixum, ac per hoc illusos esse Judæos. In eundem errorem, teste Tertulliano, prolapsus est Cedron, qui vixit tempore Hygini Papæ anno circiter 154. ac etiam Marcion Cerdonis Discipulus, qui, ut ait idem Tertullianus lib. de carne Christi, cap. 2. n. 8. *Christo negavit nativitatem . . . ut nativitatem negaret, negavit & carnem*.

His in eadem hæresi successit Manes sive Manichæus cum suis, ac posteà Priscillianus; qui neque natalem Domini, nec diem Resurrectionis ejus venerabatur, eo quòd Christum Dominum verum esse hominem non crederet.

Valentinus (qui ut refert Eusebius lib. 4. historiæ c. 10. vixit circa tempora Pii & Aniceti, hoc est anno 160. & ultra) eò dementiæ devenit, ut Christum (quem verum esse hominem affirmabat, licèt diversæ à nobis naturæ) corpus non terrenum, sed celeste assumpsisse assereret, nihilque à B. Virgine accepisse, sed per illam tanquam per fistulam ad instar aquæ transiisse.

Apelles Manichæi discipulus Christo corpus terrenum non negavit, sed illud, non ex matre, sed ex elementis fuisse formatum asserit: quod, ut ait, ex mortuis resurgens mundo reddidit, & ideò solus ejus Spiritus in cœlum ascendit.

Apollinaris (qui, ut observant Epiphanius hæresi 77. & Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 14. Vir fuit magnæ eruditionis) circa plurima non minùs miserabiliter, quàm turpiter erravit: & quidem circa materiam præsentem tres commisit errores, 1. Voluit in ipso Incarnationis opere aliquid substantiæ Divinæ in Christi carnem conversum, adeòque ipsam carnem non fuisse ex Virgine assumptam. 2. Statuit humanitatem in Christo sine anima: deinde pœnitentia ductus dedit ipsi animam sensitivam, non rationalem, quia credebat Verbum Divinum ipsius vices gerere: unde Augustin. tract. 47. in Joannem sic contra Apollinaristas invehit: *Videte absurditatem & insaniam non ferendam, animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis*.

Arius denique innixus super hæc verba Joannis 1. *Verbum caro factum est*, voluit Filium Dei solam carnem assumpsisse, non autem animam, idque asseruit; ut optimè advertit S. Thomas, ut ostenderet Filium Dei esse creaturam, adeòque Patre minorem: nam cùm Scriptura dicat Christum timuisse, orasse, fuisse tristem &c. quæ corpori humano convenire nequeunt: auferendo à Christo animam, sequitur illa à Filio Dei procedere, sicque esse minorem Patre, cui præfata repugnant.

QUÆSTIO I.

An Christus assumpserit naturam cum propria existentia?

CHristum non assumpsisse, imò nec potuisse assumere naturam humanam cum propria subsistentia, antea sufficienter dictum est: hic de sola existentia procedit quæstio.

CONCLUSIO UNICA.

CHristus assumpsit naturam humanam cum propria existentia: & ideò sunt duæ in Christo existentiæ, una increata, qua existit Divinitas, altera creata, qua existit humanitas. Ità Scotus 3 d. 6. q. 1. n. 4. cum suis & plurimis aliis recentioribus contra Thomistas communiter, qui unicam in Christo admittunt existentiam, nempè Verbi, qua non tantùm existit natura Divina, sed etiam humana.

Prob. 1. Essentia & existentia, secundùm nos, non distinguuntur realiter; atqui Christus assumendo naturam humanam, assumpsit ejus essentiam: cùm essentia sit ipsamet res, cujus est essentia: ergo etiam assumpsit existentiam.

Prob. 2. Vel Christus assumpsit naturam humanam habentem esse extra suas causas, vel existentem in causis: si primum: ergo habebat existentiam actualem, cùm non possit concipi res extra suas causas sine actualitate. Si secundum: ergo Christus potiùs assumpsit causas humanitatis, quàm humanitatem; quandoquidem humanitas ut in suis causis, non distinguatur ab illis.

Prob. 3. Priùs Christi anima unitur corpori, quàm humanitas unitur Verbo, ut docet S. Thomas variis locis: ergo Christi corpus & anima sunt actu, seu existunt, antequam uniantur Verbo; & consequenter non possunt accipere actualitatem seu existentiam ab ipso.

Confirmatur 1. Animæ creatio & corporis productio sunt actiones præsuppositæ unioni hypostaticæ, atqui per illas actiones corpus, & anima non accipiunt esse possibile, cùm illud habeant ab æterno: ergo esse actuale seu existentiale.

Confirm. 2. Priùs est rem esse extra causas, quàm alteri uniri; quandoquidem sit vera hæc causalis, *ideò unitur, quia est*, falsa verò hæc, *ideò est, quia unitur*: ergo priùs fuit extra causas humanitas, quàm Verbo uniretur.

Dices, existentiam non esse id, quo res constituitur extra suas causas utcumque, sed ultimò & completè: humanitas autem ut terminat actionem agentis, quatenus intelligitur antecedenter ad unionem Verbi, tantùm est extra suas causas inchoativè, & quasi vialiter, in quantùm dicit ordinem ad existentiam eodem instanti sibi communicandam, per quam constituitur extra suas causas simpliciter & completè. Sed

Contra est, quòd esse extra suas causas totaliter & completè nihil sit aliud, quàm esse actu effectum integrum, plenum, completum suarum omnium causarum; atqui humanitas ut præintellecta unioni Verbi est actualiter effectus integer, plenus & completus suarum omnium causarum, nempè causæ finalis, materialis, formalis & efficientis, ut patet: ergo &c.

Replicabis: una ex causis, à quibus dependet natura, est subsistentia, seu personalitas; atqui antequam uniretur Verbo, non habebat subsistentiã: ergo non erat totaliter extra suas causas.

Resp. Dist. Maj. Una ex causis, à quibus dependet natura, ut existat incommunicabiliter, est subsistentia, Conc. ut existat absolutè & simpliciter, Neg. unde subsistentia non dat existentiam

tiam naturæ, sed illam præsupponens, ipsam modificat, seu reddit incommunicabilem: sicut differentia non facit genus, sed ipsum præsupponens determinat ad certam speciem.

Inst. Una ex conditionibus requisitis, ut natura recipiat existentiam completam, est quòd sit suppositata seu subsistens: ergo priùs non potest intelligi completè existens.

Resp. Conditionem illam esse gratis confictam: imò non potest concipi, quomodo possit natura priùs subsistere, quàm existere; quandoquidem subsistere secundùm communem Theologorum ac Philosophorum conceptum sit ipsummet existere per se. Si autem dicatur, quòd qui per se existit, non simpliciter existat, dicam ego, quòd qui velociter currit, non simpliciter curreat, nec mihi unquam dabitur disparitas.

Prob. denique: Si esset unica existentia humanitatis & Verbi, humanitas quatenus est ens in actu, non distingueretur à Verbo, nec Verbum, quatenus est ens in actu, distingueretur ab humanitate, quod nemo dixerit. Prob. Assumpt. Quia existentia Verbi eo modo daret esse actuale humanitati, quo illud habet in se, quandoquidem causa formalis causet seipsam communicando; atqui existentia Verbi non habet in se esse actuale distinctum à Verbo: ergo non daret humanitati esse actuale distinctum à Verbo.

Obj. 1. Sophronius in Epistola recepta & approbata à Patribus sextæ Synodi generalis Act. 11. sic loquitur: in illo itaque, scilicet Verbo, & non in semetipsa habuit existentiam ergo &c.

Resp. Sensum esse, quòd humanitas nullo tempore reali fuerit in semetipsa, antequam uniretur Verbo; ex eo autem quòd eodem instanti reali, quo extitit in rerum natura, extiterit in Verbo, non sequitur extitisse existentia Verbi, cùm illa toto cœlo differant, existere in Verbo & existere existentia Verbi. Eodem sensu intelligendus est Damascenus l. 3. de fide c. 22. ubi ait: *Caro ab ultimo ortu Deo Verbo unita est, imò potius in ipso extitit*: Unde imponunt Damasceno, qui volunt ipsum dixisse naturam existere per existentiam Verbi, cùm, teste Lorca, nihil simile in ipso reperiatur.

Obj. 2. Quosdam SS. Patres, suis locutionibus satis insinuantes nullo modo extitisse humanitatem, antequam uniretur Verbo: ergo censent tantùm existere existentia verbi.

Resp. Neg. Sequelam; quia licèt eodem instanti reali cœperit existere humanitas, quo cœpit uniri Verbo, non sequitur propterea, quòd extiterit existentia Verbi, cùm illa inter se nullam habeant connexionem.

Obj. 3. Humanitas subsistit subsistentia Verbi: ergo etiam existit existentia Verbi.

Resp. Neg conseq. Disparitas est, quòd res non possit esse sine sua existentia, quandoquidem sit eadem realiter cum natura, cujus est, possit autem esse sine sua subsistentia, a qua realiter distinguitur.

Obj. 4. Si humanitas in Christo haberet existentiam propriam, Verbum existeret existentia humanitatis, atqui hoc repugnat: ergo &c. Prob. Maj. quia sicut Verbum est homo humanitate, ita esset existens existentia humanitatis.

Resp. N. Maj. Ad Prob. Dico; disparitatem esse, quòd, ut Verbum sit homo, sufficiat quòd humanitatem personet; ut autem existat existentia humanitatis, debeat per illam poni extrà nihil; quod manifestè implicat: posset tamen dici quòd verbum existat existentia creata, quatenus est homo.

Obji. 5. Humanitati Christi tribuendum est quidquid perfectius est & excellentius, atqui perfectius & excellentius est illi, existere existentia Verbi, quàm existentia propria: ergo &c.

Resp. Majorem esse veram, ubi nulla sequitur inde contradictio, ut hic sequeretur, quandoquidem humanitas existeret, & non existeret existentia propria, non existeret, ut supponitur, existeret autem; quia inseparabilis est ab illa, quidquid dicant Thomistæ.

Obj. 6. Si Christus haberet duplex existere, haberet & duplex esse, atqui hoc est falsum: ergo &c.

Res. Dist. Maj. Haberet duplex esse naturæ seu in natura, C. duplex esse personæ, N. Et ideo non debet dici simpliciter, quòd habeat duplex esse, quia ly *esse* simpliciter prolatum supponit pro esse completo & personali.

Obj. 7. Si Christus haberet duplicem existentiam non esset ens unum per se. Prob. Assumpt. quia ex duobus entibus in actu, qualis est humanitas per suam existentiam, & Verbum per suam, non potest fieri unum per se.

Resp. Neg Assumpt. Et distinguo ejus probationem: ex duobus entibus in actu completis, non potest fieri unum per se, C. incompletis. N. Sicut enim ex materia & forma quæ sunt entia in actu (cùm hæc & illa propriam habeant existentiam) fieri potest unum per se, ita & in nostro casu, ubi humanitas propria personalitate destituta non est quid in actu omnino completum.

Inst. 1. Ex duobus entibus personalizatus non potest fieri ens unum per se: ergo nec ex duobus existentibus.

Resp. Disparitatem esse, quòd in 1. casu entia sint omnino & ultimatè completa, non sic in 2.

Inst 2. Non potest concipi, quomodo ex duabus existentiis in Christo, fieri possit una totalis, cùm una sit creata altera increata.

Res. Quod sicut concipi potest in homine ex duabus existentiis, quarum una est materialis, altera Spiritualis fieri unam totalem, ita & hic. Unde, cùm existentia non distinguatur à terminis componentibus, non est difficilius concipere quòd ex illis fiat una totalis existentia, quàm compositum unum, à quo non distinguitur existentia totalis.

Obji. 8. Existere convenit supposito; atqui unicum est in Christo suppositum: ergo & unica existentia. Prob. Maj. Operari sequitur esse seu existere; atqui operari solius est suppositi: ergo &c.

Resp. Neg. Maj. Ad Prob. dist. Min operari quoad denominationem solius est suppositi, transeat, Operari quoad rem, N. hoc enim competit naturæ.

Obj. Denique; inde sequitur B Virginem non esse matrem Dei; cùm ejus generatio fuerit terminata ad humanitatem existentem existentia propria, non Divina.

Resp. Neg. Sequelam: ut enim sit mater Dei, sufficit ut diximus antea, quòd genuerit humanitatem, quæ eodem instanti, quo fuit unita, fuit à Verbo Divino suppositata. Præterea quamvis existeret Christi humanitas Verbi existentia, non potius tunc esset mater Dei, quam nunc; quandoquidem nullam prorsus in ipsam Verbi existentiam habuerit activitatem.

QUÆSTIO II.

An Verbum Divinum assumpserit integram humanitatem?

HÆc Quæstio universaliter proposita nullam apud Catholicos patitur difficultatem: nam cùm in Symbolo Athanasii dicitur Christus *perfectus homo*, sequitur perfectam, adeoque integram, assumpsisse humanitatem; sed, cùm non conveniant omnes, quænam partes ad integritatem humanitatis pertineant, ideo ad singula breviter descendemus.

CONCLUSIO I.

VErbum assumpsit veram animam creatam.

Prob. 1. Ex scriptura Matthæi 26. *Tristis est anima mea.* Joan. 10. *Pono animam meam.* Lucæ 23. *In manus tuas commendo Spiritum meum.*

Prob. 2. Ex Concilio Calcedonensi Act. Prima, & ex aliis Conciliis, ubi hæc veritas definita est.

Prob. 3. Ratione naturali: Christus fuit verus homo & ut talis habebatur ab omnibus, cùm in terris versaretur, atqui non datur verus homo sine anima, ergo &c.

Confirmatur, Christus meruit & satisfecit; atqui rationes meriti & satisfactionis potius & principalius attenduntur secundum animam, quàm secundùm corpus: ergo &c.

Prob. 4. Ratione Theologica: secundùm scripturam Christus fuit iratus, miratus & contristatus; atqui hæc non minùs demonstrant habuisse veram animam, quàm comedere, dormire, fatigari, demonstrent habuisse verum corpus: ergo &c.

Dices 1. *Verbum caro factum est*, atqui si assumpsisset animam, non diceretur tantùm caro, sed homo factum, ergo &c.

Resp. Quòd ly *caro* sumatur pro homine: quod & fit in aliis scripturæ locis, ut Gen. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Isaiæ 40. *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Potius autem B. Joannes fecit mentionem carnis, quàm animæ, ut ostenderet Dei erga nos dilectionem, quæ tanta fuit, ut etiam carnem vilissimam pro nobis assumeret.

Dices 2. Si fuisset in Christo anima, fuissent etiam cogitationes ad peccatum inducentes, quod ipsi repugnat.

Resp. Omnia in Christo fuisse planè subjecta rectissimæ ejus voluntati, ac ideo cogitationes similes nunquam admisisse.

Dices 3. Sufficiebat in Christo una voluntas ad regulandas illius actiones: ergo superfluebat anima.

Resp.

Resp. Dist. Conf. Superfluebat anima ad regulandas illius actiones, C. ut mereretur & satisfaceret. N.

CONCLUSIO II.

FUit etiam in Christo verum corpus. Definitum est in Concilio Toletano 1. & in aliis Conciliis.

Prob. 1. Ex Scriptura Hebræorum 2. *Pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Joan. 1. *Verbum caro factum est.* Et Luc. 24. *Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Prob. 2. Ex PP. Ignatio in Epist. ad Trallianos circa med. *Vere assumpsit corpus ... vere edit & bibit, Crucifixus & mortuus est sub Pontio Pilato.* Origine lib. 1. de Principiis: *Christus corpus assumpsit nostro corpori simile.* Talia habent innumeri alii.

Prob. 3. Ratione: si quis fuisset natus, bibisset, comedisset, fuisset locutus, passus, mortuus, sepultus, resurrexisset &c. diceretur sine dubio habuisse verum corpus, atqui hæc omnia Christo conveniunt: ergo &c.

Dices 1. Licet Angeli in veteri lege aliquando biberint comederint, fuerint locuti &c. tamen corpus habebant phantasticum; ergo idem dici potest de verbo

R. N. Conf. Disparitas est, quòd Angeli illi nunquam professi fuerint se esse veros homines, imò potiùs contrarium insinuabant, Christus autem sæpius verbo id declaravit.

Dices 2. Christus Philipp. 2. dicitur *in similitudinem hominum factus*; atqui similitudo hominis non est homo: ergo non assumpsit verum corpus.

Resp. Similitudinem illam non esse similitudinem apparentiæ, sed similitudinem speciei; sicut omnes homines dicuntur similes, quia sunt ejusdem speciei naturæ: quo sensu Gen 5. dicitur *Adam .... genuit ad imaginem & similitudinem suam.* Dici etiam potest, quòd dicatur similis, quia apparebat ut peccator, & non erat, apparebat ut homo purus, & erat homo Deus. Quando autem Apost. 2. ad Corinth. 5. dicit: *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum sed jam non novimus* non vult quod initio crediderit Christum habere carnem, & posteà sententiam mutaverit; sed quod, dum ipsum persequebatur, carnaliter crederet, illum nullius esse æstimationis, cujus contrarium credidit postea.

Similiter 1. Corinth. 15. Dicitur *homo cælestis*, Non quia carebat corpore, aut corpus cæleste assumpserat, sed quia vitam cœlestem ducebat, nullis subjectam peccatis.

CONCLUSIO III.

ETiam assumpsit verbum hypostaticè, seu immediatè ad subsistentiam divinam, dentes, ungues, capillos, non tamen lacrymas, salivam, sudorem, & alias partes excrementitias corporis humani.

Prima Pars (quam defendunt Scotistæ & alii communiter contra Vasquezium, Frassen, & alios contradicentes quantùm ad ungens & capillos) probatur; quia 1. partes illæ spectant ad corporis integritatem & perfectionem, cum sint futuræ in corporibus gloriosis. 2. quia, juxta Philosophum informantur anima, & vivunt auctæ per intus sumptionem. 3. non tantùm quia sunt ornatui, sed etiam usui: cùm dentes serviant ad comedendum, capilli ad caput fovendum, ungues ad extremitatem manuum & pedum protegendam.

Confirmatur. Illas corporis partes assumpsit Christus hypostaticè, quas habet nunc in Eucharistia; atqui in Eucharistia habet ungues, dentes & capillos; cùm sit ridiculum dicere, quòd Christus habeat ibi caput calvum, os sine dentibus, & digitos sine unguibus; ergo &c. Prob. Maj. quia nullas partes habet in Eucharistia, quas non habuerit vivens inter nos, & per consequens, quas non assumpserit.

Dices Cum Vasquez: Christum illas quidem partes assumpsisse, & ideo illas habere in Eucharistia, sed assumptione mediata, in quantùm assumens immediatè corpus, assumpsit & illas, utpotè in corpore contentas: ex quo sequitur: quòd non fuerint ad subsistentiam Divinam assumptæ, ac ideo in corpore Christi subsistant subsistentia propria & non Verbi. Sed

Contra est; Quòd nulla sit ratio, cur potiùs assumpserit 4. humores immediatè, quàm capillos & ungues, quandoquidem hi, utpote pertinentes ad corporis constitutionem, sint potiùs partes, quàm illi, qui tantùm requiruntur, ad corporis conservationem.

Præterea cur Christus consecrans in ultima cœna, non posuit in Eucharistia Chylum, quem habebat in stomacho, ut vult Vasquez, & tamen posuit ungues & capillos; nisi quia hi sunt corporis partes, licèt infimæ, illæ non.

Obj. Non est credibile, quòd verbum id immediatè assumpserit, quòd natura negligit & expellit in extremas corporis partes, sicut ungues & capillos.

R. N. Assumpt. Natura enim nec negligit, nec expellit ungues & capillos, sed potius retinet ad sui ornatum & conservationem: unde, ut utar D. Thomæ comparatione sicut ars militaris utitur gladio ad bellum, & vagina ad gladii conservationem; ita natura dicitur corde, hepate, manu, pede tanquam partibus præcipuis ad illarum conservationem quod autem sint in extremitatibus, oritur ex eo, quod id exigat eorum finis & corporis dispositio.

Prob. Secunda Pars, Quia sudor, saliva &c. nec pertinent ad corporis integritatem (unde nec ponuntur in Eucharistia) nec erunt in corporibus gloriosis, & ideo dicendum est substitisse in Christi corpore propria subsistentia & non Divina, quia tantùm mediatè fuerunt assumpta.

QUÆSTIO III.

An Verbum assumpserit etiam sanguinem?

CONCLUSIO UNICA.

VErbum assumpsit etiam sanguinem ad subsistentiam Divinam. Est communis in utraque schola, Thomastica scilicet & Scotistica, contra Gabrielem, Durandum & Richardum, cum hac tamen distinctione, quòd Cajetanus cum aliquibus Thomistis velit assumpsisse quidem sanguinem naturalem, non tamen purè nutrimentalem.

Porro Sanguinis purè nutrimentalis, secundùm ipsos, est humor quidam in colore & aliis accidentalibus sanguini similis ex chylo proximè generatus, nondum sufficienter decoctus, & depuratus, qui ideo necdum sanguinis naturam attingit. Naturalis verò est ille, qui fit ex priori per majorem decoctionem & depurationem, sed cùm major decoctio & depuratio tantùm sint accidentia respectu sanguinis, ut volunt Medici, qui ideo nullam substantiam mediam inter chylum & verum sanguinem admittunt, hinc est quod, illa distinctione rejecta, conclusionem de omni sanguine intelligamus.

Prob. Igitur conclusio 1. Ex scriptura ad Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.*

Nec dicas hunc passim intelligi posse de communicatione seu assumptione mediata, sicut dicitur assumpsisse salivam; quia eodem modo loquitur Apostolus de communicatione sanguinis ac de communicatione carnis, atqui huic communicavit immediatè, ergo & illi. Præterea communicavit sanguini, sicut eidem communicat suppositum humanum; atqui suppositum humanum communicat seu unitur immediatè sanguini; ergo &c

Confirmatur Conclusio ex iis scripturæ passibus in quibus Christi sanguini tribuitur nostra salus, aut Redemptio, ut 1. Joan. 1. *Sanguis J. C Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, & Matthæi 26. *Qui pro multis effundetur in remissionem:* non haberet autem illam efficaciam & dignitatem, nisi ad subsistentiam Divinam immediatè esset assumptus.

Nec dicas scripturam non tribuere efficaciam illam sanguini, sed Christo illum offerenti, quia illam tribuit & offerenti & rei oblatæ, quandoquidem dicat, sicut & Patres, Christi sanguinem esse pretium nostræ salutis, ut 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.* Præterea cur potius tribuit scriptura humani generis salutem & redemptionem Christi sanguini, quàm ejus lacrymis aut sudoribus? quandoquidem hæc sicut illum ideo Patri obtulerit: nisi quia sanguis unitus est Verbo hypostaticè, non sudor aut lacrymæ: unde disparitas est inter lacrymationem & sanguinis effusionem, quòd tam effusio, quàm sanguis effusus salutem nostram fuerint operata, lachrymatio autem, fuerit quidem operata, non tamen lacryma.

Prob. 2. Ex decreto Clementis 6. qui in Extravag. *Unigenitus* de pœnitentiis & remissionibus, asserit modicam sanguinis guttam, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis sufficere.

Prob. 3. Ex PP. Chrysostomo, Ambrosio, Theodoreto, Anselmo & aliis, ex quibus lubet audire Dionysium Alexandrinum Epist ad Paulum Samosat. ubi dicit, *Sanguinem Christi non posse corrumpi, quia est sanguis Dei vivi.* Et V. Bedam, qui ad illa Verba: *quam acquisivit sanguine suo*, sic loquitur. *Non dubitavit Paulus sanguinem Dei dicere propter unionem ad personam.* Et Cyrillum Anathematismo 1. *Participatus est sanguine & carne ex S. Virgine.*

Prob.

Prob 4. Ratione Theologica, secundùm Tridentinum sess. 13. C. 3. sanguis est pars Christi: ait enim poni *Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis .... animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini ...... inter se copulantur*; atqui totus Christus subsistit subsistentia Divina: ergo & ejus sanguis.

Confirmatur 1. Christo consecrante in ultima cœna, positus est per concomitantiam sanguis sub speciebus panis, non tamen illius vestis aut cibus nondum digestus; atqui nulla alia adferri potest ratio; quàm quòd ille sit pars humanitatis, hæc non: ergo &c.

Confirmatur 2. Eodem modo adorant fideles sanguinem in calice, quo adorant corpus in hostia: atqui hoc adorant cultu latriæ, propter unionem ad Verbum: ergo & illum propter eandem rationem.

Obj. 1. Sanguis, secundùm Scotum, non est animatus: ergo nec Verbo unitus.

Resp. Neg. conseq. Ut enim à Verbo hypostaticè & immediatè assumatur, sufficit quòd sit pars humanitatis, faciens ad illius perfectionem vel integritatem, vel veritatem, sive interim vivat, sive non.

Inst. 1. Juxta eundem Doctorem, sanguis non est pars corporis, ergo non pertinet ad naturæ integritatem.

Resp 1. Neg. conseq. Ut enim pertineat ad naturæ integritatem, sufficit, quòd sit pars humanitatis, licèt non sit corporis.

Resp. 2. Dist. Ant. Non est pars corporis vivi, N. corporis prout abstrahentis à vivo & mortuo, seu prout præcisè dicit materiam cum forma corporeitatis, C. & hoc sensu loquitur Scotus.

Inst. 2. Ità se habet sanguis ad corpus vivum, sicut oleum ad lucem; atqui oleum non est pars lucis: ergo nec sanguis pars corporis vivi.

Resp. Majorem esse falsam: sed eodem modo se habet sanguis ad corpus vivum, sicut oleum ad lampadem ardentem: jam autem sicut oleum est pars lampadis ardentis, ità sanguis corporis viventis.

Inst. 3. Sanguis est alimentum corporis viventis: atqui alimentum secundùm Medicos, non est pars: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Est alimentum corporis viventis quoad partes solidiores, C. quoad omnes, N. unde licèt sanguis non sit pars actu, sed tantùm potentia respectu partium solidarum, quarum est alimentum; quod volunt Medici, nihil prohibet, quominus sit ipse pars fluida corporis viventis.

Inst. 4 Si sanguis esset pars corporis vivi, ac ideo Verbo unitus, poneretur in Eucharistia sub speciebus panis vi Verborum; atqui hoc est contra Trident. docens tantùm poni per concomitantiam: ergo &c. Prob. Maj Quia vi Verborum ponitur totum corpus, adeoque & omnes ejus partes.

Resp Neg Maj. Ad Prob. dist. Assumpt. Ponitur totum corpus ut vivens, N. aliàs contra idem Concilium poneretur etiam anima, utpote forma corporis viventis. Ponitur prout dicit materiam cum forma corporeitatis, seu prout abstrahit à vivo & mortuo, C. sed nego corporis ut sic, sanguinem esse partem. Ex dictis

Resol. 1. Etiam spiritus vitales & animales fuisse immediatè unitos; Verbo: 1. Quia sunt sanguis purissimus & defœcatus. 2. Quia ità sunt necessarii ad operationes vitales exercendas, ut corpus sine illis vix possit operari. 3. Quia non minùs sunt de integritate corporis, quàm ungues, Capilli &c.

Resol. 2. Idem esse de cambio, rora & glute, in quæ priùs transit sanguis, quàm transeat in carnem & ossa. Ratio est; quia immediatiùs conferunt ad vitæ conservationem, quàm sanguis.

Haic Sententiæ contradicunt Salmanticenses cum quibusdam aliis, eò quòd opinentur cambium &c. non generari ex sanguine, sed sanguinem ex ipsis, cùm contrarium testentur Medici.

Resol. 3. Eodem modo loquendum esse de tribus aliis humoribus sanguini conjunctis, nempe cholera seu bile atra, pituita seu phlegmate, & melancholia seu bile flava; quia per se requiruntur ad convenientem corporis statum; imò ità miscentur cum sanguine, quem fluidum, liquidum, purum, ac in temperamento congruenti constituunt, ut cum eo unicam massam confluent, quæ ab humora principaliori dicitur sanguis.

Nec refert 1. Quòd illi humores vocentur à Philosopho excrementa; quia sic illos vocat, non quia sunt rigorosè loquendo, sed vel quia ex illis generantur excrementa, vel quia purgari debent ad instar excrementorum, eò quòd magna ex parte redundent.

Nec refert 2. Quòd Christus quandoque phlegma expueruit, quia illud non erat verum phlegma, quod erat Verbo unitum, sed merum excrementum ex phlegmate generatum.

QUÆSTIO IV.

An Christi sanguis fuerit in triduo mortis Verbo unitus, & an totus fuerit in Resurrectione reassumptus?

CHristi sanguinem non fuisse in triduo mortis Verbo unitum, prædicavit olim circa annum 1352. Theologus quidam Barchinonensis Franciscanus; imò & B. Jacobus de Marchia nostri etiam Ordinis alumnus, anno 1462. in Dominica Resurrectionis, 18. Aprilis: quorum sententiam ut erroneam & hæreticam à Clemente VI. & Pio II fuisse damnatam, audent aliqui asserere, sed quàm immeritò id asserant, declarabit Conclusio secunda hujus quæstionis.

CONCLUSIO I.

PRobabilius est sanguinem in triduo mortis fuisse unitum Verbo. Ità communiter Theologi contra paucos.

Prob. 1. Ex Scriptura Joan. 6. *Qui bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: ergo qui in triduo mortis consecrasset & bibisset calicem, habuisset in se Verbum, atqui non habuisset in se Verbum, si sanguis non fuisset Verbo unitus; ergo &c.

Prob. 2. Ex communi Theologorum axiomate desumpto ex Damasceno: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*; atqui assumpsit hypostaticè sanguinem ut diximus ergo illum in triduo mortis non dimisit.

Prob. 3. Ex eodem Damasceno, qui lib 4. de fide c 12. docet jure optimo crucem adorari, quia sanguinis contactu sanctificata est; atqui si sanguis effusus non mansisset unitus Verbo, non apparet, cur ità crucem sanctificasset, ut esset digna adorari: ergo &c.

Prob. 4. Caro in triduo mortis transit unita Verbo, ut tenet communis Ecclesiæ traditio: ergo & sanguis. Prob. conseq. Ideo caro mansit Verbo unita in illo triduo, quia fuit à Verbo hypostaticè assumpta; atqui etiam hypostaticè assumptus est sanguis: ergo &c.

Obj. 1. Malè diceretur, quòd Filius Dei adhæserit pavimento, spinis, flagellis &c. atqui ex sententia nostra hoc sequitur: ergo &c. Prob. Min. Quia ex eo quòd Filius Dei esset unitus carni sepultæ, dicitur sepultus: ergo si uniretur sanguini adhærenti pavimento &c. deberet dici adhærere pavimento &c.

Resp. Neg. Min. ad Prob. Neg. conseq. Disparitas est, quòd caro seu cadaver etiam sine sanguine, sumatur pro toto secundùm communem usum loquendi, non sic sanguis: unde, carne Petri sepulta, dicitur Petrus sepultus, sanguine autem Petri effuso aut collecto, non dicitur Petrus effusus aut collectus, licèt sanguis non minùs sit pars Petri, quàm caro.

Obj. 2. Christi sanguis effusus in circumcisione non mansit unitus Verbo; cùm nec ipsa præputii caro manserit unita: ergo.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quòd sanguis effusus in Circumcisione nunquam esset restituendus, sicut nec præputii caro; at sanguis effusus in Passione erat restituendus; & ideo non est credibile, quòd pro tantillo tempore transierit de supposito Divino ad proprium, & de proprio rursus ad Divinum.

Obj. 3. Si Verbum unitur sanguini in triduo mortis datur inter Verbum & sanguinem communicatio idiomatum, & sic potest dici: *Verbum est sanguis*, & è contra sicut ex eo quod Deus uniatur naturæ humanæ dicitur: *Deus est homo & homo est Deus*.

Resp. Ad hoc argumentum (quod æquè militat pro sanguine existente in Christi corpore) negando assumptum; quia idiomatum communicatio tantum reperitur inter Verbum & naturam completam, non inter partes; & ideò non dicitur, *Verbum est anima, Verbum est corpus*, etiam in triduo mortis, ubi anima existit separata à corpore.

CONCLUSIO II.

NOn constat definitum esse, Christi sanguinem fuisse Verbo unitum in triduo mortis. Est contra Sylvestrum, Medinam, Vasquez, Suarez & nonnullos recentiores.

Prob. Si constaret; vel quia definitum est à Scriptura, vel à Conciliis, vel à Summis Pontificibus; cùm nihil aliud nobis objicere possint Adversarii; atqui ab illis definitum esse, non constat: ergo &c.

1. Non à Scriptura; quia, testibus ipsismet Vasquez & Suarez, nequidem evidenter probat, Christi sanguinem existentem in ejus corpore vivo, fuisse immediatè unitum Verbo.

2. Non à Conciliis; quia licèt in sexta Synodo act. 16. damnatus fuerit hæreticus quidam nomine Constantinus, qui asserebat Christum exuisse carnem & sanguinem cum humana voluntate, non sequitur fuisse damnatum, eò quod assereret exuisse sanguinem, cum potuerit condemnari partim ut Manichæus, quia negabat veram Christi carnem, partim ut monothelita, quia unicam in Christo admittebat voluntatem. Si autem Concilium Calcedonense approbavit Epistolam D. Cyrilli, ubi asserebat Christum assumpsisse carnem & sanguinem; hoc tamen non determinavit esse de fide quoad assumptionem hypostaticam sanguinis, saltem quæ etiam in triduo mortis perseveraverit; cùm Pius II. vetet sub excommunicatione sententiam oppositam vocari hæreticam, ut jam dicemus.

3. Non à Summis Pontificibus: non quidem à Clemente VI. & Pio II. in quibus se fundant Adversarii; quandoquidem Pius II. qui circiter 100. annis post Clementem VI. floruit, octiduo ante suam mortem in quodam diplomate dato anno 1464. Kalendis Augusti (quod videri potest apud Laertium Cherubinum & alios) expressissimè inhibuerit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ asserere privatim aut publicè sententiam tenentem Christi sanguinem in triduo mortis non fuisse unitum Verbo, esse peccatum, sivè hæresim: quod sanè non fecisset si ipsemet aut ejus prædecessor Clemens VI. rem illam definivisset. Ad horum autem confirmationem facit, quòd ipsemet Pius II. eodem anno in Epistola ad B. Jacobum de Marchia (quam ex autographo exscripsit Vadingus) in terminis dicat: *Nos enim materiam ipsam hucusque non determinavimus, nec propter varias occupationes determinare potuimus.*

CONCLUSIO III.

CHristus in Resurrectione totum moraliter sanguinem reassumpsit, non tamen totum physicè.

Prob. Prima Pars 1. Quia quòd Christus semel assumpsit, nunquam dimisit: sed si Verbum non reassumpsisset totum moraliter sanguinem, dimisisset aliquid quod assumpsit: ergo &c.

Dices, Sanguinem non reassumptum (si quis sit) manere unitum Verbo, & sic illum non dimisit. Sed

Contra est, quòd sicut Verbum, secundùm communem fidelium existimationem, non mansit unitum carni præputii, nec dentibus quos infans dimisit, nec crinibus, qui exciderunt, nec unguibus, quos minuit; ita nec sanguini, si quis in terris remansit: aliàs fatendum est, Christum esse alibi, quam in cœlo & in Eucharistia.

Prob. 2. Christus resurrexit homo perfectus & integer; atqui sanguis, quem in passione dimisit, pertinebat ad humanitatis integritatem: ergo totum moraliter reassumpsit.

Prob. Secunda Pars 1. Ex lib. 6. Revelationum B. Brigittæ, quam sic ibidem alloquitur B. Virgo: *Cùm tempus vocationes meæ instaret de hoc mundo, ego ipsam sacram membranam, nempe præputii commendavi S. Joanni custodi meo cum sanguine illo benedicto, qui remansit in vulneribus ejus quando deposuimus de cruce:* ergo signum est quòd non fuerit totus physicè reassumptus.

Prob. 2. Quia etiam nunc in Conventu FF. Prædicatorum S. Maximini asservantur in ampulla vitrea aliquæ guttæ sanguinis terra mixti a S. Magdalena tempore Passionis collectæ: quem sanguinem ebullientem in die Parasceves viderunt etiam nostro tempore plurimi fide digni. Imò asservatur aliquis Mantuæ approbatus à Leone III. Item Brugis, Venetiis in nostro Conventu, & alibi adoratur verus Christi sanguis si traditioni creditur:

Confirmatur: Quia etiam nunc Christi Passionis instrumenta conspiciuntur aspersa sanguine, ut Lancea Romæ, Spina Parisiis, Syndon Taurini &c.

Nec dicas esse quendam colorem; quia color non communicatur sine substantia, cui inhæret.

Dices 1. Quod Christus assumpsit, nunquam dimisit: ergo nihil reliquit sui sanguinis in terris.

Resp. Axioma illud intelligendum esse moraliter; seu de partibus ad corporis integritatem necessariis; non autem physicè, seu de particulis minimis, sine quibus adhuc stat integrum corpus.

Dices 2. Athanasius in libello de Passione Dominicæ imaginis c. 7. asserit solum illum Christi sanguinem in terris reperiri, qui Beryti in Syria ex crucifixa Christi imagine fluxit & illum qui à Sacerdotibus quotidiè conficitur.

Resp. Quòd non constet authorem illum esse Athanasium magnum; quandoquidem, si fidem faciamus Baronio ad annum 765. hic mortuus sit anno 372. miraculum autem illud evenerit anno 765.

Resp. 2. Supposito quòd sit Athanasius magnus, opponendo illi Summum Pontificem præfatum: & piam omnium ferè fidelium traditionem.

QUÆSTIO V.

An Verbum potuerit assumere quamlibet naturam substantialem?

DE natura Angelica hic non inquirimus, quia potuisse assumi tanquam certum supponuntur 1. Scriptura ad Hebræos 2. ubi dicitur: *Nusquam enim Angelos apprehendit*, id est, assumpsit: quod impertinenter dixisset Apostolus, si naturam Angelicam apprehendi judicasset impossibile. 2. Patres dicentes convenientiùs assumptam esse naturam humanam, quàm Angelicam: quod supponit Angelum esse assumptibilem. 3. Scholarum Principes D. Thomas & Scotus cum suis, cùm asserunt subsistentiam Angeli distingui ab ejus natura, & non minus esse ab ea separabilem, quàm sit subsistentia humana à natura hominis: unde hic solùm de natura irrationali & inanimata procedit quæstio.

CONCLUSIO UNICA.

POtuit Verbum de potentia absoluta assumere quamlibet naturam irrationalem, sive animatam, sive inanimatam. Ita Scotus 3. 6. 2. q. 1. n. 6. D. Thomas & recentiores communiter contra quosdam veteres.

Prob. 1. Ex Tertulliano libr. de carne Christi contra Marcionem, ubi asserit non repugnare, quòd Deus naturam animalis assumeret: cui consonare videtur Gregorius Nyssen. orat. Catechetica c. 27. imo etiam Augustin. libr. de vera Religione cap. 16. (quidquid dicat Frassen) nam licèt ibi tantùm dicat Deum potuisse apparere visibiliter hominibus in corpore æthereo; ex contextu tamen colligitur, quòd loquatur de corpore hypostaticè assumendo.

Prob. 2. Quia sicut subsistentia hominis distinguitur realiter ab ejus natura; ita subsistentia cujuslibet naturæ irrationalis distinguitur realiter ab ipsa natura irrationali: ergo, sicut potuit subsistentia Verbi loco subsistentiæ humanæ substitui: ita & loco subsistentiæ naturæ irrationalis, cùm hæc non sit magis determinata ad proprium suppositum, quàm illa.

Prob. 2. Valet argomentum ab actu ad potentiam; atqui Verbum reipsa univit sibi hypostaticè naturam irrationalem, nempe sacram Christi cadaver in triduo mortis: ergo &c.

Dices, non esse idem de Christi cadavere, ac de aliis naturis; quia illud est potentia pars naturæ rationalis, in quantùm dicit ordinem ad animam rationalem, cui erat reuniendum, non sic aliæ naturæ. Sed

Contra est, quòd ordo ille (quem tamen negamus, cùm reunio corporis ad animam sit supernaturalis, adeoque supra naturæ exigentiam) relinquat Christi corpus formaliter & intrinsecè irrationale & inanimatum, adeoque idem de ipso, ac de lapide aut bruto sentiendum est.

Prob. 4. Quia ex nullo capite assignari potest implicantia: non ex parte causæ efficientis; cùm non sit DEO difficilius unire naturam irrationalem Verbo, quàm rationalem: non ex parte finis, quasi nullus rationabilis esse potuerit id faciendi; cùm Deus per hoc intendere potuerit manifestationem suæ potentiæ ac libertatis: non ex parte subsistentiæ Divinæ; cùm sit in terminando realiter infinita: non ex parte naturæ irra-

irrationalis; cùm non sit magis affixa suæ subsistentiæ quàm natura humana suæ: non denique ex parte decentiæ; cùm non sit potius indecens, quòd Deus assumat naturam bruti aut ligni, quàm cadaveris: ergo &c.

Ob. 1. Unio Hypostatica sanctificat; atqui natura irrationalis est incapax sanctificationis: ergo & illius unionis.

Resp. Dissimulata majore (quam postea negabimus) Dist. Min. Est incapax sanctificationis ad beatitudinem conferentis, C. conferentis ad hoc, ut honoretur, adoretur &c. N. natura enim illa, propter unionem ad Verbum, foret digna cultu latriæ: sicut fuit Christi cadaver in triduo mortis.

Obj. 2. Visio beatifica non potest communicari naturæ irrationali: ergo nec Unio hypostatica.

Resp. Neg. Conf. Disparitas est, quòd visio, per quam quis actu videt Deum, sit actus vitalis procedens à potentia intellectiva ipsius videntis, cujus est incapax natura irrationalis: unio autem, sit præcisè vinculum, quod tam in natura irrationali, quàm rationali recipi potest; unde licèt hæc unio sit perfectior visione beatifica; quia tamen sunt diversi ordinis, unio potest competere naturæ irrationali, non visio: sicut, propter eandem rationem, competit homini ratiocinari, non volare; licèt primùm sit perfectius secundo.

Obj. 3. Esse datur propter operari; atqui naturæ irrationali repugnat operatio Divina: ergo & esse Divinum.

Resp. Dist. Maj. Esse naturæ datur propter operari, C. esse subsistentiæ; quale reciperet per Unionem hypostaticam naturæ irrationalis, N.

Obj. 4. Dispositio necessaria ad Unionem hypostaticam est gratia sanctificans; atqui hujus est incapax natura irrationalis: ergo & illius.

Resp. N. Maj. Quandoquidem Christi cadaver (quod incapax erat gratiæ sanctificantis) fuerit Verbo hypostaticè unitum.

Obj. 5. Effectus personalitatis Divinæ est personare naturam; atqui natura irrationalis non potest esse persona: ergo &c.

Resp. N. Maj. sed est reddere naturam subsistentem, quæ si sit rationalis, vocatur persona, si irrationalis, suppositum.

Obj. 6. Removeri debet à Deo quidquid est indecens: atqui indecens est, quòd Deus dicatur leo, bos, vacca: ergo non potuit illas naturas assumere.

Resp. Dist. Maj. Removeri debet à Deo, quidquid est indecens positivè, seu dicens aliquam imperfectionem. v. g. malitiam, errorem, ignorantiam, C. quidquid est indecens negativè, seu non dicens aliquam decentiam, N. aliàs non fuisset unitus Christi cadaveri, nec posset dici flagellatus, crucifixus, sepultus: cùm illa de se non dicant aliquam decentiam.

Obj. 7. Hæc conclusio videtur repugnare rationi; ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Videtur repugnare rationi naturali, sapienti secundùm prudentiam carnis, transeat. Rationi Theologicæ fundatæ in eo, quod factum est respectu Christi cadaveris, N.

Obj. 8. Repugnat quòd brutum sit videns Deum, amans Deum &c. atqui si natura bruti assumeretur à Verbo, brutum esset videns Deum &c. ergo

Resp. Dist Maj. Repugnat quòd brutum sit videns Deum formaliter, intrinsecè & elicitivè, C. extrinsecè, denominativè & per communicationem idiomatum, N. sic enim non repugnat, quòd Deus dicatur natus & mortuus.

DISPUTATIO VII.

De defectibus, quos assumpsit Christus.

DEfectus, qui in humanitate reperiuntur, alii tenent se ex parte corporis, ut fames, sitis, fatigatio, infirmitas, mors &c. Alii ex parte animæ, ut ignorantia, peccatum. Alii ex parte utriusque, ut ira, tristitia, &c. De illis omnibus agemus hic per varias quæstiones.

QUÆSTIO I.

Quid dicendum sit de Christi corporis defectibus?

CIrca annum Christi 476. Imperante Zenone Julianus Halicarnasseus, quem postea secutus est Gajanus sub Phoca Imperatore anno circiter 604. docuit Christum habuisse quidem verum & reale corpus humanum, in quo à Manichæis, & aliis differebat; negavit tamen illud fuisse passibile ac morti obnoxium. Hujus sequaces dicti sunt à Catholicis ipsos impugnantibus *Phantasiastæ*, à quibus vicissim vocati sunt ipsimet Catholici *Phthartolatræ*, quasi adorantes corpus passioni & corruptelæ obnoxium. In eundem errorem lapsus est Justinianus Imperator, vir alioquin Catholicus, sed in hac parte ab hæreticis seductus, qui propterea Euthichium Patriarcham, contrarium docentem jussit exulare; imò edicto publico mandavit, ut omnes ejus sententiam amplecterentur; sed hunc errorem retractasse, inde colligitur, quòd sexta Synodus, quæ hanc hæresim proscripsit ipsum tanquam pium Imperatorem ab ipsa præfatione laudaverit.

Calvinus è contra non tantùm fuisse passibilem, sed etiam ipsas damnatorum pœnas debuisse pati, blasphemè asseruit in suis institutionibus, hoc debili fretus motivo, quòd pœnas easdem debuerit perferre, quas eramus in inferno passuri; quasi verò non potuisset per alias sufficienter & plusquam sufficienter satisfacere. Et certè si hoc esset, cùm cuilibet peccato debeatur pœna inferni in æternum, debuisset etiam Christus in æternum damnari: quod audire refugit sensus: unde sicut potuit pro pœnis æternis per pœnas temporales satisfacere: ita & potuit pro pœnis inferni per pœnas hujus vitæ plusquam sufficienter solvere, ob infinitam personæ suæ satisfacientis dignitatem. His præmissis, hanc quæstionem in 2. articulos dividemus.

ARTICULUS I.

Quinam defectus corporis fuerint in Christo?

CONCLUSIO I.

FUerunt in Christo defectus corporis toti naturæ communes, seu qui sequuntur naturam humanam consideratam secundùm illam constitutionem, quam ex se habet, & in qua post peccatum primi parentis relicta est: modò tamen nullam involvant indecentiam: unde esuriit, sitivit, fuit fatigatus, passus & mortuus.

Prob. ex Script. Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Matt. 4. *cùm jejunasset esuriit*, & c. 27. *emisit spiritum*. Joan. 4 dicitur *fatigatus ex itinere* & c. 19. dicit in cruce: *Sitio*. Unde hæc conclusio definita est in Conciliis Ephesino Anathematismo 12. Calcedonensi act. prima, Lateranensi sub Martino I. Consult. 5. can. 3. & aliis. Hæc veritas latè patet ex traditione Patrum pro quibus consule Authores, si volueris.

Prob. 2. Quia expediebat, ut defectus illos assumeret; 1. Ut ostenderet se verum esse hominem per omnia nobis similem. 2. Ut nobis relinqueret exemplum humilitatis & patientiæ 3. Ut nos redimeret, non auro aut argento, sed proprii sanguinis effusione.

Obj. 1. Psalmo 15. dicitur: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: ergo non fuit mortalis.

Resp. Dist. Ant. Non dabis videre corruptionem, id est, mortem, N. id est, corporis putrefactionem, C. quia corpus ejus, utpote animæ reuniendum, servatum est post mortem incorruptum.

Obj. 2. Quædam Patrum testimonia, ut Clementis Alexandrini, lib. 6. Stromatum C. 6. ubi de Christo ait: *Ipse autem, ut semel dicam, impassibilis erat*. D. Hilarii l. 10. de Trinitate: *Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit*. Hieronymi in c. 26. Matth. *Erubescant, qui putant Salvatorem timuisse mortem, & passionis pavore dixisse: Pater si fieri potest &c.*

Resp. Ad Clementem, opera ejus inter Apocrypha recensita esse à Gelasio Papa in quodam Concilio Romano, & quòd in illis multæ reperiantur propositiones errorem sapientes.

Ad Hilarium respondet D. Bonaventura 3 Dist. 10. a. 1. q. 1. ad primum, quòd audierit Guillielmum Parisiensem dicentem se legisse librum, in quo Hilarius se retractavit: piè quidem conantur aliqui ipsum explicare, sed, ut advertunt Bellarminus, Vasquez & alii, nulla in ejus verba cadere potest explicatio.

Ad

Ad D. Hieronymum dico, ipsum excludere à Christo timorem, qui includit turbatum animi motum, non verò omnem timorem.

Obj. 3. Pœna supponit culpam; atqui nulla fuit in Christo culpa: ergo nulla pœna.

Resp. Dist. Maj. Pœna coactè & involuntariè inflicta supponit culpam, C. voluntariè & ex Charitate suscepta, N. vel aliter; supponit culpam, vel propriam, vel alienam, C. necessariò propriam, N. jam autem pœnalitates illas suscepit propter scelera nostra.

Obj. 4. Indecorum fuit Christo dolere, fatigari, esurire &c. ergo illos defectus non assumpsit.

Resp. Dist. Ant. Indecorum fuit secundùm prudentiam carnis, C. secundùm rei veritatem, N. Sicut enim non fuit Christo indecorum ex fœmina nasci, pannis involvi, lacrymari, ita nec dolere, fatigari &c.

Obj. 5. Defectus illi nihil conferunt ad finem Incarnationis, imò potius illi obsunt; quandoquidem Christus Crucifixus, fuerit Judæis scandalum, gentibus autem stultitia: ergo &c.

Resp. Neg. Ant. quia licèt per illos obscuraretur Divinitas; manifestabatur tamen humanitas, per quam venerat pro nobis satisfacturus, ac humilitatis & patientiæ exempla traditurus: quòd si inde aliqui fuerunt scandalizati, scandalum fuit acceptum, non datum.

CONCLUSIO II.

CHristus non assumpsit defectus particulares, ut sunt morbi & deformitas. Ità communiter Theologi.

Prob. 1. Quia defectus illi oriuntur, vel ex intemperantia ipsius individui, vel ex imperfectione virtutis formativæ, vel ex peccato: atqui ex nullo illorum capite accidere potuerunt in Christo: ergo &c. Prob. Min. Non quidem ex parte individui; cùm Christus fuerit in omnibus temperatissimus: non etiam ex parte virtutis formativæ, aliàs tribuerentur Spiritui Sancto, quæ ejus humanitatem ex purissimo B. Virginis sanguine efformavit: non denique ex peccato; cùm nec actuale, nec originale incurrerit: ergo &c.

Prob. 2. Quia defectus illi non profuissent, imò potius obfuissent fini Incarnationis; cùm potuissent impedire salutiferam ejus cum hominibus conversationem.

Obj. 1. Illud Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portavit, & nos putavimus eum, quasi leprosum &c.*

Resp. Prophetam sic loqui, non quia Christus infirmitatem aliquam sustinuit corporalem, puta lepram, aut morbum caducum, ut somniarunt aliqui etiam Christiani, sed dicitur 1. tulisse dolores nostros; quia tulit in Passione pœnas peccatis nostris debitas. Dicitur 2. *Putavimus eum, quasi leprosum*; Quia cavabant eum Judæi, sicut cavebant leprosos.

Obj. 2. Christus omnes infirmitates & miserias nostras sanavit: ergo omnes assumpsit.

Resp Neg Conf. Quia sicut potuit nos à pœnis inferni liberare, illas non sustinendo: ita & à miseriis & infirmitatibus: quod perficietur in altera vita.

Objic. 2. Assumpsit mortem: ergo & à fortiori morbos.

Resp. N. Conf. Ratio est; quia mors sequitur naturam nudè spectatam, non sic morbi; qui proveniunt vel per excessum, vel per defectum individui.

Inst. 1. Si Christus non fuisset violenter occisus, fuisset naturaliter mortuus; atqui mors non accidit sine morbo: ergo &c.

Resp. Dist. Min. non accidit sine morbo speciali, puta, sine apoplexia, febri, lethargia, aut similibus, N. sine Morbo speciali, vel toti naturæ communi, transeat. Jam autem licèt morbum specialem removeamus à Christo; non tamen toti naturæ communem, v. g. defectum caloris naturalis; cùm per hoc nec ingenito sequatur aliqua indecentia. Dixi *transeat*: quia, juxta quosdam Medicos, potest mors accidere sine ullo morbo; sed quantum ad hoc viderint ipsi.

Obj. 5. Infirmitates particulares potuerunt esse ipsi materia satisfactionis: ergo illas assumpsit.

Resp. Neg. Conf. Quia potuit aliundè pro nobis super abundanter satisfacere.

Obj. 5. Saltem fuit in Christo corporis deformitas, juxta illud Isaiæ 53. *Non est species ei, neque decor.*

Resp. Neg. Assumpt. quia illud Isaiæ intelligitur de Christo tempore Passionis, & præsertim Flagellationis.

Inst. 1. Non decet Evangelii prædicatorem pulchritudo, sed potius facies pallida, austera, & pœnitens: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. non decet pulchritudo mollis, fœminea & affectata, C. gravis, majestuosa & virilis, N.

Inst. 2. Tertullianus lib. de carne Christi asserit corpus ejus fuisse deforme.

Resp. Tertullianum in hoc excessisse: volens enim ostendere contra hæreticos, Christi corpus non esse cœleste, non tantùm docet esse terrenum, sed etiam minus honestum, proportionatum &c. quod etiam sustinent Clemens Alexandrinus & Origenes: sed illis opponimus scripturam sacram de Christo dicentem Ps. 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum*: opponimus Hieronymum Ep. 140. ad Principiam: *Universis pulchrior est Virgo de Virgine*, Chrysostomum: *visu gratiosissimus fuisse dicitur*; Bernard. serm. 1. omnium Sanctorum: *Vox suavis & facies ejus decora*; & alios Ecclesiæ Patres, præfatum scripturæ passum de Christi corpore intelligentes.

ARTICULUS II.

An defectus à Christo assumpti fuerint ipsi voluntarii, & an ab ipso contracti?

QUæstio procedit de Christo ut homine; quia certum est Christo ut Deo fuisse omninò voluntarios, non tantùm quia voluntariè naturam humanam assumpsit: sed etiam quia potuit illam assumere sine defectibus illis: & nihilominus opus Redemptionis nostræ superabundanter adimplere per actus amoris &c. Sed ante resolutionem

Nota voluntarium posse sumi dupliciter, formaliter scilicet & objectivè: formaliter est actus à voluntate elicitus aut imperatus; & hoc sensu non fuerunt defectus Christo voluntarii; cùm non sint actus à voluntate eliciti aut imperati: objectivè autem est id, quod licèt à voluntate nec eliciatur nec imperetur, est tamen ab ipsa volitum, amatum, & acceptatum: & an hoc sensu defectus fuerint Christo voluntarii, hic inquirimus.

CONCLUSIO I.

DEfectus illi potuerunt aliquo sensu dici Christo necessarii, in quantùm scilicet sequebantur naturaliter & necessariò ex natura sibi relicta & secundùm vires naturales considerata. Ita Scotus 3. d. 53. q. 1. & 2. Estque communis inter Theologos.

Prob. Defectus illos, nempe famem, sitim, fatigationem &c. necessariò patitur nostra natura; atqui Christus dempto peccato, assumpsit naturam nostræ omninò similem: ergo &c. Prob. Maj. quia velit, nolit homo; si non manducet, esurit: si non bibat, sitit: si diu ambulet, fatigatur: si percutiatur, dolet &c.

CONCLUSIO II.

NOn obstante hac necessitate, præfati defectus fuerunt Christo simpliciter voluntarii. Ità DD. Angelicus, Seraphicus & Subtilis, quos sequuntur alii communiter.

Prob. 1. Ex scriptura ad Hebræos 10. *Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi ..... tunc dixi: ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam*. Hoc est, ut explicat Sophronius in Epistola approbata à Sexta Synodo act. 10. acceptavi voluntariè corpus passibile & expositum omnibus humanæ naturæ molestiis.

Prob. 2. Ex Damasceno 3. de fide C. 20. *Volens fame, volens siti, volens metu, volens morte affectus est*; Et ibidem *Nihil in ipso coactè conspicitur, sed omnia spontanea*.

Nec refert, quòd lib. de hæresibus in 84. condemnet Julianum Halicarnasseum volentem passiones non fuisse Christo necessarias, sed voluntarias, ac ideo non habuisse, sicut nos, corpus passibile; quia tunc loquitur ad sensum primæ conclusionis, secundùm quem constat esse necessarias.

Prob. 3. ratione; illud est simpliciter voluntarium hic: quod est simpliciter volitum & acceptatum; atqui defectus à Christo assumpti fuerunt ab ipso simpliciter voliti & acceptati: ergo &c. Prob. Min. 1. quia ipsos libenter toleravit. 2. quia poterat ut instrumentum Divinitatis illos evitare, & non evitavit. 3. quia voluntariè causas illorum admisit: volendo enim longam peregrinationem, voluit fatigationem: volendo abstinere à cibo & potu, voluit famem & sitim: permittendo se percuti, voluit dolorem inde sequentem.

Dices

Dices 1. Inde infertur Judæos non peccasse Christum flagellando, & occidendo; quia nullus peccat conformando se Christi voluntati etiam humanæ.

Res. Hoc malè inferri; quia licèt Christus acceptaverit pœnas illas passivè sumptas, seu quatenus tenent se ex parte ipsiusmet patientis; non tamen approbavit activè sumptas, seu quatenus tenent se ex parte Judæorum flagellantium, aut crucifigentium.

Dices 2. Christus Matth. 26. dicebat: *Pater mi si possibile est transeat à me calix iste*: Ergo non voluntariè acceptabat passionem & mortem.

Resp. Dist. conf. Non acceptabat voluntariè secundùm partem superiorem voluntatis, N. secundùm inferiorem; C. nam cùm pars inferior inclinet per modum naturæ ad bonum commodum suppositi proprii, Christus secundùm ipsam refugiebat passionem, & mortem, ut bono naturæ oppositas, secundùm tamen partem superiorem, quæ sequitur ductum rationis deliberatæ, illas absolutè & simpliciter volebat, ut se voluntati Divinæ conformaret.

Inferes: ergo passiones possunt dici aliquo modo Christo coactæ & necessariæ.

Res. Potuisse dici coactas secundùm quid, non absolutè: nam coactum, secundùm Philosophum Ethices C. 1. sumitur ab efficaci; pars autem inferior tantum inefficaciter illas passiones refugiebat; quandoquidem pars superior efficaciter illas vellet.

CONCLUSIO III.

FUerunt defectus illi à Christo contracti physicè, non moraliter.

Prob. prima pars; quia cùm Christus assumpserit naturam ex quatuor humoribus contrariis, ac perpetuò inter se pugnantibus compositam (ex qua naturaliter & physicè profluunt illi defectus, ubi non impediuntur, sicut non impedivit Christus) dici potest illos physicè contraxisse, sicut nos.

Prob. Secunda pars; quia cùm causa moralis illos contrahendi sit peccatum originale, quod non contraxit Christus, sequitur illos non contraxisse moraliter: undè, cùm per contrahere intelligatur ordinariè contractio moralis, dicendum est defectus illos assumpsisse, non contraxisse.

QUÆSTIO II.

An fuerint in Christo aliqui defectus animæ?

ANimæ nostræ defectus præcipui sunt ignorantia & peccatum, ad quod reduci potest fomes peccati, de quibus articulis sequentibus agemus.

ARTICULUS I.

An fuerit in Christo ignorantia?

GNostici, aliter Valentiani, volebant, ut refert Irenæus lib. 1. adversus hæreses C. 17. Christum plurima ignorasse, imò sub Magistri ferula alphabetum dicisse, totamque suam scientiam ab hominibus hausisse. Gnosticos secuti sunt Agnoitæ seu Ignoitæ, qui & Themistiani dicti sunt à Themistio eorum duce: hi porrò Christo ut homini diei judicii cognitionem negabant.

Hujus autem temporis hæretici ut Lutherus concione de natali Domini, Zuinglius in Caput 2. Lucæ, & Calvinus in C. 9. 21. & 24. Matth. etiam sustinent Christum ignorasse diem judicii, sicut & multa alia, & instar aliorum hominum in scientia profecisse: imo eò temeritatis ac impudentiæ processit Calvinus, ut dixerit ipsum quandoque adversarios suos minus solidè refutasse, Prophetarum verba in sensum alienum detorsisse, & similitudines improprias, sicut & illationes superfluas, & non ad propositum adhibuisse. Sed antequàm illos refutemus

Advertendum, ignorantiam esse duplicem, positivam unam quæ est error seu actus intellectus aliter de objecto judicantis, ac in se est, alteram negativam, quæ est carentia scientiæ. Hæc subdividitur in privativam, quæ est absentia scientiæ subjecto debitæ, & in purè negativam, & est absentia scientiæ subjecto indebitæ. Hoc notato

CONCLUSIO I.

NOn fuit in Christo ignorantia positiva aut privativa imò nec purè negativa circa actualia.

Prob. prima pars; quia si errasset; vel circa actualia, vel circa possibilia; non erravit circa actualia; quandoquidem ut homo omnia cognoverit, quæ Deus cognoscit scientia visionis, ut suo loco dicetur: non etiam circà possibilia; nam licèt daretur, quòd non cognoverit omnia singularia possibilia, ità tamen prudenter dirigebat circa illa intellectum suum ut nunquàm temerè assentiretur, aut dissentiretur.

Dices, fuit deceptus in sensu; ergo & in intellectu: Prob. Ant. Quia apprehendebat, sicuti nos, solem & lunam longè minores, stellas adinstar candelarum &c. Negant aliqui antecedens; quia licèt sensus apprehendat objecta longè minora tamen in hoc non erat; cùm sit ipsi connaturale illa objecta sic apprehendere. Sed

Res. Gratis concesso antecedente, neg. Conf. quia cum per scientiam infusam rerum omnium species proprias haberet, non poterat intellectus illius decipi.

Prob. Secunda pars; quia omnia, quæ ad statum suum Mediatoris, Doctoris, Redemptoris &c. pertinebant, clarè & distinctè cognovit, ut inferius ostendemus: undè habuit omnem omninò scientiam sibi vel ex lege, vel ex decentia, vel ex congruitate, vel ex alio quocumque titulo debitam.

Prob. Tertia pars; quia omnia actualia sunt objecta scientiæ visionis; atqui, ut diximus, cognoscit omnia, quæ cognoscit Deus scientia visionis: ergo &c.

Dixi: *Circa actualia*; Quia sustinent aliqui habuisse ignorantiam negativam circa plura objecta ex individuis possibilibus. Sed quantum ad hoc posteà

Dices 1. Contra hanc tertiam partem: dixit Christus Joan. 11. de Lazaro: *Ubi posuisti eum?* & Joan. 6. *Dicit ad Philippum, undè ememus panes, ut manducent hi?*

Res. Sic fuisse locutum, non ex ignorantia, sed ex prudentia, ut indè occasionem acciperet vel populum docendi, vel potentiam manifestandi, vel mysterium aliquod declarandi &c.

Dices 2. Fuit in Christo admiratio, juxta illud Matth. 8. *Audiens autem Jesus miratus est*; atqui admiratio supponit ignorantiam, cùm indè proveniat; quod videatur effectus insolitus, cujus causa ignoratur, ut docet Philosophus lib. 1. Metaphysices C. 1. ergo &c.

Resp. Dist. Min. Admiratio supponit ignorantiam oppositam omni scientiæ, N. oppositam alicui, C. Christus autem licèt omnia cognoverit per scientiam Beatam & infusam non tamen per scientiam experimentalem, secundùm quam potuit habere admirationem, in quantum experiebatur aliquos effectus, quorum eventum necdum experimentaliter cognoverat.

Dices 3. Marci 13. dixit Christus se nescire diem judicii.

Res. Cùm Aug. ipsum nescire ad manifestandum.

Dices 4. *Proficiebat Sapientia*, Lucæ 2.

Res. id intelligi de scientia experimentali.

Dices 5. Assumpsit naturam ignorantem, juxtà Damascenum lib. 3. de fide.

Res. Sic loqui; quia assumpsit naturam ex suis intrinsecis ignorantiæ subjectam.

Dices 6. Fuit in Christo infante defectus eloquentiæ: ergo & scientiæ.

Res. Neg. Conf. Disparitas est, quòd prior defectus, utpotè exterior, deserviret ad manifestandam carnis assumptæ veritatem, ad quod posterior, utpotè internus, deservire non poterat.

CONCLUSIO II.

NOn est de Fide quòd non fuerit ignorantia in Christo ut homine, seu quòd nihil ignoraverit eorum, quæ ad ejus munera pertinebant. Ità Lorca, Vasquez Felix Delgadillo & alii contra quosdam.

Ratio est; quia nec in scriptura, nec in aliquo Concilio Generali aut particulari legitur hujus rei definitio; imò Ambrosius lib. de Incarnatione, Cyrillus Alexandrinus lib. 9. Thesauri C. 4. Athanasius orat. 4. contrà Arianos admittunt in Christo diei judicii ignorantiam: cùm tamen illius cognitio ad ipsum tanquàm judicem pertineret.

Nec refert, quòd Agnoitæ asserentes Christum ignorasse Diem judicii condemnentur ab aliquibus Patribus tanquam hæretici; quia non idcircò damnantur, sed quia ignorantiam illam admittebant in Christo tanquàm in puro homine, Verbo tantùm per affectum unito, ut dicebant Nestoriani, ex quorum secta erant Agnoitæ, ut colligitur ex Gregorio & Sophronio.

AR-

ARTICULUS II.

An fuerit in Christo Peccatum?

ARius, & Ariani asserentes Christum non esse personam Divinam, sed puram creaturam, specialiter tamen à Deo dilectum, dixerunt consequenter ipsum peccasse, ut refert Nicephorus lib. 4. historiarum cap. 5. sed turpius erraverunt hæretici quidam præcedentis sæculi (hi enim juxta Lindanum Dialogo 1. & Prateolum verbum *Anti-Christiani*) confitentes Christum esse personam Divinam dicere non erubuerunt, ipsum in cruce pendentem incidisse in motus desperationis & impatientiæ, quos expressit verbis illis Matth. 27. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*; imo propter motus illos Christum fuisse damnatum, excogitavit Apostata quidem Monachus. Calvinus autem in harmonia ad prædictum caput Matth. asserit Christum quidem non desperasse; vocem tamen desperationis emisisse, & in horto ita fuisse timore percussum, & mente turbatum, ut inordinatè oraverit dicens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*; licèt ad se reversus orationem correxerit, & voluntatem suam voluntati Divinæ conformaverit.

CONCLUSIO I.

NOn fuit in Christo peccatum originale. Est de fide in Concilio Ephesino Can. 10. Calcedonensi act. 5. & aliis ubi definitur Christum nullum incurrisse peccatum.

Prob. 1. Ex scriptura Lucæ 1. *Ideoque & Quod nascetur ex te sanctum* (id est concipietur) *vocabitur Filius Dei*. Et ibid. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*: ubi loquitur Angelus non tantùm de nativitate ex utero, sed etiam in utero, seu conceptione, ut patet ex his verbis, in ea.

Prob. 2. Ratione: peccatum & gratia sanctificans sunt incompatibilia in eodem subjecto; atqui Christus 1. Suæ conceptionis instanti habuit gratiam sanctificantem, ut suo loco dicitur: ergo non habuit peccatum originale.

Prob. 3. Illi soli contrahunt originale, qui descendunt ab Adamo per seminalem propagationem; atqui non sic descendit Christus, cùm fuerit virtute Spiritus Sancti conceptus: ergo &c.

Obj. 1. Christus fuit in Adam: ergo contraxit originale. Prob. Ant. ex Rom. 1. ubi dicitur *qui factus est ei ex semine David*, qui est Filius Adæ.

Resp. Dist. Ant. Fuit in Adam secundùm corpulentam substantiam, C. secundùm rationem seminalem, N. similiter Dist. Prob. *Factus est ex semine David* formaliter, N. materialiter, in quantùm suscepit carnem de carne Virginis, quæ descendit ex Davide via seminali, C.

Obj. 2. Christus assumpsit remedium Originalis, nempe Circumcisionem: ergo illud contraxit.

Resp. Dist. Ant. Assumpsit Circumcisionem, quia illa indigebat, N. ut nobis humilitatis exemplum præberet, C. sed nego Cons. Idem dic de Baptismo; unde Augustinus Enchiridii C. 49. *In qua ergo voluit baptizari à Joanne non ut ejus iniquitas illa dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas.*

CONCLUSIO II.

NUllum fuit etiam peccatum actuale in Christo, sive veniale; sive mortale. Est etiam de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura; primæ Petri 2. *Qui peccatum non fecit*. Joan. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hebræor. 7. *Oportebat ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus segregatus à peccatoribus.*

Prob. 2. Ex PP. Fulgentio lib. de Incarnatione c. 6. *In ejus vera humana carne non iniquitas hominis, sed mortalitas fuit.* Gregorio Nysseno in Cantica: *Christus est aurum immaculatum, propterea quòd extra peccatum sit.* Nazianzeno in suis orat. *Illius enim voluntas, cùm tota Deificata sit, Deo procul dubio non adversatur.*

Prob. Etiam ratione; ideo assumpsit defectus nostros Christus, ut nos virtutem doceret, ut pro nobis satisfaceret, & se verum esse hominem nobis ostenderet; atqui ad hæc nihil conferebat peccatum: non quidem, ut nos doceret; cùm peccatum sit in perniciem, non in exemplum: non ut satisfaceret, cùm potius impediat vim satisfactionis: non etiam ut assumptæ humanitatis veritatem ostenderet; cùm etiam dæmones possint peccare, & de facto peccaverint Angeli: ergo &c.

Obj. 1. Verba Matth. 27. *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?*

Res. Verba illa non denotare motus desperationis aut impatientiæ, sed maximum dolorem, quasi diceret: Pater mi, *Quare in tanto corporis cruciatu dereliquisti me?* Et certè quomodo potuisset desperare; cùm esset beatus, & sciret beatitudinem suam fore perpetuam? quomodo potuisset esse impatiens; cùm ex charitate liberrimè pateretur? quomodo potuisset esse aversus à Deo, cùm eodem tempore commendaret ipsi animam suam?

Obj. 2. Christus imperavit, aut saltem consuluit Judæ, ut festinaret ipsum tradere Judæis, dicens: *Quod facis, fac citius* Joan. 13. ergo ipsemet peccavit.

Res. Verba illa non esse præcipientis aut consulentis, sed crimen exprobantis; & aliunde ad opus nostræ Redemptionis anhelantis.

Obj. 3. Illud 2. ad Corinth. 5. *Qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit.*

Resp. Quòd Pater æternus (de quo loquitur hic Apostolus) hoc sensu fecerit pro nobis Christum peccatum: quia ipsum fecit hostiam pro peccatis nostris. Unde Ozeæ 4. dicuntur Sacerdotes comedere peccata populi: quia comedebant hostias pro peccatis oblatas. Vel certè fecit eum peccatum; quia fecit eum habentem similitudinem carnis peccati, ut dicitur Rom. 6.

Obj. 4. Christus sæpe dicit se habere peccata, ut Psalmo 68. *Delicta mea à te non sunt abscondita*. Psalm. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ*. Psalm. 21. *Longe à salute mea Verba delictorum meorum.*

Res. Christum peccata nostra vocare sua; quia illa susceperat diluenda, quasi propria forent.

ARTICULUS III.

An fuerit fomes peccati in Christo.

PEccati fomes (qui aliter concupiscentia nuncupatur) considerari potest vel in actu 1. vel in actu 2. In actu 1. est appetitus sensitivus quatenus expeditus & propensus, ut exeat in actum circa objectum turpe, & rationi contrarium unde latius patet appetitus sensitivus, quàm fomes peccati in actu 1. cùm ille feratur in omnia objecta sensibilia, sive turpia sint & illicita, sive non; hic autem tantùm feratur in turpia & illicita. Fomes verò in actu 2. est actus seu actualis motus ipsius appetitus tendens in objectum turpe & illicitum, præveniens rationem & ad peccatum alliciens.

CONCLUSIO I.

NOn fuit in Christo fomes peccati in actu 2. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. Ex 5. Synodi act. 8. Can. 12. ubi damnatur Theodorus quidam, eò quòd assereret Christum illecebris, ac rebellione carnis fuisse agitatum: unde hæc sententia adeo certa est, ut contrariam reputent aliqui hæreticam.

Prob. 2. Ex Patribus, Leone Epist. 11. *Nihil enim carnis suæ habebat adversarium; nec tentabatur illecebris*. Cyrillo Epist. prima ad Successum: *Necessarium fuit, ut pro nostra salute carnem, voluptatum illecebris ægrotantem propriam faceret, & compesceret justos motus, eos videlicet, qui nos ad vitia voluptatesque præcipitabant*: Augustino lib. de nat. & grat. C. 52. & seq. ubi satis insinuat in Christo, non fuisse pugnam illam carnis & Spiritus, quæ describitur ad Rom. 7. *Video aliam legem.*

Prob. 3. Ratione 1. quia videtur indecens motus illos in Christo ponere: nam licèt non sint peccata, sunt tamen ex peccato & ad peccatum inclinant, ut loquitur Trident. sess. 5. can. 5. 2. quia motus illi non fuerunt in Adamo ante peccatum nec in B. Virgine saltem post Annunciationem, ut dicunt Theologi: ergo nec à fortiori in Christo. 3. quia nullam habuissent in Christo utilitatem.

Obj. 1. Christus assumpsit defectus toti naturæ communes ergo & fomitem peccati.

Resp. Antecedens esse verum de defectibus non involventibus aliquam indecentiam, ut involvit fomes peccati.

Obj. 2. Potuerunt motus illi esse in Christo ad agonem & exercitium patientiæ.

Resp. Neg. Assumpt. Nam cùm non creverit Christus in sanctitate & justitia per actus (utpote qui omnimodam habuit 1. suæ Conceptionis instanti) non debuit habere hunc agonem ad exercitium virtutis.

Obj. 3. Christus fuit tentatus à Diabolo: ergo & à fomite peccati.

Res.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd tentatio fomitis seu concupiscentiæ sit interior, adeoque deordinans potentias; tentatio autem Diaboli, exterior; & consequenter nullam in ejus potentias deordinationem inducens, ac ideo hanc passus est, non illam, ut nobis præberet exemplum pugnandi & vincendi.

Inst. Heb. 4. dicitur *Tentatus per omnia*: ergo etiam à concupiscentia.

Resp. Dist. Ant. *Tentatus per omnia*, ex quibus redundat in ipsum aliqua indecentia, N. ex quibus non redundat, C. sic fuit tentatus à Diabolo, à Judæis, imò & à Petro ipsum à morte perferenda retrahente: unde dixit illi Christus: *Vade post me satana, scandalum es mihi*. Matt. 16.

Obji. 4 Fuit in Christo tristitia de morte subeunda, licèt ipsi præcepta esset à Patre: ergo motus inordinatus, seu fomes peccati in actu 2.

Resp. Dist. Ant. Fuit in Christo tristitia præveniens rationem, N. orta ex prævisione rationis & ex imperio voluntatis, C. sed sic non habet rationem fomitis aut rebellionis: unde voluit Christus oriri in se illam tristitiam, non quidem circa mortem ut præceptam, sed ut malam & oppositam naturæ. Eodem modo respondendum est ad Cyrillum asserentem lib. 10. Thesauri in *Christo fuisse motas passiones appetitus, non ut illum superarent, sed ut vincerentur*; quia nempe Christo volente commotæ sunt.

CONCLUSIO II.

NEc fuit in Christo fomes peccati in actum 1. Hæc etiam certa est.

Prob. 1. ex 6. Synodo act. 11. ubi definitur, non fuisse in Christo nisi passiones irreprehensibiles, innoxias, & innocuas; atqui fomes in actu 1. non est passio irreprehensibilis, innoxia, aut innocua, cùm sit ex peccato & & inclinet ad peccatum: ergo &c.

Prob. 2. Ratione: ideo non admittitur in Christo fomes in actu 2. quia ipsum dedecent motus inordinati; atqui etiam ipsum dedecet principium proximè expeditum ut exeat in illos motus: ergo &c.

Obj. 1. Fomes peccati in actu 1. non distinguitur ab appetitu sensitivo, atqui hunc habuit Christus: ergo &c.

Resp. Neg. Maj. Quia fomes ultra appetitum importat dispositionem proximam ad actum rationi contrarium.

Inst. Dispositio illa proxima impeditur per justitiam originalem; atqui justitia originalis non fuit in Christo: ergo habuit fomitem. Prob. Maj. Quia naturæ puræ, seu abstrahenti à peccato & justitia originali, debetur dispositio proxima ad omnia objecta delectabilia, sive interim illicita, sive licita: & ideo non fuit Adamo connaturale ante peccatum carere dispositione illa proxima quatenus inclinante ad objecta illicita, sed donum erat merè gratuitum & proveniens à justitia originali, quam ubi amisit per peccatum, manserunt potentiæ ejus indifferenter inclinatæ circà objecta delectabilia, licet rationi contraria.

Resp. dist. Maj. Impeditur per justitiam originalem tantùm, N. per illam, vel per æquivalens, C. fuit autem impedita in Christo per specialem manutenentiam, eo fere modo, quo Beati redduntur impeccabiles. Ad majorem horum explicationem.

Adverte, fomitem non oriri ex peccato hoc sensu, quòd peccatum posuerit illum physicè in homine, sed hoc sensu, quòd removerit justitiam originalem, quæ fomitem illum ex natura ortum prohibebat seu extinguebat:

Obj. 2. Fomes in actu 1. non excitat ad peccatum; cùm tantùm sit inclinatio potentiæ in suum objectum: ergo non est indecens illum in Christo asserere.

R. Dist. Ant. Non excitat ad peccatum proximè, seu per actum, C. remotè seu per modum propensionis & ponderis, N. hoc autem dedecit Christum. Ex dictis

Resol. Idem dicendum esse de fomite intellectus & voluntatis, ac de fomite appetitus sensitivi, scilicet nec in actu 1. nec in actu 2. fuisse in Christo, cùm sit par ratio. Porro fomes peccati seu concupiscentiæ intellectus in actu 1. est pronitas seu propensio expedita ad errorem & deceptionem; voluntatis verò, ad motus injustitiæ, odii, superbiæ &c. in actu 2. autem, sunt actus seu motus pravi, sed indeliberati, circà objecta rationi contraria.

ARTICULUS IV.

An Christus ut homo præcisè, fuerit impeccabilis?

SUppono 1. Christi humanitatem non fuisse impeccabilem vi gratiæ habitualis præcisè, quandoquidem contrarium in nobismet ipsis experiamur, qui eamdem specie gratiam habitualem recipimus, & tamen miserabiliter labimur.

Suppono 2. Potuisse Verbum assumere humanitatem, quæ nec confirmata esset in gratia; nec visione beatifica frueretur; cùm illa non debeantur CHRISTO ex debito justitiæ, sed tantùm ex debito quodam congruentiæ ac decentiæ: stat ergo; quòd de potentia Dei absoluta potuerint ipsi non conferri.

Suppono 3. Posse dupliciter abesse à subjecto potentiam peccandi: 1. entitativè, ita ut physicè absit, quantùm ad realitatem defectibilitatis: 2. quatenus, licèt physicè, & entitativè illi insit talis potentia, impeditur tamen revera & quasi ligatur, ne in actum exeat; & potentia sic sumpta potiùs dici debet impotentia. His suppositis

CONCLUSIO UNICA.

RE ipsa Christus ut homo fuit impeccabilis. Ità Theologi omnes.

Prob. 1. ex Patribus, Cirillo Alex. lib. contra Anthropomorphitas: *Stolidi ac dementes prorsus, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto, peccare posse affirmant* August. Enchiridi c.25. *Per quam* (gratiam unionis) *factum est, ut homo Christus nullum habere posset peccatum*. Anselmo lib. 2. cur homo Deus c.10. *In quo peccatum esse non poterit, quia Deus erit*. Ruperto Abbate lib. de voluntate Dei c. 10. *Humanitas Christi .... facta est .... creatura talis, quæ peccare non solo modo nollet, verùm etiam non posset*.

Prob. 2. Authoritate Scoti dicentis 3.d.12. q.un. nu.2. *Cum Christus 1. instanti unionis ejus cum Deo fuerit Beatus, Beatitudo abstulit sibi omnem peccabilitatem .... quæ potest auferri per Beatitudinem*.

Prob. 3. Ratione Christus 1. conceptionis suæ instanti fuit Beatus, atqui Beatus est impeccabilis: ergo. Major est certa. Minor suo loco probatur.

Dices. Christus ut Beatus habuit potentiam ad peccandum: ergo fuit peccabilis. Prob. Ant. Quia assumendo naturam nostræ similem, etiam assumere debuit potentiam peccandi, quæ per Beatudinem non tollitur.

R. Neg Ant. Ad Prob. dico, quòd licèt potentiam peccandi non abstulerit physicè Beatitudo: illam tamen impedivit, & quasi ligavit: & ideo sicut homo ligatus non dicitur simpliciter habere potentiam ad currendum, ita nec dici debet Christum habuisse de facto potentiam ad peccandum: unde tam Patres, quam Theologi ab hac voce abstinuerunt.

Inst. 1. Scotus 4.d.49.q.6.nu.15.& 11. docet Beatos tantùm habere, quòd non peccent, ab extrinseca Dei manutenentia: ergo Christus etiam ut beatus potuit peccare.

Resp. Neg. Conseq. Quia licet Beatitudo præcisè secundum essentiam considerata manutenentiam illam non involvat, illam tamen involvit prout status est, quia ut sic involuit perpetuitatem, quæ dependet à speciali Dei protectione, Beatorum voluntatem præveniente, ut nunquam desistant ab actu fruendi, num prorumpant in actum peccati, De Beatitudine autem per modum status considerata, loquitur Scotus, cum dicit Christum vi Beatitudinis esse impeccabilem.

Inst. 2. Manutenentia illa non determinat physicè Christum ad non peccandum: ergo cum illa non est impeccabilis.

Respond. Dist. Conseq. Non est impeccabilis physicè id est, ex naturæ humanæ intrinsecis, C. Non est impeccabilis aliunde, N.

Inst. 3. Inde sequitur non debere simpliciter dici impeccabilem: quod est contrà SS. Patres.

R. N. Sequelam; sicut enim Beati à Patribus dicuntur simpliciter impeccabiles; licèt secundùm naturæ intrinseca possint peccare potentia remota; ità & ab illis Christus dicitur simpliciter impeccabilis.

ARTICULUS V.

An Christus ut homo habeat ex vi unionis ad verbum præcisè, quod sit impeccabilis?

CONCLUSIO UNICA.

NOn habet Christus ut homo ex vi Unionis Hypostaticæ præcisè, quòd sit impeccabilis; & ideo si per aliam providentiam assumpsisset naturam sibi relictam, id est, nec beatam, nec in gratia confirmatam, nec aliis donis cælestibus præditam, potuisset peccare. Ita Durandus, Gabriel, Marsilius, Hurtado, & numerosa Scotistarum familia cum

suo Doctore supra, ubi docet Christum fuisse impeccabilem vi beatitudinis, & non vi alterius. Est contra Themistas communitet, qui sonoroso verborum strepitu & magna censurarum caprinatum sartagine in sententiam nostram invehunt, incautos potiùs verbis apparenter devotis, quam rationibus fundatis prævenientes; volunt autem Christum per Unionem factum esse impeccabilem, non extrinsecè sicut dicimus per beatitudinem, sed intrinsecè, ad quod evertendum unicè collimat hic articulus.

Prob. itaque 1. conclusio Natura humana ex suis intrinsecis est peccabilis; atqui Christi humanitas non fuit intrinsecè mutata per unionem: ergo vi illius non fuit impeccabilis physicè. Prob. Maj. Quia voluntas de se indifferens est, ut amplectatur bonum vel malum, ipsique indifferenter hoc vel illud ab intellectu proponitur, ut experientia nostra convincimur. Prob. Min. Quia Verbum divinum non informat physicè naturam humanam: sed merè extrinsecè terminat: adeoque & potentiam & naturam in suo statu connaturali relinquit.

Prob. 2. Si Unio hypostatica tolleret à Christi humanitate peccabilitatem physicam, tolleret etiam libertatem; atqui hanc non abstulit: ergo nec illam. Minor certa est; quandoquidem, juxta omnes Theologos, libetrimè adimpleverit præceptum moriendi. Prob. Maj. Quia tollendo peccabilitatem, tolleret indifferentiam circa præceptum implendum, vel non implendum, sine qua non stat libertas.

Confirmatur. Ideò reiicimus prædeterminationem tanquam libertati noxiam, quia potentiam physicè determinat ad actum antecedenter ad operationem: atqui illo casu unio hypostatica antecedenter ad operationem ita voluntatem determinaret ad præcepti observationem: ergo &c.

Prob. 3. Indiguit Christi humanitas, non obstante unione, gratia concomitante seu concursu Dei supernaturali, ut impleret præceptum moriendi, quod erat supernaturale; atqui potuit Deus concursum illum non conferre: ergo potuit Christus homo secundùm hominis intrinseca præceptum illud non implere. Prob. Mai. Quia opus supernaturale superat vires naturales. Prob. etiam Min. Quia Deus ad id nulla lege tenebatur: unde sæpissimè concursum illum non præbet hominibus, & certè si semper præberet, nunquam præceptum aliquod violaremus.

Dices, concursum illum suppleri à præsentia Verbi; sed

Contrà est 1. quòd præsentia Verbi non suppleat concursum Dei naturalem ad actiones naturales: ergo nec concursum Dei supernaturalem ad actiones supernaturales.

Contra est 2. quod præsentia Verbi non supernaturalizaverit potentias humanitatis, & consequenter sicut hæc humanitas unita supposito proprio non potest se sola elicere actum supernaturalem, quia potentias habet mere naturales, similiter nec unita supposito Verbi, cùm retineat potentias merè naturales.

Obj. 1. SS. Patres conclusione præcedenti citatos, sicut & alios, qui dicunt Christum *ex vi unionis, propter unionem, quia Deus*, non potuisse peccare: ergo &c.

Resp. Patres sic loqui, quia *propter unionem, ex vi unionis &c.* debetur Christo connaturaliter, saltem connaturalitate morali, Beatitudo, ratione cujus fit proximè impeccabilis, unde unio remotè & radicaliter: Beatitudo autem proximè reddit Christum impeccabilem: cum quo stat tamen, quòd unio sit simpliciter causa impeccabilitatis, non tantùm secundùm hanc regulam; *Quod est causa causæ, est causa causati*, sed etiam quia nisi fuisset unio, nunquam fuisset hæc humanitas impeccabilis: & sic propriè locuti fuerunt Patres.

Inst. 1. Seclusa Beatitudine, quæ tantùm ex congruentia debebatur ex vi Unionis hypostaticæ, falsa fuisset Patrum locutio: ergo non fuerunt propriè locuti.

Res. Neg Conseq. Quia Patres non attendentes ad siccas Scholasticorum disputationes, locuti sunt de eo, quod de facto accidit, non de eo quod accidere potuit: cùm ergo Christus præcisè vi unionis fuerit ab initio Beatus proprissimè dixerunt vi unionis fuisse impeccabilem.

Inst. 2. Attribuebant Christo impeccabilitatem tanquam prædicatum ipsi proprium, sed si conveniret illi ratione Beatitudinis, non esset illi proprium; quandoquidem conveniat omnibus Beatis: ergo &c.

Res. Patres sic loqui, quia fuit ipsi soli proprium inter viatores, cùm nullus viator, præter ipsum, fuerit impeccabilis ratione beatitudinis.

Obj. 2. Si secundùm aliam providentiam, secundùm quam non fuisset Christus Beatus, nec aliis donis specialibus gratificatus, potuisse peccare Christus ut homo, potuisset peccare verbum Divinum, atqui Verbum Divinum non potest: ergo nec Christus ut homo. Prob. Maj. Quia actiones sunt suppositorum.

Resp. Neg. Maj. Ad Prob. Dist. Assumpt. Actiones sunt suppositorum elicitivè, N. denominativè C. unde illo casu Verbum denominaretur potens peccare per communicationem idiomatum, in quo nulla est implicantia: nam si ille, qui est essentialiter vita possit dici mortuus & crucifixus, quidni posset dici potens peccare, licèt sit essentialis bonitas, nec hoc offendere debet pias aures, si sint doctæ, sicut sunt piæ, inquit Felix C. 20. difficultate prima, quandoquidem denominationes illæ nihil omnino ponat in Verbo, nec ipsum magis afficiant, ac si non essent: undè mirum est adversarios nostros, qui sustinent Verbum posse assumere naturam leonis, & tigridis, ac denominari posse ferum, crudelem, feracem, ita abhorreant denominationem illam, *potens peccare*; quasi verò hæc magis foret indecens, quàm illæ. Tota ergo indecentia est in ipsa natura, ubi hæc physicè reperiuntur, non autem in illo, qui liberè & ex justa causa sic denominaretur: & certè an indecentia foret in Principe aliquo denominari vicinus hæretici, Blasphemi, sodomitæ, latronis &c. si præcisè ut ipsum corrigeret, ac sanaret, domum ibi conduxisset? si indecentiam esse dicis, dico ego cum omnibus rectè sentientibus, magnam esse ipsi honestatem, decentiam & honorem.

Si replices aliud esse denominari vicinum peccatoris, aliud potens peccare: dico alia quidem esse verba, sed non plus indecentiæ contineri in denominatione secunda, quàm in prima, ubi denominatus non est in se talis, & aliunde ex justa causa denominationi illi ultrò se subjicit.

Inst. 1. Contrà primam partem distinctionis: suppositum agit ut quod: ergo actiones sunt suppositorum elicitivè, & consequenter in casu conclusionis Verbum non tantum denominaretur, sed esset de facto potens peccare. Ante solutionem

Adverte principium *quod* esse illud, quod agit mediante altero; principium *quo* verò esse id, mediante quo agit principium quod: unde quia sustinent Thomistæ suppositum agere mediante natura, dicunt suppositum esse principium *quod*: naturam principium *quo*. Hoc notato

R. Neg. Ant. Natura enim secundum se sufficiens est; ut sit principium *quod* & *quo*; principium *quod* quidem secundum se totam, & principium *quo* secundum suas potentias, v. g. intellectum, voluntatem &c. Imò cùm implicet negationem agere etiam implicat in creatis suppositum esse principium, cùm ultra naturam, præcisè importet duplicem negationem, ut dictum est.

Confirmatur hæc solutio; humanitas per hoc quòd assumatur à Verbo, non amittit quod ex se habet, atqui ex se habet operari ut quod: ergo &c. Prob. Min. Quia si existeret sine illo supposito (quod possibile esse concedunt Thomistæ) taliter operaretur; quandoquidem esset id quod ageret, quod produceret &c. unde anima à corpore separata agit ut quod, licèt non habeat subsistentiam.

Nec dicas, quòd in illo casu tantùm ageret ut quod negativè, quia sicut in eorum principiis, ideo suppositum agit ut quod positivè, quia est id, quod positivè influit, ita & natura ageret ut quod positivè; influeret, ageret &c.

Inst. 2. Licèt suppositum creatum non agat, quia negatio suppositum tamen Divinum, utpote quid positivum, agit cum natura, quam terminat.

R. N. Assumpt. Quia cùm suppositum Divinum tantùm suppleat personalitatem naturæ, nihil agit, sed merè naturam terminat, sicut faceret personalitas propria.

Inst. 3. Suppositum Divinum agit in Divinis: ergo & in creatis. Prob. Ant. quia Pater Divinus tanquam principium *quod* generat Filium ratione essentiæ tanquam principii *quo*.

R. Concesso Antecedente, neg. Conseq disparitas est, quòd cùm producens & productum debeant distingui realiter, eo quod idem non possit seipsum producere, debet Pater Divinus, & non essentia, generare, cùm ille, & non hæc, distinguatur realiter à Filio: in creatis autem, realiter distinguitur natura à suo effectu.

Inst. 4. Ratio cur Pater sit principium *quod* in Divinis, est præcisè, quia actiones sunt suppositorum, atqui hæc ratio etiam militat in creatis. Ergo &c. Prob. Maj. Quia Joannes Theologus in Concilio Florentino sess. 18. adfert rationem illam (quam dicit communem omnibus Philosophis) ut probet essentiam Divinam non agere ut *quod* ad intra, sed suppositum. Joanni autem nullus Græcorum aut Latinorum contradixit.

Resp. Neg. Maj. Ad Prob dico, rationes Conciliorum non esse definitiones, imò aliquando esse falsas: nam in septima Synodo, ut probetur Angelos posse depingi, asseritur ipsos esse corporeos.

Quòd autem nullus Latinorum contradixerit, quid mirum? cùm eorum partes ageret, hocque conduceret ad eorum

rum

rum intentum: ſi autem ex Græcis nullus reclamavit (quod dubium eſt) authoritas illa negativa non multùm nos premit; cùm & multis aliis ejuſdem Theologi rationibus non contradixerint, quas tamen in bona Philoſophia deficere oſtenſum eſt in 1. Sententiarum, ubi de proceſſione Spiritus Sancti.

Inſt. 5. Iſtud axioma deſumptum eſt ex Philoſopho in proœmio Metaphyſices.

R.N. Aſſump Quia tantum ibi vult, quod actiones ſint ſingularium, ſeu circa ſingularia, quia, ut ibidem exemplificat, Medicus non curat hominem in genere, ſed Petrum.

Inſt. 6. Terminus, qui producitur, eſt ſuppoſitum: ergo principium, quod producit, eſt etiam ſuppoſitum: quandoquidem ſibi mutuò correſpondeant.

Reſp. Antecedens & conſequens eſſe vera in Divinis, non in creatis, ubi & natura ſingularis producit, & natura ſingularis producitur.

Inſt. 7 Si ſuppoſitum non produceretur in creatis, B. Virgo non eſſet mater Dei, quod eſt Neſtorianum.

Reſp. Neg. aſſump. Quia, ut dicatur Mater Dei, ſufficit quòd producat humanitatem, quæ eodem inſtanti reali, quo producitur, Verbo unitur.

Obj. 3. Peccat ſuperior non impediens peccatum inferioris, dum poteſt, atqui Filius Dei eſt ſuperior humanitatis, quam aſſumpſit, poteſtque illam impedire, ne peccet: ergo ſi poſſet peccare humanitas, poſſet peccare, Verbum quod eſt horrendum.

Reſp. Diſt. Min. Filius Dei eſt ſuperior humanitatis eodem titulo, quo Pater & Spiritus Sanctus, C. alio titulo, N. Sicut ergo Pater & Spiritus Sanctus, non tenentur illam impedire; quia juſta de cauſa permittunt illam agere motus ſuos, ità nec tenetur Filius.

Inſt. 1. Verbum Divinum ſuppoſitat: humanitatem, non aliæ perſonæ: ergo ſpeciali titulo tenetur peccatum humanitatis impedire.

Reſ. Neg. conſeq. Quia ſi Verbum poſſet obligari (quod tamen negamus) obligarentur & aliæ perſonæ; quandoquidem obligatio reſpiciat voluntatem, quæ perſonis omnibus communis eſt. Præterea impedire peccata eſt actio ad extra, adeòque non potiùs Verbo, quàm aliis perſonis convenit; opera enim SS. Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.

Inſt. 2. Tenetur voluntas regere potentias inferiores: ergo & Verbum humanitatem ſibi ſubditam.

Reſ. Neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd humanitas aſſumpta habeat regulam propriam, quam ſequatur, nempe rationem & voluntatem, non ſic potentiæ inferiores, quæ ideo ſubduntur regulæ voluntatis.

Advertendum hìc, adverſarios ſeſe propriis armis interficere: ſi enim debeat Verbum humanitatem regere: ergo defectibilis eſt; quandoquidem non debeat regi, quòd ab intrinſeco & phyſicè eſt indefectibile.

Inſt. 3. Saltem tenetur Verbum denegare concurſum ſuum ad peccatum.

Reſ. Sicut non tenetur Pater denegare concurſum, ità nec tenetur Filius; cùm denegare, ſicut & conferre, ſit commune Trinitati. Deinde ſi ex ſola denegatione concurſus natura eſſet impeccabilis, hoc non haberet ab intrinſeco & vi unionis

Obj. 4. Implicat aliquid poſſe peccare, & eſſe infinitè ſanctum; atqui Chriſti humanitas per unionem eſt infinitè ſancta: ergo &c.

Reſ 1. Neg. Suppoſitum minoris; quia Unio hypoſtatica nec finitè, nec infinitè ſanctificat humanitatem, ut ſuo loco dicemus.

Reſ. 2. Diſt. Maj. Implicat aliquid poſſe peccare & eſſe infinitè Sanctum intrinſecè, C. extrinſecè, N. jam autem per unionem tantùm habet Chriſti humanitas eſſe infinitè ſancta extrinſecè & denominativè: nam ſicut per hoc quòd unitur Divinæ naturæ, quæ eſt omnipotens, immenſa, & æterna, non dicitur formaliter & intrinſecè omnipotens, immenſa &c. ità nec per hoc quòd unitur naturæ Divinæ, quæ eſt infinitè ſancta, dici debet formaliter & intrinſecè ſancta: & ſic non eſt mirum, quòd potentia peccandi poſſit de potentia abſoluta eſſe in eodem cum Unione hypoſtatica; præſertim cùm poſſit de eadem potentia eſſe cùm gratia habituali, quæ formaliter & intrinſecè ſanctificat ſubjectum.

Obj. 5. Peccatum committitur per receſſum à Deo: atqui humanitas non poteſt recedere à Deo, cùm ſit ipſi indiſſolubiliter unita: ergo &c.

Reſp. Diſt. Maj. Peccatum committitur per receſſum præſentiæ à Deo, N. aliàs nullus poſſet peccare: cùm nullus poſſit à Deo ubique præſenti ſic recedere. Per receſſum voluntatis, ſeu quia voluntas ad alia objecta convertitur, C. hic autem receſſus non eſt ex vi unionis præcisè humanitati impoſſibilis, ſed aliunde, ut diximus.

Obj. 6. Chriſti humanitas perfectiùs unitur Verbo per Unionem hypoſtaticam, quàm per Beatitudinem: atqui per hanc redditur impeccabilis: ergo & per illam.

Reſ. Diſt. Maj. Perfectius unitur in modo uniendi, C. nam prima unio eſt ſubſtantialis & perſonalis, ſecunda autem tantùm accidentalis & intentionalis. In modo repræſentandi, N. licèt enim prima Deum præſentem exhibeat, non tamen objectivè, & ſic non aliter ſe habet humanitas cùm illa, ac ſi non uniretur: ſecunda verò Deum exhibet clarè videndum, qui ſic viſus rapit in ſui amorem, cum quo pugnat moraliter peccatum.

Obj. 7. Chriſtus id tantùm habuit in natura humana, quod Deus in ea plantavit; atqui non plantavit in ea potentiam peccandi: ergo &c.

Reſ. Diſt. Min. Non plantavit in ea potentiam peccandi quatenus potentia eſt, N. potentiam peccandi, ut peccandi, C. aliàs vellet ipſum peccatum: unde poſuit Deus in nobis potentiam indifferentem ad quodlibet, non intendens peccatum, imò prohibens ne per illam peccaremus, ſed quia, non obſtante illa prohibitione, remanet potentia illa de ſe indifferens ad malum & bonum, ex malitia noſtra facimus illam potentiam peccandi, ut peccandi. Quod tamen non facit Chriſtus ob rationes antea dictas.

Obj. 8. Chriſti operationes ſunt Theandricæ, ſeu Dei hominis: atqui peccatum non poteſt eſſe operatio Theandrica: ergo &c.

Reſ. Diſt. Maj. Chriſti operationes ſunt Theandricæ omnes, N. aliquæ, Conc. quando enim Deus per humanitatem tanquam per inſtrumentum opera quædam eximia patravit, v. g. quando ambulavit per aquas, opera illa fuerunt Theandrica; quia tamen humanitas non fuit quoad omnes Chriſti operationes inſtrumentum Divinitatis, ut quando ſpuit, bibit, comedit &c. ità nec fuerunt omnes ejus operationes Theandricæ elicitivè, ſicut nec fuiſſet peccatum, ſi de potentia abſoluta peccaſſet ejus humanitas.

Obj. 9. Fecit Deus quod potuit in favorem humanitatis aſſumptæ; atqui potuit reddere illam impeccabilem: ergo &c.

Reſ. Diſt. Min. Potuit reddere illam impeccabilem, libertatem auferendo, C. illam relinquendo: ſubdiſtinguo, impeccabilem moraliter, ſicut reipſa fecit, illam beatificando C. impeccabilem phyſicè, N. quia implicat ut quis ſit liber circa præceptum & ſit impeccabilis phyſicè.

Obj. 10. Si poſſet Chriſti humanitas peccare, poſſet Unio hypoſtatica diſſolvi: atqui hæc eſt indiſſolubilis: ergo illa eſt impeccabilis. Prob. Min. Quia nullo modo pendet ab operibus creatis.

Reſ. conceſſa majore, Neg. Min. & ejus Probationem. Quia ſicut potuit unio ab operibus creatis dependere, ut exiſteret, ſi nempe gratia fuiſſet SS. Patribus collata independenter à Chriſti meritis, ſeu ex mera Dei liberalitate: ità & ab illis poteſt dependere, ut non exiſtat, ſeu annihiletur: ſicut gratia habitualis ex Dei ordinatione dependet ab operibus noſtris, ut exiſtat vel non exiſtat.

ARTICULUS VI.

Stabilitur ſententia oppoſita.

Etiam probabile eſt Chriſtum fuiſſe impeccabilem phyſicè ex vi unionis; ità ut, etiam ſecluſa Beatitudine, confirmatione in gratia & aliis donis, fuiſſet adhuc impeccabilis. Hæc eſt communior.

Prob. 1. Ex Patribus articulo 4. citatis, qui propriè, imò propriùs in hoc ſenſu intelliguntur.

Prob. 2. Ex Scoto dicente variis in locis, Chriſto tribuendum eſſe, quidquid facit ad majorem ejus gloriam: atqui magis eſt Chriſto glorioſum nullo ſenſu poſſe peccare, quàm poſſe phyſicè: ergo &c.

Prob. 3. Ratione: Si Chriſti humanitas phyſicè poſſet peccare, etiam poſſet Verbum, non tantùm denominativè, ſed etiam elicitivè; ſed hoc eſt abſurdum: ergo &c. Prob. Maj. Quia ſuppoſitum Verbi ponit *ut quod* omnes Chriſti operationes; cùm nulla alia ſit ratio, cur ſint Theandricæ, ſeu actiones Dei hominis.

Dices 1. Suppoſitum creatum non agit *ut quod*: ergo nec ſuppoſitum Verbi.

Reſ. Diſparitatem eſſe, quòd ſuppoſitum creatum ultra naturam tantùm importet duplicem negationem: ſicut autem non eſt negationis agere, ità nec agere *ut quod*. Suppoſitum autem Verbi, cùm ſit quid poſitivum, poteſt agere etiam *ut quod*, imò de facto ſic agit cum Patre ad intra: quandoquidem non natura Divina, ſed Filius ſpiret Spiritum S.

Dices 2. Suppositum Verbi supplet præcisè suppositum humanitatis: hoc non agit: ergo nec illud.

Res. Neg. Maj. Quia ultra quòd suppleat, etiam actiones humanitatis nobilitat, & quasi deificat per sui influxum.

Dices 3. Humanitatis secundùm se est sufficiens ad operandum *ut quo & ut quod*: ergo non requirit concursum suppositi Divini.

Resp. Dist. Ant. Est sufficiens, quando unitur supposito proprio, C. nam cùm non habeat ab illo, utpote negatione, agere *ut quod*, habere debet à seipsa. Quando unitur supposito Verbi, N. nam, cùm tunc suppositum agat mediante illa, sub illo respectu non potest esse principium *quod*, sed bene principium *quo*.

Dices 4. Ergo perdidit aliquid de sua virtute humanitas per unionem.

Resp. Neg. Illationem: eodem enim modo agit physicè, ac si non esset Verbo unita, siquidem tam perfectè voluntas vult, intellectus intelligit, oculus videt, auris audit &c. in concursu suppositi Divini, ac si non concurreret. Quod autem non ampliùs dicatur natura agere *ut quod*, sed *ut quo*; inde oritur, quòd suppositum agat mediante illa: unde sicut manus mea dicitur agere *ut quod*, quando scribo solus, *ut quo* autem, quando alter illam conducit; Ità proportionatè dici debet de Christi humanitate.

Dices 5. Si Verbi suppositum ageret *ut quod*, Christi operationes ab ejus humanitate procedentes specie differrent à nostris: quod nemo dixerit.

Resp. Neg. Assumpt. Quia operationes (si à principio efficienti specificentur, de quo suo loco) non specificantur à principio *quod*, sed à principio *quo*, seu à ratione formali agendi: unde sicut calefactio procedens à sole non differt specie à calefactione procedente ab igne: quia eadem utrobique reperitur ratio agendi, nempe calor, licèt supposita specie differant, ità licèt suppositum nostrum specie differat à supposito humanitatis assumptæ; quia tamen idem est utriusque principium quo, seu ratio agendi, nempe natura humana, ideo non differunt specie physica operationes.

Propter eamdem rationem, actiones ab humanitate assumpta procedentes, sunt naturales, creatæ, humanæ &c. unde si vocentur Theandricæ, non est, quia sunt formaliter tales, quasi verò earum essentia esset partim Divina, partim humana, sed quia sunt à duobus principiis, quorum unum est humanum, aliud Divinum; licèt ab humano specificentur physicè. Dico, *Physice*; quia moraliter plusquam specie differunt, cùm Christi actiones humanæ sint summi valoris tum in merendo, tum in satisfaciendo, nostræ autem, nullius ferè valoris.

Dices 6. Si suppositum Verbi ageret *ut quod*, Competeret ipsi actio ad extra, quæ non competeret aliis personis; atqui actiones ad extra sunt omnibus personis communes: ergo &c.

Resp. dist. Min. Actiones ad extra, quas ponunt Personæ per voluntatem Divinam, sunt communes, C. quas ponit una persona per voluntatem creatam sibi unitam, N. Ratio disparitatis est, quòd voluntas Divina sit omnibus personis communis, & ideo una persona agente per illam, necessariò per eamdem debent aliæ agere: in nostro autem casu, nihil reperitur personis commune: non quidem humanitas; cùm illam solus Filius assumpserit: non etiam suppositum Verbi formaliter, quia per illud ab aliis personis distinguitur realiter, & consequenter nihil est, per quod actiones præfatæ sint communes.

Prob. 4. Conclusio, ut sit in aliquo potentia peccandi, debet principium *quo & quod*, sive natura & suppositum posse peccare; atqui suppositum Verbi non potest peccare: ergo nullo sensu dari potest in Christo potentia peccandi. Prob. Maj quia hic ad operationem requiritur concursus principii *quod & quo*; cum actio non fit nisi ab utroque: unde licèt humanitas secundùm se habeat potentiam ad peccandum, quia tamen ad agendum subordinatur supposito, in quo non est illa potentia, nec censetur ipsa, ut taliter suppositata illam potentiam habere. Ex quo habes, ut aliquis dicatur potens simpliciter, requiri potentiam ex parte utriusque principii, ut autem dicatur simpliciter impotens, sufficit impotentia unius.

Obji. 1. Authoritatem Scoti antea citati.

Res. Difficillimè posse Scotum in hanc sententiam adduci, dico tamen posse intelligi, quod Christi impeccabilitas non habeatur ab unione formaliter, sed tantùm dispositive, radicaliter & mediatè, ut loquitur; quia unio illa tantùm est nexus illius, à quo formaliter habetur illa impeccabilitas, nempe suppositi Divini. Quòd si alicubi dicat esse impeccabilem Christum vi beatitudinis, non impedit, quominus etiam sit talis vi suppositi Divini.

Obj. 2. Christi humanitas est entitativè peccabilis, atqui non mutatur per unionem ejus entitas: ergo &c.

Resp. dist. Min. Non mutatur ejus entitas, id est, retinet sua essentialia & intrinseca, C. id est, non impeditur physicè, quominùs exire possit in actum peccaminosum, N. unde sicut habens visum impeditum per albuginem in pupilla, dicitur physicè impotens ad videndum, ideo cæcus; licèt retineat entitativè potentiam visivam; ità Christi humanitas, licèt retineat entitativè potentiam ad peccandum, dicitur tamen physicè impeccabilis; quia unitur supposito impeccabili, sine quo non potest in actum exire.

Obji. 3. Habens gratiam habitualem potest peccare: ergo & habens gratiam Unionis hypostaticæ.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quòd gratia habitualis relinquat naturæ suppositum proprium, adeoque peccabile; unio autem hypostatica, det naturæ suppositum Divinum, adeoque impeccabile, quod proinde reddit naturam ipsam impeccabilem, ut liquet ex dictis. Alia quæ contra hanc sententiam objici possunt, tum ex dictis, tum ex dicendis resolves. Pro coronide adverte, quòd si admittas Christum non potuisse physicè peccare, admittere debeas non potuisse etiam physicè errare vincibiliter.

QUÆSTIO III.

De defectibus animæ & corpori communibus.

PEr hos defectus intelligimus animi passiones, nempe tum voluntatis affectus, tum appetitus sensitivi motus, qui etsi à corporali appetitu eliciantur, & in corpore subjectentur, dicuntur tamen animæ & corpori communes, vel quia ab anima procedunt secundùm gradum sentiendi, vel quia ab ejus potentiis, puta, intellectu & voluntate diriguntur, seu imperantur. Pro intelligentia eorum, quæ in hac quæstione tractabimus.

Adverte 1. Ex Augustino 12. de Trinitate c. 4. duplicem esse animæ portionem, superiorem unam, inferiorem alteram. Superior, sunt ipsæmet animæ potentiæ, nempe intellectus, voluntas, memoria, quatenus æternis applicantur; inferior autem, eædem potentiæ, prout versantur circà Temporalia. Ex quibus patet, partem superiorem & inferiorem jam descriptam esse unam eamdemque potentiam, quæ pro diversitate objectorum diversa sortitur nomina.

Adverte 2. Duplicem esse in homine appetitum, intellectivum unum seu rationalem, qui est voluntas, sensitivum alterum, seu animalem, qui est appetitus corporalis.

Adverte. 3. Duplicem hunc appetitum subdividi in concupiscibilem & irascibilem, non tanquam in potentias realiter distinctas, sed divisione ejusdem potentiæ in diversa nomina, propter diversa objecta, vel potiùs propter diversum modum tendendi in objectum: quando enim appetitus fertur in objectum sive bonum, sive malum, modo vindicativo, dicitur irascibilis, quando alio modo, concupiscibilis.

Adverte 4. Ad appetitum concupiscibilem sex pertinere passiones, amorem, desiderium & gaudium, quæ sunt circa bonum: odium, fugam & tristitiam, quæ sunt circa malum. Amor respicit bonum ut sic, desiderium ut absens, gaudium ut præsens. E contra odium respicit malum ut sic, fuga ut absens, tristitia ut præsens. Item quinque ad appetitum irascibilem spectant, spes scilicet, desperatio, audacia, timor & ira. Spes respicit bonum nondum possessum ut possibile; desperatio ut impossibile, timor autem, respicit malum ut fortè eventurum, audacia ut superandum, ira ut præsens.

Adverte 5. Quòd passio sit motus appetitus sensitivi aut intellectivi ortus ex apprehensione boni aut mali cum aliqua corporis immutatione; sed hic præsertim de passionibus appetitus sensitivi.

ARTICULUS I.

An fuerint in Christo passiones, & an nostris similes;

CONCLUSIO I.

FUerunt reipsa in Christo passiones. Desinitum est à Leone 1. Epist. 25. quæ est ad Julianum, & passim refertur in 7. Synodo.

Prob. 1. Ex Scriptura Matth. 8. *Audiens autem Jesus, miratus est*. Et C. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*.

Prob. 2. Ex Patribus, Leone magno Epist. 25. ad Julianum Capit. 30. *Sensus corporei vigebant sine lege peccati*,

& veri-

& veritas affectionem sub moderamine Deitatis & mentis. Augustino lib. 14. de Civit. c. 9. *Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam ... adhibuit eas*, passiones, *ubi adhibendas esse judicavit: neque enim in quo erat verum hominis corpus & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus*.

Prob. 3. Christus agebat modo nobis connaturali, atqui voluntas in nobis sæpè movet appetitum ad varias passiones: ergo & in Christo; cùm nulla sit ratio dicendi appetitum Christi sensitivum fuisse otiosum. Præterea passiones illæ conducebant, ut assumptæ humanitatis veritatem ostenderent, ut pro nobis satisfaceret, & ut etiam modum easdem moderandi nobis relinqueret.

Dices, Hieronymus variis locis asserit, non fuisse in Christo passiones: ergo &c.

R. S. Doctorem Stoicorum opinionem secutum usurpasse passionem pro solis moribus inordinatis, & à regula rationis exorbitantibus, quos constat non fuisse in Christo & ideo posuit in ipso propassiones, quas vocat motus non consummatos, seu affectus, quæ passionis Stoicæ rationem non attingunt, sed cùm juxta Peripateticos, Platonicos, Theologos; imò & SS. Patres, passio sit quid commune ad motus ordinatos & inordinatos, non est cur passiones in Christo negentur, & ad propassiones recurratur, unde quando Scriptura dicit Christum cœpisse tristari, pavere, tædere, significat tempus, quo cœpit tristitia illa, non autem, quod solùm habuerit motum tristitiæ inchoatum, & plenum.

CONCLUSIO II.

CHristi passiones fuerunt nostris similes quoad substantiam, & non quoad modum. Ita communiter Theologi.

Prob. Prima pars: Christus fuit homo quoad substantiam nobis similis: ergo habuit passiones quoad substantiam nostris similes. Prob. conseq. ideò Petri & Pauli passiones non differunt substantialiter, seu essentialiter, quia sunt homines quoad substantiam similes; atqui Christus fuit homo quoad substantiam nobis similis: ergo &c.

Prob. Secunda pars: Quia fuerunt nostris dissimiles ex parte objecti, effectus & principii: 1. fuerunt dissimiles ex parte objecti, quia Christi passiones nunquam tendunt in illicitum, nostræ verò, frequenter; 2. fuerunt dissimiles ex parte effectus, quia quandoque rationem perturbant in nobis, in Christo nunquam: 3. fuerunt dissimiles ex parte principii, quia in Christo sequuntur ductum rationis & voluntatis imperium, ac ideò sunt ipsi voluntariæ, in nobis autem, sæpè utrumque præveniunt. Hæc breviter de passionibus in communi, ut fusius de singulis in particulari tractemus.

ARTICULUS II.

An fuerint in Christo Passiones ad appetitum concupiscibilem pertinentes?

CONCLUSIO I.

FUerunt in Christo Amor & odium.

Prob. Prima Pars. Quia in amore fundantur omnes aliæ Passiones, estque appetitui concupiscibili omnium affectionum naturalissima, & ideo vel hanc fuisse in Christo, vel nullam (quod est hæreticum) fatearis, necesse est. Et certè cur amore illo non quæsiisset vitæ propriæ conservationem & alia hujusmodi objecta:

Prob. Secunda Pars; Quia contrariorum eadem est ratio: unde sicut amore prosequebatur bonum, ita & odio abhorrebat malum ipsi oppositum.

CONCLUSIO II.

FUerunt in Christo desiderium & fuga.

Prob. Prima pars: Quia, cùm esset homo etiam humano corpori necessaria desiderabat, ubi erant absentia, & ideo esuriens desideravit cibum, sitiens potum, fatigatus requiem.

Prob. Secunda Pars: quia qui vult efficaciter bonum, refugit malum ipsi oppositum, atqui Christus desideravit efficaciter bonum absens: ergo etiam fugit malum absens ipsi contrarium: unde Passionem & mortem refugiebat tanquam objecta corpori disconvenientia, cùm dicebat: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*.

CONCLUSIO III.

FUerunt etiam in Christo gaudium & delectatio.

Prob. Prima Pars: Beati habent verum & propriè dictum gaudium, ut suo loco dicitur; atqui Christus ab initio suæ conceptionis fuit Beatus: ergo &c. Præterea quis dubitat, ipsum fuisse gavisum de conversione peccatorum, de gloria Patri suo reddita?

Prob. Secunda pars: Quia delectatio oritur ex objectis convenientibus, sensibiliter præsentibus, atqui similia objecta fuerunt Christo repræsentata, ut florum varietas, cœlorum pulchritudo, officia charitatis sibi à Matre & Patre nutritio exhibita; ergo &c.

CONCLUSIO IV.

FUerunt similiter in Christo dolor & tristitia.

Prob. Prima pars 1. Ex Scriptura Isaiæ 53. ubi vocatur *vir dolorum*: & ibidem dicitur: *Dolores nostros ipse portavit*. 2. Ex communi Patrum, & Scholasticorum consensu. 3. Ratione: ut sequatur in aliquo dolor, sufficit læsio corporis & perceptio læsionis; atqui hæc fuerunt in Christo: ergo & dolor. Major certa est. Prob. Min. Fuit quidem læsio corporis, quandoquidem caro illius fuerit flagellis lacerata & clavis perforata in locis quidem nervosis, pedibus scilicet & manibus, ubi viget maximè carnis sensus: fuit etiam perceptio læsionis: nam, cùm Christus habuerit corpus ex humoribus quatuor optimè compositum, utpotè Spiritus Sancti operatione efformatum: etiam optimum habuit carnis sensum, per quem dolor sentitur exterius, & fortissimam imaginationem, per quam percipitur interiùs. Ex quibus

Resol. 1. Christi dolorem fuisse maximum, ob magnam corporis læsionem, & majorem læsionis perceptionem: unde superavit quemcumque Martyrum dolorem, juxta illud Thren. 1. *Attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus*. Præterea intensa Divini amoris consideratio ita quandoque in Martyribus minuebat læsionis sensum, ut vix dolorem perciperent; in Christo autem, summum gaudium; quod ex visione beatifica hauriebat, nullo modo illius leniebat dolorem; cùm ex Divina dispositione in potentias sensitivas non redundaret.

Resol. 2. Christi dolorem fuisse universalissimum: passus est enim in visu per Matris lacrymantis præsentiam, in auditu per blasphemias & irrisiones; in gustu per fel & acetum; in olfactu per loci, in quo Crucifixus est, fœtorem; in tactu per clavos & Flagella; in capite per spinas; in manibus & pedibus per fixuram clavorum; in facie per sputa & alapas, in barba & crinibus per avulsionem: in toto corpore per horrendas carnis lacerationes, in anima per tristitiam, tædium & timorem, in honore per contemptus, derisiones, in fama per contumelias: denique in rebus per vestis etiam spoliationem.

Prob. Secunda Pars, 1. Ex scriptura Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, & ibidem: *Cœpit contristari & mœstus esse*: quod intelligi debet de tristitia propriè dicta adeoque subjectata in voluntate, & non in solo appetitu sensitivo, ut voluerunt Aureolus, Cajetanus, & quidam alii, quandoquidem Epistola Agathonis Papæ relata in 6. Synodo act. 4. & Epistola Sophronii relata in eadem Synodo act. 11. asserant tristitiam fuisse in Christi voluntate 2. Ex ratione, quia Augustinus 14. de civit. Dei asserit, quòd tristitia sit Passio mentalis sequens apprehensionem eorum; quæ nobis nolentibus accidunt atqui multa noluit Christus, quæ tamen acciderunt: ergo &c. Prob. Min. Quia nolebat Passionem, cùm dicebat: *Transeat à me calix iste*, & tamen illam subiit: noluit Judæ perditionem, hic tamen cedens desperationi sese suspendit &c.

Nec refert, quòd nolitiones illæ fuerint inefficaces, quia etiam ex illis sequitur tristitia, ut patet in projiciente merces in mare metu naufragii: in illo enim ex inefficaci & conditionata nolitione projiciendi merces (si naufragium scilicet non instaret) oritur tristitia eo ipso, quo illas projicit.

Obj. 1. De Christo dicitur Isaiæ 24. *Non est tristis, neque turbulentus*: ergo &c.

R. Dist. Ant. Non erit tristis tristitia rationem perturbante & animum frangente, C. tristitia ratione temperata N. de hac tristitia intelligitur illud Proverbiorum 12. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit*: aliter dici potest, quod non erit tristis, quia scilicet non erit in conversando melancholicus, sed potiùs vultum exhibet hilarem.

Obj. 2. Christum, nequidem fuit tristis in Passione: ergo nunquam fuit &c. Prob. Ant. Tristitia oritur ex nolitione,

atqui Christus *oblatus est*, id est passus est, *quia voluit* Isaiæ 53. ergo &c.

R. N. Ant. ad Prob. Dico, Christum voluisse Passionem propter finem, id est, ob generis humani redemptionem: cùm quo stare potest, quòd inefficaciter illam secundùm se noluerit: sic sumens potionem amaram, illam vult propter sanitatem, licèt inefficaciter nolit illam secundùm se.

Obj. 3. Nullum fuit in Christo malum, atqui tristitia juxta Philosophum 7. Ethicorum, est quoddam malum: ergo &c.

Ref. Dist. Maj. Nullum fuit in Christo malum Morale & Theologicum, C. nullum malum naturæ, N. tristitia autem ratione temperata, qualis fuit in Christo, tantum est, ad summum, malum naturæ, in quantùm abbreviat vitam, sed qui potuit pro nobis vitam perdere, potuit à fortiori illius abbreviationem permittere.

Obj. 4. Fuit in Christo summum gaudium ratione beatitudinis: ergo non potuit esse tristitia.

Prob. Conseq. Gaudium & tristitia sunt contraria, quæ non possunt esse in eodem subjecto.

Hoc argumentum facilè solvunt, qui dicunt tristitiam tantum fuisse in appetitu sensitivo, & gaudium in voluntate; nam, cùm illa sint subjecta realiter distincta, imo unum spirituale, aliud materiale, potuit Deus impedire quominus gaudium existens in voluntate, redundaret in appetitum animalem, in quo erat tristitia.

Non minùs facilis est solutio Cani & Delgadillo dicentium gaudium proveniens ex beatitudine suspensum fuisse tempore Passionis, ut daret locum tristitiæ, idque probant ex eo, quod Christus Matth. 27. dicat: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* nam, cùm ipsum non deseruerit quoad Unionem hypostaticam, gratiam, aut gloriam essentialem, debuit dereliquisse quoad gaudium & lætitiam. Sed hæ solutiones non placent, non quidem prima, cùm tristitia fuerit etiam in voluntate, ut diximus, non etiam secunda, tum quia repugnat communi Theologorum, tum quia nullum habet fundamentum in Patribus, tum etiam quia suspensio illa non fuit necessaria, ut cederet locum tristitiæ, unde

Ref. Ergo N. Conseq. Ac distinguendo probationem gaudium & tristitia de eodem objecto sunt contraria, C. de diverso, N. jam autem fuit in Christo gaudium de objecto beatifico & tristitia de morte & Passione.

Inst. 1. Etiam Christus habuit summum gaudium de sua morte: ergo &c.

Ref. Dist. Ant. De sua morte prout conferente ad Dei gloriam & proprii nominis exaltationem, Con. de morte prout disconvenienti naturæ humanæ secundùm se, circa quam habuit tristitiam, N. unde licèt hic sit idem objectum materiale gaudii & tristitiæ, nempe mors, sunt tamen diversa formaliter objecta, quia sub alio motivo in illam fertur gaudium, & sub alio tristitia: & sic non sunt contraria.

Inst. 2. A quocumque proveniat calor & frigus, sunt contraria: ergo circa quocumque objectum ferantur gaudium & tristitia, sunt etiam contraria.

Ref. Neg. Cons. Disparitas est, quod frigus & calor, sicut albedo & nigredo, sint contraria absoluta, adeoque importent contrarietatem & contradictionem virtualem independenter à quocumque extrinseco, gaudium autem & tristitia, sicut amor & odium, scientia & ignorantia, sint contraria respectiva, adeoque non habeant contrarietatem & contradictionem, nisi per ordinem ad objecta.

Inst. 4. Summum gaudium excludit à subjecto quamlibet tristitiam etiam non contrariam.

R. Dist. Assumpt. Excludit à subjecto secundùm eamdem portionem, C. secundùm diversam, subdistinguo, de lege ordinaria; C. de qualibet potentia, N. Explico: Cum in voluntate sit portio superior & inferior, ut diximus, gaudium summum existens in parte superiori, excludit ab ea de qualibet potentia tristitiam, potest tamen miraculosè non excludere tristitiam tantùm existentem in parte seu portione inferiori: si nempe Deus impediat redundantiam gaudii à parte superiori in inferiorem. Pro aliis objectionibus

Adverte 1. Quòd licèt non potuerit tristari Christus de carentia Beatitudinis, & de peccato proprio, quia Beatitudinem semper habuit, peccatum autem nunquam commisit, potuit tamen tristari de peccato & damnatione aliorum, quia ipso nolente, accidebant.

Adverte 2. Christum per tristitiam de sua morte non discordasse à voluntate Divina, quia tantùm respuebat illam conditionate: unde dixit: *Si possibile est*, absolutè autem voluit, quia sciebat esse à Patre volitam.

ARTICULUS III.

An fuerint etiam in Christo Passiones ad appetitum irascibilem pertinentes?

CONCLUSIO I.

FUerunt in Christo spes & desperatio. Ita Salmanticenses, Frassen & alii. Ante Probationem

Adverte non esse hic sermonem de spe Theologica, de qua suo loco, nec de desperatione circa objectum beatificum, quam posuit in Christo impius Calvinus, sed de motibus appetitus sensitivi.

Prob. 1. Pars: Quia spes hic nihil est aliud, quàm motus appetitus sensitivi erecti ad possessionem doni ardui absentis, sed possibilis; atqui talis fuit in Christo: ergo &c. Prob. Min. Quia cùm volebant eum præcipitare Judæi Lucæ 5. & lapidare Joan. 8. erigebatur appetitus ejus ad vitæ conservationem, cùm hoc sit cuilibet homini naturale.

Dices: nullum bonum fuit Christo arduum & difficile; ergo &c.

Ref. Dist. Ant. Christo, ut Deo, C. ut homini, N. ut sic enim multa superabant vires ejus naturales.

Prob. 2. Pars: Quia per desperationem hic intelligimus motum appetitus fracti circa bonum obtinendum, eo quòd appareat impossibile, atqui talem motum habuit Christus circa vitæ conservationem, eo ipso quo per scientiam experimentalem novit sententiam mortis esse latam & instrumenta Crucifixionis parata: ergo &c. unde tanquam agnus mansuetus ducebatur ad mortem sine ulla resistentia: quod est signum appetitus fracti & desperantis.

CONCLUSIO II.

FUit etiam in Christo audacia. Ita communiter Theologi. Prob. Quia audacia est quædam fortitudo ad superandum malum arduum, quod apparet superabile: quis autem dubitat talem fuisse in Christo fortitudinem ad vincendum mortis timorem, qui Judæis ipsum ad necem quærentibus, ivit obviam, ut testantur Evangelistæ.

CONCLUSIO III.

ETiam fuit in Christo timor. Hæc est communis inter Theologos & SS. Patres.

Prob. 1. Ex Scriptura Marci 14. *Cœpit pavere & tædere*, & Lucæ 22. dicitur *factus in agonia*; agonia autem est species quædam vel saltem effectus timoris: unde hæc Conclusio est de fide, si præscindatur à modo, quo fuit in Christo, de quo postea.

Prob. 2. Ex PP. Cyrillo qui lib. 4. in Joan. c. 1. sic de Christo loquitur: *Ideo ut verè homo præsentem jam in januis mortem timescit*. Athanasio lib. de Incarnatione: *Si id verum esset, quòd non esset in Christo mens humana, ut volebat Apollinaris, quomodo potuit timere vel anxius esse?* Damasceno 3. de Fide c. 23. *Quod autem pertimuerit, testis est verè S. Athanasius, in oratione adversus Apollinarium*. Idem habent alii Patres.

Prob. 3. Ratione: connaturale est homini passibili timere grave malum imminens; atqui Christus fuit homo passibilis, prævidebatque mortem acerbissimam imminere: ergo &c.

Obj. 1. Proverb. 18. dicitur: *Justus quasi Leo confidens absque terrore erit*: ergo non habuit timorem.

Ref. N. Cons. Quia terror, ultra timorem, importat ordinariè mentis perturbationem, quæ non fuit in Christo.

Obj. 2. Hilarius 1. de Trinitate, Hieronymus in c. 27. Matt. & Augustinus enarratione in Psal. 21. negant fuisse timorem in Christo.

Ref. Hilarium & Hieronymum loqui de timore habente annexam perturbationem mentis; Augustinum verò, negare timorem impedientem voluntatem efficacem moriendi; quandoquidem lib. 83. quæstionum, quæstione 80. illum expressè admittat.

Obj. 3. Fuit in Christo fortitudo heroica: ergo non fuit timor.

Ref. Dist. Ant. Fortitudo heroica, quæ timorem impedivit, N. quæ timorem ortum vinceret & sedaret, C.

Obj. 3. Timor est de malo difficulter evitabili; atqui poterat Christus mala quælibet facilè evitare: ergo &c.

Ref. Dist. Min. Poterat facilè vitare secundùm virtutem Divinitatis, C. secundùm infirmitatem carnis, N.

Obj. 5.

Obj. 5. Juxta Aristotelem 2. Rhetor. c. 23. timor includit spem evadendi; quia illius objectum proponitur sub incertitudine futuritionis, atqui Christus non habuit spem evadendi mortem, cùm sciret illam certò futuram: ergo &c.

Res. Dist. Maj. Timor efficax includit spem evadendi, C. inefficax, N. Est autem timor efficax, qui affert consultationem & applicationem mediorum ad evitationem mali, quod timetur: inefficax verò, qui nulla media respicit, ut malum imminens evadat: primus includit spem evadendi, non secundus; & ideo hic fuit in Christo, non ille.

Inst. Timor Christi fuit valde magnus, ut patet ex ly *pavere*: ergo fuit efficax.

Res. N. Cons. Quia non petitur timoris efficacia aut inefficacia ab illius magnitudine aut parvitate, sed ab eo, quòd metuens habeat, aut non habeat voluntatem applicandi media, ut vitetur malum quod timetur.

Objici. 7. Spes & timor opponuntur; atqui spes non respicit bonum certò futurum: ergo nec timor simile malum.

Res. Dissimulata Maj. N. Min. animæ enim Purgatorii sperant beatitudinem, licèt sciant certò ipsis eventuram. Et idem est de timore: nam qui ducuntur ad supplicium, quod certò credunt futurum & inevitabile, adhuc illud timent, ut experimento constat: quid ergo mirum, si Christus mortem, quam certò sciebat eventuram, pertimesceret? Pro coronide

Adverte 1. Christi timorem non tantùm fuisse in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate: quandoquidem SS. Patres inferant contra Monothelitas fuisse in Christo voluntatem humanam, eò quòd mortem timuerit: quæ illatio nulla esset, si timor tantùm fuisset in appetitu sensitivo.

Adverte 2. Christi timorem participasse veram & integram rationem timoris: quia non est de ratione timoris ut sic, includere spem evadendi, & respicere objectum ut evitabile, sed bene timoris efficacis, qualem non habuit Christus: unde miror Thomistas contrarium asserere: & sanè, si credant Philosophum spem evadendi ad rationem timoris requirere, mallem dicere ipsum errasse, quàm Scripturam impropriè fuisse locutam. Præterea dicere Christi timorem non habuisse integram rationem timoris, est dicere Christum non habuisse timorem; cùm res non stet sine sua essentia.

CONCLUSIO IV.

FUit etiam in Christo Ira. Ità communissimè Theologi.

Prob. 1. Ex Scriptura Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira*, scilicet Pharisæos murmurantes quòd Sabbatho curaret. Et Joan. 2. dicitur, impletum esse in Christo ejiciente vendentes de templo illud Ps. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*. Est autem zelus species quædam iræ.

Prob. 2. Ratione: Non debemus removere à Christo affectus honestos & laudabiles; atqui effectus iræ potest esse honestus & laudabilis; cùm sit appetitus ordinatus vindictæ: ergo fuit in Christo.

Obj. 1. Ira est peccatum: ergo non fuit in Christo.

Res. Dist. Ant. Ira, quæ appetit vindictam sine ordine rationis, est peccatum, C. quæ vindictam appetit cum ordine rationis, N. sed potiùs est zelus: unde Ps. 4. dicitur: *Irascimini & nolite peccare*.

Objici. 2. Christus fuit mansuetus: ergo non habuit iram.

Res. Neg. Conseq. Quia licèt mansuetudo opponatur iræ immoderatæ; non tamen moderatæ ac per rationem temperatæ.

Obj. 3. Ira mentem turbat; atqui Christi mens non fuit turbata: ergo &c.

Res. Dist. Maj. Ira mentem turbat in nobis, transeat, in Christo, N. Disparitas est, quòd in nobis operatio intensa unius potentiæ debilitet operationem alterius; in Christo autem, ratione virtutis Divinæ, una potentia non impediebatur ab altera in suis operationibus.

Petes 1. Quomodo Joannis 11. de Christo dicatur: *Infremuit spiritu, & turbavit semetipsum*, si non fuit turbatus?

Respondet Doctor Seraphicus, quòd turbaverit se secundùm partem sensualem & inferiorem, non autem secundùm partem superiorem seu mentem, quæ nunquam fuit obnubilata

Petes 2. Cur tunc Christus infremuerit?

Respondent aliqui infremuisse: quia flebat ejus humanitas; sed hoc non videtur probabile: quandoquidem fleret ex imperio voluntatis: unde probabilius est infremuisse ob perfidiam Judæorum, ad quam vincendam opus erat tanto miraculo, ut Lazarus moreretur & resurgeret.

ARTICULUS IV.

An fuerit in Christo admiratio?

CONCLUSIO UNICA.

FUit in Christo admiratio.

Prob. 1. Ex Scriptura Matth. 8. *Audiens autem Jesus, miratus est*, scilicet fidem Centurionis. Et Lucæ 7. *Et miratus est Jesus*.

Prob. 2. Ratione: admiratio est de aliquo novo & insolito; atqui potuit esse in Christo aliquid novum & insolitum, non quidem secundum scientiam beatam, qua res cognoscebat in Verbo, nec secundùm scientiam infusam, qua res cognoscebat per species inditas, sed secundùm scientiam experimentalem, secundùm quam aliquid quotidie experiebatur, quod aliunde sciebat: ergo &c.

Obj. 1. Augustinum lib. 22. contra Faustum C. 13. dicentem Christum non fuisse verè admiratum, sed edidisse tantùm signa exteriora admirationis, sicut dicitur Deus in Scriptura iratus, pœnitens, non quia talis est, sed quia exteriùs signa animi irati & pœnitentis exhibet.

Res. Dist. Assumpt. Non fuisse admiratum admiratione præsupponente omnimodam ignorantiam in admirante, C. admiratione præsupponente tantùm ignorantiam experimentalem, seu potiùs absentiam experientiæ rei, quæ aliunde cognoscitur, Neg. nec plus intendit Augustinus; aliàs sibi contradiceret, quandoquidem lib. de Genesi contra Manichæos C. 8. & alibi expressè teneat sententiam nostram.

Inst. 1. Idem S. Doctor Epist. 101. affirmat admirationem esse de re, cujus ratio latet, seu, ut loquitur Philosophus, cujus causa ignoratur; atqui non potest dici, quòd Christus ignoraret, seu ipsum lateret id, cujus tantùm experientiam non habebat: ergo. Prob. Min. Quia ex eo quòd aliquis nunquam syllogismum fecerit, malè dicitur ignorare syllogismum, si optimè novit aliunde modum syllogizandi.

Res. Dist. Maj. Cujus ratio latet, vel simpliciter, vel cum addito, C. necessario simpliciter, N. unde sufficit, quòd ratio lateat, vel causa ignoretur respectu cognitionis, quàm sequitur admiratio: cùm ergo admiratio in Christo non sequatur quamlibet cognitionem, sed tantùm experimentalem, sufficit quòd ratio lateat, aut causa ignoretur secundùm experientiam.

Inst. 2. Admiratio est de re nova & insolita, atqui res, cujus necdum experientia habetur, non potest dici nova & insolita, illam aliundè perfectè cognoscenti: ergo &c.

Res. Dist. Min. Non potest dici nova & insolita in omni genere cognitionis: C. in aliquo genere determinato, N. potest enim dici talis in genere notitiæ acquisitæ & experimentalis.

Inst. 3. Talis est admiratio, qualis est ignorantia, atqui in Christo fuit tantùm ignorantia secundùm quid, nempe secundùm experientiam: ergo & admiratio secundùm quid.

Res. Dist. Min. Fuit tantùm ignorantia secundùm quid, id est, non fuit ignorantia ex omni parte, C. quia id quod ignorabat per experientiam, noverat per scientiam beatam & infusam. Id est, non fuit tota ratio ignorantiæ in aliquo determinato genere, nempe notitiæ experimentalis. N. unde sicut in aliquo genere fuit ignorantia integra; ita secuta est admiratio vera & integra.

Quòd autem sufficiat experientia ad admirationem, inde patet, quòd aliquis sciens per narrationem esse in urbe aliquod monstrum habens duo capita, tria brachia, octo pedes &c. illud tamen videns, verè miretur.

Obj. 2. Christus potuit facere, quidquid in aliis videbat: ergo non potuit mirari.

Res. N. Cons. Ut enim aliquid sit mirabile, non requiritur, quòd sit supra potentiam aut scientiam admirantis, sed sufficit, quòd sit rarum respectu subjecti, in quo illud miramur: sic miramur scientiam pueri, quam non miramur majorem in nobis: sicque Christus mirabatur fidem Centurionis, non quia idem præstare non poterat; sed quia rarum erat & magnum, quòd homo gentilis ac miles, in Messiam fidem haberet, & quidem tantam, quanta non erat in Israel.

Obj. 3. Homo magnanimus, secundùm Philosophum, non est admirativus, atqui Christus fuit talis: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Non est admirativus, id est, non facilè miratur, Con. & sic se explicat Aristoteles 4. Ethicorum c. 3. id est nunquam miratur, N.

DISPUTATIO VIII.

De Christo secundùm se.

EXaminatis partibus tum essentialibus, tum integralibus, ex quibus constituitur Christus, ordo congruus postulat, ut de ipso secundùm se loquamur.

QUÆSTIO I.

An sit vera hæc propositio: *Christus incœpit esse?*

SUppono 1. Has propositiones esse hæreticas: *Verbum incœpit esse*, *Filius Dei incœpit esse*, sicut & hanc, *Christus secundùm naturam Divinam incœpit esse*; quia Verbum Dei, Filius Dei, Christus secundùm naturam divinam est unus & idem cum Patre Deus, cui propter æternitatem repugnat simpliciter incipere.

Suppono 2. Christum esse unicum suppositum in duabus naturis, quarum una est Divina, altera humana; constat autem, nec suppositum formaliter, nec suppositum importans naturam divinam, nec ipsammet naturam divinam cœpisse esse, cùm illa omnia sint æterna; constat verò cœpisse naturam humanam, cùm initium habuerit in utero Virginis: & ratione hujus incœptionis quæritur, an possit dici simpliciter sine addito: *Christus incœpit esse*; nam quod dici possit: *Christus incœpit esse secundum naturam humanam*, in confesso est apud omnes.

Suppono 3. Suppositum Christi considerari posse dupliciter, 1. Terminans naturam divinam tantùm, quale erat ante Incarnationem. 2. Ut terminans simul naturam divinam & humanam, quale fuit post Incarnationem. His suppositis

CONCLUSIO UNICA.

VEra est in rigore Sermonis hæc propositio: Christus incœpit esse. Ita Scotus 3. d. 11. q. 3. & Scotistæ communiter contra Thomistas quamplurimos.

Prob. 1. Ex Scriptura & oraculis Prophetarum, Christi nativitatem & ortum prædicentibus.

Prob. 2. Ex Patribus, Nazianzeno orat. 35. Leone Papa sermone 3. Hieronymo in Epistolam ad Ephesios, quorum primus dicit Christum esse factum, secundus esse temporalem, tertius esse creaturam. Et specialiter ex Augustino tractatu 105. in Joannem, ubi ait; *Priusquam esset mundus, nec nos eramus, nec Dei & Hominum ipse mediator Christus*; atqui factum, temporale, creatum, non existens ante mundum, incœpit esse: ergo &c.

Prob. 3. Illud in rigore sermonis incipit esse, quod non semper fuit; atqui Christus non semper fuit, cùm ante bis mille annos non existeret: ergo &c.

Prob. 4. Ut Christus dicatur incœpisse esse, sufficit, quòd aliqua ejus pars substantialis incœperit, atqui aliqua ejus pars substantialis, nempe natura humana, incœpit esse: ergo &c. Prob. Maj. Ut Christus dicatur flagellatus, crucifixus, &c. sufficit, quòd aliqua ejus pars fuerit flagellata, crucifixa &c. ergo similiter.

Prob. 5. Christus non est suppositum nudè sumptum, sed suppositum naturam divinam simul & humanam suppositans; atqui non fuit semper tale suppositum: ergo incœpit esse, & consequenter incœpit esse Christus.

Prob. 6. Christus strictè loquendo desiit esse, quando est mortuus; ergo incœpit esse, strictè loquendo, quando est natus.

Obj. 1. Joan. 1. Dicitur de Christo: *Post me venturus est, qui ante me factus est.* Et c. 8. dicit de ipso Christus; *Antequam Abraham fieret, ego sum*: ergo &c.

Resp. Christum fuisse ante Joannem & Abraham inadæquatè, nempe secundùm naturam Divinam & suppositum Divinum, non tamen adæquatè, quia non fuit ante illos secundùm humanitatem.

Obj. 2. Hæc sententia fuit Parisiis censurata, & facta ad Sedem Apostolicam appellatione, fuit ibidem ab Alexandro VI. condemnata.

Resp. Hoc gratis esse ab Adversariis confictum; quandoquidem hujus rei nullum extet vestigium: unde non est mirum, quòd Cabrera & Arauzo, qui id referunt, dicant se nescire, an fuerit reprobata vel ut erronea, vel ut scandalosa; quandoquidem nesciant esse reprobatam. Imo sustineo ego cum Cavello in vita Scoti nullam unquam Doctoris illius subtilis sententiam vel à Papa, vel à Concilio generali, aut particulari, vel ab aliqua Universitate fuisse condemnatam, censuratam, qualificatam, aut legi prohibitam.

Obj. 3. In hac propositione: *Christus incœpit esse*, ly *Christus* supponit materialiter, sivè pro supposito; atqui falsum est, quod suppositum Christi, quod est suppositum Verbi, incœperit esse: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Supponit pro supposito nudè spectato: nam tale suppositum non est Christus. Pro supposito naturam divinam simul & humanam suppositante, C. sed tale suppositum non semper fuit.

Obj. 4. Ex eo quòd paries incipit esse albus, non bene dicitur: *Paries incipit esse*: ergo ex eo quòd suppositum Christi incipiat esse homo; non bene dicitur *Suppositum Christi incipit esse*, sed debet dici, *Incipit esse homo*, sicut in priori casu dici debet, *Paries incipit esse albus*.

Resp. Concedendo totum: quia suppositum ibi sumitur nudè & præcisè pro supposito naturæ divinæ, quod fatemur numquam incœpisse.

Instabis, si paries fiat albus, non bene dicitur, *Hoc album incipit esse*: ergo ex eo, quod suppositum Verbi fiat homo, non bene dicitur, *Hoc suppositum etiam terminans naturam humanam incœpit esse*.

Resp. N. Ant. Nam ly, *hoc album* non supponit tantùm pro subjecto seu pariete, sed pro constituto ex pariete & albedine: hoc autem constitutum incipit esse, eo ipso, quo paries fit albus, licèt ipse paries fuerit à 100. annis: similiter in nostro casu Christus non supponit tantùm pro supposito Verbi, sed pro constituto ex illo supposito & duabus naturis, seu, quod idem est, pro supposito duas naturas suppositante; hoc autem constitutum incœpit esse, licèt suppositum nudè sumptum numquàm incæperit esse.

Obj. 6. Si Christus incœpisset esse, dici posset per communicationem idiomatum: *Verbum incœpit esse*.

Resp. Hoc esse verum: nec major est inconvenientia quod Verbum denominetur incipere, quàm flagellari, crucifigi, mori &c. pro Coronide.

Adverte, quòd ly *Christus* tenens locum subjecti in propositione, non semper supponat pro supposito naturæ divinæ, sed tunc pro supposito naturæ divinæ, quando tribuuntur ipsi prædicata divinitatis: pro supposito autem naturæ humanæ, quando tribuuntur ipsi prædicata humanitatis; licèt sit unicum realiter divinitatis & humanitatis suppositum: unde quando dicitur: *Christus incœpit esse*, sensus est, *suppositum Christi quatenus suppositans naturam humanam incœpit esse*.

QUÆSTIO II.

An sit vera in rigore sermonis hæc propositio; *Christus est creatura?*

CONCLUSIO I.

IN rigore loquendo probabilius est, quod hæc propositio, *Christus est creatura*, sit vera. Ita D. Bonav. Varro Scoti præceptor, Vasquez, De Orbeliis, Valentia, Hurtado Delgadillo & alii. Quoad Scotum autem, dico esse problematicum; & ita tenens Cavellus ejus Scholiastes, Tuataretus, Castillo, Felix, Delgadillo, Frassen & alii; nam postquam Varronis sententiam, quæ nostra est, exposuisset, non illam refutat sicut præcedentes, sed tantùm dicit: *Cui ista opinio non placet: potest dicere esse falsum* propter rationes, quas subdit: unde nihil absolutè definit, licèt magis in oppositam sententiam propendeat.

Prob. 1. Ex SS. Patribus, Ambrosio in Psal. 118. *Non vereor, ne quis dicat: creatum ergo Christum asseris? Respondeo, ità creatum dico.* Hieronymo in Epist. ad Ephesios: *Liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem* &c. *confitemur*. Augustino lib. 4. de Trinit. c. 19. *Factum quippe creaturam, per quem facta est omnis creatura, omnem creaturam testem habere oportebat*: Unde sexta Synodus Act. 10. vocat Christum creatum & increatum, dicere autem propositionem tam sæpe à Patribus usurpatam, esse falsam in proprietate sermonis, videtur illis injuriosum.

Dices,

Dices, SS. Patres non tantùm dicunt Christum esse creaturam, sed etiam Deum; atqui falsa est hæc in proprietate sermonis: *Deus est creatura*: ergo & illa: *Christus est creatura*. Prob. Maj. ex Aug. lib de Fide & Symb. ubi docet, quòd eadem sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam ex hominibus creari. Idem habet Hilar. lib. 2. de Trinit. *Filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura, neque tantùm factura, sed etiam creatura.*

Resp. concessa Majore, Neg. Min. sicut enim vera est propositio, *Deus est homo, genitus, crucifixus, flagellatus*, per communicationem idiomatum, ità & hæc. *Deus est creatura*. Hæc magis patebunt postea.

Prob. 2. Omnia prædicata essentialia hominis prædicantur verè & propriè de Christo, ut esse animal, esse vivens; atqui esse creatura seu ens creatum non minùs est prædicatum essentiale hominis, quàm esse animal &c. ergo.

Dices creatum esse quidem prædicatum essentiale hominis, sed per se 1. conveniens supposito, & sic dicere, *Christus est creatura*, est dicere, *Christus est creatura ratione suppositi*: quod est falsum; animal autem & vivens conveniunt 1. naturæ, & ratione illius, supposito: & sic dicere, *Christus est animal*, est dicere Christus ratione humanitatis est animal, quod est verissimum.

Resp. Falsum esse, creatum convenire 1. supposito: nam cùm suppositum in creatis supra naturam tantùm dicat negationem, aut negationes, secundùm nos, non potest esse terminus creationis, qui est quid physicum & reale. Præterea, quamvis suppositum esset modus, ut volunt Thomistæ, prius est esse subjectum modi, quàm modum, adeòque prius convenit naturæ creari, quàm supposito.

Prob. 3. Quia datur in Christi humanitate relatio similitudinis ad naturam nostram, simpliciter dicitur: *Christus est nobis similis*: ergo quia datur in ejus humanitate relatio realis ad creatorem, potest dici absolutè: *Christus est creatura*.

Dices, quando dicitur: *Christus est nobis similis*, satis intelligitur, *in quantùm homo*; cùm non possit esse similis ratione suppositi, aut naturæ Divinæ.

Resp. Similiter, quando dicitur, *Christus est creatura*, satis intelligitur, *in quantùm homo*, cùm non possit esse creatura ratione Divinitatis, aut suppositi à Divinitate indistincti.

Prob. 4. Vera est hæc propositio, secundùm Thomistas: *Christus est Dei servus*: ergo & hæc: *Christus est creatura*; cùm nullo alio titulo una possit esse vera, quàm altera.

Prob. 5. Vera est hæc: *Christus est creator*: ergo & hæc *Christus est creatura*. Prob. conseq. ideo Christus dicitur Creator, quia talis est, non ratione suppositi, sed ratione Divinitatis; atqui etiam est creatura ratione humanitatis: ergo &c.

Obj. 1. Quod potest convenire toti vel parti, malè tribuitur toti simpliciter, si tantùm conveniat parti; atqui esse creatum potest convenire toti & parti: ergo malè tribuitur toti, nempe Christo, quandoquidem tantùm conveniat parti, nempe humanitati. Prob. Maj. Quia album potest convenire homini & ejus parti, malè tribuitur simpliciter homini, si tantùm conveniat ejus parti, nempe dentibus, & ideo falsa est hæc proposito: *Æthiops est albus*, licèt habeat dentes albos: unde sicuti non est vera dicta proposito, nisi addatur *secundùm dentes*, ità nec vera est hæc: *Christus est creatura*, nisi addatur, *secundùm humanitatem*.

Resp. Dist. Maj. Quod potest convenire &c. malè tribuitur toti, si tantùm conveniat parti integrali, quales sunt dentes in homine, C. si tantùm conveniat parti, quæ est natura integra, N. aliàs Christus non diceretur natus, mortuus &c. quandoquidem hæc prædicata, quæ convenire possunt non tantùm parti, sed etiam toti (& hoc præsertim in principiis Thomistarum, qui volunt terminum generationis & corruptionis esse suppositum) tantùm conveniant in Christo humanitati.

Instabis: Saltem ex illa propositione sequitur æquivocatio apud Logicos, & suspicio hæresis Arianæ apud Theologos; cùm dubitetur, an prædicatum *creatura* non conveniat etiam supposito.

Respondeo nec æquivocationem, nec suspicionem hæresis Arianæ oriri posse apud Doctos & Theologos aliqualiter fundatos, qui satis sciunt prædicatum *creatura*, non posse convenire Christo ratione Divinitatis aut suppositi Divini, sed tantùm ratione humanitatis.

Si tamen esset periculum, ne quis crederet cum Ario Verbum seu suppositum Filii esse creaturam, Theologus deberet abstinere ab illa propositione, vel sic loquendum foret: *Christus quà homo, vel secundùm naturam humanam est creatura*.

Obj. 2. Subjectum hujus propositionis, *Christus est creatura*, supponit pro supposito Verbi; atqui falsum est, quòd suppositum Verbi sit creatura: ergo &c.

Resp. Retorquendo argumentum ad hominem: subjectum hujus propositionis, *Christus est flagellatus*, supponit pro supposito Verbi; atqui falsum est, quòd suppositum Verbi fuerit flagellatum: ergo &c.

Quod si respondeat ly *flagellatum* determinare subjectum ad supponendum secundùm humanitatem, in qua sustinuit Christus flagellationem; dicam ego similiter ly *esse creaturam*, *esse ens creatum*, determinare subjectum ad supponendum secundùm naturam humanam, secundùm quam Christus est dependens.

Instabis: ly *Creatura* est indifferens ad determinandum, ut supponat pro natura humana, vel pro supposito Verbi non sic ly *flagellatus*.

Res. Neg. Assumpt. Quia sicut extra hoc mysterium natura verè & propriè fit, est, & operatur, suppositum autem non nisi impropriè; cùm ultra naturam sit tantùm negatio; ità natura sola verè & propriè creatur; & consequenter *creatura* in dicta propositione determinat subjectum ad supponendum potiùs pro natura, quàm pro supposito: jam autem eodem modo loquendum est in hoc mysterio ac extra; quandoquidem suppositum Verbi, licèt quid positivum, tantùm suppleat vices suppositi humani.

Obj. 3. Falsa est hæc propositio: *Christus est Filius Dei adoptivus*: ergo & hæc: *Christus est creatura*.

Res. Dissimulata majore, de qua suo loco, Neg. conseq. Disparitas est, quòd adoptio, saltem secundùm Thomistas, conveniat propriè personæ, & quidem extraneæ, qualis non est persona Christi, quæ est Filius Dei naturalis; creari verò, proprissimè convenit naturæ, ut diximus.

Obj. 4. Creatura est id, quod fit ex nihilo, atqui Christus non est factus ex nihilo: ergo &c.

Res. Dist. Min. Non est factus ex nihilo secundùm esse humanum, saltem partiale, N. secundùm esse Divinum, C. ut autem aliquid dicatur creatura, non requiritur, quod sit talis secundùm omne suum esse.

Obj. 5. Falsò diceretur, *hic homo*, designato Christo, est creatura; atqui Christus & hic homo sunt synonima, ergo &c. Prob. Maj. Quia *hic* designat suppositum & naturam, imò immediatiùs suppositum quàm naturam; atqui Christus non est creatum secundum utrumque. ergo.

Res. Neg Maj. Ad Prob. Dico, quòd licèt pronomen *hic* de se designet suppositum & naturam, potest tamen determinari per prædicatum, ut supponat pro sola natura, ut fit in nostro casu, & in hac propositione, *hic homo*, designato Christo, *fuit flagellatus*. Pro aliis objectionibus, adverte creatum non aliter denominare, quàm genitum; quandoquidem terminus primarius creationis & generationis sit idem, nempe natura, atqui genitum etiam secundùm adversarios, denominat 1. naturam, & per naturam suppositum: ergo similiter creatum.

QUÆSTIO III.

An possit dici, *Deus factus est homo, & homo factus est Deus?*

CErtum est ex dicendis has propositiones esse veras, *Deus est homo, homo est Deus*, idque propter idiomatum communicationem fundatam in conjunctione Divinitatis & humanitatis in eodem Verbi supposito: sed cùm propositiones intitulo quæstionis allatæ non tam significent naturarum conjunctionem, quàm viam ad illam, aliunde earum veritas aut falsitas petenda est, quare sit

CONCLUSIO I.

HAnc propositionem, *Deus factus est homo*, esse veram fides evincit Joan. 1. *Verbum caro factum est*. Ad Galatas 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, & in Symbolo Niceno, *& homo factus est*, an autem hic modus loquendi sit proprius. negant aliqui, quia volunt, ut id, quod dicitur fieri aliquid, debeat mutari: & consequenter, cùm Deus non fuerit per humanitatem assumptam mutatus, non potest dici factus homo; sed illis contradicit sententia communis: 1. Quia non apparet ratio sufficiens dicendi locutionem scripturæ, Patrum & Conciliorum de hac materia esse impropriam. 2. Quia si requireretur mutatio, ut propriè diceretur factus homo, etiam à fortiori requireretur, ut diceretur verè factus homo; atqui ut verè dicatur talis, non requiritur mutatio, ut constat; ergo nec ut dicatur propriè. 3. Ut hæc propositio; *Deus est homo*, sit propria, non requiritur ulla ex parte suppositi mutatio, ergo nec, ut hæc sit propria, *Deus factus est homo*; cùm sit par ratio. 4. Christus per propriam actionem Trinitatis,

est,

eſt, homo ergo propriè factus eſt homo: ubi enim datur propriè faciens, datur & propriè factum, cùm ſint correlativa.

Obj. 1. Si Joannes factus ſit calidus, mutatus eſt ad calorem, ſi albus, ad albedinem: ergo ad factionem paſſivam requiritur mutatio.

R. Diſt. Conſ. Requiritur mutatio, ubi intervenit forma informans, C. ubi non intervenit, N. jam Deus factus eſt homo, non per informationem humanitatis, ſicut Joannes factus eſt albus per informationem albedinis, ſed præcisè per humanitatis terminationem.

Objici. 2. Non poteſt concipi factio ſine mutatione: ergo &c.

Reſ. Diſt. Ant. Sine mutatione in aliquo extremo, C. in utroque extremo, N. nam columna dicitur propriè dextra per ſolam mutationem hominis ad ejus ſiniſtram ſe collocantis; & ſtatua dicitur propriè viſa per ſolius potentiæ viſivæ mutationem: unde ſimiliter Deus propriè factus eſt homo per mutationem ſolius humanitatis Unionem hypoſtaticam in ſe recipientis.

Obj. 3. Si eſſet vera hæc propoſitio, *Deus factus eſt homo*, vera etiam eſſet hæc, *Deus factus eſt hic homo*; quandoquidem homo in prima propoſitione non ſumatus pro homine univerſali, ſed particulari, atqui hæc eſt falſa: ergo & illa. Prob. Min. Quia hic homo eſt Deus, & conſequenter ſi diceretur, *Deus factus eſt homo*, eſſet dicere, *Deus factus eſt Deus*.

Reſ. N. Min. Ad Prob. Diſt. Aſſump. Hic homo eſt Deus, id eſt, perſona Verbi prout ſubſiſtens in natura Divina eſt Deus, Con. id eſt, perſona Verbi prout ſubſiſtens in natura humana eſt Deus, N. Quando autem dicimus, quòd Deus factus ſit hic homo, intelligimus, quòd factus ſit ſubſiſtens in natura humana, non autem in Divina.

Obj. 4. Falſa eſt hæc propoſitio, *Chriſtus factus eſt homo* ergo & hæc *Deus factus eſt homo*.

Reſp. Neg. Conſequent. Diſparitas eſt quod Deus præſupponatur ad actionem, per quam fit homo, non ſic Chriſtus: unde ſicut malè diceretur, *homo factus eſt animal*, quia non eſt prius eſſe hominem, quàm anima; ita malè diceretur, *Chriſtus factus eſt homo*; quia non eſt priùs eſſe Chriſtum, quàm hominem. Præterea ſi diceretur, *Chriſtus factus eſt homo*, ſenſus eſſet, *homo factus eſt homo*: nam quid aliud eſt Chriſtus, quàm homo Deus, vel Deus homo?

CONCLUSIO II.

LIcèt hæc propoſitio, *homo factus eſt Deus*, poſſit in aliquo ſenſu dici propria, non tamen in ſenſu magis obvio.

Prob. Prima Pars; Quia dicta propoſitio poteſt habere hunc ſenſum, factum eſt, ut homo ſit Deus; atqui per Incarnationem factum eſt revera, ut homo ſit Deus, ſeu ut detur in rerum natura perſona Theandrica, id eſt, quæ Deus ſit ſimul & homo, qualis ante Incarnationem non exiſtebat; ergo illo ſenſu dicta propoſitio eſt vera & propria. Hoc modo intelligendus eſt Scotus 3. d. 3. q. 2. num. 7. dum dicit hanc propoſitionem eſſe veram & propriam: nec ſine gravi fundamento; quandoquidem SS. Patres ita loquantur: Nazianzenus quidem orat. 35. *Hic homo Deus effectus eſt*. Damaſcenus de Fide C. 11. *Verbum caro factum eſt, & caro Verbum, Deus homo & homo Deus*. Auguſtinus lib. 5. de Trinitate C. 13. *Talis enim erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum*. Et in ſenſu à nobis explicato veram eſſe hanc propoſitionem, *homo factus eſt Deus*, etiam ſentit D. Thomas hic art. 7. ad. 2. fatetur tamen poſtea hunc ſenſum non eſſe ita obvium. Et ideo

Prob. Secunda Pars; Quia ſenſus magis obvius eſt ille: *Hic homo*, deſignato Chriſto, *Factus eſt Deus*; atqui hoc ſenſu eſt falſa: ergo &c. Prob. Min. Hic homo eſt nomen ſuppoſiti; atqui falſum eſt, quòd Chriſti ſuppoſitum factum ſit temporaliter Deus, quandoquidem æternaliter & eſſentialiter ſit talis. Præterea, ut homo, ſimpliciter loquendo, fiat Deus, priùs tempore aut natura debet eſſe homo, quàm fiat Deus; quandoquidem priùs ſit rem eſſe, quàm fieri aliquid à ſe diſtinctum; atqui Chriſtus nullo modo fuit priùs homo, quam Deus; quia licèt priùs fuerit humanitas, quam unita Verbo, non tamen priùs fuit homo in Chriſto, quam Deus; cùm homo, ut dixi, ſit nomen ſuppoſiti.

Confirmatur. Priùs eſt hominem eſſe, quam fieri doctum aut divitem: ergo priùs eſt hominem eſſe: quam fieri Deum; quandoquidem tam accidat homini eſſe Deum, quam eſſe divitem aut doctum.

Objici. 1. Vera eſt hæc propoſitio in ſenſu magis obvio, *Deus factus eſt homo*: ergo & hæc, *Homo factus eſt Deus*.

Reſ. N. Conſeq. Diſparitas, quòd Deus & tempore & natura præextiterit homini; homo autem nullo modo præextiterit Deo.

Objici. 2. Vera eſt hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, licèt non fuerit priùs Petrus, quam homo: ergo ſimiliter &c.

Reſ. Diſt Ant. Vera eſt in ſenſu magis obvio, N. nam cum Petrus importet hominem: ſenſus eſſet, *homo factus eſt homo*. In ſenſu concluſione præcedenti explicato, C.

Inſtabis. Petrus factus eſt, non brutum aut aliud: ergo factus eſt homo.

Reſ. Diſt. Conſeq. Factus eſt homo, ſi ſenſus ſit intranſitivus, quaſi diceretur; quando factus eſt Petrus factus eſt homo, C. ſi ſit tranſitivus, ut eſt in hac propoſitione, *homo factus eſt Deus*, N. aliàs ſignificaretur, quòd homo diſtingueretur à Petro.

Objic. 3. Ante Incarnationem homo non erat Deus poſt Incarnationem homo fuit Deus: ergo homo factus eſt Deus.

Reſ. Diſt. Conſeq. Homo factus eſt Deus, id eſt, factum eſt, ut homo eſſet Deus, C. id eſt, homo præexiſtens, factus eſt Deus, N. & ideo admittitur dictam propoſitionem eſſe veram in 1. ſenſu, falſam in 2.

QUÆSTIO IV.

An Chriſtus poſſit dici prædeſtinatus ad Divinitatem, Unionem hypoſtaticam, humanitatem gratiam & gloriam?

CErtum eſt apud omnes Theologos & Catholicos, quòd Incarnatio fuerit verè & propriè prædeſtinata, ſeu ab æterno præordinata: unde hic tantùm dubium eſt de modo loquendi, an ſcilicet Chriſtus debeat dici prædeſtinatus, an Verbum, an natura humana; ante reſolutionem

Suppono 1. Prædeſtinationem, quæ eſt ordinatio alicujus ad finem ſupernaturalem, tria importare, nempe objectum ſeu ſubjectum, & eſt id quod dicitur prædeſtinari; terminum, & eſt id, ad quod ordinatur ſubjectum; & actum prædeſtinandi, qui eſt actus Dei unum ad aliud ordinantis. Hæc omnia patent in Petro ad gloriam prædeſtinato ubi Petrus eſt ſubjectum, gloria terminus, prædeſtinatio actus Dei.

Suppono 2. Subjectum prædeſtinationis debere diſtingui ab ejuſdem termino; quandoquidem nihil dicatur prædeſtinari ad ſeipſum, aut ad aliquid ſui-ipſius: aliàs prædeſtinaretur, ut ſupponitur, & non prædeſtinaretur, quia illud haberet independenter à prædeſtinatione.

Suppono 3. Subjectum prius eſſe, ſaltem natura, ipſo termino; cùm prius ſit ſubjectum eo, ad quod ordinatur.

CONCLUSIO I.

JUxta modum loquendi magis obvium & proprium nec Chriſtus ſimpliciter, nec Chriſtus ut Deus, nec Chriſtus ut homo prædeſtinatus eſt ad Divinitatem, ſeu ad eſſe Filium Dei naturalem.

Prob. Prima Pars: Nullus prædeſtinatur ad id, quod in ſe eſſentialiter includit; cùm ſubjectum & terminus prædeſtinationis debeant diſtingui; atqui Chriſtus includit eſſentialiter Divinam Filiationem, ſeu Filii Divini perſonalitatem: ergo &c.

Prob. 2. Pars: Quia, ultra probationem primæ partis hic à fortiori militantem, ſequeretur Filium Dei ſe-ipſum prædeſtinaſſe ad eſſe Filii Dei; quandoquidem prædeſtinatio ſit actus toti Trinitati communis.

Confirmatur ex Auguſtino Tract. 105. in Joann. *Rectè non dicitur prædeſtinatus ſecundùm id quod eſt Verbum Dei, Deus apud Deum, ut quid enim prædeſtinaretur, cùm jam eſſet*.

Prob. 3. Pars: Chriſtus non prius fuit homo, quàm Deus; ſed, ut dicatur quatenus homo prædeſtinatus ad eſſe Filium Dei naturalem, debet prius fuiſſe homo, quàm Deus; ergo &c.

Minor certa eſt; quandoquidem ſubjectum prædeſtinationis debeat eſſe prius ejuſdem termino. Prob. Maj. Quia non prius Chriſtus fuit homo, quàm fuerit humanitas ejus ſuppoſi-

positata; suppositum autem, per quod suppositatur humanitas, est realiter Filius Dei naturalis. Unde Scotus, qui 3. d. 7. q. 1. Primam partem sustinet, in fine quæstionis de secunda & tertia sic loquitur: *Ideo propriè logicè loquendo neque secundùm quod homo, neque secundùm quod Deus, prædestinatus est Filius Dei naturalis.*

Obj. 1. contra tertiam partem: Rom. 1. de Christo dicitur, *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*: ergo Christus ut homo prædestinatus est Filius Dei naturalis.

Ref. 1. Quòd in textu græco non habeatur *proorizo*, id est, prædestino, sed *orizo*, quod significat quandoque *declararo*: & ideo, juxta Chrysostomum, Theophilactum & alios Interpretes græcos, passus præcedens debet sic intelligi, licèt Christus factus sit secundùm carnem, fuit tamen declaratus Filius Dei miracula patrando, homines justificando, resurgendo à mortuis, Apostolis Spiritum S. mittendo &c. quia tamen editioni græcæ anteponenda est juxta Tridentinum vetus vulgata latina; ideo

Resp. a Paulum non velle, quòd Christus secundùm carnem, seu quatenus homo prædestinatus sit Filius Dei simpliciter, sed *Filius Dei in virtute*, quasi diceret: Christus quatenus homo prædestinatus est ad virtutem nos redimendi, sanctificandi & resuscitandi, licèt virtus illa Deo principaliter competat: unde August. lib. de prædestinatione Sanctorum C. 15. *Prædestinatus est Jesus, ut qui futurus erat secundùm carnem Filius David, esset tamen in virtute Filius Dei.*

Obj. 2. Cum Vasquez & Suarez: Christus ut hic homo non significat suppositum determinatum, sed suppositum abstrahens à Divino & humano: ergo potest prædestinari ad esse Filium Dei.

Ref. Dist. Maj. Non significat suppositum determinatum à parte rei, N. secundùm nostrum concipiendi modum, transeat, sed non prædestinatur res, ut subest tantùm nostro conceptui, sed ut est à parte rei. Præterea hic homo, ut includit suppositum indeterminatum, non est Christus; cùm Christus includat essentialiter suppositum Divinum; & sic corruit status quæstionis.

Obj. 3. Cum Cornelio à Lap. in cap 1. ad Rom quando dicitur Christus ut homo prædestinatus &c. per ly *homo* intelligitur creatura ex humanitate & existentia præcisè, atqui tale concretum non importat subsistentiam seu Filiationem Divinam: ergo potest ad illam prædestinari.

Ref. N. Maj. Quia concretum ex humanitate & existentia non est homo, sed humanitas: aliàs Verbum assumpsisset hominem; cùm assumpserit humanitatem cum existentia unde ad hominem, ultra naturam & existentiam requiritur subsistentia.

Obj. 4. cum aliis: Christus ut homo importat quidem subsistentiam Divinam, non tamen Filiationem: ergo potuit ad illam prædestinari. Prob. Ant. Quia personalitas Verbi importat duas formalitates, quarum una est subsistentia, altera filiatio.

Resp. Distinctionem illam gratis confingi: vel enim concipitur subsistentia (per quam subsistit Christus ut homo) ut subsistentia Filii, vel ut subsistentia præcisè: si primum involvit essentialiter Filiationem, per quam habet esse subsistentiam Filii; si secundum, etiam incarnati sunt Pater & Spiritus S.; quia subsistentia Divina præcisè, sive absolutè sive respectivè sumatur, est ratio quædam communis toti Trinitati.

Obj. 5. Scotus admittit hanc propositionem, *homo factus est Deus*: ergo & hanc, *Christus ut homo prædestinatus est Filius Dei*; quia quidquid fit in tempore, potest ab æterno prædestinari.

Resp. Dist. Ant. Admittit hanc propositionem, *homo factus est Deus* in sensu obvio, N. hoc sensu, quòd factum sit in tempore, ut homo esset Deus, C. & eadem ratione sustineo prædestinatum esse ab æterno, ut Christus esset Dei Filius: unde Augustin in Enchiridio. *Eatenus prædestinatus est Filius Dei, quatenus factus est Filius Dei.* Quasi diceret, eodem sensu est prædestinatus, quo factus: atqui falsum est in sensu obvio, quòd homo factus sit Deus: ergo similiter; & ideo cùm dicitur Christus prædestinatus Filius Dei, *prædestinatus* idem est, quod decretus, quasi diceretur decreta est ab æterno persona, quæ simul esset homo & Dei Filius.

Obj. 6. Vera est hæc propositio, *Petrus est homo*, licèt subjectum includat prædicatum: ergo & hæc, *Christus est prædestinatus Filius Dei.*

Ref. Disparitatem esse, quòd Verbum *est* tantùm significet identitatem hominis cum Petro: & ideo etiam admittimus hanc propositionem, *Christus est Filius DEI*, Verbum autem *prædestino*, significat aliquid de novo advenire subjecto prædestinationis; jam verò non advenit Christo esse Filium Dei; cùm sit talis essentialiter.

CONCLUSIO II.

POtest dici aliquo sensu: Verbum (non Christus) est prædestinatum ad Unionem hypostaticam & humanitatem. Ita Vasquez, Suarez, Richardus & alii.

Prob. Quia Verbum utrique præsupponitur, & ab utroque distinguitur: ergo nihil obest, quod ad utrumque prædestinetur

Dixi: *in aliquo sensu*; quia prædestinatio strictè sumpta est collatio alicujus beneficii; Verbo autem non fuit beneficium esse hominem.

Dixi 2. *non Christus*; quia intrinsecè unionem & humanitatem importat.

CONCLUSIO III.

POtest dici Christus prædestinatus ad gratiam & gloriam. Ita Scotus supra, Vasquez, Becanus, Rada, Felix & alii contra Thomistas, qui volunt gratiam & gloriam esse Christo, ratione Unionis, debitas.

Prob. 1. Quia prædestinatio, juxta Augustinum, nihil aliud est, quàm præordinatio alicujus ad gratiam & gloriam atqui Christus fuit ab æterno præordinatus ad gratiam & gloriam; quandoquidem hanc & illam in tempore receperit: ergo &c.

Prob. 2. Ad strictam prædestinationem sufficit, quòd subjectum prædestinationis non includat terminum, sit prius termino, & terminus sit beneficium; atqui vi Unionis gratiam & gloriam, quæ sunt dona præstantissima, non includit Christus secundùm se, estque illis prior, cùm respectu Christi sint adventitia: ergo &c.

Obj. 1. Christus est essentialiter beatus: ergo includit gloriam.

Resp. Dist. Ant. Est essentialiter beatus ratione Divinitatis C. ratione humanitatis, N.

Obj. 2. Christo vi Unionis debentur gratia & gloria: ergo non sunt Christo Beneficia: adeoque non fuit ad illas prædestinatus.

Resp. Dist. Ant. Christo vi Unionis debentur gratia & gloria ex debito justitiæ aut quasi justitiæ, N. ex debito solius congruentiæ, C. sed cum tali debito stat ratio beneficii.

Obj. 3. Homo non prædestinatur ad suas passiones, v. g. ad risibilitatem: ergo nec Christus ad gratiam & gloriam. Prob. Conseq. Quia gratia & gloria respectu Christi sunt quodammodo passiones.

Resp. Neg. conseq. ad Prob. dist. assumpt. sunt quodammodo passiones physicæ, N. passiones morales, in quantùm ex decentia sequi debent Unionem hypostaticam, transeat Cur autem possit quis prædestinari ad passionem moralem, non physicam, inde oritur, quòd moralis non identificetur subjecto, sicut physica.

Obj. 4. Prædestinatio, tantùm terminatur ad id, quod præstantius est in prædestinato: atqui in Christo præstantior est Unio hypostatica, quàm sit gratia aut gloria: ergo &c.

Ref. Majorem gratis esse ab Adversariis confictam, quandoquidem non tantùm sit contra Concilium Valentinum c. 3. contra Augustin. 15. de prædestinat. Sanctorum ubi dicit Christum prædestinatum esse, ut sit caput nostrum, & tract. 10. in Joan. ubi dicitur Christus prædestinatus ad resurrectionis claritatem: sed etiam contra communem usum loquendi, quo dicimus aliquem prædestinatum esse ad Episcopatum, Apostolatum, Papatum &c. licèt illa sint beatitudine inferiora. Ex dictis

Resol. 1. Christum posse dici simpliciter & sine addito prædestinatum: valet enim consequentia Christus fuit ad gratiam & gloriam prædestinatus: ergo fuit prædestinatus.

Resol. 2. Aliqua dici de Christo, quæ non dicuntur de Verbo: quandoquidem Verbum non possit dici ad gratiam & gloriam prædestinatum: unde in hoc syllogismo: *Christus est prædestinatus ad gloriam; atqui Christus est Verbum: ergo Verbum fuit prædestinatum ad gloriam*, sunt quatuor termini, quia Christus in Majori supponit pro humanitate, in Minori pro personalitate.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An Christus, ut homo, sit Filius Dei naturalis?

SUppono 1. Filiationem naturalem esse originem seu processionem viventis à vivente in similitudinem naturæ unde filiatio naturalis fundatur immediatè in natura simili naturæ generantis in specie.

Suppono 2. Tanquam de fide Christum ut Deum esse Filium Dei naturalem; quandoquidem procedat à Patre in similitudinem naturæ, ut suo loco dictum est. Imò idem dicendum est de Christo simpliciter; quandoquidem sit essentialiter secunda Trinitatis persona, quam diximus esse Filium Dei naturalem.

Suppono 3. Christum etiam ut hominem posse dici Filium Dei naturalem extrinsecè & per communicationem idiomatum: nam si hoc sensu veræ sint hæ propositiones: *Homo est Deus*, *homo est Filius Dei naturalis*, quidni & hæc, *Christus ut homo, est Filius Dei naturalis*, saltem si particula *ut* sumatur tantùm specificativè. Quæstio tamen nostra intelligi debet in sensu formali.

CONCLUSIO I.

CHristus, ut homo, non est Filius naturalis totius Trinitatis. Ita DD. Angelicus, Seraphicus & Subtilis estque communis contra Vasquez, Suarez, Becanum & paucos alios.

Prob. 1. Authoritate D. Augustini lib. 2. de Trinit. c. 50, ubi ait: *Neque enim Jesus etiam Spiritus S. Filius, aut etiam suus Filius credi aut intelligi potest*.

Prob. 2. Quia filiatio illa fuit omninò inaudita apud Scripturam, Patres, concilia, imò & apud Theologos omnes, qui ante præfatos authores floruerunt.

Prob. 3. Filius naturalis est vivens procedens à vivente in similitudinem naturæ; atqui Christus, ut homo, non procedit à tota Trinitate in similitudinem naturæ: ergo &c. Prob. Min. Christus, ut homo, tantùm considerari potest vel secundùm humanitatem, vel secundùm suppositum. Si secundùm suppositum, de fide est esse Filium naturalem solius Patris: si secundùm humanitatem, plusquam certum est, non procedere in similitudinem naturæ; quandoquidem natura Divina toti Trinitati communis, specie & plusquam specie differat à natura humana.

Obj. 1. Matth. 13. Dixit tota Trinitas de Christo ut homine: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: ergo Christus, ut homo, est filius totius Trinitatis. Prob. Ant. Ab eodem processerunt voces illæ, *hic est Filius meus dilectus*, à quo processit ly *complacui*; atqui ly *complacui* processit à tota Trinitate; quia *complacui, totam simul Trinitatem comprehendis*, inquit Adrianus I. ergo

Res. Neg. Ant. Quia, juxta Augustinum & Hieronymum solus Pater per voces illas loquebatur, licèt tanquam effectus ad extra à tota Trinitate efformaretur.

Ad Probationem dico, Adrianum tantùm velle quòd omnes Trinitatis personæ sibi in Christo homine complacuerint; licèt solus Pater Verbum *complacui* dixerit.

Obj. 2. Rom 8. dicitur: *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; atqui tota Trinitas tradidit Christum ut hominem: ergo ut homo est Filius proprius seu naturalis totius Trinitatis.

Res. Quòd licèt tota Trinitas tradiderit; cùm traditio illa sit actio ad extra; hic tamen de solo Patre dicitur, quòd non pepercerit & tradiderit, sicut tantùm respectu Patris dicitur Filius, non quidem ratione humanitatis, sed ratione suppositi Divini in Christo homine inclusi.

Obj. 3. Natura Divina fuit communicata Christi humanitati: ergo Christus, ut homo, debet dici Filius totius Trinitatis. Prob. Conseq. Quia in filiatione magis attenditur natura communicata, quàm modus, quo communicatur.

Resp. N. Conseq. & ejus probationem; quia si hoc esset, nulla foret ratio, cur Spiritus S. non esset Filius; quandoquidem natura divina fuerit ipsi communicata, & quidem intimiùs, quàm Christi humanitati: huic enim tantùm extrinsecè, illi intrinsecè communicata fuit: unde sicut Spiritus S. non dicitur Filius, quia naturam Divinam non habet per generationem; ita nec Christus, ut homo, propter eamdem rationem.

Obj. 4. Christus, ut homo, habet esse Filium Dei naturalem per unionem; atqui hæc est à tota Trinitate: ergo Christus, ut homo, est Filius totius Trinitatis.

Res. Dissimulato Antecedente, scil. Quòd Christus ut homo sit Filius Dei naturalis, Dist. Ant. Habet esse Filium Dei per unionem, tanquam per applicationem formæ constituentis, C. tanquam per ipsam formam constituentem, N. Ipsa enim est Filiatio Divina, quæ, cùm sit à solo Patre, ita Christus, ut homo, solius Patris est Filius.

CONCLUSIO II.

CHristus, ut homo, potest dici aliquo sensu Filius naturalis Dei Patris. Ita communiter Thomistæ & Scotistæ quam plurimi.

Prob. 1. Ex Script. Rom. 8. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; atqui Christus solùm ut homo, seu ex Virgine natus fuit pro nobis traditus: ergo ut homo est filius naturalis Dei Patris.

Prob. 2. Ex Concilio Francofordiensi contra Elipandum determinante, Christum esse Filium Dei naturalem: & ne diceretur Concilium locutum fuisse de Christo ut Deo Adrianus in Epist. qua Concilium approbavit, sic loquitur: *Animadverte, quia nihil vobis restat, ut secundùm Divinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem: Hic est Filius meus, sed potius super humanitatem*. Idem habet liber Sacro syllabus ejusdem Concilii: dicit enim: *Secundum carnem, videlicet David, Filius dictus, non secundùm Divinitatem*.

Nec dicas loqui de Filio hominis: nam sequentia verba expressissimè ostendunt loqui de Filio Dei.

Prob. 3. ratione: sæpissimè in Scriptura, Patribus & Conciliis vocatur Christus ut homo Filius Dei; atqui probabilius est, quòd non sit Filius adoptivus, ut dicemus quæst. seq. ergo naturalis. Dicitur autem Filius naturalis Dei Patris, quia Christus eadem filiatione est Filius Dei naturalis in natura humana, qua est Filius Dei naturalis in natura Divina, in hac autem solius Patris Filius est.

CONCLUSIO III.

UT hæc propositio, *Christus ut homo est Filius Dei naturalis*, sit vera, ly ut non debet determinare humanitatem in recto, sed suppositum. Unde falsa est hæc, *Humanitas suppositata à Verbo est Filius Dei naturalis*; vera autem hæc: *Suppositum in humanitate subsistens est Filius Dei naturalis*: & hoc sensu diximus conclusione præcedenti, quòd Christus ut homo sit Filius Dei naturalis,

Prob. prima pars: Ille solus est Filius Dei naturalis, qui procedit à Deo per naturalem & æternam generationem; atqui Christus secundùm humanitatem non procedit à Deo per talem generationem: ergo &c.

Prob. secunda pars: Christus ut homo, est verè Filius Dei naturalis, ut diximus; atqui non est talis ratione naturæ ergo ratione suppositi.

Notandum tamen particulam *ut* non determinare in recto suppositum Divinum, ut reduplicativè habet subsistere in humanitate, aliàs sensus esset quòd Christus esset Filius Dei naturalis, quia subsistit in natura humana; quod est apertè falsum; sed determinat suppositum Divinum ut specificativè in humanitate subsistit, ita ut ly *Christus ut homo*, idem sonet ac Christus subsistens in humanitate.

Obj. 1. Si Pater Divinus assumeret humanitatem, ut homo non posset dici Pater Verbi Divini: ergo nec Christus ut homo potest dici Filius Patris. Prob. Ant. Quia ut homo non generaret Verbum.

Res. Neg. Ant. Quia eadem est ratio utrobique. Ad Prob. Distinguo Assumpt. Ut homo reduplicativè, C. ut homo specificativè, N.

Obj. 2. Inde sequitur, si Verbum assumpsisset naturam equi, quòd ut equus esset Filius Dei naturalis; atqui hoc est absurdum: ergo &c.

Res. N. Min. Quia non potius videtur esse absurditas quòd Verbum subsistens in natura equina sit Filius Dei naturalis, quàm quòd Verbum suppositet naturam equi.

Obj. 3. Filius Dei fuit ab æterno; atqui Christus ut homo non fuit ab æterno: ergo &c.

Res. Dist. Non fuit ab æterno secundùm id quod importat ex parte naturæ humanæ, C. secundùm id quod importat ex parte suppositi, N.

Obj. 4. Filius naturalis debet esse in natura similis illi, à quo procedit; atqui Christus ut homo non est similis in natura Patri æterno: ergo &c.

Resp. Dist. Min. Non est similis Patri æterno in natura assumpta, C. in natura propria, N. Christus autem ut homo specificativè, importat naturam Divinam, per quam assimilatur Patri; quandoquidem idem sit quod subsistens

sistens in humanitate, talis autem, cùm sit Deus, etiam importat Divinitatem.

Obj. 5. Si Christus ut homo esset Filius Dei rationalis, deberet subsistentiam Verbi uniri humanitati ratione filiationis; atqui hoc non fit: ergo &c. Prob. Min. Quia aliàs etiam humanitas diceretur Filia Dei naturalis, imò diceretur genera-ta generatione Divina, cùm filiatio illa sit passiva generatio Divina.

Res. Neg. Min. Ad Prob. Dico, denominationes Filii aut Filiæ tantum competere supposito, & sic humanitas non dicitur filia. Item nec dicitur genita generatione Divina, quia prædicata, quæ tribuuntur Verbo, non tribuuntur humanitati in abstracto: unde sicut humanitas assumpta non dicitur omnipotens, æterna, immensa &c. Ità nec dicitur genita generatione Divina.

QUÆSTIO VI.

An Christus, ut homo, sit Filius Dei adoptivus?

Certum est quòd Christus ut Deus nullo sensu dici possit Filius Dei adoptivus; quandoquidem ut sic sit essentialiter Filius Dei naturalis, habens in se necessariò & intrinsecè Divinam hæreditatem, qua per essentiam fruitur. Sed de Christo ut homine controvertitur; negant communiter Thomistæ, affirmant quamplurimi Scotistæ; licèt Scotus in hoc sit problematicus, vel potiùs videatur in diversis locis diversimodè loqui. Hoc unum certum est, quæstionem esse de nomine: nam si adoptio necessariò requirat, ut persona adoptanda sit adoptanti extranea (quod probabilius est) Christus etiam ut homo, non potest dici Filius Dei adoptivus cùm respectu Dei non sit persona extranea. Si autem sufficiat naturæ extraneitas, potest dici; quia natura humana est Deo extranea. Et ideo superfluum videtur hanc quæstionem fusiùs tractare, præsertim cùm plurima restent adhuc nobis tractanda.

QUÆSTIO VII.

An Christus ut homo sit Filius Virginis, & qua Filiatione?

CONCLUSIO I.

Christus ut homo est verè & propriè Filius Virginis.

Prob. 1. ex iis Scripturæ passibus, in quibus dicitur simpliciter Filius hominis.

Prob. 2. ratione: B. Virgo est verè & propriè Christi Mater, ut concedunt omnes: ergo Christus verè & propriè est Virginis Filius, cùm illa sint correlativa.

CONCLUSIO II.

Filiatio, qua Christus constituitur Filius Virginis est realis; adeoque dantur in Christo duæ Filiationes reales: una æterna, qua refertur ad Patrem; altera temporalis qua refertur ad Matrem. Ità Scotus 3. d. 8. q. unica cum suis contra Thomistas communiter, qui volunt Filiationem illam tantùm esse relationem rationis, sicut est in Deo relatio Creatoris, Domini &c.

Prob. 1. Non minus Christus est realiter Filius Virginis, quàm Virgo sit Mater Christi; atqui B. Virgo est Mater Christi per maternitatem realem, ut docent etiam Adversarii, ergo & Christus per Filiationem etiam realem.

Retorquebis argumentum. Non minus Deus est Creator, quàm opera ejus sint creaturæ; atqui opera ejus sunt creaturæ per relationem realem: ergo & Deus Creator per relationem etiam realem.

Res. Disparitatem esse, quòd Deus ratione suæ immutabilitatis sit omninò incapax novæ formæ realis; Christus autem, licèt sit incapax talis formæ ratione suppositi, est tamen capax ratione humanitatis, in qua subjectatur præfata filiatio.

Prob. 2. Talis est relatio, qualia sunt extrema, fundamentum & ratio fundandi; atqui hæc sunt realia: ergo & illa realis. Major certa est. Prob. Min Quia extrema sunt Christus & ejus Mater, fundamentum natura humana, & ratio fundandi generatio passiva, quæ omnia sunt realissima.

Prob. 3. Independenter ab omni actu intellectus, Christus est Filius Virginis: ergo independenter ab omni actu intellectus habet filiationem, adeoque realem: cùm non detur denominatio nova realis sine nova forma reali.

Dices, Christum esse Filium Virginis per relationem non in ipso, sed in Matre receptam, sed

Contra est, quòd maternitas, qualis est relatio in matre recepta, non possit aliquem denominare Filium, sicut nec potest filiatio denominare matrem, ut per se patet.

Prob. 4. Si Christus genuisset hominem, habuisset paternitatem realem ratione generationis activæ: ergo & nunc habet filiationem realem ratione generationis passivæ; cùm non minùs generatio passiva sit realis, quàm activa.

Obi. 1. Cum aliquibus antiquis. Eadem filiatione refertur Christus ad Matrem, qua refertur ad Patrem: ergo superfluit filiatio temporalis. Prob. Ant Quia quilibet homo unica relatione refertur ad patrem & matrem.

Resp. Neg. Ant. Ad prob. dico, disparitatem esse, quòd homo purus respiciat patrem & matrem per modum unius principii ejusdem generationis; Christus autem respiciat Patrem & matrem tanquàm principia diversarum generationum Patrem quidem tanquam principium generationis Divinæ, Matrem verè tanquam principium generationis temporaneæ.

Obj. 2. Si daretur filiatio realis in Christo, vel subjectaretur in natura humana, vel in supposito; neutrum dici potest ergo &c. Prob. Min Non in supposito, aliàs Deus mutaretur non in natura, aliàs denominaretur filia

Resp. Quòd subjectetur in natura, quæ propterea non debet denominari filia; quia licèt natura respectu illius filiationis sit subjectum inhæsionis, non tamen denominationis,

Inst. 1. Non potest aliquid esse subjectum inhæsionis, nisi sit etiam denominationis: ergo &c. Prob. Ant. Quia impossibile est formam communicari subjecto, & non tribuere illi effectum suum formalem primarium; & consequenter impossibile est filiationem inhærere naturæ, & non denominare ipsam filiam, cùm dare esse filiale sit effectus primarius filiationis.

Res. Neg. Ant. Ad Prob. Dico, quòd licèt concederetur naturam habere esse filiale, non tamen debet concedi esse filiam; quia usus communis, à qua præcisè dependent denominationes, voluit, ut nomen filius & filia supposito tribueretur, & non naturæ.

Inst. 2. Usus invaluit, ut accidentia, quæ denominant totum ratione partis, etiam denominent ipsam partem: ergo si suppositum denominetur filius ratione naturæ, etiam natura debet denominari filia. Prob. aut. Ex eo enim quòd Christus dicatur volens, intelligens &c. ratione humanitatis etiam ipsa humanitas dicitur volens, intelligens &c.

Resp. Dist. Ant. Usus invaluit, ut omnia accidentia &c. N. ut aliqua, C. & hoc patet in voce *natum*, quod denominat suppositum ratione naturæ, nec tamen denominat naturam.

Obj. 3. Ut Christus dicatur verè & propriè Filius Virginis non requiritur illa relatio: ergo superfluit. Prob. Ant. Quia Deus dicitur verè & propriè creaturarum Dominus sine ulla relatione reali.

Res. 1. Argumentum illud nimium probare, adeoque nihil; probat siquidem omnem prorsus superfluere relationem realem; nam si possit quis verè & propriè dici Filius sine filiatione reali, poterit etiam verè & propriè dici pater sine paternitate reali.

Resp. 2. Ut Christus dicatur verè & propriè filius fundamentaliter & absolutè, quo sensu dicitur Deus creaturarum Dominus, non requiritur ulla relatio, C. ut dicatur formaliter & relativè, N. ideo licèt Petrus v. g. adhuc dicatur Filius, mortuis parentibus, non est tamen formaliter & respectivè talis.

Obj. 4. Ex sententia nostra sequitur, Christum posse esse Filium Dei adoptivum. Prob. Sequela, ut Christus sit Filius naturalis B. Virginis, sufficit, quòd Filiatio naturalis subjectetur in natura sola; atqui Filiatio adoptiva etiam suo modo subjectari potest in Christi humanitate: ergo &c.

Resp. Neg. Sequelam. Ad Prob. Dist. Min. Filiatio adoptiva potest subjectari in Christi humanitate, & hoc sufficit ad Filium adoptivum, N. & ultra requiritur ut Filiatio adoptiva suo etiam modo afficiat suppositum, C. unde sicut requiritur ad adoptionem extraneitatis tum naturæ, tum suppositi (quod non reperitur in Christo respectu Dei) ita & requiritur ut adoptio utrumque afficiat.

Obj. 5. Filiatio Divina non subjectatur in natura, sed in supposito: ergo, cùm Filiatio humana non possit subjectari in supposito Christi, non datur.

Resp. Filiationem Divinam subjectari quidem in supposito, vel potius esse ipsummet suppositum; Filiationem autem humanam subjectari, non in supposito, sed in natura; quia,

cùm

cùm Filiatio sequatur immediatè generationem; in Divinis autem solum generetur suppositum, & in humanis sola natura, non est mirum, quòd Filiatio humana subjectetur in natura, & Divina in supposito; imò, cum suppositum, secundùm nos consistat in negatione, non potest esse subjectum Filiatinnis realis, sicut potest generari.

QUÆSTIO VIII.

An Christus, ut homo, sit servus Dei?

SUppono 1. servum dici illum, qui non est sui juris, sed alterius, saltem quoad actiones suas.

Suppono 2. Servitutem assignari ordinariè duplicem, naturalem unam, secundùm quam creatura quælibet vi suæ creationis ita in omnibus Deo subjicitur, ut possit pro libitu de illa aut per illam facere quidquid voluerit: & legalem alteram seu politicam, secundùm quam bello capti, aut justo titulo venditi alterius dominio subduntur: addunt aliqui tertiam, nempe servitutem peccati, quam incurrunt peccatores juxta illud Joan. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

Suppono 3. Homines & Angelos esse verè & propriè servos Dei:;nam ,;cùm Dominus & servus sint correlativa, Deus autem sit verè & propriè hominum & Angelorum Dominus, sequitur homines & Angelos esse propriè servos Dei, servitute nempe naturali, quæ supremo Dei dominio correlativè opponitur.

CONCLUSIO I.

CHristus ut homo non est servus Dei servitute legali, aut servitute peccati.

Ratio est; quia utraque servitus, utpote vilis, dedecet Christi dignitatem. Præterea nunquam fuit jure belli captus aut venditus, sicut nec peccato coinquinatus.

CONCLUSIO II.

CHristus ut homo fuit verè servus Dei servitute naturali. Ita cum Scotistis communiter Thomistæ contra Vasquez, Becanum, Lugo, Bonæ spei, & alios. Prob. 1. Ex Scriptura Zachariæ 3. *Ecce ego adducam servum meum.* Isaiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum* & 53. *Justificabit ipse justus servus meus multos*, & alibi.

Nec Dicas tantùm esse locutiones veteris testamenti, & quidem figuratas; nam 1. æquè vetus testamentum est Verbum Dei ac novum, in quo etiam dicitur ad Philipp. 2. Christum formam servi accepisse. 2. Scriptura sacra in sensu proprio sumenda est, quando inde non sequitur aliquod inconveniens, quale non est, quòd Christus secundùm humanitatem dicatur servus Dei.

Prob. 2. Ex Patribus, Cyrillo lib. 12. Thesauri c. 15. *Servus factus est, quia verè homo:* Athanasio serm. 3. *Nihil discriminis attulerit, sive servus, Filius hominis appelletur.* Chrysostomo serm. 7. *Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma servi perfectus est servus.* Gregorio lib. 2. Moralium c. 16 *Bene etiam dictum est servus dicitur, qui formam servi suscipere dignatus est.* Augustino Ep. 178. *Non solùm subditum sed & servum*, nempe Christum, *evidentissime confitemur.* Idem habent Nazianzenus, Hilarius, Fulgentius, Isidorus, Bernardus & alii.

Prob. 3. ratione Dominus & servus correlativè se habent ad invicem, atqui Deus est verè & propriè Dominus Christi ut hominis: ergo Christus ut homo est verè & propriè servus Dei. Major certa est. Prob. Min. Ideo, secundùm omnes, Deus est verè & propriè Dominus aliorum hominum, quia ab eo dependent in esse, fieri, conservari & operari; atqui Christus ut homo similiter dependet à Deo, cùm Deus ipsum produxerit, annihilare possit, & omnes ejus actiones aut impedire, aut tanquam debitas exigere potuerit: ergo &c.

Confirmatur 1. Non potest Deus non esse Dominus omnium creaturarum, cùm in ipsas dominium habeat inabdicabile; atqui Christus ut homo est creatura, ut suo loco diximus: ergo Deus est illius Dominus, & consequenter Christus qua homo Dei servus.

Confirm. 2. Christus ut homo Deum precatus est, coluit, adoravit &c. ergo ipsum agnovit Dominum, & consequenter seipsum servum. Antecedens certum est. Prob. Conf. quia oratio, cultus & adoratio sunt actus Religionis; Religio autem respicit Deum ut supremum Dominum.

Obj. 1. Concilium Francofordiense & Adrianus primus condemnarunt Elipandum asserentem Christum ut hominem esse servum Dei: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. condemnarunt Elipandum præcisè quia asserebat Christum ut hominem esse servum Dei. N. quia asserebat esse servum tum ratione naturæ tum ratione suppositi humani, quod Nestoriani in Christo agnoscebant cum supposito Divino, C. unde nec Concilium, nec Papa servitutem præcisè excludunt è Christo sed servitutem multiplicantem supposita.

Obj. 2. Quosdam SS. Patres asserentes in terminis Christum non esse servum Dei.

Res. SS. Patres tantùm velle vel Christum non esse servum Dei purum cum exclusione Domini, ut Aug. vel non servum cum multiplicatione suppositorum, ut Cirillus & Damascen. vel non servum peccati, ut Leo Magnus.

Obj. 3. Christus ut homo est Filius Dei naturalis: ergo non est ejus servus.

Res. Dist. Ant. Est Filius Dei naturalis ratione suppositi humanitatem suppositantis C. ratione humanitatis præcisè, secundùm quam dicitur servus, N. non implicat autem, ut idem secundùm diversa sit Filius & servus, sicut non implicat; quòd sit servus & Dominus.

Obj. 4. Servus non habet communicationem cum Domino in bonis, honore & sede; atqui Christus ut homo communicat cum Deo in bonis, cùm habeat subsistentiam Divinam, in honore, cùm adoretur cultu latriæ; in sede, cùm sedeat à dextris Dei: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Servus legalis sive politicus, C. servus naturalis, N. disparitas est, quòd servitus legalis sit conditio misera trahens secum vilitatem & pœnæ tationem, servitus autem naturalis, sit conditio fœlix importans quamdam ingenuitatem & nobilitatem; cùm Deo servire, regnare sit: sic non est mirum quòd prima excludat communicationem in bonis, non secunda.

Obj. 5. Per Unionem hypostaticam nobiliùs conjungitur humanitas Verbo, quàm per matrimonium ancilla domino; atqui hæc per matrimonium desinit esse serva: ergo & illa per dictam Unionem.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd humanitas verbo unita semper remaneat creatura, adeoque essentialiter Deo subjecta & serva; ancilla autem per matrimonium fiat Domino compars & æqualis.

Obji. 6. Ad veram servitutem requiritur, ut Dominus & servus personaliter distinguantur; atqui si Christus ut homo esset servus, eadem persona esset servus & Dominus: ergo &c.

Res. dist. Maj. Ut personaliter distinguantur, vel formaliter, vel æquivalenter, C. necessario formaliter; N. sufficit enim quòd una persona subsistat in duabus naturis, quarum una sit creata, altera increata; quia tunc ut subsistens in natura est verè servus, sicut est inferior & obediens, ut subsistens autem in natura increata, est verè Dominus, sicut est verè superior & imperans. Ex quo sequitur, quòd idem sibi imperet & obediat, dominetur & famuletur sub diverso respectu, in quo nulla reperitur contradictio.

Inst. 1. Philosophus 8. Ethicorum c. 11. asserit servo & Domino nihil esse commune: ergo debent distingui formaliter secundùm supposita.

Res. Philosophum loqui de servitute legali, ubi homo subjicitur homini; vel, si loquatur etiam de naturali dicendum est ignorasse mysterium illud, in quo unicum suppositum subsistit in duabus naturis, estque utrique commune.

Inst. 2. Damascenus C. 21. dicit Dominationis & servitutis nomina non indicare naturas, sed supposita, & ideo concludit: *Qui servum eum dicunt, unum Christum instar Nestorii in duos dividunt.*

Res. Damascenum loqui de servitute pura & completa, id est, tam ex parte suppositi, quàm ex parte naturæ, qualis reperitur in hominibus puris, qui tam secundum suppositalitatem, quàm secundùm naturam Deo subjiciuntur: & sic sumpta servitus non indicat naturas solitariè sed totum suppositum ex natura & suppositalitate resultans; & ideo bene infert, quòd qui Christum servum dicunt illa servitute ipsum in duos dividant, seu multiplicent in eo supposita.

DISPUTATIO IX.

De communicatione idiomatum.

QUÆSTIO I.

Quid ſit idiomatum communicatio, an detur, & in quo ſubjectetur?

CONCLUSIO I.

COmmunicatio idiomatum eſt naturæ Divinæ & humanæ, earumque proprietatum in concreto de ſe invicem prædicatio.

Dicitur 1. *Naturæ Divinæ & humanæ*; quia uſus invaluit apud Theologos, ut hæc communicatio etiam extendatur ad mutuam prædicationem naturarum, ita ut dicatur: *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, licèt in rigore tantùm importet communicationem proprietatum: idioma enim tantùm ſignificat latinè proprietatem.

Dicitur 2. *In concreto*; quia ſi naturæ aut proprietates de ſe invicem in abſtracto prædicarentur, falſæ eſſent propoſitiones, ut poſtea dicetur: & ideo turpiter errant quidem Lutherani tribuentes prædicata Divinæ naturæ Chriſti humanitati in abſtracto, & dicentes ipſam eſſe æternam, omnipotentem, omniſciam, ubique præſentem, unde ubiquiſtæ dicti ſunt.

Dicitur 3. *De ſe invicem prædicatio*; ita ut in concreto non tantùm natura humana de Divina, aut proprietas unius de proprietate alterius, ſed etiam natura de proprietate naturæ alienæ, aut proprietas de natura aliena prædicetur: unde non ſolùm dici poteſt: *Deus eſt homo, mortalis eſt immortalis*, & è contra; ſed etiam, *Deus eſt mortalis, homo eſt omnipotens &c.*

CONCLUSIO II.

DAtur reipſa in Chriſto idiomatum communicatio, Eſt de fide contra Neſtorianos, qui ponentes in eo perſonam duplicem, Divinam unam, humanam alteram, negabant conſequenter prædicata filii Dei poſſe dici de Filio hominis, & è contra prædicata Filii hominis de Filio Dei; licèt admitterent utraque dici de Chriſto; quia, ſecundùm ipſos, duas includebat perſonas: unde dicebant Chriſtum eſſe æternum ratione perſonæ Divinæ, & temporaneum ratione perſonæ humanæ.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ agens de Chriſto humana tribuit Deo, & Divina homini, ut Primæ ad Corinth. 2. ubi Dominus gloriæ ſeu Deus dicitur crucifixus. Et Rom. 6. dicitur Filius Dei pro nobis traditus, è contra verò Joan. 8. dicit Chriſtum hominem eſſe antequam Abraham fieret, quæ non poſſunt intelligi niſi per idiomatum communicationem.

Prob. 2. Ex Symbolo Apoſtolorum, ubi legimus Filium Dei unicum de Spiritu Sancto conceptum, de B. Virgine natum, paſſum ſub Pontio, crucifixum, mortuum, ſepultum &c.

Prob. 3. Ex Concilio Epheſino, ubi definitur, contra Neſtorium, Mariam eſſe Dei matrem; quia ille homo, cujus eſt mater eſt verè Deus. Idem ſentiunt alia Concilia & præſertim quinta Synodus generalis act. 8. can. 10 Ubi habetur: *Si quis non confitetur Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, qui crucifixus eſt in carne, verum eſſe Deum, anathema ſit.*

Prob. 4. Ex Patribus, qui non tantùm idiomatum communicationem uſurpant; ſed etiam ita eſſe loquendum paſſim affirmant. Vide Suarez Diſp. 35. Sect. 1.

Prob. 5. Ratione, quæ petitur ex unitate ſuppoſiti: unde ſicut dicitur: *Album eſt dulce, & dulce eſt album*, quia eſt unicum ſubjectum, nempe lac, habens albedinem, ita bene dicitur: *Homo eſt Deus, & Deus eſt homo*; quia eſt unicum ſuppoſitum habens naturam Divinam & humanam: in his enim propoſitionibus datur vera identitas prædicati cum ſubjecto; quia hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, æquivalet illi: *Suppoſitum habens Divinitatem eſt ſuppoſitum habẽs humanitatem*: quod veriſſimum eſt. Nec propoſitio illa debet dici identica; quia licèt idem prædicetur de ſeipſo, ut fieri debet in omnibus propoſitionibus veris, non tamen eodem modo, cùm prædicatum aliud importet in obliquo quàm ſubjectum.

Obj. 1. Contra concluſionem. Sunt aliqua prædicata naturæ humanæ, quæ non poſſunt Deo attribui, v. g mutabilitas &c. ergo.

Reſp. Neg. Ant. Quia non eſt potius repugnantia, quòd dicatur: *Deus*, deſignato Chriſto, *eſt mutabilis*, quam dicatur, *eſt mortalis, paſſibilis* &c. quamvis tamen, propter periculum erroris, non ſit facilè uſurpanda vox illa ſine reduplicatione, dicendo ſcilicet, *Deus ut homo, vel ſecundùm humanitatem eſt mutabilis*.

Obj. 2 Blaſphemum eſt dicere de Deo, quòd ſit natus, paſſus, mortuus &c. cùm illa importent imperfectionem: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant Blaſphemum eſt dicere illa de Deo ratione Divinitatis, C. ratione humanitatis, N. quia ſic non minuimus Dei honorem, ſed è contra maximè extollimus ejus charitatem.

Obj. 3. Si daretur idiomatum communicatio, eſſet propter naturarum duarum unionem, atqui poſt Chriſti mortem ejus cadaver erat unitum Verbo, & tamen non erat idiomatum communicatio: ergo &c. Prob. Secunda pars Minoris: quia illud cadaver non dicebatur amans, intelligens &c. nec Verbum dicebatur cadaver, aut pars naturæ humanæ: ergo &c.

Reſ Neg. Secundam partem Minoris & ejus probationem iſta enim erant vera per idiomatum communicationem: quia per illa tantùm ſignificatur, quòd ſuppoſitum terminans naturam cadavericam ſit intelligens & amans & quod ſuppoſitum habens Divinitatem, terminet naturam cadaveris: quæ omnia ſunt omnia.

Objic. 4. Non poſſunt de eodem verificari contradictoria; atqui ſi daretur idiomatum communicatio, verificarentur contradictoria de Chriſto: ergo &c. Prob. Aſſumpt. Quia diceretur æternus & temporalis, mortalis & immortalis.

Reſp. 1. Diſt. Maj. Non poſſunt verificari contradictoria de eodem ſecundùm idem, C. ſecundùm diverſa, N. Chriſtus autem dicitur mortalis ſecundùm humanitatem, & immortalis ſecundùm Divinitatem.

Reſp 2. Prædicata allegata non eſſe in rigore contradictoria; quia temporalis, immortalis &c. non ſumuntur negativè, ſed poſitivè, ſicut irrationalem in bruto. Et certe ſi ſumerentur negativè, falſæ eſſent propoſitiones: nam falſum eſt dicere de Chriſto, quòd ſit non æternus, non mortalis, non corporeus &c. quia, cùm negatio tollat formam à toto ſubjecto, cui tribuitur, ſequeretur non eſſe in Chriſto corporeitatem, æternitatem &c.

CONCLUSIO III.

FUndamentum communicationis idiomatum eſt duplex. Primum unio hypoſtatica, ratione cujus una & eadem perſona duplicem habet naturam, Divinam ſcilicet & humanam. Secundum eſt, quòd concreta *DEUS & homo*, licèt ſignificent primario naturam, illam tamen ſignificet in obliquo & ſuppoſitum in recto, pro quo ſupponunt: & ideo Deus eſt ſuppoſitum habens Divinitatem, & homo ſuppoſitum habens humanitatem: unde fit, quòd, cùm Chriſtus ſit unicum ſuppoſitum habens Divinitatem & humanitatem, verum ſit dicere, *Deus eſt homo*, & è contrà: quia verum eſt dicere: *Suppoſitum habens Divinitatem eſt ſuppoſitum habens humanitatem*: ex quo ſequitur ulterius proprietatum communicatio: nam quia de Deo dicitur homo etiam dicitur natus, mortalis paſſibilis &c. & è contra, quia de homine dicitur Deus, etiam dicitur omnipotens, æternus &c.

Huic doctrinæ communi adverſatur Vaſq. Diſp. 63. c. 10. volens quod hoc concretum *Deus*, non ſit ſuppoſitum habens Divinitatem, ſed Divinitas exiſtens in ſuppoſito, aut concernentes ſuppoſitum; ita ut ſignificet in recto naturam; & ſuppoſitum in obliquo. Idem dicit cum proportione de voce *homo*; ſed non apparet, quomodo ſtare poſſit illa doctrina cum idiomatum communicatione; nam cùm ſit falſa hæc propoſitio, *Natura Divina exiſtens in ſuppoſito eſt natura humana exiſtens in ſuppoſito*, ſequitur etiam falſam eſſe hanc, *Deus eſt homo*, cùm, ſecundùm ipſum, idem ſignificent; imo inde ſequitur verum eſſe hanc propoſitionem, *Natura Divina exiſtens in ſuppoſito generat*; quia vera eſt hæc, *Deus generat*: quod tamen nullus admiſerit.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint Regulæ communicationis idiomatum?

QUia naturæ in Chriſto poſſunt ſumi vel in concreto, vel in abſtracto, & aliunde illarum combinatio poteſt eſſe vera uno modo, & falſa altero: hinc eſt, quòd non congruè ponamus ſequentes Regulas.

REGULA I.

POssunt tum naturæ, tum earum proprietates concretim sumptæ de se invicem prædicari, si adhibeatur certa limitatio. Sequitur ex dictis superius: unde dici potest *Deus est homo, homo est Deus*. Item *Deus est natus, crucifixus, mortuus, bibit, comedit, ambulat &c.* Similiter *Homo est omnipotens, immensus, æternus, spirat Spiritum Sanctum, creat mundum, justificat impios*. Item dici potest, *temporalis est æternus; immensus est limitatus* & è contra.

Dixi: *Si adhibeatur certa limitatio*: nam 1. Excluduntur concreta importantia fundamentum communicationis idiomatum; & ideo licèt dici possit *Deus est Incarnatus, Verbum est incarnatum*, non potest tamen dici: *Homo est incarnatus*.

2. Excluduntur concreta respicientia humanitatem sine suppositalitate; unde quamvis dicatur humanitas assumpta, assumptione mutata; non tamen dicitur Deus assumptus, aut humanitate assumpta mutatus; quia illa non præsupponunt fundamentum communicationis idiomatum.

3. Concreta importantia suppositalitatem creatam: & ideo non potest dici de persona Divina quòd sit purus homo, quòd sit Filius Dei adoptivus &c.

4. Denique excluduntur concreta, quæ competunt suppositis distinctis ab eo, quod humanitatem assumpsit; quare potest quidem dici, Deus est ingenitus, non tamen hic *Homo est ingenitus*; quia ingenitum competit Deo Patri, non tamen Deo Filio, qui solus humanitatem suscepit.

REGULA II.

NUllo modo possunt naturæ, aut earum proprietates, sive abstractim, sive concretim sumantur, prædicari de naturis aut earum proprietatibus sumptis in abstracto nam falsæ sunt omnes propositiones sequentes, *Divinitas est humanitas*, & è contra: *Item Divinitas est homo, humanitas est Deus. Divinitas est corporea, humanitas est æterna, æternitas est temporalis; mortalitas est immortalis, aut immortalitas &c.* Hujus ratio est quòd in dictis propositionibus nulla sit identitas prædicati cum subjecto, cum natura Divina v. gr. sumpta in abstracto non supponat pro persona: sed pro natura sola, cui falsum est identificari naturam humanam aut proprietates illius; quomodocumque sumatur. Idem dic de natura Divina respectu humanæ, ejusque proprietatum.

Dices 1. In officio Sanctæ crucis dicitur *vita mortua*. Item à Sanctis Patribus dicitur Deitas incarnata, concepta, nata &c. ergo.

Res. Quod sicut Ecclesia & Patres sumunt interdum concreta pro abstractis, ut patet in hymno *Te Deum* à SS Ambrosio & Augustino composito, ubi dicitur: *Tu ad liberandum suscepturus hominem*, id est, humanitatem; ita enim sumunt quandoque abstracta pro concretis, ita ut sensus sit: *Deus est Incarnatus, natus, mortuus &c.* & ideo *vita* superius, ponitur loco Dei, qui est vita essentialis.

Instabis verus est hic syllogismus: *Verbum Divinum concipitur: Verbum Divinum est Deitas: ergo Deitas concipitur*.

Res. Neg. Conseq. Syllogismi: aliàs etiam valeret hic *Verbum Divinum producitur à Patre; Verbum Divinum est Deitas: ergo Deitas producitur à Patre:* quod est apertè falsum: unde in dictis syllogismis variatur appellatio, nam in 1. ly *concipitur* applicatur in Majori Verbo Divino, non ratione Divinitatis, sed humanitatis, & in consequenti applicatur Deitati ratione sui: in 2. autem ly *producitur* afficit in Majori Verbum Divinum ratione suppositi tantùm, & in consequenti Deitatem ratione sui.

REGULA III.

NOmina significantia naturam Divinam, aut ejus proprietates in abstracto, possunt prædicari de Christo quocumque nomine expresso: aliud est de nominibus naturam humanam aut ejus proprietates significantibus: unde dici potest: Christus, Filius hominis, hic homo, est Deitas, æternitas, non tamen humanitas, corporeitas &c. quia Christus supponit pro supposito Divino, cui de facto identificantur Deitas, æternitas &c. non tamen humanitas, corporeitas &c.

Varia hic objicit Lugo, ut ostendat hanc propositionem *Christus est Deitas*, non esse veram: sed ejus rationes probant ad summum non esse veram in sensu formali, licet sit vera in sensu identico, ad quem nos hic, rei veritatem inquirentes, præsertim attendimus.

REGULA IV.

NOn debent prædicari de Christo nomina significantia ipsum esse DEUM aut Dominum tantùm Denominativè: undè malè diceretur: Christus est Deifer, Deificatus, Dominicus &c. quia est Deus & Dominus, non per solam denominationem, sed realiter & essentialiter; & ideo hunc loquendi modum correxit Augustinus in suis retractationibus.

An autem possit dici homo Divinus? negant aliqui, affirmant alii: & his ego (salvo erroris, aut æquivocationis periculo) facile subscribo; quia licèt *Divinum* sit nomen adjectivum usus tamen invaluit, ut non tantum dicamus Divina ea quæ sunt Dei, sed etiam quæ sunt ipsemet Deus unde dicimus personam Divinam, suppositum Divinum, Verbum Divinum, Filium Divinum &c. licèt illa sint realiter Deus, sicut diximus in Petro suppositum humanum, personam humanam, filium humanum, licèt illa sint realiter homo. Ex his tamen malè inferes Christum posse dici Deum humanum, ex eo quòd dicatur homo Divinus, quia usus secundum admittit, non primum. Posset tamen dici Deus humanatus, si *humanatus* sumatur non tanquam adjectivum ab humanitate, sed tanquàm participium à Verbo *humanor*: tunc enim idem significat ac Incarnatus.

REGULA V.

QUæcumque prædicantur de Christo materialiter prædicantur de Verbo Divino & homine, & è contra quæcumque de Verbo Divino & homine dicuntur, etiam de Christo enunciantur: hinc quia Christus est Mediator Dei & hominum, Redemptor generis humani &c. etiam Verbum Divinum & homo tales dicuntur. E contrà quia Verbum Divinum mundum creat impios justificat &c. ita de Christo prædicta dicuntur, sicut & dicitur comedere, ambulare &c. quia homo comedit, ambulat &c. Dixi *de Christo materialiter*; quia quæcumque dicuntur de Christo formaliter, seu quatenus est persona composita, nec de Verbo Divino dicuntur, nec de homine; & ideò non dicitur: *Verbum Divinum constare Divinitate & humanitate*.

REGULA VI.

NOn possunt prædicata Divina enunciari de Christo homine ut homine nec humana de Christo Deo ut Deo, hinc falsò dicitur, *Christus ut homo est Deus omnipotens* &c. Similiter *Christus ut est Deus est homo, Corporeus* &c. quia particula illa reduplicativa denotat prædicatum convenire subjecto ratione naturæ, cui particula affigitur.

QUÆSTIO III.

Satisfit quibusdam Quæstiunculis materiam præsentem concernentibus.

QUæres 1. in quo differant hæ propositiones: *Christus est homo, Jesus est homo, Deus est homo*.

Res. in hoc differre, quòd prima & secunda sint necessariæ quia necesse est personam utriusque naturæ, Divinæ scilicèt & humanæ, designatam per nomen Christi, esse hominem, sicut & personam naturæ humanæ, designatam per nomen Jesus, Tertia autem, est contingens & libera, quandoquidem merè accidat Deo, seu personæ Divinæ esse hominem.

Dices, In illis propositionibus idem est prædicatum nempè homo, & idem subjectum, nempè persona Verbi quæ in concreto dicitur Christus, Jesus, Deus, ergo non differunt.

Res. dist. Ant. Idem est subjectum eodem modo significatum, N. diverso modo, C. nam persona Verbi tripliciter potest considerari, 1. quatenus est præcisè persona naturæ Divinæ 2. Quatenus est persona naturæ humanæ, 3. Quatenùs est persona utriusque. 1. modo significatur nomine Dei, 2. nomine Jesu, qui hunc hominem determinatum significat, sicut Petrus, 3. nomine Christi.

Quæres 2. An in hoc mysterio homo dicatur univocè de Deo & de nobis.

Certum est dici univocè de nobis & de Christo, & à fortiori de Jesu, quia & in eadem significatione & eodem modo, nempe essentialiter, dicitur.

Res. Neg. Quia licèt homo idem significet, cum de Deo & nobis prædicatur, & ideò possit dici aliquo modo prædicatum univocum, ut vult Scotus dist. 7. q. 1. quia tamen non eodem modo prædicatur, cum de Deo dicatur contingenter, & de nobis essentialiter, non dicitur prædicari univocè.

Dices

Dices in hac propositione *Deus est homo*, homo est de essentia subjecti, ergo dicitur essentialiter de Deo, sicut & nobis, adeoque univocè. Prob. Ant. quia *Deus* in dicta propositione supponit pro persona Verbi, quæ, cum subsistat in Humanitate, est essentialiter homo.

Resp. Neg. Ant. ad prob. dist. Assumpt. supponit pro persona Verbi præcisè, cui merè accidit esse hominem, transeat, Pro persona Verbi, quatenus personalizat naturam humanam, N. aliàs nulla esset propositio contingens; nam quando diceremus, *Homo est albus*, *homo* non tantum supponeret pro hoc homine præcisè, sed pro hoc homine ut habente albedinem, illi autem ut sic non est contingens, sed essentiale, esse album.

Dixi: *Transeat*; quia non pauci sustinent, quòd Deus in dicta propositione supponat pro persona Divina vagè, licèt ratione solius personæ Verbi verificetur, crediderim tamen supponere pro persona Verbi determinate, nam sicut in hac propositione: *Deus generat*, Deus determinatur ad personam Patris per ly *generat*; quia ille solus generat, ità in nostro casu, Deus determinatur ad personam Filii per ly *homo* quia ille solus humanitatem assumpsit.

Dices 2. Illa propositio est vera & propria, infertque identitatem prædicati cum subjecto, ergo est essentialis.

Resp. Neg. conseq. Quia illa omnia etiam competunt propositioni accidentali.

Dices 3. Prædicatur substantia de substantia, ergo propositio illa non est accidentalis.

Resp. dist. conseq. Non est accidentalis physicè, idest, non prædicatur accidens physicum de subjecto, sed substantia, C. non est accidentalis logice, idest, non prædicatur, quod nec est essentiale, nec proprietale subjecto, N.

DISPUTATIO X.

De Scientia Christi.

TRiplicem in Christo scientiam, præter Divinam, de qua alibi, agnoscunt communiter Theologi, Beatam scilicet infusam, & acquisitam. Beata est ipsamet visio beatifica, secundùm quam Christus Deum clarè vidit, imò & omnes creaturas, quarum cognitio ejus statui beatifico congruebat. Infusa est, quæ nec labore, nec industria, nec actibus acquiritur, sed per extrinsecum agentis superioris influxum. Acquisita denique est, quæ proprio subjecti labore & industria comparatur: & de hac triplici scientia hic agendum est.

QUÆSTIO I.

An fuerit in Christo scientia beata, quando, quanta & qualis?

CONCLUSIO I.

FUit in Christo scientia beata seu visio beatifica.

Prob. 1. Ex Scriptura Joan. 12. ubi Christus ait: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit*. Et c. 14. *Ut ubi ego sum, & vos sitis*. Ubi satis insinuat se esse in statu beatitudinis, ad quem per sui imitationem invitat fideles. Idem habet aliis locis.

Prob. 2. Idipsum exigebat excellentia Unionis Hypostaticæ, ut ille scilicet, qui Deo conjungebatur personaliter, etiam uniretur intelligibiliter.

CONCLUSIO II.

SCientia illa, seu visio beatifica fuit in Christo homine à primo suæ conceptionis momento. Ità omnes Theologi.

Prob. 1. Ex Scriptura Psalm. 64. *Beatus quem elegisti & assumpsisti*. Per quæ verba intelligit Augustinus ibidem conjunctam esse humanitatis assumptionem cum beatitudine; atqui assumptio illa fuit ab initio conceptionis: ergo & beatitudo. Præterea postquam Joan. 1. dictum est: *Verbum caro factum est*, immediatè post additur, *Et vidimus gloriam ejus*: Quasi vellet dicere, quòd viderit ipsum gloriosum & beatum, eo ipso quo vidit incarnatum.

Prob. 3. Ex PP. Richardo de S. Victore lib. 2. de Emmanuele c. 21. *Quod nos exspectamus in consumatione, illi datum est in sua conceptione*. Et Eusebio lib. 10. demonstrationis Euangelicæ cap. 21. ubi loquens in persona Christi ait: *Cùm adhuc intra cellam gestantis me in utero latere, vivum Deum meum videbam*.

Prob. etiam ratione: fuit in Christo homine visio beatifica, ut ostendimus; sed tota ratio, cur illam habuerit, provenit ex Unione hypostatica: ergo cùm hanc à momento suæ conceptionis habuerit, habuit & illam; præsertim cùm ex tunc plenum habuerit rationis usum. Unde Bernardus homil. secunda super missus. *Neque enim minùs sapiens erat Christus conceptus, quàm natus; parvus, quàm magnus*.

Dices 1. Priùs debuit pati, quàm glorificari; juxta illud Lucæ 24. *Oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam*: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Priùs debuit pati, quàm glorificari modo interiori & invisibili, N. modo exteriori & visibili, cœlos visibiliter ascendendo & penetrando, C.

Dices 2. Joan. 17. sic loquitur Christus: *Clarifica me tu Pater claritate, quam habui, antequam mundus esset*: ergo tunc non habebat claritatem seu visionem beatificam.

Resp. Christum ibi non postulare visionem beatificam, seu Divinitatis suæ manifestationem, ut Judæi præsentes ipsum esse Deum (qualis semper fuit) cognoscerent.

Dices 3. Ad Hebræos 3. *Decebat eum .... per passionem mortis consummare*: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. consummare quantùm ad animæ gloriam, N quantùm ad gloriam corporis, C. Objici solet hic quòd non possint esse simul gaudium & tristitia, sed hujus rei solutionem dedimus agentes de Christi tristitia.

CONCLUSIO III.

SCientia Christi beata fuit ejusdem speciei cum scientia Beatorum: Est communis.

Prob. 1. Ex Scriptura Rom. 8. ubi dicimur: *Hæredes Dei & Cohæredes Christi*: ergo signum est quòd nostra & Christi hæreditas, seu beatitudo sit ejusdem speciei.

Prob. 2. Ratione; quia utraque procedit à potentia & lumine ejusdem speciei, versaturque circa idem objectum formale.

CONCLUSIO IV.

VIsio Christi beatifica fuit perfectior visione cujuslibet creaturæ intellectualis: non fuit tamen infinitè perfecta, aut Divinitatis comprehensiva.

Prob. prima pars 1. Ex Scriptura ad Ephesios 1. Ubi Christus dicitur fuisse constitutus in cœlestibus *supra omnem principatum & potestatem*.

Prob. 2. Ratione: gloria commensuratur gratiæ; atqui Christi gratia habitualis superavit in perfectione gratiam cujuslibet creaturæ intellectualis, ut suo loco dicemus: ergo &c. Prob. Maj. Quia gratia est semen gloriæ. Deinde Christus fuit Filius Dei naturalis, & reliqui omnes, sive homines, sive Angeli, Filii adoptivi: ergo data est illi hæreditas seu beatitudo perfectior, quàm aliis; imò non est improbabile Christum perfectiùs Deum vidisse, quàm omnes Beatos simul etiam collectivè sumptos, ità ut quot gradus reperiuntur in visionibus beatificis omnium Beatorum, sive hominum, sive Angelorum, tot & plures reperiantur in unica Christi visione; quia talis fuit ejus gratia, ut omnes omnium hominum & Angelorum gratias, etiam collectivè sumptas, superaret; ad mensuram autem gratiæ datur gloria, ut diximus.

Prob. secunda pars; quia infinitè perfectum repugnat in creatis: unde dici potest fuisse perfectissimam, seu tantæ perfectionis, ut perfectior in homine dari non posset.

Prob. tertia pars; quia Deus à nulla creatura, cujuscumque perfectionis, potest comprehendi, ut dictum est in 1. Sententiarum; atqui anima Christi, licèt Verbo unita, non egreditur limites creaturæ: ergo &c.

CONCLUSIO V.

CHristi visio beatifica se extendit ad omnia objecta tum actualia, tum possibilia; non quidem actualiter, sed quasi habitualiter. Ità Scotus dist. 14. q. 2. n. 1. Faber, Marsilius, Smising, Herinx post D. Bonaventuram, qui idem sustinet, licèt prædicti Authores differant in modo explicandi: sed ante probationem

Adverte 1. Per *Actualia* nos hic intelligere illa, quæ de facto existunt in aliqua temporis differentia, sive interim sint præsentia, sive præterita, sive futura; per *Possibilia* autem ea intelligimus, quæ nunquam existent, licèt per Dei potentiam possint existere.

Adverte 2. Cognoscere omnia actualiter, idem esse hic quàm in Verbo uno actu vel pluribus actibus eodem instanti elicitis omnia percipere; cognoscere autem quasi habitualiter, est omnia in Verbo esse ità præsentia, ut anima Christi possit quodlibet eorum, quando placuerit, cognoscere, licèt ratione suæ finitatis non possit omnia simul.

Prob. prima pars, nempè quòd se extendat ad omnia, 1. Ex Scriptura Joan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, nempè Filio. Et cap. 16. *Scimus, quia omnia scis*. Item ad Colossenses 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. 2. Ex PP. unanimiter asserentibus Christum nihil ignorasse. 3. Ratione; quia debemus Christo concedere quidquid confert ad majorem ejus gloriam, si aliunde nulla sit contradictio, ut nullam esse hic suo loco ostendemus.

Prob. Secunda pars, nempè quòd non cognoverit omnia actualiter, sed quasi habitualiter. Si anima Christi videret omnia in Verbo actualiter, videret infinita; atqui non potest videre infinita, nisi habeat attentionem infinitam, quæ intellectui Christi hominis, utpotè finito, repugnat: ergo &c. Prob. Maj. Quia omnium creaturarum, non tantùm possibilium, sed nec actualium, assignari potest ab ipso Deo ultima: non quidem possibilium; aliàs posset exhauriri Dei potentia: non etiam actualium: nam sicut non potest assignari ultimus dies æternitatis, ità nec ultima Beatorum cogitatio; quandoquidem non tantùm singulis diebus, sed etiam singulis momentis æternitatis correspondeant innumeræ Beatorum cogitationes. Prob. Min. Quia experientia nostra convincimur eò majorem requiri attentionem, quò plura cognoscuntur objecta: ergo si infinita cognoscantur, infinita requiritur attentio.

Dices 1. Ad cognoscendum objectum infinitum non requiritur attentio infinita: ergo nec ad cognoscenda objecta infinita.

Resp. Dist. Ant. Ad cognoscendum objectum infinitum modo infinito & comprehensivo non requiritur attentio infinita, N. ad cognoscendum modo finito, ut de facto cognoscunt Beati, C.

Dices 2. Ex eo quòd Christus cognoscat omnia actualiter, sequitur illius attentionem esse infinitam extensivè, seu terminativè, non tamen intensivè seu entitativè.

Resp. Quòd attentio ea proportione intendatur, qua extenditur; & consequenter ubi extenditur ad infinita, etiam ipsa intensivè est infinita. Hujus rei veritatem experimur in nobismetipsis, qui advertimus attentionem debere crescere, ubi crescit objectorum multitudo.

Dices 3. Ex hac sententia sequitur, visionem Christi beatificam esse imperfectiorem visione aliorum Beatorum; quandoquidem hi plurima videant actualiter in Verbo, ille autem nonnisi habitualiter.

Resp. Neg. Sequelam; quia licèt negemus Christum omnia videre actualiter, non negamus tamen plurima videre: unde Christus videndo Verbum, videt actu ea omnia, quæ intellectus creatus videre potest simul virtute sua finita: reliqua autem, ad quæ non se extendit virtus illius, videt habitu; quia sunt æqualiter illi præsentia, ita quòd pro libitu possit illa videre actu.

Inst. 1. Nulla est ratio, cur potiùs hæc videat actu, quàm illa, ergo vel omnia, vel nulla videt actu.

Resp. Dist. Ant. Nulla est ratio ex parte objectorum, C. quia omnia æqualiter repræsentantur: ex parte potentiæ, N. cùm enim, ratione suæ limitationis, non possit omnia videre actu, potiùs videt ea, ad quæ terminatur, quàm alia.

Inst. 2. Inde sequitur, contra Apostolum, non esse in Christo omnes Thesauros sapientiæ & scientiæ Dei. Prob. Assump. Quia ille non dicitur habere scientiam, qui tantùm potest scire: ergo &c.

R. Neg. Assumpt Ad Prob. Dist. Ant. Non dicitur habere scientiam, qui tantùm potest scire, & nullo modo habet habitum scientiæ, C. si habeat habitum scientiæ perfectum, N. unde communiter dicimus possidentem habitum Theologiæ perfectum, sive totam Theologiam, esse scientem; quia licèt actualiter illam non contempletur, potest tamen exire in actum pro libitu: & idem fere accidit in nostro casu.

Inst. 3. Christus per visionem beatificam semper est in actu: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Semper est in actu respectu objecti primarii, nempè Dei, C. respectu objecti secundarii, seu creaturarum, N.

Inst. 4. Christus videt objecta secundaria per visionem objecti primarii, atqui semper est in actu respectu objecti primarii: ergo etiam respectu objectorum secundariorum.

Resp. Dist. Conseq. Ergo etiam respectu objectorum secundariorum aliquorum, C. respectu omnium, N. quia licèt omnia præsentia exhibeat Verbum, omnia tamen, ratione suæ finitatis, non potest videre simul.

Inst. 5. Visio beatifica est invariabilis: ergo Christus non potest esse in actu, modò respectu aliquorum, modò respectu aliorum.

Resp. dist. Ant. Est invariabilis respectu objecti essentialis, C. respectu objectorum accidentalium, N.

Inst. 6. Inde habetur Christum modo esse magis, modò minùs beatum, pro ut plura vel pauciora viderit.

Resp. dist. Assumpt. Modò esse magis, modò esse minùs beatum beatitudine essentiali, N. quia illa consistit in sola Dei visione: beatitudine, aut quasi beatitudine accidentali, transeat; quia nullum inde inconveniens.

Dices 5. Ideò negamus Christum videre omnia actu; quia deberet habere attentionem infinitam, sed dicendo videre habitualiter, debemus ponere habitum infinitum: ergo non vitatur inconveniens.

Resp. Neg. Suppositum; quia licèt velimus Christum omnia videre in verbo habitualiter; nolumus tamen id fieri per habitum, ut volunt aliqui; sed per hoc, quòd, essentia Divina omnia simul Christo repræsentante, possit videre quodlibet objectum pro libitu, idque sine ullo labore, eo ferè modo, quo habens habitum scientiæ potest elicere actum ejusdem sine ullo conatu & studio, & ideò dixi in conclusione: *quasi habitualiter*.

Dices 6. Non est imaginabile, quomodo Christus in hac sententia possit videre Anti-christum v. g. ergo &c. Prob. Ant. Non potest videre Anti-christum, nisi velit videre; atqui non potest velle videre, nisi illum intelligat, cùm nihil volitum, nisi præcognitum, non potest autem intelligere per cognitionem priorem visione beatifica; cùm non detur in Christo: ergo &c.

Resp. Christum videre in Verbo Antichristum, & alia objecta, quorum non habuit visionem 1. Instanti suæ conceptionis, per hoc quòd aliquid de ipsis, vel audiendo, vel legendo, vel intuendo, vel à Deo determinetur ut velit illa videre. Quando autem dicitur non dari cognitionem *in Christo* priorem visione beatifica, fit mentio visionis beatificæ circa objectum primarium, non autem circa objecta secundaria.

Dices; denique. Sequitur ex nostra sententia beatos omnes, etiam omnia in Verbo videre; cùm sit illis præsens sicut Christo.

Resp. Neg. Sequelam. Quia licèt Verbum, quod est speculum voluntarium se exhibens videndum quibus vult, quantùm vult, & quomodo vult, omnia simul repræsentet Christo ratione ipsius excellentiæ, non tamen aliis.

QUÆSTIO II.

An sit etiam in Christo scientia infusa distincta à visione beatifica?

SUppono 1. Hic posse objectum cognosci vel in Verbo, vel in proprio genere: cognoscitur in Verbo per scientiam beatam: cognoscitur in proprio genere, seu in seipso, per scientiam vel acquisitam, vel infusam.

Suppono 2. Christum, præter scientiam beatam, qua cognovit res in Verbo, etiam habuisse scientiam rerum in proprio genere; quia, cùm Christus ut homo esse comprehensor & viator; decebat, ut, ultra scientiam correspondentem statui comprehensoris, etiam haberet scientiam rerum in proprio genere correspondentem statui viatoris. Et certè si hanc utramque scientiam habeant Angeli, ut docet Augustinus de Gen. ad litteram c. 11. & 12. ubi scientiam beatam nominat matutinam, & scientiam in proprio genere vespertinam: quidni etiam haberet Christus; cùm sit perfectius rem variis modis cognoscere, quàm unico?

Suppono 3. Potuisse Christum scientiam rerum in proprio genere labore & industria acquirere; quandoquidem posse scientiam acquirere sit una ex proprietatibus & perfectionibus intellectus humani: sed an de facto illam studio sibi comparaverit, an verò illam sibi infusam habuerit? hic quæritur.

Suppono 4. Scientiam infusam esse duplicem: una dicitur infusa per se, quæ propriis intellectus viribus non est comparabilis, & ideò ex se postulat à Deo infundi: altera dicitur infusa per accidens, quæ quidem naturæ viribus potest acquiri; à Deo tamen, non expectata subjecti industria, infunditur, & hanc (quam Scotus per se acquisitam vocat) dedit Deus Adamo & Salomoni.

CONCLUSIO I.

CHristus habuit scientiam infusam per se, distinctam à scientia beata Ita communiter Scholastici contra antiquiores, quibus tamen non suffragatur Scotus, ut patebit posteà.

Prob. 1. Plurima cognovit Christus, quorum species non poterat naturaliter sibi comparare, aut certè non ita perfectas; atqui non tantùm novit illa per scientiam beatam, ergo, ultra illam, habuit circa præfata scientiam infusam: non per accidens, cùm hæc tantùm circa naturaliter cognoscibilia

verse-

versetur: ergo infusam per se. Prob. Maj. Quia habuit speciem Dei Trini, saltem abstractivam, ut vult Scotus 2. d. 3. q. 9. atqui illa species non potuit per virtutem intellectus Christi naturalem acquiri: ergo &c. Ex quo sequitur ulteriùs, Scotum scientiam per se infusam, saltem implicitè, admisisse. Prob. Min. Quia cum Christus esset viator, sicut & comprehensor, decuit ipsum res aliquas adinstar viatoris cognoscere, rerum autem cognitionem, quas non potest viator per virtutem propriam cognoscere, necessariò debet acquirere per scientiam per se infusam.

Obj. 1. Vel Christus debet cognoscere objectum increatum, vel creatum; si increatum, illud cognoscit per scientiam beatam: si merè creatum, illius cognitionem potest sibi comparare: ergo superfluit scientia per se infusa.

Resp. Dist. conseq. Superfluit ut Christus cognoscat objecta præcisè, C. ut illa cognoscat modis diversis, scilicet in Verbo & in proprio genere, N. nam cùm, per scientiam beatam tantùm cognoscat res in Verbo, per scientiam autem per se acquisibilem, seu infusam per accidens, non possit omnia cognoscere in proprio genere, necessariò requiritur infusa per se.

Obji. 2. Juxta Scotum 4. d. 10. q. 8. Circa omnia objecta potest esse in Christo scientia per se acquisibilis: ergo non datur infusa per se. Consequentia clara est; quia implicat circa idem objectum esse scientiam per se infusam & infusam per accidens: aliàs objectum illud esset naturaliter cognoscibile in proprio genere, & simul non esset. Prob. Ant. Ex ipsomet Scoto, qui ibidem asserit posse Angelum, & in statu separationis hominem, sibi naturaliter acquirere speciem & cognitionem cujuslibet entis, etiam in substantia supernaturalis, modo existat.

Resp. Dist. Ant. Circa omnia objecta creata potest esse scientia per se acquisibilis, C. circa objectum increatum, subdistinguo: ad cognoscendum an sit, C. quia hoc deduci potest ex naturali creaturarum cognitione. Ad cognoscendum quid sit, N. unde admittimus in Christo scientiam per se infusam tantùm respectu objecti increati, modo jam explicato; quia scientiam cujuslibet objecti creati poterat sibi naturaliter comparare, non minùs, quàm anima creata; quandoquidem, ratione suæ beatitudinis, in usu scientiæ etiam naturalis, non dependeret à phantasmatibus, nisi vellet.

Obj. 3. Tantùm fuit in Christo duplex potentia, naturalis una, obedientialis altera: atqui scientiæ naturali correspondebat adæquatè scientia per se acquisibilis, & potentiæ obedientiali scientia beata: ergo superfluit quælibet alia.

Resp. Potentiam Christi obedientialem non tantùm posse actuari per scientiam beatam, sed etiam per infusam per se. Porro hæc scientia fuit Christo infusa ab instanti suæ conceptionis, cùm nulla sit ratio ejus infusionem ulteriùs differendi.

CONCLUSIO II.

FUit etiam in Christo scientia infusa per accidens, ita ut ab initio conceptionis fuerint infusæ in ipso à Deo species rerum, quas labore & industria potuisset successivè acquirere ità DD. Seraphicus & Subtilis cum plurimis aliis contrà quosdam Thomistas, qui volunt scientiam illam fuisse paulatim à Christo comparatam studio & labore.

Prob. 1. Debemus à Christo omnem imperfectionem removere: sed si scientiam præfatam successu temporis, & per proprios actus sibi comparasset, fuisset in ipso vera imperfectio: ergo &c.

Prob. Min. Quia 1. habuisset pro tempore antecedenti rerum aliquarum ignorantiam, 2. quia potuisset ab alio homine studio magis incumbente superari. 3. quia in scientia per se acquisibili fuisset miserior Adamo, qui ab initio suæ creationis habuit omnes scientias naturales sibi per accidens infusas.

Dices: Christus omnia cognoscebat per scientiam beatam: ergo licèt non habuisset ab initio scientiam illam, non fuisset ignorans, nec alteri inferior.

Resp. Dist. Conseq. Non fuisset ignorans ut comprehensor, Con. ut viator, N. ab ipso autem etiam ut viatore removenda est omnis imperfectio amovibilis.

Replicabis: ut viator habuisset scientiam per se infusam ergo &c.

R. Disting. Ant. Habuisset per se infusam circa naturaliter acquisibilia, N. circa objectum increatum, ut dixi C. & Neg. conseq.

Prob. 2. Quia ex opposita sententia sequitur, quod Christus satis exiguam habuerit scientiam naturalem; quandoquidem, ob vitæ brevitatem, non potuerit circa tam ingentem objectorum multitudinem sese exercere.

Prob. 3. Christus ab initio suæ conceptionis habuit omnes virtutes morales per se acquisibiles: ergo & omnes virtutes intellectivas etiam per se acquisibiles. Prob. Cons. Ideò ponuntur in Christo ab initio virtutes morales, ne sit imperfectus, atqui si ab initio non habuisset omnes scientias intellectivas, fuisset imperfectus: ergo &c.

Obji. 1. *Jesus proficiebat sapientia* Lucæ 2. atqui non proficiebat sapientia beatifica, aut per se infusa, ut patet: ergo per se acquisibili.

R. Dist. Conseq. Ergo per se acquisibili quantum ad exteriorem manifestationem, ut volunt Hieronymus, Nazianzenus, Epiphanius, Anselmus, Bernardus, & alii, C. quantum ad accretionem, N. unde Damascenus l. 3. de fide C. 21. *Qui proficere dicunt Christum sapientia.... Non venerantur Unionem, quæ est secundùm hypostasim.*

Quod si quidam Patres, ut Cyrillus, Ambrosius & pauci alii videantur passum citatum intelligere de vero & reali profectu Christi in scientia secundùm humanitatem, dicendum est ipsos loqui de profectu, non scientiæ per se acquisibilis strictè, sed experimentalis, de qua posteà: quare ipsemet Cyrillus l. 2. de fide ad Reginas cap. 3. *Etiam per ipsam experientiam voluit discere.*

Obji. 2. Eodem modo loquendum est de Christi anima, ac de ejus corpore, atqui corpus ejus crescebat singulis diebus secundùm soliditatem, agilitatem, firmitatem: ergo & anima ejus secundùm scientiam naturalem. Prob. Min. Quia si dicatur non esse imperfectionem Christo caruisse in ætate infantili soliditate &c. quam habuit in ætate virili, etiam dici potest non esse imperfectionem caruisse ab initio scientia, quam habuit in decursu temporis: quod si è contrario dicatur esse imperfectionem caruisse ab initio scientia, etiam dicendum est esse imperfectionem caruisse ab initio soliditate &c.

Resp. Neg. Maj. Et dico carentiam soliditatis in puero esse quidem imperfectionem physicam, sed non moralem, qualis est ignorantia in eo, cui convenit esse scientiam: unde quamvis eodem modo loquendum esset in nobis adhuc pueris de absentia soliditatis, ac de absentia scientiæ; quia nec illa nobis pro tunc debentur, non tamen in Christo ipsi enim adhuc puero non conveniebat corporis firmitas & agilitas, ut agnosceretur & crederetur verus homo: congruebat tamen scientia præfata, quandoquidem ab initio Incarnationis, etiam ut viator, esset Doctor & caput Angelorum & hominum, præsertim quoad gubernationem & illuminationem.

Inst. 1. Christus ab initio Incarnationis caruit scientia experimentali absque ullo inconvenienti: ergo & scientia per se acquisibili, de qua hic.

R. N. Conseq. Disparitas est, quòd licèt sit inconveniens carere aliquo possibili & congruenti, qualis erat scientia præfata respectu Christi adhuc infantis: non est tamen inconveniens carere aliquo impossibili, qualis erat Christo puero scientia experimentalis; cùm hæc necessariò & essentialiter importet rerum omnium experientiam, quam nequidem 100. annorum spatio potuisset sibi adæquatè comparare.

Inst. 2. Majus esset inconveniens, quo Christus habuisset ab initio conceptionis omnem scientiam per se acquisibilem, quam quòd illam propriis actibus sibi comparasset: ergo &c.

Prob. Ant. Quia perfectius est & nobilius aliquid studio & labore acquirere: quàm illud ab extrinseco sine ulla industria recipere.

Resp. Neg. Ant. ad Prob. Dist. Assumpt. Perfectius est & nobilius &c. ubi ejus acquisitio patitur dilationem, transeat; ubi non patitur, sicut non patiebatur in Christo, quem ab initio tanquam Doctorem & Magistrum decebat omnia scire N.

Inst. 1. Ad summum conveniebat Christo, ratione suæ conditionis, nosse ab initio mysteria gratiæ; cùm tantùm esset aliorum caput in ordine supernaturali gratiæ ergo: saltem non habuit scientiam rerum naturalium sibi per accidens infusam.

Resp. Neg. Ant. Et dico, quod sicut Christus ab initio fuit totius universi Dominus; ita ut potuerit pro libitu de rebus omnibus disponere; ita conveniebat ipsum universa cognoscere, non quidem actualiter, sed quasi habitualiter sensu quæstione præcedenti explicato. Quando Scotus variis locis asserit Christum sibi comparasse per proprios actus cognitionem intuitivam tam actualem, quàm habitualem; loquitur de scientia experimentali.

QUÆSTIO III.

Quid cognoscat Christus per scientiam per se infusam?

CONCLUSIO I.

NOn cognovit Christus per scientiam infusam per se Deum esse, novit tamen per illam quid sit Deus.

Prob. prima pars: Quia æquè facilè, imò faciliùs potuit Chri-

stus cognoscere Deum esse, quàm alii homines, atqui possunt alii homines solis naturæ viribus cognoscere, quod Deus sit, ascendendo nempè ab effectibus ad causam: ergo à fortiori Christus; & consequenter Deum esse non est objectum scientiæ per se infusæ, sed scientiæ per se acquisibilis, sive infusæ per accidens.

Prob. secunda pars. Quia nullus intellectus creatus, sive humanus, sive Angelicus, potest naturaliter Deum cognoscere, ut dicitur in 1. Sententiarum: ergo, cùm non debeamus negare Christum cognovisse quid sit Deus non tantùm in Verbo per scientiam beatam, sed etiam extrà Verbum per scientiam infusam: quandoquidem hoc faciat ad majorem Christi perfectionem, & aliundè sit possibile, dicendum est consequenter id cognovisse per scientiam infusam per se, unde cognovit per hanc scientiam Deum esse unum in essentia & trinum in personis, non quidem intuitivè; quia hoc pertinet ad scientiam beatam, sed abstractivè.

Dices 1. Non potest dari species infusa repræsentans Divinitatem & Trinitatem: ergo &c. Prob. Ant. Quia per speciem illam fieret Deus proximè intelligibilis: hoc autem repugnat actui puro, qui est per se intelligibilis.

R. N. Ant. Si enim dari possit species expressa Deum repræsentans, nempè visio beatifica, quidni impressa? ad Prob. Dico, quòd Deus per illam speciem fieret intelligibilis accidentaliter, non essentialiter, quod habet per se: in quo nulla est implicantia, ut fusiùs probatur in 1. sententiarum.

Dices 2. Si daretur species præfata, Christus per illam Deum cognosceret intuitivè, sed Deum taliter cognoscere non pertinet ad scientiam infusam, sed beatam: ergo &c. Prob. Maj. Quia species illa esset repræsentatio Dei præsentis, cùm Deus sit ubique præsens, adeòque & ipsimet speciei.

Resp. Neg. Maj. ad Prob. Dico; quod licèt species illa repræsentaret Deum præsentem, non tamen ut præsentem; quia ratio cur esset præsens, non haberetur ab ipsa specie, sed à Divina immensitate, ita ut si per impossibile Deus non esset ubique species illa Deum non repræsentaret ut præsentem.

Inst. Ad cognitionem intuitivam sufficit, quod species repræsentet objectum existens & præsens, & aliundè quòd ipsum objectum sit præsens, non tantùm intentionaliter, sed etiam realiter, sed hic omnia illa reperiuntur: ergo &c.

R. Dist. Ant. Sufficit quòd repræsentet objectum præsens præcisè, N. ita præsens; ut, si deficeret illa præsentia, desineret species intuitiva, C. jam autem etiamsi desineret esse præsens Deus, species illa adhuc perseveraret, sicut perseverat species infusa objecti creati, licèt objectum non sit præsens: unde hoc est discrimen inter speciem intuitivam & abstractivam, quòd illa sicut in fieri, ita & in conservari dependeat ab objecto ut præsenti, hæc autem, sicut non in fieri ita nec in conservari ab illo ut præsenti dependet, licet objecti præsentia ipsi non repugnet.

CONCLUSIO II.

COgnovit etiam Christus per hanc scientiam entia supernaturalia, quæ essentialiter dicunt ordinem ad Deum non tamen alia.

Prob. Prima pars, quæ est satis communis. Decuit maximè Christum tanquàm aliorum Doctorem nosse fidei mysteria, inter quæ computantur entia, de quibus loquimur, sed non tantùm novit per scientiam beatam; cùm illa noverit etiam extrà Verbum: nec potuit nosse per scientiam per se acquisibilem, aut per accidens infusam, cum non possint illa entia, v.g. Unio Hypostatica, visio beatifica; perfectè cognosci, nisi cognoscatur Deus, qui non potest naturaliter cognosci: ergo &c.

Prob. secunda pars; Quia aliorum entium, quæ non dicunt ordinem essentialem ad Deum, ut sunt gratia actualis, gratia sanctificans &c. modò existant, potuit Christus viribus propriis sibi species comparare: ergo non sunt objecta scientiæ per se infusæ, sed infusæ per accidens. Prob. Ant. Quia anima Christi etiam corpori conjuncta non minoris fuit virtutis ad intelligendum, quàm Angelus, aut homo in statu separationis, sed hi possunt, juxtà Scotum, abstrahere ab ente supernaturali speciem impressam: ergo & Christus.

Dices intellectus Christi pro statu viæ dependebat à phantasmatibus: ergo nihil poterat naturaliter cognoscere nisi sensibile, quale non est ens supernaturale.

R. Dist. Ant. Dependebat à phantasmatibus necessariò, N. pro libitu, C. & sic poterat independenter ab illis omne ens creatum supernaturale, etiam spirituale, cognoscere.

Subsumes, atqui non poterat naturaliter independenter à phantasmatibus intelligere, cùm sit naturale cuilibet homini viatori ab illis dependere: ergo ens supernaturale non erat objectum scientiæ acquisibilis, aut per accidens infusæ.

Resp. Dist. Subsumpt. Non poterat naturaliter, idest, modo hominibus viatoribus connaturali, C. idest per naturales intellectus operationes, N. erat quidem supernaturale quòd posset independenter à phantasmatibus intelligere, sed, supposito illo favore illi Divinitus concesso, poterat propriis viribus entia præfata cognoscere: quod sufficit, ut dicantur objecta scientiæ per accidens infusæ, aut per se acquisibilis. Et certè si hoc non esset, possent eædem species esse modò infusæ per se, modò infusæ per accidens: nam species præfatorum entium, sicut & spiritualium, receptæ in statu viæ essent infusæ per se, quia non possunt naturaliter acquiri; eædem autem remanentes in anima separata, aut conjuncta corpori glorioso, essent infusæ per accidens, quia essent naturaliter acquisibiles.

QUÆSTIO IV.

Quænam cognoverit Christus per scientiam per accidens infusam?

CONCLUSIO I.

COgnovit Christus per scientiam per accidens infusam omnes species entium aliquando existentium, sive spiritualium, sive materialium, sive naturalium, sive supernaturalium, modo non dicant essentialem ordinem ad Deum, non tamen omnia individua.

Prob. Prima Pars: Quia illorum omnium potuit naturaliter scientiam sibi comparare, quandoquidem respectu spiritualium, & supernaturalium, de quibus posset esse difficultas, non dependeret à phantasmatibus, si vellet, & aliunde omnes species illæ essent numero finitæ: unde potuit cognoscere per scientiam illam Angelum, animam rationalem, lumen gloriæ, gratiam actualem & sanctificantem, præsentiam corporis Christi in Eucharistia, actus & habitus fidei, spei, & charitatis, nec non cogitationes hominum & Angelorum.

Prob. Secunda Pars, quia cùm tot debeant esse species, quot objecta cognita, secundùm Scotum, si Christus omnia individua aliquando existentia, cognosceret, deberet habere species actu infinitas, nam cùm omnia entia aliquando existentia sint infinita in potentia, seu tot sint, ut illorum omnium non possit assignari ultimum; ità etiam tot deberent esse actu in Christi intellectu species, ut illarum non posset assignari ultima: quod est esse infinitum actu.

CONCLUSIO II.

NOn novit Christus per scientiam per accidens infusam omnia entia possibilia. Est communis.

Prob. 1. Quia tantùm potest per illam scientiam ea cognoscere, quorum notitiam potest naturaliter acquirere; atqui non potuit naturaliter illorum omnium notitiam acquirere; cùm post quamlibet multitudinem cognitam, semper restarent plura & plura cognoscenda: ergo &c.

Prob. 2. Ideò, ut diximus conclusione præcedenti, non potuit Christus omnia individua aliquando existentia cognoscere; quia debuisset habere species actu infinitas; sed, ut cognosceret omnia entia possibilia, etiam deberet habere species actu infinitas; quandoquidem non minùs requiratur species, ut intelligatur ens possibile, quàm actuale: ergo &c.

CONCLUSIO III.

NOn novit Christus per hanc scientiam præcisè præsentia, præterita, aut futura sub ratione præsentium, præteritorum, aut futurorum. Est contra plurimos, colligitur tamen ex Scoto variis locis. Sed ante probationem

Advertendum est, me dixisse *per hanc scientiam præcisè*; quia non negamus Christum cognovisse aliunde præsentia, præterita, & futura, etiam sub ratione præsentium, præteritorum, & futurorum; nam, cùm esset caput hominum & Angelorum, fidelium magister, & futurus esset omnium judex, ipsius statui & officio congruebat, ut præfata omnia circa homines & Angelos cognosceret.

Prob. 1. Conclusio ex Scoto 3. dist. 14. q. 14. ubi asserit omnem quidem scientiam de facto acquisitam in Christo esse intuitivam, omnem tamen infusam, esse abstractivam: atqui scientia abstractiva secundùm se non repræsentat objectum sub aliqua determinata temporis differentia; cùm eodem modo objectum repræsentet, sive sit præsens, sive præteritum, sive futurum: ergo &c. unde dicendum est nosse præsentia ut sic vel per scientiam experimentalem, ubi erant naturaliter

cogno-

cognoscibilia; vel per revelationem, aut in Varbo, ubi erant extra activitatem virtutis naturalis: præterits autem, vel per recordationem, vel certè, sicut & futura, per tevelationem, aut per scientiam beatam, seu in Verbo.

Obj. 1. Christus habuit donum prophetiæ; atqui prophetia est cognitio certa & infallibilis de futuris, non beatifica, aut naturalis: ergo infusa. Prob. Min. Major enim certa est; quia alii Prophetæ non coguoverunt futurs per scientiam beatam, cùm illa carerent: non per scientiam naturalem, cùm ad hoc insufficiens foret: ergo per infusam: adeoquè & Christus, qui fuit omnium Prophetarum excellentissimus.

Resp. Prophetiam esse quidem cognitionem certam & infallibilem; sed ordinariè nec beatificam, nec naturslem, uec strictè infusam, sed per revelationem acceptam; Christus autem, cùm per scientiam beatam, qua carebant alii Prophetæ, omnia distinctè nosset in Verbo, præsentis scilicet ut præsentia, præterita ut præterita, & futura ut futura, non fuit illi opus revelatione.

Obj. 2. Ex sententia nostra sequitur, Christum non habere cognitionem certam & infallibilem futurorum contingentium.

R. Dist. Assumpt. Non habere cognitionem &c. per scientiam infusam, C. per scientiam beatam in Verbo, N.

Inst. 1. Decuit Christum tanquam viatorem nosse futura extra Verbum: ergu illorum habuit scientiam infusam.

Resp. Dissimulato antecedente, Neg. conseq. Quia per species infusas, ut dixi, nun potest haberi futurorum cognitio: unde, si extra Verbum habuit futurorum contingentium cognitionem, habuit per ravelationem.

Inst. 2. In Christo non fuir fides; sed si cognovisset futura per revelationem, habuisset fidem: ergo &c.

R. Dist. Min. Si cognovisset futura per revelationem præcisè, C. per revelstionem & speciem, N. explico: Deus 1. Infundit Christo speciem alicujus rei, per quam rem ipsam clarè & distinctè cognoscat. 2. Revelat ipsi rem illam tali tempore, tali modo, cum talibus circunstantiis futuram; qui modus rem manifestandi differt à fide, per quam nec rem, nec futuritionem clarè cognoscimus.

Obj. 3. Cognitio futurorum, est per se acquisibilis; atqui Christus habuit scientiam infusam omnium per se acquisibilium: ergo &c.

R. Dist. Maj. Cognitio futurorum necessariorum, est per se acquisibilis, transeat. Futurorum contingentium, de quibus hic agimus, subdistinguo: est per se acquisibilis conjecturaliter, saltem quoad aliqua, Conc. certò & infallibiliter, N.

QUÆSTIO V.

Quomodo Christus usus fuerit scientia infusa?

CONCLUSIO I.

Potuit Christus elicere actus hujus scientiæ independenter à phantasmatibus.

Prob. 1. Christus meruit nobis ab instanti suæ conceptionis; sed, si non habuisset usum scientiæ infusæ independenter à phantasmatibus, non meruisset ab instanti suæ conceptionis: ergo &c. Prob. Min. Quia aliàs non habuisset ab initio usum rationis ad merendum necessarium; quandoquidem ideò negamus in aliis pueris usum rationis in infantia, quia eorum cognitio intellectiva dependet à phantasmatibus: ergo.

Prob. 2. Animæ aliorum Beatorum possunt intelligere sine conversione ad phantasmata; atqui anima Christi fuit beata ab initio conceptionis, ut diximus: ergo &c.

Prob. 3. Quia sicut Christus non recepit species infusas per sensus & phantasmata, ità independenter à sensibus & phantasmatibus potuir illis uti; & ideò utebatur scientia infusa in somno, sicut in vigilia.

Obj. 1. Homo non utitur speciebus acquisitis independenter à phantasmatibus; sed species infusæ saltem per accidens sunt ejusdem rationis cum speciebus naturaliter acquisitis: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Non utitur independenter à phantasmatibus præsuppositivè se habentibus, C. post formationem specierum concurrentibus, N. unde antequam intellectus producat species intelligibiles, dependet quidem à phantasmatibus exhibentibus se adinstar idearum exemplarium, à quibus excitatur & determinatur ad productionem speciei talis; ubi autem formatæ sunt species, sive interim fuerint naturaliter productæ, sive infusæ, superfluit phantasma.

Obj. 2. Modus upersndi sequitur modum essendi; atqui anima Christi babebat esse in corpore; ergo operabatur dependenter à corpore, seu phantasmate corporeo,

Resp. Dist. Maj. Modus operandi naturaliter, sequitur modum essendi, C. modus operandi supernaturaliter, ut faciebat Christus per scientiam infusam, sequitur modum essendi, N.

Obj. 3. Viatores intelligunt dependenter à phantasmatibus; atqui Christus intelligebat per species infusas tanquam viator: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Viatores intelligunt dependenter à phantasmatibus præcisè, quia vistores sunt, N. quia sunt puri viatores, Conc. Christus autem sic erat viator, ut simul esset comprehensor.

Obj. 4. Christus assumpsit defectus naturæ humanæ communes; atqui intelligere dependenter à phantasmatibus est defectus naturæ humanæ communis: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Assumpsit defectus naturæ humanæ communes, qui sunt compossibiles cum statu beatitudinis, C. qui non sunt compossibiles cum tali statu, N. non posse autem intelligere nisi dependenter à phantasmatibus, repugnat statui comprehensoris, qui plenum habet in corpus dominium.

Obj. 5. Ex nostra sententia sequitur, quòd Christus fingebat omnia, quando balbutiebat, & alia infantis signa ostendebat; cùm independenter à phantasmatibus intellexerit.

Resp. Neg. Sequel. Licèt enim omnia naturaliter cognoscibilia nosset; ut tamen assumptæ humanitatis veritatem ostenderet, patti sensitivæ suas operationes permittebat.

CONCLUSIO II.

In exercitio scientiæ infusæ non indiguit Christus discursu; potuit tamen illo uti pru libitu.

Prob. prima Pars, quæ est communis inter Scholasticos contrà Durandum; quia non alio fine indigemus discursu in usu scientiæ, nisi quia, cognitis principiis, non tam citò, nec tam perfectè cognoscimus conclusionem, sed Christus eodem instanti & eadem perfectione cognoscebat per scientiam infusam principia & conclusionem; quandoquidem haberet species, quæ tam immediatè & distinctè repræsentabant rerum proprietates, quàm earum essentias: ergo.

Dices: Scientia infusa per accidens, est ejusdem rationis cum scientia per se acquisibili; sed in usu hujus scientiæ necessariò utimur discursu: ergo saltem in exercitio scientiæ per accidens infusæ indigebat Christus discursu.

Resp. dist. Min. Utimur necessariò discursu, ubi non dantur species, eodem instanti principia & conclusionem æquè perfectè repræsentantes. C. ubi dantur, sicut dabantur in Christo, N.

Prob. secunda pars, Quæ est Scoti 3. d. 14. q. 3. §. *Ad argumenta*, D. Thomæ, eorumque sequacium; quia sufficit ad discursum, processus ab una cognitione ad aliam à priori dependentem, sed potuit sic procedere Christus in usu scientiæ infusæ: ergu &c. major certa est, Prob. Min Quia potuit, habita cognitione hominis ut rationalis præcisè per scientiam infusam, inferre per aliam cognitionem, quòd sit risibilis.

Obj. 1. Non potuit Christus uti inadæquatè speciebus, ità quòd per unam cognitionem attingeret essentiam & per aliam proprietates: ergu non potuit discurrere. Prob. Ant. Quia per scientiam infusam cognoscebat entia creata comprehensivè, adeoque necessariò per eandem cognitionem attingebant essentiam & proprietates, aliàs rem non comprehendisset.

Resp. Neg. Ant. Ad Prob. Dist. Assumpt. Cognoscebat entia creata comprehensivè, quandu volebat, transeat. Necessariò, N. unde poterat objectum adæquatè vel inadæquatè concipere; ità tamen, ut quando inadæquatè conciperet, illud non comprehenderet.

Inst. Imperfectionis est rem inadæquatè concipere: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Inadæquatè concipere ex indigentia, sicut nobis sæpè accidit, C. ex abundantia potestatis rem diversimodè concipiendi, ut in Christo, N. unde sicut potuit pro libitu rem vel dependenter, vel independenter à phantasmatibus cognoscere, ità dependenter vel independenter à discursu, quod sonat abundantiam, non indigentiam.

Obj. 2. Modus ille cognoscendi per discursum fuit Christo inutilis: ergo &c. Prob. Ant. Quia non tantùm principia sed etiam conclusionem cognoscebat per species infusas.

Resp. Dist. Ant. Fuit Christo inutilis in ordine ad cognoscendum præcisè, C. in ordine ad cognoscendum diversimodè, N. aliàs fuisset etiam Christo inutilis scientia infusa; quandoquidem omnia, quæ per illam cognoscebat, cognosceret per scientiam beatam.

Obj. 3. Non potuit procedere Christus à notis ad ignota: ergo nec discurrere.

Resp. Neg. Conseq. Quia non est de ratione discursus,

quòd manifestet ignotum per notius: nam philosophus apprimè versatus faciens hunc sillogismum: *Omne rationale est risibile, Petrus est rationalis: ergo est risibilis*, procedit à notis ad jam dudum nota, & tamen discurrit.

QUÆSTIO VI.

An fuerit in Christo scientia experimentalis, qualis, & ad quæ objecta extendebatur?

PEr scientiam experimentalem non intelligimus hic scientiam, quæ sistit in solis potentiis sensitivis, nec ad potentiam intellectivam progreditur: ut volunt quidam Scholastici, qui ideò sensitivam illam appellant: nec etiam loquimur de scientia, quæ rei antea ignotæ experientiam præbeat; cùm Christus ab initio omnia cognoverit, saltem habitualiter; sed de scientia intuitiva, seu quærimus, an Christus, qui ab initio conceptionis habuit scientiam per accidens infusam rerum omnium naturaliter cognoscibilium cognitionem abstractivam, habuerit etiam paulatim illarum cognitionem intuitivam?

Porrò scientia abstractiva est cognitio objecti, abstrahendo ab illius existentia & præsentia reali, licèt non repugnet ei, quòd illius objectum sit existens & realiter præsens, ut dictum est antea: unde existat, sit præsens realiter non sit, perseverare potest scientia abstractiva. Intuitiva verò, est cognitio objecti in seipso realiter præsentis ut præsentis, ita ut, ubi desinit objecti præsentia, desinat & scientia intuitiva actualis perfecta. Dico: *perfecta*; quia scientia, quam habeo de objecto non actualiter præsente, sed quod fuit aliquando præsens, potest, juxta Scotum, dici intuitiva imperfecta.

CONCLUSIO I.

FUit in Christo scientia experimentalis, seu paulatim cognovit Christus intuitivè, quod ab initio cognoscebat abstractivè. Colligitur ex Scoto 3. d. 14. q. 3. ubi asserit, quòd Christus nullam cognitionem abstractivam sibi comparaverit, sed habuerit infusam; omnem autem intuitivam, sive actualem, sive habitualem, acquisierit.

Prob. 1. Christus non habuit ab initio conceptionis omnia objecta sibi realiter in seipsis præsentia, quandoquidem species infusæ non repræsentent objecta ut præsentia: ergo, cùm illa in seipsis præsentia attingebat, experiebatur, quod antea non fuerat expertus: unde Hebræorum 5. dicitur: *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam* & Lucæ 2. *Proficiebat sapientia*.

Prob. 2. Illa scientia rectè dicitur experimentalis, per quam objectum aliquod antea cognitum, realiter in seipso præsens attingitur per species ab ipsomet objecto emanatas, sed talem habuit Christus: ergo &c. Majorem declarat ipsa experientia. Prob. Min. Quia hæc scientia sequitur necessariò ad actus sensuum externorum: ergo sicut per sensus externos objectum præsens tangebat, audiebat, videbat &c. ita & intelligebat.

Dices 1. Non aliud cognovit Christus per hanc scientiam, quàm per scientiam infusam: ergo superfluit.

Resp. 1. Retorquendo argumentum: non aliud cognovit per scientiam infusam, quàm per beatam: ergo infusa superfluit.

Resp. 2. Non aliud cognovit, nec alio modo, N. non aliud, sed alio modo, C. nam per scientiam infusam novit abstractivè: per hanc novit intuitivè: quòd est quædam perfectio.

Dices 2. Non possunt esse in eodem subjecto accidentia solo numero distincta; sed scientia per accidens infusa, & experimentalis solo numero differunt: ergo &c. Prob. Min. Quia utraque est per se acquisibilis, versaturque circa idem objectum.

Resp. Neg. Min. ad Prob. dist. Assumpt. Versatur circa idem objectum materiale, C. formale, N. infusa enim versatur circa idem objectum abstrahendo ab ejus existentia & præsentia reali, experimentalis verò, versatur circa objectum necessario præsens.

CONCLUSIO II.

NOn habuit Christus in infantia scientiam experimentalem perfectam.

Ratio est; quia cùm non haberet cognitionem experimentalem, nisi dependenter ab organis & dispositionibus connaturalibus, non habuit cognitionem illam perfectam, nisi & perfectam haberet phantasiæ operationem, hæc autem non habetur, nisi organa sint ritè & sufficienter disposita, qualia non sunt in infantia. Unde sicut non masticabat, antequam haberet dentes, nec ambulabat, antequam nervi essent consolidati &c. Ità nec perfectam habuit rerum experientiam, antequam organa essent ritè disposita; potuit tamen illam habere, cum ratione beatitudinis, non ex indigentia, sed ex mera voluntate dependeret à phantasmatibus, ut intelligeret.

CONCLUSIO III.

SCientia Christi experimentalis, cum sensuum & phantasmatum ministerio uteretur, non extendebatur nisi ad objecta sensibilia realiter præsentia.

Ratio est: quia Christus quantùm ad hoc fuit nobis assimilatus; atqui pro hoc statu, in quo à phantasmatibus & sensibus dependet intellectus noster, solùm attingimus per scientiam experimentalem objecta sensibilia realiter præsentia: ergo &c. unde si quandoque per hanc scientiam cognoscebat entia spiritualia, tantùm illa cognoscebat per species alienas sensibiles, v. g. Angelum per speciem juvenis alati, Deum Patrem per speciem senis, Spiritum Sanctum per speciem columbæ ut fit in nobis.

CONCLUSIO IV.

POtuit Scientia Christi experimentalis se extendere ad omnia omninò objecta creata, quæ saltem nullum dicunt ordinem ad Deum, adeoque ad objecta spiritualia & supernaturalia, sicut diximus de scientia per accidens infusa. Est Scoti 2. d. 3. q. 9. §. *Ad rationem*, Fabri, Castillo, & aliorum.

Prob. Quia potuit Christus in usu hujus scientiæ, sicut & scientiæ infusæ non uti phantasmatibus, & consequenter habere, eandem virtutem, quam haberet anima separata: atqui anima separata & Angelus possunt naturaliter attingere omnia objecta præfata: ergo &c. Prob. Min. De objecto supernaturali, de quo præsertim posset esse difficultas: quia licèt objectum sit supernaturale, semper tamen est vel materiale, vel spirituale; atqui omne spirituale & materiale creatum cadit sub sphæram potentiæ intellectivæ, ut suo loco dicitur: ergo &c. Unde advertendum est, non esse idem objectum aliquod esse supernaturale, & esse tantùm supernaturaliter intelligibile: nam, ut objectum sit supernaturale, sufficit quòd exigat esse à principio supernaturali Divino: ut autem sit supernaturaliter intelligibile requiritur ultra, quòd superet vires intellectus naturales, quas solus Deus in ratione objecti superat. Ex quibus habetur quòd idem objectum possit esse supernaturale in ratione entis, & naturale in ratione intelligibilis.

DISPUTATIO XI.

De Christi voluntate.

QUÆSTIO I.

An duplex fuerit in Christo voluntas?

QUæritur hìc, an, sicut duplex fuit in Christo natura, divina scilicet & humana; ità etiam duplex fuerit in eo voluntas utrique naturæ correspondens?

§. I.

Referuntur circa hoc dicta Hæreticorum.

UNicam in Christo voluntatem admiserunt Monophysitæ Hæretici, qui, cum unicam in Christo naturam faterentur, unicam etiam in eo voluntatem fateri cogebantur. Unicam similiter admisit Eutiches cum suis asseclis; nam cum teneret ex duabus naturis, humana scilicet & divina, unicam in Christo coaluisse naturam, unicam consequenter sustinebat in eo voluntatem. Etiam duplicem in Christo voluntatem negarunt Apollinatistæ, qui volebant Christum carnem quidem assumpsisse, sed vel sine anima, vel certe sine mente & voluntate, quia, eorum loco, ut ajebant, assistebat ibi divinitas. Nestorius autem, cum doceret Christum non esse personaliter Deũ, sed purum hominem unione tantùm accidentali conjunctum, ut diximus, solam humanam per consequens admittebat in eo voluntatem. Sed his omnibus ab Ecclesia damnatis & anathemate percussis, surrexerunt quidam homines, qui duas integras sustinentes in Christo naturas contrà Apollinarem, impermixtas, distinctas, & inconfusas contrà Euchetem, unicam tamen admittebant voluntatem & operationem, qui ideò Monothelitæ sunt appellati.

Præ-

Præcipui autem inter Monothelitas (quorum error cœpit anno 623. nec cessavit, nisi postquam per 60. annos Ecclesiam Orientalem vexaverat) fuerunt Macharius Patriarcha Antiochenus, Cyrus, Sergius, Theodorus, Pirrhus, Petrus & Paulus, quibus Vasquez annumerat *Typum*, quem fingit esse Pauli discipulum; sed si Concilium Lateranense sub Martino I. Celebratum, ex quo se hoc collegisse asserit, attentè legisset, vidisset typum illum non esse hominem, sed edictum quoddam, seu libellum aut formulam à Constante Imperatore hæretico Pauli persuasione editam.

An autem prædictis Monothelitis annumerari debeat Honorius primus, Summus Pontifex? affirmant Salmaticenses cum quibusdam aliis, quos referunt. Verius tamen negat Bellarminus citans pro se Albertum Phygium, Hosium à Lovanio & Onufrium, quibus subscribunt recentiores innumeri.

Ratio est; Quia non debemus condemnare summum Pontificem præsertim in materia Fidei (licèt dicatur erravisse ut persona particularis) nisi adsint rationes valdè fortes; atqui rationes, quas contrà Honorium adferunt adversarii, possunt satis plausibiliter solvi, ut patebit ex dicendis: ergo &c.

Dices: Vel erravit sexta Synodus actione 13. condemnans Honorium tanquam hæreticum, ejusque combutens Epistolas, sicut & septima, ubi omnes dicunt Honorio anathema; vel certè erravit ipsemet Honorius; sed in dubio melius est, ut dicatur erraise Honorium ut personam particularem, quàm totam Synodum, cui assistebat doctrina & authoritas Agathonis summi Pontificis: ergo &c.

SOLUTIO I.

RESP. 1. Verisimiliter nec Honorium, nec sextam Synodum errasse, sed hanc fuisse à græcis hæreticis depravatam, nomenque Honorii, & quidquid & alibi contra ipsum dicitur, esse ab ipsis assertum in odium Ecclesiæ Romanæ, ejusque capitis: quod inde clarè ostenditur.

1. Quia si Græci tertiam, quartam, quintam & septimam Synodum corruperint, ut refert Bellarminus, potuerunt & corrumpere sextam in qua actione 12. & 14. cùm relegerentur acta quintæ Synodi, repertum est fuisse ab ipsis 3. quaterniones insertos, in quibus continebantur epistolæ fictitiæ Vigilii Papæ Romani & Memmæ Patriarchæ Constantinopolitani.

2. Quia satis ordinarium erat Græcis scripta depravare: unde Nicolaus Primus in Epistola ad Michaelem, remittens Imperatorem ad Epist. Adriani, sic loquitur: *Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut à Sede Apostolica missa est penes Ecclesiam Constantinopolitanam asservatur.* Imò Gregorius lib. 5. Epist. 14. ad Nariem asserit Constantinopolitanos corrupisse Synodum Chalcedonensem; & idem se suspicari de Ephesina. Et Leo Epist. 83. ad Palestinos, refert à Græcis Epistolam suam ad Flavianum fuisse corruptam. Unde Anastasius Bibliothecarius in præfat. Hist. ad 6. Synodum sic habet: *Sic igitur Græci accepta occasione celebratorum universalium Conciliarum frequenter egisse clarescunt; & nunc minuendo, nunc addendo vel mutando, nunc in absentia sociorum, nunc in absconditis angulorum, nunc extra Synodum, nunc post Synodum astutia sua imò fraude communibus sanctionibus abutuntur, & ad suos libitus cuncta, quæ sibi visa fuerint, etiam violenter inflectunt.*

3. Quia Paulus Diaconus in vita Constantini IV. referens damnatos in sexta Synodo omittit Honorium, quod & facit Zonoras in vita ejusdem; imò Photius etiam Græcus & Ecclesiæ Romanæ infestus, ubi in suo scripto de 7. Synodis venit ad sextam, asserit, nulla facta mentione Honorii, damnatos esse Sergium, Cirum, Pirrhum, Paulum & Petrum.

4. Quia non potuit Synodus (nisi accusetur erroris vel imprudentiæ intolerabilis) damnare Honorium ut hæreticum; quandoquidem in duabus ejus epistolis ad Sergium, ex quibus tantùm haberi potest indicium illius hæresis, nihil reperiatur nisi Catholicum, nihil nisi Orthodoxum unde ne vel semel in utrisque ejus epistolis reperier dixisse Honorium vel implicitè vel explicitè, non esse humanam voluntatem aut volitionem in Christo, vel esse tantùm Divinam: quod est error Monothelitarum.

Dixi quidem in secunda epistola: *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*, sed loquebatur de Christo homine, in quo nolebat esse duas voluntates contrarias; carnis scilicet & spiritus, sed unicam Divinæ conformem, ut evidentissimè patet ex contextu. Unde S. Maximus Honorio contemporaneus in Disp. contra Pyrrhum asserit Honorium dixisse unam voluntatem, *Non humanitatis & Divinitatis simul*, sed *humanitatis solius*. Dixit etiam in suis epistolis abstinendum esse à vocibus. *Unius* vel *duarum* operationum aut voluntatum, sed hoc non fecit, quasi voluisset unicam esse in Christo voluntatem, aliàs non dixisset esse abstinendum à voce *Unius*, sed forte ex prudentia, *nam*, cùm sciret Cyrum Alexandrinum cœpisse prædicare unam in Christo voluntatem, & Sophronium Jerosolymitanum, sese Cyro opponentem, prædicare duas, metuens (quod tamen posteà evenit) ne ex ista contentione schisma oriretur dixit abstinendum esse à voce *Unius* vel *duarum*, quia videlicet sine dictis vocibus videbat posse veram fidem consistere: unde sicut ante Ecclesiæ definitionem prudenter dixit Hieronymus non esse dicendas tres hypostases propter periculum scandali, ita & prudenter dicere putavit Honorius, ante Ecclesiæ definitionem, abstinendum esse à vocibus *Unius* & *duarum*, propter idem periculum.

Quòd autem duas in Christo voluntates & operationes admitteret, evidentissime patet ex secunda Epistola, ubi sic loquitur. *Non oportet dicere unam vel duas operationes, sed unum operantem, & duas naturas operatrices, Divinam, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem, & utramque, quæ propria sunt operantem*, ubi prohibitis solis vocibus, sensum servat Catholicum & aperte Monothelitarū hæresim destruit.

Deinde quis melius novit doctrinam Honorii, quàm ejus Secretarius, ejusque Successores? Ecce tamen unanimiter asserunt ejus Doctrinam circa materiam præsentem fuisse omninò Catholicam.

1. Secretarius Honorii, teste S. Maximo, qui tempore ejusdem Secretarii vivebat, testatus est nunquam fuisse mentem Honorii negare in Christo duas voluntates, sed tantùm duas contrarias in eadem natura humana pugnantes. Quis autem fidelius & verius scire potuit mentem Honorii, quam qui Epistolas ab Honorio dictatas propria manu conscripsit? Audiamus S. Maximum: *Is*, nempè Secretarius, *ad Imperatorem Constantinum sic de illa Epistola jussu Joannis Pontificis, scripsit. Sanè quòd unam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus Divinæ & humanæ naturæ dictum voluntatibus, sed humanæ tantum: cùm enim Sergius scripsisset prædicare quosdam duas esse Christi voluntates contrarias nos rescripsimus, Christum duas voluntates contrarias non habere.* Quid clarius?

2. Joannes IV. quasi immediatus Honorii Successor (nam Severinus intermedius tantùm rexit 2. mensibus & 4. diebus) scripsit ad Heraclium Imperatorem se ex pluribus locis, accepisse totum Orientem scandalizari ob novam doctrinam Pyrrhi, in suam partem Honorium falso trahentis, nam Prædecessor meus, inquit, docuit non esse in Christi humanitate duas voluntates contrarias, nempè carnis & spiritus, sicut in nobis peccatoribus: quod aliqui malè intelligentes suspicati sunt ipsum unicam Divinitatis & Humanitatis voluntatem docuisse: quod est omninò veritati contrarium. Hæc quoad substantiam reperies Tom. 5. Conciliorum p. 1758. p. 1760. & 1761.

3. Synodus Lateranensis sub S. Martino Papa & Martyre celebrata 10. annis ab obitu Honorii, & tractans ex professo causam Monothelitarum condemnat quidem Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum Successores Patriarchas Constantinopolitanos, sed ne vel minimam facit mentionem Honorii. Quis autem dicere audeat S. Martyrem ac 150. Episcopos Concilio præsentes fuisse omnes personarum acceptores? Imò nunquid dicere potuissent Orientales opinionem de unica in Christo voluntate non esse ab ipsis sincerè condemnatam; cùm Honorium hujus hæresis reum non condemnarent?

4. Conc. Romanum celebratum sub Agathone eodem anno quo 6. Synodus, idest an. 680. postquàm fecit fidei professionem de duabus in Christo voluntatibus condemnavitque, prætermisso Honorio, Theodorum, Cyrum, Sergium, Pirrhum & Paulum, subdit Romanos Pontifices *Veram Fidem docuisse semper, & usque ad animæ ipsius exitum constanter defendisse, non seductos blanditiis, non periculis territos.* Qua fronte autem ausus fuisset Agatho & cum eo 125. Episcopi id scribere, imò ad 6. Synodum per Legatos suos mittere, si de hæresi nuperrimè inquinatus fuisset Honorius?

Quibus maturè consideratis, quis dicere audeat à Concilio in Spiritu Sancto congregato condemnatum esse præcipitanter tanquàm hæreticum, Honorium universalis Ecclesiæ caput, ob dictas ad Sergium Epistolas? imò ob primam tantùm, cùm secunda lecta fuerit sess. sequenti? Nonne cum prima ad summum esset de hæresi suspecta debebant antè condemnationem consulere secundam? Nonne inquirere debebant an in illo errore obiisset; An id aliquando Romæ verbo aut scripto docuisset? qualis esset de eo rumor apud Occidentales? Præsertim cùm scirent à Joanne IV. ejus Successore, à S. Maximo, & à proprio Secretario fuisse litteris publicis, & in oriente promulgatis purgatum, Nonnè condemnationi restituisent

Agathonis Legati, qui erant Romæ de contrario instructi, quique ita fortiter restiterunt Monothelitis Vigilium Rom. Pontificem in suam partem habere volentibus: certè mirum esset, quod pro condemnatione scriptorum Theodoreti & Ibæ Episcoporum oportuit totum Christianum orbem commoveri, œcumenicam Synodum congregari, magnoque labore detineri, inquit N. Frassen, Antistes autem primæ Sedis, qui omnes judicat, & à nemine judicatur, damnatus esset ex simplici Epistolarum ad summum in Fide dubiarum lectione, nullo reclamante, nulloque facto ulteriori examine.

Dices 1. Non tantùm condemnatur Honorius in 6. Synodo, sed etiam in 7.

R. 7. Synodum solùm repetere ea quæ erant in 6. adeoque eodem modo loquendum est de 7. ac de 6.

Dices 2. Leo II. In Epist. ad Constantinum Imperatorem asserit Honorium per suam hæresim Sedem Romanam contaminasse.

R. 1. Opponendo Leoni, qui tantùm 43. annis circiter post Honorium Ecclesiam rexit, remque ex aliorum relatione solum nosse potuit, Joannem IV. Successorem Honorii quasi immediatum, S. Maximum ejus contemporaneum, Joannem eius Secretarium. Prætereà cui potius credendum, an Leoni Successori dicenti Epistola privata Honorium Ecclesiam Hæresi contaminasse, an Agathoni Prædecessori profitenti cùm 125. Episcopis in Conc. Oecumenico, Rom. Pontifices *Veram Fidem docuisse semper, & usque ad animæ exitum constanter defendisse*. Suspectum est inquit Cabassutius hac in re Joannis Secretarii Testimonium, cum esset Honorio Domesticus. Sed quomodo suspectum, cum de eo dicat S Maximus in Dialogo contra Pirrhum: *Omnis virtutis splendore & Religionis disciplina totius Occidentis partes ornavit*.

Quomodo suspectum, cùm sit Epistolarum sensui conforme? An non agnoscit Honorius in suis Epistolis *Naturam Divinam quæ Dei sunt, operantem; & humanam, quæ carnis sunt exequentem*. Quomodo autem exequeretur natura humana, quæ hominis sunt, si ibi foret sine voluntate? Deinde addit: *Naturarum differentias integras confitentes*. Quomodo autem integrè differret natura humana à Divina, si non differret voluntate?

R. 2. Cum Baronio & aliis, spuriam videri illam Leonis Epistolam, idque ob contradictoriam ea contenta. 1. Scribit in ea Leo se recepisse litteras Imperatoris in mense Julio, & ad eas respondet eodem anno, mense Majo. 2. Quomodo Legatos Imperatoris recepit in mense Julio an. 683. cùm obierit, juxta Bullarium Romanum 28. Junii ejuidem anni. 3. Quia postquam in ea anathematizavit Honorium, subdit: *Et omnes qui in suo errore defuncti sunt, similiter anathematizamus*.

Constat autem Honorium non esse in errore defunctum; aliàs non fuisset cum honore & pompa ad S. Petrum sepultus, nec fuisset ejus sepulchrum versibus & elogiis condecoratum: quòd etiam, regnante Leone & posteà perseveravit. Imò licèt VI. Synodus jussisset imagines condemnatorum de Ecclesiis auferri; imago tamen Honorii in Ecclesia S. Agnetis, quam restauraverat, etiam nunc cernitur.

Instant aliqui eundem Pontificem misisse ad Præsules Hispanos, & præsertim ad eorum Regem Eruigium Epistolas, in quibus legebatur Honorii condemnatio.

Respondet Baronius etiam spurias esse Epistolas illas, 1. Quia in illis asseritur S. Synodum absolutam esse indictione 9. cùm tantùm fuerit indictione 10. ut patet ex fine ejusdem Synodi 2. In Epistola ad Eruigium dicitur Imperator scripsisse ad Agathonem, cùm tamen scripserit ad Donum Agathonis prædecessorem. 3. Non scripsit Imperator indictione 9. ut præfert illa Epistola. Sed 6.

Dices 3. Adrianus II. in Conc. Romano asserit judicatum fuisse Honorium post mortem ab Orientalibus, quia de hæresi fuerat accusatus.

R. Id inde ortum esse, quòd Anastasius Bibliothecarius translationem 7. & 8. Synodi de Græco in latinum ipsi Adriano dedicaverat. Ut autem videretur translator fidelis, condemnationem Honorii in Græco repertam reliquit in sua versione; licèt ipsemet contrarium crederet, ut testatur in sua historia ex Theophane Isauro Græco.

Ex his concludo, verisimiliter non fuisse Honorium condemnatum: & certè persuadere mihi non valeo potuisse à tanto tamque solemni Concilio condemnari ut hæreticum ob dictas Epistolas; cùm ne vel umbra in eis appareat hæreseos; veritatem dissimulasse, dissimulo ego, sed falsitatem docuisse, nec reperio, nec reperiet qui eas oculo sano perlegerit. Idem eodem modo expressit Sergius, inquis, & tamen verus fuit Monothelita: quidni & Honorius? fateor, idem ferè eodem modo scribere quantùm ad hoc, quòd esset ab *Unius* aut *duarum* operationum voce abstinendum, non tamen quoad alia: quod fatebitur omnis, qui eorum Epistolas sine præventione conferet; cùm Sergius excludat voluntatem ab humanitate; Honorius autem excludat quidem ab ea voluntatem carnis, seu cum rebellione, non tamen voluntatem spiritus seu talem qualis erat in statu Innocentiæ: sicque patenter admittit voluntatem Divinitatis & voluntatem humanitatis: si dubitas, lege hæc ejus verba: *Profectò à Divinitate assumpta est nostri natura, non culpa: illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata*: hocque adfert, ut probet unam esse in Christo voluntatem, non Divinitatis; aliàs ridicula esset probatio, sed humanitatis sensu antea explicato. His non obstantibus

SOLUTIO II.

NOn minùs verisimile est condemnatum esse Honorium in 6. Synodo, non quidem ut Monothelitam, sed ut Monothelismi fautorem, saltem materialem. Hæc solutio continet tres partes.

Prob. prima: quia cùm definitionis Synodiæ 5. descripta fuerint exemplaria præsente & ea subsignante Imperatore, quorum unum datum est legatis Agathonis, aliud Patriarchæ Constantinopolitano, tertium Patriarchæ Antiocheno, & duo alia legatis Patriarcharum absentium, quomodo fieri potuit, ut omnia illa exemplaria fuerint depravata, & præsertim illud quod Romæ delatum est, cùm Romani Honorium non accusarent, sed defenderent; prætereà cùm in 7. seu Nicæna Synodo iterum condemnaretur Honorius, cur legati Adriani I. non restiterunt? cur non dixerunt se nunquam audivisse condemnatum esse aliquando Honorium? quod signum est sanè ipsos illius condemnationis in 6. Synodo fuisse conscios. Accedit quod Adrianus II. nunquam scripsisset ad 8. Synodum, fuisse Honorium post mortem ab Orientalibus judicatum, nisi Honorii condemnatio tanquam certa Romæ haberetur.

Prob. secunda pars: Quia sufficienter probavimus Honorii Epistolas ad Sergium, ob quas tantùm dicitur condemnatus, esse Catholicas, nec posse ad sensum hæreticum sine violentia detorqueri; quandoquidem, etiam teste Cabassutio, *Nihil nisi orthodoxum exprimunt*, unde dixit Baronius: *Cum Epistola Honorii in omnibus orthodoxa probetur, evanescit illa de ejus damnatione*, nempè ut hæretici, *sententia*.

Prob. tertia pars; probabilius est fuisse condemnatum, ut probavimus, sed non potuit condemnari ut Monothelita ob suas Epistolas: ergo condemnari debuit ut fautor erroris Sergii, seu Monothelismi: & certè, licèt fortè fuerit deceptus Sergio, voluntatis dualitatem negante, & non tantùm dualitatem voluntatis humanæ, carnis nempè & Spiritus, ut putabat Honorius, aut putare dissimulabat; quia tamen Sergii Doctrinam approbavit dicens in fine primæ Epistolæ: *Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet sicut & nos: ea vobiscum unanimiter prædicamus*, & alia alibi, potuit à Concilio sine errore ut fautor Monothelismi condemnari.

Dices 1. Condemnatur ibi ut Cyrus, Sergius & alii: ergo ut hæreticus: imò Act. 16. in fine hæreticus vocatur.

Resp. Dist. Ant. Condemnatur ut Cyrus, idest, eidem subjacet excommunicationi, Conc. idest, propter eandem causam, N. ille enim condemnatur quia hæresim sustinuit, hic quia hæresim fovit & non impedivit, cùm ad id ex justitia teneretur. Dicitur autem hæreticus, quia sicut moraliter loquendo dicitur latro, qui fovet latrones, ità & hæreticus, qui fovet hæreticos.

Dices 2. Act. 28. 6. Synodi legitur: *Anathematizari prævidimus & Honorium .... qui in omnibus ejus* (Sergii) *mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit*: ergo Monothelismum fovit & sustinuit.

R. Vocem *Secutus* in Græco idem esse ac *obsecutus*; sicque vult dicere, Honorium non contradixisse Sergio, sed sua conniventia & silentio ipsum in errore confirmasse.

Deinde condemnatum fuisse Honorium, non propter hæresim, sed propter fomentum hæreseos, evidenter patet ex dicto Imperatoris ad calcem 6. Synodi, ubi vocatur Honorius fautor hæresis, & contrarius sibi ipsi: quomodo autem contrarius sibi ipsi; nisi, quia doctrinam, quam in Sergio fovebat, ipsemet admittebat. Vide tom. 6. Conc. pag. 1085.

Dices 3. Patres 6 Synodi viderant Apologias in favorem Honorii, cùm jam essent publicæ in Oriente: ergo non potuerunt illum condemnare, nequidem ut fautorem hæreseos.

Resp. Dist. Ant. Viderant Apologias pro defendendo ejus doctrina, C. pro defendenda ejus conniventia erga Sergium, N. ex dictis

Resol. Non errasse Concilium condemnando Honorium

rium

rium ut fautorem Monothelismi; quia licèt fortè id non intenderit, fueritque à Sergio deceptus, ejus tamen Epistolæ, omnibus attentis, sensum illum exteriùs ferunt, secundùm quem fuit indicatus, non secundùm sensum internum, de quo non judicat Ecclesia.

SOLUTIO III.

Aliam solutionem adfert R. pater Lupus Tomo 2. & 6. qua & Honorium purgat condemnatum, & 6. Synodum condemnantem, per hoc nempe quòd Agathonis legati excesserint suam potestatem, utpote quibus tantùm tria erant commissa, nempe fidei defensio, Monothelitarum ab Agathone nominatorum condemnatio, & Honorii absolutio. Sed huic solutioni

Obstat 1. Quòd nulli Pontifices Romani contrà condemnationem illam reclamaverint. Imò Leo 2. dicti Concilii approbator in suis Epistolis ad Imperatorem & Regem Etvigium, si veræ sunt, Honorium refert condemnatum. 2. quod in 7. Synodo dictum sit Anathema Honorio, sicut & aliis, consentientibus Adriani 1. legatis. 3. quòd in 8. Synodo legatur Epistola Adriani 2. asserentis judicatum esse Honorium ab Orientalibus, nempe 6. Synodi Patribus. Denique, quòd Lupi fundamentum destruit, addit idem Pont. non fuisse condemnandum Honorium, nisi primæ sedis Pontificis præcessisset authoritas: unde standum est primæ, aut secundæ solutioni.

§. II.

RESOLVITUR QUÆSTIO.

Duæ facto duæ sunt in Christo voluntates, Divina scilicet & humana. Est de fide in sexta & septima Synodo, item in Conciliis Lateranensi sub Martino 1. Et Florentino.

Prob. 1. Ex Scriptura Lucæ 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Joan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me*: ergo habet aliam voluntatem Christus, quàm Pater Divinus, adeoque, ultra Divinam sibi & Patri communem, habet humanam sibi propriam.

Prob. 2. Quia Christus assumpsit humanitatem integram & perfectam, ut dixi: ergo & voluntatem. Præterea fuit in Christo obedientia; illa est actus voluntatis, non Divinæ: ergo humanæ. Deinde non potest stare meritum sine voluntate creata; atqui meruit nobis Christus gratiam & gloriam: ergo &c.

Objici. 1. Dionysius de Divinis nominibus c. 2. dicit unicam esse in Christo operationem: ergo & unicam voluntatem.

Ref. Dist. Ant. Esse unicam operationem Divinam N. unicam quam Græci vocant Theandricam, & Latini Deivirilem, transeat; sed illas duas importat, Divinam scilicet & humanam, adæquatè distinctas & retinentes proprias cujusque rationes sine ulla compositione, permixtione, aut confusione: unde talis operatio est tantùm una unitate ordinis, in quantùm Divina utebatur humana, & humana erat Divinæ subordinata. Dixi *transeat*; quia si operatio Theandrica sumatur (ut fit satis communiter) pro actione Christi humana, quæ vel per valorem & dignitatem, quam recipit à supposito, vel propter idiomatum communicationem, dicitur etiam Divina, negandum est, quòd sit in Christo sola operatio Theandrica; quia ultra illam datur operatio physicè & entitativè Divina, Divinæ correspondens voluntati.

Obj. 2. Unius est unica voluntas; sed Christus fuit unus: ergo unicam habuit voluntatem.

Res. Dist. Maj. Unius tam in natura, quàm in persona unica est voluntas, C. unius in persona, sed duplicis in natura, unica est voluntas, N. quia duplici naturæ intellectuali, duplex correspondere debet voluntas.

Inst. 1. Christus est unus, sicut homo, sed homo unicam habet voluntatem: ergo & Christus. Prob. Maj. Ex Symbolo Athanasii, ubi dicitur: *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.*

Ref. Dist. Maj. Est unus sicut homo in natura, N. in persona, C. & hanc solam comparationem voluit Athanasius, ut satis patet ex aliis.

Inst. 2. Christus est unicum agens: ergo est unus omninò sicut homo, saltem in ordine ad operandum, & consequenter unicam habet voluntatem.

Resp. Dist. Ant. Est unicum agens *ut quod* transeat: quia est unicum suppositum. Est unicum agens *ut quo* Nego quia in Christo tam agit natura humanam, quàm Divina.

Inst. 3. Humanitas in Christo, secundùm Patres, fuit instrumentum Divinitatis; ergo in Christo fuit unicum agens *ut quo*, saltem principale, nempe Divinitas.

Ref. Dist. Ant. Humanitas in Christo fuit instrumentum Divinitatis, nullam habens de se operationem, N. habens proprias operationes, adeoque & principia operandi, nempe intellectum, voluntatem &c. C.

Inst. 4. Instrumenti & causæ principalis unica est operatio: ergo humanitas, quæ est instrumentum Divinitatis, ut causæ principalis, non habet operationes, adeoque nec principia operandi.

Ref. Dist. Ant. Instrumenti præcisè & causæ principalis, unica est operatio, transeat, instrumenti quod est etiam causa principalis, ut erat humanitas in Christo respectu suarum operationum, N.

Inst. 5. Humanitas in Christo quantùm ad operationes & operationum principia totaliter absorbetur: ergo &c. Prob. Ant. Quia operari est suppositi, quod hic est Divinum.

Ref. N. Ant. Ad Probationem Dist. Assumpt. Operari est suppositi denominativè, C. elicitivè, N. unde humana Christi voluntas operabatur, & Christus tanquam suppositum dicebatur velle.

Obj. 3. Voluntas in quolibet supposito est primum movens in suo ordine; sed in Christo fuit unicum tale primum movens: ergo & unica voluntas.

Resp. Neg. Min. Quia licèt humana Christi voluntas non dicatur primum movens respectu divinæ voluntatis, dicitur tamen respectu suarum operationum, & aliarum potentiarum humanarum, quibus imperat, Ex dictis

Resol. In Christo omnia (si personalitatem exceperis) fuisse duplicata, & consequenter fuisse duas naturas, duos intellectus, duas voluntates & duas operationes, quarum una erat Divina, altera humana.

QUÆSTIO II.

An humana Christi voluntas semper fuerit Divinæ conformis? & an semper fuerit adimpleta?

Macharius Monothelita cum suis asseclis, ne teneretur voluntatem contrarietatem admittere in Christo, sustinuit tantùm esse unicam, nempe divinam, ut diximus, sed nos Divinam & humanam confitentes utriusque concordiam & conformitatem explicare conabimur. Ante resolutionem

Suppono 1. Voluntatem humanam posse esse divinæ conformem in volito materiali & in volito formali. Est conformis in volito materiali, quando homo idem omnino vult aut non vult, ac Deus, ut si Deus vellet hominem mori, & homo velit mortem. Est autem conformis in volito formali, quando non tantùm idem vult, aut non vult, ac Deus, sed etiam quando vult aut non vult sub eadem ratione, sub qua Deus illud vult, aut non vult: ut si Deus velit hominis mortem ut bono Reipublicæ convenientem; & ipse illam acceptet propter eandem rationem.

Suppono 2. Duplicem in homine distinguendam esse voluntatem, efficacem unam, inefficacem alteram. Efficax est illa, per quam homo, omnibus attentis & consideratis, vult rem aliquam omninò absolutè. Inefficax verò, per quam vult rem, sed quasi conditionatè, ut si possit fieri, si esset possibile &c. Et ideo meliùs diceretur velleitas, quàm voluntas. Unde duæ illæ voluntates non sunt sibi contrariæ, quandoquidem possint esse simul & semel in uno & eodem homine naufragium efficaciter metuente, in quo reperitur voluntas inefficax servandi merces, & efficax projiciendi in mare.

Suppono 3. Appetitum sensitivum in Christo non fuisse Divinæ voluntati conformem in volito materiali: nam Deus volebat absolutè Christi mortem, & tamen appetitus Christi sensitivus illam refugiebat ut sibi disconvenientem. Idem asserit D. Thomas de Christi voluntate sumpta præcisè per modum naturæ, seu consideratæ, quatenus respicit objectum secundùm se, & quasi abstrahendo ab omnibus aliis: sed hic agimus de voluntate rationis, seu de voluntate, quæ fertur in objectum omnibus attentis & consideratis.

CON-

CONCLUSIO I.

HUmana Christi voluntas efficax fuit in omnibus divinę voluntati conformis, adeoque tam in volito materiali, quàm formali. Est communis omnium Patrum & Scholasticorum sententia, hancque definiit veritatem Agatho Papa in Epistola recepta in sexta Synodo actione quarta, ubi expressè asserit voluntates in Christo nec fuisse sibi contrarias, nec adversas.

Prob. 1. Ex Scrip. Ps. 26. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus*. Joan. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*. Ex 8. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper*.

Prob. 2. Ratione: quia Christus per scientiam beatam & infusam noverat Dei voluntatem circa objectum & materiale & formale: ergo illam ad amussim amplexabatur; quandoquidem non venerit suam, sed Patris voluntatem facere.

Dices, Deus volebat Christum mori, & tamen Christus mortem fugiens dicebat Matth. 26. *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste*: ergo humana Christi voluntas non erat divinæ conformis.

Resp. Dist. Ant. Christus fugiebat mortem voluntate efficaci, N. inefficaci, cum qua stabat voluntas efficax illam subeundi, ut patet ex verbis sequentibus: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, C. & sic nulla fuit in Christo voluntatum contrarietas; quandoquidem voluntas efficax unius objecti & inefficax objecti oppositi non sibi contrarientur, ut diximus. Et certè si hoc esset, admittenda esset in ipso Deo voluntatum contrarietas, cùm voluntate inefficaci velit omnes homines salvos fieri, & voluntate efficaci velit non omnes salvos fieri.

Inst. Ex his verbis: *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste*, colligit Agatho Papa duplicem in Christo voluntatem, Divinam unam volentem Christi mortem, humanam alteram, mortem refugientem: ergo voluntas fugiendi mortem non erat inefficax. Prob. Conseq. quia ex voluntate efficaci mortis subeundæ & inefficaci non subeundæ in eodem non sequitur voluntatum diversitas; cùm sit in eodem homine naufragium metuente, voluntas efficax non projiciendi merces, & inefficax non projiciendi, ut diximus.

Resp. Quòd Pontifex non colligat humanam in Christo voluntatem præcisè ex affectu displicentiæ erga mortem: sed ex modo, quo dicta verba fuerunt ab ipso prolata; nam illa protulit 1. cum tristitia & timore, 2. per modum orationis: tristari autem, timere & orare non conveniunt Divinæ voluntati & consequenter rectè infert esse in Christo voluntatem humanam: quod confirmant verba sequentia: *Non mea, sed tua voluntas fiat*.

CONCLUSIO II.

HUmana Christi voluntas inefficax non semper fuit adimpleta, secus omnino efficax.

Prob. 1. Pars: Quia licèt Christus vellet inefficaciter non mori, tamen de facto mortuus est, ut docet Fides.

Dices: ergo fuit in Christo voluntas omnino inutilis & otiosa.

Resp. Neg. Ill. Quia propter varias rationes illam in se admisit Christus, ac 1. ut ostenderet in se veritatem susceptæ carnis, quæ naturaliter mortem refugit. 2. ut præberet exemplum Martyribus mortem non fugiendi, licèt appareat horribilis. 3. ut eosdem doceret mortis meritum non minui, licèt timeatur. 4. ut magis nobis assimilaretur. 5. ut instrueremur nos posse quandoque licitè & meritoriè mortis liberationem à Deo petere, licèt sciamus voluntatem Dei esse, ut illam patiamur. 6. denique, ut advertentes in nobis similes voluntates inefficaces, statim cum illo diceremus: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Et ex his rationibus habetur solutio ad objectionem dicentem, quòd fuisset perfectius Christo mortis horrorem sentienti, illam patienter tolerare, quàm liberationem ab illa petere; quandoquidem hoc non petierit tanquàm homo privatus ad solatium naturæ, sed tanquàm caput ad membrorum suorum instructionem.

Dices 2. Apostolus Hebræor. 5. alludens ad orationem Christi in horto: *Exauditus est*, inquit, *pro sua reverentia*: ergo illius voluntas inefficax fuit adimpleta.

Resp. Fuisse exauditam Christi voluntatem, non qua dixit, *Transeat à me calix iste*, sed qua addidit, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: ubi continetur voluntas efficax mortis subeundæ juxta præscriptum & voluntatem Patris.

Prob. Secunda pars; quia, cum Christus per scientiam beatam nosset omnia, quæ Deus per ipsum, aut in ipso, aut aliter vellet exequi, imprudenter egisset, si absolutè & efficaciter voluisset aliquid, quod noverat Deum nolle exequi.

Dices: Christus voluit efficaciter latere, & non potuit, Marci 7. & Matth. 9. ergo omnis ejus voluntas efficax non fuit adimpleta.

Resp. Dist. Ant. Voluit efficaciter per omnes vires, Neg. per vires humanas, ultrà quas noluit adhibere supernaturales, Con. sed talis volitio non est omnino efficax, de qua sola hic agitur: Nec inde potest dici Christus à suo proposito frustratus; quandoquidem non se extenderet efficaciter ejus voluntas ad latitandum, nisi in quantùm per medium naturale & humanum posset hoc fieri: unde hoc est discrimen inter voluntatem omnino efficacem, & efficacem limitatam, quòd prima velit finem per omne medium sibi possibile, ita ut uno medio non sufficiente, adhibeat aliud. Secunda autem velit finem per medium determinatum, & limitatum, quo non sufficiente, non movetur à priori affectu, ad ponendum aliud. Ex dictis hac quæstione

Resolve quod licèt fuerit in Christo ut homine voluntas efficax moriendi, & inefficax non moriendi, non fuerit tamen in ipso pugna interna voluntatum humanarum; tum quia; ut dixi, voluntas efficax unius objecti non contrariatur voluntati inefficaci objecti oppositi, tum quia ad pugnam internam requiritur, ut affectus unius voluntatis excitetur contra affectum alterius voluntatis; omnes autem motus in Christo fuerunt sponte admissi ex libero voluntatis imperio; & ideo nullus fuit involuntarius: unde damnata est nuperrimè hæc propositio ab Innocentio XII. *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes*.

QUÆSTIO III.

An humana Christi voluntas fuerit præceptis ligata, & quibus?

SUppono 1. Præceptum, sicut & legem, dividi in naturale & positivum. Naturale est regula creaturæ rationali insita & concreata, per quam obligatur ad faciendum ea, quæ ex se naturæ rationali conveniunt, & ad fugiendum ea, quæ eidem disconveniunt.

Positivum verò, quod à legislatore positivo imponitur aliud est divinum, quod immediatè à Deo, aliud humanum, quod immediatè ab homine per exteriorem promulgationem proficiscitur.

Suppono 2. In præceptis, sicut in legibus, duplicem esse vim, directivam unam, quæ impellit ad bonum & revocat à malo: & coactivam alteram, quæ subdit transgressores pœnis præcepto statutis. Quoad vim directivam, suis legibus & præceptis tenentur legislatores etiam supremi, ubi materia præcepti communis est ipsis & inferioribus, aliàs non: quoad vim autem coactivam, nullo modo tenentur. His suppositis

CONCLUSIO I.

HUmana Christi voluntas fuit de facto ligata veris & propriè dictis præceptis. Est communis contra paucos qui volunt Christum, ratione suæ impeccabilitatis, fuisse omnis præcepti rigorosè sumpti incapacem.

Prob. 1. Ex Scriptura Joan. 15. *Si præcepta mea servaveritis, ... sicut & ego Patris mei præcepta servavi*. Ubi eodem modo vocat præcepta sibi à Patre data, ac ea, quæ dedit ipsemet Apostolis, atqui præcepta Apostolis data, fuerunt præcepta propriè dicta: ergo & illa quæ accepit à Patre.

Confirmatur, quia verba Scripturæ Sacræ sunt in proprio sensu accipienda, ubi nullum sequitur inconveniens aut absurdum, atqui nullum inconveniens aut absurdum sequitur, quod nomen *præcepti* in dicto passu & in similibus sumatur proprie: ergo &c.

Prob. 2. Fuit in Christo vera & propriè dicta obedientia, atqui vera & propriè dicta obedientia supponit verum & propriè dictum superioris præceptum: ergo. Major certa est tum ex illo ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*: tum ex hoc quòd comparet Scriptura Christi obedientiam cùm inobedientia Adami,

mi, sed hæc fuit propriè talis: ergo & illa, & quidem à fortiori: nam *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia* Prob. Min. vel enim superior consulit, vel præcipit, cùm non detur medium, atqui si tantùm consulat, non dicitur inferior ejus consilium sequens obedire, secundùm communem sensum: ergo, ut dicatur inferior obedire, debet Superior præcipere.

Obj. 5. Objectum formale obedientiæ non est necessariò præceptum obligans, sed vel obligans, vel manifestans superioris voluntatem: ergo non supponit Obedientia præceptum propriè dictum, cùm illud inducat obligationem, sicut lex propriè dicta. Prob. Ant. quia dantur in certis Religionibus constitutiones non obligantes, & tamen qui illa sequuntur, dicuntur proprie obedientes.

Resp. Nego Ant. Ad Prob. Dist. Assumpt. Dantur constitutiones non obligantes ad culpam, Conc. non obligantes nec ad culpam, nec ad pœnam, Nego Quælibet enim, si culpam non inducat, obligat transgressores ad subeundam saltem pœnam à Superioribus imponendam, ubi judicaverint expedire, jam autem, cùm nulla sit ratio dicendi, quòd Christus obligaretur ad præcepta exequenda tantùm sub pœna; cùm hoc in præceptis illis impositis nec implicitè ponatur, sicut ponitur in Religiosorum constitutionibus ad culpam non obligantibus, aliàs sine tali clausula ad culpam obligaturis, dicendum est ad illa fuisse obligatum sub culpa.

Replicabis. Dicendo Christum tantùm obligati ad præceptorum executionem sub pœna, optimè conciliatur in ipso libertas cum impeccabilitate.

Res. Nos etiam conciliaturos postea Christi libertatem cum ejus impeccabilitate, licèt admittamus Christum fuisse obligatum ad præcepta & leges sub culpa.

Præterea, ideo dicitur Christum non obligari præceptis ad culpam obligantibus, quia posset committere actiones se indignas, atqui posset etiam tales actiones committere, licèt tantum obligaretur præceptis ad solam pœnam obligantibus: ergo fuit illa ratio. Prob. Min. Quia posset ponere actiones dignas pœna, adeoque dignas correctione & reprehensione.

Dices, Violationem præcepti ad culpam obligantis involvere imperfectionem, non sic violationem præcepti ad solam pœnam obligantis; ergo licèt illa sit Christo indigna, non tamen hæc.

Resp. Quòd violatio præcepti ad solam pœnam obligantis non importet quidem imperfectionem Theologicam, importet tamen imperfectionem moralem & reprehensione dignam consistentem in hoc, quòd voluntatem Dei sibi propositam & intimatam non exequatur, jam autem summa Christi sanctitas non solùm peccatum, sed etiam quamlibet indecentiam & imperfectionem moralem à se excludit.

Obj. 2. Cum aliis. Præcepta Christo imposita nec ad culpam, nec ad pœnam obligarunt, & sic vitantur omnia inconvenientia præfata.

Resp. 1. Quòd licèt gratis daretur præcepta illa nec ad culpam nec ad pœnam obligasse, tamen semper esset in Christo imperfectio moralis, illa sibi à Deo intimata non observare.

Resp. 2. Inde sequi 1. In Christo nullam prorsus fuisse obedientiam contra expressum Scripturæ testimonium: nam ubi superior præscribendo, nec ad culpam, nec ad pœnam obligat, non præcipit, sed consulit; ubi autem consulit, non habet se ut superior ad inferiorem, sed ut æqualem, inter quos nulla est obedientia. 2. Præcepta illa tantùm vocetenus fuisse præcepta; quandoquidem præscripta aut constitutiones nec ad culpam, nec ad pœnam obligantes, secundum communem sensum, nec sint leges, nec præcepta, sed meræ directiones aut exhortationes: unde illa sequentes non dicuntur propriè obedientiam exercere, sed vel charitatem, si agant ex amore erga superiores, vel humilitatem si ex animo se submittendi, vel aliam virtutem, si ex alio motivo.

Obj. 3. Christus est incapax culpæ: ergo & præcepti obligantis.

Res. Dist. Ant. Est incapax culpæ ex intrinsecis naturæ assumptæ, Neg. patet ex dictis. Est incapax culpæ beatitudinis C. sed sicut Beati ligantur præceptis naturalibus, ut suo loco diximus, potuit & Christus, licèt beatus, præceptis ligare.

Obj. 4. Christus fuit incapax voti: ergo & præcepti strictè dicti.

Res. Neg. Ant. Qui enim potest per alium præcepto ligari potest seipsum præcepto ligare. Quid autem aliud votum, quàm præceptum particulare, quod quis sibi-ipsi imponit?

Obj. 5. Non colligitur Christum fuisse præceptis ligatum nisi ex Scriptura aut Patribus, atqui nec ex Scriptura aut Patribus potest colligi mandata Christo imposita fuisse præcepta rigorosa: ergo &c. Prob. Min. Nam 1. Scriptura sæpe usurpat vocem *præceptum* impropriè: ut enim alia taceam 2. Regum 16. dicitur: *Dominus præcepit ei*. Nempe Semei, *ut malediceret David*; sed certum est non fuisse ibi verum præceptum: aliàs Deus præcepisset peccatum: ergo &c. 2. Patres volunt præcepta Christo data fuisse vel Divinæ voluntatis traditiones, ut Basilius; vel consilia, ut Cyrillus Alexandrinus: vel concordiam humanæ voluntatis cum Divina, ut Chrysost. vel inspirationes, ut alii.

Res. Dissimulata Majore, N. Min. Ad Probationem ex Scriptura dico, quòd licèt quandoque sumat Scriptura ly *præceptum* impropriè, malè tamen inferatur sic semper sumere: unde Regula generalis à B. Augustino, Theologis, & Scripturæ expositoribus passim admissa, scilicet vocem aliquam aut propositionem sumendam esse in sensu proprio, quando inde nullum sequitur inconveniens aut absurdum; secus autem, quando tale quid sequitur, debet nos in similibus dirigere. Jam autem nullum sequitur absurdum aut inconveniens, quòd præcepta Christo imposita sumantur in sensu proprio; sed potiùs sequitur major & perfectior Christi obedientia: sequitur verò maximum absurdum quòd præceptum Semei factum sumatur propriè. Idem dic cum proportione de aliis

Ad probationem ex Patribus, dico Basilium vocare illa, Divinæ voluntatis traditiones, quia Deus illa Christo imposuit, non modo imperioso tanquam Dominus servo, sed modo amabili tanquam Pater Filio. Idem responderi debet iis, qui dicunt esse inspirationes.

Vocat Cyrillus consilia, non quia talia sunt, sed ut ostendat tantam fuisse Christi promptitudinem & subjectionem in illis exequendis, ut sufficeret illi consulere. Vocat Chrysostomus concordiam humanæ voluntatis cum Divina: quia quidquid volebat Pater præcipiens, idipsum ad amussim volebat Filius obediens, & quidem ità libenter, ut ex parte ipsius non videretur necessarium præceptum, ut Patris voluntatem exequeretur: unde idem Chrysostomus homil. 59. in Joannem sic loquitur: *Quia à seipso animam ponit, præcepto non indiget*. Si quis tamen contenderet non posse prædictos Patres explicari, illis opponendi sunt Ambrosius, Augustinus, Damascenus, Gregorius Nyssenus & plurimi alii.

Obj. 6. Tota præceptorum Christo impositorum obligatio oriebatur ex humana ejus voluntate: ergo non erant præcepta rigorosè sumpta; quia hæc vim obligandi non habent ab obediente, sed à præcipiente. Prob. Ant. Ex D. Chrysostomo homil. 16. in Epist. ad Hebræos: *Licebat illi nihil pati, si voluisset*. Idem habent Nazianzen. in Panoplia c. 57. *Qui cùm liberum fuisset manere in propria gloria .... Crucem sustinuit*. Et Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo* c. 19. *Ille sponte obtulit, quod nulla necessitate amissurus erat*: ergo habuit obligationem moriendi (idem est de aliis præceptis) quia sibi imponi voluit.

Res. N. Ant. Quia modus ille loquendi à Bonæ Spei & aliis adinventus ad conciliandam in Christo libertatem cum impeccabilitate, nihil prorsus ad illud confert: nam 1. Præcepta naturalia, secundùm Theologos, ipsum obligant independenter ab humana ejus voluntate. 2. Quia licèt modus ille ostendat Christum fuisse liberum in petendo præceptum, non ostendit tamen, posito præcepto, fuisse liberum in obediendo.

Ad probationem, dico Chrysostomum tantùm velle Christum non fuisse obligatum ad mortem ex peccato: immediatè enim subdit: *Non enim peccatum fecit*; Non negat tamen fuisse obligatum ex præcepto.

Ad Nazianzenum: dico illum non loqui de Christo ut homine, sed de Verbo Divino.

Anselmus autem, tantùm vult non habuisse Christum necessitatem moriendi: quia, etiam posito præcepto, remanebat liber.

CON-

CONCLUSIO II.

HUmana Christi voluntas fuit ligata præceptis naturalibus sive affirmativis, ut Deum colendi; parentes honorandi: sive negativis, ut non mœchandi &c. Est communis inter Theologos. Ratio est, quia Christus erat verus homo: atqui in omnium hominum cordibus scripta est lex naturalis: ergo &c. Præterea obligatur Christus ut creatura rationalis rationaliter vivere: sed illa obligatio oritur ex lege naturali: ergo &c. Deinde non erat humana Christi voluntas ex suis puris intrinsecis ad rectum indefectibiliter determinata.

CONCLUSIO III.

CHristus non tenebatur legibus seu præceptis humanis. Ità communiter Theologi.

Ratio est: quia cùm Christus esset Rex Regum & Dominus Dominantium, non debebat Regum aut Principum legibus subjici; cum suis legibus & præceptis Christo subjicerentur, ut dicetur postea.

Dices 1. Christus erat subditus Josepho & Mariæ juxta illud Lucæ 2. *Et erat subditus illis*: ergo tenebatur eorum præceptis.

Resp. Dist. Ant. Erat subditus Mariæ & Joseph ex aliqua lege positiva, N. ex lege naturali, transeat: & sic tenebatur eorum præceptis, non quia erant illius Superiores secundùm aliquam jurisdictionem humanam, quod requiritur, ut aliquis dicatur subjectus legibus humanis, sed secundùm naturam.

Dices 2. Christus solvit tributum: ergo tenebatur legibus humanis.

Resp. Dist. Ant. Solvit tributum ex obligatione, N. ne scandalizaret Judæos, C.

Dices 3. Pilatus habuit potestatem in Christum: ergo &c. Prob. Ant. nam cùm dixisset Pilatus, quòd haberet potestatem ipsum vel crucifigendi, vel dimittendi, respondit Christus: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper*; & consequenter agnovit ipsemet talem potestatem in Pilato.

Resp. Christum non agnovisse in Pilato potestatem aliquam jurisdictionis, sed præcisè potestatem physicam, qualem habent omnes impii respectu eorum, quibus malefaciunt ex permissione Divina: unde Pilati sententia fuit injusta & defectu æquitatis, & defectu jurisdictionis.

CONCLUSIO IV.

NOn fuit etiam ligata humana Christi voluntas legibus divinis positivis. Est etiam communis.

Prob. 1. De legibus veteris Testamenti; nam cùm venisset Christus liberaturus homines ab oneribus istius legis, non est credibile, quòd fuerit ipsemet illis subjectus, illam tamen non solvit sed adimplevit, permittendo se circumcidi, in Templo præsentari &c. tum ut aliis humilitatis & obedientiæ exemplum præberet, tum etiam ut Judæis occasionem calumniandi subtraheret.

Prob. 2. De legibus novæ legis; quia, cùm præcepta Evangelica respiciant vel usum Sacramentorum, vel Fidem suscipientium, vel alia hujusmodi, quibus non indigebat Christus, non decuit ipsum ad illa obligari, ideò quidem quoad vim directivam, quæ tantùm Legislatores afficit, quando præcipiunt aut prohibent materiam sibi & subditis communem & congruam.

CONCLUSIO V.

HUmana Christi voluntas fuit ligata certis præceptis ipsum specialiter respicientibus, & de facto ligantibus, inter quæ est illud solemne mortis subeundæ ad generis humani redemptionem; & ideo, ut confusionem vitemus, de illo solo hic agimus, hujus resolutionem aliis præceptis applicaturi.

Prob. 1. Ex Scriptura Joan. 10. *Hoc mandatum*, scilicet moriendi, *accepit à Patre meo*: Atqui præceptum illud obligabat; quandoquidem Christus moriendo exercuerit actum Obedientiæ, juxta illud ad Hebræos 5. *Didicit ex iis, quæ passus est, Obedientiam*: ergo &c.

Confirmatur ex illo ad Philippenses 2. *Factus est Obediens usque ad mortem*, scilicet inclusivè; sed Obedientia supponit præceptum obligans, ut Conclusione prima diximus: ergo &c.

Dices: D. Bernardus lib. de Præcepto & Obedientia sic loquitur; *Perfecta Obedientia nescit legem*: ergo ex eo quòd Christus fuerit Obediens, malè infertur habuisse præceptum obligans.

Resp. D. Bernardum nihil aliud velle, quàm quòd Obedientia perfecta requirat magnam in Obediente promptitudinem, ità ut vix debeat Superioris præceptum expectari quamvis sine illo non stet vera Obedientia.

Prob. 2. Christus fuit ligatus præceptis obligantibus, ut diximus; sed nulla est ratio excludendi ab hoc præceptu obligationem, imò est maxima ratio illam ipsi annectendi; cùm moriendo fuerit Obediens: ergo &c. Pro solvendis objectionibus sicut & pro aliis probationibus, vide conclusionem primam integram.

QUÆSTIO IV.

An humana Christi voluntas fuerit libera, qua libertate, & in qua materia?

SUppono 1. Duplicem esse libertatem, unam à coactione, alteram à necessitate.

Libertas à coactione, quam essentialem vocant, est quædam deliberata spontaneitas, qua voluntas ex prævia cognitione intellectus fertur in suum actum: hæc est omnibus actibus voluntatis etiam maximè necessariis intrinseca; nam, cùm non possit voluntas ad ullos actus suos cogi: sequitur esse omnes à coactione liberos.

Libertas autem à necessitate est facultas ad opposita, etiam positis ad operandum omnibus prærequisitis: vocatur etiam libertas indifferentiæ & in genere mortis. Estque duplex, una contradictionis seu exercitii, quæ est ad contradictoria; v. g. ad amorem vel non amorem; altera contrarietatis, seu specificationis, quæ est ad contraria, v. g. ad amorem vel odium.

Suppono 2. Materiam, circa quam versatur humana voluntas, aliam esse liberam, aliam præceptam. Materia libera est illa, quæ potest poni vel omitti sine ullo peccato, & talis est comestio carnium in die Resurrectionis Dominicæ. Materia verò præcepta est, quæ non potest omitti, si sit quid positivum; vel poni, si sit quid negativum, sine peccato. His suppositis

CONCLUSIO I.

HUmana Christi voluntas fuit libera. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura Isaiæ 7. *Butyrum & lac comedet; ut sciat reprobare malum & eligere bonum*. Electio autem est actus potentiæ liberæ: & cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*.

Prob. 2. Ex 6. Synodo act. 4. ubi definitur fuisse in Christo omnes proprietates naturæ humanæ, inter quas potissima est libertas, seu liberum arbitrium.

Prob. 3. Ex Patribus, Cyrillo Alexandrino lib. 7. in Joan. c. 7. *Quod sponte gustaverit mortem, nec invitus ad passionem pertractus fuerit, edocet*. Chrysostomo in c. 53. Isaiæ *Poterat eos, qui ad se missi erant, declinare, quibus occurrit intrepidus, & ultro se obtulit*: & Augustino in tract. 119. in Joan. *Quis ita dormit, quando voluerit, sicut JESUS mortuus est; quando voluit? quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? quis ita, cum voluerit, abit quomodo, cùm voluerit, obiit?* Idem habent Gregorius, Cyprianus & alii.

Prob. 4. Ratione: Christus fuit verus & perfectus homo, sed non datur homo sine libertate: ergo &c.

CONCLUSIO II.

CHristus non tantùm fuit liber libertate à coactione, sed etiam libertate à necessitate.

Prob. Prima pars: nam cùm ejus voluntas in suis actibus non moveretur ab agente purè extrinsecu, sed à seipsa ex prævia cognitione se determinante, illius actus erant omninò spontanei & voluntarii: in hoc non est difficultas.

Prob. Secunda pars (quæ est contra Calvinum & Lutherum negantes in Christo, sicut in aliis hominibus, libertatem indifferentiæ, seu à necessitate) quia omnes passus Scripturæ & Patrum conclusione prima relati possunt hic applicari quandoquidem nomine libertatis simpliciter intelligatur libertas à necessitate, quæ ideo libertas moralis appellatur; unde addit Hieronymus loco citato: *Non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit*. 2. Quia libertas indifferentiæ, est perfectio naturalis humanæ voluntatis; atqui Verbum assumpsit omnes naturæ humanæ perfectiones; cùm assumpserit naturam

ram perfectam, ut suo loco dictum est: ergo &c. 3. Quia ad merendum, sicut ad demerendum, requiritur libertas indifferentiæ, ut contra Jansenium definivit Innocentius X. atqui de fide est Christum verè meruisse: ergo &c. 4. Quia juxta Patres & Concilia Christus, quando, quandiu, & quos voluit humanos motus & passiones in se excitavit, ut colligitur ex Scriptura Joan. 11. *Ingemuit Spiritu & turbavit seipsum*; sed hoc non tantùm sonat spontaneitatem, sed etiam indifferentiam: ergo &c.

Obj. 1. Potest Deus acceptare ad præmium non tantùm actus liberos; sed etiam necessarios: ergo ex eo quòd Christus meruerit, malè infertur habuisse libertatem indifferentiæ.

Resp. Neg. Ant. De actibus omninò necessariis Quia præmium supponit actum factum in obsequium præmiantis; necessarium autem sicut non potest habere rationem doni, ita nec obsequii, saltem propriè.

Obji. 2. Deus est perfectè liber, & tamen non habet illam indifferentiam voluntatis: ergo nec Christus.

Resp. Dist. Ant. Non habet indifferentiam voluntatis ad actum eliciendum, vel non eliciendum, C. cùm enim actus Divinus sit ipsemet Deus, clarum est non posse habere illam indifferentiam. Ad effectum ponendum vel non ponendum, N. qualem autem Deus habet indifferentiam circa effectum, talem habet Christus ut homo circa suum actum ratione suæ limitationis.

Obji. 3. Christus ut homo non habuit consilium: ergo nec electionem; adeoque nec libertatem indifferentiæ, cujus electio est præcipuus actus Prob. Ant. Quia cùm omnia Christus cognosceret, non indigebat consilio. Prob. etiam conseq. Quia, juxta Philosophum 3. Ethicorum c. 3. ad electionem prærequiritur consilium.

Resp. Neg. conseq. ad Prob. dist. Assumpt. Requiritur consilium in nobis ratione ignorantiæ nostræ, C. in Christo omnia cognoscente, N. unde quando Damascenus lib. 3. de fide c. 14. negat in Christo electionem, loquitur de electione, quæ præsupponit ignorantiam in eligente, ut solet esse in nobis, qui consilio indigemus, ut eligamus.

CONCLUSIO III.

Humana Christi voluntas fuit libera libertate indifferentiæ in materia præcepta. In hoc ferè omnes conveniunt, licèt ferè disconveniant omnes in modo explicandi: nec mirum, cùm vix sit conceptibile, quòd quis sit liber, seu habeat potentiam ad præceptum aliquod obligans implendum, vel non implendum, & tamen sit impeccabilis, seu non habeat potentiam ad peccandum: & certè si præceptum obligans non implere, sit peccare, posse præceptum obligans non implere, est posse peccare. Et ideò ut hanc difficultatem vitent aliqui, dicunt Christum non habuisse ullum præceptum obligans, sed volendo conciliare in Christo libertatem cum impeccabilitate, destruunt in ipso meritum obedientiæ, ut diximus. Alii, ut Cabreta &c. Asserunt habuisse quidem præceptum obligans, sed dependenter à sua voluntate, adeoque potuisse sine peccato illud non acceptare; sed hi ostendunt quidem Christum fuisse liberum in acceptando, sed non, fuisse liberum, posito præcepto, in obediendo.

Alii volunt habuisse præceptum, sed cum facultate impetrandi dispensationem, si vellet. Sed huic sententiæ obstant hæc verba: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*: nam Christus sciens liberationem à morte dependere à sua petitione, incongruè dixisset, *si possibile est*.

Bannez vult Christum, non obstante impeccabilitate, in adimpletione præcepti fuisse liberum; quia docet sufficere ad libertatem indifferentiam objectivam judicii; sed cùm voluntas, non obstante judicii indifferentia, possit à Deo necessitari, clarum est non posse libertatem in ea consistere: sed hoc fusius alibi.

Medina, Salmanticenses, Gonet & alii Thomistæ plurimi volunt fuisse Christum liberum circa materiam præceptam; quia potuit illam omittere in sensu diviso præcepti, licèt non potuerit in sensu composito ejusdem; sed quid aliud est dicere, nisi quòd Christus potuerit materiam liberam omittere, non tamen materiam præceptam, quandoquidem materia præcepta, diviso, seu secluso præcepto, sit materia libera? Sed

Replicant malè à nobis intelligi sensum divisum & compositum, nec unquam voluisse, quòd, stante præcepto, non sit potestas omittendi, &, illo ablato, sit talis potestas, sed sensus est, inquiunt Salmanticenses, quòd Christus, stante præcepto, non habeat potestatem ad conjungendam omissionem cum illo, habet tamen potestatem, etiam stante præcepto, ad omissionem secundùm se acceptam, quo pacto præscindit tam à præcepto, quàm à conjunctione cum illo, sed

Contra est, quòd ad libertatem circa rem præceptam requiratur, quod quis possit conjungere omissione cum præcepto. Quod si probo: requiritur, ut cum præcepto habeat potestatem omittendi, ut fatentur Adversarii, sed habere potestatem omittendi cum præcepto, est posse conjungere omissionem cum præcepto: ergo &c. Prob. Min. Omittere cum præcepto, est conjungere omissionem cum præcepto, ut per se patet, & concedunt Adversarii: ergo posse omittere cum præcepto, est posse conjungere omissionem cum præcepto.

Recurrunt alii ad potentiam antecedentem & consequentem, voluntque Christum fuisse liberum circa materiam præceptam potentia antecedente, non tamen consequente. Est autem potentia antecedens, quæ respicit objectum secundùm se & præcisivè à circunstantiis accidentalibus, inter quas est ipsum præceptum: Potentia autem consequens respicit objectum cum omnibus circunstantiis, adeoque etiam præceptum, si sit tale: unde potuit, secundùm ipsos, omittere rem præceptam, quasi præscindendo, an sit præcepta necne, non potuit tamen omittere rem præceptam.

Contra est, quòd potentia omittendi rem præscindendo à præcepto non sit potentia omittendi rem præceptam, cùm res nec dicatur, nec reputetur præcepta, nisi conjuncta cum præcepto.

Docent alii fuisse Christum liberum, ratione circunstantiarum rei præceptæ; quia licèt præciperetur ei rei substantia, non tamen præcipiebantur circunstantiæ, v. g. tempus executionis, aut motivum, propter quod debebat illam exequi. Sed

Contra est, quòd mors v. g. Christo præcepta, non possit dici ipsi libera, eo quòd elegerit illam pati hoc potiùs instanti, quàm illo, potiùs ex motivo charitatis, quàm patientiæ, si quoad substantiam erat ipsi necessaria; quandoquidem potiùs à substantia rei, quàm ab illius circunstantiis debeat sumi denominatio: & certè nullus vir prudens diceret reum condemnatum ad mortem hoc anno inevitabiliter subeundam, mori liberè, ex eo, quòd eligeret potiùs mori mense Novembri, quàm Decembri. Alii aliter loquuntur, sed his omnibus omissis

Modus conciliandi in Christo impeccabilitatem cum libertate circa materiam præceptam, est ille plausibilis & maximè fundatus, quem admisit Scotus cum suis & quibusdam aliis, dicendo nempè, quòd licèt non habuerit Christus indifferentiam moralem circa præcepta ratione beatitudinis, ut suo locò diximus, habuerit tamen indifferentiam physicam, quam non abstulit Unio Hypostatica; cùm non variaverit intrinseca naturæ humanæ: & hic modus

Prob. 1 Debet conciliari in Christo impeccabilitas cum libertate circa rem præceptam; cùm & Scriptura, Concilia & Patres & Theologi unanimiter asserant in adimplendis præceptis fuisse liberum, sed omnes modi præfati illa non conciliant, ut ostendimus, & modus noster id facilè præstat: ergo &c.

Prob 2. Humana Christi voluntas non erat aliter determinata ex suis intrinsecis circa res præceptas, ac circa liberas; sed circa liberas fatentur omnes habuisse libertatem indifferentiæ; ergo & circa præceptas.

Prob. Maj. Quia præceptum superveniens, cùm sit extrinsecum, non potest variare intrinseca naturæ. Hoc autem argumentum non potest juvare Adversarios: cum enim admittant Christum fuisse physicè impeccabilem, etiam admittere debent antecedenter ad præceptum fuisse physicè determinatum ad præceptorum impletionem, casu quo imponerentur: & sic frustrà dicunt præceptum non abstulisse Christi indifferentiam, cùm circa res præceptas aut præcipiendas illas nunquam habuerit.

Prob. 3. Confirmati in Gratia, præventi auxilio gratiæ efficaci &c. dicuntur simpliciter liberi circa præceptorum observationem; licet moraliter loquendo non possint peccare, idest, nunquam sint peccaturi: ergo licèt Christus ratione beatitudinis non habuerit potentiam moralem ad peccandum, sensu posteà explicando, dici debet simpliciter liber in observandis legibus & præceptis. Prob. Min. quia non potius abstulit à Christo indifferentiam naturalem beatitudo, quàm gratia efficax aut quodlibet aliud auxilium, nam licet objectum Beatitudinis sit infinitè bonum, nullam tamen (utpotè extrinsecum) ponit in Beato qualitatem, ipsum ad unum determinantem; & ideò possunt Beati, physicè loquendo cessare à Visione beatifica, & peccare.

Obji. 1. Christus in servandis præceptis fuit maximè liber; sed indifferentia physica sine Morali non constituit subjectum maximæ liberum: ergo &c. Prob. Min. Quia magis est liber

habens

habens indifferentiam physicam & moralem, quam; habens physicam solam.

R. Dist. Maj. Fuit maxime liber physice, C. habuit enim proprietates naturæ humanæ maximè perfectas. Fuit maximè liber, id est indifferens, moraliter, subdist. circa res libertas, C. circa præceptas, N. nec in hoc reperitur aliqua imperfectio; aliàs habens gratiam efficacem in ordine ad servandum præceptum esset minùs perfectus quàm qui illa careret; cum sit minùs indifferens moraliter.

Obj. 4. Christus habuit præceptum Deum amandi: sed non potuit etiam physicè, Deum non amare: ergo &c. Prob. Min. non potuit desinere esse beatus, cum beatitudo sit vita æterna; sed qui non potest desinere esse beatus, non potest Deum non amare: cum in amore Dei clare visi consistat Beatitudo: ergo &c.

R. N. Min. Ad Prob. Neg. Maj. intellectam de potentia physica; quia beatitudo non dicitur vita æterna in Scriptura & Patribus; quasi verò nunquàm possit interrumpi etiam physicè loquendo; sed quia nunquàm interrumpitur.

Obj. 3. Ut quis dicatur habere libertatem circà materiam præceptam, debet circà illam habere indifferentiam in genere moris: sed Christus circà illam non habuit indifferentiam in genere moris; quandoquidem non habuerit indifferentiam moralem, sed tantùm physicam: ergo &c.

R. Neg. Min. & Dico indifferentiam in genere moris male confundi cum indifferentia morali: quia per indifferentiam moralem intelligimus hic libertatem, quæ nec à gratia efficaci, nec ab alio auxilio, nec ab objecto beatifico &c. ad unum magis inclinatur, quam ad aliud; per indifferentiam autem in genere moris intelligimus illam, quæ sufficit ad mores liberè regulandos, qualis est physica cum parato Dei concursu indifferenti; alias gratia efficaci præventus in ordine ad exercitium alicujus virtutis moralis, non posset dici liberè, quantùm ad hoc, mores suos regulare, quod est, contrà communem sensum Theologorum. Ex dictis

Resol. 1. Malè assumi à quibusdam authoritatem Scoti certorumque Scotistarum ad probandum sufficere ad meritum & demeritum libertatem, quam vocant *Essentialem*; quia licet Scotus ejusque Discipuli velint remanere in Beatis libertatem sufficientem ad demerendum, sicut & ad merendum, nisi statuisset Deus terminum viæ, tanquam terminum merendi: libertas tamen illa Beatorum non est essentialis tantùm cum non sit ab intrinseco determinata ad unum, sed etiam indifferentiæ; quia objectum beatificum, utpote potentiæ extrinsecum, non tollit indifferentiam intrinsecam. Dicuntur quidem à Patribus impeccabiles, ut diximus; quia licet physicè peccare possint, nunquam tamen peccant ob specialem Dei Manu-tenentiam.

Resol. 2. Nos hic distinguentes inter libertatem in genere moris & libertatem moralem, non velle disputare de nominibus; sed vocamus libertatem moralem, sivè alii ipsam aliter nominent, sive non, illam, secundùm quam homo, etiam omnibus attentis, non multò plus inclinatur in unam partem, quam in aliam; vocamus autem libertatem in genere moris, secundùm quam homo retinet suam indifferentiam intrinsecam & physicam circà actum suum, absque eo quòd ab aliquo determinetur ad unum, sivè interim ab objecto, à gratia efficaci, aut à concupiscentia multo magis plus inclinetur ad actum, quàm ad ejus omissionem, aut è contrà, sivè non: ex quo patet, omnem quidem libertatem moralem esse libertatem in genere moris, non tamen è contra.

Resol. 3. Hic maximè distinguendum (ne Catholici Jansenistis associentur) inter hæc verba, nempè *Moveri*, *sollicitari*, *inclinari*, ex una parte: & *Necessitari* ex altera parte: illa enim sonant quidem potentiæ propensionem, sed non determinationem; hoc verò determinationem importat & necessitatem, adeoque & indifferentiæ sublationem: unde dicunt gratia efficaci præventum, aut forti concupiscentia illectum necesse est, ut id sequatur, ad quod hæc aut illa magis delectat: qua non obstante necessitate, volunt esse adhuc sufficienter liberum ad merendum, aut demerendum quod negare debent Catholici, nisi certè loquantur de necessitate quadam motali consistente in hoc quod nunquam aliter fiat, licèt fieri possit, & tunc non erunt in hoc Jansenistæ.

Quoniam autem diximus superiùs etiam probabile esse Christum esse impeccabilem physicè, per hoc nempè quod Christi humanitas non agat, nisi coagat & persona Verbi, quæ, utpotè indefectibilis, etiam indefectibilem reddit extrinsecè humanitatem, etiam videndum est quomodo potuerit in illo supposito liberè adimplere Dei præcepta, & per horum executionem mereri; & ideò sit

CONCLUSIO IV.

Licèt aliquo sensu dici possit, Christum physicè impeccabilem modo anteà explicato, liberè adimplesse Dei præcepta, in quantùm humana ejus voluntas, quia intrinsecè invariata, intrinsecam retinebat indifferentiam; quia tamen indifferentia illa erat remota, ob concursum personæ Verbi deficere incapacis, credimus in præfato supposito Christi libertatem in adimplendis præceptis, non fuisse sufficientem, seclusa dispensatione Divina, ad rationem meriti; & ideo dicendum, quòd sicut ex speciali Privilegio meruit etiam ut comprehensor; ità ex speciali dispensatione meruit per actus præceptos.

Rationem verò dispensationis (verba sunt N. Mastrii) hujus ac specialis Privilegii in eo eleganter deducit Doctor Scotus 4. dist. 22. q. un. art. 2. ex ipsa dignitate Mediatoris & Redemptoris: quoniam enim ex una parte Christus venerat ad destruendum peccatum, hac ratione nedum peccati expers esse debebat, sed etiam expers potentiæ proximæ ad peccandum, ut sic impeccabilis redderetur nedum moraliter, ut sunt in gratia confirmati, sed etiam physicè, saltem proximè. Et quoniam ex alia parte Mediator erat Dei & hominum, Redemptor, & Advocatus humani generis, multos debebat actus meritorios elicere: quare sicut hac ratione conceditur ex speciali dispensatione & Privilegio meruisse Christum etiam ut comprehensorem, imò per ipsummet actum comprehensionis, seu amoris Dei clarè visi; ità concedi debet, quòd ex speciali dispensatione & privilegio hæc libertas remota & indifferentia intrinseca ad agendum & non agendum fuerit in ipso sufficiens ad rationem meriti, quamvis non esset sufficiens in nobis, imò nec in ipso, seclusa dispensatione.

Dices 1. Quò perfectior est libertas, eò perfectiùs conducit ad meritum; seu perfectior est libertas indefectibilis quàm defectibilis: ergo cùm indefectibilem habuerit Christus, potuit per illam mereri sine dispensatione.

Resp. Dist. Maj. Quò perfectior est libertas, eò perfectius conducit ad meritum, si retineat indifferentiam ad utramlibet contradictionis partem, transeat: si non retineat, N. quia sine illa indifferentia, Deo sic ordinante, nullum est meritum: sive interim libertas dicatur perfecta, sive perfectissima. Præterea licèt sit perfectio in creatura, non posse deficere; magis tamen ipsi laudabile est, ac Deo magis gratum; posse deficere & non deficere: unde non tribuit Scriptura rationem meriti illi, qui non potuit transgredi, sed illi, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; ac ideo subdit; *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. Eccl. 31.

Dices 2. Quomodo sic explicari potuerunt Scriptura & Patres volentes Christum circa mortem subeundam fuisse liberum, non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate? nam Isaiæ 53. legitur: *Oblatus est; quia ipse voluit*. Et Joan. 10. dicit Christus: *Ego pono animam meam nemo tollit eam à me, ego ponam eam à me-ipso*; & ideo Hieronymus: *Non necessitate sed voluntate crucem subiit*.

Resp. Nos etiam asserere ipsum fuisse, circa mortem, liberum à necessitate: quandoquidem haberet veram hominis voluntatem à nulla forma, aut qualitate impressa ad moriendum determinatam: fatemur tamen libertatem illam fuisse remotam, in quantùm persona Verbi semper parata ad bene agendum cum humanitate, nunquam parata erat ad deficiendum cum ea: sicque defectu concursus parati ad utramlibet partem, non nisi remota erat libertas illa. Aliam autem non agnoscunt Patres in Christo respectu materiæ præceptæ, cùm alia sit incompossibilis cum impeccabilitate præfata. Hinc

Resol. Sustinentes Deum statuisse denegare Beatis concursum ad deficiendum, de quo non constat, debere consequenter docere, non esse sufficienter liberos ad peccandum.

DISPUTATIO XIII.

De Christi Domini Potentia.

Triplicem distinguere possumus in Christo potentiam, nempe Divinam, quam habet ut Deus: pure humanam quam habet ut homo: & supernaturalem, quæ ipsius humanitati ex speciali favore concessa est. De prima, utpote omnibus

nibus personis Divinis communi, agitur in 1. Sententiarum. De secunda, per quam cum aliis hominibus convenit, agitur in Philosophia: hic ergo de sola tertia.

Quidam Lutherani supra modum extollentes Christi humanitatem, fecerunt ipsam omnipotentem, non quidem quoad solam denominationem ortam ab omnipotentia Divina sibi, mediante subsistentia, communicata; sed in se proximè & realiter; ità ut sicut rectè dicitur subsistens subsistentia Divina, ità etiam rectè dicatur omnipotens omnipotentia Divina. Sed si hoc esset, malè dixisset Athanasius unicum esse omnipotentem, cùm essent duo, nempe Deus & Christus homo: Malè etiam dixisset Concilium 6. Chalcedonense, & PP. esse in Christo duas naturas cum proprietatibus distinctis, inconfusis, impermixtis: nam si Christi humanitas habet in se verè & realiter omnipotentiam Divinam (idem dicunt de omni scientia seu ubiquitate) quomodo naturarum proprietates sunt inconfusæ & impermixtæ? imò quomodo sunt proprietates; cùm non dicatur proprium, quod factum est commune. Prætereà si humanitas habeat proprietates Divinas, cogitur perdere suas. Quomodo ergo, salvis proprietatibus, facta est incarnatio? Deinde sequitur ex illa opinione Christi humanitatem in tempore factam esse æternam, independentem, increatam; cùm non sit potiùs ratio, cur dicatur esse in ipsa omnipotentiam, quàm æternitatem, independentiam &c.

QUÆSTIO I.

An potentia, quam habuit Christus, secundùm humanitatem, patrandi miracula, fuerit principalis vel instrumentalis, physica vel moralis?

JUdas Iscariotes sacrilegus Christi Domini proditor, & in novo Testamento Hæresiarcharum Princeps, Christi miracula, ut refert Hieronymus in cap. 26. Matth. non Divinæ virtuti, sed magicis artibus assignabat, ejus prodigia non tam vera signa, quàm Satanæ illusiones, & mendacia arbitratus: hocque suffinuit, Scribarum consilio ac Pharisæorum moribus depravatus, quorum aliqui volebant Christi miracula esse phantastica & illusoria, qualia patrarunt magi Pharaonis, & operabitur Antichristus: quod & docuerunt Waldenses, teste Guidone lib. contra Hæreses c. 25. Alii autem Christi prodigia, tanquam vera & realia credentes, diabolicæ virtuti attribuebant: dicebant enim Lucam 11. *In Beelzebub Principe dæmoniorum ejicis dæmonia*. Sed, ut tam subtiliter, quàm sapienter replicavit Christus Marc. 3. *Quomodo potest Satanas Satanam ejicere?* quomodo potuit Christus per diaboli virtutem, opera diaboli dissolvere, ejus regnum destruere? quomodo potuerunt dæmones fovere hominem, qui venerat ipsos perdere, ut fatentur ipsimet Marc. 1. *Quid tibi & nobis Jesu Nazarene: venisti perdere nos?*

Non ità malitiosè, magis tamen stolidè assignabant aliqui, ut scribit Medina lib. 1. *De recta in Deum fide*, Christi miracula optimo ejusdem temperamento, quod vocabant temperamentum justitiæ, sive ad pondus, quia in ipso erant elementorum qualitates in eodem gradu, in quo sunt in ipsis Elementis; & ideo poterat sine ullo periculo sese in aqua, in igne, & in aliis Elementis constituere. Sed hæc stultorum Medicorum Philosophia, inquiunt Salmanticenses, prorsus delira est, & digna potiùs quòd flammis, quàm rationibus compescatur: unde relictis illorum deliriis & fabulis, supponimus tanquam fide certum, & innumeris Scripturæ passibus confirmatum, Christum patrasse Divinitus miracula, eaque vera & realia; adeòque verè & realiter aquas calcasse, vento imperasse, mortuis vitam, infirmis sanitatem, leprosis munditiem, cæcis visum, &c. reddidisse, sicut & dæmones è corporibus expulisse. Et ideo hoc supposito

CONCLUSIO I.

LIcèt Christus ut Deus fuerit suorum miraculorum causa principalis; ut homo tamen non fuit principalis, sed instrumentalis.

Prob. 1. Pars: nam, cùm nulla creatura, sed solus Deus habeat virtutem supra naturam, & ejus ordinem, debuerunt Christi miracula naturam & ejus ordinem superantia, ab ipso ut Deo tanquam causa principali procedere: unde si quandoque dicatur Christus ut homo, seu secundùm humanitatem causa principalis, intelligi debet de causa meritoria, non efficiente, in quantùm nempe meruit, ut ejus humanitas assumeretur tanquam instrumentum & organum Divinitatis, in ordine ad patranda miracula.

Prob. secunda pars; quia Christus ut homo fuit vera creatura: sed nulla creatura, defectu virtutis supra naturam, potest in effectum supernaturalem, seu miraculum principaliter influere, ut jam diximus: ergo Christus ut homo non fuit miraculorum causa principalis, sed instrumentalis.

Nec refert, quòd Christi humanitas esset Verbo unita: nam sicut humanitatis potentiæ non fuerunt per Unionem intrinsecè variatæ, ità nec potentiores redditæ.

CONCLUSIO II.

CHristus secundùm humanitatem non fuit causa instrumentalis physica miraculorum, sed moralis. Ità tenent omnes Scholastici, qui cum Scoto 4.d. 1.q. 5. negant Sacramenta fuisse instrumenta physica gratiæ: quod autem hic dicimus de miraculis, idipsum asserimus de aliis Christi operibus supernaturalibus, ut est remissio peccatorum, infusio gratiæ &c.

Prob. 1. Conclusio ex Patribus, qui loquentes de Christi miraculis, attribuunt illa Divinæ virtuti, voluntque humanitatem tantùm concurrisse ad id, quod erat sibi proprium, v.g. ad prolationem Verborum, ad extensionem manus, ad corporis contactum & similia: unde Damascenus lib. 3. *Quando Divinitas tactu carnis sanabat infirmum, alia erat propria actio Divinitatis, altera humanitatis: & finis humanæ actionis in extensione manus, & tactu positus erat; Divinæ autem naturæ, in excitatione puellæ*. Et lib. 3. de fide cap. 15. *Neque enim vivificat Lazarum humana natura &c.* Athanasius lib. 4. Contrà Arianos: *Ut Socrum Petri febricitantem excitaret, humano quidem more manum extendit; divinitas autem morbum compescebat ... in Lazaro autem vocem quidem ut homo edebat, divinitus tamen ut Deus eundem à mortuis excitabat*. Cyprianus Serm. de Cœna Domini: *Et qui animam Lazari revocaverat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam dignosceretur virtute Divina, non humana, tantum opus patrasse*. Augustinus Tract. 8. in Joan. *Miraculum autem quod facturus erat*, nempe in Cana Galileæ, *Secundùm Divinitatem facturus erat, non secundùm infirmitatem, secundùm quod Deus erat, non secundum id quod infirmus natus erat*.

Prob. 2. causa physica, saltem secundum Thomistas hic nobis adversantes, non potest operari, ubi non est præsens, sed Christi humanitas sæpissimè fuit operata, ubi non erat præsens, ut quando in aliorum anima gratiam producebat quando Centurionis servum sanavit, quando animam Lazari è Lymbo ad proprium corpus revocavit &c. ergo. Prob. Maj. Quia secundùm ipsos, ita necessaria est causæ efficientis præsentia, ut nequidem Deus posset operari ubique, si non esset ubique præsens.

Dices 1. Non requiri quòd instrumentum physicum attingat immediatè effectum, sed sufficere, si attingat mediatè, in quantùm per actionem præviam determinat virtutem & actionem agentis principalis. Sed

Contrà est, quòd sit inconceptibile quomodo possit creatura immediatè physicè attingere & determinare Dei virtutem & actionem: vel enim intelligunt Adversarii per Dei virtutem & actionem aliquid Deo intrinsecum, vel extrinsecum: non intrinsecum: nam cum Deo intrinsecum non distinguatur ab ipso Deo, intrinsecum illud physicè determinando, determinaret & physicè ipsummet Deum: non etiam extrinsecum, quia deberet actio illa creata esse in loco, ubi producitur effectus, ne dicatur Deo potentior, operando scilicet ubi non est, jam autem, si non possit humanitas attingere immediatè effectum supernaturalem, quia distat, quomodo poterit attingere immediatè actionem æqualiter distantem?

Dices 2. Hoc argumentum probare quidem Christi humanitatem non dixisse physicè in miracula distantia, non tamen probat non sic influxisse in præsentia. Sed

Contra est, quod nulla sit necessitas attribuendi Christo virtutem modo physicam, modo moralem: undè cùm respectu aliquorum sufficiat virtus moralis, sufficit & respectu aliorum.

Prob. 3. Nihil agit ultra vires proprias: sed humanitas Christi non habet virtutem patrandi miracula: ergo Prob. Min. Quia virtus Christi humanitatis est purè naturalis, miracula autem, effectus supernaturales.

Dices, Christi humanitatem elevari per qualitatem supernaturalem.

Sed quæ qualitas illa, quæ animas ab inferis revocat, tempestates sedat, mortuos suscitat, è corporibus Dæmones expellit &c. Præterea vel illa qualitas est materialis vel spiritualis: si materialis, quomodo producit effectus spirituales, ut sunt remissio peccatorum, productio gratiæ &c. Si spiritualis, quomodo recipitur in subjecto materiali?

Dicunt

rabatur gratiam in Patribus; producta autem, illam physicè operabatur in Zachæo, Magdalena, &c. Miracula physicè patrabat quando erat præsens; moraliter, quando erat absens: moraliter operatur hominum salutem existens in cœlis, physicè illam operabatur existens in terris; nos autem evitamus illud inconveniens dicendo quòd ante & post sui productionem, præsens & absens, in cœlo & in terra, semper operetur moraliter.

Obj. 7. Non datur instrumentum morale sine causa morali principali: atqui hic non datur causa principalis moralis operum supernaturalium: ergo nec instrumentum morale.

Resp. Dissimulata Maj. Neg. Min. Christus enim meruit tanquam causa moralis principalis, ut quoties suam humanitatem tanquam morale instrumentum applicaret, vel loquendo, vel tangendo, vel aliud faciendo, statim intuitu meritorum operaretur physicè Deus.

Obji. 8. Ad quid manus extensio, corporis tactus, luti applicatio, & similia, si humanitas ad illa non concurrebat physicè.

Resp. Illa quidem non fuisse necessaria, ut miracula fierent fuisse tamen necessaria, ut non dubitarent adstantes miracula illa à Christo procedere: nam si nihil exterius in Christo vidissent, potuissent credere illa aliunde procedere.

QUÆSTIO II.

Quandonam inceperit Christus patrare miracula, & an illa fuerint evidentia & necessaria?

CONCLUSIO I.

PRimum Christi miraculum factum est in cana Galileæ, quando nempè aquam in Vinum convertit. Ita communiter Theologi contra Suarez, qui dicit rem esse incertam:

Prob. 1. Ex Scriptura Joan. 2. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galileæ*: & licet posset dici quòd fuerit primum publicum, non primum absolutè, nihil tamen nos urget ad hanc distinctionem.

Prob. 2. D. Chrysostomo homil. 3. in Joan. ubi ex passu allegato probat Christum non fuisse operatum miracula in infantia: unde ait ibidem: *Decenter non incipit signa facere in prima ætate: existimassent enim phantasma esse Incarnationem, & ante opportunum tempus Cruci eum tradidissent*. Quando autem alibi Scriptura assignat Christo prodigia in ejus Nativitate patrata, ut apparitionem Stellæ &c. loquitur de Christo ut Deo, non ut homine.

Prob. 3. Ratione; quia miracula fecit Christus ut suam doctrinam confirmaret, & consequenter, non debuit ante miracula facere, quam inciperet docere. Quod si objiciatur docuisse in Templo anno ætatis 12. dicendum est, hoc fecisse potiùs ad instar Discipuli audientis & interrogantis, quam Doctoris ex professo docentis, unde dicitur fuisse in medio Doctorum, non quia in Cathedris & subselliis sedebat cum DD. sed quia inter DD. locum tenebat Discipuli super pavimentum: hoc enim ætas Christi ejusque humilitas suadet.

Dices: In Libro de Christi infantia, plurima referuntur ejusdem miracula: ergo.

Resp. Librum illum ex Gelasio Papa in cap. *Sancta Romana* Dist. 15. & ex Theophilacto in cap. 2. Joan. esse Apocryphum: & sic inter fabulas reputari debent quæ Valentiani attribuebant Christo puero, ut quod inter pueros miracula fecerit, &c.

CONCLUSIO II.

POtuerunt Christi miracula esse quodammodo Angelis & Dæmonibus evidentia, non sic hominibus.

Ratio est; quia licèt essent supernaturalia quoad modum productionis, non tamen quoad substantiam rei productæ, & sic cùm illi res naturales per proprias species agnoscant, potuerunt videre animam Lazari v. g. fuisse à corpore separatam, & postea eidem reunitam, modo naturæ vires superante: quod est evidenter miraculum cognoscere. Aliud est de hominibus, qui cum rerum naturas non cognoscant, nisi per species alienas, possunt suspicari, videntes hominem, qui dicitur resuscitatus, non fuisse verè mortuum, licet per unum aut alterum diem nullum vitæ exercitium ostenderit: & licet crederent fuisse mortuum, dubitare possunt, an sit verè resuscitatus, & an non sit ibi potius phantasma quoddam ope Dæmonis comedens, ambulans, loquens, & alia ostendens humanæ vitæ signa: unde nonnisi per fidem omninò convincimus. Dico *Omninò*; quia possumus esse de illis moraliter certi, quando enim videmus aliqua superare vires naturæ, ut quòd arbor in instanti arefiat, quòd cæcus natus videat, quòd mulier à fluxu sanguinis per solum fimbriæ tactum liberetur, & aliunde illa fiant ab homine Innocentissimo virtutes prædicante, vitia extirpante, Dei cultum promovente &c. justam rationem habemus credendi illa non fieri ope Dæmonis, sed Dei: unde inexcusabiles fuerunt Judæi Christum ut Messiam non agnoscentes, quia licet illa miracula utpotè media extrinseca, non facerent rem evidenter veram, faciebant tamen evidenter credibilem.

Dices 1. Legitur in Historiis, etiam paganos suscitasse mortuos & similia: ergo miracula non faciunt evidentiam credibilitatis.

Resp. Neg. Ant. Vel enim quæ narrantur sunt fabulæ, vel certe tantùm erant miracula apparentia ope Dæmonis præstita; unde illorum falsitas tandem apparebat.

Dices 2. Saltem Apostoli, & alii Sancti, qui erant puri homines, fecerunt vera miracula: ergo ex eo quod Christus similia faceret, nihil premebat Judæos ad credendum ipsum esse Messiam.

Resp. Dist Conseq. Ex eo quod Christus faceret miracula præcisè, nihil premebat Judæos &c. C. ex eo quòd miracula faceret, & simul diceret se illa facere in testimonium suæ Divinitatis, nihil premebat &c. N. nam cùm non possit fieri miraculum ad probandum falsum (cùm primæ veritati æque repugnet probare miraculo falsum, ac mentiri) eo ipso quo Christus miraculum patravit, ut se Deum probaret, probavit se Deum esse.

CONCLUSIO III.

CHristi miracula fuerunt aliquo modo necessaria. Ratio est, quia, cùm Christus prædicaret doctrinam, quæ omnem humanam rationem superaret, debebat illam per miracula confirmare, & reddere credibilem.

Dixi: *Aliquo modo necessaria*, non absolutè: quia certum est potuisse Deum per Gratias internas totum mundum illuminare, & sine miraculis ad agnitionem veræ Fidei producere. Prætereà sunt & alia media veræ Fidei insinuandæ non ità improportionata, ut authoritas & innocentia Doctoris, verborum efficacia, doctrinæ sanctitas, mirabilis Fidei propagatio contra omnes Philosophos, & persecutores &c.

DISPUTATIO XIII.

De Christi virtutibus, donis & gratiis gratis datis.

SUppono virtutes alias esse Theologicas, alias morales: Theologicæ sunt, quæ immediatè circa Deum versantur: & sunt Fides, Spes, & Charitas, quæ à Deo homini infunduntur; & ideo dicuntur infusæ per se. Morales verò, quæ versantur circa mores componendos, & inde morales nuncupantur: hæ autem (inter quas præcipuæ, seu Cardinales, sunt Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia) dicuntur per se acquisibiles, aut acquisitæ, quia licèt quandoque per accidens infundantur: possunt tamen labore proprio acquiri, saltem sub aliquo respectu, ut dicetur posteà.

QUÆSTIO I.

An fuerint in Christo virtutes Theologicæ.

ADvertendum Fidem posse tripliciter accipi. 1. ut est gratia gratis data 2. prout idem est ac fidelitas, de quibus postea 3. ut est credulitas seu assensus de rebus non visis: estque duplex, una quæ nititur testimonio Divino, & dicitur divina, altera quæ nititur testimonio humano, & dicitur humana: hæc, utpote fallibilis, non fuit in Christo, & ideo quando dictis hominum assentiebatur, non nitebatur eorum testimonio, sed scientiæ suæ, qua rem certò cognoscebat, & ideo de sola Divina hic agimus.

CONCLUSIO I.

NOn fuit in Christo Fides Theologica, sivè consideretur quoad actum, sive quoad habitum.

Prob. prima Pars, Fides versatur essentialiter circa objecta non apparentia, seu obscura, & ideo dicit Apostolus Hebræ. 11. Fides est *argumentum non apparentium*: atqui Christus ab instan-

instanti suæ conceptionis habuit visionem claram; & Beatam Dei, & omnium quæ possunt esse fidei objectum: ergo

Dices: Novit Christus aliqua per revelationem, v.g. futura quatenùs futura: ergo saltem circa illa habuit fidem.

Res. quòd licèt Christus ut viator cognoverit aliqua extrà Deum per revelationem, illa tamen ut comprehensor clarè & distinctè cognoscebat in Deo: & sic non poterat illorum habere fidem, quæ est incompossibilis cum visione beatifica: undè dicit Apostolus 1. Cor 13. *Cùm venerit quod perfectum est evacuabitur quod ex parte est*; id est, cum venerit scientia clara, seu Beata, evacuabitur cognitio obscura, seu fides. Supposito tamē, quòd Christus noverit aliqua extrà Verbum per revelationem, quæ non cognoscebat in Verbo per beatam visionem, illorum tamen non habuit fidem; quia non novit illa propter authoritatem, & revelationem obscurè cognitam: quod requiritur ad actum fidei, sed propter authoritatem, & revelationem cognitam clarè & intuitivè: quod pertinet ad actum, fide multò nobiliorem. & hic actus reperiri potest in Beatis, non ille.

Prob. secunda Pars; Ubi impossibilis est actus, frustraneus est habitus: atqui ostendimus Christo fuisse impossibilem actum fidei propter visionem beatificam: ergo. Unde D. Thomas 1.2. q. 67. art. 5. ad 3. *In statu gloriæ non solum actu tollitur objectum fidei, quod est non visum, sed etiam secundum possibilitatem, propter beatitudinis stabilitatem: & ideo frustra talis habitus remaneret.*

Fatendum tamen fuisse in Christo aliquo sensu fidei meritum, in quantùm erat in ipso pia quædam affectio, qua paratus erat in animo credere Deo, mysterium aliquod revelanti, idque propter ejus veracitatem, si aliunde mysterium illud non esset sibi clarè repræsentatum. An autem etiam habere quemdam habitum inclinantem ad illam piam affectionem? non videtur inconveniens id asserere, licet hujus resolutionem absolutam aliò referamus.

CONCLUSIO II.

NOn fuit in Christo Spes Theologica circa summum bonum, imo nec probabiliter circa alia bona, v.g. gloriam, & immortalitatem corporis, nominis exaltationem, & alia hujusmodi.

Prob. 1. Pars, Spes, quæ est quoddam desiderium, versatur circa bonum absens, seu quod nondum possidetur atqui Christus ab instanti suæ conceptionis possedit summum bonum per visionem beatificam: ergo circa illud non habuit spem.

Confirm. Quia sicut de ratione fidei est, quòd aliquis assentiatur his quæ non videt, ita de ratione spei est, quòd aliquis expectet id, quod nondum habet, unde Apostolus ad Rom. 8. *Spes, quę videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* quoad hanc partem conveniunt Theologi, non tamen ita conveniunt quoad secundam.

Prob. tamen 1. Objectum Spei debet esse contingens, seu debet proponi ut fortè possidendum, fortè non possidendum, atqui certò sciebat Christus se corporis gloriam, nominis exaltationem &c. consecuturum, ergo. Minor certa est, Prob. Maj. quia qui certus est de re aliqua adipiscenda illam quidem desiderat, sed non sperat, quia spes, ultra desiderium, connotat quemdam timorem fortè non consequendi, undè latiùs patet desiderium, quàm spes, cùm omnis spes sit desiderium, non è contra.

Prob. 2. Qui novit malum aliquod sibi certò eventurum non dicitur illud timere timore opposito spei, sed timore opposito fortitudini, ergo qui certò novit bonum aliquod sibi obventurum: ut noverat Christus respectu glorię sui corporis &c. non dicitur illud sperare, quandoquidem eodem modo spes respiciat bonum, quo timor malum, cùm sint opposita.

Obj. 1. Cum Becano, Potest aliquis sperare quod nondum possidet, sed Christus antequam resurgeret, non habebat gloriam sui corporis, ergo.

R. Dist. Maj. Potest sperare, si non sit certus de re adipiscendi, C. si sit certus, N. quia tunc potest expectare & desiderare, non tamen propriè sperare.

Obj. 2. Ad spem sufficit desiderium boni proprii absentis & ardui, sed hæc omnia reperiebantur in Christo respectu gloriæ sui corporis, ergo. Prob. Min. 1. Erat bonum proprium, quia respiciebat illius corpus. 2. Erat absens, quia necdum illud ante Resurrectionem possidebat. 3. Erat arduum, quia debebat illud assequi mediis laboribus, & morte, quæ ex se afferunt arduitatem.

R. Concessa Maj. D. Mi. Pro tertia conditione, gloria corporis erat Christo objectum arduum, quia molestum & laboriosum, C. sed tale arduum, est objectum audaciæ aut fortitudinis. Erat arduum, quia dubium & contingens quod est objectum Spei, N. quia gloria corporis non erat Christo dubia, sed certa.

Dixi, *Probabiliter*, quia non minùs probabile est contrarium, ut patet ex dictis de spe Theologica, quam diximus reperiri posse in animabus Purgatorii, licèt sint de sua Beatitudine securæ.

CONCLUSIO III.

FUit in Christo charitas Theologica tam actualis, quàm habitualis.

Prob. 1. Pars, quæ ordinariè non probatur, sed tanquam de fide ex Scriptura supponitur, quia actus charitatis Theologicæ nullam involvit imperfectionem, imo maximam importat perfectionem, cùm sit omnium actuum virtuosorum perfectissimus, & ideo Christo non denegandus.

Prob. 2. Pars, quia Christus habuit de facto gratiam habitualem, ut disp. seq. ostendemus: sed charitas habitualis vel non distinguitur à gratia habituali, ut volunt Scotistæ, vel, si distinguatur, ut docent Thomistæ, ab illa tamen est inseparabilis: ergo si unam habuit, habuit & alteram.

QUÆSTIO II.

An Christus habuerit virtutes morales, & quando?

CONCLUSIO I.

FUerunt in Christo quædam virtutes morales. Est de fide patetque ex iis Scripturæ passibus, ubi dicitur *mitis, obediens, humilis &c.*

CONCLUSIO II.

FUerunt in Christo omnes illæ virtutes morales, quæ nullam indecentiam, aut repugnantiam habent cum illius perfectione. Ita communiter DD.

Ratio est, quia decebat ut omnes Christi animæ facultates, tam in ordine naturali, quàm supernaturali perfectissimè complerentur, ut suaviter & modo connaturali virtutum illarum actus exerceret. Hinc

Resol. 1. Fuisse in Christo Temperantiam, Fortitudinem, Justitiam, & Prudentiam. Temperantiam quidem, non ad refrœnandos motus inordinatos, cum in eo nulli fuerint, sed ad conservationem motuum ordinatorum. Fortitudinem verò, nam, cùm exurgerent in eo quandoque motus appetitus inclinantes, non quidem ad peccatum, sed ad id, ex quo oriebatur quædam difficultas in opere virtutis, ut quando instante morte, caro refugiebat mori, opus fuit fortitudine ad ipsos superandos. Justitiam autem, cùm ex virtute justitiæ satisfecerit Deo Patri pro peccatis nostris. Prudentiam denique, nam, cùm Prudentia necessariam habeat connexionem cum virtutibus moralibus, ubi ponuntur virtutes morales, ponenda est & prudentia.

Resol. 2. Fuisse etiam in Christo munificentiam & liberalitate; qui licèt non semper haberet materiam externam, circa quam exerceret actus munificentiæ & liberalitatis, cùm vitam duxerit pauperrimam, semper tamen paratus erat interiùs, secundùm regulas rationis, operari in dicta materia, si occurreret: unde ad existentiam aut conservationem liberalitatis, sicut & aliarum virtutum moralium, non requiritur materia externa, circa quam versentur, sed sufficit voluntas interna operandi conformiter ad rationem, in illis materiis, quotiescumque occurrerint.

Resol. 3. Fuisse etiam, juxta Scoti opinionem, Pœnitentiam in Christo tam quoad actum, quàm quoad habitum.

Ratio est, quia, secundùm ipsum, primarius actus Pœnitentiæ est velle vindicare Dei offensam, ad servandum illæsum jus Divinum, seu ad compensandam Dei injuriam, abstrahendo an illa offensa procedat ab eo qui illum exercet, vel ab alio; & ideo quòd fit à se, vel ab alio commissa, nihil facit ad rationem formalem pœnitentiæ, sed est ipsi accidentale, atqui de facto fuit in Christo voluntas vindicandi in se per suam passionem offensas in Deum, non proprias, sed nostras, ad servandum illæsum jus Divinum: ergo &c.

CONCLUSIO III.

HAs omnes virtutes habuit Christus sibi infusas ab instanti suæ conceptionis. Est communis Theologorum sententia contra paucos Thomistas, qui volunt Christum illas sibi paulatim comparasse per actus proprios.

Prob. 1. Ex D. Thoma hic art. 2. & 3. Nunquam fuerunt virtutes Christi morales in statu continentiæ, id est, ut seipsum explicat S. Doctor ibid. in statu virtutis imperfecto & inchoato:

choato:

choato: atqui si illas non habuisset ab initio, sed paulatim acquisisset, illas habuisset aliquando in statu continentiæ, ut patet: ergo.

Prob. 3 Non est denegandum Christo, quod concessum est Adamo: atqui Adamus fuit ab instanti creationis suæ, omni genere virtutum moralium adornatus, ut communiter docent Theologi: ergo & Christus.

Obj. 1. Nobilius est virtutem per actus proprios sibi comparare, quàm illam ab alio accipere: ergo potiùs attribuenda est Christo comparatio virtutum moralium successiva, quàm illarum infusio instantanea.

R. Neg. Ant Quia in genere boni honesti nobilius est semper esse in termino perfectionis, quàm in via ad illam.

Obj. 2. Non dantur in aliquo virtutes morales sine prudentia, cùm habeant inter se necessariam connexionem, & nullus fit actus virtutis moralis, qui non debeat dirigi ab actu prudentiæ, ne deficiat, aut excedat à mediocritate: sed non habuit Christus prudentiam ab instanti conceptionis: ergo nec virtutes morales. Prob. Min. quia prudentia præsupponit scientiam naturalem, quam Christus propriis actibus paulatim acquisivit.

R. Neg. Min. Ad probationem dico supponi falsum; quandoquidem habuerit Christus ab instanti conceptionis scientiam naturalem sibi infusam, ut suo loco diximus, & sic ruit fundamentum Adversariorum. Præterea licèt prærequiratur actus scientiæ ad actum prudentiæ, non tamen ad habitum ejusdem infusum: quando autem dicimus fuisse in Christo prudentiam: sicut & alias virtutes morales: ab instanti conceptionis, loquimur de habitu, non de actu; cùm non sit credibile Christum in momento conceptionis exercuisse omnes actus illarum virtutum.

QUÆSTIO III.

An fuerint in Christo Dona Spiritus Sancti?

Damnavit olim Concil Rhemense quemdam Abaillardum negantem in Christo timorem castum, & filialem, per quem, ut colligere est ex Epist. 194. D. Bernardi, intelligebat donum timoris; nam cùm D. Bernardus misisset ad Innocentium III. omnia doctrinæ dicti Abaillardi capita, inter quæ unum erat de timore casto, omnia illa damnavit Pontifex: non condemnasset autem quantùm ad timorem castum, si illum negando, non negasset donum timoris, sed præcisè timorem, qui est fuga mali; cùm hunc timorem etiam nunc in Christo negent Catholici. Abaillardum non ità à longè secutus est Durandus: quamvis tamen in hoc differret, quòd actum timoris negaret in Christo, non habitum; Abaillardus autem utrumque. Sed ante resolutionem

Suppono 1. Septem esse dona Spiritu S. nempè sapientiam, scientiam, intellectum, consilium, quæ pertinent ad intellectum: Timorem, pietatem, & fortitudinem, quæ spectant ad voluntatem.

Suppono 2. Ex Scoto 3. dist. 34. q. unica, hæc dona esse habitus indistinctos realiter ab habitibus virtutum: tantumque differre connotato: unde quatenus habitus illi perficiunt hominem, ut facilè & promptè obediat motibus Spiritus Sancti, dicuntur dona, quatenus verò reddunt ipsum aptum & promptum moveri, & duci à recta ratione, dicuntur virtutes.

CONCLUSIO UNICA.

De facto fuerunt in Christo septem dona Spiritus sancti. Ità omnes Scholastici.

Prob. 1. Quia, juxta Ambrosium, Basilium, Augustinum, & alios Patres, de Christo loquebatur Isaias cap. 11. cùm dixit: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus &c.*

Prob. 2. Ratione; quia Christi anima fuit accommodatissima, ut promptè omnibus Spiritus Sancti motibus obtemperaret, juxta illud Matth. 4. *Jesus ductus est in Desertum à Spiritu*: Et Luc. 4. *Agebatur à Spiritu.* Et consequenter illius donis erat abundanter cumulata

Obj. 1. Christus determinabatur ab unione hypostatica ad perfectè operandum: ergo non indigebat Spiritus Sancti motione.

Resp. Neg. Ant. Sicut enim non mutavit unio hypostatica naturam Christi humanam, ità nec determinavit secundùm se præcisè ad perfectè operandum: & ideò sicut ponuntur in Christo virtutes, ut sequatur perfectè ductum rationis, ità & ponuntur dona, ut perfectè sequatur ductum Spiritus Sancti.

Obj. 2. Non fuit in Christo fides: sed intellectus & scientia vel sunt fides, val sunt in adjutorium fidei: ergo saltem illa dona non fuerunt in Christo.

R. Minorem esse veram in nobis, in quibus reperitur fides, non tamen in Christo, in quo dona scientiæ & intellectus identificantur scientiæ infusæ, vel saltem, si distinguantur, dantur in illius adjutorium: unde dici potest quòd per donum scientiæ, certissimè & evidenter judicaverit de rebus obviis, sicut per donum sapientiæ judicavit de rebus æternis per causas altissimas; per donum autem intellectus, à fundo intellexerit res sibi à Deo propositas.

Obj. 3. Donum consilii datur ad consultandum de dubiis: atqui in Christo nulla fuerunt dubia: ergo.

Resp. Dist. Maj. Datur ad consultandum de dubiis illis, in quibus est aut esse potest dubium, C. illis, in quibus nec est, nec esse potest dubium, qualis erat Christus: N. unde ad rationem consilii, quod est donum Spiritus Sancti, non requiritur dubitatio aut consultatio cum aliqua inquisitione, sed sufficit judicium directivum circa res faciendas; & ideò admitti debet in Christo, sicut & in Beatis.

Obj. 4. Nullum Christus habuit donum in terris, quod nunc non habeat in cœlis: sed in cœlis non habet donum pietatis & fortitudinis: ergo nec habuit in terris. Prob Min. Quia pietas ordinatur ad sublevandam proximi miseriam; fortitudo autem ad aggredienda pericula; sed in cœlo nulla miseria, nulla pericula: ergo

Resp. Concessa Mag. Neg. Min. Ad probationem Dico, quòd licèt nullæ sint miseriæ in cœlis, sunt tamen in terris, quibus Christus in cœlo existens potest subvenire. Præterea miseria sublevanda est objectum misericordiæ, non pietatis, quæ versatur circa Deum, Parentes, aut Superiores colendos. Quantum ad fortitudinem etiam nunc reperitur habitus, & reperiri potestas in Christo, saltem quoad affectum, in quantum paratus est iterum pericula aggredi, si necesse foret.

Obji. 5. Perfecta charitas foras mittit timorem; Joan 4. atqui fuit in Cristo perfecta charitas: ergo non fuit donum timoris.

Resp dist. Maj. Foras mittit timorem servilem: C. filialem & reverentialem: N. Pro cujus majori inteligentia

Adverte, quadruplicem posse distingui timorem. Primus est passio quædam appetitus sensitivi, qua malum sibi incommodum refugit Secundus est timor servilis, qui, si ità retrahat à peccato propter pœnam, ut, si non esset pœna, adhuc peccatum fieret, dicitur *purè servilis*, estque malus: si autem retrahat à peccato propter pœnam, ità tamen, ut si non esset pœna, adhuc peccatum non fieret, dicitur simpliciter *servilis*, estque bonus. Tertius est timor quidam filialis, quo quis timet peccare, ne à Deo separetur per peccatum. Quartus est reverentialis in hoc consistens, quòd quis summè revereatur supremam Dei Majestatem & eminentiam: & hunc timorem, in quo etiam consistit donum timoris, saltem inadæquatè, habuit Christus.

Inst. 1. Donum timoris etiam respicit malum separationis à Deo per culpam, sicut & pœnæ propter culpam infligendæ: sed Christus non habuit timorem culpæ aut pœnæ, quia licèt ex puris naturæ humanæ intrinsecis non esset impeccabilis, sciebat tamen certò se nunquam peccaturum; & consequenter nec fore peccato puniendum: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Etiam respicit &c. in viatoribus: C. in Beatis, qualis erat Christus: N. unde donum timoris, ultrà timorem reverentialem, quem semper importat, etiam includit timorem culpæ & pœnæ in iis, qui sunt illarum capaces, non in aliis.

Inst. 2. Timor ille reverentialis sine timore culpæ aut pœnæ, non est verus timor: ergo, si non fuit alius in Christo, non fuit in ipso donum timoris. Prob. Ant Quia timor ille reverentialis (si timor dici debeat) nihil est aliud, quàm quædam animi submissio.

Resp Dist. Ant. Non est verus timor, idest, non est timor cum anxietate: C. idest, non est sufficiens ad rationem timoris: N. contrarium enim insinuat Scriptura dicens Job. 4. *Columnæ Cœli contremiscunt & pavent.* Ubi per *Columnas* Intelligit Gregorius lib. 7. Moral cap. 17. Angelos, qui coram Deo se contrahunt, nec audent Majestatem ejus intueri, & ideo Isa. 6. dicitur: *Seraphim velabant facies suas*, idest, habebant sacram ac plenam horroris venerationem, ut explicat Dionysius de cœlesti Hierarch. cap. 19. Hæc autem satis convincunt timorem illum reverentialem, ultra animi submissionem, importare verum timorem licèt non sit connexus cum timore culpæ aut pœnæ, qui non reperitur in Beatis.

QUÆSTIO IV.

An fuerint in Christo gratiæ gratis datæ?

ADverte 1. Gratias gratis datas (quæ novem enumerantur ab Apostolo 1. Corinth. 12. nempè Sermo Sapientiæ, sermo scientiæ, Fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, discretio Spirituum, genera linguarum, & interpretatio sermonum) specialiter dici gratis datas, non quod aliæ gratiæ non dentur gratis, alias essent gratiæ & non essent; sed quia gratia sanctificans præsertim, datur ex promissione divina, adeòque ex debito fidelitatis iis, qui tale vel tale quid fecerint, v.g. Sacramentum aliquod susceperint. Hæ autem dantur sine ulla promissione, adeoque ex nullo debito, & ideò potius gratis datæ dicuntur.

Adverte 2. Discrimen esse inter gratiam gratis datam, quales sunt jam enumeratæ, & gratiam gratum facientem, quales sunt habitualis & actualis, quarum prima formaliter, secunda dispositivè reddit hominem Deo gratum, quòd illæ dentur ad aliorum utilitatem, hæ verò ad propriam salutem: illæ subjectum nec formaliter, nec dispositivè bonum constituant, aut supponant; hæ autem vel formaliter, vel saltem dispositivè hoc faciant: gratiæ gratis datæ possint esse in peccatoribus, gratia sanctificans non nisi in justis. His notatis

CONCLUSIO UNICA.

PRobabilius est Christum habuisse omnes gratias gratis datas superiùs enumeratas. Ita unanimiter Theologi.

Prob. 1. Ex Script. Hæ gratiæ dantur aliquibus juxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. *Alii per Spiritum datur sermo Sapientiæ, alii sermo scientiæ &c.* Sed credibile est, quòd omnes gratiæ in membris dispersæ, fuerint in capite Christo coadunatæ: ergo. Prob. Min. Ideò gratiæ illæ datæ sunt Apostolis, & aliis, ut commodius & efficacius aliorum salutem procurarent: sed Christus, qui venerat *Peccatores salvos facere*, hoc præstabat ex officio: ergo à fortiori gratiæ illæ fuerunt ipsi concessæ.

Confirm. Christus fuit universalis gratiarum illarum dispensator, juxta illud Ephes. 4. *Unicuique nostrum data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi*: Ergo principaliter illas in se habuit.

Prob. 2. Ex Augustino Epist. 57. ad Dardanum: *Sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ.* Idem docent Chrysostomus, Anselmus, & alii.

Prob. 3. Ratione, ad singulas descendendo. 1. Fuerunt sermo sapientiæ, & sermo scientiæ; quandoquidem nihil sint abud, quàm quædam facilitas in exponendis, explicandis, & persuadendis rebus fidei, tum per causas superiores, tum per inferiores, tum etiam per exempla, parabolas, similitudines &c. Hanc autem facilitatem fuisse in Christo, quis dubitat, & Scripturam legit Luc. 4. *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius.* Joan 7. *Nunquam sic locutus est homo.* Et cap. 6. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* 2. Fuit gratia sanitatum, cùm tot curaverit infirmos. 3. Habuisse gratiam virtutum, declarant mirabilia quæ patravit, mortuos suscitando, ventis imperando, super aquas ambulando &c. 4. Habuit discretionem spirituum; quandoquidem cordium motus, & cogitationes penetravit, imò & manifestavit: unde *Opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine*, Joan. 12. 5. Fuit in ipso interpretatio sermonum, præsertim Scripturæ sacræ; quandoquidem & Doctoribus in Templo, & Apostolis sæpiùs, & Discipulis euntibus in Emmaus illam explicaverit. 6. Habuit donum linguarum; cùm enim omnia nosset, etiam linguarum & idiomatum varietatem nosse credendum est. 7. Habuit gratiam Fidei; quia per illam non intelligitur Fides Theologica, sed vel Fides miraculorum, quæ duo importat, nempè fiduciam ex parte voluntatis, qua quis sibi persuadet non defuturam Dei assistentiam ad miracula patranda, ubi opus fuerit; & assensum certum ex parte intellectus de auxilio illo speciali sibi exhibendo: & fidem sic sumptam habuisse Christum, insinuat Scriptura Joan. 11. *Ego autem sciebam quia semper me audis:* Vel intelligitur specialis quædam certitudo, & intelligentiam, quam Spiritus Sanctus Doctoribus Euangelicis exhibet, ut Fidei mysteria proportionatè ad cujuslibet captum proponant: & hanc similiter, excepta obscuritate in aliis Doctoribus reperta, agnoscit in Christo Scriptura Joan. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* Denique fuit Christus Propheta, quidquid reclamet Abulensis: unde & talis habebatur non solùm à populo, ut Joan. 4. *Domine, video quia Propheta es tu.* Et Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis*; sed etiam ab ejus Discipulis, ut Luc 24 *Fuit vir Propheta.* Imò de seipso dixit Christus Matt. 13. *Non est Propheta sine honore, sine in Patria sua.* Præterea secundùm communem Scripturæ, Patrum, Sapientum, imò & Plebejorum acceptionem, ille dicitur Propheta, qui novit ac prædicit ea, quæ longè distant à notitia eorum, cum quibus conversaretur: atqui hoc de facto contigit Christo, ut patet in prædictione destructionis Hierusalem, negationis Petri, Scandali omnium Apostolorum tempore Passionis &c. ergo.

Dices 1. Christus non fuit locutus diversis linguis: ergo non habuit donum linguarum. Prob. Ant. quia solùm prædicabat Hebræis, ad quos solos fuerat missus, ut patet ex Matth. 13.

R. 1. N. Ant. ad probationem dico, quòd licèt ad solos Hebræos esset missus, credibile sit tamen locutum fuisse inter illos tum prædicando, tum disputando, modò græcè, modò latinè; quandoquidem de illo dicerent Judæi: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Præterea, si Eusebio lib. 1. Historiæ cap. 15. Fidem facimus, scripsit Epistolam ad Regem civitatis Esdræ, Abagarum nomine, lingua Syriaca.

R. 2. N. Cons. ut quis enim dicatur habere donum linguarum, sufficit quod habeat illarum notitiam, licèt non habeat usum defectu occasionis, aut alterius circumstantiæ.

Dices 2. Gratia Fidei habet annexum aliquid obscuritatis: ergo non potuit esse in Christo, qui ab instanti conceptionis omnia clarè cognovit.

R. Dist. Ant. Habet annexum aliquid obscuritatis in puris viatoribus, quibus non conceditur clara mysteriorum Fidei cognitio: C. in Christo, qui simul viator erat: & comprehensor: N.

Dices 3. Apostolus 1. Corinth. 12. sic loquitur: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est*, nempè beatitudo *evacuabitur quod ex parte est*, scilicet Prophetia: atqui Christus semper fuit Beatus: ergo nunquam fuit Propheta.

Resp. Apostolum nihil aliud velle, quam quòd Prophetia non stet cum statu beatitudinis excludente statum viatoris, licet possit esse cum beatitudine in subjecto, in quo reperitur simul status viæ: cujus ratio est, quòd Prophetia sit notitia & prædictio eorum quæ longè distant à cognitione illorum cum quibus vivimus cùm autem Christus, licet Beatus, viveret inter mortales, eisque prædiceret procul remota ab eorum sensibus & cognitione, hinc est quod respectu viatorum esset verè Propheta. Ex dictis

Resol. 1. quòd licet Deus aut Angelus nobis anountiaret aliqua proculà nostra cognitione remota, non tamen esset respectu nostri Propheta, qui non vivit inter nos; imò nec esset Angelus Propheta respectu aliorum Angelorum, aut hominum Beatorum; quia licet prædicaret ipsis ea, quæ longe distant ab eorum notitia; non essent tamen ipsis utilia, quandoquidem omnia sibi utilia, aut ad se pertinentia cognoscarne ex vi Beatificæ visionis: jam autem Prophetia, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, ordinatur ad aliorum utilitatem.

Resol. 2. Prophetiam ex sua ratione formali non importare obscuritatem: unde quòd ordinariè illam adjunctam habeat, oritur ex imperfectione subjecti, quod non est simul viator & comprehensor, ut erat Christus.

Resol. 3. Cognitionem propheticam in Christo fuisse distinctam à scientia Beata & infusa, quandoquidem Prophetia sit quædam illustratio transiens: scientia autem infusa, sicut & Beata, sint qualitates permanentes.

DISPUTATIO XIV.

De Christi Gratia.

SIcut triplicem in Christo scientiam distinguimus: ita triplicem in eo agnoscimus Gratiam: primam unionis, quæ est ipsamet unio hypostatica, secundam singularem; estque Gratia habitualis, quatenùs Christum ut personam singularem sanctificat: tertiam capitis, & est eadem Gratia habitualis prout fuit Christo principium alios sanctificandi, seu pro aliis merendi & satisfaciendi. Hanc triplicem Christi Gratiam expressit Joannes in 1. Euangelii sui capite: ac 1. Gratiam unionis per hæc verba: *Verbum caro factum est.* 2. Gratiam singula-

rem, per sequentia: *Plenium Gratiæ & veritatis* 3. Gratiam capitis dicens: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. De hac triplici gratia triplicem instituemus quæstionem.

QUÆSTIO I.

De Gratia Unionis.

NOn incongruè unionem hypostaticam, gratiam vocamus, cùm sit favor specialissimus & omnium donorum præstantissimus; imò radix & fundamentum omnium gratiarum, & Angelis & hominibus aliquando concessarum.

ARTICULUS I.

An Gratia unionis præcisè ratione sui, Christi humanitatem formaliter sanctificet?

DIco: *Præcisè ratione sui*; Quia an id præstet ratione Divinitatis, aut Verbi personalitatis, quam unit Christi humanitati? dicetur Articulo sequenti. Ante resolutionem

Adverte duplicem à Thomistis distingui in Christo sanctitatem, substantialem scilicet, quæ habetur per gratism unionis; & accidentalem, quæ habetur per gratiam habitualem. Hoc notato.

CONCLUSIO UNICA.

GRatia unionis, seu unio hypostatica; non sanctificat formaliter, ratione sui, Christi humanitatem: conclusio sic intellecta est valdè communis inter Theologos, cui tamen contradicunt Suarez & pauci juniores.

Prob. 1o. Nihil potest formaliter sanctificare, nisi sit formaliter sanctitas, sicut nihil potest formaliter dealbare, nisi sit formaliter albedo: sed unio hypostatica non est formaliter sanctitas: ergo.

Prob. Min. Quia sanctitas, secundùm Theologos, est forma absoluta, unio autem hypostatica, secundùm nos, forma relativa, seu relatio.

Prob. 2. Si unio sanctificaret Christi humanitatem, esset præsertim quia uniret ipsi Verbum Divinum: atqui per hoc non potest formaliter Christi humanitatem sanctificare, cùm nequidem Verbum Divinum ipsam formaliter sanctificet, ut dicemus Articulo sequenti: ergo. Prætereà licèt Verbum Divinum ratione Deitatis aut personalitatis, vel utriusque, humanitatem formaliter sanctificaret, id tamen non præstaret unio; aliàs unio, per quam albedo unitur parieti, dealbaret parietem, cùm utrobique sit eadem ratio: unde ad summum dici posset applicatio & copulatio sanctitatis.

Prob. 3. Si unio esset forma formaliter sanctificans, posset equus v.g. esse formaliter sanctus, si nempè Verbum naturæ equinæ uniretur hypostaticè: sed hoc est absurdum: ergo.

Dices, non communicare suum effectum, nisi subjectis capacibus, qualis non est equus. Sed

Contra est, quòd sit impossibile formam communicari subjecto, & non communicare ipsi effectum suum formalem, saltem primarium: quandoquidem effectus formalis nihil sit aliud quàm ipsa forma subjecto communicata: unde vel dicendum est Verbum non posse assumere naturam equinam, quod nunquam fatebuntur Adversarii; vel certè quòd equus possit esse formaliter sanctus, si unio hypostatica formaliter sanctificet.

Obji. 1. Sanctos PP. dicentes Christi humanitatem fuisse unctam & sanctificatam per unionem ad Verbum.

Resp. Fuisse per unionem sanctificatam, non formaliter, cùm ipsa non sit formaliter sanctitas, ut diximus, sed causaliter, & fundamentaliter, in quantùm fuit causa & origo, unde tanta gratiæ habitualis sanctitas derivata est in Christi humanitatem.

Obj. 2. Gratia habitualis sanctificat subjectum ratione suæ perfectionis: sed unio hypostatica perfectior est gratia habituali: ergo à fortiori sanctificat Christi humanitatem.

R. Dist. Maj. Sanctificat ratione suæ perfectionis genericæ, seu præcisè quia perfecta est, N. aliàs omne perfectum sanctificaret. Sanctificat ratione suæ perfectionis specificæ, seu quia habet talem perfectionem, quæ est subjecto sanctificando apta & proportionata, C. unde sicut perfectio unionis hypostaticæ non facit ipsam unionem esse formam absolutam, ità nec facit esse formam sanctificantem.

Obj. 3. Cum Suarez: Major debetur cultus unioni hypostaticæ, quàm gratiæ habituali, cùm huic debeatur tantùm cultus Duliæ, illi, ratione sui, cultus Hyperduliæ: sed cultus debetur unicuique ratione sanctitatis: ergo sanctior est unio hypostatica gratia habituali, & consequenter magis sanctificat.

Resp. Concessa Maj. Dist. Min. Cultus debetur ratione sanctitatis, sicut omne formaliter sanctum mereatur cultum, C. sicut nonnisi formaliter sanctum, cultum mereatur, N. cultus enim & honor etiam debentur rei propter ejus excellentiam, licèt aliunde non sit formaliter sancta; & ideò cùm unio hypostatica sit excellentior gratia habituali, etiam perfectiorem meretur cultum.

Obj 4. Per illud habet Christi humanitas esse sanctificatam, per quod habet esse deificatam; sed habet esse deificatam per unionem: quandoquidem esse deificatum nihil aliud sit, quàm esse Deitati conjunctum: ergo &c.

R. 1. Dissimulata Maj. Dist. Min. Habet esse Deificatam per unionem, tanquam per conditionem aut applicationem: C. tanquam per rationem formalem, N. nam sola Deitas formaliter deificat.

Resp. 2. Neg. Maj. Nam aliud est deificare hic, aliud sanctificare: ut enim aliquid deificet, formaliter ad sensum objectionis, sufficit quòd formaliter uniat humanitatem cum Deitate, quod præstat unio hypostatica; ut autem formaliter sanctificet, debet esse formaliter sanctum, quod non habet ipsa unio.

ARTICULUS II.

An saltem unio sanctificet Christi humanitatem, ratione Divinitatis, aut Verbi personalitatis?

CONCLUSIO I.

UNio hypostatica non sanctificat formaliter Christi humanitatem ratione Divinitatis. Ità Scotus 3. d. 2. q. 1. §. *Contra istam opinionem*, & Scotistæ communiter cum Paludano, Richardo, Marsilio, & aliis contra Thomistas; non tamen contra D. Thomam, cùm sententiam nostram in terminis sustineat, 3. d. 13. q. 1. art. 1. ubi ait: *Deitas autem non est formaliter, sed effectivè perficiens ipsam*, nempè Christi animam, *unde oportet aliam formam creatam in ipsa ponere, qua formaliter perficiatur: & hæc est gratia*. Quid clarius? & in Responsione ad 3. *Lux solis & lux candelæ utrumque est activè illuminans; sed Deitas & gratia non sic se habent, sed unum illuminat activè, & alterum formaliter*. Ubi expressissimè ostendit Chisti humanitatem sanctificari quidem effectivè per Divinitatem, formaliter tamen per gratiam habitualem: unde mirum est Thomistas Doctori suo in rem tam evidenti nasum contorquere.

Prob. 1. Concl. Non potest Deitas Christi humanitatem formaliter sanctificare, nisi habeat se per modum formæ: sed Deitas respectu humanitatis non habet se per modum formæ: ergo. Maior patet ex ipsis terminis. Prob. Min. Non aliter habet se Deitas respectu Christi humanitatis ac ipsa Verbi personalitas; quandoquidem tantùm uniatur humanitati Deitas mediante Verbi personalitate; atqui Verbi personalitas respectu humanitatis non habet se per modum formæ, sed puri termini: ergo & Deitas.

Prob. 2. Si Deitas sanctificaret formaliter Christi humanitatem, vel hoc faceret per sanctitatem creatam, vel increatam: sed per neutram hoc præstare potest: ergo. Prob. Min. Non quidem per sanctitatem creatam, alias non Deitas, sed ipsa sanctitas creata formaliter sanctificaret: non etiam per increatam; aliàs Christi humanitas esset Dea, quandoquidem cui competunt proprietates, qualis est sanctitas increata respectu Dei competat & essentia.

Prob. 3. Ex eo quòd Deitas uniatur humanitati, non constituit ipsam formaliter æternam, omnipotentem, immensam &c. ergo nec formaliter sanctam, cùm sit omninò par ratio.

Dices, disparitatem esse, quòd humanitas sit incapax æternitatis, omnipotentiæ &c. non sanctitatis; sed

Contra est, quod ideò repugnent Christi humanitati æternitas, omnipotentia &c. quia sunt attributa soli Divinitati propria: atqui etiam sanctitas est attributum soli Divinitati proprium: ergo.

Quòd si dicas ratione Divinitatis non communicari Christi humanitati sanctitatem increatam, sed creatam: dicam ego, ut ante, non Deitatem, sed ipsam creatam sanctitatem sanctificaturam formaliter humanitatem.

Obj. 1. Authoritatem SS. Patrum, quorum aliqui dicunt Christi humanitatem fuisse Divinitate sanctificatam; Alii unctam, & delibutam, alii perfusam, Alii Deitatem esse unctionem, unguentum, & crisma humanitatis, Alii Christum esse natura, non gratia sanctam.

Resp. 1. Christi humanitatem dici à Patribus Divinitate unctam, sanctificatam &c. non formaliter, cùm hoc repugnet, ut ostendimus, sed causaliter, in quantùm fuit causa, fons & origo, undè fuit derivata in Christi humanitatem sanctitas gratiæ habitualis: undè eodem modo loquuntur hic, ac quando dicunt nos essa unctos Spiritu sancto, Spiritum S. esse nostram justificationem, Christum nostram Redemptionem, justitiam &c. quas propositiones certum est tantum esse veras in sensu causali, non formali.

Resp. 2. Christum dici sanctum natura, non gratia; noo quia natura Divina ipsum formaliter sanctificavit, sed quia eodem instanti, quo naturam accepit, seu conceptus est, accepit & sanctitatem habitualem, sicut dicimur natura filii iræ, non quia natura nos tales constituit, sed quia, dum naturam accipimus, seu concipimur, peccatum contrahimus, per quod sic filii iræ formaliter constituimur. Prætereà si dicta Patrum in sensu formali intelligerentur, sequeretur nequidem fuisse in Christo gratiam habitualem, quandoquidem dicant fuisse sanctum natura, non gratia, quod nunquam admitteut Adversarii.

Inst. Christus dicitur à Patribus aliter unctus, quàm alii Sancti; atqui si tantùm fuisset Sanctus formaliter per gratiam habitualem, non fuisset unctus aliter, quàm alii: ergo

Resp. Christum dici aliter unctum, non quia fuit Sanctus formaliter per Divinitatem, sed 1. quia nobis omninò gratis confertur gratia, Christo autem quasi connaturaliter, seu per maximam congruentiam ratione unionis cum Divinitate. 2. quia fuit Sanctus à primo conceptionis suæ momento: quod aliis non accidit. 3. quia alios quasi infinitè superavit in sanctitate. 4. quia gratia non fuit data Christo intuitu operum, sicut datur nobis intuitu operum ipsiusmet Christi.

Obj. 2. Ut aliquid sanctificet formaliter subjectum, duo requiruntur & sufficiunt, 1. quod uniatur subjecto sanctificando. 2. quod subjectum sit capax sanctitatis: atqui Divinitas unitur realiter Christi humanitati, & humanitas est capax sanctitatis: ergo.

Resp. Dissimulata Maj. Dist secundum membrum Minoris: humanitas est capax sanctitatis increatæ: N. creatæ: C. sed nego Divinitatem posse illam tribuere humanitati formaliter.

Obji. 3. Christi humanitas ratione Divinitatis fuit digna cultu & adoratione Latriæ: ergo fuit formaliter sanctificata.

R. Dist. Cons. Fuit sanctificata sanctificatione quadam morali, eo ferè modo quo Christi crucem dicimus esse sanctam: C. sanctificatione physica, quæ est propria justorum: N.

Obj. 4. Christi operationes habuerunt à Divinitate, valorem quemdam infinitum, saltem secundùm quid: ergo à fortiori accepit ab illa sanctitatem formalem Christi humanitas.

Resp. Dist. Ant. Habuerunt à Divinitate valorem quemdam physicum: N. moralem: C. & sic etiam concedo Christi humanitatem habuisse ab illa sanctitatem moralem, sensu antea explicato; sed nego sanctitatem illam tribuisse Christo effectus ordinarios sanctitatis propriæ, qui sunt dispositio ad operandum meritoriè, & esse objectum Divinæ dilectionis in ordine ad Beatitudinem.

CONCLUSIO II.

UNio hypostatica non sanctificat etiam formaliter Christi humanitatem ratione personalitatis Verbi secundùm se præcisè consideratæ. Ita Scotistæ cum pluribus Thomistis, qui licèt sanctificationem illam tribuant Deitati, non tamen Verbi personalitati.

Prob. Quia ultra rationes Concl. præced. allatas, quæ hic omnes inservire possunt, ipsa Verbi personalitas secundùm se præcisè considerata, seu quatenus addit supra rationes absolutas, nullam importat perfectionem, ut dictum est in 1. Sentent. adeòque nec sanctitatem formalem, & consequenter nec potest Christi humanitatem formaliter sanctificare, cùm idem sit formaliter sanctificare, & esse sanctitatem formalem. Ex dictis hac & præcedenti Conclusione

Resol. 1. Christo ut homini, secundùm legem Dei ordinariam, necessariam fuisse gratiam habitualem, ut operaretur meritoriè: nam, cùm de lege ordinaria nullus possit meritoriè operari, nisi verè & formaliter sanctificatus; non fuerit autem sanctificatus ratione unionis, Divinitatis, aut Verbi personalitatis, ut ostendimus, sequitur debuisse sanctificari per gratiam habitualem.

Dixi: *Secundùm legem Dei ordinariam*; quia, ut bene advertit Scotus 1. dist. 17. q. 1. art. 2. potuit Christus de potentia Dei absoluta, sanctificari per formam à gratia habituali distinctam; quandoquidem Deus non obligetur causis secundis, & tam possit per habitum aliquem infusum hominem sanctificare, quàm per gratiam habitualem.

Resol. 2. In hoc convenire Thomistas & Scotistas, quòd hi & illi admittant in Christo gratiam habitualem, in hoc tamen differre, quòd Scotistæ illam requirant ut necessariam ad merendum, non sic Thomistæ, qui volunt fuisse ad hoc sufficienter sanctificatum & dispositum per gratiam unionis.

Resol. 3. Probabilius esse de fide, fuisse in Christo gratiam habitualem; quandoquidem Joan. 1. dicatur *Plenus Gratiæ & veritatis*. Et Luc. 14. *Plenus Spiritu Sancto* hoc est, gratia, cùm non fuerit Spiritus Sanctus Christi humanitati hypostaticè unitus. Item Luc. 2. dicitur: *Gratia Dei erat in illo*. Et Tridentinum sess. 6. c. 7. definit generaliter de omnibus justis quòd sanctificentur per justitiam inhærentem, adeòque & Christum ut hominem.

QUÆSTIO II.

De Gratia Christi ut est homo singularis.

PEr hanc gratiam intelligimus gratiam habitualem, quam dari in Christo ostendimus Art. præced. & ideò tantùm restat inquirendum, quandonam illam habuerit, & quomodo; an fuerit infinita, an potuerit augeri, an sit ejusdem rationis cum nostra, & an sola, sine gratia actuali, fuerit Christo sufficiens ad eliciendos actus supernaturales? quæ sequentibus Articulis resolvemus.

ARTICULUS I.

Quandonam habuerit Christus gratiam habitualem, & quomodo?

CONCLUSIO I.

HAbuit Christus gratiam habitualem primo suæ conceptionis momento. Ità unanimiter Theologi.

Prob. 1. Ex Script. Luc. 1. *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur &c.* Quod intelligunt Patres non tantùm de Nativitate extra uterum, sed etiam in utero, seu conceptione. Unde D. Bernard. Homil. 4. super *Missus*: *Singulariter sanctum fuit, quidquid Virgo concepit:* Sed non fuit sanctum formaliter per Divinitatem, personalitatem, aut unionem: ergo per gratiam habitualem, & consequenter illam ex tunc habuit.

Prob. 2. Ex PP. qui dicunt Christum fuissa natura Sanctum, idest non prius tempore habuisse naturam, quàm gratiam.

Prob. 3. ratione: Gloria supponit gratiam; sed Christus habuit gloriam primo instanti suæ conceptionis, ut suo loco ostendimus: ergo & gratiam. Prætereà non congruebat humanitatem Divinitati unitam carere gratia, & consequenter ubi fuit naturarum unio, fuit & gratiæ communicatio.

Dices: Hilarius & Hieronymus asserunt hanc Isaiæ Prophetiam: *Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me*, tantum fuisse adimpletam in Christi Baptismo, ubi Spiritui Sancti in columbæ specie visibiliter apparuit: ergo anteà non habuit Spiritum Sanctum, seu gratiam.

Resp. Patres illos ità loqui, noo quia tunc primò Christus Spiritum Sanctum seu gratiam accepit, aliàs tantum trigesimo ætatis anno gratiam accepisset, quod nequidem habet umbram veritatis; sed quia tunc mundo innotuit & voce Patris, & præsentia Spiritus Sanctus quòd esset Christus, & consequenter omnibus Spiritus Sancti Charismatibus unctus.

CONCLUSIO II.

CHristus habuit gratiam independenter à suis actibus, seu non se disposuit ad illam per proprios actus. Ita Scotistæ communiter cum omnibus aliis, qui volunt non posse actum aliquem, v. g. contritionis, procedere effectivè à gratia habituali, & esse dispositionem ad illam recipiendam. Est contrà quosdam Thomistas, qui sicut docent quòd licèt actus contritionis v. gr. disponat ad gratiam habitualem, ab illa tamen, effectivè procedat: ità similiter docent quòd licèt Christi actus effectivè à gratia habituali procederent, ad illam tamen disposuerint per modum causæ materialis dispositivæ.

Prob. 1. Conclusio: Impossibile est, ut aliquid sit, antequam sit illud per quod accipit esse: sed si Christus disposuisset se ad gratiam habitualem per actus proprios, ejus actus fuisset antequàm fuisset id per quod accipiunt esse: ergo

Major

Major clara est. Prob. Min. Quia Christi actus, utpote dispositiones ad gratiam habitualem, fuissent ante illam, cum sit prior dispositio ad formam, quam forma: & tamen, ut fatentur adversarii, iidem actus à gratia habituali effectivè procedunt.

Confirm. 1. Si Christi actus fuissent dispositiones ad gratiam habitualem, eodem tempore extitissent, & non extitissent. Prob. Ass. extitissent, quia disponebant physicè ad gratiam: non extitissent autem, quia necdum existebat eorum causa, nempè gratia.

Confir. 2. Quia Christi actus fuissent priores, & posteriores seipsis, cum fuissent sua causa priores, utpote dispositiones ad illam, & illa posteriores, utpote illius effectus.

Prob. 2. Non potest aliquid disponere ad id, quod jam supponitur esse: sed, in sententia Adversariorum, gratia supponitur esse, ubi ponuntur Christi actus, cum ab ea procedant: ergo.

Prob. 3. Quod est causa causæ, est causati causa: ergo si Christi actus sit causa materialis dispositiva gratiæ, erit & causa materialis sui ipsius, cum sit gratiæ effectus. Et certè si illud Axioma sit verum in genere causæ efficientis, quidni & in genere causæ materialis?

Dices 1. Quamvis implicet idem esse causam, & effectum gratiæ in eodem genere; non tamen in diverso, jam autem Christi actus sunt causa gratiæ in genere causæ materialis dispositivæ, & effectus illius in genere causæ efficientis.

Resp. Quòd sicut diversitas causandi non potest facere, ut idem sit prius seipso, dependeat à seipso, sit causa sui ipsius, ità nec facere potest, ut Christi actus sint causa & effectus gratiæ.

Dices 2. Adulti disponunt se ad gratiam habitualem per proprios actus: ergo & Christus.

R. Dist. Ant. Per proprios actus procedentes à gratia habituali: N. procedentes à gratia actuali: C. sed in hoc nulla implicantia, sicut in priori casu.

Dices 3. Perfectius fuisset Christo se disponere ad gratiam habitualem per actus proprios, quàm non se disponere: ergo de facto se disposuit; quandoquidem non sit deneganda Christo perfectio, ubi redemptionis fini non repugnat.

R. Neg. Suppositum; quia supponit objectio hoc fuisse Christo possibile; esse autem impossibile Christi actus esse dispositiones ad gratiam, & à gratia effectivè procedere, sufficienter ostendimus.

Dices 4. Saltem supposito quòd Christi actus non processerint effectivè à gratia habituali, sed actuali, potuit se ad illam disponere. Prob. Ass. Quia licèt 1. conceptionis instanti gratiam habitualem acceperit, potuit tamen eodem instanti reali actum Charitatis v.g. elicere, per quem se ad gratiam disponeret; quandoquidem inter dispositionem, & gratiam introducendam, sufficiat prioritas naturæ, ut patet in justo, qui eodem momento, quo actum charitatis elicit, gratiæ augmentum recipit.

Res. De potentia Dei absoluta sic fieri potuisse, non tamen factum esse, propter rationes infra dicendas, ubi ostendemus Christum nec gratiam nec gloriam sibi meruisse.

ARTICULUS II.

An gratia Christi habitualis fuerit infinita, & an potuerit augeri?

QUæstio hæc procedit de infinitate physica, & quidem in actu, non autem de morali, per respectum ad personam Divinam, Christi gratiam, mediante humanitate, quodammodo terminantem & sustentantem: nam, an Christi gratia sit moraliter infinita ratione dicti respectus? dicetur in Disput. de Christi merito, ubi idipsum quæremus de Christi operibus: & quod de his resolvemus, de illa resolutum erit.

Suppono 1. Nullam creaturam sive humanam, sive Angelicam, habuisse gratiam, Christi gratia majorem, aut æqualem: nam, cùm gratia sit terminus divinæ dilectionis; Deus autem nullam creaturam æquè aut magis dilexerit, quàm Christum, quem unicè vocat in Scripture Filium suum dilectum, sequitur quamlibet creaturam fuisse à Christo in gratia superatam.

Suppono 2. Non tantùm quamlibet creaturam, sed & omnes simul, & collectivè sumptas fuisse à Christo in gratia superatas: ita ut quotquot gratiæ gradus reperiuntur dispersi in omnibus Angelis & hominibus, tot & plures inveniantur in unico Christo collecti: & certè si plurimi graves Theologi, imò & Sancti idipsum asserant de Beata Virgine, quidni à fortiori idem diceremus cum DD. Seraphico, & Angelico, de ejus Filio, quem constat fuisse longè suprà B. Virginem à Deo dilectum, imò & supra omnes creaturas simul sumptas.

Suppono 3. Gratiam considerari à quibusdam Thomistis dupliciter. 1. in esse qualitatis, & hoc sensu consideratam, dicunt esse finitam, quia est quid creatum. 2. in esse gratiæ, & sic sumptam sustinent fuisse in Christo infinitam, quia reddebat ipsum infinitè gratum, & principium merendi pro infinitis hominibus. His suppositis

CONCLUSIO I.

CHristi gratia habitualis non fuit physicè infinita, sive interim consideretur in esse qualitatis, sive in esse gratiæ. Est communis quoad utramque partem, & præsertim quoad primam, cui in terminis suffragatur Scotus 3. d. 13. § *Ad primam quæst.*

Prob. 1. Pars; Quia implicat infinitum actu, ut dictum est in physica: atqui si daretur in Christn gratia infinitè intensa, daretur infinitum actu, non tantùm in intensione, sed etiam in numero: quandoquidem intensio, quæ fit, secundùm nos, per additionem gradus ad gradum, non possit esse actu infinita, nisi habeat actu infinitos gradus: ergo.

Prob. 2. Pars; Idem non potest esse finitum & infinitum: atqui si gratia in esse gratiæ esset infinita, idem esset finitum & infinitum: ergo. Major certa est. Prob. Min. Quia gratia in esse qualitatis (quam ut sic ostendimus esse finitam) & in esse gratiæ (quæ ut sic asseritur infinita) sunt quid idem realiter; quandoquidem primum habeat se per modum generis, & secundum, per modum differentiæ respectu unius & ejusdem rei, nempè gratiæ: ergn

Confirmat. Gratia secundùm totum suum esse est ens unum per se; atqui ex finito & infinito non potest fieri unum per se: ergo si gratia sit finita in esse qualitatis, erit & in esse gratiæ.

Dices 1. Contra primam partem: *Non ad mensuram dat Deus spiritum*, id est, gratiam Filio, Joan. 3. ergo Christi gratia fuit infinita.

Resp. Dist. Ant. Non dat ad mensuram, id est, non dat gratiam Christo, per partes, sicut cæteris, sed totam simul gratiæ plenitudinem: C. id est, dat gratiam infinitam: N. hæc enim implicat.

Dices: 2. Christi gratia habitualis fuit principium gratificandi infinitos homines & Angelos, si darentur: ergo ipsa fuit infinita.

Resp. Neg. Consequ. Quia gratificatio illa est effectus moralis dependens ab acceptatione Dei, qui potest gratiam physicè finitam non tantùm pro infinitis hominibus, & Angelis gratificandis acceptare, sed etiam pro infinitis mundis, si darentur.

Dices contra 2. partem: sicut moneta, licèt secundùm suum materiale, v.g. secundùm suum esse aureum, vel argenteum, sit finita, tamen secundùm suum formale, nempe valorem, potest esse tanta, quanta placet Principi; ita licèt gratia in esse qualitatis sit finita, in esse tamen gratiæ potest esse tanta, quanta placet Deo, adeoque infinita.

Resp. Quòd sicut tantus vel tantus valor respectu monetæ tantùm est moralis, & non physicus, ità similiter quòd gratia dependenter à Dei acceptatione sit tanti vel tanti valoris, pro tot vel tot hominibus aut Angelis acceptetur, est quid merè morale, de quo hic non agimus, ut initio quæst. præmonuimus.

CONCLUSIO II.

CHristi gratia habitualis, etiam de potentia Dei absoluta, non potuit augeri, quia fuit summa: non quidem positivè, quasi verò non posset dari æqualis, sed negativè, quia non potest dari major. Ita Scotus 3. d. 13. §. *Ad primam quæst.* Quam sententiam tenent, ultra Scotistas, D. Bonaventura, Richardus, Durandus, Cajetan. Nazerius, Driedo, Lorca, Bernel, & alii. Imò & probabilius ipsemet D. Thomas, quidquid dicant Thomistæ plurimi docentes S. Doctorem tantùm velle non potuisse augeri Christi gratiam de potentia ordinarie, eò quòd ab instanti conceptionis esset Beatus, adeoque in termino perfectionis, potuisse tamen de potentia absoluta, nam D. Thomas in hac quæst. art. 12. dicens: *Manifestum est quòd gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ &c.* satis contrarium ostendit; nam quid aliud est dicere, Christi gratiam ex parte sui non posse augeri, nisi quòd ad talem gradum pervenerit, ultra quem non est alter producibilis? Est certè si D. Angelicus credidisset posse Christi gratiam auge-

ti absolutè loquendo, non dixisset non posse augeri ex parte sui, sed vel ex parte Dei talem gradum determinantis, vel ex parte subjecti, quia in termino positi, vel ex parte finis.

Prob. 1. Conclusio: Christi gratia non potest esse aucta in infinitum, aliàs esset simpliciter infinita: ergo nec potest in infinitum augeri, ut volunt Adversarii. Prob. Conseq. Quia potentia ordinatur ad actum, & illa potentia, quæ non ordinatur ad actum, non est potentia, sed simplex negatio: atqui Christi gratia non potest esse actu in infinitum aucta ergo nec habet potentiam ad augeri in infinitum.

Prob. 2. Nulla est implicantia, quòd Deus det Christo tantam gratiam, quantum potest ipsi dare: sed si dedisset ipsi tantam, quantam potest ipsi dare, dedisset ipsi summam, seu non ulterius augmentabilem: ergo. Minor certa est nam si posset ulterius illam augere, non dedisset tantam, quantam potest dare. Prob. Ma. Quia si quæ foret apparens implicantia, esset quòd Dei potentia esset exhausta & limitata, quod tamen falsum est: nam sicut Dei potentia non dicitur exhausta & limitata, eò quòd non possit producere impossibile, ita nec dici debet exhausta & limitata, eò quòd non possit producere gratiam perfectiorem perfectissima, cùm hæc sit impossibilis. Præterea posset Deus, si vellet, etiam circa gratiam illam potentiam suam per totam æternitatem exercere, aliquos nempè gradus destruendo, & novos semper producendo.

Confirm. Demus quòd Deus producat gratiam cum omnibus gradibus, cum quibus potest illam producere (possibili enim posito in actu, nullum sequitur absurdum) illa gratia non erit actu infinita, cùm sit impossibilis: ergo summa.

Dices non fore summam, quia Deus non potest creare unica creatione tantam gratiam, quantam potest diversis creationibus. Sed

Contra est. Vel hoc oritur ex parte gratiæ, vel ex parte Dei non ex parte gratiæ; quia, cùm non sit ens successivum sed permanens, non petit successionem in suis gradibus, & aliunde ipsi gradus non sunt incompossibiles; nam, sicut gradus gratiæ non repugnat alteri gradui, ita nec centum millia centum millibus, non etiam ex parte Dei; cùm sit hodie tantæ potentiæ, quantæ erit per totam æternitatem, & consequenter quod potest mille creationibus circa gratiam, potest unica.

Prob. 3. Si Christi gratia posset augeri, Christus per opera sua meritoria, illius augmentum fuisset consecutus; quandoquidem haberent illius opera omnem condignitatem ad tale augmentum requisitam.

Dices, non potuisse augmentum illud mereri de potentia ordinaria, eò quòd ab initio esset Beatus, adeoque in termino perfectionis. Sed

Contrà est, quòd Deus, qui dedit Christo de lege extraordinaria mereri corporis sui claritatem, Resurrectionem, in Cœlum ascensionem, sicut & nominis exaltationem, dedisset à fortiori & mereri gratiæ accretionem, si fuisset possibilis.

Obj. 1. Si Christi gratia non posset augeri, vel oriretur ex parte ipsius gratiæ, vel ex parte Dei illam producentis, vel ex parte Christi recipientis: sed ex nullo ex his capitibus potest oriri: ergo. Non ex parte Dei, cùm potentiam habeat infinitam: non ex parte Christi recipientis, cùm habeat potentiam obedientialem ad quamlibet perfectionem aliunde non repugnantem: non etiam ex parte gratiæ; nam, cùm sit quædam participatio Divinæ naturæ, quæ est infinita, adeoque infinitè participabilis, non est unde ad certum gradum limitetur.

Resp. Oriri ex parte ipsius gratiæ, quæ, cùm sit ens in sua specie limitatum & determinatum, etiam limitatam & determinatam exigit perfectionem, & inde oritur, quod perfectio ultra summam sit ipsi impossibilis, adeoque nec à Deo producibilis, nec à Christo receptibilis; cùm respectu impossibilis non detur potentia activa, aut subjectiva. Ex eo autem quòd sit participatio Divinæ naturæ, potius sequitur, quòd debeat habere perfectionem determinatam, cùm participatio sit captio partis, & omnis pars sit determinata.

Obj. 2. Quantacumque sit Christi gratia, infinitè distat à Deo: ergo semper potest augeri.

Resp. Neg. Conseq. Cùm enim Christi gratia, licèt finita, sit perfectissima, impossibile est ut augeatur, cùm implicet dari gratiam perfectiorem perfectissima.

Obj. 3. Potest quantitas in infinitum extendi: ergo & Christi gratia similiter augeri.

Resp. Dissimulato Ant. Neg. Conseq. Disparitas est quòd quantitas bipedalis v. g. nullo modo perficiatur per additionem novæ quantitatis bipedalis, & consequenter semper remaneat in sua limitata & determinata perfectione, gratia verò, cùm sit qualitas, verè & propriè perficiatur per additionem gradus ad gradum; & ideo si semper posset augeri, nunquam haberet determinatam perfectionem, quam tamen exigit omne ens creatum.

Obj. 4. Christi opera ex parte sua erant meritoria augmenti gratiæ: ergo Christi gratia ex parte sua poterat augeri.

Resp. Neg. Ant. Quia licèt dicta opera maximam haberent condignitatem, non tamen sufficientem ad gratiæ augmentum, defectu acceptationis ex parte Dei, qui non acceptat opera ad gratiam ultra summum augendam: hocque patet in ipsis Beatis, qui licèt exerceant opera longè meliora iis, quæ exercuerunt in via, non tamen merentur defectu Divinæ acceptationis.

ARTICULUS III.

An Christi gratia fuerit ejusdem rationis cum nostra, & an sola sufficerit ipsi ad operandum supernaturaliter?

Sensus primi membri quæstionis est, an Christi gratia habitualis fuerit nostræ similis quantùm ad essentiam; nam quantùm ad intensionem, esse nostræ dissimilem antea diximus. Secundum autem membrum inquirit, an satis fuerit Christo habere gratiam habitualem ad operandum supernaturaliter, an verò præter illam indiguerit gratia actuali?

CONCLUSIO I.

Christi gratia habitualis fuit ejusdem speciei cum nostra. Est satis communis.

Prob. 1. Quia nulla prorsus apparet ratio ponendi aliam specie gratiam in Christo, ac in nobis: nam quòd sit magis intensa, ostendit quidem esse perfectiorem, non tamen specie distinctam; quandoquidem intensio non variet essentiam rei quam intendit, ut patet in calore, albedine, & aliis qualitatibus.

Prob. 2. Quia in naturalibus reperitur eadem forma in capite, ac in aliis membris, licèt fortius in illo quàm in his operetur; sed Christus in ordine supernaturali est caput nostrum ergo in ipso reperitur eadem forma seu gratia, ac in nobis, non quidem numero, cùm id implicet: ergo specie.

Obj. 1. Gratia nostra habitualis constituit nos filios Dei adoptivos: atqui Christi gratia non constituit ipsum Filium Dei adoptivum, cùm sit Filius Dei naturalis: ergo specie differt à nostra.

Resp. Constituere Filium Dei adoptivum, esse tantùm effectum secundarium gratiæ, & quidem moralem, & consequenter ab ea separabilem, præsertim ubi subjectum est illius recipiendi incapax, ut accidit in Christo, qui cùm respectu Dei non sit persona extranea, probabilius est non posse ab illo adoptari.

Obj. 2. Gratia nostra habitualis est particularis, Christi autem est universalis, cùm influat in omnem gratiam nostram: atqui forma universalis & forma particularis specie differunt: ergo

Resp. dist. Min. Specie differunt, quando habent esse tales per se, & ex natura rei: C. quando id tantùm habent accidentaliter, ut hic fit; N. unde quòd Christi gratia sit universalis, oritur ex conjunctione ad personam Divinam; ita ut si Christi humanitas desineret esse conjuncta Verbo, & gratiam suam retineret, gratia illa desineret esse universalis; imò si gratia nostra esset in Christo, & Christi gratia in nobis, hæc esset particularis illa universalis.

CONCLUSIO II.

Christus ad operandum supernaturaliter indiguit, ultra gratiam habitualem, gratia actuali. Ita communiter Thomistæ & Scotistæ contra Suarez volentem gratiæ actualis vices supplevisse in Christo, visionem beatificam: cujus sententia licèt admitti possit quantùm ad amorem Dei beatificum, qui consequitur ad visionem, quæ subjectum beatitudinis sufficienter proponit, & ad illius amorem efficaciter movet, non tamen quantum ad alias operationes supernaturales ad statum viatoris pertinentes.

Prob. 1. Conclusio ex Script. Matth. 16. ubi Jesus dicitur ductus in desertum à Spiritu Sancto, ut tentaretur à diabolo atqui

atqui non duxit illum Spiritus Sanctus, nisi mediante speciali instinctu & auxilio, ut docet Chrysostomus in eumdem locum: ergo &c.

Prob. 2. Ratione; quia licèt visio beatifica dirigat operationes statum comprehensoris concernentes, non tamen illas quæ viatorem concernunt; ergo Christus ut viator indiguit in operationibus suis alia regula, seu directione, quæ nihil est aliud quàm gratia actualis.

Prob. 3. Christus ut viator potius operabatur supernaturaliter circa unum objectum, quàm circa aliud: sed hoc non proveniebat à visione beatifica: ergo à gratia actuali. Major certa est. Prob. Min. Quia cùm visio beatifica proponeret ipsi æqualiter omnia objecta creata non determinabat ipsum ad specialem operationem; & consequenter, cùm potiùs circa objectum operaretur, quàm circa aliud, debebat determinari à gratia actuali, unum objectum præ alio proponente.

Advertendum tamen hic 1. Christum non indiguisse necessariò gratia actuali ex parte voluntatis in ordine ad operandam supernaturaliter; quia non videtur ex qua parte esset insufficiens Christi voluntas, posita Spiritus illustratione ex parte intellectus, ut ie ad actum supernaturalem determinaret; præsertim cùm nonnulli Doctores hanc virtutem attribuant purorum hominum voluntati tot affectibus terrenis implicatæ.

Advertendum 2. Posse dici habuisse gratiam actualem ex parte voluntatis impropriè dictam, in quantùm ab uno actu voluntatis deliberato & perfectè libero, movebatur ad alium voluntatis affectum, quandoquidem ab intentione finis procederet ad mediorum electionem. Erat tamen, ut dixi gratia impropriè dicta, cùm per gratiam actualem propriè dictam ex parte voluntatis, intelligatur communiter actus voluntatis indeliberatus, qualem in Christo non admittimus.

QUÆSTIO III.

De gratia Christi prout est caput aliorum.

CErtum est hic nomen *Capitis* nonnisi metaphoricè Christo convenire, undè ex similitudine capitis in corpore humano ad corpus morale translatum est, idque ob tres præsertim rationes. 1. Ratione dignitatis, quia sicut caput in homine primum locum obtinet, ita & Christus in Ecclesia. 2. Ratione perfectionis, eò quòd vigeant in ipso omnes gratiæ, sicut vigent omnes sensus, & spiritus animales in capite. 3. Ratione virtutis; quia sicut caput influit in alia membra spiritus & motus, ita & Christus influit gratias in membra Ecclesiæ mystica.

In quo autem consistat gratia Christi ut capitis, & quorum Christus sit caput, resolvendum est sequentibus articulis.

ARTICULUS I.

In quo consistat gratia capitis?

DE hac re diversimodè loquuntur Scholastici: alii enim volunt gratiam capitis esse gratiam unionis, alii gratiam habitualem, alii utramque immediatè & æquè primo: alii denique esse gratiam habitualem connotantem in obliquo gratiam unionis, sed antequam huic ultimæ sententiæ suffragemur.

Advertendum quòd, cùm admittamus Christum esse caput morale seu mysticum ratione dignitatis, perfectionis, & virtutis, quæstionem tantùm procedere de tertia conditione, seu præcisè quæritur à qua gratia habeat quòd influat aut possit influere in omnia ipsius membra gratiam, gloriam &c.? nam quòd dignitatem capitis habeat à gratia unionis, & perfectionem à gratia habituali, videtur certum.

CONCLUSIO I.

GRatia Christi capitalis non consistit in sola gratia unionis, aut in sola gratia habituali.

Prob. Prima Pars: Illa est gratia capitis, quæ est Christo principium aliis merendi sanctitatem & justitiam: sed illa non est gratia unionis, cùm nequidem sit Christo principium eliciendi operationes meritorias, utpotè quæ nec activa est, nec sanctitatem Christo conferens: ergo.

Prob. Secunda pars: quia gratia Christi habitualis solitariè & secundùm se præcisè considerata, est ejusdem rationis cùm nostra, ut diximus ante; sed gratia sic sumpta non constituit illum in esse, in quo reperitur caput aliorum, aliàs quot essent justi in Ecclesia, tot essent aliorum capita: quod nemo dixerit.

Dices, Christi gratiam habitualem constituere ipsum caput morale secundùm eminentiam, quam habet supra omnes gratias habituales purarum creaturarum; sed

Contra est, quòd illa eminentia sit tantum intensio gratiæ, quæ ipsam à proprio ordine non extrahit, & consequenter sicut gratia habitualis minor, secundùm se præcisè considerata, non potest Christum caput nostrum constituere, ita nec major.

CONCLUSIO II.

NOn consistit etiam gratia Christi capitalis in utraque gratia æquè primò importata.

Ratio est; quia gratia capitis consistit in hoc, quòd constituit Christum potentem in sua membra influere: sed hoc non præstat æqualiter utraque gratia: ergo. Prob. Min. Quia gratia habitualis est Christo principium proximum & immediatum eliciendi opera meritoria, quibus, ut caput mysticum, meritoriè in sua membra influit: gratia autem unionis, nonnisi principium remotum & radicale.

CONCLUSIO III.

GRatia Christi capitalis consistit in gratia habituali connotante in obliquo gratiam unionis; sivè, quod idem est, est gratia habitualis quatenùs est naturæ supposito Divino personalizatæ. Hæc est satis communis.

Prob. Influxus Christi capitalis consistit in operibus summi valoris, quibus pro suis membris meruit & satisfecit: sed quòd opera illa sint meritoria, hoc habetur à gratia habituali: quòd autem summi valoris à gratia unionis, seu à supposito Divino à quo dignificantur: ergo.

Confirm. Ideo gratia capitalis fuit Christo principium merendi, quia erat gratia habitualis; & ideo fuit principium summè merendi, quia erat gratia habitualis naturæ supposito Divino terminatæ; atqui influxus capitalis consistit in operibus summi valoris: ergo principium illius influxus, in quo consistit gratia capitis, est gratia habitualis quatenus est naturæ supposito Divino personalizatæ, seu quatenus connotat unionem hypostaticam.

Obj. 1. August. Epist. 57. *Per Caput nostrum*, inquit, *reconciliamur Deo, quia in illo est Divinitas*: ergo ratio, cur fuit noster reconciliator, quod est primarium capitis nostri officium, non fuit gratia habitualis, sed Divinitas, quæ est aliquo sensu gratia unionis.

Resp. Dist. Conseq. Fuit Divinitas tanquam ratio formalis constituens Christum in esse capitis: N. tanquàm fundamentum præbens actionibus Christi meritoriis & satisfactoriis summum valorem, quem non præbuisset gratia habitualis, nisi fuisset gratia Christi, seu suppositi habentis Divinitatem: C.

Obj. 2. Idem non potest esse Gratia particularis & universalis: sed gratia Christi habitualis fuit gratia particularis ipsum tanquam personam particularem sanctificans: ergo non fuit gratia capitis.

Resp. Dist. Ant. Idem omnimodè: C. idem cum connotatione alterius: N. quia ut Christi gratia habitualis sit universalis sufficit quòd reddat Christum potentem pro aliis mereri & satisfacere, quod præstat prout est gratia humanitatis supposito Divino terminatæ.

Obj. 3. Ideò gratia gratis data distinguitur à gratia gratum faciente, quia hæc ordinatur ad proprii subjecti sanctificationem, illa ad aliorum utilitatem: sed gratia habitualis in Christo ordinatur ad ipsius sanctificationem, gratia autem capitis ad nostram salutem: ergo.

Resp. Neg. Causalem Majoris; quia ratio cur distinguantur illæ gratiæ, est quòd gratia gratis data ordinetur præcisè ad aliorum utilitatem & nullo modo ad utilitatem subjecti proprii; gratia autem gratum faciens, ad salutem proprii subjecti; jam autem gratia Christi capitalis non ordinatur tantùm ad aliorum salutem, sed etiam, & quidem per se primò, ad ipsiusmet Christi sanctificationem.

Obj. 4. In capite nostro naturali fuit duplex peccatum, actuale scilicet, & originale traductum ad posteros: ergo in capite nostro morali fuit duplex gratia, una sibi soli propria, & altera in sua membra derivata.

Resp. Neg. Ant. Quia fuit unicum in Adamo peccatum, quod

quod quatenùs ab illo committitur, dicitur actuale, quatenùs autem est causa seu origo, cur in posteris multiplicetur, dicitur originale. Et sic corruit comparatio.

Obj. 5. Si non fuisset in Christo gratia habitualis, adhuc fuisset caput nostrum morale: ergo hoc non habet à gratia habituali.

Res. Dist. Ant. Adhuc fuisset caput nostrum fundamentale, seu exigens ratione unionis hypostaticæ gratiam habitualem, per quam fieret caput nostrum formale: C. adhuc fuisset de facto caput nostrum morale: N. quia principium aliis merendi, sicut & sibi est gratia habitualis.

ARTICULUS II.

An Christus sicut caput Ecclesiæ, & an hoc habeat ut Deus, vel ut homo?

CONCLUSIO I.

CHristus est Caput Ecclesiæ. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. Et c. 5. *Quoniam vir caput est mulieris; sicut Christus caput est Ecclesiæ*. Item ad Coloss. 1. *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*.

Prob. 2. Ratione; quia quod competit capiti respectu corporis humani, competit & Christo respectu Ecclesiæ, ut patet ex dictis initio hujus Quæstionis.

Prob. 3. quia sicut corpori naturali assignatur caput naturale, ne sit monstruosum, ità, propter eamdem rationem, corpori morali, quale est Ecclesia, assignandum est caput morale; atqui noo potest assignari convenientius Christo, cùm ipse toti Ecclesiæ emineat, omnes vitæ supernaturalis sensus, id est gratias contineat, & ipsa Ecclesiæ membra suo inflexu foveat & dirigat: ergo.

Obj. 1. Christus non potest dici membrum Ecclesiæ: sed si esset ejus caput, etiam esset membrum; quandoquidem caput sit membrum corporis: ergo. Prob. Ma. Quia membrum dependet à reliquis membris; Christus autem quoad vitam gratiæ supernaturalem nullo modo dependet à Mysticis Ecclesiæ membris.

Res. Dist. Maj. Non potest dici membrum Ecclesiæ simpliciter: C. membrum præcipuum: N. Ad probationem dico non esse de ratione membri præcipui, seu capitis secundùm rationem suam explicitam, secundùm quam attribuitur Christo, habere influentiam ab aliis membris, sed potiùs illam ipsis præbere.

Obj. 2. Non minùs dici debet de Christo, quòd sit cor Ecclesiæ, quàm caput. Prob. Ass. quia non minùs influit instar cordis, ubi formantur Spiritus vitales, qui sunt principia vitæ vegetantis, quàm instar capitis, ubi funt Spiritus animales, qui sunt principia vitæ sentientis.

Resp. Quòd licèt possit dici cor Ecclesiæ, meliùs tamen dicatur caput, eò quòd nomen cordis principaliùs attribuatur Spiritui Sancto: nec sine causa; nam sicut cor latet, ità latenter Spiritus Sanctus in membra Ecclesiæ gratias suas influit: sicut autem caput patet, ita patenter Christus per suam mortem, & Sacramenta, gratiam in eadem membra influit.

Obj. 3. Propriè loquendo hæc propositio: *Christus est caput Ecclesiæ*, Est falsa: ergo &c.

Res. Dist. Ant. propriè loquendo, id est in sensu quem habent verba ex sua primaria institutione: C. id est, in sensu quem habent translativè & metaphoricè: N. nam sicut in hoc sensu Christus dicitur propriè Agnus, Leo, Petra &c.; ità & propriè caput.

CONCLUSIO II.

CHristus est caput Ecclesiæ sensu anteà explicato, non ratione Divinitatis, sed ratione humanitatis, in persona Divina subsistentis. Dico: *Sensu anteà explicato*; nam si caput sumatur præcisè pro eo quòd Ecclesiæ præest, eamque absolutè regit & gubernat, certum est convenite etiam Christo ut Deo, imò & infinitè perfectiùs quàm Christo ut homini.

Prob. Conclusio: Christus secundùm illam naturam est Ecclesiæ caput, secundùm quam est noster Redemptor & Salvator: atqui non est noster Redemptor & Salvator secundùm naturam divinam: ergo secundùm humanam in persona Divina subsistentem. Major certa est; Prob. Min. quia non potest esse Redemptor & Salvator nisi per opera apud Deum meritoria & satisfactoria; & consequenter per opera in pretium nostræ Redemptionis & salutis Deo exhibita: quod Christo secundùm Divinitatem non potest competere. Ex hac Conclusione

Resolve 1. Christum esse caput Ecclesiæ etiam secundùm Corpus: nam cum munus capitis habeat & exerceat in quantum homo, sequitur secundùm utramque essentialem hominis partem, id est, Corpus & animam, dignitatem illam ipsi competere. Accedit quod per utramque partem in sua membra influat; quandoquidem per merita suæ Passionis ab anima & corpore dependentia, meruerit nobis gratiam, gloriam &c. Hoc tamen non sic intelligas, quasi verò quandoque Corpus seorsim influat, ità ut alius sit influxus corporis alius animæ, sed Corpus conjunctum cum anima, ita ut sit unus & idem utriusque influxus, licèt anima utpote pars principalior, principaliter influat.

Resol. 2. Quòd sicut Christus tàm secundùm corpus, quàm secundùm animam est caput nostrum, ita & nos tàm ratione corporis, quàm animæ sumus membra ejus *Ratione quidem corporis*; quandoquidem in corpora Beatorum influat dotes claritatis, subtilitatis, agilitatis, & impassibilitatis; corporibus autem viatorum injiciat, mediantibus illustrationibus & motionibus animorum internis, quædam fræna, ad moderandas eorum inordinatas circà objecta sensibilia concupiscentias. *Ratione etiam animæ*, & quidem principaliter; quandoquidem influat in illam immediatè gratiam tùm actualem, tùm habitualem &c.

ARTICULUS III.

Quorum hominum Christus sit caput?

CHristum esse caput hominum, abstrahendo an omnium, an tantùm aliquorum, certum est de fide; cùm fides doceat ipsum esse caput Ecclesiæ, quæ ex hominibus componitur; sed quorum præcisè sit caput, & quorum non, hìc discutiendum est.

CONCLUSIO I.

CHristus est caput omnium hominum existentium in cœlo & in purgatorio; non tamen damnatorum in inferno, aut in limbo.

Prob prima Pars; Quia de facto Christus cum omnibus illis conjungitur tanquàm caput Mysticum cum suis membris: cum Beatis quidem, per gloriam, influendo in ipsos actum vitæ æternæ, cùm animabus autem Purgatorii, per gratiam sanctificantem, influendo in ipsas supernaturalem vitam charitatis, &c.

Dices: Beati non habent fidem: sed fides est forma Ecclesiæ: ergo Beati non sunt membra Ecclesiæ, adeoque nec Christi.

Resp. Dist. Min. Est forma Ecclesiæ militantis C. triumphantis: N. hujus enim forma est fruitio beata.

Prob. 2. Pars; quia damnati tam inferno, quam in limbo nullum influxum habent à Christo, nec ipsi ullo modo uniuntur, aut unientur in æternum: non quidem per gloriam, quam habent Beati, nec per gratiam sanctificantem, quam habent animæ purgantes, nec etiam per fidem, quam saltem habent viatores fideles: ergo &c. unde si qaandoque dicantur credere, fides eorum est naturalis: & licèt retinerent fidei habitum supernaturalem, ut volunt aliqui non satis fundatè, non tamen per illam fidem Christo unirentur, aut Ecclesiæ, cum illa non ordinetur ad salutem, sicut ordinari debet in iis, qui sunt de corpore Christi aut Ecclesiæ.

CONCLUSIO II.

CHristus est caput omnium viatorum fidem habentium. Est communis inter Theologos.

Prop. 1. Christus est caput omnium membrorum Ecclesiæ, ut diximus: atqui omnes viatores fidem habentes sunt membra Ecclesiæ; quandoquidem definiatur Ecclesia, *Congregatio fidelium, adunatio fidelium*: ergo.

Prob. 2. Fides Catholica est fundamentum & forma constitutiva Ecclesiæ seu Corporis Christi: ergo omnes viatores fidem habentes sunt membra corporis Christi, & consequenter Christus est eorum caput; quandoquidem caput & membra habeant se relativè. Prob. Ant. quia cùm quodlibet corpus naturale habeat suam formam, etiam corpori Christi mystico sua tribuenda est. Nulla autem convenientior assignari potest quàm fides, cum illa constituat fideles, quorum Christi corpus est essentialiter congregatio. Prob. etiam consequentia: nam sicut in naturalibus illa, quæ participant

for-

formam corporis, sunt membra corporis; ità & in moralibus. Ex hac conclus.

Resol. 1. contra Wiclephum, Calvinum, & alios, Christum non esse tantùm caput prædestinatorum, quandoquidem multi reprobi veram fidem habeant, per quam Christo & ejus membris unitur.

Resol. 2. Etiam esse caput eorum, qui aliquando sunt fidem abnegaturi; quia, hoc non obstante, sunt actu fideles, & consequenter actu Christi membra & Ecclesiæ: unde sicut manus abscindenda, semper manet corporis membrum quamdiu non abscinditur; ità & fidelis semper est membrum Christi, quamdiu ab ejus corpore per fidei abnegationem non separatur.

Resol 3. Etiam esse caput fidelium excommunicatorum; quia cùm per excommunicationem non perdant fidem, ità nec perdunt unionem cum Christo, & ejus membris.

Resol. 4. Idem esse de purè Schismaticis, quia licèt omnis Hæreticus sit Schismaticus, non tamen omnis Schismaticus est hæreticus, & consequenter potest, non obstante Schismate, fidem catholicam retinere: quamvis enim renuat se submittere Ecclesiasticæ gubernationi, per quod fit Schismaticus, rumpens vinculum pacis, charitatis & Ecclesiastici regiminis; potest tamen credere omnibus ab Ecclesia definitis.

Dices: Tales sunt ab Ecclesia separati.

Res. Esse quidem separatos quoad unitatem charitatis cui opponitur Schisma, non tamen quoad formam fidei, cui opponitur Hæresis, licèt omnis Schismaticus facilè in Hæresim labatur, & vix ullum fuerit Schisma, quod tandem in Hæresim non declinaverit: undè dici debent membra Ecclesiæ imperfecta ob defectum vitæ simpliciter talis, quæ per gratiam sanctificantem participatur.

Resol. 5. Christum similiter esse caput Catechumenorum, fidem ante Baptismum profitentium: quia licèt secundùm externum Ecclesiæ regimen, non agnoscantur inter membra Ecclesiæ, quæ, quia de internis non judicat, non solet quemquam ante Baptismum inter suos visibiliter computare: de facto tamen ad Ecclesiam pertinent ratione dispositionis internæ, seu fidei, quæ sæpe in illis adjunctam habet charitatem ratione contritionis perfectæ cum voto Baptismi.

Resol. 6. Idem esse dicendum de peccatoribus fidelibus (quidquid contradicat Cano, & ei favere videatur Contenson.) Ratio est; quia licèt peccando amittant charitatem per quam constituebantur membra Christi perfecta, non tamen fidem, ratione cujus remanent ipsius membra, licèt imperfecta: unde non definitur Ecclesia congregatio justorum, sed fidelium, in qua congregatione reperiuntur Virgines prudentes & fatuæ, triticum & palea, id est, boni & mali.

Dices 1. Peccatores sunt membra diaboli: ergo non sunt membra Christi.

Res. Dist. Ant. Sunt membra diaboli, secundùm id, secundùm quod sunt membra Christi: N. secundùm aliud: C. unde sunt membra diaboli quatenùs peccatores sunt, & membra Christi quatenùs sunt fideles.

Dices 2. Peccatores non sunt filii Dei: ergo nec filii Christi, adeoque nec ejus membra.

Resp. Neg. consequent. Disparitas est, quòd filii Dei tales constituantur per gratiam sanctificantem, qua carent peccatores; filii autem Christi in quantùm Ecclesiæ capitis, constituantur tales per fidem, quam post peccatum retinent.

Dices 3. Membra mortua non ampliùs pertinent, ad corpus atqui peccatores sunt spiritualiter mortui: ergo.

Res. Dist. Ma. Membra omnimodè mortua. C. tantùm ex una parte mortua: N. hocque patet in membris naturalibus, quæ quamdiu retinent gradum vivendi vegetativum, dicuntur membra corporis, licèt perdiderint gradum vivendi sensitivum, peccatores autem, licèt non vivant vita charitatis, vivunt tamen vita fidei.

Dices 4. Ecclesia est sancta: sed peccatores non sunt sancti: ergo non sunt ejus membra, adeoque nec Christi.

Resp. Dist. Ma. Est sancta ratione suorum constitutivorum, quæ sunt Fides & Sacramenta: C. ratione suorum membrorum: Subdist. Nobiliorum, qui sunt justi: C. omnium: N. unde quando Scriptura dicit de Ecclesia Cantic. 4. quod sit tota pulchra, & Ephes. 3. quod non habeat maculam nec rugam, loquitur de Ecclesia triumphante, non militante, in qua, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Dices 5. Peccator pertinet ad Babylonem civitatem confusionis: ergo non potest pertinere ad mysticam Hierusalem civitatem pacis.

Resp. Pertinere ad primam ut est peccator, & ad secundam ut fidelis; sicut potest quis pertinere ad civitatem Insulanam ratione nativitatis, & ad Duacenam ratione Domicilii, licèt supponerentur civitates illæ sibi contrariæ & infensæ.

CONCLUSIO III.

NUllus homo viator carens fide Theologica est actualiter membrum Christi, & consequenter nec Christus est ejus caput. Hæc conclusio non est ita communis, hanc tamen in terminis docet D. Thomas 3. d. 13. q. 2. quem sequuntur plurimi Authores gravissimi etiam Scotistæ: de qua nihil habet Scotus.

Prob. 1. Per hoc dicitur homo membrum Christi, per quod dicitur membrum Ecclesiæ: sed homo carens fide non est membrum Ecclesiæ, cùm fides sit Ecclesiæ petra, forma & fundamentum: ergo nec membrum Christi. Prob. Maj. per hoc dicitur homo membrum Christi, per quod dicitur membrum corporis Christi: sed non aliud agnoscit Apostolus Christi corpus mysticum præter Ecclesiam: ergo.

Prob. 2. Nullus potest esse membrum Christi, nisi uniatur Christo; atqui carens de fide nullo modo unitur Christo: ergo. Major certa est. Prob. Min Non unitur per gratiam aut gloriam, ut patet, nec unitur per Fidem, cùm illam non habeat: ergo.

Dices: Unitur Christo per gratias actuales, quas quandoque in ipsos influit Christus, ut errorem deserant, & veritatem amplectantur.

R. Quòd illæ gratiæ actuales, utpote auxilia transeuntia & particularia, non possint illis præventum unire Christo tanquàm capiti; quandoquidem vinculum uniens alicujus corporis membra tùm inter se, tùm cum capite debeat esse permanens & commune, ut patet in omnibus corporibus tùm naturalibus, tùm moralibus: unde sicut non dicitur aliquis de corpore alicujus familiæ, eò quòd soleat ibi quandoque unam aut alteram refectionem sumere, ita nec dicitur quis de corpore Christi, eo quòd recipiat interdum à Christo unam aut alteram illustrationem internam. Et inde patet aliud esse Christum esse Salvatorem omnium, pro omnibus meruisse, pro omnibus mortuum esse &c. & aliud esse omnium caput, cùm ad illorum omnium verificationem sufficiat quòd omnibus meruerit auxilia ad salutem sufficientia; ad hujus autem verificationem, requiratur ulterius quod de facto intercedat inter caput & membra unio quædam permanens, ut dictum est. Ex dictis

Sequitur tùm infideles nunquam baptizatos, tum pueros in utero materno morientes, tum Hæreticos etiam occultos, non esse membra Christi; quandoquidem tam hi quàm illi careant communi vinculo fidei, quo omnia Christi & Ecclesiæ membra inter se, & cum capite uniuntur. Et hæc est expressissima Augustini sententia; nam lib. de unitate Ecclesiæ cap. 4. sic loquitur de Hæreticis occultis, *Multi tales sunt in Sacramentorum communione cum Ecclesia; & tamen jam non sunt in Ecclesia.*

Dices 1. In eodem agro, ut dicitur Matth. 13. crescunt triticum, palea, & zizania, id est, justi peccatores, & hæretici, sed per agrum illum intelligitur Ecclesia: ergo.

Res. Neg. Min. *Quoniam Dominus agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est*, inquit Augustinus lib. 1. Quæst. Evang. in Matth. cap. 11.

Dices 2. Hæretici habent characterem Baptismalem: sed hic constituit hominem membrum Christi: ergo.

R. Dist. Min. constituit &c. initiativè, fundamentaliter, & dispositive, in quantùm characterizatus obligatur ad exercitium vitæ Christianæ: C. constituit formaliter: N. aliàs damnati aliquando baptizati, essent formaliter membra Christi, & Catechumeni quantumvis ante Baptismum Fidem, imò & gratiam haberent, non essent formaliter Christo incorporati.

Dices 3. Ecclesia punit Hæreticos: ergo sunt actualiter ejus membra.

Resp. Dist. Conseq. sunt &c. formaliter: N. debito & obligatione, in quantum ratione characteris, & professionis vitæ Christianæ in Baptismo emissæ, tenentur ipsi parere: C. & inde oritur quòd, si non pareant, possint justissimè puniri.

Dices 4. Si summus Pontifex fieret internè hæreticus maneret in actu caput Ecclesiæ, & quidem vere & proprie ergo & membrum illius. Prob. Ant. quia de facto maneret in ipso jurisdictio & potestas per quam constituitur in esse summi Pontificis, seu visibilis Ecclesiæ capitis.

Res.

Resp. concesso Ant. Et ejus Prob. Dist. conseq. maneret membrum Ecclesiæ secundùm jurisdictionem & potestatem, secundum quam est Ecclesiæ caput: C. secundum formam Ecclesiæ constitutivam, nempe Fidem: N. Pro majori horum intelligentia

Advertendum summum Pontificem posse spectari dupliciter, 1. ut persona particularis, secundùm quam habet etiam fidem particularem, ratione cujus nec est Ecclesiæ caput, quia ut talis persona, potest errare, adeoque Fidem perdere, & ita desinere esse Christi & Ecclesiæ membrum. 2. ut quasi persona communis supponens fidem, non suam particularem, sed Ecclesiæ communem, supra quam fundatur Pontificia dignitas, & capitis eminentia, & quia hæc communis fidelium fides non potest deficere, ita etiam ut persona communis, seu ut Ecclesiæ caput, non potest errare, adeòque nec per hoc capitis dignitatem perdere. Et inde patet posse Papam sine ulla implicantia esse Ecclesiæ caput, & non esse membrum illius, eo quod in ratione membri constituatur per fidem particularem, quam potest perdere; & in ratione capitis per jurisdictionem & potestatem, cum hæresi interna compossibilem.

ARTICULUS IV.

An Christus fuerit caput primorum parentum pro statu Innocentiæ?

Dico *Pro statu Innocentiæ*, seu pro eo statu, qui duravit ab eorum creatione, usque ad eorum lapsum; nam fuisse ipsorum caput, absolutè loquendo, extra dubium est, cum ipsos redemerit, & in illos gratiam, sicut in alios, influxerit.

CONCLUSIO UNICA.

Christus fuit caput primorum parentum quatenùs ad statum Innocentiæ pertinentium, colligitur ex Scoto 3. d. 7. q. 3. ubi resolvit fuisse caput Angelorum: hancque expressè tenent Suarez, Castillo, Gonet, Lorca, & alii contra plurimos Thomistas, qui cùm doceant Christum tantùm fuisse decretum, prævisо Adami peccato, ita consequenter sustinent gratiam Adamo ante peccatum collatam non fuisse ex prævisis Christi meritis, sed ex mera Dei liberalitate, cùm illa etiam in intentione peccatum præcesserit.

Prob. 1. Ex Script. Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus:* atqui sub *omnibus* comprehenduntur primi parentes: ergo. Unde D. Thomas in Epist. ad Hebræ. cap. 2. Lect. 10. asserit *quòd de plenitudine ejus acceperint omnes justi qui fuerunt, sunt, & erunt*; &, ut præcluderet evasionem illorum, qui dicerent omnes quidem de Christi plenitudine accepisse, non tamen pro omni statu; addit paulò inferius: *Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis*; & consequenter etiam illius gratiæ, quam ante lapsum habuerunt primi parentes.

Prob. 2. Ex Augustino Concione tertia in Psal. 36. *Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi &c.* Idem habet Hilarius in Ps. 139. *Ut in omnibus Sanctis caput Christus est, ita &c.* atqui primi parentes ante lapsum erant justi: ergo Christus etiam pro illo statu erat illorum caput.

Prob. 3. Ratione; Christus est caput totius Ecclesiæ, ut diximus: sed cœpit Ecclesia in terra ab instanti, quo primi parentes cœperunt esse sancti, adeoque in statu innocentiæ: ergo fuit Christus caput illorum etiam pro statu innocentiæ: Prob. Min. Ex Augustino in Psal. 128. *Nunquid modo & non olim est Ecclesia? ex quo vocantur sancti, est Ecclesia in terra*,

Prob. 4. Debemus Christo concedere quidquid facit ad majorem ejus dignitatem, & est aliunde sine ullo inconvenienti possibile: sed quòd primi parentes gratiam habuerint in statu innocentiæ dependenter à prævisis Christi meritis, est sine ullo inconvenienti possibile; ergo Prob. Min. quia fuit Christus, abstrahendo à statu passibili, decretus antequam decerneretur Adam, & consequenter antequam decerneretur gratia, ipsi in statu Innocentiæ conferenda: ergo potuit Deus moveri, in decernenda primis parentibus gratia, à Christi meritis, v.g. ab actu amoris, quem in primo suæ conceptionis instanti elicuit.

Prob. 5. Christus fuit caput Angelorum, in ipsos gratiam & gloriam essentialem influendo, ut dicemus Art. Seq. ergo à fortiori primorum parentum, cùm illi ante hos fuerint decreti & prædestinati.

Objic. 1. August. lib. de correp. & grat. cap. 11. sic de Adamo loquitur: *Ille in illis bonis*, id est, in statu innocentiæ, *Christi morte non eguit*: ergo gratiam originalem non habuit ex prævisis Christi meritis, sed ex mera Dei liberalitate.

Resp. Neg. Conseq. Quia licèt in illo statu non indiguerit, absolutè loquendo, Christi morte, indiguit tamen Christi meritis ante decretam ejus mortem prævisis.

Obj. 2. Omnis Christi gratia fuit medicinalis: atqui gratia primis parentibus in statu innocentiæ collata, non erat medicinalis, cum tunc non essent infirmi: ergo.

Resp. Dist. maj. Omnis Christi gratia infirmis applicata, fuit medicinalis: C. applicata sanis: N. undè Christi gratia fuit talis, ut infirmo applicata, esset sanativa, applicata autem sanis, esset sanctificativa.

Obj. 3. Ex hac sententia sequitur, aliqua Christi opera nobis non profuisse, nempè illa quibus gratiam meruit primis parentibus.

R. N. Seq. Quia ab iisdem Christi operibus, à quibus motus est Deus, ut gratiam originalem Adamo conferret, potuit etiam moveri ut nobis conferret gratiam medicinalem.

Obj. 4 Omnis Christi gratia dependet à peccato originali; atqui primorum parentum gratia non dependebat à peccato originali, cum gratia peccatum præcesserit in intentione, & executione: ergo.

Resp. Dist. Maj. Omnis Christi gratia dependet à peccato originali, in sententia illorum, qui dicunt quod si Adam non peccasset, Christus non venisset: C in sententia nostra: nego.

Obj. 5. Quotquot fuerunt ex Christi meritis sanctificati, fuerunt per Christi mortem sanctificati: atqui non fuerunt primi parentes per Christi mortem sanctificati, cùm Christi mors tantum fuerit post prævisum Adami peccatum decreta, & consequenter post prævisionem gratiæ ante peccatum ipsis conferendæ: ergo Prob. Maj. ex illo ad Hebræ. 10. *Una oblatione*, id est morte, *consummavit in sempiternum sanctificatos*.

Resp. Dist. Maj. Quotquot fuerunt &c. fuerunt per Christi mortem sanctificati, vel primariò, vel secundariò: C. omnes omnino primariò: N. nam antè decretam Christi mortem motus fuit ex prævisis ipsiusmet Christi meritis ad destinandam primis parentibus gratiam, & posteà decreta & prævisa Christi morte, etiam propter illam dare statuit, fuitque propter Christi mortem ita affectus, ut licèt priùs ipsis gratiam dare non statuisset, vi illius affectus & complacentiæ efficaciter largiretur, undè ille affectus erat talis, ut prædictum effectum futurizasset, nisi anteriori decreto fuisset futurizatus, nec hoc mirum videri debet; quandoquidem Thomistæ præcipui in eadem aut simili materia duplicem titulum admittant, undè Eximius Zipellus tenet gratiam fuisse Angelis collatam 1. ex Dei libertate, 2. ex Christi meritis, & Gonet. dist. 12. art. 1. §. 3. asserit quòd licèt Christus gratiam habitualem titulo connaturalitatis receperit, illam tamen etiam titulo physicæ dispositionis obtinere potuerit.

Obj. 6 Non potuit mereri Christus, nisi per opera ut prævisa in executione ponenda, atqui Christus, abstrahendo à statu passibili, non potuit operari: ergo in illo statu non potuit mereri, & consequenter non potuit Deus, antequam decerneret Christum passibilem, moveri à Christi meritis ad destinandum gratiam originalem primis parentibus.

Resp. Neg. Min. sicut enim potest esse Christus abstrahendo an sit de facto passurus, necnè, ita & operari; cùm Passio aut non Passio actualis sint mera accidentia, nihil conferentia ad existentiam vel operationem.

ARTICULUS V.

An Christus sit caput Angelorum?

Christum esse caput Angelorum, fides docet, ut patebit ex jam allegandis Scripturæ passibus, sed an hoc ipsi competat ut Deo tantùm, an etiam ut homini? disputatur. Nulla est difficultas in sententia Origenis asserentis Homil. prima & secunda in Levitic. Christum pro Angelis mortuum esse; ac eos, qui salvati sunt, redemisse, sed cùm hæc sententia rejiciatur communiter à Patribus; nullum inde possumus fundamentum eruere. Nihilominùs sit

CONCLUSIO UNICA.

Christus ut homo est verè & propriè caput Angelorum bonorum. Ita expresse Scotus 3. d. 7. q. 3. estque communis inter Theologos, contra paucos. Dico *Angelorum bonorum*, quia cùm nullum prorsus habeat in Dæmones influxum, etiam non est illorum caput morale.

Prob. 1.

Prob. 1. Conclusio ex Scriptura ad Coloss. 2. Ubi ille, in quo *inhabitat plenitudo Divinitatis corporaliter*, adeoque Christus ut homo, dicitur *Caput omnis Principatus & Potestatis*. Item ad Ephes. 1. dicitur: *Suscitans illum à mortuis & constituens ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem Principatum, & potestatem, & Virtutem, & Dominationem.* Ubi manifestè agitur de Christo ut homine, cùm idem dicatur: *constitutus supra &c.* qui dicitur suscitatus à mortuis.

Prob. 2. Ex Aug. concione 3. in Psal. 36. *Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos? omnes qui ab initio fuerunt justi, adjunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum.*

Prob. 3. Christus ut homo est caput Ecclesiæ, ut diximus: atqui hominum & Angelorum eadem est Ecclesia: ergo. Prob. Min. Ex August. qui verbis jam citatis immediatè subdit: *Ut illa una civitas fiat sub uno Rege, & una Provincia sub uno Imperatore.* Idem habet Bernardus serm. 27. In cant. *Sicut de diversis ovium gregibus unum facere voluit, ut sit unum ovile & unus Pastor, ita cùm haberet sponsam sibi adhærentem à principio, multitudinem Angelorum, placuit et de hominibus convocare Ecclesiam, atque illi unire, quæ de cælo est, ut sit una sponsa & unus sponsus.*

Prob. 4. Ideo Christus ut homo est caput hominum, quia influit in ipsos gratiam & gloriam: atqui influit etiam in Angelos gratiam & gloriam, non tantùm accidentalem, idest, nova gaudia, ut volunt Thomistæ, sed etiam essentialem: ergo.

Prob. Min. 1. Ex PP. Gregorio in cap. 2. lib. 1. Regum: *Nullus hominum, neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum.* Bernardo serm. 22. in Cant. *Qui erexit hominem lapsum, dedit Angelo ne laberetur.* Fulgentio lib. 2. ad Trasimum cap. 3. *Non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi qua lapsum hominem post ruinam potuit reparare: una est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non finivit; illius esca, istius medicina.* Laurentio Justiniano serm. de Assumpt. B. V. *Nemo illi invidebat*, nempe quòd ascenderet supra Choros Angelorum, *fructus quippe ventris ejus totam civitatem illam repleverat sanctitate.* Cyrillo Alexand. tom. 2. in illud Isa. 54. *Lætare sterilis quæ non paris*, ubi ait, *Christum tam hominibus, quàm Angelis fuisse causam sanctitatis.* Et explicans caput. 1. Joan. *De plenitudine*, inquit, *omnes accepimus, tam homines, quàm Angeli, &c.* Nec dicas cum Vasquez loqui de Christo ut Deo, quia loquitur de Christo ut Joannes, quem constat loqui de Christo ut homine.

Prob. Eadem Minor ratione: quia Christus, utpote primogenitus omnis creaturæ, fuit ante Angelos decretus & prædestinatus, & sic potuerunt prævideri aliqua Christi merita antequam decerneretur gratia aut gloria ipsis conferenda, ut diximus de primis parentibus.

Obj. 1. August. Tract. 23. in Joan. asserit Verbum caro factum vivificare corpora, sicut Verbum apud Patrem vivificat animas: atqui Angeli non habent corpora: ergo Christus ut homo non influit in illos.

Resp. Augustinum attribuentem Christo ut homini vivificationem corporum, non negare vivificationem animarum, aut Angelorum, sicut quando asserit Enchir. cap. 56. Christum esse caput hominum, non negat esse Angelorum: imò ex ejus comparatione potiùs sequitur contrarium: nam sicut Verbum apud Patrem non tantùm vivificat animas, sed etiam corpora: etiam Verbum caro factum, non tantùm vivificat corpora, sed animas, & Angelos, unde SS. Patres volentes Christum influere in Angelos secundùm Divinitatem, & in homines secundùm humanitatem, intelligendi sunt accommodè: nam, cùm Angeli sint spirituales, ipsis Divinitatem utpote spiritualem accommodant; hominibus autem materialibus humanitatem etiam materialem attribuunt, licèt credant secundùm utramque naturam, tam in Angelos quàm in homines influere.

Obj. 2. Christus ut homo non convenit cum Angelis in natura: ergo non est illorum caput.

Resp. N. conseq. Quia ratio cur Christus sit hominum caput, non est quia est ejusdem naturæ cum ipsis, sed quia respectu illorum habet tres conditiones, nempe eminentiam, majorem perfectionem, & influxum; quas cùm etiam habeat respectu Angelorum, *eminentiam* quidem, cùm sit *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*, Hebræ. 1. *Majorem etiam perfectionem*, cùm ipse solus plures habeat gratias, quàm omnes Angeli simul: & *Influxum*, cùm in ipsos, sicut & in homines, gratiam & gloriam essentialem influat; sequitur etiam Angelorum esse caput.

Obj. 3. Christus dicitur caput Ecclesiæ, non Ecclesiarum: atqui alia est Ecclesia Angelorum, & alia hominum: ergo licèt sit caput Ecclesiæ hominum, non sequitur quòd sit Angelorum.

Res. Neg. Min. Quia, ut ostendimus ex DD. Augustino & Bernardo superiùs, eadem est hominum & Angelorum Ecclesia: & certè si homines inter se constituant unam Ecclesiam, quia conveniunt per visionem & charitatem in Patria, quidni homines & Angeli unam etiam inter se constituerent, cùm etiam convenerint in via in uno Deo credito, & in patria in uno Deo viso & amato?

Obj. 4. Perfectiùs influit Christus in homines, quàm in Angelos: atqui si horum & illorum esset caput, contrarium fieret: ergo. Prob. Min. Quia caput perfectius influit in membra perfectiora.

Resp. Neg. Min. Ad probationem Dist. Ass. Perfectius influit in membra perfectiora, ubi cætera sunt paria: transeat. Ubi non sunt paria, N. jam autem homines, utpote lapsi & infirmi, fortiori indigebant auxilio, quàm Angeli, in quibus non erat morbus sanandus, sed tantùm præcavendus. Præterea negari potest Angelos collectivè, esse hominibus etiam collectivè sumptis perfectiores, non quidem in esse naturæ, qua membra non sunt, sed in ordine gratiæ; quandoquidem sola Virgo omnes Angelos simul sumptos in gratia superaverit.

Obj. 5. Ex hac sententia sequitur Angelos non fuisse beatos ante Christi mortem; quandoquidem Patres veteris Testamenti, eò quòd à Christo tanquam capite dependerent, non fuerint ante illius mortem glorificati.

Resp. Neg. Sequel. Disparitas est, quòd homines, non Angeli indigerent satisfactione & reconciliatione, quæ sola Christi morte consummatæ sunt.

Obj. 6. Hebræ. 2. dicitur: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur: ex uno omnes*, nempe ex Adam: ergo falsum est Angelos à Christo capite recipere sanctitatem.

Resp. Apostolum loqui de sanctificatione per modum Redemptionis, ut patet ex contextu.

Obj. 7. Nulla Christi opera habent rationem meriti completi, nisi sint illius morte consummata: ergo non meruit Christus Angelis gratiam, cùm Angelorum gratia prius fuerit decreta, quàm Christi mors prævisa.

Resp. Dist. Ant. Non habent rationem meriti completi respectu gratiæ ut reconciliatricis: conc. respectu gratiæ ut præcisè sanctificantis, prout fuit in Angelis: N. unde licèt non detur lapsis gratia quatenus reconciliatrix, nisi propter Christi merita morte consummata, eò quòd Christus moriendo peccatorum reconciliationem consummaverit; data est tamen Angelis & primis parentibus ante lapsum gratia quatenus sanctificans, ob Christi merita, ante decretum mortis prævisa; licèt Deus, prævisa jam Christi morte, etiam propter illam Angelis & primis parentibus gratiam dare statuerit. Et sic habent Angeli ex duplici titulo gratiam, ut diximus de primis parentibus Artic præced. 1. Ob Christi merita ante decretum mortis prævisa. 2. Propter illius merita morte consummata.

Nec inde inferas pro Angelis mortuum esse; quia pro solis illis dicitur mortuus, pro quibus venit ut Redemptor: unde licèt sibi meruerit corporis claritatem & nominis exaltationem, non dicitur pro se mortuus, saltem rigorosè loquendo.

Dices: D. Bernardus serm. 22. in Cant. dicit Christum esse redemptionem Angelorum: ergo pro illis etiam ut Redemptor venit.

Res. Locutionem illam esse impropriam; quandoquidem redimere sit emere à servitute, vel quæ habetur actualiter, ut in nobis, respectu quorum Christus dicitur Redemptor sublevativus, vel quæ debet haberi, ut in B. Virgine, respectu cujus dicitur Redemptor præservativus: in Angelis autem nec fuit, nec esse debuit servitus. Ex dictis hoc & præcedenti Articulo

Resol. Quantùm roboris tum ex rationibus, tum ex Patrum authoritate accipiat sententia nostra, qua dicimus Christum, etiam Adamo non peccante, venturum; quandoquidem non possit concipi quomodo Christus Angelis & primis parentibus ante lapsum gratiam meruerit, & tamen fuerit tantùm post prævisum Adami lapsum decretus.

ARTICULUS VI.

Variæ quæstiunculæ huc pertinentes.

QUæres 1. An nomen Capitis sit soli Christo proprium? Res. Affirm. Quia licet Papa dicatur caput Ecclesiæ propter jurisdictionem & potestatem, non tamen ad sensum nostrum, cùm nec gratiam nec gloriam influat in membra Ecclesiæ, sicut Christus.

Quæres 2. An Christus sit caput omnium creaturarum?

Res. Nonnisi impropriè, cùm non habeat in omnes creaturas influxum moralem gratiæ & gloriæ: undè potiùs dici debet illarum Dominus, quàm caput.

Quæres 3. An nullo sensu dici possit caput Dæmonum & damnatorum?

Res. Posse dici ad sensum, quo Gubernator dicitur caput urbis, nempe propter excellentiam & dominationem, non propter influxum.

Quæres 4. An Diabolus sit caput omnium malorum?

Res. Affirm. Quia respectu illorum competunt sibi tres conditiones capitis moralis, nempe *Prioritas*, cùm fuerit primus omnium peccator; *Eminentia* in malitia, cùm sit in malo semel electo pertinaciter consummatus; & *Influxus*, in quantùm per suggestiones & tentationes inducit homines ad peccatum; imò dici potest causa omnium peccatorum, in quantùm impulit Adam, saltem mediatè, ad peccandum, ex quo peccato omnia alia originem habent.

Quæres 5. An idem dici possit de Adamo?

Res. Neg Quia 1. Non fuit primus omnium peccator. 2. Non eminet aliis in malitia; quia licèt ejus peccatum extensivè sit maximum, non tamen absolutè, cùm omnia solorum hominum peccata simul sumpta longè plus contineant malitiæ, quàm peccatum Adami, à quo etiam resipuit. Potest tamen dici aliquo sensu influere in hominum peccata, in quantùm, mediante generatione, traducit in posteros peccatum originale, à quo actualia originantur.

Quæres denique. An Antichristus sit caput omnium malorum?

Res. Posse dici, non quantùm ad prioritatem, cùm sit tantùm in fine temporum venturus; nec etiam quoad influxum, cùm non possit influere in peccatores seipso anteriores, sed quoad eminentiam malitiæ, quæ tanta in ipso erit, ut omnis malitia, quæ ipsum præcessit, reputanda sit quasi imago & figura, in comparatione illius.

DISPUTATIO XV.

De Christi Domini merito.

MEritum apud Deum, de quo hic agimus, est opus dignum, ut à Deo compensetur. Estque duplex, condignum unum, congruum alterum. Primum est illud, cui ex quadam justitia & operis dignitate debetur præmium. Secundum verò, cui tantùm debetur ex quadam amicitia & congruitate. Non agimus hic de secundo, quod est tantùm meritum secundùm quid, sed de primo, quod ordinariè venit nomine meriti simpliciter.

QUÆSTIO I.

An Christus meruerit, & quibus actibus?

CONCLUSIO I.

CHristus de facto meruit. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Et ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est &c.*

Prob. 2. Ex Trident. Sess. 6. cap. 7. ubi expressissimè dicitur Christum fuisse causam meritoriam nostræ justificationis.

Prob. 3. Ratione Theologica; quia omnes conditiones ad meritum requisitæ reperiuntur in Christo perfectissimè. Ac 1. Habuit statum viæ & gratiæ, quæ sunt conditiones necessariæ in persona merente. *Statum quidem viæ*, quia non obstante quòd esset comprehensor, fuit tamen de facto homo mortalis inter morales conversatus: *statum* autem *gratiæ*; cùm illam habuerit summam ab instanti conceptionis, ut diximus superius. 2. Habuit actus honestos, liberos & supernaturales, quæ sunt conditiones operis meritorii: *honestos* quidem, cùm non nisi virtuosè & honestè per totam vitam egerit, hoc exigente gratiarum & virtutum ejus plenitudine: *liberos* verò, cùm Patris præcepta liberè adimpleverit, ut ostendimus: *Supernaturales* denique, cum plurima ejus opera, imo forte omnia, & à principio supernaturali procederent, nempe gratia, & ad finem supernaturalem ordinarentur, nempe charitatem. 3 Quia adfuit de facto ex parte Dei præmiantis pactum & promissio de reddenda Christi operibus mercede, ut patet ex Script. Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes.* Et Isa 53. *Pro eo quòd laboravit anima ejus justificabit ipse justus servus meus multos*; & paulo inferius: *Fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.*

CONCLUSIO II.

MEruit Christus per omnes actus suos liberos. Est communis inter Theologos.

Prob. 1. Conclusio: Potuit Christus per omnes actus illos mereri: ergo de facto meruit, cùm non debeamus dubitare illud omne fecisse, quod noverat esse perfectius & Deo gratius. Prob. Ant. Quia 1. Ex parte sua erat in statu viæ & gratiæ, ut jam dictum est, 2 Quia non tantùm omnia ejus opera poterant esse moraliter bona & honesta, cùm & talia esse possint in homine justo, saltem physicè loquendo; sed etiam supernaturalia, cùm non deesset ipsi gratia undè supernaturalizarentur. 3. Quia credibile est quòd Deus, qui voluit ipsum tot gratiis, tot virtutibus, tot beneficiis cumulare, voluerit etiam omnes ejus actiones non tantùm dignificare, sed etiam præmiare. Hinc

Resol. 1. Christum meruisse per omnes actus virtutum infusarum; nam si meruerit per omnes actus partis sensitivæ, ut dicemus postea, à fortiori dicendum est meruisse per hos actus, cùm hi potiùs quam illi, participent rationem libertatis: unde meruit per orationes, jejunium, humiliationes: item per suam Passionem, 1. Tanquam per actum supremæ charitatis, quo bonus ille Pastor animam suam ponebat pro ovibus suis. 2. Tanquam per actum patientiæ, quo tanquam agnus mitissimus ad mortem ducebatur. 3. Tanquam per actum Religionis, in quantùm immolabat Deo Sacrificium perfectissimum. 4. Tanquam per actum justitiæ, in quantùm satisfaciebat pro injuriis Deo per peccatum illatis.

Resolve 2. Christum meruisse per actus præceptos, 1. Quia erant actus virtutis, nempe obedientiæ. 2. Quia erant ad merendum sufficienter liberi; quandoquidem, non obstante impeccabilitate, fuerit in materia præcepti adimplenda liberrimus, ut suo loco ostendimus; & ideo meruit Deum colendo, Parentes honorando, mortem iubeundo &c.

Resol. 3. Meruisse per amorem Dei super omnia, non tantùm, qui sequebatur ad scientiam infusam, sed etiam qui sequebatur ad visionem beatificam: si supponatur ad illam concursus Dei indifferens.

Ratio primæ partis est, quòd actus ille 1. esset liber; quandoquidem Deus abstractivè cognitus, ut sit per scientiam infusam, non necessitet ad sui amorem, cùm nequidem necessitet beatificè cognitus, ut iam diximus. 2. Quia erat actus viatoris; quandoquidem talis sit amor, qualis est cognitio ad illum præsupposita; & consequenter cùm scientia infusa non sit cognitio beatifica, utpotè abstractiva, ita nec amor ad scientiam infusam secutus, dici debet beatificus.

Ratio secundæ partis est, quòd hic amor sicut præcedens, sit etiam liber, & actus viatoris: *liber* quidem; nam cùm objectum beatificum non immutet intrinsecè naturam amantis, ita nec ejus libertatem tollit: undè licèt non possit Deum beatificè cognitum odio habere, cùm non possit voluntas odisse bonum ut tale cognitum, & ideo circa hoc non habeat libertatem specificationis, habet tamen libertatem exercitii, in quantùm potest vel illud amare, vel ab ejus amore cessare. Est etiam *actus viatoris*, seu hominis qui est viator: nam sicut omnes actus viatoris in Christo sunt actus comprehensoris quia idem Christus est simul viator & comprehensor, ita omnes actus comprehensoris sunt actus viatoris, quòd sufficit ad merendum, cùm nullibi legatur quòd actus meritorius debeat esse viatoris ut viatoris. Præterea licèt non esset actus viatoris potest tamen ex Dei dispensatione esse meritorius, cùm ex sola Dei voluntate requiratur ad merendum status viæ; imò æquè probabile est Deum dispensasse, ut mereretur Christus per ipsum comprehensionis actum, ut superius insinuavimus, quia actus ille, etiam in Christo satis impropriè dicitur actus viatoris.

Dixi

Dixi: si supponatur &c. Quia si statuerit Deus nullo casu possibili suspendere concursum suum beatis ad actum beatificum, actus ille utpotè non nisi remotè liber, non potest esse meritorius, nisi ex Divina dispensatione. Vide dicta de Christi libertate.

Resol. 4. A fortiori fuisse Christo meritorium actum dilectionis proximi, etiam in Verbo per visionem beatificam cogniti; quandoquidem proximus sic cognitus, non ita impellat ad sui amorem, quàm primarium beatitudinis objectum; & consequenter, si Deus clarè visus non necessitet ad sui amorem, nec à fortiori necessitabit proximus, etiam in Verbo cognitus.

Resol. 5. Christum etiam meruisse per omnes actus potentiæ sensitivæ, & vegetativæ, imò & per quemlibet actum sui corporis; & ideo non tantùm meruit per lachrimas, vagitus, suspiria, visionem, auditionem, ambulationem &c. sed etiam per nutritionem, augmentationem, motum cordis Arteriæ pulsum, esuriem, somnum, &c. Ratio est: quia, cùm plenum & integrum haberet in suum corpus, & in omnes ejus potentias dominium, omnia præcedentia suberant ejus voluntati: & consequenter prout ab ipso permittebatur, & in finem honestum dirigebantur, morali quadam & meritoria honestate superinduebantur.

Nec refert 1. Quòd illæ potentiæ non sint formaliter liberæ quia, ut actus aliquis sit liber, non requiritur libertas in potentia eliciente, aliàs nonnisi per actus voluntatis mereremur sed sufficit libertas & Dominium in potentia imperante qualis est voluntas.

Nec refert 2. Quòd Christi potentia in ordine ad impediendas plurimas ex præfatis actionibus, tantùm ipsi competeret ut erat divinitatis instrumentum quia non erat instrumentum mortuum, sed vivum & agens cum deliberatione, consilio & libertate, quandoquidem à Verbo divino nullam agendi necessitatem reciperet.

Resol. Denique Christum non meruisse, imò non potuisse mereri per actum Divinæ voluntatis; quia ratio meriti involvit quamdam dependentiam & subjectionem ad præmiantem qualem nec habet, nec habere potest divina voluntas: Et ideò conclusio nostra intelligitur de solis humanæ Christi voluntatis actibus.

QUÆSTIO II.

Quandonam initium & finem habuerit Christi meritum?

NOn loquor hic de progressu, seu continuatione meritorum Christi; nam cùm fuerit meritus per omnes actiones suas liberas, ut diximus, clarum est ejus meritum fuisse à primo instanti quo cœpit, usque ad finem vitæ continuatum; imò in sententia Scoti nunquam fuit interruptum quandoquidem amor beatificus, qui in ejus sententia fuit meritorius, nunquam fuerit interruptus: unde non est audiendus Durandus, volens Christum toto infantiæ tempore non meruisse, idque defectu usus rationis propter organorum indispositionem; quandoquidem ejus sententia reputetur communiter ab Authoribus infundata, improbabilis, & SS. Patribus contraria: nec immeritò; cùm dicat Augustinus serm. 21. De Tempore; *Adoremus pannos infantiæ ex quibus facta sunt emplastra naturæ*. Et Ambrosius lib. 2. in Lucam c. de Nativit. Salvat. *Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta laverunt*. Idem habent alii Patres. Undè hoc supposito

CONCLUSIO I.

CHristus mereri cœpit 1. Incarnationis suæ momento. Ita communiter Theologi contrà paucos, qui negant Christum meruisse, aut mereri potuisse 1. conceptionis instanti; quia, ut dicunt, in causis liberis, priùs est esse quàm operari.

Prob. 1. Conclusio ex Scriptura ad Hebræ. 10. ubi dicit Apostolus, quod Christus ingrediens mundum (adeoque 1. Incarnationis suæ instanti, quandoquidem 2. Instanti non sit ingrediens, sed ingressus) obtulerit se Patri æterno tanquam paratum ad executionem ejus voluntatis circa generis humani redemptionem: hanc autem oblationem fuisse meritoriam, patet ex eo quòd fuit libera, propter sufficientem tunc in Christo rationis usum, & aliunde fuerit actus obedientiæ erga Patrem, & charitatis erga homines.

Prob. 2 Quia in 1. conceptionis suæ instanti habuit omnia ad merendum requisita, nempe usum rationis, libertatem, objectum meriti sibi sufficienter per scientiam beatam & infusam propositum, omnem gratiam ad merendum necessariam & aliunde actus meritorius potest esse in instanti, cum non sit successivus: ergo de facto meruit.

Prob. 3. Christo attribui debet quod perfectius est, & aliunde non repugnat, sed Christum, 1. Incarnationis suæ puncto mereri perfectius est, quam non mereri, ut patet, & aliunde non repugnare declarabit objectionum solutio: ergo.

Objic. 1. Prius est esse, quàm operari: ergo in 1. Instanti quo fuit Christus, non potuit operari, adeoque nec mereri.

Res. Dist. Ant. Priùs est prioritate naturæ: C. temporis: N. hocque patet in sole, qui eodem instanti quo fuit illuminavit.

Obj. 2. Actus liber, qualis est meritorius, præsupponit consultationem, discursum, & deliberationem: sed non potest quis eodem instanti esse, consultare, discurrere, deliberare & agere; ergo.

R. Dist Ma. Præsupponit discursum &c. in eo qui rem circa quam vult operari, imperfectè agnoscit C. in eo qui perfectè cognoscit: N. credo tamen requiri deliberationem, sed non aliam, quam quis habet actualiter operando.

Objic. 3. Nullus habet usum rationis merendo necessarium, nisi habeat organa rite disposita, qualia non habeat pro tunc Christus.

Resp. Hoc esse verum in nobis, qui in cognoscendo indigemus organis & phantasmatibus; non autem in Christo, qui independenter ab illis, per scientiam beatam & infusam omnia noverat.

Obj. 4. Operatio naturalis præsupponitur ad liberam: ergo hæc non potest esse 1. instanti.

R. Dist. Ant, Præsupponitur natura: C. tempore. N. cùm non implicet hominem aliquod objectum eodem instanti intelligere & velle.

CONCLUSIO II.

EOdem instanti finem habuit Christi meritum, quo finem habuit ejus vita. Hæc est satis communis inter Theologos.

Prob. 1. Ex Scriptura ad Hebræ. 1. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Quasi diceret, quòd sua morte omnia sua merita consummavit & terminavit.

Prob. 2. Tunc desiit mereri, quando desiit esse viator, atqui ubi desiit vita; desiit esse viator; ergo. Minor certa est, Prob. Ma quia secundùm communem divinæ providentiæ legem, solùm viæ tempus unicuique ad merendum determinatum est; & ideo Joan. 9. dicitur; *Venit nox in qua nemo potest operari*, Id est, ut exponunt SS. Patres, veniet mors, quando nemo poterit mereri; ab hac autem communi lege non est Christus eximendus sine sufficienti ratione quæ hic non apparet; imò videtur Christus seipsum in illa lege involvere; nam antecedenter ad Verba Joan. jam citata dixerat; *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est*: & immediatè subdit: *Venit nox &c.* Ubi tam de se quàm de alio loquitur, ut patet ex contextu sermonis.

Obj. 1. Christus meruit in primo instanti suæ mortis; ergo meruit postquam vita desiit. Prob. Ant. quia meruit per suam mortem.

Resp. Neg. Ant. Quia sicut in 1. instanti mortis non erat Christus homo, propter animæ separationem à corpore: ità nec merebatur. Ad Prob. Dist. Ant. Meruit per suam mortem in fieri: C. quia tunc supponitur adhuc vivus. Per suam mortem in facto esse: N. quia jam supponitur mortuus.

Inst. 1. Christus meruit per mortem completam: ergo per mortem in facto esse. Prob. Ant. quia mors necdum de facto completa, non est mors.

Resp. D. Ant. Meruit objectivè per mortem completam, in quantùm vivens illam obtulit Patri: C. meruit formaliter: N. quia tunc, cùm non esset homo, nec erat Viator, quod tamen ad formale meritum requiritur.

Inst. 2. Martyres merentur formaliter per suam mortem completam: ergo à fortiori Christus, qui est caput Martyrum. Prob. Ant. Merentur formaliter Aureolam Martyrii: sed illam non merentur antequam mors sit consummata, ut habet sensus communis: ergo.

Resp. Neg. Ant. Ad probat. dico mereri quidem formaliter Aureolam Martyrii, sed ante instans mortis, licèt non detur nisi morte completa & consummata.

Inst. 3. Tamdiu durat in Martyribus, adeòque & in Christo, Martyrii meritum, quamdiu durat Martyrium: atqui Martyrium completur in 1. instanti mortis: ergo & meritum.

Resp.

Resp. Neg. Maj Quia Martyrii meritum excludit instans mortis; Martyrium autem illud includit: cujus ratio est, quòd non sit meritum actuale Martyrii, nisi quamdiu verum est dicere: Martyr vivit, cùm nonnisi vivens mereatur: non sit autem Martyrium completum, nisi sit verum dicere: jam Martyr occubuit.

Inst. 4. Christus meruit per vulnus lanceæ sibi inflictum: atqui tunc non erat verum dicere: Christus vivit, cum Scriptura Joan. 19. asserat ipsum jam tunc esse mortuum: ergo. Prob. Maj. ex Patribus, qui dicunt ex latere novi Adami dormientis, id est, Christi mortui, formatam fuisse Ecclesiam, fluxisse vitam, salutem, Sacramenta &c.

Resp. Quòd ab illo vulnere emanarint quidem Ecclesia, vita, salus, Sacramenta &c. sed tanquam à causa meritoria objectivè, in quantùm Christus prævidens apertionem sui lateris futuram, injuriam illam adhuc vivus pro nobis Patri obtulit, ut diximus de morte, non tamen formaliter, nam ut illud esset meritorium formaliter in ratione actus exterioris, non tantùm deberet esse objectum actus interni meritorii, ut de facto fuit, sed etiam deberet esse actus vitalis & moralis.

Obj. 2. Christi Resurrectio fuit causa nostræ Resurrectionis: ergo etiam post mortem meruit.

Resp. Dist. Ant. Fuit causa exemplaris, in quantùm resurgemus sicut & ille resurrexit; C. causa meritoria, Subdist. meritoria formaliter, N. meritoria objectivè, in quantum Christus adhuc vivens illam prævisam obtulit pro nobis Patri, C. sed illo sensu non tantùm fuit causa meritoria nostræ Resurrectionis, sed etiam nostræ justificationis.

QUÆSTIO III.

Quid sibi Christus meruerit?

CAlvinus lib. 2. Inst. cap. 7. §. ult. negat Christum quidquam sibi meruisse, quia, ut ait, sicut non propter se, sed propter nos venit, ità non sibi, sed nobis meruit.

CONCLUSIO I.

CHristus non meruit sibi gratiam habitualem, sicut nec habitus cum ipsa infundi solitos. Ita Scotus 3. Dist. 18. q. unic. estque communis inter Thomistas & Scotistas.

Prob. 1. Principium meriti non cadit sub merito: atqui gratia habitualis fuit Christo principium merendi, ut suo loco diximus, ergo.

Prob. 2. Ut Christus mereretur, saltem sine dispensatione debuit esse sicut alii in statu viæ: ergo & sicut alii, in statu gratiæ, & consequenter non meruit gratiam, cum gratia non possit præsupponi ad seipsam.

Prob. 3. Prius est esse naturaliter, quàm naturaliter operari: ergo etiam prius est esse supernaturaliter, quam supernaturaliter operari, atqui Christus constituitur in esse supernaturali per gratiam: ergo prius habuit illam, quàm operaretur meritoriè.

Obj. 1. Psal. 44. dicitur: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ:* Quasi diceretur, quia dilexisti justitiam Deus dedit tibi gratiam.

Resp. 1. Augustinum, Nazianzenum, & Anselmum per oleum lætitiæ intelligere Divinitatem, & sic passus ille nihil hic facit ad rem.

Resp. 2. Si per oleum lætitiæ intelligatur gratia, ly *propterea* non denotare causam meritoriam; qualis verò sensus esset, quia dilexisti justitiam, Deus dedit tibi oleum &c. sed causam finalem, ita ut faciat hunc sensum, dilexisti justitiam, &, ut illam diligeres, Deus dedit tibi &c.

Obj. 2. Christo tribui debet quod est perfectius; atqui perfectius fuit Christo habere gratiam ex propriis meritis, quàm sine illis: ergo.

Resp. Dist. Maj. Christo tribui debet quod est perfectius, ubi non invertitur rerum ordo: C. ubi invertitur: N. jam autem sicut inverteretur rerum ordo, si quis operaretur antequam haberet suas proprietates, ita similiter si Christus operaretur meritoriè, antequam haberet gratiam, cùm hæc sequatur, tanquam proprietas quasi connaturalis, unionem hypostaticam. Prætereà licèt sit perfectius Christo mereri post mortem, quàm non mereri, illi tamen non tribuimus, quia non est in statu viæ: ergo similiter licèt esset Christo perfectius gratiam mereri, quàm non mereri, illi tamen non conceditur, quia antequam mereatur, non est in statu gratiæ, qui status æquè, imo magis requiritur ad meritum quàm status viæ.

CONCLUSIO II.

CHristus non meruit etiam gloriam essentialem. Ita Scotus sup. & omnes sententiæ prioris Patroni.

Prob. 1. In materia perfectionis melius est esse in termino quam in via: sed si Christus meruisset gloriam essentialem, aliquando fuisset in via ad illam, nempè in instanti, quo illam mereretur: ergo Major certa est, Prob. Min. quia meritum comparatur ad præmium, sicut via ad terminum.

Dices: licèt Christus esset in via ad gloriam, non foret tamen vel unico instanti sine gloria, quia licèt in actionibus successivis subjectum non possit esse eodem instanti in via & in termino, benè tamen in actionibus instantaneis, qualis est actio meritoria; & ideo inter meritum & præmium sufficit prioritas naturæ, ut patet in augmento gratiæ, quod est eodem instanti reali, quo est actio illius meritoria. Sed

Contra est, quòd etsi possit aliquod præmium, ut augmentum gratiæ, esse eodem instanti reali cum merito non tamen præmium beatitudinis, cum merito ejusdem, ut patebit ex probatione sequenti.

Prob. 2. Non possunt esse simul Spes beatitudinis & possessio beatitudinis; quandoquidem nemo speret id quod possidet, & certò novit se possidere: atqui secundum legem Dei ordinariam non stat meritum beatitudinis sine Spe beatitudinis: ergo non potest esse simul meritum beatitudinis, & possessio seu præmium beatitudinis: ex quo sequitur ulterius, quòd si Christus meruit gloriam, illam non habuit ab instanti conceptionis: quod est contra sensum communem Theologorum. Minor certa est, & admittitur communiter à Theologis, nec ab illa conditione videtur eximendus Christus sicut nec eximitur ad merendum à statu viæ & gratiæ. *Pro* objectionibus solvendis.

Adverte 1. Repugnare de lege ordinaria meritum & præmium gloriæ esse simul, non ratione actus meritorii præcise sed ex ratione talis meriti, non stantis sine actu Spei.

Adverte 2. Posse esse simul Spem gratiæ & præmium gratiæ, nam cùm ignoret homo quandonam sibi infundatur gratia, potest eodem instanti, quo infunditur, illam sperare; cùm autem gloria non possideatur nisi cognoscatur possideri, ideo non potest, ubi possidetur, illius Spes haberi.

CONCLUSIO III.

POtuit tamen Christus de potentia Dei absoluta gratiam & gloriam mereri, & quidem primo conceptionis momento. Est communis inter Scholasticos contra Sylvium, Vasquez, Medinam, Contenson & paucos alios, quibus non adhæret Scotus, dum loco citato asserit Christum non potuisse mereri gloriam, quia loquitur de potentia Dei ordinaria.

Prob. Prima pars. Quia potuit dispensare Deus, ut Christus cum sola gratia actuali, vel etiam cum sola unione hypostatica operaretur meritoriè, & consequenter gratiam & gloriam mereretur; & licet iste modus operandi, non esset ita perfectus, non tamen esset imperfectus, aut Christo indignus.

Prob. Secunda pars, quia non est de ratione meriti ut sic (utpote in actione instantanea consistentis) ut præmium tempore præcedat, & licèt meritum beatitudinis præcedat ordinariè præmium ejusdem, propter rationes superius allegatas, de potentia tamen Dei absoluta possunt esse simul; cum nulla appareat implicantia, quòd Deus conferat beatitudinem in præmium sine actu spei, cùm illam possit conferre sine actu fidei.

Dices 1. Gratia & gloria debentur Christo titulo connaturalitatis: ergo Christus non potuit illas mereri

Resp. Dist. Ant. Debentur titulo connaturalitatis strictæ: N. connaturalitatis latæ, in quantùm decebat ut Deus, ratione unionis hypostaticæ, illas Christo conferret: conc. sed hoc non impedit rationem meriti.

Dices 2. Christus non meruit gratiam & gloriam: ergo non potuit illas mereri; quandoquidem tribuantur Christo omnia possibilia, ad majorem ejus gloriam conducentia.

Resp. Quòd licèt in extollendis Christi perfectionibus meliùs sit errare excedendo, quàm deficiendo, ut monet Scotus; attamen ubi perfectiones illæ nihil conferunt ad finem Incarnationis, nec possunt Christo attribui, nisi invertendo ordinariam divinæ providentiæ dispositionem, possunt ipsi sine irreverentia denegari.

CONCLUSIO IV.

CHristus meruit sibi de facto gloriam corporis ac nominis exaltationem. Est de fide contra Calvinum volentem Christum nihil sibi, sed totum nobis meruisse.

Prob. 1.

Prob. 1. Quoad corporis gloriam (sub qua comprehenditur Resurrectio, Ascensio, impassibilitas ac aliæ dotes gloriosæ) quia Hebræ. 2. legitur: *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Et Luc. ult. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam?* utique corporis; cùm 1. conceptionis instanti gloriosus esset quoad animam.

Prob. 2. Quoad nominis exaltationem (sub qua comprehendimus potestatem judiciariam, regiam dignitatem, imò & potestatem instituendi Sacsamenta) quia *Deus exaltavit illum*, ad Philipp. 2. *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen*, eo quòd se humiliasset ac fuisset obediens, ut præmittitur ibidem, usque ad mortem crucis.

Prob. Quoad utramque Partem, ratione Theologica; quia, cùm illa nec fuerint Christo principium merendi, nec illa, ab initio habuerit, possumus, servata communi providentia, nec inverso rerum ordine propriis ipsius meritis attribuere: si autem id possumus, sanè debemus; cùm ad majorem ipsius gloriam conferat, sitque nobilius ex meritis, quàm sine illis honorari.

Dices 1. Christus non dicitur mortuus pro seipso: sed hoc sequitur ex nostra conclusione: ergo.

R. Non diei simpliciter mortuum pro seipso, quia seipsum non redemit, quod sonat mori pro aliquo; quia tameo merita sua tam pro se, quàm pro aliis obtulit, potest aliquo sensu dici pro se mortuus.

Dices 2. Tantùm pro illis meruit Christus, pro quibus venit; sed tantùm pro nobis, saltem passurus: ergo.

R. Licèt tantùm pro nobis venerit passurus, hoc sensu quòd non venisset ut Redemptor, nisi peccassemus, supposito tamen illius adventu, nihil prohibuit ipsum etiam pro se mereri.

Dices 3. Scotus dist. 18. q. 5. n. 15. negat Christum meruisse corporis gloriam, cùm velit tantùm meruisse ablationem illius, quod impediebat (Deo sic ordinante) corporis gloriam, aliàs initio conceptionis ab anima in corpus redundaturam.

R. Mirum esse, quòd quidam ità acriter censureot illam Scoti propositionem; cùm tantùm ab aliis differat in modo loquendi: & certè si non possent Aulici conversari cum Rege, nisi velatis oculis, nunquid, ubi propter egregia facta meruisset quis velaminis ablationem, diceretur meruisse videre Regem? Idem dic in nostro casu, & abstine omni censura.

QUÆSTIO IV.

Quid Christus meruerit nobis?

NOn quærimus hic quid Christus meruerit Angelis, & primis parentibus; nam cùm ex dictis Disput. præced. q. 3. Are 4. & 5. satis fusè ostenderimus ipsum fuisse Angelorum & primorum parentum caput, in ipsos gratiam & gloriam influendo, satis liquet ipsis gratiam & gloriam meruisse. Illuc recurre.

CONCLUSIO I.

CHristus meruit Electis omnes prædestinationis effectus, & reprobis omnem omninò gratiam. Ità communiter Theologi.

Prob. 1. Ex Script. ad Ephes. 1. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo*, idest, per Christum tanquam per causam efficientem moralem, ut explicant SS. Patres. Subsumo: sed quilibet prædestinationis effectus, est aliqua benedictio spiritualis: ergo.

Prob. 2. Ex PP. Augustino tract. 85. in Joan. *Sive parum, sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest*, nempè in ordine ad salutem. Ambrosio lib. 5. de fide cap. 6. *Cùm in via sum, Christi sum, cùm pervenero, Patris sum, sed ubique per Christum, ubique sub Christo*. Bernardo serm. 12. in Cant. *Quidquid te virtutis habere confidis, Dei Sapientiæ, & Dei virtuti reputa Christo*.

Prob. 3. Ex praxi Ecclesiæ, quæ omnia omninò ad salutem conducentia sive proximè, sive remotè, petit *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, ut insinuant Orationes & Collectæ.

Prob. 4. Ratione; quia Christus nobis promeruit quidquid in nos influit, cùm influentia illa sit effectus illius meriti: sed in Electos influit omnem prædestinationis effectum, cùm cuilibet sit aliqua gratia; & in reprobos id omoe quod habet rationem gratiæ, licèt tenuissimæ, cùm dicat Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere*: ergo. Hinc

Resol. 1. Meruisse nobis vitam æternam; quia finis adventus illius in carne passibili fuit Cœli Januas peccato clausas, sanguine suo aperire, ut homines Deo Patri per gratiam ipsius reconciliatos in illud introduceret: unde Rom. 5. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia, & sicut regnavit peccatum in mortem, ità & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum*.

Resol. 2. Meruisse nobis justificationem, idest, tam gratiæ sanctificantis infusionem, quàm peccatorum remissionem: nam *Gratificavit nos in dilecto filio suo*, seu per dilectum &c. Ephes. 1. En gratiæ collatio: *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, Apocal. 1. En peccatorum remissio: unde Trident. sess. 6. cap. 7. docet Christum esse causam meritoriam nostræ justificationis.

Resol. 3. Etiam meruisse nobis omnes dispositiones tum remotas, tum proximas ad justificationem, adeòque omnes gratias prævenientes, motus Fidei, Spei, contritionis &c. Quidquid reclament aliqui. Ratio est; quia ejusdem est attingere suo influxu dispositiones ad formam, cujus est attingere formam: sed est Christi attingere morali influxu formam justificantem, ut diximus: ergo & dispositiones ad illam.

Resol. 4. Similiter meruisse nobis omnia gratiæ dona justificationem consequentia, adeòque gratiæ augmentum, donum perseverantiæ, deletionem venialium, satisfactionem, pœnæ temporalis remissionem &c. quia illa omnia nobis concessit intuitu meritorum Christi, sicut intuitu eorundem acceptavit opera bona Justorum ad valorem meritorium. Vide Trident. sess. 6. c. 16.

Resol. 5. Meruisse hominibus salutis initium seu vocationem: *Vocavit nos*, inquit Apost. 2. ad Timoth. 1. *vocatione sua sancta, secundum gratiam quæ data est nobis in Christo Jesu*.

Resol. denique, omnia præfata non tantùm respicere homines novi Testamenti, sed etiam veteris, quibus Deus ex prævisis Christi meritis etiam auxilia ad salutem oecessaria contulit.

CONCLUSIO II.

ETiam meruit nobis Christus prædestinationem seu electionem æternam, non quidem entitativè, cùm sit ipsemet Deus, sed terminativè, seu meruit ut actus Dei æternus terminaretur ad electionem nostram. Hanc conclusionem facilè admittunt qui docent factam esse hominum electionem ex prævisis eorum meritis; quandoquidem hæc merita sint à Christi meritis dependentia, sed etiam supponendo ex primo Sententiarum factam esse independenter ab hominum meritis.

Prob. 1. Conclusio ex Scriptura Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, & infrà: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum*, ubi ly *In Christo, & per Christum* denotaot causam electionis meritoriam, ut ante diximus.

Prob. 2. *Benedixit nos*, ut suprà dictum est, *Omni benedictione Spirituali in Christo*: sed prima & fundamentalis benedictionum beoedictio est ipsa prædestinatio, cùm aliæ omnes in prædestinatis sint illius effectus: ergo illam nobis promeruit Christus: undè Chrysostomus in præfatum locum: *Per quem nos benedixit, per eundem nos elegit*. Et certè mirum esset, quòd Apostolus omnem benedictionem comprehendens, excluderet potissimam & fundamentalem.

Prob. 3. Psius prædestinatus Christus æternaliter, quàm prædestinarentur homines, cùm sit omnium creaturarum primogenitus in intentione: ergo potuit Deus ante hominum electionem Christi merita prævidere, & ex illis prævisis ad dictam electionem moveri: sic autem factum esse, indè patet, quòd prævisa Christi merita Deum moverint ad omne illud bonum, quod confert ad membrorum Christi utilitatem, ac ejusdem gloriam.

Dices 1. Prædestinatio fuit opus meræ liberalitatis & misericordiæ: ergo non fuit ad eam motus Deus ex prævisis Christi meritis.

Resp. Dist. Art. Fuit opus meræ liberalitatis, idest, excludens omne meritum ex parte hominis: C. ex parte Christi: N. & hoc non obstante, manet opus misericordiæ Divinæ; quandoquidem sicut Christi merita non impediunt quominùs dicamur in Script. *Justificati gratis*, sic nec impediunt quominùs dicamur misericorditer prædestinati.

Dices 2. Causa nostræ prædestinationis fuit solum Divinæ voluntatis beneplacitum: undè Ephes. 1. *Prædestinavit nos secundum propositum voluntatis suæ*; ergo ad eam nullatenùs concurrerunt Christi merita.

Resp. Dist. Ant. Fuit solum Divinæ voluntatis beneplacitum remotè & radicaliter. C. immediatè; N. Quia tamen Christus ad electionem illam non movit Deus, nisi quia Deus gratiosè Christum decrevit, ipsique inspiravit, ut ad hominum prædestinationem merita sua dirigeret, Patrique offerret; hine

est, quòd prædestinatio nostra in liberale & gratiosum Dei beneplacitum refundatur à Scriptura.

Dices 3 Scotus 3 d. 19. q un. §. *In ista quæstione* expresse docet Christum non fuisse causam meritoriam prædestinationis, sed solam Dei voluntatem: ergo.

Resp. dist. Ant Docet non fuisse causam prædestinationis comparativæ, idest, cur potius hos elegerit quàm illos: C. quia illius causa sola fuit Dei voluntas, & hoc sensu Scotum intelligunt Vulpes, Aretinus, & alii quidam Scotistæ. Docet non fuisse causam prædestinationis absolutæ, idest, cur aliquos elegerit: N unde quando dicit priùs fuisse omnes electos, quàm fuerit prævisa Passio Christi, nobis non adversatur; quandoquidem potuerit moveri Deus ad electionem hominum ex Christi meritis Passionem præcedentibus; aliàs non potuisset Christus esse caput primorum parentum in statu innocentiæ, cùm priùs fuerit prævisum Adami peccatum, quam decreta Christi mors.

QUÆSTIO V.

An Christi meritum fuerit infinitum?

ADverte Christi meritum (idem est de satisfactione) posse excogitari infinitum dupliciter, 1. simpliciter & intrinsecè ratione Divini suppositi operantis, & ita tenent Thomistæ. 2. Secundùm quid, & extrinsecè, ratione Divinæ acceptationis, meritum illud ad valorem infinitum acceptantis, licèt de se sit finitum, maximi tamen valoris ob sanctitatem personæ à qua procedit. Et ità loquuntur Scotistæ.

CONCLUSIO I.

CHristi meritum fuit infinitum secundùm quid, seu ex favore Dei illud ad præmium infinitum acceptantis, nempè ad remissionem peccatorum infinitæ multitudinis, imò infinitorum mundorum, si essent possibiles. Est Scoti dist. 19. n. 4. omniumque Scotistarum, & Nominalium.

Ratio est; quia cùm Christus esset persona Divina, congruebat, ut Deus ejus merita, ob personæ reverentiam & sanctitatem, acceptaret in infinitum, idest, pro infinitis extensivè: quod non fecisset, si fuisset purus homo, cùm non fuisset in ipso congruitas illa.

CONCLUSIO II.

MEritum non fuit formaliter & intrinsecè infinitum. Ita omnes antea citati, si unicum Vulpium exceperis.

Prob. 1. Vel opus humanum à Christo procedens, v. g. amor voluntatis humanæ, remanet opus creatum, vel fit increatum: si secundum non est opus meritorium, cùm sit opus Dei, nihil mereri valentis: si primum: ergo est intrinsecè finitum, adeoque finiti valoris; cùm finitum secundùm se, non possit secundùm se præcisè infinitè valere.

Prob. 2. Majoris est valoris in Christo actus Divinæ voluntatis, quàm actus voluntatis humanæ, ut per se patet: sed hoc foret falsum in opposita sententia, cùm uterque esset infiniti valoris: ergo.

Prob. 3. Plus meruit Christus per crudelem flagellationem & ignominiosam mortem, quàm per unicum suspirium, ut in confesso est apud omnes; sed si Christi meritum esset simpliciter infinitum, infinitè meruisset per unicum suspirium, adeoque tantum, quantum per totam Passionem & mortem, cùm infinito non detur majus: ergo.

Prob. 4. Quia opera Christi meritoria tantùm erant denominativè à supposito; propriè verò, & elicitivè ab ipsius humanitate ornata gratiis & virtutibus finitis: ergo erant simpliciter finita. Prob. Ant. Quia Suppositum Divinum præcisè ibi supplet vices suppositi humani: sed si hoc adesset, nihil eliceret, cùm munus ejus sit naturam terminare & ultimatè complere, non autem agere: ergo.

Prob. 5. Gratis dato, quòd suppositum Divinum agat cum humanitate, non agit modo infinito, sed finito: ergo actio inde procedens est simpliciter finita. Prob. Ant. Quia non agit ut persona Divinitatis, sed ut persona humanitatis assumptæ, adeoque proportionatè ad humanitatem, quæ, cùm agat modo finito, etiam sic agit ipsum Suppositum. Deinde actiones meritoriæ important inferioritatem & submissionem, adeoque non possunt procedere à Verbo agente ut Deo, seu modo infinito.

Prob. 6. Quia meriti valor non tantùm petitur à sanctitate operantis, qui est principium quod, sed etiam ab aliis circunstantiis, nempè à principio quo, objecto, intensione, duratione, &c. ipsius operis: ergo, si hæc sint finita, licèt sanctitas operantis sit infinita, opus non erit simpliciter infinitum; quandoquidem infinitum simpliciter debeat esse undequaque infinitum; aliàs infinitè perfectum dependeret à causis finitè perfectis, quod implicat.

Prob. 7. Si meritum Christi esset simpliciter infinitum, sequeretur Christum plus de facto meruisse etiam per unicam lachrymam, quàm Deus possit remunerare; quia quidquid producet Deus, tanquam præmium, etiamsi aliam unionem hypostaticam, & mille alias crearet, semper erit finitum, adeoque merito infinito improportionatum.

Obji. 1. Crescit valor operis proportionatè ad sanctitatem operantis, nam quò major est gratia in homine, eò dignior ejus actio: ergo si sanctitatis operantis sit infinita, erit opus infiniti valoris.

Resp. Dist. Ant. Crescit valor operis &c. ad æqualitatem & arithmeticè: N. alias si quis per impossibile haberet gratiam sanctificantem infinitè intensam, mereretur infinitè per unicum actum, etiam remississimum, imò tantùm per illum, quantum per amorem intensissimum; cùm uterque esset infiniti valoris. Crescit secundùm proportionem, & geometricè, idest, plus semper, & plus finitè. C. Vide dicta continuò, & hæc facilè intelliges.

Instabis 1. Licèt Christi meritum dicatur physicè & entitativè finitum, quia nempè actus humanitatis, finitæ durationis, intensionis, bonitatis &c. nihilominus secundùm moralem existimationem dignificabatur infinite à Divina Verbi persona, à qua procedebat: ergo &c.

R. Dist. Ant. Dignificabatur infinitè secundùm existimationem prudentem; N. secundùm vitiatam Transeat, Nam prudenter existimans, infinitè digniorem judicabit actum Divinæ voluntatis in Christo, quàm actum voluntatis humanæ, & consequenter non judicabit hunc infinitè dignum: cùm infinitè digno non detur dignius.

Inst. 2. Prudenter judicavit Clemens VI. cùm in Extrav. *Unigenitus*, dixit: *De cujus* (idest, thesauri Ecclesiæ) *consumptione aut diminutione, non est aliquatenus formidandum propter infinita merita Christi*.

Resp. Pontificem velle esse infinita, non intrinsecè, cùm sint actiones creatæ, sed extrinsecè, quia pro infinitis peccatis, si possibilia forent, acceptata, quod sufficit ut Ecclesiæ thesaurus dicatur inexhauribilis: imò sic intelligendum esse Clementem, inde patet; quia licet Christi merita fuissent infinita, si non fuissent in infinitum acceptata, non esset inexhauribilis thesaurus ille.

Inst. 3. Non potest probari Christi merita sic fuisse acceptata: ergo si infinitatem habeant, illam habent ex intrinseco valore.

R. Neg. Ant. Quia, ut alia omittam, id probamus ex illo ad Hebræ. 5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque .... cum clamore valido & lacbrymis offerens exauditus est pro sua reverentia:* atqui non fuit exauditus pro certo peccatorum numero, ne ultrà mensuram crescentia hominum peccata tandem Christi merita extinguerent: ergo pro omnibus aliquando committendis & committi possibilibus.

Inst. 4. Deus non sic Christi merita acceptavit, nisi quia digna erant taliter acceptari, propter conjunctionem ad Verbum, ut loquitur Clemens VI. suprà: ergo si acceptavit in infinitum: erant ex se infinita.

Resp. Dist. Ant. Quia digna erant dignitate infinita, N. dignitate summa, propter conjunctionem præfatam: C. onde Deus opera Christi summè perfecta propter operantis sanctitatem & dignitatem acceptavit in infinitum pro Filii sui reverentia.

Inst. 5. Inde sequitur Christi merita fuisse insufficientia, adeoque imperfecta in ratione pretii, cum finita debuerint, ut essent sufficientia, in infinitum acceptari.

Resp. Neg. Sequel. Quia talia, qualia erant: digna erant ut acceptarentur in infinitum: vel enim nulla merita possunt esse digna taliter acceptari, vel digna erant illa, cùm tantæ essent perfectionis: quantæ poterant esse: unde quod excludamus à Christi meritis infinitatem intrinsecam, oritur ex eo quòd judicemus hoc impossibile propter rationes superiùs dictas.

Obj. 2. Opus bonum procedens à principio naturali, habet valorem naturalem, à principio supernaturali supernaturalem: ergo à principio infinito infinitum valorem.

Resp. Dist. conseq. Si solùm agat principium infinitum: C. si coagat principium finitum, ut natura humana in nostro caso: N. effectus enim à Deo & sole v. g. productus, est simpliciter finitus.

DISPU-

DISPUTATIO XVI.

De Chriſti Domini Satisfactione.

SAtisfactio, juxta Scotum 4. diſt. 5. n. 4. eſt *Redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti.*

Dicitur 1. *Redditio*, quia non eſt donatio, ſed debiti ſolutio.

Dicitur 2. *Voluntaria*, ut ſit actus virtutis. Dicitur 3. *Æquivalentis*, quia ſi minùs reddatur, quàm debeatur, v.g. ſi reddantur 50. ubi debentur 100. non erit ſatisfactio, ſed inchoata ſolutio.

Dicitur denique: *Aliàs indebiti*, & ideò ſi quis debeat mille ratione furti, & totidem ratione mutui, non ſatisfacit plenè, dando ſemel mille, cùm adhue mille debeat alio titulo, quàm mutui v.g. Porrò in hoc differt ſatisfactio à merito, quòd meritum reſpiciat mercedem obtinendam, & ſatisfactio jus alienum reſarciendum; & licèt hæc ſeparari poſſint in homine (nam Petrus reddens pallium furto ablatum, ſatisfacit & non meretur, ſaltem apud creditorem) tamen in Chriſto erant conjuncta; ſatisfaciendo enim Patri pro offenſis noſtris, gratias nobis promeruit.

QUÆSTIO I.

An Chriſti ſatisfactio fuerit condigna.

SEnſus eſt, an Chriſtus ſatisfecerit pro peccatis noſtris ad æqualitatem, ſeu tanta fuerit ejus ſatisfactio, quantam merebantur peccata noſtra? Ante reſolutionem

Adverte 1. Duplicem eſſe ſatisfactionem, perfectam unam, imperfectam alteram. Prima eſt, quæ ad ſe, & ab intrinſeco æquivalet debito, ut ſi debens 20. ſolvat 20. Secunda, quæ de ſe quidem non ſufficit, accedente tamen Creditoris ſavore, habetur pro ſufficienti, ut ſi debens mille, ſolvat 900. iiſque Creditor ſit contentus.

Adverte 2. Satisfactionem perfectam poſſe eſſe condignam in actu 1. & condignam in actu 2. Condigna in actu 1. eſt, cùm ſecundùm ſe conſiderata, & antecedenter ad acceptationem, habet valorem & dignitatem ſufficientem, ita ut (loquendo de Chriſti ſatisfactione) ſi ponerentur Chriſti opera in una parte Bilancis, & peccata noſtra in altera parte, æquale eſſet utriuſque pondus. Condigna eſt in actu 2. dum condignitati in actu 1. accedit acceptatio creditoris ſeſe ad debitum remittendum obligantis, & tunc dicitur condigna completè, quod bene advertendum eſt pro auferenda calumnia Doctori noſtro impoſita, quaſi dixiſſet Chriſti opera non fuiſſe ſecundùm ſe ad æqualitatem ſatisfactoria, ſed tantùm dependenter à divina acceptatione. Huic calumniæ occaſionem dedit verbum *Congruitas*, quo uſus eſt Scotus; ſed ſi benè perpendatur, intelligit per *Congruitatem* condignitatem in actu 2. quæ non habetur ante, ſed poſt acceptationem, ſaltem in noſtro caſu; cùm non teneretur Deus, Chriſti ſatisfactionem, licèt de ſe condignam, acceptare in ordine ad remittendum offenſam, ut fuſius poſteà.

CONCLUSIO I.

CHriſti ſatisfactio non tantùm eſt condigna in actu 1. ſed etiam ſuperexcellens & ſuperabundans. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex Script. 1. Corinth. 6. *Empti eſtis pretio magno.* Pſal. 68. *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* 1. Joan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Pſal. 129. *Copioſa apud eum redemptio.* Iſa. 10. *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam.* Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Ubi verba: *Magno, copioſa, inundavit, ſuperabundavit*, Non tantùm denotant Chriſti ſatisfactionem fuiſſe ſufficientem, ſed etiam ſuperexcellentem.

Prob. 2. Ex SS. Patribus, Chryſoſtomo, Hom. 11. ſuper cap. 5. ad Rom. *Multo ſiquidem plura quàm debeamus, Chriſtus pro nobis ſolvit, tantoque plura, quantò guttulam exiguam pelagus excedit immenſum.* Ambroſio in Pſal. 35. *Bonum aurum Sanguis Chriſti dives ad pretium.* Athanaſio lib de Incarn. *Corpus aſſumpſit, quod pro omnibus ad plenam ſatisfactionem ſufficeret.* Bernardo, qui in hæc verba: *Copioſa apud eum redemptio*, ſic loquitur ſerm. 20. in Cant. *Prorſus copioſa, quia non gutta, ſed unda ſanguinis largitur per 5. Corporis partes:* unde C. Triburi enſe c. 19. docet ideò plus vini, quàm aquæ adhiberi in calice conſecrando, quia major eſt Sanguinis Chriſti efficacia, quàm populi fragilitas, per aquam figurata.

Prob. 3. Ratione; quia ſi opera Juſti ſint condigna vitæ æternæ propter circunſtantiam gratiæ ſanctificantis, quidni opera Hominis Dei eſſent condigna Redemptionis humanæ ob circunſtantiam non tantùm ſummæ gratiæ ſanctificantis, ſed etiam Suppoſiti Divini, quod naturam humanam, ejuſque operationes ità dignificabat, ut quò altiùs extollerentur non haberent.

Prob. 4. Authoritate Scoti 3. d. 19. n. 7. ubi loquens de Chriſto, docet quòd *Ratione Suppoſiti habuit quandam rationem extrinſecam quare Deus potuit acceptare illud in infinitum. Si autem illud meritum fuiſſet alterius perſonæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuiſſet congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Ubi inſinuat 1. Chriſti merita habuiſſe valorem ex circunſtantia Suppoſiti, cur ſic à Deo acceptarentur, adeòque condignitatem in actu primo quam exprimit nomine congruitatis ad diſtinctionem condignitatis completæ. 2. Valorem illum, ſeu congruitatem, non poſſe reperiri in operibus puri hominis: per quod confundit calumniatores ſuos ipſi affingentes docuiſſe merita Chriſti tantùm habuiſſe condignitatem ſuam ab extrinſeca Dei acceptatione; quia, ſi id eſſet, etiam potuiſſent opera puræ creaturæ condignificari.

Obji. 1. Si Chriſtus ad æqualitatem pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, non teneremur nos ſatisfacere: quod eſt Lutheranum.

R. Neg. Aſſumpt. Quia tenemur nos etiam aliqualiter pro peccatis actualibus ſatisfacere, non quia Chriſti ſatisfactio ad id non ſufficeret, ſed quia noluit Chriſtus ipſe, ut ipſius ſatisfactio nobis applicaretur cum effectu, niſi aliqualem ſatisfactionem poneremus, ut inſinuat ubique Scriptura excitans ad pœnitentiam.

Obj. 2. Hunc paſſum Apoſt. ad Coloſſ. *Adimplebo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia:* Ergo non fuit ſufficiens Chriſti ſatisfactio.

R. Neg. conſeq. Et, omiſſis variis hujus textus explicationibus, dico D. Paulum loqui de paſſionibus ſeu laboribus in divulgando Euangelio: hos autem à Chriſto inchoatos tempore mortalis vitæ, adimpleverunt, & adimplent quotidie viri Apoſtolici.

Obj. 3. Gravitas peccati eſt infinita, & Chriſti ſatisfactio finita: ergo non ſatisfecit ad æqualitatem.

Reſp. Neg. Ant. Quia licèt objectum peccati ſit infinitum, nempè, Deus, quia tamen præſertim à cognitione ejuſdem, quæ ſemper eſt finita, deſumitur malitia peccati, non dicitur infinita, & ſic potuit per ſatisfactionem Chriſti ſummè perfectam compenſari.

Inſt. Offenſa eſt ſecundùm naturam Divinam, ſatisfactio ſecundùm naturam humanam: ergo hæc non adæquat illam.

Reſp. 1. Inde ſequi nequidem potuiſſe Chriſtum ſatisfacere pro minimo veniali, cùm ſit etiam offenſa ſecundùm naturam Divinam.

Reſp. 2. Offenſam tantùm eſſe ſecundùm Divinam naturam objectivè & extrinſecè, cùm malitia peccati ſit in peccatore, & nullatenus in Deo; ſatisfactio autem ſit quaſi intrinſecè à ſuppoſito Divino, cùm ſit ab humanitate illi intrinſecè unita, & ità moraliter ab ipſo dignificata, ut ſecundùm Patrum exiſtimationem, dicantur ideò ejus operationes Deificæ & Theandricæ, quaſi ſubſiſtentia Divina eſſet forma illarum operationum.

Obj. 4. Si Chriſti ſatisfactio fuiſſet condigna, non potuiſſet Deus illam recuſare: ſed potuit: ergo.

R. Diſt. Ant. Si fuiſſet tantùm condigna in actu primo. Non potuiſſet recuſare, N. quia nulla lege tenebatur Deus acceptare ſatisfactionem Chriſti, licèt fuiſſet per impoſſibile infinities perfectior, cùm ad nihil poſſit obligari, niſi velit. Si fuiſſet condigna in actu ſecundo, C. quia tunc involvit divinam acceptationem.

Obj. 5. Juxta Scotum, Chriſti ſatisfactio habuit totum ſuum valorem ab acceptatione Divina: docet enim diſt. 19. §. *In iſta quæſtione*, Chriſti meritum in tantùm fuiſſe bonum, in quantùm acceptabatur; idem eſt autem de ſatisfactione ac de merito.

R. Diſt. Aſſump. Habuit totum ſuum valorem condignitatis in actu primo. Ab acceptatione Divina, N. patet ex dictis Probatione 4. ubi mentem Scoti aperuimus. Condignitatis in actu ſecundo ſeu importantis obligationem in Deo ad remittenda hominum peccata, C. & ideo ſit

CONCLUSIO II.

CHristi satisfactio, seclusa Dei acceptatione, non fuisset completè condigna, id est, non potuisset obligare Deum ad condonandam injuriam sibi ab hominibus factam.

Ratio petitur tum ex Script. & Patribus requirentibus ad condignitatem meriti, & satisfactionis, pactum & conventionem: unde August. serm. 16. de Verbis Apost. *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo*. Tum ex eo, quòd Deus à creaturis omninò independens, tantùm possit ex sua voluntate obligationem suscipere: tum etiam quia nullus tenetur acceptare satisfactionem, nisi offeratur ab ipso offendente, qualis non erat Christus, sed Adam & ejus posteri.

Petes: ubi habeatur, quòd Deus acceptaverit Christi satisfactionem?

R. Haberi Isa. 53. ubi legitur: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum* &c. Per totum.

QUÆSTIO II.

An Christi satisfactio fuerit ex rigore justitiæ commutativæ?

AD rigorosam justitiam quatuor conditiones requirunt communiter Theologi. 1. Quòd sit ex bonis propriis satisfacientis. 2. Quòd bona illa non sint alio titulo debita. 3. Quòd sit realis distinctio inter satisfacientem & compensatum. 4. Quòd non intercedat gratia creditoris, quibus adduntur ab aliquibus duæ sequentes: nempè quòd satisfactio fiat à persona offendente, & quòd offensus teneatur illam acceptare.

CONCLUSIO.

SI omnes conditiones illæ requirantur ad rigorosam justitiam commutativam, certum est non satisfecisse Christum secundùm omnem rigorem justitiæ. Sub his terminis est communissima. Sed ante probationem

Advertendum est contra nonnullos ridiculè vituperantes eos, qui Christi satisfactioni rationem justitiæ rigorosæ denegant, quasi ipsius honori graviter detraherent, advertendum inquam, sententiam affirmantem, aut negantem nihil addere aut minuere ad perfectionem satisfactionis & meritorum Christi; quandoquidem conveniant omnes tantam fuisse ipsius satisfactionem, quanta potuit esse, adeòque summam, & condignam, imò plusquam condignam: unde supponentes æqualitatem & superabundantiam satisfactionis cum debito, solùm inquirant an in Christi satisfactione reperiantur conditiones, quas requirunt homines in suis satisfactionibus?

EXPENDITUR I. CONDITIO.

CHristi satisfactio non fuit ex bonis propriis satisfacientis.

Ratio est; quia omnes Christi operationes satisfactoriæ erant entia creata: ergo ex titulo creationis erant sub dominio Creatoris, & consequenter creditoris.

Dices 1. Cum Suarez & Zipullo, non posse quidem fieri satisfactionem in datis & acceptis bonis creditoris, posset tamen ubi tantùm requiritur honoris læsi reparatio, ut in nostro casu. Sed

Contra est, quòd, ideò requirantur bona debitoris in datis & acceptis, quia aliàs creditor non reciperet debitum, sed suum: atqui idem fit in Christi satisfactione, cùm ipsemet actus reparationis sint Dei, & tantùm Christi dependenter & subordinatè: ergo.

Dices 2. Cum aliis: Licèt Christi operationes sint sub Dominio Dei universali, sunt tamen etiam sub Dominio Christi particulari, & sic potuit per illas solvere, sicut potest subditus solvere Regi Dominium altum in bona subditorum habenti. Sed

Contra est, quòd Dominium Dei, utpotè absolutum, & illimitatum, comprehendat perfectissimè quodlibet dominium particulare cujuslibet particularis, adeòque & Christi. Aliud est de Dominio Regis in bona subditorum, cùm illud sit conditionatum, improprium, & tantùm vim habeat in casu urgentis necessitatis.

Dices 3. Cum Arriaga: Christus poterat de actionibus suis disponere, cùm posset pro libitu illas ponere, vel non ponere: ergo erat verus illarum Dominus.

Resp. Dist. Conseq. Erat verus Dominus quoad libertatem: C. quoad entitatem: N. poterat quidem illas ponere, vel omittere; ubi tamen ponebantur, fiebant Dei tanquam supremi omnium Domini.

Dices 4. Quamvis Christi satisfactio ut erat à natura humana tanquam principio quo, esset Dei, ut tamen erat à supposito Divino tanquam principio quod, erat propria ipsi Verbo, ut ab aliis personis distincto. Sed

Contrà est, quòd nullum Dominium competat Verbo, quod non competat Patri, & Spiritui Sancto, cùm dominium sit penes voluntatem toti Trinitati communem, & aliunde Verbum secundum personalitatem præcisè, & prout præscindit à natura Divina, non importet voluntatem. Prætereà satisfactio Christi tantùm fuit à Supposito Divino denominativè; sed esto fuerit etiam elicitivè; vel per concursum suum facit ipsam increatam, & desinit esse satisfactio, cùm sit actus Dei, vel relinquit creatam, & remanet sub Dominio creatoris.

EXPENDITUR II. CONDITIO.

PAtet, quòd, deficiente prima conditione, consequenter deficiat & secunda, quæ est ut sit ex bonis debitoris, alio titulo indebitis; quandoquidem Christi satisfactio, ultra debitum offensam reparandi, importaret debitum titulo creationis. In supposito tamen aliorum, Christo satisfactionis suæ Dominium sufficiens concedentium, non videtur fuisse alio titulo debita: fuit quidem debita titulo obedientiæ ob præceptum moriendi, titulo gratitudinis ob supremam Dei Majestatem recognoscendam, sed non alio titulo justitiæ commutativæ, qui solus hic excluditur; & ideò sicut Petrus debens mille aureos, satisfacit ex rigore justitiæ, si tantundem solvat, licèt aliunde ad id teneatur ex voto, ex præcepto Superioris, imò etiam ex Charitate, ob extremam creditoris necessitatem, ita & in nostro supposito.

EXAMINATUR III. CONDITIO.

TErtia conditio est, ut sit distinctio realis inter satisfacientem & compensatum: hæc videtur hic intercedere: cùm sit altera natura satisfacientis, nempè humana, & altera offensi, nempè Divina: volunt quidem aliqui etiam adesse distinctionem Suppositorum, eo quòd Suppositum Verbi distinguatur à Supposito Patris, sed non advertunt, non fuisse solum Patrem offensum, sed Deum in tribus personis subsistentem, adeoque & ipsum Verbum Divinum, & sic non potuit satisfacere elicitivè per Suppositum suum, aliàs fuisset persona satisfaciens & offensa, adeòque sibi satisfecisset.

Porrò sufficere ad rigorosam justitiam naturarum distinctionem, inde patet, quòd non alia requiratur distinctio inter solventem & creditorem, quàm inter præcipientem & obedientem: sed Christus ratione humanitatis potuit verè & propriè obedire: ergo & propriè humani generis debitum solvere. Fatendum tamen si in distinctione seu altereitate satisfacientis & offensi, etiam si volvatur altereitas jurium, ut volunt aliqui, tertiam conditionem non reperiri in Christi satisfactione; cùm jus Christi sit jus Dei, ut diximus in examine primæ conditionis.

PERPENDITUR IV. CONDITIO.

QUarta conditio excludere debet gratiam & liberalitatem Creditoris. Hæc conditio in Christi satisfactione reperitur, si tantum requiratur ut tanta sit reparatio, quanta fuit offensa, abstrahendo an reparatio illa quoad valorem, originem habeat ex gratia creditoris vel non.

Ratio est; quia, ut diximus, condignè, imò superabundanter satisfecit Christus pro reparanda injuria Deo ab hominibus illata. In rigore tamen loquendo non videtur reperiri, non quia habuit gratiam unionis & sanctitatis à qua summè valorabatur ejus satisfactio: nam qui dono recepisset agrum à creditore, posset secundùm rigorem justitiæ debitis suis satisfacere ex fructibus agri præfati; sed quia concurrebat ipse Deus cum Christo per concursum supernaturalem ad positionem operum supernaturalium; & ità concurrebat, ut, secluso illo concursu, nunquàm fuisset posita satisfactio. Ubi autem ex suo concurrit creditor cum debitore ad debiti solutionem, clarum est intercedere gratiam creditoris, sicut intercedit quando locator agrum colit cum locatario, ut hic suo tempore solvat fructus debitos.

S T A-

STATUITUR V. CONDITIO.

MAnifestum est quintam conditionem hic deficere, cum sit alius satisfaciens, nempè Christus, & alius offendens, nempè homo. Volunt tamen sustinentes Christi satisfactionem fuisse ex rigore justitiæ, hanc conditionem non requiri, sed sufficere si offendens satisfaciat fidejussorem, modò offensus in id consentiat; Christum autem fuisse pro peccatis nostris fidejussorem, ejusque fidejussionem fuisse à Deo acceptatam, testis est variis locis Scriptura. Sed obstat quòd acceptatio fidejussoris pro reparanda, loco offendentis, injuria sit gratia Creditoris; & consequenter excludatur Christi satisfactio à rigore justitiæ per quartam conditionem, imò & per sequentem, & est

VI. CONDITIO.

NOn tenetur offensus acceptare fidejussorem, potestque velle, ut persona offendens sit ipsamet satisfaciens; cùm sit rationabile, ut per illum, per quem facta est injuria, fiat & injustitiæ reparatio.

Scio non potuisse quidem Deum Christi fidejussionem recusare, supposito pacto virtuali de illa acceptanda; sed etiam scio, ut excludatur gratia Creditoris, debere esse in Creditore, ante omne pactum, obligationem acceptandæ satisfactionis à Christo pro nobis exhibendæ, ante pactum acceptationis; cum justissimè posset ab ipsis hominibus rebellionis suæ pœnam & satisfactionem exigere. Alii alia referunt de hac materia; sed cum per hoc, ut diximus, nihil addant, aut derogent Christi satisfactioni, ludus est ingenii arbitrarius, dependens à conditionibus rigorosæ justitiæ, quas requirit quilibet pro suo libitu.

Petes: An purus homo potuisset condignè pro nobis satisfacere? Negant Thomistæ; Affirmant Scotistæ; quia, si purus homo potuit omnes inficere, quidni purus homo omnes liberare? & certè si Deus per suam acceptationem elevet justorum opera de se improportionata, ad præmii condignitatem, ut suo loco diximus, cur non posset de potentia absoluta elevare alicujus hominis opera ad condignam pro peccatis nostris satisfactionem? Implicantiam assignant Adversarii, quòd peccati gravitas sit infinita, satisfactio autem puri hominis, quantumcunque elevetur, semper finita; sed Nos qui peccati gravitatem finitam statuimus, implicantiam non videmus.

QUÆSTIO III.

An Christus mortuus sit pro omnibus omninò hominibus.

NOn quæritur an mors Christi fuerit sufficiens pro salute omnium hominum? quia de hoc conveniunt omnes, etiam Hæretici, sed an de facto fuerit pro omnibus à Christo oblata, & à Patre acceptata? Negant Calvinus, Lutherus, & quidam alii recentiores Heterodoxi volentes pro solis electis esse oblatam. Hoc etiam errore, sub prætextu adhærendi Augustino Hipponensi, Augustinum suum Iprensem fœdavit Jansenius variis locis: nam lib. 3. de gratia Christi Salvatoris c.21. in terminis legitur, quòd *Christus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus non sit, nec Sanguinem fuderit, nec semetipsum redemptionem dederit, nec Patrem oraverit, imò non magis pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.* Et paulo antè: *Proderit igitur illi necessariò Christi Sanguis & mors, pro quo Sanguinem illum fuderit, & mortuus fuerit & cui nullo modo prodest, pro illo nec Sanguinem fudit, nec mortuus fuit.* Licèt autem neget esse mortuum pro reproborum salute æterna, non negat tamen, sicut Hæretici, mortuum esse pro aliquorum salute temporaria.

CONCLUSIO.

MOrtuus est Christus pro salute omnium & singulorum hominum, ne uno excepto. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. 2. Corint. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus.* Ad Hebræ 2. *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* 1. ad Timoth 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et cap. 4 *Qui est Salvator omnium hominum.* Ubi autem Scriptura nihil limitat, nec nos limitare debemus. Præterea Pater *pro omnibus tradidit illum*, Rom. 8. ergo Filius obediens pro omnibus tradidit seipsum.

Henno Tomus II.

Confirm. 1. *Non est in alio aliqua salus*, nisi in Christo, Act. 4. sed Deus *omnes homines vult salvos fieri.* 1. ad Tim. 2. ergo vult omne salvare, mediante fructu Passionis & mortis Christi; non vellet autem omnes salvare per Christi mortem, si Christus mortem suam pro omnibus non obtulisset.

Confirm. 2. Perire possunt aliqui, adeòque esse reprobi, pro quibus mortuus est Christus, juxta illud Rom. 14. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est:* ergo etiam pro reprobis mortuus est. Si dicas mortuum esse pro reprobis non efficaciter, sed sufficienter, hoc sensu, quòd mors ejus fuerit sufficiens ad promerendam eorum salutem, licèt non fuerit pro eis oblata; Dicam ego etiam mortuum esse pro Dæmonibus, cùm, fatentibus Adversariis, fuerit etiam sufficiens pro Dæmonibus salvandis.

Prob. 2. Ex SS. Patribus Leone Magno: *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Serm. 1. de Nativit. Nazianzeno, Orat. ad Arianos: *Omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus*, nempè per Christi passionem, ut præmiserat. Ambrosio Serm. 8. in Psal. 118. *Mysticus sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est.* Bernardo Serm. 2. in Psal. *Qui habitat: Possunt omnes homines dicere: Redemptor meus es tu.* Sed quid Augustinus, quem sibi patronum adsciscunt Adversarii? *Una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium reparator absolvit*, inquit Ser. 114 de Temp. *Judicabit orbem terrarum, non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, qui pro toto pretium dedit.* Enarrat. in Psal. 95. *In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus.* Lib. 6. contra Julianum cap. 9. & c. 10. *Pro omnibus mortuus est unus: impingo, inculco, infarcio recusanti . . . . unus pro omnibus mortuus est.* Item lib. 20. de Civit. Dei, c. 6. *Pro omnibus mortuis, vivus mortuus est unus.* Similiter lib. de vocat. gent. c. 16. *Prorsus pro omnibus mortuus est Christus.* Quid clarius? quid expressius?

Prob. 3. Ex Trident. Sess. 6. cap. 3. ubi apertè definit Christum esse pro omnibus mortuum, licèt non omnes mortis ejus beneficium recipiant.

Prob. 4. Tenetur quilibet, adeòque tam reprobus, quàm electus, sub pœna damnationis æternæ credere hunc fidei Articulum in Symbolo S. Athanasii expressum: *Passus est pro salute nostra;* & consequenter debet credere quilibet Christum passum esse *pro salute sua*, cùm sub illa universali, contineatur hæc particularis: sed nullus potest obligari ad credendum falsum: ergo.

Prob. 5. Ex condemnatione hujus Jansenianæ propositionis ab Innocentio X. & aliis Pontificibus: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse.*

Prob. 6. Pro illis mortuus est, pro quibus oravit in cruce dicens: *Pater ignosce illis:* sed pro crucifixoribus etiam reprobis oravit, ut videre est apud SS. Patres relatos à P. Deschamps lib. 3. contra Jansenium Disp. 7. cap. 11. ergo etiam pro reprobis mortuus est.

Obj 1. Matth 20. legitur: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis:* ergo non pro omnibus.

Resp. Neg. Conseq. Quia hic *Multi*, idem est ac *Omnes*, ut sæpè usurpat Scriptura: nam Rom. 5. dicitur: *Unius delicto MULTI mortui sunt*, & tamen alibi legitur: *In quo omnes peccaverunt.* Præterea, ut fatetur ipsemet Jansenius commentando in Matthæum, ly *Multi* potest significare *Omnes*, quando *Omnes* sunt *Multi*.

Obj. 2. Pro illis solùm mortuus Christus, pro quibus oravit: sed oravit pro solis electis, ut patet ex Joan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi:* ergo.

Resp. Dist. Maj. Pro quibus oravit semper: N. aliquando: C. cùm enim multiplex fuerit Christi oratio, potuit una esse pro solis electis, alia pro omnibus hominibus, altera pro suis Discipulis, & talis fuit allegata in objectione, ut evidentissimè insinuat textus legenti: unde quando Augustinus Tract. 107. in Joan asserit orasse ibi pro electis, intelligit pro electis Apostolis, non autem pro electis omnibus, aliàs apertissimè contradiceret Scripturæ.

Obji. 3. Tantùm passus est Christus pro iis, ad quos fuit missus, sed non fuit missus ad omnes, cùm ipsemet Matth. 15. dicat: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt Domus Israel:* ergo.

Resp. Dist. Maj. Tantùm pro iis ad quos fuit missus solùm personaliter: N. vel personaliter vel ministerialiter, seu per Ministros: C. sed hoc sensu missus est ad omnes, cùm ipsemet miserit Apostolos ad omnes gentes: unde cùm dicit se tantùm missum esse ad Israelitas, insinuat limites missionis suæ personalis ad prædicandum & patranda miracula.

Obj. 4. Augustinus lib. 1. de Adulter Conjug. cap. 15. ait: *Omnis qui Sanguine Christi redemptus est, homo est, non tamen omnis qui homo est, etiam Sanguine Christi redemptus est.*

Resp. Velle quòd non omnis homo redemptus sit passivè, seu sibi de facto Christi Sanguinem applicuerit rectè vivendo & moriendo; licèt omnis redemptus sit activè, & quantum est ex parte Christi.

Obj. 5. Varia alia Augustini loca, ut Epist. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est.* Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap 8. *Qui non estis redempti pretio mei Sanguinis, non estis mei.* Epist. 48. *Christus propitiator est peccatorum.... totius mundi, propter triticum, quod est per totum mundum*, idest, propter electos. Tract. 55. in Joan. *Præmisit obsequia, non solùm eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui fuerat eum traditurus ad mortem*, ubi Judas à Christi morte excluditur.

Resp. Ad primum. Nullum periisse pro quo mortuus est efficaciter, idest, intendens absolutè ipsius salutem æternam; periisse tamen aliquos pro quibus mortuus est sufficienter, idest, intendens præcisè procurare ipsis media sufficientia, quibus salvarentur, si vellent: Idem dic ad quartum.

Resp. Ad secundum S. Doctorem ibi loqui de redemptione completa, prout importat sanctificationem ex parte redemptorum.

Ad Tertium. Dico fieri ibi mentionem de propitiatore cum effectu ex parte eorum, pro quibus est propitiatio, ex quibus patet solutio ad alia quæ objici solent ex aliis Patribus.

Obj. 6. Christus non est mortuus pro illis, pro quibus non potuit orare sed non potuit orare pro reprobis, cùm noisset ante eorum reprobationem: ergo.

Resp. Dist. Min. Non potuit orare pro illis, ut Deus mutaret sententiam reprobationis latam, propter eorum impœnitentiam finalem prævisam: C. ut Deus conferret ipsis gratias sufficientes ad salutem, si illis vellent uti: N. & hoc sensu oravit & mortuus est pro reprobis, ut sic fierent omninò inexcusabiles, sibique perditionem illam attribuerent.

Obj. 7. Mori pro aliquo est mori ne alter moriatur: sed non poterat Christus mori temporaliter, ne reprobi morerentur æternaliter: ergo.

Resp. Dist. Min. Non poterat mori ne morerentur si vellent: N. absolutè loquendo: Transeat. Christus ergo passus est pro reprobis, non quidem absolutè, sed sub conditione, si per fidem, charitatem, Sacramentorum susceptionem &c. Christi merita sibi applicarent.

DISPUTATIO XVII.

De Christi Officiis & Dignitatibus.

DIximus alibi Christum esse caput hominum & Angelorum: de præcipuis ejus aliis officiis, & dignitatibus restat inquirendum; nempè an fuerit Rex, Dominus, Sacerdos, Mediator, Advocatus & Judex?

QUÆSTIO I.

An Christus fuerit Rex temporalis?

SUppono 1. Quæstionem esse de Christo secundùm humanitatem: nam secundùm divinitatem fuisse omnimodè Regem totius universi, ita certum est, ac certum est fuisse totius universi Creatorem.

Suppono 2. Christum ut hominem fuisse etiam Regem spiritualem totius mundi, seu fuisse in eo potestatem & jurisdictionem ad ea ordinanda, quæ vel DEI cultum, vel salutem animarum, vel Religionis augmentum concernerent: unde de seipso dicit Psal 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus*, & ne dubitaretur an de Regno temporali loqueretur, an de spirituali? Immediatè subdit: *Prædicans præceptum ejus*: quod ad spirituale animarum regimen pertinet. In hoc autem differt regia dignitas spiritualis à temporali, quòd ista sit æterna, hæc temporalis; illa respiciat cœli & terræ incolas, hæc solos terrigenas; illa extendatur directè ad animas, illa indirectè; illi annexa sit potestas ferendi leges pro spirituali Ecclesiæ regimine, huic minimè. His suppositis

CONCLUSIO I.

CHristus ut homo fuit Rex totius universi quoad actum primum, non quoad secundum, seu non quoad usum & exercitium. Utramque partem in terminis docet D. Thomas q. 59. art. 4. ad 1. *Christus autem*, inquit, *quamvis esset Rex constitutus à Deo, non tamen in terris vivens terrenum Regnum temporaliter administravit.*

Prob prima Pars, 1. ex Script. Apocal. 1. ubi Christus dicitur *Princeps Regum terræ*, & cap. 19. *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Et, ne diceres hoc intelligi de Christo ut Deo, dicitur ibidem quòd titulum præfatum *Rex Regum &c.* haberet *in femore suo scriptum*, idest, ut habent Glossa & Interpretes communiter, *in humanitate.* Similiter prævenit Scriptura volentes tantùm fuisse Regem spiritualem, dum ait Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* Si autem *omnis:* ergo & temporalis; cùm Scriptura accipienda sit in omni sensu vero & proprio, ex quo nullum sequitur inconveniens.

2. Ex Divo Thoma, tum suprà, tum Opusc. de regimine Principum lib. 3. cap. 13. ubi asserit Augustum fuisse Christi Vicarium: *Ille natus erat*, inquit, *mundi Dominus & Monarcha, cujus vices gerebat Augustus*, non quidem positivè, quasi dedisset ipsi Christus illam dignitatem, sed permissivè, in quantum usum Imperii, quem poterat assumere, reliquit Augusto. Hanc autem potestatem non concessit Christus Petro, aut ejus Successoribus; cùm potestas ipsis data sit spiritualis, & qualis ad Ecclesiæ Pastoris officium requiritur: & ideò dici non potest, Reges esse Papæ Vicarios.

3. Ratione; Quia dignitas illa nec Christum dedecebat, nec fini Incarnationis opponebatur, ut per se patet.

Prob. secunda Pars. 1. Ex Script. Joan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo:* quasi diceret: licèt sim Rex mundi, quia tamen paupertas & humilitas, quas veni hominibus inculcaturus exemplo meo, non congruunt cum exercitio regnandi, illud non assumo. 2. Ex D. Angelico supra. 3. Ex ipsa experientia; qua constat non imperasse hominibus tanquam Regem, sed paruisse Regibus tanquam subditum, tributa solvendo, & alia exequendo.

Dices 1. Contra primam partem, cum Augustino tract. 55. in Joan. *Non enim Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hostes visibiliter debellandos, sed Rex Israel, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in Regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat:* ergo Rex fuit spiritualis, non temporalis.

Resp. Dist. Cons. Rex fuit spiritualis, non temporalis, in actu 2. C. hoc indicant verba Augustini. Non temporalis in actu 1. N. circa hoc enim nihil ibi determinatur.

Dices 2. Frustranea est potentia, quæ non reducitur ad actum: ergo si non habuit Christus exercitium regnandi, nec habuit potentiam regnativam.

Resp. Dist. Ant. Frustranea est &c. si nullam conferat perfectionem subjecto: C. si conferat: N. aliàs frustra habuisset Christus donum omnium linguarum, frustrà cognitionem omnium artium, frustrà potentiam transmutandi paleam in lignum &c. cùm illis non fuerit usus.

Dices 3. Nullum titulum habuit Christus Regiæ dignitatis: non quidem successionis aut hæreditatis, cùm ejus Mater non fuerit Regina temporalis universi: non etiam electionis, cùm nullibi legatur facta: ergo &c.

Resp. fuisse Regem titulo dignitatis personalis, seu ratione unionis hypostaticæ, quæ non quidem essentialiter, sed omninò congruenter dignitatem illam exigebat, quam ideò ipsi contulit Pater.

Dices 4. Inde sequitur Papam esse Regem totius mundi, cùm Christus reliquerit ipsi omnem suam potestatem.

Resp. Neg. Sequel. Et ejus probationem; cùm nequidem reliquerit ipsi omnem suam potestatem spiritualem; aliàs posset instituere Sacramenta, posset dare gratiam extrà Sacramentum &c. cum illa posset Christus; si autem non reliquit omnem potestatem spiritualem, à fortiori nec temporalem, saltem directam; quandoquidem nihil conferat ad regimen Ecclesiæ: undè D. Bernardus lib. 38. de consideratione sic Eugenium IV. alloquitur: *Dispensatio tibi super orbem credita est, non data possessio. Non tu ille, de quo Propheta: Et erit omnis terra possessio ejus, Christus hic est &c.*

CON-

CONCLUSIO III.

CHristus non fuit titulo speciali Rex Judæorum, seu non fuit aliter Rex Judææ, quam fuerit totius universi. Est communis contra paucos.

Ratio est; quia id non habuit titulo successionis aut electionis; sed nullus alius potest excogitari: ergo. Prob. Min Non quidem *titulo electionis*; quia etsi legatur Joan. 6. quod post multiplicationem panum in diserto voluerint ipsum creare Regem, etiam legitur quod, ne fieret, fugit in montem solus: imò cum tempore Passionis diceret Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Responderunt Judæi: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*: & ideò sese opposuerunt, ne in titulo crucis poneretur Rex Judæorum.

Non etiam *titulo successionis*; vel enim petitur Christi Genealogia per Mariam, vel per Joseph: si per Mariam, non descendit à Davide per Salomonem Regni successorem, sed per Nathan alium Davidis filium, ad quem non pertinebat Regni successio. Et ideò docent Expositores communiter Genealogiam per Salomonem descriptam à D. Matthæo c. 1. non esse propriam B. Virginis, sed Joseph, sed esto descenderet Virgo per Salomonem, undè constat inter innumeros ex Davide descendentes ipsam esse proximiorem? & hoc adhuc gratis dato, Regnum non pertinuisset ad Christum, sed ad ejus Matrem, quæ Christo supervixit.

Si *per Joseph*, ille quidem descendit per Salomonem, sed ubi legitur esse Caput familiæ directè descendentis? Accedit quòd Christus non esset Filius Joseph naturalis, sed putativus, ad quem proinde non pertinebat Regni successio. Si dicas fuisse in filium Joseph adoptatum, adeòque etiam ad Regnum; Dicam ego cùm adoptio in filium sit omnimodè incerta, longè adhuc esse incertiorem adoptionem ad Regnum. Prætereà jam dudum translata erat regia dignitas à familia Davidis in Machabæos, ut patet 1. Machab. 14. & consequenter jus successionis cessaverat in filiis Davidis.

Dices 1. de Christo dicitur Isa. 9. *Super solium David ... sedebit*. Jerem. 23. *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex*, Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus &c.*

Resp. Cùm illa verba *Regnabit, sedebit &c.* importent exercitium regnandi, quod non fuit in Christo temporale, ut ostendimus, debent intelligi de Regno spirituali, seu Ecclesia, & ita intelligunt Patres communiter. Prætereà præfatis Lucæ verbis additur: *Et regnabit in Domo Jacob in æternum*. Quis autem non videat non posse illud applicari Regno temporali Davidis, cùm jam à 17. sæculis cessaverit?

Dices 2. Interrogatus Christus à Pilato, *Tu es Rex Judæorum?* Respondit: *Tu dixisti*, annuens se esse.

Resp. Verum dixisse, cum enim esset Rex totius universi, ut diximus, etiam erat Judæorum, sed non speciali titulo.

QUÆSTIO II.

An Christus fuerit Dominus universorum?

SUppono 1. triplex esse Dominium, *Universalissimum*, quod dicitur excellentiæ, & soli Deo competit titulo creationis: *Altum*, quod habent Reges in bona subditorum urgente necessitate, & *Bassum* seu speciale, quod competit particularibus, respectu rerum suarum.

Suppono 2. Dominium speciale adhuc esse duplex, directum unum, utile alterum. Primum respicit jus & potestatem, & præscindit abusu: secundum ordinatur ad usum & utilitatem possidentis. His suppositis

CONCLUSIO I.

CHristus ut homo fuit Dominus absolutus & directus universorum, quantum ad jus & potestatem. Est communior.

Prob. 1. Ex Script. Psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Hebræ. 2. *Omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei* & ideò Apocal. 19. Dicitur *Dominus Dominantium*.

2. Ex eo quòd Christus interdum disposuerit de rebus particularium, ipsis inconsultis: nam Discipulis esurientibus permisit vellere spicas, Matth. 12. Intraturus Hierusalem præcepit eis, ut adducerent Asinam & pullum, inquiens: *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite Dominus his opus habet*. Matth. 21. Misit dæmones in porcos qui se præcipitaverunt, & suffocaverunt in aquis. Matth. 8. Arefecit ficulneam, Matth. 21. Quòd tunc autem transtulerit Deus in ipsum rerum illarum dominium, ut volunt aliqui, nullibi legitur.

3. Quia Dominium illud, sicut diximus de regia potestate, nec Christo disconvenit, nec fini Incarnationis, cum potuerit, non obstante illo dominio, paupertatem colere & docere, ut dicemus infrà.

Dices 1. Ejusdem rei non dantur duo Domini in solidum; sed qui res aliquas possidebant tanquàm veri Domini ante Christi adventum, illas eodem modo possidebant post adventum ejusdem: ergo.

Resp. Dist. Maj. Non dantur duo Domini ejusdem ordinis & rationis: C. diversi ordinis & rationis: N. Dominium autem Christi erat universale & quasi excellentiæ per participationem, consistebatque in jure & potestate disponendi de quibuslibet, sine tamen actuali dispositione, saltem ordinariè, & sic non impediebat particularium dominia, licèt facta fuerint ipsi subordinata; & potuisset, si voluisset, eorum dispositiones impedire.

Dices 2. Nicolaus IV. c. *Exiit*, de verbor. signific. docet Christum paupertatem exercuisse, & docuisse: sed paupertati repugnat rerum omnium dominium, ut constat in Religiosis: ergo.

Resp. Dist. Min. Repugnat paupertati simpliciter N. quia dives de sua substantia nutriens pauperes, & aliundè parcè vivens, potest dici exercere paupertatem, non obstante rerum Dominio. Repugnat paupertati Religiosæ: Transeat. Sed quid mirum? cum enim solus jus disponendi de re, & non tantum dispositio actualis, possit fovere avaritiam hominis, & aliundè nihil conferat ad ejus perfectionem, meritò petitur à Religioso abdicatio omnis Dominii. Jam autem cùm Christus deberet quandoque res particularium destruere, aut inutiles reddere, patrando miracula, ut patet ex dictis, congruebat ut illarum Dominium non abdicaret. Dixi: *Transeat*; quia dici potest nocere quidem paupertati Religiosæ Dominium ordinarium, non tamen illud extraordinarium & universale, quod habebat Christus.

Dices 3. Joannes XXII. definivit Christum habuisse aliquarum rerum Dominium: ergo non habuit omnium.

Resp. Neg. Conseq. Quia tantùm voluit Pontifex condemnare errorem illorum, qui dicebant Christum nullius rei habuisse Dominium, quos ut confunderet, sufficiebat ostendere habuisse aliquarum Dominium. Prætereà dici potest Pontificem locutum fuisse de Dominio ordinario, quod aliquando habuit Christus in quædam particularia, non autem de illo extraordinario quod habebat in omnia.

Dices 4. Si Christus habuisset universorum Dominium, nullus potuisset licitè rem suam consumere sine illius concessione.

Resp. Dist. Assump. Sine illius concessione expressa, N. sine expressa aut tacita: C. tacitè autem consentiebat, quandiù particularium bona sibi non applicabat.

Dices 5. *In hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur*, ad Rom. 14. ergo ante mortem non erat omnium Dominus.

Resp. Dist. Ant. Ut dominetur, idest, ut primò accipiat Dominium. N. ut ejus Dominium ab initio Incarnationis receptum manifestetur gentibus: C. undè intelligendus est passus ille, sicut hic Apocal. 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem*, idest, manifestationem Divinitatis, quam habebat ab instanti Incarnationis.

CONCLUSIO II.

NOn habuit tamen Christus universorum Dominium in actu 2. seu quoad usum. Est communis & certa.

Prob. Tum ex illis Script. passibus, ubi commendatur Christi paupertas, ut Ps. 68. *Ego sum pauper* 2. Corin. 8. *propter vos egenus factus est*. Et alibi. Tum ex Patribus, ex quibus sufficiat unicus Ambros. lib. 7. in Luc. *Meritò terrestria declinat, qui propter cœlestia venerat*. Tum etiam ex omni ejus vita, quam incepit pauperrimus in stabulo, sustinuit jejunus in deserto, clausit nudus in patibulo.

QUÆSTIO III.

An Christus fuerit Sacerdos, cujus ordinis, & an Sacerdotium illius sit æternum.

QUæstio est de Christo ut homine; quia cùm Sacerdos debeat esse Mediator inter Deum & homines, pro his sacrificium offerendo, & illum placando, clarum est non posse Christum ut Deum esse Sacerdotem, aliàs si ut Deus offerret sacrificium, nemo esset cui offerret, vel sibi placando offerret; quod est ridiculum: undè Apostolus ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt*

ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis; & ideò 1. ad Tim. 2. dicitur Christum fuisse Mediatorem secundùm naturam humanam: *Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus*. Hanc veritatem in terminis docet Augustinus in Psalm. 109. *Secundùm id*, inquit, *quod natus est de Patre Deus, apud Deum coæternus gignenti, non Sacerdos, sed Sacerdos propter carnem assumptam*.

CONCLUSIO I.

CHristus fuit verè & propriè Sacerdos. Est de fide Prob. 1. Ex Script. Psal. 109. Ubi Christo dicitur. *Tu es Sacerdos in æternum*. Et Hebr. 4. *Habentes Pontificem magnum, qui penetravit cælos Jesum Filium Dei*; atqui omnis Pontifex est Sacerdos: ergo.

2. Ex SS. PP. Epiphanio Hæresi 55. *Ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, Rex, ipse Pontifex*. Augustino in Psal. 132. *Quis est Sacerdos, nisi unus Sacerdos qui introivit in Sancta Sanctorum? quis est Sacerdos, nisi qui fuit victima & Sacerdos? quis, nisi ille, qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, seipsum obtulit?* Idem habent alii.

3. Ex Trident. Sess. 22. c. 1. *Oportuit, Deo Patre misericordiam ità ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum*.

4. Ratione; quia conditiones omnes ad Sacerdotem requisitæ, sunt, quòd sit persona publica, legitima authoritate ordinata, ut sit Mediator inter Deum & homines, pro eis orando, ac satrificium offerendo: sed conditiones illæ competunt Christo, ut constabit ex dicendis: ergo.

Dices: Debet Sacerdos hostiam immutare: sed Christus sacrificando in cruce non immutavit hostiam, aliàs seipsum occidisset, cum ipse sui sacrificii fuerit hostia, ergo.

Resp. Dist. Min. Non immutavit hostiam physicè: C. id enim fecerunt Judæi ipsum interficiendo. Non immutavit moraliter, inquantum potuit etiam vulneribus lethalibus inflictis, sui mortem impedire & non impedivit, sed voluntariè in recognitionem supremi Dei Dominii spiritum tradidit: N. Nec dicendus est propterea suicida, cum ex justissima causa id permiserit, urgente scilicet ex una parte Patris præcepto, & ex alia generis humani redemptione.

Petes: In quo differant mors Christi, & mors Martyrum?

Resp. In hoc, quod Christus voluntariè poneret animam: à Martyribus autem tolleretur vi tormentorum: undè dicit Joan 10. *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me*. Illis quidem, sicut Christo, fuit voluntaria mors in causa, nempè in tormentis spontè gloria Dei susceptis; suppositis tamen lethalibus tormentis, non poterant animam servare, sicut Christus; & ideò hujus mors dicitur sacrificium propriè dictum, non autem illorum.

CONCLUSIO II.

CHristus fuit Sacerdos cujusdam ordinis superioris & excellentioris super omnes omnium naturæ humanæ statuum ordines. Est communis inter Theologos.

Ratio est; quia Sacerdos ille superexcellit omnes ratione sacerdotii, qui ponit actiones Sacerdotis nobilissimas, quas non possunt alii ponere: sed tales posuit Christus: ergo. Prob. Min. quia seipsum obtulit in sacrificium; instituit Sacramenta, constituit Rempublicam spiritualem, nempè Ecclesiam, jurisdictionem habuit in omnes fideles & infideles: illa autem Christi sacerdotio propria, nullatenus conveniunt aliis Sacerdotibus, quantumcunque perfectis, aut cujuscumque legis. Hinc

Resol. 1. Non fuisse Sacerdotem secundùm ordinem legis naturæ; quia sacerdotium illud fuit imperfectum, utpotè quod ex nulla Dei ordinatione specialiter sit institutum, sed spontaneè ab ipsis sacrificantibus assumptum: undè Anacletus Papa Epist. 2. decretali, *quia licèt aliqui prius* (idest ante Aaron) *legantur Sacrificium obtulisse, ut Melchisedech & Abraham; hi tamen spontanea voluntate, non tamen sacerdotali authoritate id fecerunt*; Christum autem fuisse ex speciali Dei institutione Sacerdotem assumptum insinuat Scriptura pluribi.

Resol. 2. Nec fuisse Sacerdotem secundùm ordinem legis Scriptæ, secundùm ordinem Aronicum seu Leviticum; quia Sacerdotium legis veteris, utpotè imperfectum, temporale, & secundùm legis carnalis præscriptum, non poterat homines justificare; maximè autem id poterat Christi Sacerdotium, tum per Sacramenta, tum sine illis, ut dicitur suo loco.

Resol. 3. Nec fuisse Sacerdotem secundùm ordinem legis gratiæ: quia, ut alia omittam, Sacerdotium nostrum ferè quoad omnes suos effectus alligatur Sacramentis, non sic Sacerdotium Christi, qui independenter ab illis, adeòque independenter à qualibet materia & forma, potest omnes Sacerdotii effectus peragere.

Petes: Quomodo Christus non fuerit Sacerdos secundùm ordinem legis naturæ, cum fuerit secundùm ordinem Melchisedech, qui erat Sacerdos legis naturæ.

Respondet D. Thomas q. 22. art. 6. ad 1. *Quod non dicitur secundùm Ordinem Melchisedech quasi principalioris Sacerdotis, sed quasi præfigurantis excellentiam Sacerdotis Christi*, quasi diceret, non dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quia fuit Sacerdos ejusdem ordinis ac rationis cum ipso aut quia ab eodem sacerdotium suum participavit, cum allata in probatione conclusionis contrarium evincant, sed quia Sacerdos Melchisedech erat singularis Christi Sacerdotis figura: 1. Quia Melchisedech suo nomine idem sonat ac Rex justitiæ, Christus autem dicitur judicare populum in justitia Psalm. 71. 2. Melchisedech erat Rex Salem, idest, Rex pacis, & Isa. 9. vocatur Christus *Princeps pacis*. 3. Quia ille in Scriptura est sine patre & matre, idest, contra morem non meminit Scriptura ipsius patris aut matris: Christus autem ut homo, erat sine Patre, ut Deus sine Matre. 4. Quia illius Sacerdotii, quasi foret æternum, non legitur finis aut successio: Christi verò sacerdotium fore æternum, dicemus Concl. seq. 5. Melchisedech obtulit panem & vinum: obtulit Christus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini. 6. Pane & vino recreavit ille milites post victoriam: sic & Christus milites suos proprio corpore & sanguine reficit post partam de peccatis victoriam.

CONCLUSIO III.

SAcerdotium Christi est æternum. Est de fide ex Script. Ps. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*. Et Hebræ. 7. *Hic autem* (Christus) *eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. Sed quo sensu dicatur æternum? quot capita tot sententiæ. Alii volunt esse æternum à potestate sacerdotali semper duratura, ut Castillo, Lorca &c. Alii ab Unione hypostatica tanquam unctione nunquam interitura, ut Vasquez. Alii ex eo quòd Christi Ministri sint ad finem mundi consecraturi: quod autem eo usque durat, vocatur quandoque *æternum*, aut *sempiternum*. Alii ex eo quòd Christus etiam in cœlo exerceat actiones sacerdotales, pro nobis orando, & gratias pro beneficiis sibi & nobis collatis agendo. Alii volunt esse æternum non actu, sed effectu, non hostiæ oblatione, sed gratiæ collatione, qui est Christi sacrificii effectus. Ità D. Angelicus; & hunc dicendi modum, propter ejus honorem, aliis præferimus, licèt alios non rejiciamus; cùm possit dici æternum omnibus illis modis.

QUÆSTIO IV.

An Christus ut homo sit Judex, & qua potestate?

CONCLUSIO I.

CHristus ut homo est verè Judex. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Joan 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Et infrà. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*. Unde Act. 10. dicitur *Constitutus à Deo Judex vivorum & mortuorum*. Idem colligitur ex variis tum novi, tum veteris Testamenti passibus.

Prob. 2. Ratione; quia perfectissimè omnes conditiones ad judicem requisitas possidet. 1. Enim si Judex debeat esse vitæ integritate irreprehensibilis, quid Christo justius? Quid Innocentius? *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus*. 2. Non debet Judex esse personarum acceptor. Et ecce de Filio suo Incarnato dicit Pater æternus. Isa. 42. *Dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam*. 3. Requiritur in judice judicium solidum & perspicax, ut possit à fundo causam, de qua agitur, penetrare: & ideò monebat Christus Joan. 7. *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate*. Quis autem Christo perspicacior, qui intima scrutatur cordium? unde. *Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes &c.* 4. Necessaria est in judice potestas: hanc autem datam esse Christo, evidentissimè convincunt textus Scripturæ in prima probatione allegati.

CON-

CONCLUSIO II.

POtestas Christi hominis judiciaria non fuit principalis, sed subordinata, licèt eminentissima.

Ratio est; quia non est aliter loquendum de ejus potestate judiciaria, ac de ejusdem dignitate regia & dominio: sed certum est regiam ejus dignitatem & universorum Dominium fuisse subordinata supremi Regis, seu Dei imperio & dominio: ergo &c.

Confirm. 2. Minoris est potestatis in ordine ad judicium Christus ut homo, quàm Christus ut Deus: sed ut Deus habet potestatem principalem: ergo ut homo, minus principalem & subordinatam, licèt, ut dixi, fuerit eminentissima, & tanta, quantam potuit ipsi Deus concedere.

Confirm. 2. Quia Christo, ratione unionis hypostaticæ, non debebatur essentialiter judiciaria potestas, sed tantùm congruenter: ergo illam habuit ex Dei commissione; & consequenter, ut loquitur Scotus dist. 4. q. 1. n. 9. fuit commissaria & subordinata.

Confirm. 3. Authoritate Doctoris Seraph. qui postquam 4. dist. 48. art. 1. q. 1. dixisset ad plenam judicandi potestatem requiri, *Et authoritatem in sententiando, & potestatem in retribuendo*, subdit. *Quoniam ergo potestas judiciaria respicit illa duo jam dicta, & illa sunt in Deo per naturam, & in Christo homine per gratiam: & ideò judiciaria potestas est Christi secundùm Divinitatem per naturam, secundùm Humanitatem collatam per gratiam unde secundùm utramque naturam habet authoritatem, sed secundùm Divinitatem, principalem & naturalem secundùm Humanitatem, commissam, unde constitutus est.*

QUÆSTIO V.

An Christus sit Mediator inter Deum & homines, ratione cujus, & an dentur alii Mediatores?

SUppono Christum dici posse Mediatorem inter Deum & homines dupliciter. 1. Quia quasi mediat inter naturam Divinam & humanam, in quantum est una persona in utraque natura subsistens, ac utramque participans & uniens: & hoc sensu non tam dici debet *Mediator*, quàm *medium*, sicut color flavus dicitur medius inter album & viridem, eo quòd utrumque participet & uniat. 2. Ab officio & munere, se interponendo in reconciliationem hominis cum Deo: & de Mediatore sic accepto hic quæritur.

CONCLUSIO II.

CHristus fuit verè & propriè Mediator Dei & hominum, & quidem unicus principaliter, perfectè, & eminenter. Utraque pars est de fide.

Prob. Prima pars 1. ex Script. *Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS*, 1. ad Timoth. 2. *Novi Testamenti Mediator est*, Hebræ. 9. Idem habetur cap. 12.

2. Ex PP. Irenæo lib. 3. cap. 20. *Oportebat Mediatorem Dei & hominum per suam cum utroque propinquitatem, ambos in amicitiam & concordiam adducere*. Augustino lib. 10. Confess. c. 43. *Mediator ille Dei & hominum homo Christus JESUS, inter mortales peccatores & immortalem justum apparuit: mortalis cum hominibus justus cum Deo*. Idem legitur apud alios Patres.

3. Ratione; quia ille verè & propriè est Mediator inter Deum & homines, qui tollit inimicitiam & divisionem inter illos præexistentem: sed inter Deum & homines erat inimicitia & divisio, hancque sustulit Christus: ergo. Prob. Min. Quoad primam Partem, ex illo Isa. 59. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis*. Prob. quoad secundam partem, ex Epist. ad Ephes. cap. 2. *Ipse enim pax nostra, qui fecit utraque unum:* unde Chrysostomus homil. 24. ad populum Antioch. *Deo nos fuimus inimici: & unigenitus Filius nos Deo reconciliavit*

Prob. Secunda pars Conclusionis similiter 1. Ex Script. 1. ad Timoth. *UNUS & Mediator &c.* Ubi ly *unus* denotat aliquid Christo proprium, adeòque perfectionem & eminentiam Mediatoris super omnes alios. 2. Authoritate D. Angelici q. 26. art. 1. *Solus Christus est perfectus Dei & hominum Mediator*. 3. Quia ille solus est Mediator perfectus & principalis, qui non eget apud Deum alio Mediatore: sed talis fuit solus Christus, qui nec Dei inimicitiam incurrit, nec incurrere potuit, utpotè peccati incapax: unde Hebræ. 7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Accedit quòd ille solus condignam potuerit pro obtinenda reconciliatione satisfactionem: ergo ille solus perfectè & consummatè Mediatoris officium fuit executus.

Dices 1. Angeli sunt etiam Mediatores nostri, cùm preces nostras, suasque pro nobis Deo offerant: ergo Christus non est unicus.

Resp. Dist. Ant. Sunt Mediatores nostri secundarii & ministeriales sub Christo: C. primarii & principales: N. Idem dic de Sanctis, qui non ex officio & consummatè, sed ex ministerio & dispositivè sunt Mediatores: unde dicit D. Bernardus in quodam sermone *B. Virginem esse Mediatricem ad Mediatorem*.

Dices 2. Ad Galat. 3. vocatur Moyses *Mediator* antonomasticè, ubi lex dicitur *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris*, idest, Moysis.

R. Dist. Assumpt. Dicitur antonomasticè Mediator inter secundarios & ministeriales: C. absolutè: N. Christum autem, modo quasi infinite nobiliori fuisse Mediatorem, inde patet, quod patet Christus Mediator omnium; Moyses tantùm Judæorum: Christus ut Filius, Moyses ut servus Christus ex officio, Moyses ex ministerio.

CONCLUSIO II.

CHristus non fuit Mediator noster apud Deum secundùm Divinitatem, sed secundùm humanitatem connotantem suppositum Divinum. Est communis.

Prob. 1. Ex Script. sæpius allegata: *Mediator Dei & hominum HOMO Christus Jesus;* non Deus.

2. Ex Augustino lib. 10. Confess. cap. 42. *In quantum enim HOMO, in tantùm Mediator: in quantum Verbum, non medius, quia æqualis Deo &c.* Et tract. 62. in Joan. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus sed in quantum est HOMO*.

3. Ratione; quia Mediator debet distingui ab eo, ad quem dirigitur mediatio; cùm non possit aliquis esse Mediator apud seipsum, non potest seipsum sibi reconciliare? sed Christus non distinguitur à Deo (ad quem mediatio dirigitur) secundum divinitatem, sed secundum humanitatem: ergo. Deinde secundum naturam illam fuit Christus Mediator, secundùm quam fuit Redemptor: sed nos redemit per naturam humanam: *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*, Rom. 5. ergo.

Dixi: *Secundum humanitatem connotantem Suppositum Divinum;* tum quia non humanitas dicitur *Mediatrix*, sed homo Mediator; tum quia nunquam condignè Mediatoris officium fuisset executus, nisi mediatio ejus ex circunstantia Suppositi divini fuisset nobilitata, & quasi Divinizata.

CONCLUSIO III.

PRæter Christum, dantur alii Mediatores inferiores & secundarii. *Nihil prohibet*, inquit D. Thomas suprà, *aliquos alios secundùm quid dici Mediatores inter Deum & homines*. Est de fide contrà Lutheranos, ut patet tum ex dictis de Moyse, tum ex Job. 33. *Si fuerit pro eo Angelus loquens .... ut annuntiet hominis æquitatem, miserebitur ejus*.

Prob. Etiam ratione: quia omnes illi dici possunt Mediatores nostri apud Deum, qui vel orando, vel jejunando, vel sacrificando, vel aliud pium exercendo, promovere possunt nostram apud Deum reconciliationem: sed id, præter Christum: præstare possunt alii tanquam Christi Ministri: ergo. Prob. Min. Nam possunt in hunc effectum orare Beati, jejunare viatores, sacrificare Sacerdotes &c. unde D. Thomas sup. *Sacerdotes novi testamenti possunt dici Mediatores Dei & hominum, in quantum sunt Ministri veri Mediatoris*.

Dices 1. Non potest homo esse medius inter Deum & homines: ergo nec Mediator.

Resp. Dist. Ant. Non potest &c. ratione naturæ: C. quia est ejusdem cum iis, pro quibus interpellat. Ratione innocentiæ seu justitiæ: N. cùm ergo ratione naturæ differat à Deo, & ratione justitiæ differat à peccatoribus, potest esse medius, adeoque & Mediator inter Deum & peccatores.

Dices 2. Juxta Apostolum sup. *Unus est Mediator*, idest, unicus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Unus est eminenter & ex officio, quia solus venit salvare peccatores salvatione completa & perfecta: C. Unus est excludens etiam Ministros ad peccatorem reconciliationem cooperantes: N. patet ex dictis. Et certè si Rex terrenus non tantùm Filium admittat Mediatorem pro Reis reconciliandis, sed etiam amicos, quidni idem posset facere Rex cœlestis.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An Christus fuerit in terris, & sit nunc in cœlis hominum Advocatus?

CHristum esse Advocatum nostrum, declarat in terminis D. Joannes Epist. 1. cap. 2. *Advocatum*, inquit, *habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Sed quoniam præcipuum Advocati munus, ut hic sumitur, est pro alio orare, intercedere, interpellare; quærendo an fuerit in terris, & nunc sit in cœlis Advocatus noster, quærimus an tunc oraverit, & etiam nunc oret pro nobis; sed ante resolutionem

Suppono 1. Orasse olim Christum pro seipso oratione propriè dicta. Manifestum est ex Script. Joan. 12. *Pater salvifica me ex hac hora*. Et cap. 17. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum*. Et Marc. 14. *Procidit super terram & orabat, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora*. Nihil autem vetat Scripturam in sensu proprio intelligere: & certè sicut Deum aliis virtutum exercitiis colebat, quidni & oratione, cùm nulla sit indecentia, sed maxima convenientia, imò non rarò necessitat inferiorem, qualis erat Christus ut homo, ad superiorem recurrere, præsertim cum Christus secundùm humanitatem in omnibus à Deo dependeret & illo indigeret.

Suppono 2. Christum non potuisse orare secundum naturam Divinam, seu ut Deum; quia oratio, est actus indigentis alterius auxilio, quo non potest egere ille, qui nullius eget, & quo egent omnia: unde D. Thomas q. 21. art. 1. *Si in Christo esset una tantùm voluntas, scilicet Divina, nullo modo competeret sibi orare: quia voluntas Divina per seipsam est effectiva eorum quæ vult, juxta illud Psal. 134. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit*. Unde Rom. 8. dicitur Spiritus Sanctus postulare pro nobis, non quia ipse, sed quia gratia sua facit nos postulare, ut ex D. Thom. diximus suo loco. His suppositis

CONCLUSIO I.

CHristus in hac mortali vita verè & propriè oravit pro nobis. Est communis & certa.

Prob. 1. Ex Script. Joan. 17. *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo*, ubi orat pro Discipulis, & infrà: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, ubi orat pro illis qui sunt Apostolorum ministerio credituri. Et Luc. 23. orat pro suis interfectoribus: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*. Alias pro aliis reperies alibi orationes.

Prob. 2. Christus ostendit exteriùs vera orationis signa, dum pro nobis oraret, ut genuflexionem, prostrationem, recessum in solitudinem, clamorem, lachrymas &c. ergo de facto orabat; aliàs si fuissent orationis fictiones, fuisset in Christo duplicitas: quod absit tantùm imaginari.

Dices: Theophilactus in hæc Verba, cap. 11. *Ego sciebam quoniam semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi &c.* Docet tunc actionem Christi non fuisse orationem, sed orationis figuram, & indicium solum: ergo idem est de aliis locis, ubi dicitur orasse.

Resp. Sic loqui Teophilactum (sicut & Euthimium in eumdem locum) non quia negaret omnem Christi orationem, sed quia credebat in illo casu non propriè orasse, scilicet petendo, sed tantùm gratias egisse: nec improbabiliter, cum ibi Scriptura meminerit gratiarum actionis, non autem alicujus petitionis.

Prob. 3. Aliquando desideravit nobis Christus, quæ non poterat per humanitatem exequi physicè, ergo debuit illa à Patre petere, adeoque pro nobis orare. Prob. Min. Quia, ut alia omittam, desideravit nobis gratiam sanctificantem: illius autem, licèt secundum humanitatem; fuerit causa meritoria & moralis, non tamen physica nequidem instrumentalis: ut suo loco diximus: ergo debuit illam à Patre petere, quia *gratiam & gloriam dabit Dominus* Psal. 83.

Obj. 1. Oratio est elevatio mentis in Deum: sed Christus utpote Beatus, habuit ab initio conceptionis mentem elevatam in Deum: ergo non potuit orare.

Resp. Dist. Maj. Est elevatio &c. formaliter: N. est enim *decentium petitio*, ut suo loco diximus. Est elevatio &c. præsuppositivè, & quidem in illis, qui illam habent, antequam orent: C. sed nihil indè contra nos.

Obj. 2. Christo data est omnis potestas, Matth. ult. ergo, cum omnia haberet in sua potestate, non poterat aliquid petere adeoque nec orare.

Resp. D. Ant. Christo ut Deo data est, id est, communicata est omnis potestas: C. Christo ut homini: N. non potuit enim ut sic gratiam sanctificantem physicè producere, ut dictum est. Vel certe si passum illum non intelligas de plenitudine potestatis secundùm Divinitatem, sed secundùm humanitatem, debes illum sumere accommodè, nempe pro plenitudine potestatis moralis, in quantùm poterat obtinere omnia quæ vellet efficaciter petere.

Obj. 3. Si Christus verè orasset, omnia obtinuisset: sed non omnia obtinuit, cùm petierit à se transferri passionis calicem, qui non fuit translatus: ergo. Prob. Maj. Quia id exigebat orantis dignitas.

Resp. Dist. Maj. Omnia obtinuisset quæ petiisset secundum voluntatem efficacem, & sequentem ductum rationis: C. quæ petiisset secundùm voluntatem inefficacem, & sequentem ductum naturæ: N. Duplex ergo distinguenda est in Christo voluntas, ut suo loco diximus, una per modum rationis, & altera per modum naturæ. Prima in Christo semper fuit impleta, quia, cum omnia cognoscens, etiam cognosceret quid vellet Deus sibi dare, nihil petebat nisi Divinæ voluntati conforme: & ideo secundùm voluntatem illam semper exaudiebatur. Secunda, cùm tantum respiciat objectum prout congruit naturæ, & abstrahat à Dei voluntate, non semper fuit in Christo impleta. Non convincit exemplum allatum, sed quid mirum, cum voluntas illa non sit manifestantis absolutè desiderium suum, sed præcisè ostendentis inclinationem naturæ, & ideo potius est velleitas, quàm volitio.

Obj. 4. Sciebat Christus ab initio conceptionis per scientiam beatam omnia quæ vellet ipsi Deus concedere: ergo frustra orasset.

Resp. Dist. Ant. Sciebat omnia quæ vellet Deus ipsi concedere, & eo modo quo vellet concedere: C. & alio modo: N. Jam autem, sicut sciebat quòd Deus non reconciliaretur nobis nisi mediante ejus morte: ita sciebat plurima non esse nobis concedenda, nisi mediante ejus oratione. Deo ab æterno sic præordinante.

CONCLUSIO II.

CHristus orat pro nobis in cœlis, non tantùm oratione interpretativa, sed etiam oratione formali. Est autem duplex orandi genus, unum proprium, & importat actum voluntatis, seu formalem decentium petitionem: Aliud improprium, quod hic interpretativum vocamus, estque illud quod habet se instar orationis in ordine ad effectus obtinendos, licèt non sit in se oratio.

Prob. prima pars Conclusionis, nempe de oratione interpretativa, quia non est dubitandum, Christum in cœlo exhibere Patri humanitatem suam cum stigmatibus, quæ pro humani generis redemptione sustinuit, Deumque ipsorum intuitu nobis gratias plurimas impartiri: & certè si olim sanguis Abel clamabat in cœlum, vindictam petiturus; quidni sanguis Christi clamaret ad Patrem veniam nobis impetraturus, sed in hoc continetur oratio interpretativa: ergo. Undè D. Thomas in Cap. 8. ad Rom lect. 3. *Interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam, & Mysteria in ea celebrata conspectui paterno repræsentando*. Quam doctrinam hauserat ex Greg. Magno lib. 1. moral. c. 24. *sine intermissione pro nobis holocaustum Redemptor immolat; quia sine cessatione Patri suo pro nobis Incarnationem demonstrat*.

Prob. Secunda Pars de oratione formali, quam impugnant plurimi volentes Christum in cœlis non propriè orare, *sed* tantum merita & orationes in terris factas Deo exhibere quodammodo objectivè, ut id nobis largiatur, quod fuerunt promeritæ. Prob inquàm 1. ex Script. 1. Joan. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum*, sed præcipuum Advocati munus est pro cliente orare, intercedere, interpellare, ergo. Undè Apostolus ad Rom. 8. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Et Hebræ. 7. dicitur. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Et, ne interpellationem illam pro oratione impropria sumeres, dicit ipsemet Christus expressè Joan. 14. *Ego rogabo Patrem*, nempe assumptus in cœlum, *Et alium Paraclitum dabit vobis*. Præterea cur Scripturam ad sensum improprium detorquere? cum indè tantum extollatur Christi charitas erga nos.

Prob. 2. Ex Justino lib. Quæstionum ad Orthodoxos quæst. 135. *Carnis imbecillitatibus superior resurrectione effectus, ut confessionis nostræ Pontifex pro nobis loquitur & rogat*. Gregorio Magno in 5. Psal Pœnitentialem, *Quotidie Christus orat pro Ecclesia*. Chrysostomo hom 13. in Epist. ad Hebræ. *Nostri curam non deposuit, sed & pro nobis intercedit*, Augustino in Psal. 85. *Orat pro nobis in caput nostrum; oratur à nobis ut Deus*; Eodem modo autem sumi ut ibi *Orat & oratur*, cum ergo *Oratur* sumatur propriè, ita & propriè sumitur *Orat*.

Prob. 3.

Prob. 3. Ratione, Scripturæ dicentes Christum orasse in terris, sumuntur ab Adversariis in sensu proprio, quidni in eodem sensu sumerentur dicentes orare in cœlis? cum indè nullam sequi indecentiam, superfluitatem, aut implicantiam sit declaratura objectionum solutio.

Obj. 1. Negotium salutis nostræ est consummatum, ergo frustrà oraret pro nobis Christus.

Resp. Dist. Ant. Est consummatum quantùm ad sufficientiam meriti, C. quantum ad applicationem, N. sicut autem voluit Deus, ut mediantibus Sacramentis nobis applicarentur Christi merita, ita & potuit velle ut nobis eadem applicarentur mediantibus Christi precibus in cœlo fundendis. Voluisse autem de facto, declarant Scripturæ allatæ. Præterea non sunt superfluæ orationes quas B. Virgo, & Sancti fundunt pro nostra salute, cur essent inutiles preces Christi? Non est superflua (non obstante salutis nostræ consummatione) oratio Christi interpretativa, ut concedunt Adversarii, cur superflua esset formalis?

Obj. 2. Si Christus oraret pro nobis in cœlo, mereretur, cùm ejus oratio esset digna præmio, sed tempus merendi pro ipso, sicut & pro nobis, terminatur in morte: ergo.

Resp. Sicut Sancti orantes pro nobis in cœlo non merentur propriè, sed solum nobis favores impetrant, ut suo loco diximus, ità nec Christus.

Obj. 3. Si Christus oraret pro nobis in cœlo, possemus dicere: *Ora pro nobis Christe*: sed hoc est in Ecclesia inauditum: ergo.

Resp. Dist. Maj. Possemus dicere: *Ora pro nobis Christe*, in orationibus privatis: C. si enim Christus ut homo oret, quidni possemus ab eodem ut homine petere ut oret? cùm liceat petere ut faciat quod facit: undè legimus de S. Cypriano, quòd dixerit Christo moriturus: *Ego à te peto, ut tu à Patre petas*. In orationibus publicis: N. quia obstat consuetudo Ecclesiæ id vetantis, ne credatur Christus purus homo, sicut credebant Ariani: & ideò dicimus Christo: *Miserere nobis, Exaudi nos* &c.

Obj. 4. Nullus petit denuò à Principe quod fuit meritus, & quod scit certò à Principe dandum, sed Christus omnia salutis nostræ auxilia promeruit, scitque certò esse à Patre danda: ergo &c.

Resp. Dist. Maj. Nullus petit denuò à Principe &c. si sciat esse dandum independenter à nova petitione, Transeat. Si sciat esse dandum dependenter ab illa, N. jam autem novit Christus sua merita in certis casibus non esse nobis applicanda, nisi oraverit.

TRACTATUS BREVIS.

De præcipuis Vitæ Christi Mysteriis.

QUoniam dedecet Theologum Christianum solis speculativis inhærere, & magis ea, quæ intellectum illuminant, quàm quæ voluntatem inflammant investigare, ideo post satis intricatas de Deo Incarnato difficultates, amabilia Vitæ ejusdem Mysteria methodo brevi & clara exponemus in hoc Tractatu, in quo Marialogia, & Christi adoratio, intermiscebitur.

SECTIO I.

Christus Homo.

PEtes 1. Quid significet vox *Christus*, & quo sensu Jesus dicatur Christus.

Resp. propriè significare *Unctum*; & ideò Reges & Sacerdotes Magni in veteri Lege, quia ungebantur oleo, dicebantur Christi: quo sensu Jesus fuit verè Christus, cùm fuerit & Rex, & Sacerdos Magnus, ut antea diximus, non quidem unctus oleo materiali, sed invisibili Unctionis hypostaticæ. Præter hanc significationem, etiam Christus interpretatur Messias, id est missus ad generis humani redemptionem, & sic Judæi vocem illam accipiebant, quando vocabant eum Christum, ut patet ex Joan. 1. *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus*. Similiter & nunc universa Ecclesia per Christum *Messiam* intelligit.

Petes 2. Cur Matthæus initio genealogiæ Christi posuerit David & Abraham, dicendo: *Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham?* Cùm nec Abraham sit Filius immediatus David, nec David Filius immediatus Abrahæ: unde videtur quod debuisset dicere, Filii Abraham, Filii Isaac, Filii Jacob &c. & postea, Filii David.

Resp. Ita loqui Evangelistam, quia necdum inchoat Christi genealogiam, quando dicit *Filii David, Filii Abraham*, sed tantùm quando dicit: *Abraham genuit Isaac*. Unde præmisit genealogiæ Davidem & Abraham, ut ostenderet Christi nobilitatem, qui per Davidem descenderet ex Regibus, & per Abraham ex Patriarchis, quorum hic erar primus, & ille Regum maximus. Præmissis autem illis duobus honoris causa, tunc ordine debito incipit & prosequitur genealogiam, dicendo: *Abraham genuit Isaac* &c.

Petes 3. Cur ibi præponarur David Abraham?

Resp. Quia dignior erat ex triplici capite: 1. Quia Abraham tantùm fuit Patriarcha, David autem Rex. 2. Quia pauca admodum mysteria revelavir Deus Abrahamo, innumera autem David: unde dictus est *Propheta* per excellentiam 3. Et maximè quia promissio de Christo venturo ex eorum semine, facta est sæpiùs & expressius Davidi, quàm Abrahamo: sæpius quidem, cùm respectu Abrahæ tantùm facta sit Gen. 12. & 15 respectu verò Davidis innumeris locis. Expressius autem, nam Jerem. 23. dicitur: *Suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit*. Et Ps. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, & alibi sæpè.

Petes 4. Cur Matthæus dicat esse librum generarionis JESU Christi, cùm sit genealogia Joseph, à quo non descendebat Christus, cùm tantùm esset Filius ejus putativus?

Resp. Ideo Evangelistam posuisse Genealogiam Joseph tanquam genealogiam Christi, quia probando Joseph esse de semine Abrahæ & Davidis, probabat & Mariam, adeòque & Christum Filium ejus, esse de eodem semine; quia præcipitur Num. 86. ut omnes viri ducant uxores *De tribu & de cognatione sua*. Et quamvis circa hoc non conveniant omnes Interpretes, conveniuot tamen omnes legem illam obligasse saltem mulieres, ad quas devolvebatur hæreditas, eò quòd ibidem dicatur: *Ut hæreditas permaneat in familiis*: atqui B. Virgo erat hæres unica Joachim & Annæ: ergo assumpsit maritum suæ tribus & familiæ: & consequenter, cùm Joseph esset de Tribu Juda, & de familia David, erar & Maria, erat & Christus: quod agnovit Apostolus dicens Hebræ. 7. *Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster*.

Petes 5. Quare non fuit exposira genealogia Mariæ per se, id est, per Parrem ipsius Joachim?

Resp. Quia non solebanr Judæi mulierum progeniem texere, sed tantùm virorum: hoc tamen non impediebat illarum genealogiæ certitudinem; nam vel erant in domo Patris, & constabat esse ex ipsius progenie, vel in domo mariti, & certum erat descendere ex hujus familia, cùm maritus, & uxor præsertim hæres, deberent esse ejusdem Tribus & cognationis. Er sic nihil referebat genealogiam Mariæ describi vel per Patrem suum Joachim, vel per virum suum Joseph.

Petes 6. Quomodo Christus non fuit de Tribu Levi, cùm ejus Mater esset cognata Elizabeth, quæ erat de filiabus Aaron primi Sacerdotis de Tribu Levi?

Resp. Nazianzenus nutu Divino factum esse, ut aliquis de Avis aut Proavis Mariæ acceperit uxorem de Tribu Levi, ut genus Regium generi Sacerdotali jungeretur: sicque Christus, qui futurus erat Rex & Sacerdos, de utraque familia carnem sumeret. Præterea etsi non possent aliæ Tribus inter se matrimonio conjungi, poterant tamen, saltem aliquando, Tribus Juda & Levi; cùm Josaba filia Regis Joram de Tribu Juda, ut paret ex Genealogia Christi apud Matthæum, nupserit Joaidæ summo Sacerdoti de Tribu Levi, 4. Reg. 11.

Petes 7. Quomodo concordari possint Matthæus & Lucas, cùm hic dicat Joseph esse filium Heli & ille filium Jacob?

Resp. Relictis aliis explicationibus, conformiter ad DD. Augustinum, Hieronymum, & Thomam, Matthæum describere, generationem carnalem, & Lucam legalem: & sic Joseph duos habuit Patres, carnalem unum, nempe Jacob, legalem alterum, nempe Heli; quia, Heli defuncto sine liberis, ejus uxor vidua nupsit Jacob fratri uterino ipsius Heli, ut Jacob suscitaret semen fratris sui Heli defuncti: sicque quasi teneret locum ipsius in familia, ut præceptum erat Deuteronomii 25.

SECTIO II.

Christus Filius Mariæ.

QUandoquidem Christi Filii, & Mariæ Matris; *Gloria non tam communis, quàm eadem est*, inquit Petrus Damianus Orat. 2. Congruum est, & justum, ut Filii Mysteria expositturi pauca de piissima ejus Matre sequentibus articulis referamus.

ARTICULUS I.

Maria immaculatè concepta.

PEtes 1. Quid iotelligatur per conceptionem immaculatam?

Resp. Intellige Mariam 1. instanti suæ animationis seu infu-

infusionis animæ in corpus, fuisse ex speciali Dei geatia immunem à peccato originali, quod eo instanti contrahunt omnes puei homines, eò quòd omnes in Adam peccaverint. Non intelligitue ergo conceptio seminalis præcedens animæ infusionem (quamvis eodem die, si non eodem instanti quo fuit seminaliter Virgo concepta, fuerit etiam ex speciali peivilegio animata, cùm novem mensibus ante ejus nativitatem, quod est tempus conceptionis seminalis, celebret Ecclesia ipsius conceptionem ut Sanctam, adeoque supponit B. Virginem tunc fuisse animatam, cùm sanctitas non sit in massa corporea, sed in anima) non intelligitur, inquam, conceptio seminalis, de qua loquitur D. Thomas 3. par. q. 27. aet. 2. ubi ait: *Quidam celebrant Festum Conceptionis: ergo videtur quod in ipsa sua Conceptione fuerit Sancta, atque ità quòd ante animationem fuerit sanctificata.* Et D. Bona 3. d. 3. p. 1. q. 1. *Si ergo sanctitas non fuit in Virgine ante animæ infusionem, non videtur undequaque securum Conceptionis illius*, utique seminalis, *etiam Solemnitatem celebrare.* Ex quibus patet, si sancti illi Doctores viverent hoc tempore, quo ab Ecclesia præcipitue conceptionis officium, certò defensuros (quod & probabilius fecisse ostendemus infrà) Virginis conceptionem ibisse sanctam, adeoque immaculatam.

Petes 2. An de facto B. Virgo fuerit immaculatè concepta?

Resp. Affirm. cùm universis Franciscanis, qui illam sub hoc titulo sibi Patronam elegerunt: quod & fecit Domus Austriaca & plurimæ Universitates. Hæc sententia adeo facta est communis à tempore Scoti in hac materia gloriosè triumphantis, ut dixerit Vasquez 3. p. disp. 17. cap. 2. *Hoc tempore non solùm omnes Theologiæ Professores & Doctores, exceptis .. sed etiam omnes qui Christiani nominis fidem profitentur, in hanc sententiam uno animo & affectu ita conspirarunt, ut sine magno populi scandalo, ut rectè notavit Corduba, jam nemo possit oppositam populo in concionibus exponere.* Hoc autem dixit, etiam ante inhibitionem Pauli V. & Gregorii XV.

Probatue autem pia & vera sententia, 1. ex Conciliis. A sexta Synodu generali act. 2 in Epist. Sophronii approbata, vocatur Maria *Sancta, & ab omni contagione liberata.* Ab octava Synodo generali act. 3. *Sancta & immaculata Domina nostra.* A Lateranensi sub Martino I. can. 3. *Sancta & immaculata Maria.* Teidentinum verò sess. 5. in fine decreti de peccato originali declarat, *Non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto immaculatam Virginem.*

Prob. 2. Authoritate Ecclesiæ universalis, quæ Virginis Conceptionem solemniter celebrat: ergo supponit conceptionem illam fuisse sanctam, adeoque immaculatam, cùm non nisi Sanctorum Festa celebrentur: unde Augustinus ferm. 113. de S. Cypriano docet, non diem natalem Martyrum, qui eo die conteaxerunt originale, sed diem obitus, in quo sancti erant, esse celebrandum. Scio aliquos voluisse, pee Festum Conceptionis B. Virginis, intelligi Festum sanctificationis, quia eodem die sanctificata, quo concepta; sed etiam scio Gregorium XV. constituisse anno 1622. die 24 Maii, ut Festum illud fieret sub nomine *Conceptionis*, & non *sanctificationis*: & ideo approbavit Ecclesia confeaternitates sub titulo *Immaculatæ Conceptionis*, approbavit & Oedinem Sanctimonialium sub eodem titulo, quarum curam demandavit Julius II. Feateibus Minoeibus. Imò approbavit officium solemne quod per totum Oebem decantant Feanciscani octava Decembris, cujus Invitatorium est, *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus: &c.*

Peob. 3. Ex Patribus omnium sæculorum, quos citat, & refert Cavellius magno numeeo in fine 3. Sententiarum Scoti. Illum consule, & videbis ab aliquibus vocari *Immaculatam*: ab aliis *Numquam immundam*, ab aliis *Ab omni labe integram*: ab his *Ab omni contagione primæ originis alienam*; Ab illis *Non fuisse in tenebris, sed semper in Luce.* consule, inquam, & videbis huic piæ & veræ Sententiæ favere SS. Jacobum, Andræam, Basilium, Ephrem, Chrysostomum, Athanasium, Eligium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Ildephonsum, Aoselmum: videbis ex ipsomet Oedine S. Domioici ipsius Patriarcham, Vincentium Ferrerium, Ludovicum Berteandum, &c

Prob. 4. Ex lib. 6. Revelationum S Brigittæ, ubi legitur: *Veritas est quòd ego concepta fui sine peccato originali.* Hæ autem Revelationes jussu Gregorii XI. à sex Cardinalibus, duobus Episcopis, & Magistro Sacri Palatii examinatæ, habitæ sunt tanquam veræ. Imò postea ab Uebano VI. Bonifacio IX. & Concil. Lateranensi fuerunt receptæ.

Peob. 5. Ex mieaculis in hujus veritatis confiemationem relatis à Bernaedino de Bustis, & aliis Authoribus. Vide etiam Strada Part. 2. de Bellu Belgico ad annum 1585.

Prob. 6 Ratione: Potuit Christus Matrem suam ab originali præservare: decuit ut faceret: ergo fecit. Potuisse, conveniunt omnes, cùm nulla sit contradictio: decuisse, declarat in terminis Anselmus lib. de conceptu Virg. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Et certè si D. Thomas 3. p. q. 27. aet. 4. dicat nunquam peccasse venialiter, *Quia non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando*: Fuissetne idonea, si conteaxisset originale, adeòque fuisset hostis Dei, serva diaboli, mancipium peccati? igitur concludas fecisse, cùm id suadeeet Matris Dei dignitas, Filii Dei Majestas, Patris æterni potestas, Spiritus Sancti bonitas.

Peob. 7. Non est denegandum Matri Dei, quod concessum est puræ creaturæ: sed concessa est omnimoda puritas Angelo, concessa est puritas originalis Evæ & Adamo: ergo concedenda est B. Virgini.

Prob. 8. Ideo dicitue communiter, fuisse immunis à dolore partus, à fomite peccati, à sordibus pueeperii, à corruptione corpoeis, à potestate quam habet vir in uxorem, quia sordes illæ dedecebant Matrem Immaculati: sed magis infinitè illarum origo, per quam subjicitur quis Dœmoni, illam dedecebant: ergo. Deinde in qua non eepeeiuntur præcipui effectus peccati, cur reperiretue peccatum? Unde si aliquas vitæ miserias passa sit B. Virgo, non fuerunt peccati pœnæ, sed pœnalitates naturæ.

Prob. 4. Quia omnes Scripturæ passus generales, ut Rom. 5. *In quo*, nempe Adamo, *Omnes peccaverunt.* Et paulò ante: *In omnes homines mors pertransiit.* Et 2. Corin. 5. *Omnes mortui sunt*, intelligendi sunt quoad debitum & necessitatem contrahendi originale, seu moriendi spiritualiter, nisi qui sit speciali Peivilegio præserverue, sicut præservatam esse B. Virginem ostendimus. Sed de hoc fusius postea. Præterea, cùm multi sint Scripturæ passus generales, qui non comprehendunt Maeiam, ut *Pulvis es, & in pulverem reverteris. In dolore paries*, Gen. 3. *In multis offendimus omnes*, Jac. 3. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, 1. Joan. 1. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, Luc. 13. Cue præfati potius ipsam comprehendeeent?

Omnia apparentia quæ objici possent tum ex Scriptura, tum ex Pateibus, tum ex Conciliis, facilè solvi possunt ex dictis in probationibus.

Petes 3. Quæ fuerit mens D. Bernardi circa præsentem materiam?

Resp. Nobis favere, quidquid dicant Adversaeii: ait enim serm. 4. super Salve Regina: *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus, nemo ità præter te*, & alibi: Quid expressius? Objicitur quidem Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, ubi eos carpit, quòd Festum Conceptionis Mariæ peragerent; sed verisimile est Epistolam illam non esse D. Bernardi: 1. Quia tenet B. Virginem immaculatam variis locis. 2. Quia in Epistola illa Festum conceptionis dicitue *Inauditum*, cùm tamen jam celebraretur in primariis Franciæ Ecclesiis, ut probat P. Ojeda cap. 11. imò haberetur in Martyeologiis Bedæ, Adonis. & Usuardi. 3. Quia præcipui ipsius vitæ Authores, qui omnia ad amussim referunt, non meminerunt hujus inter ipsum & Lugdunenses conteoversiæ: unde cum multæ ejus Epistolæ fueeint falsificatæ, ut fatetur ipsemet Epist. 284 ad Eugenium his verbis: *Periclitati sumus in falsis fratribus, & multæ litteræ nostræ falsatæ sub falsato sigillo nostro, in manus multorum exierunt*, possumus dicere & hanc esse falsificatam. Deinde esto esset ipsius Bernaedi, non eeprehendit ipsos quòd Festum illud celebeent, sed quòd celebrent inconsulta S. *Sede*. Varias quidem eationes admiscet, ut probet conceptionem non esse sanctam, sed apertè patet ipsum loqui de Conceptione seminali vel activa ex parte parentum, vel passiva præcedento animationem, de qua non est quæstio.

Petes 4. Quid circa hoc senserit D. Thomas; Mirum est sanè ipsius Discipulos ita paeum studere in hac mateeia, Præceptoris sui honori, ut ipsum sententiæ oppositæ Patronum absolutè declaeent; cùm facilè possit explicaei.

Resp. Variis locis docuisse in terminis sententiam nostram, ut 1. dist. 44. aet. 2. ubi ait: *Talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.* Lect. 6 in c. 3. ad Gal. ut habet editio Veneta anni 1555. & Parisiensis 1332. & 1552. *Mulierem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima & omni laude dignissima Virgo Maria.* Item opusc. 8. de exposit. salutat. Angelicæ: *Maria purissima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, vel veniale peccatum incurrit.* Hæc verba autem quæ referuntur ab Authoribus dignissimis, ut Catharino & aliis, mutata fuere in sequentia: *Excedit Angelos quantum ad puritatem*, quæ non essent vera, nisi esset immaculatè concepta: unde quando 1. 2. q. 81. art. 3. asserit: *Secundùm fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivati,*

pec-

peccatum originale ex Adamo contrahunt, intelligendus eſt ſicut 4. diſt. 43. art. 4. q. 1. ad 3. quòd omnes habeant debitum contrahendi originale; non autem quòd omnes actu contrahant, ne uno excepto; aliàs ejus propoſitio condemnata eſt à Xiſto IV. Extravag. *Grave nimis* de Reliq. & Vener. Sanctorum *Tanquam falſa & erronea, & à veritate penitus aliena*: cùm taliter condemnet opinionem dicentem ſententiam noſtram eſſe hæreticam aut erroneam: ſi autem *Secundùm fidem Catholicam firmiter eſt tenendum* B. Virginem contraxiſse de facto originale, contrarium docere eſt hæreticum & erroneum.

Petes 5. cujus ſententiæ fuerit Doctor Seraphicus?

Reſp Quia ſuo tempore, ut ait 2. diſt. p 1. art. 1. q 2. nullum audiebat magni nominis dicentem B. Virginem eſse Immaculatè conceptam, ipſam in libris ſententiarum, quos junior compoſuit, timidè maculatam dixit: quod tamen ſenior retractavit ſerm. 2. de Aſsumpt. *Domina noſtra*, inquiens, *fuit plena gratia præveniente in ſua ſanctificatione, gratia ſcilicet præſervativa contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet corruptione naturæ, niſi ſpeciali gratia præventa, præſervataque fuiſſet*.

Petes 6. Si B. Virgo fuit immaculatè concepta, quomodo indiguit Chriſto ut Redemptore?

Reſp. Duplicem eſse Redemptionem, ſublevativam, qua quis liberatur à captivitate de facto contracta; & præſervativam alteram, qua efficitur ne ſit captivus. Hoc autem genere Redemptionis indiguit Virgo: & cùm maius ſit beneficium præſervari à lapſu, quam à lapſu contracto liberari, ſequitur B. Virginem magis quàm nos obligatam eſse Redemptori.

Petes 7. An non poſſint oſtendi in Scriptura hujus exemptionis originalis figuræ?

Reſp. Affirm. Nam poteſt dici quod Aſsuerus dicens Eſther 15. *Quid habeas Eſther? ego ſum frater tuus, noli metuere Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*, ſit quaſi figura Chriſti dicentis: quid habes, Maria, ego ſum Filius tuus, noli metuere, non morieris: non pro te, ſed pro omnibus lex de contrahendo originali conſtituta eſt. Etiam dici poteſt quòd Arca Noë in diluvio adumbraverit Virginis conceptionem; ſicut enim arca illa ferebatur ſuper aquas, dum operirentur omnia; ita etiam Arca Deifera, dum omnes operirentur aquis diluvii originalis, ferebatur in ſublime.

Petes 8. An B. Virgo habuerit debitum contrahendi originalis?

Reſp. Probabilius affirm. Contra varios, quibus magis favet devotio, quàm ratio; quia, ut canitur in Officio Immaculatæ Conceptionis à Xiſto IV. inſtituto, fuit præſervata Virgo *ex morte Filii ſui prævisa*: ergo, cùm ante prævisam Chriſti mortem jam peccaſset Adam, & in ipſo omnes ejus poſteri (nam Chriſtus fuit decretus ut paſſibilis ob deletionem originalis prævisi) non potuit ordinari ne peccaret Virgo in Adam, ſed tantùm ne in tempore peccatum transfunderetur in ipſam. Nec inde minuitur honor Virginis; quia *Peccatum Originale*, inquit Auguſtinus lib. 6 contra Julian. *quatenus conſideratur in actione alterius, alienum eſt, ſit autem proprium tantum contagione propagationis*, id eſt, per contractionem actualem. Præterea non poteſt intelligi in ſententia oppoſita quomodo Chriſtus ſit Virginis Redemptor, niſi quærendo aut potiùs fingendo decreta ſuſpenſiva: ſicque volendo augere honorem Matris, minuit honorem Filii.

Petes 9. An Scotus fuerit hujus Sententiæ Author?

Reſp. Neg. Quidquid dicant aliqui in Patribus nullatenus fundati, ſed paululum antiquatæ fuit Reſtaurator: „ Juſsu „ enim Pontificis (Verba ſunt Cavelli in Roſario ſæculi „ XIV.) habita ſolemni diſputatione coram Facultate Pa„ riſienſi, præſentibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, de Imma„ culata Conceptione Mariana, ipſius Matris fretus auxi„ lio, tanto Argumentorum pondere, tot, tamque urgen„ tibus rationibus comprobavit & munivit, quòd celeberri„ mam illam Facultatem, Matrem Univerſitatum in ſuam „ traxerit Sententiam; quæ in gratificationem, nomine „ DOCTORIS SUBTILIS ipſum condecoravit & acer„ rimis ejus diſputationibus inducta Sacrum illud & celebre „ Marianum decretum condidit, ne ſcilicet in poſterum „ quiſquam ad Magiſterii gradum admitteretur, qui tota „ vita ſe propugnaturum Immaculatam conceptionem ju„ rejurando non adſtringeret „ Inde tantus ardor pro ſuſtinenda, amplectenda, propaganda Virginis conceptione Immaculata ubique terrarum dimanavit, ut ferè orbem univerſum inflammaverit.

ARTICULUS II.

Maria in lucem edita.

Petes 1. Quinam fuerint Parentes Beatæ Virginis?

Reſp. Joachim & Annam pluſquam ſexagenarios, adeoque ſteriles, *ut infæcundam ſe natura cognoſceret ad Dei Matrem producendam; ut ad maximum miraculum via per miraculum ſterneretur*, inquit Damaſcenus. Quantæ autem eſſent ſanctitatis conjuges illi fœliciſſimi, inde colligitur, quod meruerint generare illam, quæ *nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem*. Sed quantam poſteà addidit illis gratiam Fructus ille immaculatus? certè ſi in primo Mariæ ad Eliſabeth acceſſu, tantus profectus extitit, ut ad ſalutationem Deiparæ, exultaret Baptiſta in utero, repleretur Eliſabeth Spiritu Sancto, quantum putamus accidiſſe gratiæ Joachim & Annæ ex partu & viſu ſanctiſſimæ infantis?

Petes 2. Ubi nata ſit Maria?

Reſp. Varias eſſe Authorum opiniones circa locum conceptionis, & Nativitatis B. Virginis. Probabilius eſt tamen conceptam fuiſſe in Urbe Nazareth, & natam Hieroſolymis quindecim annis ante Chriſtum. Exactis tribus infantiæ annis morata, & divinæ contemplationi occupata, donec 14. ætatis anno deſponſaretur Joſeph, & decimo quinto Chriſtum pareret.

Petes 3. An priùs habuerit uſuram lucis, quàm uſum rationis?

Reſp. Neg. Quia piè credendum eſt donatam fuiſſe uſu rationis adhuc clauſam in utero materno; cùm non ſit denegandum Matri Chriſti, quod conceſſum eſt ejus Præcurſori, qui clauſus in utero Matris exultavit in gaudio, non metaphorico, id eſt motu quodam corporali, ut volunt aliqui, ſed vero & ſpirituali juncto cum mentis advertentia, ut inſinuat D. Ambroſius lib. 4. de fide cap 4. *Habebat enim*, inquit, *intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum*. An autem tunc haberet B. Virgo ſtabilem & perſeverantem rationis & libertatia facultatem? controvertitur, imò negat D. Thomas.

Petes 4. Quænam fuerit B. Virginis occupatio corporalis.

Reſp. Cum non eſſet bonis temporalibus locupletata, ut patet tum ex eo, quòd fuerit Fabro nupta, tum ex circumſtantiis pauperrimæ vitæ Filii non habentis ubi caput reclinaret, labore proprio ſuam & Filii vitam ſuſtentabat, & dum maritus fabrilibus occuparetur operibus, exercebat ipſa artem *induſiariam*, ſecundùm Epiphanium, vel *lanariam*, ut vult Anſelmus, vel *textricem* ex lana, lino, ſerico, & byſſo, ut tradunt Hieronymus & Beda.

Petes 5. Qualis fuerit corporis ipſius conſtitutio?

Reſp. Habuiſſe temperamentum optimum, ſanitatem integram, ac pulchritudinem nulli ſecundam. *Temperamentum* quidem, quia cùm humorum proportio, paſſionum concordia, indolis bonitas, ac totius temperamenti harmonia nonnihil ad virtutem conferat, hanc autem in ſummo gradu habuerit B. Virgo, etiam illud perfectiſſimum habuiſſe concludendum eſt. *Sanitatem* verò quia, cùm fuerit quædam inter Matrem & Filium ſimilitudo, Filius autem nullas aſſumpſerit corporis infirmitates, ut ſuo loco diximus, etiam nullas fuiſſe Matri exiſtimamus, unde mortua eſt vi amoris, non morbi. *Pulchritudinem* denique, quia Speciosus forma præ Filiis hominum, ſpecioſam voluit habere Matrem, ut habitatio reſponderet inquilino, & hoſpitium hoſpiti conformaretur, undè de ſeipſa dicit in Canticis: *Nigra, ſum ſed formoſa*, Accedit quod Virginis anima, ut potè in omnibus perfectiſſima, corpus exigeret perfectiſſimum.

Petes 6. Quænam fuerint illius animæ dotes?

Reſp. cum pio quodam Mariæ ſervo, quod „ Fuit in illa „ ingenium ſagax, ſubtile, perſpicax, judicium acre, ſoli„ dum & maturum, memoria expedita & tenax, contem„ platio continua ſine fatigatione, indefectibilis ſine errore, „ prudentiſſima abſque inconſideratione. Fuit voluntas fir„ ma ſine levitate, recta ſine ulla inordinatione, ad omnem „ virtutem propenſa ſine rebellione, libera ſine peccato. Fuit „ phantaſia pacata ſemper & placida, nec paſſionibus obſcu„ rata, nec ſomno præpedita, nec evagationibus diſtracta. „ Fuit denique appetitus rationi obſequens, nunquam re„ ſiſtens, nunquam præveniens, nunquam impediens defi„ xam in Deum mentis elevationem, ardentem cordis „ amorem &c.

ARTICULUS III.

Maria Sanctificata?

QUoniam de Mariæ sanctificatione agimus post ejus nativitatem, malè inferres non fuisse antea sanctificatam, præsertim cùm ejus Nativitas ab omnibus Catholicis cognoscatur & celebretur ut sancta; sed ideò hunc ordinem fuimus secuti, ut omnem sanctitatem, tam Nativitate posteriorem, quàm priorem aliqualiter adumbraremus.

Petes 1. An B. Virgo fuerit sanctificata primo animationis instanti? Negant qui affirmant contraxisse originale; quia non potuit esse eodem instanti reali Deo inimica per peccatum, & amica per gratiam, sed

Resp. Affirm. Quia nulla creatura fuit unquam in statu naturæ puræ, id est, nec habens peccatum, nec gratiam: sed B. Virgo in 1. conceptionis instanti non habuit peccatum, aliàs contraxisset originale, quod negavimus: ergo tunc habuit gratiam. An verò in priori naturæ sese ad primam gratiam per actum proprium disposuerit? incertum est. Affirmat S. Bernardinus: nec immeritò; cùm sit credibile ex tunc habuisse usum rationis, adeòque potuisse Deum diligere, aut alium actum meritorium exercere.

Petes 2. An Virgo habuerit omnem gratiam suam ab instanti conceptionis?

Resp. Neg. Quia tanquam viatrix crevit in gratia per actus meritorios, & per susceptionem Sacramentorum, quorum erat capax, usque ad finem vitæ, ut habet communis Doctorum opinio: & certe cùm id exigat status viatoris, & aliunde nec Scriptura, nec Patres contrarium insinuent, factum esse tenendum est: undè quando Angelus salutavit ipsam *gratia plenam*, non loquebatur de plenitudine omninò consummata, sed de plenitudine sufficienti, ut fieret Dei Mater.

Petes 3. An etiam meruerit tempore somni?

Resp. Probabiliter affirm. hocque colligimus ex D. Amb. lib. 2. de Virginibus, ubi de Virgine Virginum sic habet: *Illic nulla intermissa tempora... Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit: & tamen, cùm quiesceret corpus, vigilaret animus.* Si tunc vigilavit, utique non otiosè vigilavit, sed adorando, contemplando, amando, adeoque merendo vigilavit: nec mirum, quia, cùm scientia Virginis infusa, à phantasmatibus non dependeret, poterat tam in somno, quàm in vigilia nobilissimos virtutum actus exercere.

Petes 4. Quanta fuerit Mariæ gratia?

Resp. Tantam fuisse, ut D. Bonaventura de ea dixerit in pec. B. V. cap. 13. *Tanta gratiarum copia abundavit in Maria, ut etiam ipsa gratiosa Virgo gratia quodammodo dici possit.* Et B. Bernardus Conc. 61. *Excepto Christo, tanta Virgini data est gratia, quantum uni puræ creaturæ dari esset possibile*: & ideò nulla creatura, etiam in omni genere meritorum excellentissima; sivè homo, sive Angelus, sive Cherubim, sivè Seraphim, potuit Mariæ sanctitatem vel à longè aspicere: undè Petrus Damianus serm. de Assump. *Inter animas Sanctorum & Angelorum choros supereminet merita singulorum, & omnium titulos antecedit, & Spirituum hebetat dignitatem, ut sint quasi non sint.*

Petes 5. An Mariæ gratia fuerit major, quàm fuerit in omnibus Angelis & hominibus simul sumptis?

Respondet affirm. Suarez, sed nullo Scripturæ, Patrum aut Theologorum nixus fundamento, cum ne unus ante ipsum hanc sententiam, saltem apparenter piam, docuerit: & certè mirum esset, quod unica persona, quæ nequidem toto tempore vitæ suæ potuisset sigillatim numerare omnia omnium Angelorum & hominum merentium nomina, superasset omnem omnium illorum sanctitatem. Hoc soli Christo omnium Capiti concedimus, libenter Sanctissimæ ejus Matri concessuri, ubi fundamentum aliquod apparuerit. Interim, ut prudenter monet Tannerus, à similibus nimium exaggerativis, scandalum potiùs, quàm devotionem aliquibus causaturis, inter concionandum abstine.

Petes 6. Unde tantum incrementum habuerit sanctitas Virginis?

Resp. Habuisse tum ex eo, quòd per intensissimos nobiliorum virtutum actus continuò aut quasi continuò mereretur; tum etiam quia ejus gratia aucta est ex opere operato in sumptione Eucharistiæ, in conceptione Verbi Divini, in adventu Spiritus Sancti, in præsentia Filii tum in utero gestati, tum in sinu quiescentis, aut mamillas sugentis, tum in cruce morientis.

Petes 7. An aliquando venialiter peccaverit Maria? Dico *Venialiter*; nam de peccato mortali nullus unquam Catholicus vel minimam habuit suspicionis umbram.

Resp. Neg. Hocque patet ex dictis in Tract. de Gratia, ubi diximus ex Gonet hoc definitum esse in Concil. Claromontano: ibi dicta consule. Rationem affert D. Thomas q. 27 art. 4. quia si vel leviter peccasset, non fuisset idonea Mater Dei. Si quæras quomodo potuerit dicere in Oratione Dominica: *Dimitte nobis debita nostra?* Dicam potuisse dicere pro Ecclesia in communi.

ARTICULUS IV.

Maria desponsata Joseph.

MAtrimonium inter Mariam & Joseph, fuisse verum & validum Matrimonium, probabimus in Tract. de Sacramentis, conformiter ad Scripturam Sacram, quæ sæpius B. Virginem vocat conjugem B. Joseph.

Petes 1. An B. Virgo fuerit desponsata ante Incarnationem, seu ante Filii sui conceptionem?

Resp. Affirm. Patet evidentissimè ex Luc. 1. ubi legitur: *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*: ergo desponsata erat, quando venit Angelus, sed necdum conceperat in adventu Angeli, cùm ipsi dixerit de futuro: *Ecce concipies*: ergo. Huic quæstioni occasionem dedit Matthæus cap. 1. dicens: *Cùm esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens &c.* sed nihil inde contra nos; quia hoc non dicitur de tempore quo cœpit habere in utero, sed de tempore, quo inventa est habens in utero, seu quo, crescente utero, gravidata apparuit.

Petes 2. Quomodo potuit Maria licitè nubere, cùm ante desponsationem emisisset votum castitatis, ut docent Augustinus, Bonaventura, Scotus, & alii communiter?

Resp. Potuisse, quia præcepit ei Matrimonium Pater, qui, ut habetur Numer. 3. poterat illud irritare, modò id fecisset eodem die, quo ipsi constitisset de voto emisso. Hoc tamen non obstante, retinuit in se propositum castitatis servandæ, quantùm posset; & ideo credibile est, contracto Matrimonio (& non in ipso contractu, aut ante, ut volunt aliqui; quia hoc, juxta D. Thomam, noceret bono prolis) inter se convenisse de servanda virginitate: & ideo bene respondit Angelo Filii conceptionem nuntianti: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quia, propter conditionem præfatam de servanda virginitate, vivebat cum Joseph tanquam soror cum fratre. Alii aliter loquuntur in hac materia; sed hic modus conciliandi votum ipsius cum Matrimonio videtur plausibilior.

Si objicias: quomodo Joseph potuit consentire illi conventioni tam arduæ, cùm iniisset Matrimonium ad procreationem prolis, & aliunde laudabile esset in illa lege proles habere, & probrosum carere? Dicam hoc fecisse ex speciali instinctu Spiritus Sancti ostendentis hoc esse quidem probrosum coram hominibus, sed honorificum coram Deo, ubi fieret virtutis causa.

Petes 3. Quænam sint congruentiæ, cur Virgo fuerit nupta?

Resp. Esse sequentes petitas tum ex parte Christi, tum ex parte Virginis, tum ex parte nostra. *Ex parte Christi*, 1. Quia non decebat illum, qui erat Messias ab omnibus audiendus, credendus, adorandus, haberi tanquam filium illegitimum. 2. Ut ejus genealogia, quæ per Matrem non describebatur, describeretur per putativum Patrem. 3. Ut Christus celaretur diabolo, inquit Ignatius Martyr; sed poterat aliunde Deus diabolum, etiam mysterium illud cognoscentem, impedire, ne Christo, adeoque nobis noceret. *Ex parte Virginis*, 1. Ut consuleretur ejus honori. 2. Ne lapidaretur ut adultera, inquit Hieronymus: sed quomodo potuisset lapidari ut adultera, si non fuisset conjugata, & aliunde non esset imposita pœna illa puellæ fornicanti? unde dictum Hieronymi veneror, sed quomodo ipsum explicem, non habeo, nisi contortè dicam cum aliquibus loqui de lapidatione honoris. 3. Ut custodem & ministrum haberet in necessitatibus, ac præsertim in itu & reditu Ægypti. *Ex parte nostra*, 1. Ut testimonio Joseph probaretur Jesum non de fornicaria, sed de Virgine esse generatum. 2. Ut tolleretur Virginibus non ità castè viventibus, prætextus omnis scandali, seu ne levius viverent non curantes diffamari, quia B. Virgo fuisset de fornicatione diffamata. 3. Ut Maria esset Ecclesiæ figura, quæ simul est Virgo & Mater.

Petes 4. An Beato Josepho fuerit revelatum Incarnationis Mysterium, antequam fieret?

Resp. Neg. Quia ut vidit tumentem Virginis uterum, voluit occultè dimittere eam: quod sanè non fecisset, si fuisset conscius Mysterii: unde, ut eam non dimitteret, apparuit ei in somnis Angelus dicens? *Joseph Fili David, noli timere accipe-*

cipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

Petes 5. In qua Domo peractum est Incarnationis Mysterium, an Parentum, an Mariti?

Resp. Probabiliùs in domo parentum; quia, teste Scriptura, necdum eam traduxerat, id est, ut loquuntur Interpretes, necdum Joseph duxerat eam in domum suam, quando deprehendit esse gravidam: nec mirum; quia cum immediatè post desponsationem concepisset, & statim à conceptu abierit cum festinatione in Montana salutatura Elisabeth, nec inde redierit, nisi post tres menses, nempe jam nato Joanne Baptista, cujus Mater erat gravida à sex circiter mensibus, quando Mariam salutavit Angelus Gabriel, ut indicat Scriptura, clarum est non potuisse illam antea traducere.

ARTICULUS V.

Maria Mater Dei.

PEtes 1. Qnid circa hoc senserit Nestorius?

Resp. Pertinaciter negasse B. Virginem esse Deiparam, seu genuisse Deum, voluitque tantùm Christiparam esse dicendam: unde Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Nestorium, ipsum sic loquentem inducit: *Transivisse Deum ex Christiferice Virgine, à sacris litteris sum edoctus: Deum verò ex ipsa genitum esse, nusquam didici.* Nec mirum; cùm enim duas in Christo personas hæreticè admitteret, Divinam unam, humanam alteram, dicebat consequenter solam personam humanam esse à Maria progenitam. Huic circa errorem suum deliberaturo decem dies conceduntur, sed in pertinacia perseverans, hæreticus declaratur, Episcopatu privatur, Dasim relegatur, ubi cum miseriori morte miseram vitam commutavit, scaturientibus, cum adstantium horrore, ex lingua blasphema vermibus.

Petes 2. Qualis fuerit circa hoc mens Nestorianorum?

Resp. Eamdem ac sui nefandi Magistri: admiserunt subdolè, ne haberentur tanquam hæretici, hanc vocem *Theotocos*, id est, Deipara; sed adhærentes soli vocis cortici, significationem negabant: volebant siquidem genitum esse à B. Virgine purum hominem, quem quia ad suum consortium & societatem subvexerat Deus, dicebant ejus Genitricem, hoc sensu esse Matrem Dei.

Petes 3. Quid in hac materia doceat Fides Catholica?

Resp. Docere in Concilio Ephesino, & Lateranensi sub Martino I. Mariam esse verè Matrem Dei, probaturque 1. Ex Scriptura Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Et infra: *Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* 2. Ex Patribus Hilario lib. 9. *Natus igitur Deus ex Virgine homo.* Cypriano lib. 12. contra Judæos: *Ut de Virgine nasceretur homo & Deus, hominis & Dei Filius.* Augustino serm. 15. de tempore: *Quomodo in Regula Fidei confiteremur credere nos in Filium Dei, qui natus est ex Virgine Maria &c.* Hieronymo lib. adversus Helvidium: *Natum Deum esse ex Virgine credimus.* 3. Ratione: quia Maria est verè Genitrix Jesu Christi: sed Jesus Christus est verè Deus, & non prius fuit homo, quàm Deus: ergo. 4. Ex parte ultima Salutationis Angelicæ à Patribus Concilii Ephesini composita; *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis &c.*

Petes 4. Quomodo genuit Virgo Deum, cùm non genuerit Divinitatem?

Resp. Hoc sensu: quia, cùm terminus generationis non sit humanitas, sed homo, C. malè enim dicitur Petrus genuit humanitatem, aut naturam humanam, sed bene, genuit hominem, Filium, Paulum (quæ sunt nomina personæ) ideo B. Virgo, quæ genuit hominem, qui est Deus, eo quòd ipsius humanitas subsistat subsistentia Divina, censetur & genuisse Deum. Præterea si aliæ Matres dicantur verè genuisse hominem, quia generant corpus, cui Deus unit animam à se solo creatam; quidni diceretur Mariam genuisse Deum, cùm genuerit humanitatem, cui eodem instanti conceptionis sese univit Deus?

Petes 5. Ex qua materia formavit B. Virgo Christi corpus? Occasionem dubitandi dederunt SS. Patres, quorum aliqui volunt formasse ex sanguine, alii ex carne; unde Anselmus lib. de Excell. Virginis cap. 12. *Deus qui hominem assumpsit de tua castissima carne.* Et Bernardus exponens illa verba in Homil. 4. super Missus: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, ait: *Fiat caro de carne mea secundum verbum tuum.* Quibus præluxerat Aug. in Ps. 98. ubi ait: *de carne Mariæ carnem accepit.* Nihilominus

Resp. cum D. Thoma, Scoto, Alensi, & aliis communiter, formasse ex purissimo suo sanguine: *Sanguines B. Virginis*, inquit D. Subtilis 3. Dist. 3. q. 2. *De quibus formabatur Corpus Christi, secundum Damascenum cap. 48. cùm nunquam fuerint animati anima alicujus hominis, per consequens nunquam ab anima peccatrice contraxerunt maculam:* & ratio est, quia dicendum est Beatam Virginem ad Christi conceptionem concurrisse, sicut concurrunt aliæ matres, ministrando nempe menstruum, seu, ut honestius loquar, sanguinem: Spiritu Sancto interim ineffabiliter supplente quod deerat ex parte hominis. Ad Patres autem præfatos, respondet D. Thomas 3. d. 3. q. 44. art. 5. ad 1. *Ideo dicitur Christus carnem de Virgine sumpsisse, non quòd materia corporis ejus fuerit actu caro, sed sanguis, qui est potentia caro: quod autem est potentia tale, potest dici absolutè tale.*

ARTICULUS VI.

Maria purificata.

PEtes 1. Quot leges concurrerent in purgatione mulieris à partu?

Resp. Tres, ubi peperisset primogenitum. 1. Enim Levitici 12. declarabatur mulier immunda per 40. dies, ubi pepererat masculum; ubi autem fœminam, per 80. quo tempore nec sanctum poterat tangere, nec Sanctuarium ingredi. 2. Præcipiebatur ibidem, ut, expletis purificationis diebus, accederet ad templum mundanda, ibique pro fœlice partu offerret in gratiarum actionem agnum cremandum, & pullum columbæ aut turturis, pro purificatione, non prolis, sed sui; vel certè, si erat pauper, alterum turturem, aut pullum columbæ: sic accedente Sacerdotis oratione, mundabatur à peccato, non Theologico, sed legali. 3. Ut ob beneficium liberationis à servitute Ægyptiaca (occisis propterea ab Angelo Ægyptiorum primogenitis, ut habetur Exod. 13.) offerretur Deo tanquam ipsi debitus, quilibet primogenitus, & redimeretur quinque siclis, id est, quinque Florenis monetæ Belgicæ.

Petes 2. Quænam erat parturientis culpa, seu potius immunditia legalis?

Resp. Immunditiam illam legalem, seu moralem tunc fuisse imputatam mulieri ob immunditiam naturalem puerperii, id est, ob fluxum sanguinis, menstruorum, aliarumque sordium pluribus diebus, ob quas tanquam impura & irregularis arcebatur à Templo.

Petes 3. An B. Virgo passa fuerit impuritatem illam naturalem?

Resp. Neg. Sed partus ipsius fuit purissimus; nam quia conceperat Virgo sine viro, peperit virgo utero clauso, ita ut Christus uterum non aperuerit, sed sicut postea ad Discipulos intravit januis clausis, ità & clausum uterum penetravit. Quamobrem sanguis, qui fuit alimentum Christi concepti, non effluxit, sed in lac conversus, factus est alimentum Christi nati: unde Augustinus lib. de 5. Hæresibus cap. 5. *Stulte, unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo passa est dolorem?*

Petes 4. An Maria teneretur ad legem illam purificationis?

Resp. Neg. Quia ubi nulla impuritas naturalis, ibi nulla legalis, cùm hæc ex illa oriretur. Deinde lex illa loquitur de muliere, quæ peperit, suscepto prius semine; Maria autem de Spiritu Sancto concepit, non ex homine: unde meritò proscripta fuit hæc propositio nuperrimè ab Alexandro VIII *Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. Maria in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundùm verba legis.*

Petes 5. Cur Maria legem illam sibi & præsertim Filio suo ita injuriosam subierit, cùm per eam haberetur, sicut quilibet alius, peccator?

Resp. 1. Causa humilitatis tum ex parte Virginis, quæ nolebat videri singularis, tum ex parte Christi, qui sicut voluerat ut peccator circumcidi, voluit ut peccator in illa cæremonia haberi. 2. Ad vitationem scandali; cùm enim expediret pro tunc mysterium Incarnationis celari, voluerunt Mater & Filius, ne aliis hoc ignorantibus darent occasionem transgrediendi legem, sese aliis conformare: unde D. Bernardus Serm. 3. de Purific. *Vere ò B. Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum: nam & Filius tuus sic est in numero puerorum.*

Petes 6. An B. Virgo in oblatione secuta fuerit morem divitum, an pauperum?

Resp. Pauperum; quia cum Filius ejus venisset paupertatem practicare & docere, noluit offerri agnum cum divitibus, sed duos pullos columbarum, aut par turturum cum pauperibus,

bus, ut testatur Script. Luc. 2. Sed nunquid magnam auri summam obtulerant Magi? obtulerant; sed quia terrena spernebat Virgo, pauca acceptavit, inquit Abulensis in cap. 2. Matth. q. 42. & ideo brevi consumpsit: vel, ut ait D. Bonaventura, si plura accepit, plura pauperibus distribuerat.

ARTICULUS VII.

Maria semper Virgo.

PEtes 1. An Maria fuerit Virgo ante partum, seu Christum concipiendo? Negarant Ebionitæ & Cerinthiani, qui dicentes Christum purum hominem, dixerunt, etiam natum esse ex concubitu maris & fœminæ. Sed

Resp. Affirm. Patet ex Scriptura Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet*: unde in Concilio Constantinopolitano V. dicitur *Beata Maria semper Virgo*: & in Lateranensi sub Martino V. *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè & secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam semperque Virginem &c. condemnatus sit*. Et ratio est; quia definitur Virginitas: *integritas corporis vacua ab omni libidine carnis & animi*: Sed quæ concepit sine ullo viri coitu, seu ex operante Spiritus Sancti virtute, nec integritatem perdidit, nec libidinem sensit: ergo. Unde quando Scriptura vocat Joseph Patrem Christi, loquitur de patre putativo, eo quòd Pater ipsius diceretur ab omnibus.

Si dicas conceptum sine humano semine non fore verum hominem, quia non erit ejusdem speciei cum cæteris hominibus: Dicam ego primum parentem de terra formatum, vel non fuisse hominem, vel dari posse verum hominem sine concursu seminis: sicut ergo potuit virtus divina primum Adam sine coitu formare hominem de limo terræ; ita potuit secundum Adam creare hominem de Virginis sanguine.

Petes 2. Quænam sint congruentiæ cur Maria conceperit Virgo?

Resp. Sequentes. Prima, ut dignitas Patris, quam habet Pater æternus respectu Verbi, non communicaretur creaturæ. Secunda, ut ille, qui procedit ab æterno ex mente Patris sine corruptione, etiam sine corruptione procederet ex ventre Matris in tempore. Tertia, ut Christus per omnia mundissimus, ex mundissima Matre originem traheret. Quarta, propter mysticam significationem: unde oportebat, ut docet Augustinus lib. de Virgin. ut Caput nostrum per insigne miraculum, secundum corpus nasceretur de Virgine, ut significaret membra sua, de Virgine Ecclesia, secundum spiritum, nascitura.

Petes 3. An Maria fuerit Virgo in partu?

Resp. Affirm. Quia Isaias supra non tantum dicit: *Ecce Virgo concipiet*, sed addit: *& pariet*, unde Augustin. ser. 21. *Virgo genuit, quia Virgo concepit: inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum: & sine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera*. Et Ratio est; quia sicut conceptus est Christus sine fractura secreti genitalis, ità natus est sine fractura uteri materni.

Non defuerunt etiam congruentiæ, cur Maria pepererit *Virgo*. Prima enim fuit, quia non conveniebat illum, qui venerat corruptionem nostram tollere, Matris integritatem nascendo corrumpere. Secunda, quia decebat ut ille, qui est caput & Pater Virginis Ecclesiæ, foret etiam Filius Virginis Matris Mariæ. Tertia, ut illa majoris honoris causa maneret integra corpore, quæ conceperat & pepererat integra mente.

Petes 4. An Maria fuerit etiam Virgo post partum, seu an nunquam cognoverit carnaliter Joseph?

Resp. Nunquam cognovisse. Est de fide ex variis Conciliis, in quibus dicitur *Semper Virgo*, adeoque post partum, sicut ante partum, & in partu; & ideò Augustinus ser. 4. de Nativit. Domini: *Habe Joseph cum Maria conjuge tua communem Virginitatem membrorum, quia de Virgineis membris virtus nascitur Angelorum*: unde perpetua hæc Mariæ Virginitas adumbrata est Ezechiel. 44. ubi legitur: *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

Petes 5. Quomodo stare possit præcedens resolutio, cum dicatur Matt 1. de Maria & Joseph: *Antequam convenirent inventa est &c.* ergo posteà convenerunt. Deinde ibidem legitur: *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*: ergo post partum cognovit.

Resp. cum D. Hieronymo in Comment. super Matth. *Quod dicitur: antequam convenirent, non sequitur ut postea convenerint, sed Scriptura quod factum non sit ostendit*. Unde particula *antequam* non semper denotat aliquid posteà faciendum, ut patet ex sequentibus propositionibus: Mortuus est Antiochus antequam pœnitentiam ageret. Occisus est Petrus antequam urbem intraret. Idem dicendum ad particulam *Donec*, quæ in tantum significat, Joseph ante partum non cognovisse Virginem; an autem posteà cognoverit, necne? nihil determinans: simile quid legitur Gen. 8. *Non revertebatur*, corvus, *donec siccarentur aquæ*; non fuit autem reversus postea.

Petes 6. An Maria habuerit alias proles præter Christum cùm hic dicatur primogenitus?

Resp. Neg. Quia vox *primogenitus* non semper importat alios posteà genitos, cùm possit sumi absolutè & comparativè, sicut vox *primus*: ubi autem sumitur absolutè significat præcisè illum, ante quem nullus natus est, sive interim postea nascantur alii, sive non: & sic sumebatur in lege præcipiente redemptionem primogeniti, ut evidenter patet ex eo, quòd non expectaretur ad faciendam redemptionem, an nasceretur secundus, necne: ubi verò sumitur comparativè, necessariò infert alios fratres postea natos. 1. modo dicitur Christus primogenitus, non 2.

Petes 7. Quomodo in Scriptura dicitur Christus habere Fratres, si virum non cognoverit Mater ejus?

Resp. Quia in Scriptura nonnunquam vocantur Fratres, cognati seu consobrini: unde Fratres Christi hic sumuntur pro filiis sororum Matris suæ: habuit enim Maria pro Sorore Mariam uxorem Zebedæi, cujus filii sunt Jacobus major & Joannes, & Mariam uxorem Alphæi, cujus filii fuerunt omnes in hoc passu Marci 6. nominati: *Nonne iste est Fabri filius & Mariæ, frater Jacobi*, nempe Minoris, *& Joseph, & Judæ, & Simonis?*

ARTICULUS VIII.

Maria moriens & assumpta?

PEtes 1. Quo ætatis anno mortua sit B. Virgo?

Resp. Variare Authores. Alii enim volunt mortuam esse anno 57. Alii 59. Alii 62. Alii 63. Alii probabilius 72. Nam quando Maria peperit Jesum erat 15. annorum, ut ex Evodio Anthiocheno refert Nicephorus; quando mortuus est Filius, qui 33. annis vixit, erat 48. annorum. Fatetur autem Dionysius, qui vidit Mariam morientem, se non suscepisse Christianismum, nisi 28. annis à morte Christi: & sic tunc excesserat saltem sexagesimum sextum ætatis annum.

Petes 2. An Apostoli adfuerint Mariæ morienti?

Resp. Affirm. Excepto unico Thoma. Patet ex D. Damasceno Oratione 2. de dormitione B. Virginis, ubi ex Juvenali Hierosolymorum Archiepiscopo sic loquitur: „ Ex prisca ac
„ vetustissima traditione hoc accepimus quòd gloriosi ipsius
„ obitus tempore, Sancti omnes Apostoli, qui gentilium salu-
„ tis causa terrarum orbem peragrabant, temporis momento
„ per altum abrepti in Jerusalem convenerunt: ibique cùm
„ essent, Angelica ipsis visio contigit, divinusque præstan-
„ tiorum Virtutum cantus auditus est: sicque cùm Divina
„ ac cœlesti gloria in manus Dei animam suam commenda-
„ vit: Dixi *Excepto unico Thoma*; quia inferius addit: Exa-
„ ctis tribus diebus... Apostuli qui aderant, propterea quod
„ unus ex ipsis, Thomas nimirum, qui solus non interfuerat,
„ adorare cupiebat, tumulum aperuerunt.

Petes 3. Qua morte defuncta sit B. Virgo?

Resp. Piè credi defunctam esse vi amoris: cùm enim continuò ad beatam patriam anhelaret, optaretque vehementer *dulcissimis* Filii sui amplexibus perfrui, tandem pro reverentia Matris à Filio exaudita & quasi somno dulci inter suavissimos Angelorum concentus correpta, sanctissimam exhalavit animam. *Ejus autem corpus, quod Deum susceperat, cum Angelico & Apostolico cantu funere elatum apud Gethsemani, in loculo conditum est... quo quidem loco Angeli totos tres dies choros agere, atque canere non destiterunt*, ut prosequitur Damascenus, supra.

Petes 4. An B. Virgo sicut Filius resurrexit?

Resp. Affirm. Et quidem probabilius 3. die. Colligitur ex Damasceno supra, ubi ait: *Cùm autem ipsi* (Angeli) *exactis tribus diebus, canendi finem fecissent, Apostoli qui aderant... tumulum aperuerunt, at sacratissimum illius corpus haudquaquam invenire potuerunt*. Repertis tamen linteaminibus, ex quibus odor ineffabilis dimanabat, ut ait ibidem: unde crediderunt, ut prosequitur, sanctum corpus fuisse incorruptibilitate donatum, ac translatione ante communem resurrectionem honestatum. Quod Gregorius Turonensis, qui floruit 6. Sæculo, confirmat lib. 1. de miraculis: *Iterum adstitit... Dominus susceptumque corpus sanctum in nubem, deferri jussit in Paradisum, ubi nunc, resumpta anima, cum electis ejus exultans, æternitatis nullo occasuris fine perfruitur*. Et certè mirum esset corpus Mariæ, quod fuit Templum Verbi Divini tabernaculum & thalamus Dei, fuisse aliquando escam vermi[illegible]

cor-

corruptionis prædam, & horrendæ putredinis reliquias: credat qui voluerit; non credam ego: contrarium insinuat amor & honor Filii gratissimi, & aliunde dignitas, & sanctitas Matris amantissimæ; unde Doctor Seraph. in Spec. B. Mariæ. *Hoc corpus est arca sanctissima Dei, quam decuit non putrefieri, sed ad tactum Filii sui, ante omnem putrefactionem suscitari, unde tam de Filio, quam de Matre notabiliter ait Propheta: Surge Domine in requiem tuam, Tu & Arca sanctificationis tuæ.*

Petes 5. An Beata Virgo fuerit corpore in Cœlum assumpta? Dico *corpore*; quia secundum animam super omnes beatarum mentium ordines esse sublimatam, nullus Catholicorum dubitavit.

R. Affirm. Quia id insinuat Traditio Ecclesiastica, Patrum Latinorum, & Græcorum consensus, Officium illius diei, Antiquissimæ Liturgiæ, Martyrologia vetustissima, Græcorum Meneæ seu Menologia: quibus accedit ratio Theologica; si enim resurrexit B. Virgo, ut diximus, nec postea legitur mortua, aut in terris commorata, in Cœlum assumptam esse, tam secundum corpus; quam secundum animam, concludendum est: unde Petrus Damianus Serm. de Assumpt. *Tota conglomeratur Angelorum frequentia, ut videat Reginam sedentem à dextris Domini virtutum in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdata varietate, virtutum multiplicitate distinctam.* Et Bernardus Serm. 4. de Assumpt. *Tempus loquendi est omni carni, cùm assumitur incorrupti Verbi Mater in cœlum: nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis sola natura supra immortales Spiritus exaltatur in Virgine.* Similia leges ferè apud omnes Patres.

Scio aliquos in contrarium intrudere S. Hieronymum in quodam Sermone, cujus initium est: *Cogitis me ò Paula & Eustochium*, ubi legitur: *Multi nostrorum dubitant utrùm assumpta fuerit simul cum corpore, an obierit, relicto corpore?* Sed etiam scio Sermonem illum (in quo unico fundantur Ado & Usuardus dubitantes) non esse Hieronymi: nam ut alia plurima taceam, Author in illo Sermone adhortatur Paulam ut caveat ab Heresi Nestorii & Euthychi cæpit autem Nestoriana Heresis anno 428 & Eutichiana 448. Paula vero mortua est 404. ut colligitur ex ejus Epitaphio quod refert ipsemet Hieronymus. Imo quomodo scripsisset sermonem illum anno 448. cùm mortuus sit anno 420. ut patet ex Chronico S. Prosperi.

Petes 6. An sit de fide B. Virginem esse corporaliter in cœlum assumptam? Affirmant aliqui sed negat communior sententia, inquit Frassen, dicens esse proximum fidei ob Traditionem Ecclesiasticam, & piam fidelium credulitatem non tamen de fide, cum non legatur Apostolis aut aliis revelata, sed quomodo quadret ejus sententia cum Facultate Parisiensi hanc propositionem, Marcelli prædicatoris condemnante ut hæreticam 1497 nempè, *Nos non tenemur credere sub pœna peccati mortalis, quòd Virgo fuit assumpta in corpore & anima, quia non est articulus fidei*, certè non video: & tamen censuram laudat & approbat; sed vult non condemnari dictam propositionem ut hæreticam, quasi esset hæreticum dicere Mariam non esse corporaliter assumptam, sed quia dixerat Marcellus non esse hoc credendum sub mortali, quia non est articulus fidei quasi verò teneremur alia credere sub mortali, seclusis aliis inconvenientiis, ac legis alicujus transgressione, quàm quæ sunt de fide unde credentem non esse jejunandum in Quadragesima, si tamen de facto jejunet, nec quemquam scandalizet, non condemnarem peccati mortalis: quidquid dicat ille ut se ab illo labyrintho expediat modò non dubitet esse in Ecclesia potestatem obligandi ad jejunandum.

SECTIO III.

Christus conceptus.

PEtes 1. An Christus conceptus sit de solo Spiritu Sancto?

Resp. Neg. Sed ejus conceptio ineffabiliter formata est à tribus Personis Divinis, nam, cùm opera Trinitatis ad extra sint indivisa, necesse fuit, ut operante Spiritu S. operaretur & Pater, operaretur & Filius, eo quòd sicut est tribus unica natura, ita & unica operatio: unde sicut si esset tribus hominibus unicus oculus, necesse esset, ut, uno vidente, viderent alii, ita necesse est hic propter unitatem operationis ut una Persona operante, operentur & aliæ.

Petes 2. Quare conceptio Christi specialiter tribuatur Spiritui Sancto?

Resp. Propter varias rationes: 1. Quia Spiritus Sanctus est amor Patris & Filii, hoc autem opus est præstantissimum amoris in nos Divini argumentum: unde Bernardus *Scias amoris fuisse quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est*, 2. Quia Spiritui Sancto tanquam omnium beneficiorum fonti attribuuntur gratiæ omnes, gratiarum dona, gratiarum divisio, hoc autem mysterium est omnium gratiarum in nos redundantium scaturigo, de cujus plenitudine accepimus omnes. 3. Quia sicut Patri appropriatur potentia, Filio sapientia, ita & Spiritui Sancto Bonitas, bonitatis autem, imò & summæ bonitatis opus esse Incarnationem, quis neget, & attendit Deum dedisse totum quod poterat, nempè Filium suum unigenitum? 4. Quia cùm ad intrà (Patre producente Filium Patre & Filio Spiritum S.) sit sterilis Spiritus Sanctus, non immeritò tribuitur illi ad extra productio illius, quo post Deum, nihil sublimius, nihil dignius, nihil præstantius.

Petes 3. An Christus melius dicatur conceptus *ex Spiritu Sancto* quàm *de Spiritu S.*?

Res. Affirm. Cum D. Thoma; quia particula *De* potius significat habitudinem constantialitatis, seu quòd productus habet aliquid de substantia producentis, ut cùm dicimus: *Factus est de semine*, nihil autem habuit corpus Christi de substantia Spiritus Sancti. Particula verò *Ex*, tantum denotat propriè habitudinem ad causam efficientem, sivè interim productus aliquid habeat de substantia ejus, sive non. Dicitur tamen Christus *conceptus de Spiritu Sancto*, quia tunc ly *De* sumitur pro præpositione. *Ex*

Petes 4. Quid egerit Spiritus Sanctus in conceptione Christi?

Resp. Non accepisse aliunde semen viri ut in uterum Virginis transferret ut somniarunt aliqui, aliàs Christus esset Filius illius viri cujus semen esset; imò magis Filius talis viri quam Mariæ, cùm homo magis dicatur Filius patris, propter virtutem activam, quàm matris. Non refert quod vir ille non cognovisset carnaliter Mariam; quia nihil aliud confert coitus nisi ut misceantur semina quæ hic supponuntur aliundè mixta unde nati ex Dæmonibus incubis, non dicuntur Filii Dæmonum, sed virorum, de quorum semine concepti sunt. Nec etiam dici debet conceptum esse de semine supernaturaliter creato quia cùm tunc magis pertineret ad illud semen, quam ad B. Virginem, non diceretur simpliciter Filius David & ideo dicendum est Spiritum Sanctum operatione supernaturali, nullo interveniente naturali agente, sive principali sivè instrumentario, temperasse, digessisse, & formasse sanguinem Virginis, donec corpus perfectè organizatum est, sicut semen virile facturum erat, si ibi commixtum fuisset.

Petes 5. An Spiritus Sanctus possit dici Pater Christi?

Res. Propriè loquendo, Neg. Quia ad filiationem duo requiruntur, 1. generatio propriè dicta, qualis competit animalibus, & ideò ignis ex alio igne generatus, non dicitur filius. 2. Similitudo inter generantem & generatum, & ideò licèt homo immediatè producatur ex semine, quia tamen non est similis semini, sed homini, dicitur filius hominis non seminis. Hic autem neutrum intervenit respectu corporis Christi; non quidem generatio propriè dicta, ut per se patet non etiam similitudo, quia licèt Christus sit similis Spiritui Sancto secundùm Divinitatem, non tamen secundùm humanitatem, secundùm quam à Spiritu Sancto producitur. Dicuntur quidem homines à Deo producti, *Filii Dei*, sed impropriè eò quòd sint aliqualis Dei imago.

Petes 6. An Christus fuerit in instanti conceptus?

Res. Affirm. Si excipiantur saltem quædam præambula, scilicet motus localis sanguinis ad locum generationis; hoc enim supposito, eodem instanti formata est membrorum figura, unita est corpori anima, ac utrumque Verbo divino. Patet ex eo, quod ipso die Annunciationis, seu eo die quo Angelo mysterium annuntianti consensum dedit Virgo his ex verbis *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, celebretur Christi Incarnatio; ergo saltem eo die fuit inchoata & peracta Christi conceptio: si autem eodem die, contrà omnem naturæ exigentiam, quidni eodem instanti, cùm inde nulla sequatur implicantia, undè Anastasius Papa in fragmento Epistolæ quæ habetur in 2. Tomo Concil. *Simul atque Virgo protulit ea verba: Ecce ancilla Domini, conceptio carnis, & infusio animæ, & assumptio fuerunt absoluta.*

Petes 7. An Christus ab initio conceptionis habuerit usum rationis?

Resp. Affirm. Quia *Christus ingrediens mundum*, nempè per humanitatis assumptionem, dicit: *Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio*, Hebr. 10. non potuisset autem ex tunc se Deo immolare, nisi usum rationis habuisset. Præterea usus ille requiritur ad actionem meritoriam, cùm debeat esse libera, sed meruit Christus ab initio conceptionis ad mortem usque, ut diximus superius: ergo undè D. Bernardus Homil. 2. *Super missus: Vir erat Jesus necdum*

etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum, Neque enim minus habuit sapientiæ Jesus conceptus quam natus, parvus quam magnus.

SECTIO IV.

Christus natus.

PEtes 1. Unde factum est quòd Christus natus sit in Bethleem, cùm domicilium Parentum esset in Nazareth?

Resp. Quia Octavianus Imperator jusserat describi orbem universum nempe Romanum; ut autem describerentur Joseph & Maria, descenderant de Nazareth in Bethleem, quæ erat caput Familiæ David, seu Tribus Juda, ex qua erant Joseph & Maria; quia tenebantur omnes civitatem, quæ erat caput suæ Tribus, describendi adire. Porrò, cùm non reperissent ibi locum in diversorio, ob ingentem hospitum propter eamdem causam adventantium multitudinem, coacta est B. Virgo pernoctare cum Joseph in stabulo, ubi circa mediam noctem, Infantem Divinum, gaudium Angelorum & salutem hominum, castis effudit visceribus.

Petes 2. Cur potiùs voluerit Christus nasci in Bethleem quàm alibi?

Res. Variis de causis. 1. Ut impleretur Prophetia quæ de ipso dixerat Matth. 2. *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israel.* 2. Ut ostenderet se esse de semine & familia David, cujus familiæ caput erat Bethleem, ut diximus, quia in eo loco fuerat David natus & educatus. 3 Humilitatis causa, volens in urbe minima nasci, & in urbe maxima ignominiosè mori: unde S. Leo serm. 1. de Epiphan. *Qui servi susceperat formam, & non judicare venerat, sed judicari, Bethleem prælegit nativitati, Jerosolymam Passioni.* 4. Mysticè; quia Bethleem interpretatur *domus Panis*, ille autem erat panis vivus qui de cœlo descendit.

Petes 3. Quid fecerit Maria videns puerum natum?

Res. Traditur, inquit Ribadeneira in Festo Nativitatis B. Virginem (verba sunt Cornelii à Lapide) mox ut vidit Christum in lucem editum, admirantem Deum humanatum, & ad carnem infantilem humiliatum, coram eo in terram se prostravisse, atque hisce verbis cum profundissima reverentia & cordis jubilo eum salutasse: *Exoptatus ades Deus meus, Dominus meus, & Filius meus*, non dubitans se ab eo, licèt infante, intelligi: sicque eum adorasse, osculando pedes illius quasi Deo, manus quasi Domino, & faciem quasi Filio.

Petes 4. An locus in quo natus est Christus, fuerit stabulum domus rusticanæ? Affirmant aliqui: sed

Res. Cum D. Hieronymo, qui hujus rei fuerat testis oculatus, fuisse speluncam in rupe excisam: *Ecce in hoc parvo terræ foramine*, inquit Epist. 18. ad Marcellam, *Cœlorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic adoratus à Magis.* Dicitur autem Luc. 2. fuisse reclinatum in præsepio, quia in spelunca illa erat præsepe ligneum omnibus pastoribus notum & commune, quod reverentiæ causa, etiam nunc Romæ in Basilica S. Mariæ Majoris asservatur & colitur.

Petes 5. Quot fuerunt Pastores Christum adorantes & quot Angeli laudantes?

Resp. Tres fuisse Pastores, ut docet D. Bernardus serm. 6. de Nativit. dicens tot fuisse, quot fuerunt Magi adorantes: quod fortè desumpserat ex vetustissimo Chronico Lucii Dexteri, ubi legitur; *Anno urbis Romæ 752. Christus nascitur: tribus Pastoribus (qui fuerunt Sancti) primùm ostenditur*: unde circa locum ubi apparuit illis Angelus, ædificata fuit Ecclesia trium Pastorum.

Quantùm ad Angelos, dico adfuisse omnes, ut insinuat Scriptura Hebræ. 1. *Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Et ità senserunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius & alii: unde tunc spelunca fuit Angelis plena ac quasi in cœlum versa: omnes enim de cœlo in terram descenderant, Regem suum comitaturi, ac Deum suum humanatum adoraturi.

Petes 6. Quare natus sit de nocte, in hyeme, & cùm dies incipiunt crescere?

Res. Natum esse de nocte, ut illuminaret sedentes in tenebris & umbra mortis: in hyeme ut patiendo incommoda frigoris nos calefaceret igne sui amoris: in dierum accremento, ut lux fidei & gratiæ cresceret in cordibus hominum?

Petes 7. Quare celebrentur tres Missæ, ab uno Sacerdote in die Nativitatis Domini?

Resp. Ad repræsentandum triplicem Verbi Divini Nativitatem, æternam in mente Patris secundùm Divinitatem, temporalem in utero Matris secundùm humanitatem, & supernaturalem in corde hominis per gratiam. Missa nocturna repræsentat temporalem in medio noctis peractam: Matutina gratiosam, eò quòd expulsis peccatorum tenebris, nascatur Deus in cordibus nostris per auroram gratiæ. Diurna æternam, quæ procedit ex Patris Divini cognitione semper clara, splendenti, & luminosa.

SECTIO V.

Christus circumcisus.

PEtes 1. An Christus teneretur ad legem Circumcisionis.

Res. Neg. Vel enim consideratur Circumcisio ut erat signum distinctivum posterorum Abrahæ ab aliis, & ut sic tantùm obligabat descendentes ex Abraham per viam ordinariam seminalem qualiter non descendebat Christus: Vel ut erat Remedium contra Originale: Christus autem, cùm non incurrerit mortiferam hanc infirmitatem, etiam non indiguit illo remedio.

Petes 2. Cur ergo voluerit Christus admittere Circumcisionem?

Res. Cum D. Thoma, ob varias rationes. 1. Ut ostenderet veritatem carnis assumptæ. 2. Ne videretur contemnere cæremoniam à Deo institutam. 3. Ut crederetur filius Abrahæ. 4 Ne eum incircumcisum repellerent Judæi. 5. Obedientiæ relicturus nobis exemplum. 6. Ut quia similitudinem carnis peccati assumpserat, remedium, quo peccati caro mundaretur, non respueret. 7. Ut in se onus legis veteris admittens, alios ab illo onere liberaret: unde ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.* Sed præsertim, ut sua humilitate superbiam nostram retundderet, qui volumus haberi justi dum sumus peccatores: ipse autem, cùm esset omnium Dominus, non solùm formam servi accepit in Nativitate, sed etiam, cùm esset justissimus, formam peccatoris accepit in Circumcisione.

Petes 3. Quo nomine fuerit appellatus?

Res. Vocatum esse Jesum: & quidem valde congruenter, cùm enim ipse veniret tanquam Messias salvaturus quod perierat, voluit Deus, ut nomen conveniret operi id est, vocaretur *Jesus*, quod interpretatur *Salvator*. Talem verò fuisse Dei intentionem, inde patet, quod postquam Angelus prænuntiaverat Joseph sanctum illud Nomen, statim subjunxerit causam: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1.

Petes 4. Quot sint hujus Nominis excellentiæ?

Res. Varias admodum, sed tres præsertim, nempe quòd sit salutiferum amabile, mirabile. *Salutiferum* quidem, cùm non sit aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri: unde Ps. 110 dicitur: *Sanctum Nomen ejus.* Et certè quid eo salubrius? cùm sit in via salutis sitientibus aqua viva; famelicis esca salutaris; infirmis medicina; mortuis vita laborantibus requies; certantibus corona; peccatoribus frenum. *Nihil ità iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ &c.* inquit Bernard. serm. 15. in Cant. *Amabile* verò; cùm teste D. Bernardo sit *Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.* Hujus Nominis amore inflammati Martyres spernebant temporalia, ridebant supplicia, vincebant omnia. In hujus victoriæ signum tertio amantissimum illud Nomen iteravit Apostolus truncato capite. *Mirabile* denique; cum per ipsum innumerata, imò omnia patrentur miracula: unde S. Petrus Chrysolog. serm. 144. *Hoc Nomen dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus Nominis effugavit*

SECTIO VI.

Christus à Magis adoratus.

PEtes 1. Quot & qui erant Magi illi?

Res. Fuisse probabiliùs tres, non quia tria munera obtulerunt nempe aurum, thus, & myrrham cùm potuerit quilibet ista tria offerre, imò verisimilius sit obtulisse (nam dedecet Reges, quales erant isti solam myrrham, aut thus, in Arabia, unde venerant, valdè communia tanquam munus Regi Regum offerre, præsertim cùm ideo ex longinquo venirent cum magno apparatu) sed quia talis est traditio, & quidem ita apud omnes recepta, ut nullibi legatur, quòd sciam plures fuisse, aut pauciores. Erant autem Reges non quidem ita potentes ac Rex Galliæ, aut Hispaniarum, sed sicut Reges illi de quibus Genes. 14 ubi dicuntur quatuor Reges pugnasse adversus quinq; & hos quinque fuisse ab Abraham superatos Hi autem tantù erant Reguli seu supremi in certa Provincia, & quidem

dem exigua, & fortè solùm in aliqua urbe. Porrò vocantur Magi, non quia malefici, sed quia in Philosophia & maximè in Astrologia sapientes erant, quos etiam Persæ Magos vocabant.

Petes 2. Unde oriundi erant Adoratores illi?

R. Varios varia sentire: alii volunt fuisse Indos, alii Persas, alii Chaldæos, alii Mesopotamios; sed verisimilius est fuisse Arabes. 1. Quia vaticinium Isaiæ cap. 60. id videtur insinuare, cùm dicit Sabæos Madian, & Epha venturos ad Christum cum muneribus: Illi enim erant ex Arabia felice, nam Saba, Madian, & Epha tres filii Abrahæ ex Cetura à Patre suo separati discesserunt ad plagam Orientalem, fueruntque felicis Arabiæ, in qua abundant aurum, thus & myrrha, quæ fuerunt munera Domino præsentata. 2. Quia Ecclesia in officio Epiphaniæ videtur vaticinium illud Isaiæ sic interpretari: unde sæpius repetit, *Reges Arabum & Saba*, sicut, *Reges Tharsis* id est, maris Rubri, quod est in Arabia. 3. Quia Persia, Chaldæa, & India magis distant, ut indè potuerunt 13. dierum spatio Hierosolymam venire, etiam Dromedariorum ope: fuisse autem Divinitus per aera translatos sicut Habacuc ad Danielem, non est apparentia, cùm non fuisset ipsis opus stella ductrice; & aliundè non ivissent Hierosolymam de loco inquisituri.

Petes 3. Quid fuerit stella quæ Magis apparuit, eosque conduxit? aliqui volunt fuisse Spiritum Sanctum, alii Angelum; sed hæc nullo nituntur fundamento. Alii cum majori fundamento fuisse unum de septem Planetis, vel de stellis fixis in Firmamento. Sed

R. Nec fuisse unum ex illis, verùm, ut docet D. Thomas 3. part. qu. 36. artic. 3. stellam aut quasi stellam de novo creatam, formatamque, non in cælo, sed in aere terræ vicino, quam probabiliùs movebat Angelus, sicut olim movebat Angelus columnam ignis, quæ conducebat Israelitas per desertum. Ratio Responsionis est, quòd stella illa apparens, in multis differret ab aliis fixis aut erraticis quarta die creatis; nam 1. Statim ut videbatur, apparebat quid insolitum. 2. Quia æqualiter apparebat de die ac de nocte, imò fortè tantùm de die, cùm nocte quiescerent Magi. 3. quia movebatur motu recto & plano proportionatè ad viam, aliæ autem motu circulari. 4. Quia valdè erat terræ propinqua ut itinerantes dirigeret in bivio aut trivio. 5. Quia non sicut aliæ stellæ continuò movebatur, sed movebatur cùm incederent, stabat dum quiescerent. 6. Quia stellæ moventur unica nocte ab Oriente in Occidentem; illa autem, solùm tredecim dierum spatio ab Arabia in Bethleem. 7. quia cæteræ semper durant; illa autem, perductis ad Jesum Regibus, quasi jam peracto ostensionis Christi officio, evanuit. 8. quia sydera omnia superabat decore & lumine: unde S. Leo Serm. 1. de Epiph. *Tribus magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorque syderibus in se intuentium oculos, animosque converteret, ut confestim adverteretur non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.*

Petes 4. Quomodo nosse potuerunt Magi ex stellæ illius apparitione natum esse Christum?

Responderunt aliqui, teste Chrysostomo super Matth. stellam istam habuisse formam pueri pulcherrimi, qui dixit Magis: Ite velocius in terram Juda, & ibi reperietis Messiam natum: sed fabulosa sunt illa; & ideo dicendum est id cognovisse ex revelatione Divina seu, suggerente interiùs Spiritu S. quia, ut ait S. Leo serm. 4. de Epiph. *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inveniendum obtulit requisitus.*

Petes 5. Quomodo Magi ausi fuerint venire in Judæam, Christum ut Regem adoraturi, vivente ipso Herode, cùm esset ipsi injuriosum alium Regem in eodem Regno agnoscere?

R. Id fecisse, quia sciebant illum, à quo movebantur, & ad quem dirigebantur, esse Deum, & consequenter nihil esse timendum; nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Unde fortè dicebat quilibet infra se: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Psalm. 117. quod de facto evenit; nam cùm, adorato Infantulo JESU, immineret ipsis periculum ab Herode, qui statuerat ipsos occidere, nisi Christum proderent, admonuit ipsos Angelus, ut per aliam viam reverterentur.

Petes 6. Quare Magis intrantibus Jerusalem stella fuit occultata?

Respondent aliqui, quia metuerunt Magi stellam perdere inquirendo, ubi natus esset JESUS, cùm recurrerent ad adjutorium humanum, dum haberent Divinum; sed hoc non stat, cum priùs disparuisset stella, quàm inquirerent: unde dicendum est, Deo ordinante occultatam esse stellam, ut Magis inquirentibus, adeoque Christi nativitatem annuntiantibus in urbe illa, ad quam conveniebant Judæi omnes, ut in templo, quod unicum erat in tota Judæa, adorarent, fierent omnino ipsi Judæi inexcusabiles de Messiæ adventu. Alia ratio occultationis fuit, quia non expediebat, ut Christi nativitas tam apertè revelaretur, ne Herodes voluisset perdere puerum.

Petes 7. Quare obtulerunt Magi aurum, thus, & myrrham?

R. Quia Christus erat simul Rex, Deus, & Homo: aurum autem convenit Regi ditando, thus Deo adorando, & Myrrha homini sepeliendo: Unde Gregor. Homil. 10. in Evang. *Magi aurum, thus, & myrrham deferunt: aurum quippe Regi congruit, thus verò in Dei sacrificium ponitur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant: auro Regem, thure Deum, myrrha mortalem.*

SECTIO VII.

Christus fugiens in Ægyptum, & inde rediens.

Petes 1. Quando & unde fugit Christus in Ægyptum?

Resp. Prima fronte ex textu Matth. 2. apparere fugisse statim à recessu Magorum, adeoque ex Bethleem: *Qui cùm recessissent*, inquit, *ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: surge & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum . . . . qui consurgens accepit puerum &c.* ita ut inter recessum Magorum, & discessum Joseph cum Matre & puero nulla videatur mora, saltem notabilis. Sed obstat quòd quadragesimo die à Nativitate, Christus fuerit oblatus in templo, & postea reversi sint Parentes in civitatem suam Nazareth, ut habetur Luc. 2. Quantùm autem temporis Christus manserit ibi ante fugam in Ægyptum, incertum est; satis tamen credibile est fugisse ex Nazareth secundo mansionis anno quasi completo: hocque inde colligitur, quòd Herodes occidit pueros à bimatu, id est, qui duorum erant annorum, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Credideram autem Angelum non diu ante monuisse Joseph de fuga:

Petes 2. Ad quid fugit Christus, cùm tantùm occidendi essent pueri in Bethleem, & in finibus ejus, nulli autem in Nazareth?

R. Quia etiam ibi manendo, erat periculum; cùm dicat Angelum: *Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Cur autem ibi esset, & unde oriri deberet periculum illud? non satis apparet, nec declarat Evangelista. Verisimile est tamen inde eventurum esse, quòd aliquis Bethleemiticus forte absens tempore occisionis puerorum Innocentium, dicturus esset postea Christum non esse in Bethleem sed in Nazareth, ubi fuit quæsitus, sed audito quòd fugisset, sedatus est Herodis furor.

Petes 3. Quid acciderit Christo in Ægyptum properanti, & ibi commoranti?

Resp. Varia admodum referri ex libro quodam apocrypho *De infantia Salvatoris*; sed, relictis fabulosis illis, pauca referemus ex Authoribus probatis 1. Christo in Ægyptum intrante, ut refert Tostatus inclinavit se arbor Palmæ præcelsa ut Christum transeuntem veneraretur, ut vult Sozomenus, vel etiam ut ejus Parentes dactylos inde colligerent, ut asserit Tostatus: quæ ab Idololatris succisa, sequenti nocte erecta est, & consolidata. 2. Dum Jesus ingrederetur Heliopolim urbem Ægypti, in qua mansit, teste Anselmo & aliis cùm non haberet quò diverteret, subiit fanum quoddam, ubi erant Idola 365. juxta numerum dierum anni, quibus omnibus cultus divinus exhibebatur: quæ omnia, intrante Christo corruerunt, ut refert idem Tostatus: nec mirum; si enim olim ad ingressum Arcæ Domini corruit Dagon quidni ad ingressum ipsiusmet Domini corruerent alia idola? Quod videtur prænuntiasse Isaias cap. 19. ubi ait *Ascendet Dominus super nubem levem*, id est, humanitatem, in qua Deitas latebat, quasi operiretur nube, *Et ingredietur Ægyptum, & movebuntur Simulacra Ægypti*, seu Idola. 3. fertur inter Heliopolim & Babylonem Ægypti esse fontem parvum, in quo B. Virgo benedictum Infantem, ac pannos ejus quandoque abluebat: qui fons dicitur esse in magna apud Christianos, imò & Saracenos veneratione ad hæc usque tempora, eò quòd irrigans hortum vicinum, faciat balsamum germinare, quòd non possunt aquæ vicinæ.

Petes 4. Cur potius fugerit Christus in Ægyptum, quam in aliam Regionem.

Resp. 1. Ut obediret Deo per Angelum dicenti: *Fuge in Ægyptum.* 2. Ut adimpleretur Scriptura dicens: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Cur autem Deus sic ordinaverit (non enim ideò factum est, quia scriptum; sed ideò scriptum quia fieri debebat) non aperiunt Evangelistæ: dici tamen potest, potius decretam fuisse fugam in Ægyptum, 1. quia via, utpotè minùs frequentata erat secretior. 2. quia cum ratione

P 2 ma-

magni deserti intermedii, iter esset difficile, non relinquebat ullam Herodi suspicionem de loco fugæ, quia voluit Christus sua præsentia honorare Patriam, in qua dilecti Patriarchæ Abraham & Jacob, ex quorum stirpe descendebat, habitaverant 4. ut gentem illam superstitiosam ac Idolorum cultui maximè debitam purgaret: unde S Leo Serm. 2. de Epiph. *Tunc etiam Ægypto Salvator illatus est, ut gens antiquis erroribus dedita, jam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur & quæ nondum ejecerat ab animo superstitionem jam hospitio reciperet veritatem.*

Petes 5. Quot annis moratus sit Christus in Ægypto?

Resp. Certum esse, defuncto Herode, ex Ægypto in Nazareth rediisse, unde dictus est *Nazareus*, quia ibi conceptus & educatus; sed quo ætatis anno incertum est. Alii volunt 9. Alii 7. Alii 5. Verisimile est tamen fuisse in Ægypto per biennium Deoque inde recessisse. 4. Circiter ætatis anno, quia defunctus est Herodes paulò post cædem Innocentium, ut patet ex Macrobio, ac paulo post regnavit Archelaus, quo regnante in Judæa, rediit Christus in Galilæam, ubi regnabat Antipas Archelai frater.

SECTIO VIII.

Christus perditus, quæsitus, & inter Doctores inventus.

PEtes 1. Cur ascenderet Christus cum parentibus Jerosolymam, adoraturus, cùm posset adorare in Nazareth.

R. Quia ter in anno, nempe in Pascha, Pentecoste, & Scenopegia, debebant omnes masculi comparere coram Domino, ut patet Exo. 23. & Deuter. 16. sed quia cum illis qui longè distabant à Jerusalem, cujusmodi erant Galilæi, dispensabatur de duobus ultimis; ideo sufficiebat Christo adorare in Jerusalem semel in Paschate: quod, licèt non obligatus, religiosè observabat; quia non venerat legem solvere, sed adimplere.

Petes 2. Quomodo ausus sit Christus ire in Jerusalem vivente Archelao Filio Herodis infanticidæ?

R. 1. Quia prænoverat se Deo, cujus negotium erat in templo coram Doctoribus peracturus, esse cordi & curæ. 2. quia illo tempore actus erat in exilium Archelaus ab Augusto Cæsare, ut testantur Historiæ, sicque nihil erat ab eo timendum.

Petes 3. Quomodo Maria & Joseph potuerint perdere illum, cujus curam omnimodam gerebant?

R. Inde factum esse, quòd viri irent & redirent seorsim à mulieribus, & mulieres seorsim à viris, ut magis religiosè & sanctè Festum solemnizarent: Pueri autem poterant ire indifferenter in comitatu virorum, vel mulierum; & ideo ut advertit Joseph puerum non esse secum, credidit esse cum Maria: similiter Maria non videns illum, credidit esse cum Joseph: unde sine sollicitudine peregrinati sunt usque ad vesperam, tantumque in hospitio adverterunt esse perditum.

Petes 4. Ubi Christus cum Doctoribus disputans sederet?

R. In loco humiliori quasi Discipulus: ipsum quidem exponit Lucas c. 2. *Sedentem in medio Doctorum*, sed est phrasis Hebraica æquivalens huic latinæ: *Inter Doctores*. Porrò, juxta Ambrosium, in tres classes dividebantur assistentes: primam occupabant Seniores in cathedris, de quibus fuit locutus Christus dicens: *Amant primas Cathedras in Synagogis*: Secundam non ita venerabiles, in sedibus inferioribus tertiam sub eorum pedibus tenebant discipuli in storeis, & hunc locum tenuit humilis Christus, saltem ab initio; quod addo, quia tenent aliqui fuisse postea, ob sapientiam inauditam, in primariam cathedram translatum.

Petes 5. Quam personā sustinuit Christus in illa conferentia?

R. Sustinuisse personam interrogantis; quia præcipuè venerat humilitatem docere, Pharisæorum superbiam retundere. Nihilominus interrogando docebat, quia sapienter interrogare, tam docti & docentis est, quàm sapienter respondere, ut ait Origenes. Interrogans autem Doctores, vicissim à Doctoribus interrogabatur: quibus ita plenè satisfaciebat, ut omnes, qui eum audiebant, mirarentur super prudentia & responsis ejus: & certè quis non miraretur quòd puer duodennis, Fabri Filius, qui nunquam scholas frequentaverat, adeò versatus esset in Scriptura Sacra, tam sapienter quæreret, tam acutè responderet, ut & Doctores ipsos superaret? undè meritò dicere poterat cum Psalmista Ps. 118. *Super omnes docentes me intellexi.* Et paulò post: *Super senes intellexi.*

Petes 6. Qua de re tractavit Christus in illa conferentia?

R. Probabiliùs tractasse de Adventu Messiæ, exponendo Prophetarum Oracula, ac Prophetias de tempore quo veniret Christus: ne inopinata, inquit quidam Interpres, Doctoribus esset ejus manifestatio; sed ut ex hisce indiciis; quasi scintillis, postea prædicans, & miracula patrans, facilius ab eis velut Messias reciperetur.

Petes 7. Quid dicendum de verbis Marię ad Jesum, *Fili quid fecisti nobis sic*, & quid de Verbis Christi ad Matrem: *Quid est quod me quærebatis?*

R. Mariam non protulisse verba illa publicè in præsentia Doctorum, sed vel secretò eum evocando, vel consessu dimisso. Non fuerunt tamen verba objurgantis, cùm Filium suum veneraretur ut Dominum, sed Matris dolentis & Filium dilectum videre impatientis. Verba autem Christi fuerunt instruentis, & factum suum defendentis, quasi diceret: An putatis me semper fore vobiscum, an nescititis me præsertim propter negotia Patris, ac hominum salutem & instructionem in mundum venisse? me seduxi, vobis immonitis, ut sciatis, etsi velim in iis quæ hominis sunt, vobis subesse, in iis tamen quæ Salvatoris sunt, debeam solius Patris voluntatem adimplere.

SECTIO IX.

Christus Baptizatus.

PEtes 1. Cur voluit Christus baptizari?

R. Ob tres præsertim causas 1. ut aquas mundaret, sicque materiam Sacramenti baptismatis quasi sanctificaret: undè Aug. in quodam Serm. de Epiph. *Salvator ideò baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret* 2. ut ipse exteriùs secundùm membra physica lavatus, interius membra sua mystica lavaret. 3. humilitatis ergo; ut qui apparenter naturam peccatricem præferebat, etiam remedia naturæ peccatricis exteriùs reciperet: undè Chrysostomus super Matth *Ad hoc ad Baptismum venit, ut qui humanam suscepit naturam, totum humanæ naturæ inveniatur implesse mysterium.* 4. Exempli causā, cùm enim venerit facere & docere; priùs voluit baptismum suscipere, quàm nobis præcipere: & ideo Aug Serm de Epiph. *Ideò baptizari voluit, ut faceret, quod faciendum omnibus imperabat.*

Petes 2. quomodo potuit baptizari Christus baptismo Joanni, cùm in illo baptismo fieret peccatorum confessio, juxta illud Matth. 3. *Baptizabatur ab eo confitens peccata sua*: Imò hæc erat illius baptismi forma. *In eum qui venturus est*, id est, ipsummet Christum?

R. Confessionem peccatorum non debuisse necessariò baptismum illum præcedere, sed, vel pręcedere, vel subsequi, cùm autem in ipsomet baptismo (si non antè) cognoverit Joannes Christum per descensum Spiritus Sancti, in forma columbæ, & per vocem Patris dicentis. *Hic est Filius meus dilectus*, &c. Joannes nullam ab eo sivè specialem, sive generalem exegit confessionem, quia sciendo esse Christum, sciebat esse Agnum sine macula, tollentem mundi maculas. Quantùm ad formam, verisimile est nullam adhibuisse, sed præcisè eum in aquam immersisse, cùm nulla sit apparentia, quòd baptizaverit Messiam in nomine Messiæ, saltem si tunc illum cognoscebat, ut videntur insinuare hæc verba Joannis Christum baptizare recusantis: *Ego à te debeo baptizari:* quod non dixit alteri baptismum postulanti.

Petes 3. quomodo aperti sunt cœli in baptismo Christi?

R. Non fuisse apertos realiter, quasi cœlorum soliditas fuisset divisa; sed apparuisse in suprema aeris regione, hiatum quemdam radiantem, ac radios suos ad Christum usque mittentem; ex quo hiatu visa est vox Patris descendere, ac Spiritus Sanctus in specie columbæ. Alii volunt, quòd nulla prorsus, nequidem aeris aut nubium, facta sit apertura; sed dicantur aperti Cœli ad intellectionem rudium, qui non possent concipere quomodo columba, & vox de Cœlis descenderent, nisi aperirentur Cœli.

Petes 4. quid fuerit illa columba, quæ aliquamdiu stetit supra Christi caput?

R. Variare Interpretes, imò & Sanctos Patres. Alii, ut Hieronymus & Anselmus, quos secutus est Thomas, volunt fuisse veram & realem columbam. Alii verò, ut Chrysostomus, Ambrosius, Theophilactus &c. quibus suffragamur, asserunt tantum fuisse speciem columbæ, in suprema aeris regione ab Angelo formatam, agitatam & mortem ad Christum usque. Ratio est, quia Evangelistæ omnes id videntur insinuare: nam Matthæus & Lucas dicunt: *Sicut columbam*, Marcus: *Tanquam columbam*. Joannes: *Quasi columbam*. Et certè non plus requirebatur ad Symbolicam Spiritus Sancti significationem, ad quam ordinabatur: undè loquendum est de columba illa, sicut de linguis igneis in die Pentecostes: sed hæ non fuerunt verus ignis, sed *tanquàm ignis*, ut patet Act. cap. 2. ergo nec fuit in nostro casu vera columba sed tanquàm columba, seu similitudo columbæ, quæ non tantum à Christo & Joanne, sed ab omnibus visa (cum descendisset populum edoctura Spiritum S. descensurum super omnes baptizandos) evanuit.

Pe-

Petes 5. Quis formaverit hanc vocem: *Hic est Filius meus dilectus &c.?*

Res. Formatam fuisse ab Angelo, dicitur autem *Vox Patris* quia nomine Patris, & ad eum solum ostendendum formata est: ut sic repræsentaretur tota Trinitas, nempè Pater in voce, Filius in carne, & Spiritus Sanctus in specie columbæ. Hæc responsio conformis est aliis Scripturæ locis ubi dicitur Deus locutus, cùm tamen non ipse, sed Angelus ejus loco loqueretur. Hanc autem vocem non solus Christus audivit, sed omnes adstantes, cùm facta fuerit in testimonium Christi, ut nempè scirent homines quòd ille, qui apparebat in forma hominis esset verus Filius Dei.

SECTIO X.

Christus jejunans.

BAptizatus Christus anno ætatis circiter trigesimo ductus est illico in desertum à Spiritu, non immundo ut voluerunt aliqui sed à Spiritu Sancto, si enim immundus eum duxisset tentationis ergo, eum tentasset ab initio, nec reliquisset eum tanto tempore quietum, & tamen, ut notat Scriptura accessit tentator, jam transacto 40. dierum jejunio. Præterea ab eo Spiritu ductus est in desertum, qui suasit jejunium: jejunium autem suadet Sp. Sanctus, non diabolus qui suasit primæ mulieri tam perniciosam humano generi comestionem.

Petes 1. Cur voluerit Christus jejunare cùm jejunii finis sit vel Deum placare, vel pro peccato satisfacere vel carnem subjicere ne insurgat; his autem non indigeret Christus.

Resp. Voluisse propter alios fines: ac 1. ut nobis jejunandi exemplum relinqueret. 2. ad instructionem Prædicatorum: si enim jejunavit ipse antequam prædicationis officium exerceret quantò magis jejunare debent & sobrii esse Prædicatores, ne alii jejunium & sobrietatem prædicantes verbo, dicta destruant exemplo. 3. ut ex ejus jejunio sumeret occasionem diabolus ipsum tentandi, dicendo ipsi ut converteret lapides in panem, ut fusius posteà.

Petes 2. Cur dicatur Christus jejunasse 40. diebus & 40. noctibus?

Resp. Propter duas rationes: 1. ut ostendatur differre ejus jejunium à jejunio Judæorum, qui postquam toto die ab omni cibo abstinuerunt, de nocte comedunt, ubi nempè astra apparere incipiunt. 2. ut confunderetur opinio illorum, qui dicturierant, quod Christus nihil quidem comedisset ante solis occasum, sed aliquid sumpsisset posteà, quia Luc. 4. dicitur: *Et nihil manducavit in diebus illis*, indè inferentes manducasse de nocte. Ut autem ostendatur nihil omninò toto illo tempore sumpsisse, dicitur diebus & noctibus jejunasse. Ministrarunt quidem ipsi Angeli, sed post jejunium non ante.

Petes 3. An potuerit Christus naturaliter sine cibo & potu tamdiu jejunare?

R. N. Quia, ut docent Medici expertissimi, homo sanus per septem dies abstinens ab omni alimento, nisi supernaturaliter sustentetur, naturaliter moritur, & ideo fortè Danieli per sex dies jejuno, misit Deus alimentum per Habacuc die septimo. Cujus rationem adfert Hypocr. lib. *De Carnibus*, quod intestinum humore chiloso vacuum concrescat, sicque homo paulatim extinguatur & deficiat, sicut deficiente oleo, deficit ignis lampadis: unde dicendum est Deum in Christo vel suspendisse actionem caloris naturalis, aliarumque qualitatum contrariarum sese invicem per pugnam continuam debilitantium, vel eum interiùs refecisse, vel aliter providisse: quod & fecit respectu Eliæ, Moysis, & aliorum per 40 dies jejunantium: imò & etiam nunc facit respectu Eliæ & Enoch qui solo orationis & contemplationis pascuntur alimento.

Dixi: *Homo sanus*, qualis erat Christus: nam infirmi, in quibus abundant humores, possunt satis diu sine alimento vivere, eò quòd nutriantur viscoso phlegmate, quod calor lentus lentè depascitur.

Petes 4. An Christus illo tempore esurierit?

Res. N. Videtur sequi ex textu Matth. 4. ubi legitur *Cùm jejunasset 40. diebus, & 40. noctibus, postea esuriit*; ergo insinuat antea non esuriisse. Volunt tamen aliqui illo tempore passum esse aliquam esuriem ad majus meritum, sed non tantam, ut incitaretur cibum quærere, sicut postea.

SECTIO XI.

Christus tentatus.

PEtes 1. Quare voluerit Christus tentari, & quidem post jejunium.

Resp. Voluisse tentari, tum ut non desperarent homines tentati, tum ut ipsis relinqueret formam resistendi dæmonum tentationibus. Voluit autem post jejunium: 1. Ut sciremus bonis operibus vacantes non esse à dæmonum tentationibus immunes; imò eò magis agitari, quò sunt meliores; quia invidet diabolus actionibus bonis, non malis; sed non inde turbemur, quia non peccamus tentationem sentiendo, sed tentationi consentiendo, & quò fortior est pugna, eò gloriosior est victoria. 2. Ut sciremus jejunium esse fortem armaturam, non solùm contra tentationes dæmonis, sed etiam mundi & carnis.

Petes 2. Cur dicatur diabolus Christum tentasse dicendo, ut converteret lapides in panes, cùm tentatio sit ad malum; esset autem opus bonum convertere lapides in panes ad sedandam famem?

Res. Tentationem dupliciter accipi: 1. Pro eo, quo quæritur experimentum de re aliqua. 2. Pro inductivo ad malum & hoc utroque modo tentavit Christum diabolus per conversionem intentam, nam voluit scire per hanc conversionem, an esset Filius Dei, necne? judicasset siquidem esse Filium Dei, si in instanti convertisset; judicasset autem non esse, si conatus fuisset convertere, & non convertisset. Induxit etiam per hoc ad malum; quia licèt sit quid ordinatum miraculosè producere, aut multiplicare panem, ubi id requirit necessitas, cui non potest aliter satisfieri; est tamen quid inordinatum, ubi potest per humana subsidia haberi & aliunde nullum occurrit motivum miraculi patrandi.

Petes 3. An diabolus realiter portaverit Christum à deserto & monte Quarentano, ubi jejunaverat, usque ad pinnaculum templi Jerusalem, ubi ipsum secundò tentavit? Est autem mons Quarentanus prope Jericho, distatque octo leucis abs Jerusalem.

Resp. Cyprianus Christi transportationem non fuisse realem, sed imaginariam, quales fuerunt visiones Ezechieli exhibitæ, & quales sunt sæpè Sagarum, quæ imaginariè tantùm transferuntur ad tripudium aut convivium, diabolo sic eorum imaginationem disponente: sed dicendum est cum D. Hieronymo, Gregorio, Thoma, & aliis fuisse realem seu Christum fuisse verè per aera à diabolo translatum, ac statutum in templi pinnaculo, id est, in vestibuli & Frontispicii cacumine; quia Scriptura dicit simpliciter fuisse assumptum; nulla autem sequitur contradictio quòd hoc intelligatur de assumptione reali, sicut nec ulla inconvenientia; qui enim voluit à diaboli membris realiter crucifigi, potuit velle ab ipsomet diabolo realiter transportari. Ex quo sequitur non fuisse ductum à dæmone pedestrem usque Jerusalem, ut volunt aliqui, cùm assumptio non sit ductio, aut conductio.

Petes 4. Quare diabolus suaserit Christo præcipitium?

Res. Quia intendebat per hoc cognoscere, an esset Dei Filius, vel si non esset ipsum inducere ad peccatum nam si præcipitaret se & non læderetur, crederet esse Dei Filium & haberet intentum, si autem esset purus homo, & se præcipitaret induceret ad suicidium, ipsi insinuando quòd Angeli essent eum in manibus sustentaturi.

Petes 5. Quomodo diabolus in tertia tentatione Christo in montem excelsum similiter transportato, ostenderit omnia Regna mundi?

Respondet Cyprianus ut supra, visionem tantùm fuisse imaginariam, seu dæmonem tantùm Christi imaginationi Regna omnia repræsentasse; sed cùm tota hæc tentatio non fuerit intus, sed foris, ideo dico probabiliùs cum D. Thoma, omissis variis aliis id explicandi modis, repræsentasse solùm confusè plagam & situm omnium Regnorum, dicendo (verba sunt Cornelii à Lapide) ibi sita est Africa, illic Asia, istic Europa, hic est Syria, ibi Italia, illic Gallia, istic Hispania; ut autem etiam eorum gloriam, ut habet Textus Matth. 4. Christi oculis objiceret, quasi pinxit in aere per certas solaris luminis refractiones, ut fit in Iride, imagines eorum omnium, quæ magis superba, splendida, speciosa reperiuntur in quolibet Regno, hæcque omnia ostendit in momento temporis, ut habet Lucas cap. 8. id est, tempore brevissimo. Nec mira videbitur nostra responsio illis qui legerint dæmonem ad terrificandum S. Antonium, horribilia ferarum & monstrorum spectra in aere efformasse, per ejusdem condensationem, contemperationem &c.

Petes 6. Quomodo ausus fuerit dæmon petere à Christo ut ipsum adoraret?

Ref. Qui ab initio ex superbia potuit Divinitatem appetere, & Christo homini unionem hypostaticam invidere, potuit & Divinitatis homagium exigere. Præterea etsi in prima & secunda tentatione suspicaretur Christum esse Dei Filium, & hujus rei quæreret experimentum; ut tamen vidit permisisse Christum sine resistentia ut transferretur in templi pinnaculum & montem excelsum, quasi absolutè credidit esse purum hominem; & ideo audacter & superbè petivit adorari, & quidem cum corporis prostratione.

Petes 7. Quamdiu duraverit tota tentatio?

Ref. Probabiliùs durasse pauco tempore; 1. Quia diabolus ab initio tentationis ad finem non recessit à Christo, sicque fuit continua, seu primæ successit immediatè secunda, & secundæ tertia: quod inde colligitur, quia initio dicitur: *Accessit tentator*, & in fine: *Tunc reliquit eum diabolus*, ubi insinuatur toto tempore intermedio fuisse cum Christo. 2. Quia brevitatem tentationis inculcat Lucas dicens, quòd in momento temporis ostenderit ipsi omnia Regna mondi: unde colligimus colloquium de lapidibus in panes convertendis, & transportationem de deserto in pinnaculum templi, & de pinnaculo in montem excelsum, brevi etiam peracta esse; cùm, ut testantur Sagæ pœnitentes, vix tempus requiratur, ut de loco in locum, etiam remotum, transferantur. 3. Quia initio tentationis esuriebat Christus nec toto tentationis spatio, utpote continuæ, manducavit: si autem longo tempore, v. g. per diem integrum durasset tentatio, fuisset esuries illa Christo magnus cruciatus.

SECTIO XII.

Christus prædicans.

POst jejunium, & dæmonis victoriam, inquit Herinx, processit Christus instar veri athletæ ad prædicationis exercitium; & relicta civitate sua Nazareth, quæ est in Galilæa inferiori, venit & habitavit Capharnaum, quæ erat in Galilæa superiori: *Et deinde cœpit prædicare: pœnitentiam agite*, Matth. 4.

Petes 1. Cur Christus priùs prædicaverit in Galilæa quàm in Judæa?

Resp. Quia sic prædictum fuerat Isa 9. ubi legitur: *Primo tempore quo alleviata est terra Zabulon, & terra Nephtali*, id est liberata ab ignorantia per Christi prædicationem. Aliæ autem rationes possunt adferri seqoentes: prima, quia Galilæi erant magis ignorantes, quàm Judæi, saltem Jerosolimitani & vicini, qui habebant apud se Doctores legis. Secunda, quia cùm Galilæi essent pauperes, intendebat, per hoc condemnare praxim Prædicatorum illorum, qui relictis pauperibus, quærerent civitatem regiam, aut Principis aulam prædicaturi. Præterea quia Isa. 61. & Lucæ 4. legitur: *Spiritus Domini super me .... Evangelizare pauperibus misit me*. Tertia, quia debebat habere Discipulos, qui essent testes illius prædicationis, illi autem quasi omnes erant Galilæi. Quarta, quia Galilæa erat Christi Patria, non quidem nativitatis, cum peregrinantibus Parentibus natus sit in Bethleem sed nutritionis, & conversationis ferè per totam vitam: Expediebat autem, ut suos extraneis præferret, condemnaturus per hoc Episcopos illos curiales, qui, neglectis propriis ovibus, gestiunt coram Principe & Aulicis prædicare, magis applausum quærentes, quàm fructum.

Petes 2. Cur saltem non prætulerit civitatem propriam scilicet Nazareth, aliis Galilææ civitatibus, cùm hoc sequatur ex rationibus allatis?

Ref. Propter Nazarænorum culpam, quorum incredulitatem jam viderat, aut saltem futuram præviderat: unde cùm postea venisset in patriam suam, ut habetur Marc. 6. *Multi audientes admirabantur in doctrina ejus dicentes: unde huic hæc omnia, & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur? nonne hic est faber filius Mariæ, frater Jacobi & Joseph? & scandalizabantur in eo*. Unde additur postea; *& mirabatur* JESUS *propter incredulitatem eorum*.

Petes 3. Cur Christus semper prędicaverit pœnitentiam?

R. Variis de causis: 1. Quia venit Christus ut reformator deformatorum; omnia autem deformata reformantur per pœnitentiam. 2. Quia erat Christi officium, ut ipse ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, Matth. 9. & quia officium illud non expiravit, nisi ipso expirante, ideo invitabat continuo ad pœnitentiam. 3. Quia virtus illa erat omnibus necessaria, cùm omnes peccassent, si unicam Matrem ejus exceperis. 4. quia ipse erat Legislator novi Testamenti, id est, status perfecti, ad quem disponendi erant homines imperfecti; non poterant autem disponi nisi per pœnitentiam, cùm nullus inchoet vitam novam, nisi pœnituerit veteris.

Petes 4. An Christus prædicaverit solam pœnitentiam Affirmant aliqui, sed

R. Neg. Quia, ut constat ex omnium Evangelistarum textu, etiam alias virtutes prædicavit, id est, modò *humilitatem*, ut cùm statuit parvulum in medio: modò *Mansuetudinem*. *Discite à me quia mitis sum*: modò *Misericordiam*, ut præfert Parabola suffocantis debitorem: modò *Salutis curam* ut cùm reprehendit fodientem talentum in terra: modò *Paupertatem*, ostendens difficile admodum esse divitibus intrare in Regnum cœlorum: modò *Castitatem*: ut Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverant propter Regnum cœlorum*: modò *Subjectionem Principibus*, injungendo redditionem tributi: modo *Sinceritatem*, acriter arguendo Pharisæos hypocritas, & sic de aliis. Præterea prædicabat Evangelium Regni Dei. ad Regnum autem cœleste conducunt, non sola pœnitentia, sed etiam aliæ virtutes: unde dicitur antonomasticè *prædicans pœnitentiam*, sicut de Joanne ejus Præcursore, quia præcipua ejus materia, & magis obvia erat pœnitentia.

Petes 5. Qualiter procederet Christus in reprehendendis peccatoribus?

Resp. 1. Cum zelo, & fortitudine, reprehendens palam & acriter vitia Judæorum & Pharisæorum, etiam Principum ipsos vocando, ubi opus erat, stultos, cœcos, duces cœcorum, hypocritas &c. quod confunduntur Prædicatores molles, & mollia & placentia populis prædicantes sicut & arguentes imperfectiones plebejorum, & tacentes crimina Magnatum. 2. Aliquando zelum temperabat Divina quadam mansuetudine, vocans ad se peccatores, etiam magno peccatorum pondere oneratos; & ideo murmurabant Pharisæi, quòd Publicanos & peccatores admitteret. Indè increpatio Prædicatoribus illis, qui semper dura, semper aspera, semper tormenta objiciunt auditoribus, & qui præcipitant eos in desperationis barathrum, quos cum spe veniæ perduxissent ad sublimia cœlorum. 3. Elucebat in dictis ejus simplicitas & familiaritas, & ideo ferè semper ad simplicium eruditionem familiari quadam Parabola, sermonem suum condiebat, à quo multùm Concionatores illi discrepant, qui per affectata verborum lenocinia, solùm pruriunt auribus, aut qui per materias speculativas in altis ambulantes, sibi satisfaciunt, & aliis minimè prosunt.

Petes 6. Quomodo potuerit dicere Christus Joan. 18. *Ego semper palam locutus sum mundo ..... & in occulto locutus sum nihil*, cùm multa insinuaverit & prædicaverit solis Discipulis?

Resp. Etsi Christus quædam mysteria altiora manifestaverit Discipulis, communem tamen doctrinam, de qua interrogabatur, publicè exposuit; aut, si aliquando solis Discipulis, ipsis tamen insinuabat aliis prædicandam: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Matth. 10.

Petes 7. Quot annis prædicaverit Christus?

Resp. Varias esse opiniones: aliqui enim volunt prædicasse per duos annos & tres menses: alii per quatuor annos cum tribus mensibus: alii communiùs & probabiliùs per tres annos & totidem circiter menses, eò quòd celebraverit quatuor Paschata. Primum recensetur Joan. 2. Secundum Joan. 6. Tertium Joan. 5. ubi licèt fiat tantùm mentio *Festi* non determinando an esset festum Paschatis, aut aliud, quia tamen Pascha apud Judæos dicebatur Festum antonomasticè, credendum est fieri ibi mentionem de Paschate. Postremum (quando nempe passus est Christus) commemorant omnes Evangelistæ.

Resp. Principaliter & ex instituto solos Judæos: *Non sum missus*, inquit Matth. 15. *nisi ad oves quæ perierunt Domus Israel*. Quod non obest quominùs raro & quasi per transennam prædicaverit Gentilibus: quod enim raro fit, in moralibus non censetur fieri: & ideo non dicitur *Lux Gentium*, quia per se Gentes illuminavit, sed per Discipulos.

SECTIO XIII.

Christus Thaumaturgus.

UT Christus veritates, quas evangelizando populis annuntiabat, confirmaret, pluribus admodum usus est miraculis reddendo aliquibus sanitatem, aliis vitam, his visum, illis auditum, mutis loquelam, gressum claudis &c. quæ omnia hic referre nimis longum foret & ideo paucis hanc Sectionem absolvemus, remittendo lectorem tùm ad priùs dicta de Christi potentia; tùm ad Evangelistas, tum ad interpretes.

Petes 1.

Petes 1. Cur Christus faceret miracula ad confirmationem suæ doctrinæ?

Res. Quia cùm Christus varia prædicaret, quæ non erant per se nota, nec quoad sensum, nec quoad intellectum, ut quod ipse esset Dei Filius, quòd mortui resurgerent, quòd veniret judicare vivos & mortuos, quòd esset infernus malis, Paradisus bonis & similia, & aliunde non posset dare plenam probationem de veritate istorum, quæ asserebat, ostendere debebat illa esse à Deo dicta: & quia Deus non auditur loquens, non poterat hoc probare Christus, nisi per miraculum. Per hoc autem evidenter probatur, nam cùm Deus, utpote ipsa veritas, non possit esse testis falsitatis, nunquam concurret ad miraculum, quod est opus ipsius extraordinarium, ut falsum confirmetur.

Petes 2. Quomodo stare possunt præfata, cùm Joannes eadem prædicaret, & tamen nulla miracula faceret?

Res. Quòd etsi fortè Joannes de aliquibus mysteriis absconditis unum aut alterum verbum concionibus intermisceret, ipsius tamen officium erat ostendere pœnitentiæ necessitatem ac prænuntiare Christi adventum, ad quem disponebat homines, cùm autem pœnitentia fuerit omni tempore peccatoribus necessaria; Christi autem adventus, fuerit per innumera Prophetarum oracula vaticinatus, non requirebantur, ut id homines crederent, miracula. Præctereà si quandoque de Christi lege concionaretur Joannes, illam non instituebat nec obligantem declarabat, sed præcisè ad ejus receptionem disponebat auditores; Christus autem & illam instituebat, & ad eam obligabat omnes sub pœna damnationis æternæ; & consequenter necessaria erant miracula, ut potestatem illam authorizaret. Adde non concessisse Deum Joanni miracula, ne crederetur æqualis Christo.

Petes 3. Cur non fecerit Christus miracula ante perfectam ætatem?

R. Quia miracula ordinabantur ad confirmationem ipsius doctrinæ, quam non exposuit publicè, seu concionatoriè, nisi in ætate perfecta. Deinde si adhuc infans edidisset prodigia, credidissent homines Incarnationem esse quoddam phantasma: unde primum fecit miraculum, conversionem scilicet aquæ in vinum, anno ætatis circiter trigesimo, quo tempore cœpit etiam prædicare.

SECTIO XIV.

Christus Transfiguratus.

PEtes 1. Quare apud Matthæum dicitur transfiguratus post dies sex, cùm apud Lucam dicatur fere post dies octo?

R. Quia Lucas inclusit diem promissionis de exhibenda aliquibus Discipulis Transfigurationis gloria, & ipsammet diem Transfigurationis, quas exclusit Matthæus.

Petes 2. Cur potiùs assumpserit Christus Petrum & Jacobum, & Joannem, quàm alios, ut essent testes Transfigurationis?

Res. Quia isti tres, ut ait Theophilactus, erant vertices & capita aliorum Discipulorum, vel ob merita personalia, ut vult Chrysostomus, vel ob speciales prærogativas, ut volunt alii: Petrus enim futurus erat Ecclesiæ caput post Christi mortem, Joannes quasi Mariæ Filius, & Jacobus ante omnes Martyrii palma Laureandus: onde quando Christus aliquid speciale facturus erat, tres illos secum assumebat, ut patet in suscitatione puellæ Matth. 9. & in horto Olivarum, ubi voluit esse testes tristitiæ, qui fuerant testes gloriæ.

Petes 3. Quomodo transfiguratus fuit Christus?

R. Non fuisse intrinsecè mutatam vultus illius naturam, formam, figuram, colorem, aut aliam nativam qualitatem sed tota mutatio fuit extrinseca, in quantùm assumpsit fulgorem ingentem & quasi Divinum, vel quia permisit, ut claritas animæ utpotè ab initio Beatæ, sese in corpus effunderet: quam effusionem impediebat, ut conversaretur cum hominibus: ratione autem hujus fulgoris aut claritatis, vultus ejus apparuit nitidior, videbanturque de facie ejus emanere radii, quasi de corpore Solis. Vestes autem illius visæ sunt in colorem album mutatæ, licèt colorem suum ordinarium non perdiderint, ut fusius posteà. Porrò splendor ille (verba sunt Cornelii à lapide) erat cœlestis, imò plusquam cœlestis scilicet divinus, & beatificus, qualis est corporum gloriosorum unde instar Solis erat aurens, magnificus, elegans, oculosque summè recreans, ac, cùm esset summus, nativæ effigiei Christi aspectum Apostolis non eripiebat: secùs est de luce nostra, v. g. solari, quæ visum tam hebetat, quàm recreat.

Petes 4. An reliquum Christi corpus resplenduerit sicut facies ejus? Negant Tostatus, Abulensis, & quidam alii, eò quòd Scriptura tantùm faciat mentionem vultus ejus. Sed R. cum Sententia communi fundata in SS. Patribus, affirmative: quia probabilius est, quòd splendor ille esset claritas gloriosa emanans ex anima, & consequenter non est ratio cur in faciem potiùs, quàm in reliqua corporis membra sese diffunderet. Unde S. Ephrem Orat. de Transfigur. *Facta sunt vestimenta ejus alba: etiam ostendit Evangelista quod ex toto ejus Corpore ejus gloria scaturiit & tota ejus carne resplenduit in faciem, & ex totis ejus membris resplenduerunt radii.* Nominatur autem in Scriptura vultus potiùs, quàm reliqua membra, quia splendor ibi, utpotè à nullo velamento impeditus, magis apparebat, referebatque totum splendoris & colorem & illuminationem, cùm verò ab aliis partibus egrediens quasi à vestibus obrueretur, potius speciem candoris nivei (undè albæ videbantur vestes) quàm lucis præferebat: undè idem splendor apparebat in facie aureus, & in aliis membris, ob vestium interpositionem, candidus.

Petes 5. Ad quid transfiguratus est Christus?

Res. Varias ob causas. 1. ut Divinitatem suam sub humanitatis velamento occultatam manifestaret, tùm per vocem Patris, tùm per adductionem Eliæ & Moysis, tum per sui ipsius glorificationem. 2. ut ostenderet scintillam gloriæ quam daturus esset bonis. 3. ut animaret Discipulos spe gloriæ majoris, ad subeunda quæcumque dura & aspera. 4. ne scandalizarentur Discipuli, cùm viderent eum in monte Calvariæ suspensum quasi sceleratum. 5. ut etiam tres Discipulos quos specialiter diligebat, specialiter consolaretur.

Petes 6. Quare apparuerunt Elias & Moyses cum Christo transfigurato?

Res. Quia Lex vetus, cujus fuerat Legislator Moyses, & circà Messiam Oracula Prophetarum, quorum Princeps erat Elias, terminabantur in Christo; ipsique tanquam novo Legislatori & Prophetæ locum cedebant. Volunt alii adductos esse ad hanc gloriam Moysen & Eliam, quia sicut Christus jejunaverat per 40. dies, ita & illi.

Petes 7. An verè interfuerint Moyses & Elias?

Res. Contrà quosdam volentes tantum fuisse ibi eorum imaginem aut speciem in aere formatam, verè & realiter interfuisse; Eliam quidem in anima & corpore proprio, cùm vivus fuerit in Cœlum raptus; Moysen verò per resurrectionem, in anima, & corpore vel proprio, vel saltem aereo per Angeli ministerium formato. Ratio est, quia si dicas Eliam & Moysem tantùm fuisse ibi repræsentativè, & non realiter, tollitur Scripturæ authoritas, hocque fundamento nixi Calvinistæ facilè probabunt Corpus Christi tantùm esse in Eucharistia repræsentativè: unde, cùm nulla sequatur contradictio, aut inconvenientia quòd dicantur fuisse ibi realiter, taliter fuisse tenendum est.

Petes 8. Quare petierit Petrus ut fierent in monte Thabor tria tabernacula?

R. Quia ineffabili tantæ gloriæ dulcedine captus, & quasi ebrius optabat ibi perpetuò manere unde dicebat; *Domine bonum est nos hic esse*. Sed cur dixit: *Faciamus Tabernacula* cùm Beati non indigeant tabernaculis? cur dixit *Tria*, cùm sufficeret unum ad tres capiendos, cur non dixit sex, cùm tres Discipuli æquè, imo magis indigerent tabernaculis, quàm alii. Dicendum est Petrum quasi extra se raptum locutum fuisse consideratè: nam si pro mansione facienda erant tabernacula etiam pro victu providendi erant cibi, si autem à Deo confortati vivere poterant sine cibo, poterant & sine tabernaculo unde Marc. 10. legitur: *Non enim sciebat quid diceret*.

SECTIO XV.

Christus homo inter homines.

PEtes 1. Quam vitam duxerit Christus usque ad Baptismum?

R. Cùm non vacaverit litteris (dicebant enim Judæi Joan. 7. *Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?*) & aliundè non fuerit otiosus, ac parentes ejus essent pauperes, credibile est in operibus manualibus parentes juvisse, ac artem fabrilem cùm Joseph exercuisse: undè de illo dicebant ejus Patriotæ: *Nonne hic est faber Filius Mariæ?* Marc. 6. Inter laborandum tamen mens ejus semper erat in cœlum defixa; ita ut cum laboraret corpus, contemplaretur animus; undè de illo scribit S. Lucas quòd proficeret ætate, sapientia, & gratia apud Deum & homines.

Petes 2. Quænam esset Christi vita post Baptismum?

R. Fuisse mixtam ex activa & contemplativa: orabat de nocte, prædicabat de die. Et hæc vita est omnium perfectissima cùm non partem, sed totam comprehendat perfectionem, eò quòd in Deum feratur & proximum: in Deum per Charitatis fervorem, in proximum per salutis procura-

tionem : & hanc vitam, Evangelii Prædicatoribus imitandam reliquit Prædicatorum Magister.

Petes 3. Qualis erat victus?

Res. Salva honestate & decentia, fuisse communem & proportionatum hominibus, quibuscum conversabatur, ita ut nec se delicatum in illo ostenderet, nec austerum nimis: unde, teste ipsomet Christo, non tanta fuit ejus austeritas in cibo & potu, quanta Joannis Baptistæ: *Venit enim Joannes*, inquit Christus Matth. 11. *Neque manducans, neque bibens*, more aliorum, *& dicunt, dæmonium habet, Venit Filius hominis manducans & bibens*, instar Judæorum, *& dicunt ecce homo vorax, & potator vini*. Voluit autem Christus sic victum suum temperare, ut quos terreret Joannis austeritas, alliceret Christi mediocritas.

Petes 4. Qualis erat Christi vestitus?

Resp. Habuisse tunicam unam, cùm duplicem interdixerit Discipulis Luc. 9. & quidem vulgarem, asperam & pauperem; quandoquidem *qui mollibus vestiuntur*, ut ait ipsemet Matth. 11. *In domibus Regum sunt*. Undè, teste D. Bonaventura, Seraphicus Franciscus perfectus Christi imitator vestium horrebat mollitiem, quærebat austeritatem; quia, ut ajebat, dæmones terrentur austeritate, invitantur mollitie.

Petes 5. An Christus portaverit calceamenta. Affirmant aliqui, quia dixit Joannes quòd non esset dignus solvere corrigiam ejus calceamenti. Sed

Res. Neg. Quia Christus nihil præcepit Apostolis, quod ipse non prius fecerit, quia *cœpit facere & docere*, Act. 1. Præcepit autem Apostolis ne calceati incederent, juxta illud Luc. 22. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis*; unde Hieronymus Epist. ad Eustochium: *Non enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat servis*. Verba autem Joannis tantùm denotant ipsius parvitatem comparativè ad Christum; & ideo non sunt ad litteram intelligenda? vel dicendum est habuisse tantùm semi-calceamenta, seu sandalia, aut soleas pedi alligatas. Non est autem verisimile, quod dicunt aliqui, nempe habuisse calceamenta antequam prædicaret, sed non quando prædicavit: quia illud argueret in Christo quamdam instabilitatem.

Petes 6. An Christus aliquando ex paupertate mendicaverit?

Res. Probabiliùs affirm. cum D. Bonaventura Opusc. de Paupertate Christi, & D. Thoma Opusc. contra impugnantes Religionem cap. 7. &

Prob. 1. Ex Scriptura Marc. 11. Ubi legitur: quia hospitium non repererat Christus Jerosolymis, nempe mendicando (quia non defuisset in tanta urbe, solvendo) recessisse Bethaniam. 2. Ex D. Bernardo Homil. de puero perdito: *Per illud triduum ubi eras bone Jesu; quis tibi cibum ministravit aut potum; An ut te per omnia conformares nostræ paupertati quasi unus ex turba pauperum stipem per ostia mendicabas; quis dabit buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, vel saltem Divini illius eduli reliquiis saginari*; unde dicebat David in persona Christi Psalm. 39. *Ego autem mendicus sum & pauper*. Et Psal. 108. *Persecutus est hominem inopem & mendicum*.

SECTIO XVI.

Christus patiens.

IMminente tempore misericordiarum Domini Jesu, quo disposuerat salvam facere plebem suam, & eam redimere, non corruptibili auro & argento, sed pretiosissimo sanguine suo, inquit Herinx, ultimam cum Discipulis cœnam celebravit, in qua post agnum typicum, expletis epulis, postque pedum Discipulorum per ipsum Dominum ablutionem, instituit cœnam sacratiorem, in qua seipsum præbuit tanquam cibum & potum sub speciebus panis & vini, ut dicemus de Sacramento Eucharistiæ. Deinde excitatis ad amorem mutuum Discipulis, processit tanquam Athleta in medium certaminis, humani generis hostem, non occidendo, sed moriendo debellaturus. Nolumus hic omnes passionis circumstantias describere, sed tantùm præcipua, difficiliora ac magis ad gratitudinem excitativa breviter per quosdam Articulos exponere.

ARTICULUS I.

Christus in horto Gethsemani.

PEtes 1. Cur Petrus Christo ipsius lapsum prædicenti non crediderit, sed dixerit immediatè ante horti ingressum: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, cùm sciret Jesum esse Prophetam, imò Dei Filium?

Res. Inde factum esse, quòd Petrus semper fervidus, non adverterit ad Christi prædictionem, sed præcisè ad id, quod in mente gereret, nempe ad propositum Christo semper & ubique adhærendi: quod propositum ità firmum experiebatur, ut fortiter sibi persuaderet nunquam aliter eventurum: ad hanc tamen prædictionem si advertisset, mansisset nihilominus liber; quia nec prædictio, nec credulitas adimebant libertatem, sed eam præsupponebant: non enim ideo peccavit Petrus, quia Christus prædixit peccaturum, sed prædixit peccaturum, quia Petrus erat à seipso, & nemine cogente, aut necessitante, peccaturus.

Petes 2. Cur Christus oraturus in horto, potiùs assumpserit Petrum, Jacobum, & Joannem, quàm alios Discipulos?

Res. Tum quia erant ipsi valde familiares, tum etiam quia justum erat, ut illi, qui viderant ejus gloriam in monte Thabor, viderent ejus tristitiam in horto.

Petes 3. Cur Christus fuerit ibi tristatus?

Respondent Hilarius & Hieronymus primariò tristatum esse, quia prævidebat Discipulorum fugam & scandalum: sed dicendum cum sententia communi tristatum esse ob vehementem passionis imminentis apprehensionem, seu quia ità fortiter sibi repræsentabat mortem, crucem, flagellationem, irrisiones, contumelias, alapas, spinas, &c. quasi essent de facto præsentes: quod colligitur ex his verbis: *Transeat à me calix iste*.

Petes 4. Cur dixit Christus: *Pater, si possibile est, transeat &c.* cùm nihil sit Deo impossibile?

Res. Quia licèt absolutè loquendo posset non mori, posito tamen Dei decreto de redimendo per Christi mortem genere humano, non poterat non mori; aliàs fuisset mutatus Deus: unde quando dicitur Deum posse omnia, intellige, quorum non decrevit contrarium.

Petes 5. Quis fuerit Angelus Christum confortans, & quomodo potuit id exequi?

Res. Secundùm aliquos, fuisse Gabrielem; quia cùm nuncupetur fortitudo Dei, videtur ad ipsum pertinere afflictos & tristes consolari, at, secundùm alios, probabiliùs fuit Michael, quia decebat summum Angelum ad Summum omnium creaturarum delegari: confortatus est autem Christum vocaliter loquendo; quia sicut apparuit in corpore hominis assumpto, ità & instar hominis fuit locutus.

Petes 6. An Christus sudaverit verum Sanguinem? Volunt Euthymius & Teophylactus sudorem Christi sanguineum esse hyperbolicum, sicut dicitur de eo, qui vehementer admodum angitur, sudat sanguinem.

Resp. Affirm. cum Hilario, Hieronymo, Augustino & aliis communiter; quia juxta Arist. 3. de Hist. animalium cap. 19. hoc potest contingere naturaliter, præsertim in eo, qui est corpore delicatus, rarus & porosus, ac sanguinem habet subtiliorem, ut habuit Christus: quandoquidem sudor est pars sanguinis aquosa: ex quo sequitur, ubi vehemens est angor, posse cum parte aquosa sanguinem subtiliorem concomitanter emitti.

Petes 7. Quomodo potuit Christus dicere Apostolis, adstante extremo periculo; *Dormite jam & requiescite*, qui antè dixerat, cùm remotius esset periculum: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*? Matth 26.

Respondent Augustinus & Beda hoc fuisse seriò dictum à Christo ex quadam compassione, eò quòd nempe videret eorum oculos nimium esse gravatos, sed suffragor Chrysostomo & aliis docentibus fuisse locutum ironicè & exprobrativè, ut ipsis ostenderet, Traditore appropinquante, non esse dormiendum, sed vigilandum.

Petes 8. Cur Christus dixerit Judæ osculanti: *Amice ad quid venisti*, cùm sciret esse inimicum & proditorem?

Resp. Quia licèt Judas inimicus esset Christo, Christus tamen erat adhuc Judæ amicus, quærebatque per illa verba amoris plena, cor proditoris lenire, compungere, & ad pœnitentiam inflectere: imò magis doluit Christus de proditoris scelere, quàm de sua proditione. Per hoc relinquens nobis exemplum, quomodo teneamur inimicos, etiam dum actualiter in nos desæviunt, diligere.

Petes 9. Cur milites Christo interroganti: *Quem quæritis* respon-

responderunt: *Jesum Nazarenum*, & non dixerunt. Te quærimus, cùm toties ipsum vidissent?

Respondet Origlnes Christum habuisse duas facies, unam naturalem & usitatam, alteram propriam & secretam, quam assumebat cùm vellet; & ideò nun fuit tunc agnitus, quia faciem secretam ferebat; sed cùm hoc gratis dicatur, tenemus cum Chrysostomo, Cyrillo, & aliis, militum oculos fuisse divinitùs detentos, ne eum agnoscerent: unde qui milites prostravit ne citò caperetur, eorum oculos detinuit ne citò cognosceretur.

Petes 10. Cur Christus reprehenderit Petrum abscindentem auriculam Malchi?

Res. Quia percussio illa erat vindicta & non justa defensio, cùm non posset per hoc & similia, Christum eripere de tanta militum cohorte. Præterea contra Christi voluntatem gladium strinxerat: nam, ut ait August. lib. 22. contra Faustum: *Jusserat*, Christus, *ut Discipuli ejus ferrum ferrent, sed non jusserat ut ferirent*.

Petes 11. Quare potiùs ampotata est Malcho auricula dextra, quàm sinistra?

Respondet Origenes, ut significaretur Judæos in legendo sacram Scripturam, perdidisse aurem dexteram, id est, veram intelligentiam cœlestium & retinuisse sinistram, ut sinistrè ad carnales sensus eam detorquerent.

Petes 12. Quomodo stet dictum Christi: *Omnes qui acceperint gladium*, temerè, *gladio peribunt*, cùm Petrus non perierit gladio, sed patibulo?

Res. Quia vox *peribant*, non denotat eventum, sed pœnam, id est, digni sunt qui gladio pereant; licèt quandoque ob causas non pereant, aut alia morte pereant.

Petes 13 An Discipulorum fuga, visa Christi captura fuerit licita?

Respondent aliqui fuisse licitam, imò prudentem, quia Christo poterant obesse, non prodesse: & aliunde cùm necdum Spiritu S. essent roborati, exponebant se periculo (ad mortem vitandam) Christum abnegandi, ut fecit postea Petrus. Sed probabilius est peccasse fugiendo; quia videntes Christum à Judæis obrui, pristinam in eum fidem & spem amiserunt, diffidentes de illius auxilio & defensione. Credunt tamen Interpretes, ob magnam animi turbationem non excessisse peccatum veniale.

Petes 14. Quis fuit Adolescens, qui, relicta syndone, id est, amictu linteo, quo nudum corpus tegebatur, profugit? Marc. 14.

Respondent aliqui fuisse Jacobum fratrem Domini. Alii fuisse Joannem; quia inter Apostolos erat adolescentior, & natu minimus: sed probabilius est nec Jacobum fuisse, nec Joannem, nec alium Apostolum, quandoquidem dixerit Marcus versu præcedenti: *Tunc Discipuli ejus relinquentes eum OMNES fugerunt*: onde putant aliqui fuisse servum aut filium Villæ Gethsemani, in cujus horto oraverat & captus fuerat Christus, qui militum tumultu excitatus statim cum syndone è lecto prosilit & fugit.

ARTICULUS II.

Christus in domo Caiphæ.

PEtes 1. Cur antequàm duceretur ad Caipham Christus ductus sit ad Annam, cùm hic non esset Pontifex.

Resp Ob varias causas 1. quia, ut censet Cyrillus, Annas fuerat qui Judæ promiserat triginta argentos, si Christum traderet: hoc autem ut reciperet, Christum Annæ tradidit. Undè credibile est Judam ex tunc, soluto pretio, Christum reliquisse, nec intrasse domum Caiphæ; aliàs si fuisset ibi Judas, nunquam ausus fuisset intrare Petrus. 2. quia domus Annæ erat in via ad Caipham. 3. quia præ cæteris optaverat Annas Christi capturam. 4. quia Annas erat senior, & socer Caiphæ, imò ipsius Consiliarius in populi regimine. 5. ut evocaretur ad Concilium generale apud Caipham contrà Jesum celebrandum.

Petes 2. Cur antequam ductus fuisset Christus ad Caipham, jam ibi *Scribæ & Seniores convenerant*, ut dicitur Matth. 26.

Resp. Quia Judæi tanto odio Christum prosequebantur tantaque aviditate sitiebant ejus sanguinem & necem, ut missis solùm ad capiendum Christum militibus, ex tunc Scribæ & Seniores fuerint convocati, qui, ut ait Chrysostomus apud Caipham *pernoctabant vigilantes*, ut statim Jesum advenientem condemnarent.

Petes 3. Quis esset ille alius Discipulus, de quo Joan. 18. qui intravit domum Caiphæ cum Petro,

Resp. cum DD. Chrysostomo, Hieronymo, & aliis, quos sequitur Liranus, fuisse Joannem, qui, ut refert Nicephorus lib. 1. c. 28. notus erat Pontifici, quia vendiderat ipsi suam hæreditatem. Quia tamen Syrus vertit. *Unus ex Discipulis aliis*, volunt aliqui Interpretes non fuisse unum ex Discipulis publicis, seu Apostolis, sed ex Discipulis occultis.

Petes 4. Cur Christus dixerit Pontifici: *Quid me interrogas*, cùm Pontificis esset inquirere de doctrinis noviter introductis.

Resp. 1. Quia non interrogabat, ut sciret veritatem, sed ut malitiosè caperet in sermone, quem non poterat in opere. 2. quia frustranea erat interrogatio, cùm jam sciret, aut saltem scire deberet Pontifex qualis esset Christi doctrina, cùm fuisset locutus in locis publicis, id est, in templo & Synagoga.

Petes 5. Quare dicitur Matth. 26. quòd Principes quærebant falsum testimonium contrà Jesum.

Resp. Quia desperabant invenire verum, ob summam Christi sapientiam, veritatem & Sanctitatem toti populo notam; & ideo cùm vellent habere causam, saltem apparentem, ipsum occidendi, impotentes reperire veram quærebant falsam.

Petes 6. In quo fuerunt falsi testes, accusantes Christum dixisse: *Possum destruere templum Dei, & post tridum reædificare illud*.

Resp. In verbis, & in verborum sensu: *In verbis* quidem; quia non dixerat: *Possum destruere*, sed, *solvite*. Id est, si vos solvatis, non ego. Deindè dicebant *Templum manufactum*, ut habet Marcus, Christus autem tantùm dixerat *Templum* dicebant *reædificabo*, Christus *excitabo*, id est, suscitabo à mortuis: *in sensu* verò; quia loquebatur Christus de templo corporis sui, non autem de templo Jerosolymitano: seu dederat Judæis signum suæ Divinitatis, in quantum si ipsum occidissent, post triduum se suscitasset: quod & fecit.

Petes 7. Cur illis falsa testificantibos, Christus tacebat,

Resp. 1. *Tacebat*, inquit Hieronymus, *eò quòd sciret quid quid tandem respondisset torquendum ad calumniam*. 2. quia nolebat se excusando liberari, sed, tacendo damnari, omnia ad decretam à Patre mortem referendo. 3. quia etiamsi verum fuisset quod testificabantur, tantùm erat vana jactantia, & non crimen morte dignum, ut prætendebant. 4. ut suo silentio satisfaceret pro Adæ se excusantis stultiloquio.

Petes 8. Quare Caiphas adjuravit Christum, ut diceret an esset Filius Dei?

Res. Ut ipsum condemnaret tanquam blasphemum, si affirmaret, aut tanquam Pseudo-Prophetam, si negaret quia talem se prædicaverat.

Petes 9. Cur respondit Christus Caiphæ interroganti an esset Filius Dei, cùm ante ad falsum testimonium tacuisset?

Res. Ob duas rationes præsertim: 1. propter reverentiam divini nominis, per quod adjurabatur: 2. ut fierent Judæi omninò inexcusabiles, nec dicere possent: Juridicè interrogavimus Jesum, an esset Filius Dei, nec respondit: ergo signum est non esse.

Petes 10. An servus manu nuda, an armata impegerit alapam Christo?

Res. Manu armata, ut præfert Christi imago velo Veronicæ impressa, ac Romæ in Basilica S. Petri asservata, ubi facies ex una parte apparet plumbata & livida.

Petes 11. Cur Pontifex sciderit vestimenta sua?

Res. Quia mos erat Judæis, ut, intellecta blasphemia, quasi honorem divinum zelantes, vestimenta lacerarent ut legitur factum ab Ezechia 4. Reg. 19. ubi audivit Sennacherib blasphemantem. Peccavit tamen Caiphas vestes scindendo; tum quia sciebat non esse blasphemiam; tum quia id prohibitum erat Pontifici Levit. 20. *Caput suum non discooperiat, vestimenta non scindat*.

Petes 12. Quare dixerunt Judæi: *Reus est mortis*, & non lapidationis, cùm blasphemus secundùm legem Levit. 24. esset lapidandus?

Resp. Quia ante omnem judicii formam decreverant ipsum crucifigere, cujuscumque criminis accusaretur: imò etiamsi innocentem reperirent; quia non quærebant justitiam exercere, sed Christum è mundo tollere.

Petes 13. Quo tempore interrogavit Caiphas Jesum? Huic petitioni occasionem dant Evangelistæ; nam Matthæus illud examen præmittit Christi colaphizationi, & Petri negationi, Lucas verò postponit, asseritque facta esse manè, cùm colaphizatio, & negatio fuerint immediatè post Christi capturam, id est, paulò post mediam noctem.

Respon-

Respondent aliqui Matthæum non servasse ordinem narrando, sed præcisè exponere quid factum sit, sive post noctem, sive ante: sed credunt alii duplex fuisse examen, unum ante colaphizationem, de quo Matthæus, & aliud manè post eamdem, de quo Lucas. Hoc autem factum fuit in Concilio generali, ad quod, quia plurimi seniores de nocte absuerant, convocati fuerant omnes, ut ab omnibus innocentia ipsa condemnaretur.

Petes 14. Quoties Petrus negaverit Christum?

Respondet Cajetanus negasse septies, ter interpellatum à fæminis, & quater à viris. Dionysius Carthusianus sexties, ter in domo Annæ, & ter in domo Caiphæ; sed dicendum est solùm negasse ter: 1. simpliciter: 2. cum juramento: 3. cum execratione: quandoquidem veritas ipsa prædixerit.: *Ter me negabis*. Non negavit ergo Petrus Jesum in domo Annæ, sed solùm in domo Caiphæ: unde quando Joannes narrata Petri negatione, dicit; *Misit eum Annas ligatum ad Caipham*, utitur Histernlogia, quasi oblitus narrare missionem Jesu ab Anna ad Caipham, apud quem erat Christus tempore negationis.

Petes 15. Qualiter tractaverint Christum Ministri tempore noctis?

Resp. Indignissimè, 1. expuendo in divinam ejus faciem phlegmata horrida & putrida. 2. Ipsum tanquam hominum postremum colaphis, palmis, vel, ut alii vertunt, crepidis histrionicè, sed & tyrannicè excipiendo. 3. velando faciem illam, in quam desiderant Angeli prospicere. 4. illudendo ut Pseudo-Prophetam, ac convitiis atrocibus impetendo. 5. genas vellendo, barbam expilando, aliisque modis indignis tractando, ut prædixerat Isaias cap. 50. Quid ad hæc Christiane delicatule? Respice in faciem Christi tui, & inde discito pro illius amore injuriolam sustinere, qui pro tui amore voluit tot convitia, tot blasphemias, tot execrationes patienter tolerare.

ARTICULUS III.

Christus in domo Pilati.

POstquàm manè diei veneris *Consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent*, tradiderunt ipsum Pilato crucifigendum; quia, ablata ipsis à Romanis, quibus subdebantur, potestate, non licebat ipsis interficere quemquam; & ideo legitur apud Josephum lib. 20. Antiquit. cap. 8. privatum fuisse Pontificatu Ananum Pontificem, eò quòd Jacobum Fratrem Domini & alios occidisset sine consensu Romani Præsidis.

Petes 1. An omnes septuaginta, ex quibus componebatur Concilium; quod vocabant Sanedrin, consenserint in Christi mortem?

Resp. Neg. Quia dissenserunt Nicodemus, & Joseph ab Arimathia, & fortè quidam alii; sed an dissenserint, apertè Christum defendendo, an simpliciter tacendo, & votum denegando, ex Scriptura non colligimus.

Petes 2. De quibus criminibus accusarunt Judæi Christum apud Pilatum?

Resp. Ex Luc. 23. de tribus: 1. *Invenimus eum*, inquiunt, *subvertentem gentem nostram*. 2. *Probibentem tributa dare Cæsari*. 3. *dicentem se Christum Regem*, quartum addit Pilatus in Epist. ad Tiberium Imperatorem de causa Jesu, nempe quòd miracula patraret ope dæmonis; sed ex illis tria ita apparuerunt ipsimet Pilato falsa, ut non fuerit dignatus de illis Christum interrogare, sed tantùm an esset Rex Judæorum?

Petes 3. Cur fassus est Christus se esse Regem Judæorum?

Resp. Duabus de causis. 1. Quia cùm esset Rex totius universi, ut antea diximus, erat & Judæorum, sed non speciali titulo. 2. quia illi per Regem Judæorum intelligebant Messiam à Prophetis promissum, qualis erat de facto Christus.

Petes 4. Cur non respondit Christus Judæis falsò accusantibus?

Resp. Ob varias rationes. 1. quia objecta erant apertè falsa, adeoque responso indigna: unde Augustinus serm. 118. de tempore: *Accusationem suam Dominus tacendo non firmat, sed despicit*. 2. quia volebat, inquit Hieronymus, tacendo condemnari, & pro omnium salute mori. 3. quia noverat se inutiliter responsurum, & Judæos inde magis irritandos. 4. ut suo silentio omnia hominum mendacia, perjuria, blasphemias, detractiones, & alia hujusmodi oris peccata expiaret.

Petes 5. Cur miraretur Pilatus Christum non respondere; cùm hoc non sit ita rarum accusatis?

Resp. Quia sciebat ipsum sapientem, eloquentem, ac minimè turbatum videbat, & aliunde advertebat tantùm esse Judæorum furorem, ut per fas & nefas vellent ipsum in crucem agere, & ideo mirabatur tantum hominem in tanto vitæ discrimine positum, non respondere ac quasi vitam, quæ hominibus ita chara est, contemnere?

Petes 6. Cur Pilatus miserit Christum ad Herodem?

Resp. Ut à condemnatione Christi, quem videbat innocentem, se extricaret: sciebat enim Jesum esse Galilæum, aut saltem haberi talem propter diuturnam mansionem in Galilæa; & ideo ab hac causa sibi ingrata liberandus, mittit illum ad Herodem Galilææ Regem, tanquam ipsius subditum.

Petes 7. Cur Herodes illudens Christum velut fatuum remiserit cum veste alba?

Resp. 1. Quia vestis candida erat ambientium dignitatem aliquam, unde dicebantur Candidati. 2. quia erat vestis Principum. 3. stultorum: unde ut ostendat Christum ex fatuitate Regiam dignitatem ambire, jussit eum veste alba indui.

Petes 8. Cur Pilatus ratione Paschæ, in qua reus aliquis dimittebatur in memoriam liberati ex captivitate Ægyptiaca Israelis, proposuerit Christum liberandum, aut Barabbam?

Resp. Quia quærebat Christum liberare; & ideo, cùm sciret Barabbam esse latronem, seditiosum, homicidam, adeoque hominem populo ingratum; Jesum verò hominem, qui toties Judæis benefecerat, eorum infirmos curando, ac alia beneficia præstando, sperabat illa via dimittendum.

Petes 9. An seriò Pilatus voluerit Christum dimittere, Negat Rupertus asserens tantùm fuisse simulationem, & antea Judæis consuluisse Christi perditionem. Sed

Resp. Affirm. cum D. Augustino & aliis: nam Act. 3. legitur: *Quem vos quidem negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti*. Deinde si voluisset condemnare, cur misisset ad Herodem? cur dixisset Judæis: *Nullam invenio in eo causam*? ad quid proposuisset illum cum Barabba? cur ipsum flagellasset, ac flagellatum compassionis ergo populo ostendisset?

Petes 10. Quid figuraret electio Barabbæ præ Christo?

Resp. 1. Quòd innocens, qualis erat Christus, pati deberet pro peccatoribus, qualis erat Barabbas. 2. quòd Judæi aliqui in fine mundi Anti-Christum latronem eligent, repudiato Christo.

ARTICULUS IV.

Christus inter milites furentes.

VIdens Pilatus quòd nihil ad Christi liberationem proficeret, ipsum tortoribus flagellandum tradidit, ut hoc infami & crudeli medio furentes Judæorum animos ad compassionem flecteret ipsique vitam relinquerent.

Petes 1. An Pilatus prius condemnaverit Christum ad flagellationem, quàm ad crucifixionem? Ratio dubitationis oritur, quòd ad mortem condemnandi, non prius ad flagellationem condemnarentur (ad quam condemnabantur omnes tanquam viles effecti) quàm sententiam mortis accepissent. Nihilominus

Resp. Affirm. Quia præcepit Christum flagellari, non causa mortis subeundæ, sed evadendæ: siquidem per flagellationis atrocitatem quærebat lenire feroces animos Judæorum, ut sic eum dimitterent. Hæc tamen flagellatio impedivit quominus ad crucem jam damnatus, non amplius flagellaretur: non enim bis, ut aliqui fingunt, sed tantùm semel flagellatus est Christus, ut colligere est ex Evangelistis.

Petes 2. Qualiter Christum ad flagellationem disposuerint Judæi?

Resp. Quidquid rideat Calvinus, alligatum fuisse ad columnam, ipsumque ita disposuisse aut vertisse, ut tam ante, quàm retro, tam in pectus quàm in dorsum totam rabiem suam possent evomere, illudque virgineum corpus lacerare ac scindere: unde Hieronymus: *Traditus est Jesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax, flagella secuerunt*. Cujus autem altitudinis esset columna, non satis constat: magnam tamen fuisse, indicat Hieronymus in Epitaph. S. Paulæ, ubi ait. *Ostendebatur illi columna Ecclesiæ porticum sustinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus*: unde probabile est illam, quæ Romæ in Ecclesia S. Praxedis visitur, esse

tantùm

tantùm partem hujus, cùm tantùm sit altitudinis trium palmorum.

Petes 3. Quàm atrox fuerit Christi flagellatio?

Resp. Colligi posse, 1. ex oraculis Prophetarum; nam Job. 16. legitur *Concidit me vulnere super vulnus*, id est, ita plagis plagas, vulneribus vulnera addiderunt, ut corpus ubique concisum videretur. Et Psal. 128. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, id est, sicut fabri dorsum meum quasi incudem contuderunt. 2. ex Christi corpore delicatissimo. 3. ex eo quòd vellet Pilatus per hanc flagellationem Judæorum barbariem flectere, ipsum illorum oculis potius animalis excoriati speciem præferentem, quàm hominis, ostendendo. 4. quia ferunt nonnulli Christum in flagellatione quinque millia verberum recepisse: quod facilè credent, qui animadverterint plura hominum paria sibi successisse, aliquos loris armatos, alios virgis, hos catenis aduncis, illos stimulis ferreis, alios aliis hujusmodi flagellis, si Paulo à Palatio credimus. 5. supplicii atrocitatem vincebat omnimoda Christi nuditas: *Alligatus autem nihil omninò operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ*, inquit S. Birgitta lib. 1. Revelat. cap. 10.

Petes 4. Quoties Christus tempore passionis fuerit nudatus?

Resp. Probabilius tertiò, semel in flagellatione, semel in coronatione, & tandem in crucifixione. Porrò in coronatione, quando ipsum exuerunt, ut ipsi imponerent chlamydem coccineam, cruentissima fuit nudatio; quia vestia quasi vulneribus agglutinata, debuit per vim cum vulnerum renovatione abstrahi. Volunt tamen aliqui bis tantùm fuisse nudatum, adeoque inter flagellationem & coronationem non resumpsisse vestimenta, referentes illud *Exeuntes* Matth. 27. tam ad flagellationem, quàm ad coronationem; sed, quidquid sit, si tantùm duplex fuit nudatio, debuit equidem secunda, ob rationem dictam, esse dolorosissima.

Petes 5. Ubi esset B. Virgo tempore flagellationis?

Resp. Interfuisse ibi flagellationi, sicut interfuit crucifixioni: *Ad primum igitur ictum, ego quæ adstabam*, inquit ipsamet B. Virgo in Revelat. facta B. Birgittæ loco cit. *propinquius cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella carnes ipsis flagellis sulcabantur.*

Petes 6. Cur milites imposuerunt Christo coronam spineam?

Resp. Ad ludibrium & tormentum; *ad ludibrium* quidem, simulantes velle ipsum inaugurare Regem cum omnibus Regum insignibus: & ideo adducunt 1. totam cohortem quasi Regia exercitum. 2. collocant ipsum in lapide aut scamnò elevato quasi throno. 3. Paludamentum fuit chlamys coccinea; sceptrum, arundo; corona spinea, diadema; populi acclamationes & reverentia, ludibria militum, genuflexiones & salutationes, *Ave Rex Judæorum*; *Ad tormentum* verò, tum quia spinæ erant acutissimæ, tum quia capiti & cerebro infixæ, ubi viget omnium musculorum, nervorum sensuum, & sensationum origo.: unde B. Brigitta lib. 4. Revel. cap. 70. *Et tunc corona spinea capiti ejus arctissimè imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat, plurimis rivis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, crines & oculos, & barbam replentibus, ut quasi mihi nihil nisi sanguis totum videretur; nec ipse me adstantem cruci videre potuit, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem.*

Petes 7. Cur Pilatus antequam Christum condemnaret ad mortem, laverit manus?

Resp. Ad ostendendam innocentiam suam, seu quòd coactè & contra voluntatem, Christum condemnaret: unde dicebat Matth. 27. *Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis.* Sed *laverit licèt manus Pilatus, tamen sua facta non diluit, ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum*, inquit Augustin. serm. 118. de tempore: unde Christum condemnando, triplicem commisit injustitiam. 1. usurpando jurisdictionem, quam in Christum non habebat. 2. pervertendo ordinem judiciorum, seu Christum, non ob crimen, sed ob populi tumultum condemnando. 3. pervertendo ipsam justitiam, seu damnando innocentem, ne fieret inimicus Cæsari.

ARTICULUS V.

Christus in monte Calvariæ.

POstquam excors & ignavus Præses, remordente conscientia, omnium injustissimam in Jesum protulisset sententiam, infamis nempe crucifixionis, exuerunt illum milites chlamyde coccinea, sed non corona spinea, & indutum vestibus suis ducunt innocentem Isaac ad victimam, in monte, non Moria, sed Calvariæ, pro omnium salute immolandum. Bajulans autem Jesus crucem suam longitudinis 15. pedum & latitudinis octo, occurrit cuidam Simoni Cyrenæo, quem angariaverunt, seu compulerunt milites, ut tolleret crucem Jesu.

Petes 1. An Christus portaverit crucem cum Simone, ita ut hic portaret extremitatem unam, & Jesus alteram, ut depingunt quandoque Pictores?

Resp. Neg. Sed uterque successivè portavit totam, ita ut, Simone ferente, præiret Christus exoneratus, idque ob nimiam corporis sanguine extenuati debilitatem, & ingentem crucis molem. Hocque patet tùm ex Evangelistis, qui dicunt Simonem, non adjuvisse Christum in crucis gestatione, sed simpliciter portasse crucem Jesus. Tum ex Patribus idem sentientibus: undè S. Athanasius serm. de cruce: *Primum igitur portavit* (crucem) *velati trophæum adversus diabolum, Jesus rursum autem gestavit eam Simon homo, ut omnibus notum fieret, quod non suam ipsius, sed hominum mortem moreretur Dominus*.

Petes 2. Cur locus ubi crucifixus est Jesus, dictus sit Calvariæ?

Respondet Hieronymus sic dictum esse, quia in eo loco multa erant suppliciatorum capita calva, seu crania, erat enim locus supplicii, ubi Rei plectebantur quocumque mortis genere. Communis tamen SS. Patrum opinio est dictum esse *Calvariam*, seu *Golgotha*, quod interpretatur *Cranium*, quia ibi sepultus est primus Adam, quem secundus Sanguine suo è cruce distillante redemit, & ad vitam gratiæ revocavit.

Petes 3. Cur passus sit Christus extra Jerusalem?

Resp. Causam primariam fuisse ut significaretur virtutem crucis Christi, scilicet fidem, gratiam & Ecclesiam à Judæis transferendam ad omnes totius mundi gentes undè S. Leo serm. 9. de Passione: *Ut crux Christi non Templi esset ara, sed mundi.*

Petes 4. Quoties fuerit Christus in Calvaria potatus?

Resp. Bis: semel ante crucifixionem, cùm dederunt ipsi *Vinum myrrathum*, vel felle mixtum, vel fel dictum ob amaritudinem: quod noluit Christus bibere, vel ut detestaretur malitiam Judæorum, ità crudeliter moribundum tractantium vel ut majorem sitim perferendo, expiaret gulæ nostræ immortificationes. Deindè cum in cruce penderet, & exclamasset *Sitio*, tunc enim obtulerunt ei spongiam aceto plenam: quod non recusavit, sed bibit ut nobis relinqueret mortificationis exemplum.

Petes 5 Quot clavis fuerit Christus cruci affixus? Suppono quòd etsi funes fuerint adhibiti ad colligandum cruci Christi corpus, ne aliàs tota corporis moles à solis manibus penderet, verè tamen fuisse clavis perforatos pedes & manus juxtà illud Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Ad quæstionem

Resp. Tribus clavis: uno siquidem affixa est manus dextra, altero sinistra, & tertio duo pedes sibi superpositi, & ità refert S. Birgitta libr. 1. Revel. cap. 10. cui non contrariatur noster Lucas Vvadingus asserens S. Patris Francisci Stigmata quatuor clavos repræsentare; quia, cùm B. Francisci pedes non sint superpositi, debuit clavus in utroque pede apparere: cùm non sit ratio cur potius appareret in uno, quàm in altero. Porrò clavi illi erant ferrei, volasque manus (ubi viget tactus, ideòque vehemens est dolor) vi malleorum adacti, perforabant.

Petes 6. An Christus fuerit affixus cruci jam erectæ, an verò humi stratæ?

Resp. Non convenire Authores. Crediderim tamen probabilius affixum fuisse cruci necdum erectæ. 1. quia sic fiebat cum illis, qui crucem ferebant: secus cum aliis in patibulo jam erecto suspendendis. 2. quia sic semper crucifixionem repræsentavit pia fidelium cura, ità ut videatur esse quædam traditio.

Petes 7. Cur potiùs fuerit Christus crucifixus, quàm alio supplicio affectus.

Resp.

Resp. Causam litteralem ex parte Judæorum fuisse, ut hoc supplicium super omnia ignominiosum & infame Christi nomen & sectam aboleret, ac totaliter ex hominum memoria eriperet; Ex parte Dei; quia placuit Deo per stultitiam crucis salvos facere credentes: undè crux, ut ait Paulus 1. Corint. 1. est Judæis scandalum, gentibus stultitia, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Dei virtus & sapientia. Causæ verò morales assignantur à Patribus sequentes: prima, quia sicut peccatum fecit Adam extendendo manum ad lignum vetitum, ita peccatum destrueret Christus extendendo manum ad lignum crucis; secunda, ut pendens in aere inter cœlum & terram, cælites terrenis reconciliaret. Tertia, ut mors illa infamis & crudelissima animaret Apostolos & Martyres ad subeunda pro Christi amore quælibet supplicia: undè Augustinus in Psal. 140. *Ut Discipuli ejus mortem non modò non timerent, sed nec genus mortis horrescerent*. Quarta voluit in aere mori Christus, ut viam cæli nobis ostenderet. Quinta, quia supplicium crucis quasi omnia comprehendit supplicia: nam manus pedesque secat quasi gladius, corpus distendit ut equuleus; lacerat ut ungula: laniat ut bestiæ: interiùs urit & cruciat ut flamma: sicque omnia illa sustulit, ut impetraret Martyribus virtutem quælibet supplicia perferendi,

Petes 8. Quo die crucifixus est Christus?

Ref. Eodem die quo fuit conceptus, nempè 25. Martii, ut colligitur ex Martyrologio Romano, ubi illo die fit mentio S. Dismæ latronis, cui dixit Christus; *Hodie mecum eris in Paradiso*. Idem censent SS. Chrysostomus, Augustinus, Thomas, & alii unde tunc expleverat à momento conceptionis triginta quatuor annos.

Petes 9. Qua hora fuerit crucifixus?

Resp. Hora quasi sexta, ut ait Joannes, & ideo quando dicit Marcus: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, loquitur de hora tertia completa, postquam immediatè incipit sexta; quia horæ apud Judæos & Romanos comprehendebat tres ex nostris. Cum autem initium horæ sextæ sit in meridie, quia ab ortu solis sex horæ transierunt, circà meridiem fuit crucifixus, & hora nona expiravit, seu tertia pomeridiana, ità ut fuerit per tres horas in cruce antequàm moreretur: quo tempore *tenebræ factæ sunt per universam terram*, per miraculosam eclipsim solarem, seu interpositionem lunæ inter solem & terram, quam advertens S. Dionysius Areopagita exclamasse fertur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur

Petes 10. Quoties Christus fuerit locutus in cruce?

Resp. Septies. 1. Veniam postulans pro suis interfectoribus: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*, Luc. 23. 2. amicabiliter conquerens se à Patre quasi derelictum, in quantùm permittebat ipsum totam vim & cruciatum mortis amarissimæ sentire; *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me*; Matth. 27. 3. dum dedit Mariæ Joannem in filium, & Mariam Joanni in matrem: *Mulier, ecce filius tuus. Deindè dicit Discipulo: ecce Mater tua*, Joan. 19. 4. dum promisit Paradisum latroni pœnitenti, Luc 23. *Hodiè mecum eris in Paradiso*. 5. dum paulò ante mortem exclamavit, *Sitio*, Joan. 19. sitiebat autem, tum quia ferè à 20. horis nihil sumpserat tum quia expurgaverat humorem omnem; tum etiam quia penè totum sanguinem in passione effuderat. Sed præsertim sitiebat animarum nostrarum salutem. 6. dum commendavit animam Patri, Luc. 23. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*. 7. dum moriens exclamavit. *Consummatum est*, Joan. 19. Hæc verba explicata & moralizata vide apud Authores, & præsertim apud Bellarminum de septem verbis Christi in cruce.

SECTIO XVII.

Christus mortuus & sepultus.

PEtes 1. Cur Christus moriendo inclinaverit caput?

Ref. Variis de causis. 1. ut quasi insinuaret Patri peractum esse legationis suæ officium, ac ideò postularet, accepta benedictione paterna, facultatem recedendi à terra & redeundi ad Patrem. 2. ut ostenderet se mori ex obedientia. 3. ut Matrem, Joannem, & alios ex devotione cruci adstantes quasi amplecteretur, ac faciem averteret ab iis qui crucem fugiunt. 4. quia omnium hominum gravabatur pondere peccatorum. 5. se inclinat quasi dormiturus, ut ostendat mortem suam potiùs esse somnum, ob resurrectionem brevi futuram.

Petes 2. Cur mortuus sit Christus facie aversa à Jerusalem, & conversa ad Occidentem?

Ref. Ut ostenderet quòd relictis impiis Judæis, converteret se ad gentes; & ideò Christiani ex Apostolorum institutione orant, suaque templa disponunt ad Orientem quasi Christi Crucifixi faciem intuentes.

Petes 3. Cur, mortuo Domino, velum Templi scissum est?

Resp. 1. Ut Templum ipsum quasi indignationem suam in Sacerdotes & Pontifices Deicidas manifestaret. 2. ut insinuaretur lacerandam & abrogandam esse legem veterem cum suis sacrificiis, ritibus & cæremoniis legalibus.

Petes 4. Qualis fuerit terræ motus, qui contigit mortuo, Domino?

Ref. Fuisse universalem, & vehementissimum, ità ut totus terræ globus è centro suo avulsus contremuerit, & concussus sit: ipsumque mare, quod cum terra globum unicum efficit, horrendis fluctibus insonuerit & exundaverit, ut Creatoris sui necis indignitatem suo fremitu loqueretur sicut loquebatur terra suo motu, aer tenebris, & luna obscuratione, petræ scissione, Templi velum sui fractura, sepulchra apertione. Quod autem terræ motus fuerit universalis, indè colligitur, quòd etiam universalis fuerit eclipsis solaris, & aliundè in diversis mundi partibus, scissi fuerunt montes, ut refert Baronius. Imò tunc scissas esse montis Alverniæ petras, revelavit Angelus S. Patri Francisco oranti, qui nunquam scissuras illas contemplabatur, quin statim memorata Christi passione, scinderetur corde, ac tandem scinderetur & corpore, recipiendo in illo monte Christi Stigmata.

Petes 5. An Sancti, qui post Christi mortem resurrexerunt iterum sint mortui. Negant aliqui, etiam SS. Patres, voluntque resurrexisse ad vitam immortalem, adeoque fuisse cum corpore in cœlum translatos. Sed

Resp. Affirm. Cum S. Aug. & D. Thoma; quia ne unius quidem legitur corporea in cœlum assumptio, & tamen surrexerunt multi, ut ait Matth. c. 27. Deindè talis assumptio soli Christo, ejusque Matri tribuitur communiter: unde B. Virgo S. Birgittæ revelavit & dixit lib. 6. Revel c. 64. *Nullus corpus humanum in cœlo est, nisi corpus gloriosum Filii mei, & corpus meum*. Credibile est tamen non diu vixisse, imò omnes cum Christo (priùs tamen rursum mortuos) in cœlum ascendisse. Porrò nullus illorum resurrexit ante Christum, cùm Christus dicatur Primitiæ dormientium 1. Corint. 15. hocque insinuat Matthæus sup. ubi ait: *Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus*.

Petes 6. Cur miles aperuerit latus Christi mortui?

Resp. Quia licèt ejus socii crederent eum mortuum, & ideo non fregerint ejus crura, sicut fregerunt latronibus; hic tamen dubitabat, tum quia latrones nec dum erant mortui, tùm quia non tam citò moriebantur crucifixi; & ideo *Pilatus mirabatur si jam obiisset*, Marc. 15. unde rei veritatem experturus, latus ejus transfixit. Ex latere autem aperto, miraculosè fluxit aqua & Sanguis: aqua quidem, non phlegmatica, non Sanguini mixta, sed pura; & ideo miraculosa: Sanguis verò, non condensatus, non congelatus, qualis est in mortuis, sed fluidus: quod, secluso miraculo, fieri non poterat Porrò mysterium hoc nobis innuit ex Christi latere fluxisse mysticè omnia Sacramenta; quia ad Baptismum per aquam repræsentatum, & ad Eucharistiam per Sanguinem figuratam, reducuntur alia Sacramenta, tanquam ad suum principium & finem, seu complementum.

Petes 7. Ubi sepultum fuerit corpus Jesu?

Resp. Sepultum fuisse in horto Calvariæ proximo, ut insinuat Joannes cap. 19. voluit autem in horto sepeliri, ut ejus passio in horto inchoata & in horto completa, deleret Adami culpam in horto patratam. Porrò monumentum erat novum & alienum; *novum* quidem; quia congruebat ut qui novus homo erat, novosque facere homines venerat, novo conderetur sepulchro, ait Augustinus serm. 133. de tempore: *Alienum* verò; nam *ut quid illi propria sepultura, qui in se propriam mortem non habebat*; & præmiserat: *In aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute*, unde qui voluit in alieno nasci, voluit in alieno sepeliri.

Petes 8. Quamdiu fuerit Christi corpus in Sepulchro?

Resp. Tribus diebus, & tribus noctibus, saltem per synecdochen. Patet ex Matth. 12. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ*, nempe in lymbo secundùm animam, ut dicemus,

& in

& in sepulchro secundùm corpus. Ut autem reperiantur tres dies & tres noctes, saltem partiales, sumendus est dies prout componitur ex 24. horis, sive incipiat à vespere ad vesperam, sive à media nocte ad mediam noctem: tunc enim reperietur ultima pars diei veneris, totum sabbathum, & pars diei Dominicæ: sicut & pars noctis concludens diem veneris pars incipiens sabbathum, & altera incipiens Dominicam.

Petes 9. Ubi fuerit anima Christi in triduo corporis sepulti?

Resp. Mox ut Christus expiravit, animam ejus descendisse substantialiter ad inferos, seu ad Patrum lymbum, ibique ad Resurrectionem usque mansisse, ubi animas detentas sua præsentia fuit consolatus, imò sua Divinitate evidenter exhibita, essentialiter beatificavit, convertendo carcerem in palatium, & lymbum in Paradisum, ut tenent communiter Catholici, & definivit Benedictus XI. Extrav. *Unigenitus*; & ideò dixerat latroni pœnitenti: ***Hodie mecum eris in Paradiso***, non intelligendo cœlum; cum ad illud non ascenderit latro, nec Patres ante Christi Ascensionem, quando secum captivam duxit captivitatem, sed lymbum, ut ità loquar, paradizatum. An autem etiam substantialiter descenderit in Purgatorium, & infernum damnatorum, an solùm per operationem? Res est incerta; piè tamen credunt nonnulli animas purgantes omnes, vel saltem aliquas beatificasse; dæmones verò & homines impios in inferno, tursum ad gehennam perpetuam damnasse, tanquam eorum Judicem, Dominum, Victorem, & Triumphatorem.

SECTIO XVIII.

Christus resurgens.

PEtes 1. Qua hora Christus resurrexerit? Docet Hieronymus surrexisse paulò post mediam noctem; seu circiter hora prima nocturna. Sed

Resp. Cum communi Patrum & Doctorum sententia surrexisse circa initium auroræ, seu circiter hora quarta, seu duabus horis ante solis ortum, qui tunc oriebatur hora sexta, juxta computum nostrum, eò quòd esset æquinoctium. Hanc sententiam communem confirmat Ecclesia in Hymno veteri Dominicæ in Albis, ubi canit: *Aurora lucis rutilat ...... cum Rex ille fortissimus mortis confractis viribus &c.* Undè Marc. 16. dicitur: ***Surgens mane prima Sabbathi***, id est, prima die post Sabbatum, quæ nunc dicitur Dominica, & talis vocari cœpit ab initio Ecclesiæ, ob memoriam Resurrectionis Dominicæ.

Petes 2. Quomodo concordari possunt Evangelistæ circà adventum mulierum ad Christi sepulchrum, cum Matthæus dicat venisse ***vespere Sabbathi***; Marcus, ***Orto jam sole***; Lucas; ***valdè diluculo***; & Joannes, ***cùm adhuc tenebræ essent?***

R. D. Ambrosius opinatur alias fuisse mulieres, quæ venerunt vespere, & alias manè; Hieronymus verò, fuisse quidem easdem, sed sæpius venisse; & ideò de diversis adventibus loquuntur Evangelistæ; sed omnes de iisdem mulieribus, eodemque earum adventu narrare, textum attentè consideranti patebit: unde dicit Matthæus, ***Vespere Sabbathi***, quasi diceret, ***nocte quæ sequitur diem Sabbathi***, ut explicat Augustinus; quia nempe nonnunquam usurpabant Hebræi vesperum pro nocte: quod confirmat ipsemet Matthæus per verba immediatè sequentia: ***quæ lucescit in prima Sabbathi***, id est in Dominica: verbum autem ***lucescit***, inducit quòd nox tenderet ad finem, seu procederet ad auroram. Ex quo patet Matthæo conformem esse Lucam dicentem, ***Valdè diluculo***, imò & Joannem; cùm in aurora sint adhuc tenebræ, licèt non ità densæ. Major est difficultas circa textum Marci, dicentis; ***Orto jam sole***; sed dicendum per ortum solis non intelligere elevationem illius supra horizontem, aliàs non dixisset immediatè ante, ***valde mane***, sed primariam solis illuminationem, quæ diu ante apparet, quàm appareat sol. Illis autem, quibus non placet illa concordia, dicam egressas esse domo mulieres cùm adhuc tenebræ essent, & venisse ad monumentum orto jam sole; unum autem Evangelistam loqui de principio, & alterum de fine egressus.

Petes 3. Cur resurrexit Christus?

Resp. Ob varias rationes 1. Quia si se humilians exaltabitur, congruebat JESUM profundissimè per crucem humiliatum, nobilissimè per Resurrectionem exaltari. 2. Ut adimplerentur Scripturæ, ejus Resurrectionem aut prænuntiantes, ut Psal 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, aut præfigurantes, ut in Jona, sicut diximus ante ex Matthæo. 3. Propter spem nostram: si enim resurrexit Caput nostrum, resurgemus & nos, qui sumus ejusdem corporis membra. 4. Propter justificationem nostram, ut legitur Rom. 4.

Petes 4. An revolverit Angelus lapidem monumenti, ut ex eo Christus resurgeret?

Res Neg. Quia antequam revolveretur lapis, Christus penetrato per dotem subtilitatis monumento, resurrexerat, & qui nascens exierat de clauso Matris utero, exiverat resurgens de clauso monumenti ostio. Unde revolutus est lapis, ut ostenderetur mulieribus sepulchrum Christi corpore vacuum, indeque cognoscerent resurrexisse.

Petes 5. Quomodo, juxta Matthæum, sedebat Angelus super revolutum lapidem, cùm secundùm Marcum illum viderint mulieres introeuntes in monumentum, sedentem in dextris? volunt aliqui alium fuisse Angelum super lapidem, & alium in monumento? Alii verò fuisse eumdem, qui, cùm venirent mulieres, sedebat in lapide ad terrendos milites, sed postea ingressus est monumentum, in quo ab illis visus est, sicque conciliant Evangelistas. Nihilominùs

Resp. Fuisse eumdem Angelum, & non in monumento, sed in lapide fuisse visum à mulieribus; quia non dicit Marcus quòd viderint Angelum existentem in monumento, sed quòd introeuntes in monumentum, id est incipientes ingredi, viderint Angelum, qui nempe erat propè introitum super lapidem. Quòd autem Lucas cap. 23. dicat visos esse à mulieribus duos Angelos in monumento, alia est narratio, & alterius visionis posterioris.

Petes. 8. Cui primò apparuerit Christus post Resurrectionem?

Resp. Ad veritatem Resurrectionis persuadendam apparuisse primò Mariæ Magdalenæ, ut expressè habetur Marci 16. ***Surgens manè prima Sabbathi, apparuit primo Magdalenæ***: & certè congruebat, ut illa, quæ fortiùs videbatur Christi sepulchro adhærere, prior mereretur Christum resurgentem videre: unde in hac Peccatrice verificatum est illud Rom. 5. ***Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.***

Dixi: ***Ad veritatem Resurrectionis persuadendam***; quia censet D. Bonaventura, & cum eo plurimi alii, ad matris consolationem priùs apparuisse B. Virgini: & certè Filii conditio videtur hanc, erga Matrem dilectam, visitationem exigere.

SECTIO XIX.

Christus ascendens, ac in Patris dextera collocatus.

POstquam Christus per dies 40. apparuisset Discipulis loquens eis de Regno Dei, ac de faciendis pro mundi conversione eos instruens, tandem totum itinerarium suum conclusit gloriosa in cœlum Ascensione: *Hæc est*, inquit Bernat. serm. 2. de Asceus. ***Fœlix clausula totius itinerarii Filius Dei.*** Ascendit autem circa meridiem, si Augustino, Prospero, & aliis credimus, qui id colligunt ex eo, quod ascenderit paulò post comestionem, quasi prandium.

Petes 1. Cur Christus ascenderit quadragesimo die post Resurrectionem?

Res. Varias esse congruentias. 1. Quia hic numerus est in Scriptura sacer, utpote jejunio Moysis, Eliæ, & Christi consecratus. 2. Quia voluit per 40. dierum præsentiam illos consolari, quos per 40. horarum absentiam permiserat in morte tristari, ostendens se liberaliorem in consolationibus dandis, quam in desolationibus irrogandis. 3. Quia numerus quadragenarius est symbolum peregrinationis nostræ, & ideo quia voluit filios Israel per 40. annos peregrinari in deserto, antequam fruerentur terra promissionis; ità & voluit per 40. dies hic quasi peregrinari antequam ascenderet in terram æternæ promissionis. Non debuit autem statim à Resurrectione ascendere, ut paulatim ablactaret, & abduceret Discipulos à sua præsentia corporali, ne percellerentur, si tam subito eis eriperetur.

Petes 2. Cur Christus per tot sæcula expectatus, solùm per triginta tres aut quatuor annos fuerit cum hominibus conversatus, & quidem per triginta quasi latuerit?

Resp. 1. Quia illo tempore potuit totum legationis suæ

opus

opus adimplere, evangelizando, miracula patrando, virtutum exempla relinquendo. Potuisset quidem alias mundi Plagas peragrare; sed cùm esset Judæis promissus, ne ipsi occasionem sumerent dicendi non esse Messiam sibi promissum si aliis prædicaret, peragrata Judæa, alias mundi partes divisit Apostolis. 2. Quia *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, seu quasi infinitos exercuit virtutum actus, adeoque plures, quàm nos per centum aut mille annos exerceremus. 3. Quia ejus corpori quasi divinizato debebatur proprius locus, seu cœlum, ubi antonomasticè residet Divinitas seu Deus.

Petes 3. A quo sursum fuerit elevatus?

Resp. Elevatum fuisse à seipso, seu propria virtute, Divinitatis quidem, ut causæ principalis: humanitatis verò per supernaturalem agilitatis dotem subtilizatæ, ut causæ minùs principalis: unde D. Bernardus serm. 2. de Ascensione: *Quid putatis, Fratres, quantus dolor & timor irruperit Apostolica pectora, cùm eum viderunt à se tolli, & attolli in aera, non scalis adjutum, non sublevatum funibus; si Angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, gradientem in multitudine fortitudinis suæ*, id est, propriæ virtutis.

Petes 4. Quomodo sublatus est in cœlum?

Resp. Non fuisse subitò raptum ut Eliam, nec furtim sublatum, ut Henoch, sed videntibus Apostolis elevatum pedetentim, ut diutiùs pasceret oculos intuentium, donec tandem nubes suscepit eum ab oculis eorum. An autem postea successivè transeundo per cœlos intermedios, an verò instantaneè fuerit in cœlo Empyreo? disputant DD. Crediderim ego cum D. Thoma ascendisse successivè, sed cum agilitate & velocitate, ut brevissimo tempore spatium intermedium pertransierit.

SECTIO XX.

Christus Adorandus.

SUpponn 1. Adorationem esse quamdam speciem honoris, qua quis alteri sese submittit in signum excellentiæ & superioritatis ejus, ubi *honor* ponitur loco generis, ad denotandum esse quid magis commune, quàm adorationem: & certè omnis adoratio est honor, non tamen omnis honor est adoratio, cùm honor reddatur æquali, imò & inferiori; Adoratio autem soli Superiori. Est autem duplex, interea una, quæ absolvitur interno submissionis actu, & ideo Angeli & animæ separatæ possunt verè adorare, quidquid dicat Vasquez disputans de nomine. Externa superaddit actui interno actum externum submissionis manifestativum, ut sacrificium, genuflexionem, capitis detectionem, prostrationem, imò & osculum, quando adhibetur ad denotandam, non amicitiam, sed reverentiam, ut fit quandoque in crucibus, imaginibus &c.

Suppone 2. Triplicem ordinariè assignari à Theologis Adorationem, *Latriam* unam, quæ defertur excellentiæ increatæ, seu Deo. *Duliam* alteram, quæ excellentiæ creatæ supernaturali: & tertiam *Hyperduliam*, quæ excellentiæ creatæ supernaturali, sed eximiæ & omnino singulari, qualem veneramur in B. Virgine.

Dixi: *Supernaturali*; quia licèt veneremur etiam excellentiam creatam naturalem: hæc tamen veneratio non dicitur ordinariè *Dulia*, sed vel *adoratio politica*, seu civilis, vel melius *observantia*: & hac colit Discipulus Magistrum, servus Dominum, subditus Prælatum, miles Ducem. Scio Calvinum & quosdam alios hanc divisionem irridere & criminari; quia idem omnino significant, juxta linguæ græcæ proprietatem, *Latria*, & *Dulia*, nempe servitutem, sed etiam scio suam significationem habere ab hominibus, qui pro diverso cultu præfata verba usurparunt, saltem in Latina, à tempore immemoriali. His suppositis

Petes 1. An Christus Homo sit adorandus Latria propriè dicta?

Resp. Affirm. Est de fide. Prob. 1. ex Scriptura Matth. 2. *Procidentes adoraverunt eum*. Et ad Hebræ: 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli ejus*. Ubi fit mentio de Christo simpliciter, adeoque tam homine, quàm Deo. 2. Ex Conciliis, Alexandrino in Epist. ad Nestorium: *Unus intelligitur Christus Jesus, Filius unigenitus, qui una adoratione cum carne propria adoratur* Et Tridentino sess. 13. cap. 5. ubi ait: *Latriæ cultum, qui vero Deo debetur huic sanctissimo Sacramento* (Eucharistiæ) *in veneratione exhibeant*. 3. Ex Patribus, ex quibus lubet audire Cyrillum lib. 1. de fide ad Reginas, ubi affirmat *in Christo non esse unam naturam quæ adoretur, & aliam quæ non adoretur, sed unam Verbi naturam incarnatam adorabilem cum carne sua una adoratione*. 4. Ratione, quia adoramus Latria Christum simpliciter: sed Christus simpliciter est compositum ex Divinitate & humanitate: ergo etiam adoramus Christum hominem seu humanitatem unitam Verbo: Est quidem humanitas quid creatum, sed ubi suppositatur à Supposito Divino, hoc adorato, adoratur concomitanter & suppositatum, cùm sit aliquid suppositi, licèt Suppositum primariò & directè, suppositatum verò, secundariò & indirectè adoretur.

Petes 2. An Christi humanitas præcisivè à Verbo, possit adorari?

Resp. Secluso scandalo affirm. non tameu Latria, sed Hyperdulia. Ratio prioris est, quòd humanitas Christi seorsim sumpta, habeat suam excellentiam, nempe dignitatem gratiæ sanctificantis, virtutum, donorum, scientiarum, & quidem in gradu excellentissimo: ergo est per se objectum adorabile. Dixi: *secluso scandalo*; quia ubi crederet quis nos dividere adorationes in Christo propter diversitatem personarum, ut faciebat Nestorius, esset ab illa adoratione abstinendum. Ratio posterioris est, quòd humanitas seorsim à Verbo considerata, non habeat excellentiam increatam, sed solùm creatam singularem; & ideo adorari deberet quadam Hyperdulia.

Petes 3. Quomodo potest honorari Christus per talem adorationem, cùm quis simul Rex & Dux, non honoraretur, si adoraretur præcisè ut Dux?

Resp. Disparitatem esse, quòd ex communi hominum usu censeatur venerans in aliqua persona dignitatem minorem, relicta majori, non cognoscere majorem; & ideo censetur potiùs personam despicere, quàm honorare. Secùs est de Christo, cui, cùm perfectè pateat animus & intentio nostra sufficientissimè cognoscit non honorari in ipso dignitatem minorem cum derrimento majoris.

Petes 4. An liceat adorare Immaginem Christi, & quo cultu?

Resp. Posse adorari cultu latriæ, non quidem secluso Exemplari, quasi verò posset esse secundùm se terminus integer adorationis; cùm secundùm se nullam habeat dignitatem adorabilem, utpote ut sic nullatenus nobis superiorem; sed quatenus consideratur simul cum Prototypo.

Prob 1. Quia Judæi adorabant arcam fœderis, seu Deum in arca; ante ipsam enim flectebant, accendebant lucernas, prostrati orabant &c. quidni eodem modo adoraremus Christum in imagine? 2. Ex SS. Patribus relatis à Controvertistis, quos consule. 3. Ex Traditione & praxi fidelium universali. 4. Ratione; quia illa est Imaginum natura, ut quod eis defertur, Prototypo deferatur, & consequenter adorare possumus Imagines seu Prototypon in Imaginibus, eodem cultu, quo adoraremus Prototypon solitariè sumptum.

Petes 5. Qualiter adorari possit crux Christi?

Resp. Cultu Latriæ: crux quidem in qua Christus pependit propter duplicem rationem, nempe propter repræsentationem Christi in ea extensi, & propter contactum a Christi membra. Aliæ autem, seu imagines veræ crucis, adeoque & Christi, ex quacumque materia sint fabricatæ, propter dictam repræsentationem: sequitur ex dictis de Christi Imagine.

Petes 6. An etiam cultu Latriæ adorari possint lancea, spinæ, clavi, & alia passionis Christi instrumenta?

Resp. Affirm. Propter contactum ad membra Christi, cui honor delatus instrumentis, censetur deferri. Non sunt tamen adoranda omnia præsepia, omnes clavi, omnes spinæ, sicut omnes adorantur cruces; quia lata disparitas est, quòd cruces omnes post edictum Constantini non habeant alium usum, quàm esse Christi crucifixi Imagines; clavi autem, columnæ, lanceæ &c. habent alium usum, nec usurpantur ut sint Christi Imagines: unde ad Imaginem non sufficit similitudo unius cum alio, sed requiritur insuper ad hoc significandum communis institutio, aut usurpatio: cujus defectu cruces latronum cum Christo crucifixorum non sunt Christi imagines.

Petes 7. Cur adoremus crucem & alia passionis instrumenta, cùm fuerint Christo instrumenta doloris & ignominiæ?

Resp. Fuisse etiam instrumenta victoriæ & lætitiæ ob triumphatum dæmonem, & redemptum genus humanum: ita quo respectu adorantur, non sub alio Sicut filius posset honorare patibulum patris, si in eo fuisset suspensus pro defensione patriæ, non pro suis delictis.

Petes 8

Petes 8. Cur potiùs adorentur illa instrumenta, quàm manus tortoris Christum percutientis, aut colaphizantis; cùm hæc tetigerit Christum, sicut illa?

Resp. Quia instrumenta illa, utpote inanimata, considerantur ut merè passivè se habentia, adeoque ut innocua; manus autem percutientis, utpotè animata, & quasi voluntate impii informata, consideratur ut activè concurrens adeoque ut moraliter nocua.

Petes 9. Quo sensu cantet Ecclesia: *O crux ave spes unica, &c.*

Res. Alioqui continentem pro contento per quamdam metonymiam, quasi diceret: *Ave Christe crucifixe.*


Petes 10. An sit adorandum Jesu Nomen?

Res. Affirm Si consideretur cum suo significato; quia tunc de illo sic loquendum est, ac de Christi Imagine. Si tamen seorsim consideretur, tantùm debetur ei simplex veneratio tanquam rei ordinatæ ad usum sacrum.

Petes 11. An Virgo ob gestationem Christi in utero, non sit adoranda cultu latriæ?

Resp. Neg. Quia cum habeat excellentiam propriam, utpote creatura rationalis, censeretur adorari latria propter se, & non propter Filium: unde adoranda est Hyperdulia, ut diximus.

Agunt hìc aliqui de cultu & invocatione Sanctorum; sed cùm hanc materiam, & aliàs inter Catholicos & Hæreticos specialiter agitatas, specialiter tractare speramus, huic Tractatui de Verbo Incarnato finem imponemus, omnia ad Christi laudem referentes, ac ejus in terris Vicarii censuræ subjicientes.



THEO-



THEOLOGIA MORALIS ET SCHOLASTICA.

DE SACRAMENTIS.



POSTQUAM Incarnationis Dominicæ miracula ad miraculum exposuit D. Subtilis, convenienti ordine disputat de Ecclesiæ Sacramentis: sunt enim Sacramenta certissimum amoris incarnati monumentum, pretiosumque pretiosi ejusdem Sanguinis pretium: fluxerunt siquidem de fontibus Salvatoris, id est, de salutiferis Christi crucifixi vulneribus, quæ tanquam Scaturigines aquæ cælestis salientis in vitam spiritualem, mediantibus Sacramentis, continuo fluxu nobis gratiam communicarunt & communicant.

Hunc Librum, quartum, scilicet Sententiarum dividemus in varios Tractatus, hucque per Disputationes, Quæstiones, & Articulos, præfigendo singulis Tractibus quid de materia in eo tractanda duxerit Concilium Florent. in decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

HÆc de Sacramentis in genere leguntur in præfato Eugenii IV. Decreto.

„ Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à Sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem cujusque hominis in seipso perfectionem: duo ultima, ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim, spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati nutrimur, divina Eucharistiæ alimonia. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam-unctionem: per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter per Matrimonium corporaliter augetur.

„ Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta tria sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile: unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

DISUTATIO I.

De essentia & quidditate Sacramenti.

QUÆSTIO I.

Quid significet vox Sacramentum?

SAcramentum, à sacro derivatum varias, sed maximè quatuor sortitur acceptiones 1. Sumitur interdum in Scriptura pro sacro mysterio, seu pro re sacra abscondita & secreta, ut Sap. 6. *Non abscondam à vobis Sacramenta Dei*, id est mysteria. 2. Acceptum est olim juxta Varronem lib. 4. de lingua latina, pro pignore apud summum Pontificem à litigantibus deposito, ut qui causa caderet, in pœnam injustæ litigationis, eo privaretur in favorem Ærarii. 3. Non raro usurpatur Sacramentum apud Jurisperitos pro juramento, eo quod per illud sacrum Dei nomen invocetur: unde L. *puberum* Cod. *si adversus venditionem*, legitur; *Sacramenta puberum sponte facta inviolabiliter custodiantur*. 4. Sumitur Sacramentum apud Concilia, Patres, & Theologus pro signo rei Sacræ, id est, pro eo quod sacrat seu sanctificat: & quidem satis propriè: nam si medicamentum dicamus id, quod medetur, quidni Sacramentum diceremus id, quod ad sacrandum seu sanctificandum institutum est? De Sacramento sic sumpto hic agimus.

CONCLUSIO UNICA.

V*Ox Sacramentum*, ut semper usurpatum fuit, etiam ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, idem est, quod signum practicum, seu ex virtute sibi à Christo communicata causativum gratiæ justificantis. Est contra nostri temporis Hæreticos qui modo volunt esse *Sigillum divinæ promissionis de grata nobis conferenda*, ut præfert Apologia confess. August. art. 13. his verbis: *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui addita est promissio gratiæ & remissionis peccatorum*. Quæ definitio (si ita vocare liceat) desumpta est ex Luthero l. de captivit. Babyl. cap. ult. ubi legitur: *Sacramentum est promissio signo externo annexa*; unde Kemnitius Lutherum secutus in 2. p. examinis: *Sacramentum*, inquit, *est signum materiale præceptum in novo testamento obsignans instar sigilli promissionem gratiæ*. Modo asserunt *esse testimonium justitiæ per fidem acceptæ*: unde Philippus in locis de Baptismo: *Ego mandata divino, & loco Christi te baptizo, id est, hoc signo testificor abolita peccata tua, & te reconciliatum esse verè Deo*: Modo esse *Symbolum excitativum, & sustentativum fidei*, per quam justificamur: hinc Calvinus lib. 4. instit. c. 14. §. 1. *Sacramentum est Symbolum externum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissionem conscientiis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem*.

Prob. autem conclusio: quia Baptismus dicitur Lavacrum regenerationis, nempe spiritualis, ad Tit. 3. confirmatio conferre Spiritum Sanctum Act. 8. Eucharistia dare vitam Joan. 6. Pœnitentia remittere peccata, Joan. 20. & sic de aliis: ergo Sacramentum est verè signum causativum gratiæ. Sed quia de hoc fusiùs Disput. 6. q. 1. ubi de effectu Sacramenti ex professo tractabitur; ideo hic tantùm Hæreticorum opiniones breviter confutabimus.

Prob. 1.

Prob. 1. Sacramentum non esse *sigillum divinæ promissionis* &c. quia sigillum debet esse certius & notius sigillatu; sed Sacramentum non est certius & notius promissiune divina, cum hæc sit ipsummet Dei verbum in Scriptura manifestatum: Sacramenta autem Verbo Dei cognoscantur: ergo. Deinde cùm non scias sacramenta esse sigilla divinæ promissionis, nisi quia id tibi renuntiat Scriptura, vel credis Scripturæ independenter à Sacramentis, vel dependenter: si independenter, ad quid Sacramenta? Si dependenter: ergo nescis esse sigilla divinæ promissiunis, cùm hoc tantùm habeas ex Scriptura.

Dices: Variis locis in Scriptura sigillatas esse Dei promissiones signo externo. Sic vellus Gedeonis fuit signum victuriæ sibi promissæ Jud. 6. umbra Horologii ad decem gradus retrocedentis, fuit signum sanitatis promissæ Regi Ezechiæ: ergo.

Resp. Dist. Ant. Signo externo miraculoso, ut qui non crederet Dei verbo, propter se, ei crederet propter miraculum: C. talia signa erant vellus Gedeonis, retrocessio Hurologii, imò & conceptus Joannis Baptistæ, ex Elisabeth sterili & sene, confirmandam B. Virgini promissionem conceptus virginei. Signo externo quod solùm creditur propter Dei verbum, qualia fuut Sacramenta: N. Vel enim creditur, primo Dei Verbo, vel non; si creditur, superfluit verbum secundum: si non creditur, nec creditur secundo, cùm sit par ratio.

Instabis: Aliquando Deus verbum verbo sigillavit ut quando statuit Iridem signum fœderis inter se, & Noe, Circumcisionem signum fœderis inter se, & Abraham: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Sigillavit verbo confirmativo: N. rememorativo, sicut Eucharistia est signum rememorativum Paschalis: C.

Prob. 2. Non esse *testimonium justitiæ acceptæ*; quia sæpè falsum esset, ut cùm quis accederet cum conscientia peccati gravi, aut simulans se credere, cùm revera non crederet. Nec dicas esse testimonium sub conditione fidei; cum, ut fatetur Lutherus lib. contra rebaptizantes, Baptismus non pendeat à fide baptizati, ut sit Sacramentum, adeoque *testimonium: Baptismus*, inquit, *non est fundandus supra fidem baptizantis, vel baptizati, quia uterque incertus est de fide*,

Dices: Loquendum est de Sacramentis novæ legis sicut de Circumcisione; sed illa fuit Abrahamu signum acceptæ justificationis, juxta illud Rum. 4. *Accepit Abraham signatulum justitiæ fidei*: ergo

R. Fuisse quidem circumcisionem tale signum Abrahamo ex speciali Dei benevolentia, non tamen ejus posteris, alias id non tacuisset Apostolus, & ideò non est unde id extendamus ad Sacramenta novæ legis.

Prob. 3. Non esse tantùm *signum excitativum fidei*: aliàs non plus valeret, imò minùs quam concio, aut Catechismus, qui fortiùs possunt fidem excitare, quam susceptiu Sacramenti; imò cùm Baptismus non possit in parvulis aut perpetuò amentibus fidem excitare, respectu illorum non esset Sacramentum: & ecce tamen Lutherus & Calvinus sic baptizati, non fuerunt rebaptizati. Dicere autem Luthero tunc parvulis infundi usum rationis, est in pleno die cœcutire, cùm contrarium evincat experientia in pueris tunc ejulantibus & renitentibus.

QUÆSTIO II.

Quid sit Sacramentum?

Quærunt hìc aliqui an Sacramentum possit propriè definiri, seu secundùm exactas Logicæ regulas: Quæstio puré philosophica est, & Theologis indigna; quid enim ipsis refert an propriè vel imprupriè definiatur, modò ita explicetur, ut ejus natura possit intelligi. Ante resulutionem

Suppono 1. Sacramentum esse terminum concretum, adeoque duo importare, materiale scilicet, & formale: materiale sunt res & verba, v.g. in Baptismo, *ablutio*, & hæc forma: *Ego te baptizo* &c. formale, est ipsa Christi institutio activa, moraliter perseverans, & præfata elevans ad esse Sacramenti; & ideò

Suppono 2. Sacramentum non esse adæquatè ens reale physicum; quia licèt physicum sit ex parte rerum & verborum, non tamen ex parte institutionis, quæ nonnisi moraliter censetur remanere, & cum rebus & verbis Sacramentum componere.

Suppono 3. Non rectè dici Sacramentum ens rationis; cùm sit reale physicum ex parte materialis, & reale morale ex parte formalis: & certè sicut nou dicitur ens rationis moneta, licèt coalescat ex pecunia, & institutione Principis, pecuniam ad talem summam valorantis, ita nec Sacramentum: onde meliùs dicitur ens reale murale habens ex Dei institutione unitatem moralem, ratione cujus potest una oratione explicari; & ideò cùm dicit Scotus formale Sacramenti esse ens rationis, loquitur in sensu eorum, qui institutionem passivam concipiunt per modum entis physicè existentis. His suppositis

CONCLUSIO I.

DEfinitur Sacramentum à Concilio Trid. sess. 13. cap. 3. *Symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ forma visibilis, sanctificandi vim habens*, cui non absimilis est definitio Catechismi ejusdem Concilii: *Sacramentum*, inquit, *est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet*. Breviùs ipsum definit D. Thomas 3. p. q. 60. art. 2. *Sacramentum*, inquit, *est signum rei sacræ, sanctificantis homines*. Has umnes definitiones tanquam bonas veneramur; sed aliam ex Scoto 4. dist. 1. q. 2. n. 9. majoris explicationis gratia exponimus.

CONCLUSIO II.

SAcramentum est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum efficaciter significans ordinatum ad salutem hominis viatoris.

Dicitur 1. *Signum*, quod est commune Sacramentis & Sacrificiis: unde non inter se differunt ratione signi, sed talitatis signi, eu quòd nempè Sacramentum primariò ad hominis salutem & secundariò ad Dei cultum ordinetur; Sacrificium verò è contrà: quamquam non repugnet eandam cæremoniam esse simul Sacramentum, & Sacrificium, sub diverso respectu, ut dicemus de Eucharistia.

Dicitur 2. *Sensibile*, propter rationes quæstione sequenti assignandas.

Dicitur 3. *Gratiam Dei*, idest, gratiam habitualem, quæ est, qualitas spiritualis à Deo infusa, animæ permanenter inhærens, ipsamque sanctificans, ac reddens Deo gratam. Posset etiam sub illa particula comprehendi secundariò gratia actualis, idest, auxilium quoddam transiens consistens in sancta cogitatione, aut pia voluntatis motione; quia ut infra dicemus, Sacramenta ultra gratiam habitualem conferuut gratias speciales ad finem, ad quem singula urdinantur, consequendum.

Dicitur 4. *Vel effectum Dei gratuitum*, idque propter Eucharistiam, quæ cùm sit Sacramentum permanens (per quod differt ab aliis Sacramentis, utpotè transeuntibus, & in solo usu consistentibus) non significat primariò gratiam habitualem, seu accidentalem, quam tantùm confert in sui sumptione, sed gratiam subsistentem, seu substantialem, idest, Christum Dominom, seu Christi Corpus & Sanguinem. Hanc autem gratiam vocat Scotus *effectum Dei gratuitum*, non quòd gratia habitualis non sit etiam effectus gratuitus, sed ut gratiam utramque nobis exponeret, sicque Eucharistiam prout est Sacramentum ante usum subsistens, sua definitione comprehenderet.

Dicitur 5. *Ex institutione divina*, cum enim res, quæ in Sacramentis usurpantur, non sint signa naturalia, nec naturalem habeant connexionem cum gratia quam significant, necesse est ut ad id usurpentur ab eo, qui potest ad illorum signorum positionem, & præsentiam, gratiam producere, qualis est solus Deus, aut Deus Homu Christus Dominus: huic Augustinus in c. 15. Joan. *Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat & cor abluat? Ex Dei institutione*.

Dicitur 6. *Efficaciter significans*, idest, significans & causans; ut excludantur Sacramenta veteris legis, quæ (si remedium legis naturæ, & Circumcisionem exceperis) gratiam quidem figurabant, sed non conferebant.

Dicitur 7. *Ordinatum ad salutem hominis viatoris*, quia cum Sacramenta instituta sint ad curandas aut præcavendas spirituales hominis infirmitates, superflua sunt Beatis, in quibus nec est, nec timeri debet ulla talis infirmitas: inutilia sunt damnatis, quibus impossibilis est salus, nec sunt proficua animabus Purgatorii, cum sint à peccato liberæ, & de salute obtinenda securæ.

Dices: Sequitur ex 4. particula, consecrationem esse Sacramentum, cum significet effectum Dei gratuitum, seu Christum Dominum, & consequenter octu sunt Sacramenta.

Resp. Significare quidem Christum sub speciebus Sacramentalibus contentum, non ideò tamen esse Sacramentum; cum actio illa non ordinetur primariò ad hominis salutem: sicut Sacramentum, sed ad recognoscendam Supremam Dei excellentiam, sicut Sacrificium: unde non significat primariò Christum ut animæ nutrimentum, sed ut Sacrificii victimam.

QUÆSTIO III.

Quale signum sit Sacramentum.

SAcramentum esse signum, patet tum ex definitionibus allatis, tum ex communi PP. & Theologorum consensu: unde D. Bernard. serm. 1. in Cœna Domini; *Sacramentum*, inquit, *dicitur sacrum signum*; & ideò non inquirimus an signum sit, sed quale sit?

CONCLUSIO I.

SAcramentum est de facto signum sensibile, potuit tamen esse insensibile.

Prob. 1. Pars 1. ex Scriptura, quæ Sacramentorum institutionem exponens, in rebus sensibilibus instituta esse, apertè declarat, ut patebit, singula Sacramenta cum singulis Scripturæ locis comparanti.

2. Ex D. Chrysostomo Homil. 83. in Matth. *Si enim incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.*

3. Ratione, quia congruebat ut Sacramenta instituta pro iis, qui nonnisi per sensibilia in insensibilium cognitionem deveniunt, rebus constarent sensibilibus. Accedit quod Christiani per Sacramenta in eandem conveniant Religionem, jam autem *in nullum Religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculorum aut Sacramentorum visibilium consortio*, inquit Aug lib. 19. contra Faustum, c. 11.

Dices: Corpus Christi in Eucharistia, Contritio in Pœnitentia, & consensus in Matrimonio sunt Sacramenta: sed illa non sunt sensibilia; ergo.

Resp. Dissimulata Maj. quam suo loco examinabimus, Dist. Min. Non sunt sensibilia ratione sui: C. ratione adjuncti: N. Corpus enim Christi fit sensibile per species, Contritio per Confessionem, & consensus matrimonialis per externam illius manifestationem.

Prob. 2. Pars, quia non implicat (quidquid reclament aliqui actum hominis internum, v. g. amoris, adorationis &c. elevari ad esse Sacramentale, quandoquidem non minus sit potens Deus ut conferat actui interno vim causandi gratiam, quàm actui externo: undè quòd illam vim tantùm contulerit signo externo & sensibili, non oritur defectu potentiæ, sed quia congruebat ita fieri.

Dices 1. Sacramentum definitur signum sensibile: ergo non esset sensibile, non esset Sacramentum.

Resp. dist. Ant. Sacramentum hactenus institutum, &c. C. quodlibet Sacramentum instituibile: N. Debet enim definiri Sacramentum, prout abstrahit à signo sensibili aut insensibili, signū ex Dei institutione efficaciter significativum gratiæ &c.

Dices 2. Si tale institueretur, nequidem esset signum: ergo non esset Sacramentum. Prob. Ant. quia nullam speciem ingereret sensibus: quod tamen ad rationem signi requirit Augustinus lib. de doctrin. Christ. cap. 2.

R. N. Ant. ad probationem ex Aug. Dico ipsum loqui de signo jam inter homines usurpato, qui cum solum in rebus sensibilibus inter se communicent, etiam tantùm signis sensibilibus utuntur. Porro actum merè internum posse esse signum, indè patet, quod possit ipsi competere essentia signi, nempè significare aliquid à se distinctum; actus enim adorationis v. g. elevatus ad esse Sacramenti, tunc significaret gratiam.

CONCLUSIO II.

DEbet esse Sacramentum signum stabile, & permanens, seu debet esse ad tempus notabile institutum. Ita Scotus
4 dist. 1. q. estque communis.

Ratio est, quia Sacramenta instituta sunt, non solum ut per ea sanctificemur; sed etiam ut per ea in unam Religionem, unamque Ecclesiam conveniamus: ergo sicut Ecclesiæ ac Religionis status est permanens, ita Sacramenta permanentem debent habere institutionem. Et ideò instituta fuere Sacramenta veteris legis pro toto tempore quo lex illa duravit, Sacramenta verò novæ legis, pro integro statu legis gratiæ, seu usque ad consummationem sæculi.

Dices 1. In definitione Sacramenti non fit mentio stabilitatis: ergo non requiritur.

Resp. Dist. Ant. Non fit mentio explicitè. C. Implicitè: N. eo enim ipso quo dicitur à Deo institutum, nempè pro fidelibus, insinuatur debere tamdiu subsistere, quamdiu subsistent fideles.

Dices 2. Duratio non est essentia rei: ergo sive diu duret Sacramentum, sive non, semper est Sacramentum.

Resp. Dist. Ant. Non est de essentia rei physicæ: C. Moralis, saltem quandoque: N. hocque patet in Beatitudine, ut est status, cujus ratio essentialis cessat, ubi cessat esse æterna. Non est igitur mirum quod Sacramentum ordinatum ad constituendum Ecclesiæ statum permanentem, desinat esse Sacramentum, ubi non instituitur permanenter durandum.

Dices 3. Signum sensibile protestativum fidei per parentes parvulis ab Originali mundandis applicatum, erat Sacramentum; sed non erat stabiliter institutum; cum posset quilibet quolibet signo protestationem illam facere: ergo.

Resp. Dist. Min. Non erat stabiliter institutum, prout erat præcisè protestatio fidei Mediatoris: N. prout erat protestatio taliter, vel taliter facta: Transeat; sed hoc non requiritur ad Sacramentum, ut patebit evidenter ex dicendis infra de materiæ Sacramentorum determinatione. Ex dictis

Resol. 1. Linguas igneas, quæ apparuerunt super Apostolorum capita, non fuisse Sacramenta, quia etsi forte gratiam significarent, erant tamen signa transeuntia. Idem est de apparitione columbæ. Marc. 1.

Resol. 2. Idem, propter eandem rationem, esse dicendum de insufflatione Christi in Apostolos Joan. 20 sicut & de Christi verbis, Magdalenæ & Paralitici peccata remittentibus.

Resol. 3. Lotionem pedum in ultima cœna (etsi supponatur tunc aliquibus gratiam contulisse) non fuisse Sacramentum, quia fuit quidem à Christo instituta, sed non permanenter.

CONCLUSIO III.

SAcramentum non est signum naturale, sed arbitrarium. Est communis & certa. Porrò duplex est signum, naturale unum, arbitrarium alterum. Naturale est, quod ex natura sua & independenter ab hominum institutione aliud significat, ut fumus respectu ignis. Arbitrarium quod tantùm significat ex instituentis voluntate, & beneplacito.

Ratio conclusionis est, quòd Sacramentum, v. g. ablutio in Baptismo, Chrismatio in Confirmatione, cum suis respectivè formis, nullam habeat connexionem naturalem cum gratia, ut per se patet; & consequenter non ex natura rei, sed ex beneplacito Dei ità volentis & instituentis, vim habent gratiam significandi & causandi.

CONCLUSIO IV.

SAcramentum jam institutum, est signum rememorativum, demonstrativum, & prognosticon; Rememorativum Christi passionis; demonstrativum gratiæ; & prognosticum gloriæ. Ità D. Thom. Scot. & alii communiter.

Ratio est; quia effectus Sacramenti jam instituti, non est gratia utcumque, sed gratia sanativa, & medicinalis; sed non habet vim sanandi, nisi ex Christi meritis; nec est sanativa, nisi ut creaturam rationalem ad finem suum perducat: ergo Sacramentum significans gratiam medicinalem, significat & Christi passionem ut causam efficientem, & gloriam ut causam finalem. Hoc totum exprimitur in hymno: *O Sacrum convivium.*

Dices: Sacramenta veteris legis non erat rememorativa Christi passionis: ergo.

R. Dist. Ant. Non erant &c. passionis ut peractæ, C. ut peragendæ, N. differebant enim in hoc à nostris, quòd significarent gratiam dandam ex meritis Christi passuri; nostra autem ex meritis Christi jam passi.

Dixi in conclusione: *Sacramentum jam institutum*, quia si Deus (qui potest absolutè loquendo, dare gratiam independenter à Christi meritis) institueret Sacramentum significans gratiam independenter à Christo conferendam, non significaret ejus passionem; cùm jam non significet Christi passionem, nisi quia significat ex Christi meritis procedentem, si saltem excipiantur Baptismus, & Eucharistia.

QUÆSTIO IV.

An Sacramentum debeat esse signum Sanctitatis internæ & præsentis?

SAcramentum debere esse signum Sanctitatis Internæ seu gratiæ sanctificantis, negarunt Bellarminus, Cano, Caspensis, & alii volentes sufficere quòd sit signum sanctitatis externæ & legalis, in hoc consistentis, quòd hominem antiquæ legis vel ad sacra munia consecraret, deputaret &c. Vel ipsum à maculis legalibus mundando, ad officia publica expeditum redderet. Debere autem esse signum veræ sanctitatis internæ docuerunt Vasquez, Soto, & alii cum sententia communi;

sed

sed noluerunt debere esse signum sanctitatis præsentis, seu dandæ in actuali usu Sacramenti, sed tantùm in Lege Euangelica conferendæ. Contra quos sit

CONCLUSIO I.

SAcramentum debet esse signum veræ sanctitatis internæ, seu gratiæ justificantis.

Prob. 1. Authoritate Concil. Patrum, ac Scholæ Principum, qui omnes unanimiter asserunt Sacramentum esse signum visibile formæ invisibiliter sanctificantis, sed sola gratia habitualis est illa forma invisibiliter sanctificans; quandoquidem sanctitas legalis tantùm externè & visibiliter sanctificaret, & quidem valdè impropriè; ac potiùs coram hominibus, quàm coram Deo: ergo.

Prob. 2. Sacramentum dicitur à sacrando, sicut vestimentum à vestiendo, nocumentum à nocendo &c. Sed si tantùm significaret Sanctitatem legalem, non verè sacraret hominem, cùm sanctitas illa relinqueret hominem peccatorem, etiam pessimum: ergo. Et ideò vocat illam Apostolus Hebræ. 9. *Emundationem carnis*, non *emundationem conscientiæ*, quo nomine vocat sanctitatem internam.

Prob. 3. Non potest Ecclesia instituere Sacramentum, ut posteà ostendemus: sed potest instituere cæremoniam significantem externam illam sanctitatem, ut patet in Tonsura, Clericum exterius consecrante, & deputante cultui divino: ergo &c.

Prob. 4. Quia si satis esset ad rationem Sacramenti significare sanctitatem legalem & imperfectam, innumera fuissent in lege veteri Sacramenta, cùm omnes purificationes, ablutiones, munditiæ carnis &c. Sanctitatem illam significarent; & tamen illa omnia fuisse Sacramenta nemo dixerit etiam adversarius.

Dices 1. Erant Sacramenta in lege veteri: sed illa significabant sanctitatem legalem, & imperfectam: ergo hoc sufficit ad rationem Sacramenti in genere.

Resp. Duo fuisse sacramenta ante legem Euangelicam, nempè remedium legis naturæ pro statu illius legis, & circumcisionem pro statu legis scriptæ, seu Mosaicæ, ut posteà ostendemus; illa autem, etsi fortè aliqualem sanctitatem externam conferrent, etiam tamen veram & internam conferebant, cùm gratiam habitualem causarent ex opere operato, ut dicemus suo loco.

Dices 2. Satis est ad Sacramentum in genere, quod sufficit ad Sacramentum in specie: sed sacramenta vera distincta à Remedio legis naturæ, & Circumcisione tantùm conferebant sanctitatem legalem, & tamen erant vera sacramenta, cùm significarent sanctitatem illi statui propriam: ergo.

R. Etsi sanctitas externa foret propria legi Mosaicæ, sicut sanctitas interna legi gratiæ, quia tamen sanctitas illa non erat sanctitas finalis etiam illius status, cùm ordinaretur tanquam dispositio, ad ulteriorem, nempè internam, ideò signa illam solam causantia non erant vera sacramenta.

Instabis: Ideò gratia interna est effectus veri Sacramenti, quia est propria statui legis Euangelicæ; sed sanctitas externa erat propria statui legis Mosaicæ: ergo.

R. Dist. Maj. Quia est propria præcisè, N. quia est propria & simul finalis, seu ad ulteriorem non ordinata, C.

CONCLUSIO II.

SAcramentum debet esse signum sanctitatis præsentis, seu in actuali usu Sacramenti conferendæ. Unde D. Thomas 4. dist. 1. q. 1 art. 1. *Dicendum quod Sacramentum secundùm proprietatem vocabuli, videtur importare sanctitatem activè.* Idem habet alibi.

Prob. 1. Sacramentum ex communi sensu PP. & Theologorum, est institutum ad hominis sanctificationem: sed si gratiam non conferret, sed tantùm per Christum dandum figuraret, malè diceretur institutum ad hominis justificationem, sed bene ad humanæ sanctificationis repræsentationem: ergo.

Prob. 2. Juxta August lib. 5 contra Julian. cap. 9. Omnia Legis Mosaicæ Sacrificia figurabant sanctitatem, seu gratiam per Christum conferendam; sed non nomina erant Sacramenta, cùm solam circumcisionem ut verum illius Legis Sacramentum simus posteà agnituri: ergo.

Prob. 3. Si sufficeret ad Sacramentum significare gratiam conferendam, sufficere etiam significare collatam cùm sit par ratio: sed hoc est falsum, aliàs Crux, Exorcismus, insufflationes, & quædam aliæ cæremoniæ in Lege nova adhibitæ essent sacramenta, cùm significent gratiam nobis per Christum collatam, & victoriam super Dæmones reportatam.

Dices 1. Eucharistia collata peccatori significat gratiam, & tamen illam non confert: ergo non est de ratione Sacramenti illam conferre actualiter.

R. Dist. Ant. Illam non confert defectu sui, N. defectu subjecti indispositi, C. unde non volumus omni casu conferre gratiam, sed semper ubi non ponitur obex, ex parte recipientis: quod non faciebant Sacramenta vetera à Remedio legis naturæ, & Circumcisione distincta.

Dices 2. *Sacramenta antiqua non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi, dandam esse figurabant*, inquit Florent. in decreto unionis: ergo hoc sufficit ad rationem Sacramenti.

R. Concilium illa vocare Sacramenta, non quia erant propriè talia, si Remedium legis naturæ & Circumcisionem exceperis, sed quia usus invaluerat apud Theologos & PP. ut tali nomine nuncuparentur: undeeùm non fuerit mens Concilii pacificare controversias purè Scholasticas, nihil etiam per hoc decidere voluit an Sacramenta propria, an impropria. Ex dictis

Resol. 1. Sacramenta veteris legis & nostra, non esse univocè sacramenta, quia licèt ratio nomini accommodata sit eadem, ratio tamen significandi est diversa, cum illa sanctitatem imperfectam & externam; hæc verò perfectam & internam significent.

Resol. 2. Dum Patres dicunt veteris legis Sacramenta cum nostris convenire vel loqui de Circumcisione, & remedio legis naturæ; vel, si de aliis, ut de Agno Paschali, Manna, purgationibus, consecrationibus &c tantùm velle convenire, in ratione causæ: cum utraque sint causæ morales sanctitatis sibi proportionatæ, & ideò fortè comparat Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. Sacramenta vetera cum novis.

Resol. 3. Non esse mirum nomen *Sacramentum* datum esse quibusdam antiquæ legis cæremoniis, cùm etiam attribuatur Cruci Christi, juramento, mysterio, & aliis rei sacræ signis.

DISPUTATIO II.

De necessitate existentia, numero, & institutione Sacramentorum.

QUÆSTIO I.

An fuerit necessarium, vel saltem congruum institui Sacramenta?

CONCLUSIO I.

IN nullo statu necessarium fuit, absolutè loquendo, institui Sacramenta. Est communis & certa, quam docet Scotus 4 dist. 1. q. 3. n. 2.

Ratio est; quia si quæ foret necessitas, vel ex parte Dei, vel ex parte hominis: non ex parte Dei; quia nulla ejus operatio ad extra, qualis est Sacramentorum institutio, est necessaria, sed contingens, & pro Dei libitu ponibilis: non etiam ex parte hominis, etiam lapsi; quia potuit spiritualis ejus infirmitas aliter reparari, ac salus reparata aliter conservari, quàm per Sacramenta, cùm Deo, qui potentiam suam non alligavit Sacramentis, non desint innumeri alii modi, quibus hominem justificet, ac justificatum conservet.

Dices: Scotus sup. n. 1. sic loquitur: *Pro quocumque statu in quo est morbus, necessaria est medicina;* per medicinam autem intelligit Sacramentum.

Resp. Ipsum non loqui de necessitate absoluta, sed de congruitate maxima: unde post verba citata immediatè subdit: *pro quocumque statu viæ, maximè post lapsum, congruum est hominem manuduci ad invisibilia per aliquid sensibile.*

Dices 2. Anathematizat Concilium Trid. sess. 7. can. 4. dicentem Sacramenta novæ legis, non esse ad salutem necessaria.

Resp. Dist. Assumpt. Dicentem non esse necessaria absolutè loquendo: N. dicentem non esse necessaria, supposita eorum institutione, ac de illis suscipiendis divina jussione: C. quia, illis suppositis, necessaria sunt homini viatori, aliqua quidem necessitate medii, alia necessitate præcepti, & ideò per hoc quod 2. Corinth 12. dicitur Paulo: *Sufficit tibi gratia mea*, non excluduntur Sacramenta, cùm per illa, gratia conferatur, conservetur, imò & augeatur.

CONCLUSIO II.

COngruum fuit, præsertim post hominis lapsum, institui Sacramenta. Ita Scotus sup. estque etiam certa.

Ratio est, quia congruebat hominem lapsum humiliari,

sanari, instrui, & sociari; hæc autem omnia præstant Sacramenta: *humiliationem* quidem Sacramentum Pœnitentiæ, in quo peccator ad pedes peccatoris prosternitur, per lamenta sua, ac ingenuam peccatorum accusationem, veniam impetraturus: *Sanationem* verò; quia Baptismus per lotionem sensibilem, & Pœnitentia per externam Sacerdotis absolutionem, spirituales animæ nostræ sordes abluunt: unde vocantur Sacramenta *remedia* & *medicamenta* Samaritani nostri, idest, Christi JESU, qui velut alter Samaritanus hominem spoliatum veste nuptiali gratiæ, & vulneratum peccati malignitate fovet & curat Sacramentorum medicamentis: *Instructionem* autem; quia per illa signa visibilia beneficiorum invisibilium collativa, excitari debet non ingratus ad Dei cultum & amorem: *Sociationem* denique; cum per Sacramenta specialem habeant membra populi electi conjunctionem, specialemque ab aliis distinctionem. Nec per hoc redditur Christi Domini Passio salutis nostræ causa insufficiens, quia Sacramenta non merentur nobis novam gratiam, sed gratiam ipsam, quam sua Passione meruit Christus, nobis applicant.

QUÆSTIO II.

An fuerint Sacramenta ante legem gratiæ?

TRiplicem ante legem gratiæ reperimus hominis statum, nempè statum *Innocentiæ*, in quo à sua creatione usque ad lapsum fuit solus Adam cum sua uxore, idque sex horis, ut volunt aliqui, vel octo diebus, ut placet aliis statum *legis naturæ*, sic dictum, non quia sola lex naturalis tunc vigeret, cùm etiam ab initio esset præceptum pœnitendi, & virtutes Theologicas exercendi, sed quia nullum Dei præceptum positivum reperiebatur scriptum. Duravit hic status pro descendentibus ex Abraham per Isaac & Jacob, sicut & pro Proselytis usque ad Moysen, pro aliis autem usque ad legem Euangelicam. Denique statum *legis scriptæ*, quæ à Moyse usque ad Christum comprehendit Israelitas & Proselytos. Inquiri autem potest an in quolibet illorum statu fuerint Sacramenta? Quod tribus Articulis resolvemus.

ARTICULUS I.

An fuerint, aut salutem fuissent Sacramenta in statu innocentiæ, si Adam non peccasset?

CONCLUSIO I.

NOn fuerunt in statu innocentiæ Sacramenta. Ita D. Thom. 4. dist. 1. q. 2. art. 2. & Scotus, dist. 1. q. 3. n. 7.

Ratio est; quia Sacramenta sunt signa permanentia, quibus Dei populus in unam coalescit Religionem: ergo cùm Deus prævideret statum innocentiæ non fore permanentem, ita nec pro illo stabiliendo signa instituit permanentia. Accedit quod nullum Sacramenti vestigium pro illo statu reperiatur in Scripturis, Conciliis, Patribus, aut Traditione. Unde

Resol. 1. Matrimonium Adami cum Eva, non fuisse Sacramentum; quia fuit quidem signum rei Sacræ, nempè unionis Christi cum Ecclesia, non tamen signum practicum sanctificationis humanæ, seu sanctificans homines, & ideò si alicubi Sacramentum vocetur, Sacramentum impropriè sumitur.

Resol. 2. Nec Sacramentum fuisse lignum vitæ in Paradiso terrestri: & ideò dum dicit August. lib. 8. de Gen. ad litt. c. 4. *Erat ei*, nempè primo parenti, *in lignis cæteris alimentum, in isto Sacramentum*, vocat ipsum Sacramentum, non quia erat sed quia Sacramentum nempè Eucharisticum, figurabat. Alii aliter probant Conclusionem nostram: volunt enim tunc nulla fuisse Sacramenta, quia nullus erat morbus: *Tolle morbos, tolle vulnera*, inquit Aug. serm. 9. de verb. Apost. *& nulla erit medicinæ causa*; sed hæc probatio claudicat: ostendit siquidem non debuisse esse Sacramenta mortuorum, non tamen vivorum, quæ ad gratiam, non reparandam, sed augendam, ordinantur.

Dices Confirmationem ordinari ad protestandam fidem in persecutionibus, Extremam-unctionem ad abstergendas peccatorum reliquias. Matrimonium ad frænandam libidinem: sed tunc nulla fuisset persecutio, nullæ peccatorum reliquiæ, nulla libidinis deordinatio: ergo.

Resp. 1. Etiam ad alios fines ordinari illa Sacramenta, nempè Confirmationem ad faciliùs credendum fidei mysteriis, Extremam-unctionem ad dimittenda peccata venialia, quibus fuisset obnoxius homo etiam innocens, & Matrimonium ad generis humani multiplicationem, sicque potuissent adhuc esse Sacramenta.

Resp. 2. Esto Sacramenta illa non essent tunc necessaria, non potest tamen idem ostendi de Eucharistia & Ordine, saltem ubi status ille diutius durasset, & ideò sit

CONCLUSIO II.

PRobabilius est in sententia Scoti docentis Christum fuisse venturum, Adamo non peccante, quod in statu innocentiæ diu perseverante instituta fuissent aliqua Sacramenta, ac præsertim Eucharistia & Ordo.

Prob. 1. Homo innocens potuisset peccare venialiter, imò & lethaliter (licet raro) cùm sic peccaverit Adam: sed Eucharistia, juxta Trident. sess. 13 cap. 2. est *Antidotum quo liberamur à peccatis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur*: ergo credibile est fuisse instituendam.

Prob. 2. Quia tunc fuissent eadem motiva ad instituendam Eucharistiam, ac nunc, nempè gratiæ augmentum, refectio spiritualis animæ, memoriæ Christi, auxilia contra lapsus, &c. ergo cùm nunc propter rationes illas sit instituta, quidni propter easdem tunc fuisset instituenda? An minoribus beneficiis fuisset cumulanda natura innocens, quam natura peccatrix?

Prob. 3. Quia *In nullum nomen Religionis, sive verum, sive falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur*, inquit August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. sed tunc fuisset vera Religio: ergo & vera Sacramenta. Nec dicas S. Doctorem loqui post lapsum; cùm lapsus sit omninò impertinens in ordine ad Religionem constituendam & aliunde non requirat ibi Augustinus Sacramenta ad naturæ lapsæ reparationem, cùm etiam loquatur de Religione falsa; sed ad visibilem coadunatorum communicationem, qualis etiam fuisset in statu innocentiæ.

Prob. 4. Tunc fuissent Sacrificia, quia ex D. Thoma 2. 2. quæst. 85. art. 1. *Offerre Deo Sacrificium, est de jure naturali*: ergo fuissent & Sacramenta. Consequentiam negant aliqui disparitatem allegantes, quòd Deus in omni statu sit quidem colendus, non tamen homo justificandus, nisi post lapsum. Sed esto non esset semper Sanctificandus Sanctificatione prima, semper est tamen Sanctificandus, vel Sanctificatione prima, quæ fit ordinariè per Sacramenta mortuorum, quæ supponunt lapsum; vel Sanctificatione secunda, quæ fit per Sacramenta vivorum non præsupponentia lapsum.

Dices 1. Tunc cessasset finis Eucharistiæ: ergo non fuisset instituta, adeoque nec Ordo, qui nonnisi propter debitam Eucharistiæ confectionem & administrationem institutus est. Prob. Ant. quia finis ejus primarius est reparare animæ vires, per pugnam partis inferioris adversus superiorem debilitatas; tunc autem non fuisset illa pugna.

Resp. Neg. Ant. Et ejus probationem; quia primarius ejus effectus, est fortiùs semper & fortius hominem Christo adunare; quod fit per gratiæ augmentum; unde Florent. in Dec. unionis: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum.*

Dices 2. Sacramenta fluxerunt ex Christi latere, seu sunt effectus Christi patientis; sed tunc non fuisset passus Christus: ergo.

R. Dist. Maj. Sacramenta nunc instituta, sunt effectus: C. Sacramenta tunc instituenda: N. sed fuissent monumenta Christi benefacientis, ac sui memoriam nobis relinquentis.

Dixi in Conclus. *In sententia Scoti* &c. quia in sententia D. Thomæ docentis Christum non fuisse venturum, Adamo non peccante, clarum est Eucharistiam non fuisse instituendam, adeoque nec Ordinem.

ARTICULUS II.

An fuerit aliquod Sacramentum in lege naturæ?

OMnes homines, etiam in lege naturæ, peccato originali fuisse coinquinatos apertè declarat scriptura, indiscriminatim Docens omnes in Adam peccavisse: Omnes etiam in illa lege potuisse ab illo mundari, insinuat benevolentia Dei volentis omnes homines salvos fieri. Sed quodnam fuerit remedium illud tollens & mundans culpam originalem? omninò incertum est.

CONCLUSIO I.

LOngè probabilius est nullum pro adultis fuisse tunc institutum Sacramentum pro delendo originali; adeòque nulla prorsus pro ipsis fuisse Sacramenta; quandoquidem si quod fuisset, præsertim illud.

Prob.

Prob. 1. Quia Patres unicum in illa lege Sacramentum agnoſcentes, pro ſolis parvulis inſtitutum eſſe commemorant, ut dicemus Concl. ſeq. quod ſane non dixiſſent, ſi adultis & parvulis fuiſset commune.

Prob. 2. Ideò pro parvulis Sacramentum in illo ſtatu cognoſcimus, quia vix poterant aliter mundari: ſed mundari poterant adulti per actum contritionis perfectæ: ergo. Prob. Maj. Quia licèt potuerit Deus ad actum hominis, etiam internum, parvulorum originale dimittere, mereri tamen alieni peccati deletionem, ſoli Chriſto fuit conceſsum.

Dices 1. Circumciſio in lege ſcripta fuit communis adultis & parvulis: ergo & Remedium originalis in lege naturæ.

Reſp. Diſt. Ant. Fuit communis, quia adultis abſoluté neceſsaria ſecundùm ſe N. quia ſic Deus ordinavit: C. ſed hoc non legimus ordinatum de Remedio legis naturæ.

Dices 2. In lege naturæ erant Sacrificia: ergo & Sacerdotes, & conſequenter Sacramentum ordinationis.

Reſp. Sacrificia fuiſse quidem tunc oblata, ſed à quolibet, etiam laico: unde in Epiſt. 2. decretali: *Licèt aliqui legantur prius Sacrificium obtuliſſe, ut Melchiſedech, & Abrahamus, hi tamen ſpontanea voluntate, non tamen Sacerdotali authoritate hoc fecerunt.* Præfert quidem Apoſtolus Hebr. 7. Sacerdotium Melchiſedech Sacerdotio legis Moſaicæ, non tamen quoad perſonæ conſecrationem, ſed quoad ſignificationem, eo quòd primum perfectiùs Chriſti Sacerdotium repræſentaret, quàm ſecundum.

CONCLUSIO II.

INſtitutum fuit pro parvulis in lege naturæ Sacramentum deletivum peccati originalis. Tunc inſtitutum fuiſse pro parvulis, ſeipſos per actus proprios juſtificandi incapacibus, remedium aliquod, conveniunt DD. Catholici, convicti ex ſincera Dei voluntate omnes homines ſalvandi, adeoque nunquam ipſos ſine remedio ad ſalutem neceſſario relinquendi. Et ideò Innocentius IV. *Abſit*, inquit, cap. *Majores* de Bapt. *ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem*; ſed non conveniunt omnes remedium illud fuiſse propriè Sacramentum: convenit quidem Scotus 4. diſt. 1. quæſt. 7. num. 2. convenit & D. Thomas in ſumma, p. 3. q. 70. art. 2. ad 2. ubi retractat quod junior docuerat 4. diſt. 1. q. 2. art. nempè *quod parvulis ſufficiebat ſola fides*, parentum, *ſine omni exteriori ſigno*; diſconvenit tamen Vaſquez, diſconveniunt & alii, contra quos

Prob. 1. Concluſio ex Auguſtino lib. 1. contra Julianum cap. 11. *Non eſt credendum*, inquit, *ante datam Circumciſionem, famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris fides) nullo ejus Sacramento opitulatos eſſe parvulis ſuis*. Ubi non utitur nomine Remedii, ſed Sacramenti.

Prob. 2. Illud eſt Sacramentum, cui conveniunt omnes Sacramenti conditiones: ſed tale fuit illud remedium, quandoquidem fuerit ſignum ſenſibile ex inſtitutione divina ſanctificans homines, ut patebit ex probatione ſingularum particularum: ergo &c.

1. Fuit *ſignum ſenſibile*, quia congruit ut membrum viſibile, Eccleſiæ viſibili adunetur per ſigna viſibilia, ut ſic moraliter conſtare poſſit Eccleſiæ de ejus aggregatione. Accedit quòd ſolus actus interior, v. g. fides parentum, ut volunt aliqui tam poſſit dirigi ad puerum abſentem quam præſentem, imò tam ad exiſtentem in utero materno, quam extra, & ſic poſset necdum natus renaſci, quod implicat: undè quod D. Gregorius lib. 4. Moral cap. 2. dicit: *Quod apud nos valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro Adultis* &c. ly *ſola* excludit quidem omne diſtinctum à fide non tamen fidem externam quæ conſiſtebat in proteſtatione fidei, ſigno ſenſibili manifeſtata.

2. Fuit *ex inſtitutione divina*, quia ſicut ipſius ſolius eſt peccatum delere, ita ipſius ſolius eſt ſignum, per quod peccatum deleatur, inſtituere. Non fuit quidem Signum illud à Deo determinatum in ſpecie, fuit tamen determinatum in genere & quantùm ſufficit ad rationem Sacramenti, inquantùm voluit ut eſset actus externus fidei de Chriſto Mediatore venturo, ſive interim illud eſset oratio, ſive benedictio, ſive oblatio, ſive Sacrificium, modo tamen proteſtationem illam ſignificaret. Simile quid legimus in Sacramento Ordinis, ubi voluit quidem Chriſtus ut eſſet ſignum expreſſivum poteſtatis per Ordinem traditæ, non tamen in ſpecie determinavit materiam & formam; ſed ipſas Eccleſiæ determinandas reliquit.

3. *Sanctificavit parvulos*, quia cùm Remedium illud peccatum originale deleret, ut fatentur Adverſarii, nec ſecundum legem Dei ordinariam, deleatur peccatum, niſi infundatur gratia, ſequitur, ubi parvulos mundavit, ipſos quoque ſanctificaſſe: & quidem ex opere operato, cùm enim opere operantis eſſet quandoque depravatum ob depravationem Miniſtri, & tamen ſemper effectum haberet remedium illud, ubi erat validum; debuit effectum illum habere ex opere operato. Negat quidem Concilium Florent. antiqua Sacramenta cauſaſſe gratiam, ſed quomodo veniat intelligendum dicemus poſteà. Ex quibus patet remedium illud fuiſſe verum, & propriè dictum Sacramentum.

Petes 1. Cur Sacramentum illud conferretur à parentibus aut Tutoribus?

R. Quia nulli erant Sacerdotes in illa lege, conſecrati aut deputati, ut patet ex Decretali Concluſione præced. citata.

Petes 2. An valeret ab infideli collatum?

R. Affirm. Modò intenderet facere quod faciebat tunc vera Eccleſia: ſicut valet nunc Baptiſmus ex eadem intentione ab infideli, ab Hæretico collatus, quia præſumendum eſt Deum tunc, ſicut nunc, ita voluiſſe ſuccurrere magnæ puerorum neceſſitati: undè docet Aug. lib. 1. contra Creſconium c. 31. valuiſſe Circumciſionem à Samaritano collatam. Ex quo ſequitur fidem requiſitam non debuiſſe eſſe ſupernaturalem, ut vult Durandus, nec charitate formatam, ut docet Vaſquez, ſed ſufficiſſe fidem objectivam implicitam contentam in voluntate generali faciendi quod tunc faciebat Dei Eccleſia.

ARTICULUS III.

An in lege ſcripta ſeu Moſaica, fuerint aliqua Sacramenta?

SUppono 1. Varia fuiſſe ſigna in illa lege, quæ nomine Sacramenti propriè aut impropriè dicti, intitulantur, nempè eſum Agni Paſchalis, cui ſucceſſit Euchariſtia: purgationes ab immunditiis legalibus, quæ figurabant Pœnitentiæ Sacramentum: conſecrationem Pontificis, Sacerdotum, & Levitarum, cuius locum tenet in lege nova, Sacramentum Ordinis. & Circumciſionem figuram Baptiſmi, de qua hic præſertim agimus.

Suppono 2. Circumciſionem (quæ fuit abſciſſio carnis præputii per circuitum) non tantum fuiſſe inſtitutam ad conſignandum Dei populum, ipſumque à qualibet alia natione diſtinguendum, ſed etiam ad delendum originale. Ad quid autem fuerit primariò inſtituta, certant Authores: de quorum lite minimè curamus, modò concedatur mundaſſe circumciſos ab originali.

Suppono 3. Licèt Circumciſio data fuerit quadringentis circiter annis ante legem Scriptam, fuiſſe tamen propriè loquendo cæremoniam legis Moſaicæ; quandoquidem in illa duraverit, ac Maſculis ex Abrahæ familia deſcendentibus: fuerit applicata. Dico *Maſculis*, & quidem octo dierum, quia pro fœminis, ſicut & pro parvulis, morti ante octavum diem expoſitis, applicabatur Remedium legis naturæ. Illi autem, qui non erant ex genere Abrahæ poterant circumcidi, ſed non tenebantur.

Suppono 4. cum D. Bonaventura octavum diem, quo puer erat circumcidendus, fuiſſe quidem de neceſſitate præcepti, non tamen de neceſſitate Sacramenti, & ideò ante illum diem, adhibita, fuiſſet valida, licèt peccaſſet circumcidens, eo quod ante illud tempus exponeretur puer, ob ætatis teneritudinem, mortis periculo.

Suppono 5. Licitum fuiſſe ex juſta cauſa, illam differre ultra octavum diem, & ideò Iſraelitæ tempore peregrinationis per quadraginta annos in deſerto illam non adhibuerunt. Ubi tamen cauſa ceſſaverat, erat adhibenda, quia dies octavus erat tempus urgens obligationem, non finiens: & certè ſi gentiles adulti legem moſaicam ſuſcipientes tenebantur circumcidi, quidni obligati fuiſſent illius legis cultores, ubi illam ex cauſa, aut ex negligentia diſtulerant? His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

IN lege ſcripta fuit verum & propriè dictum Sacramentum, deletivum peccati originalis. nempè Circumciſio. Eſt ſatis communis contra quoſdam volentes Remedium legis naturæ à ſui inſtitutione uſque ad Baptiſmum culpam originalem tam maſculis quàm fœminis remiſiſſe, adeoque Circumciſionem fuiſſe quidem conſignativam & diſtinctivam populi Iſraelitici, non tamen deletivam culpæ originalis.

Prob 1. ex Scriptura Gen. 17 *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*, id eſt, ut explicat Auguſtinus variis locis, de numero Juſtorum. ſed non omnis maſculus delebitur ratione præcepti violati, cùm parvulus ſit præcepti incapax: ergo ratione originalis non remiſſi, adeòque ſupponitur per circumciſionem remitti.

Nec dicas passum illum tantùm respicere adultos, eo quòd immediatè post subjungatur: *Quia pactum meum irritum fecit;* nam vers. 10. & infra expressissimè declaratur comprehendi parvulos, etiam octo dierum: unde pactum cujus fit ibi mentio, est illud quod Deus iniit cum Adamo de non comedendo fructu quod etiam parvuli in suo primo parente transgressi sunt. Et ità explicat Aug. lib. 2. de nupt. & concup. cap. 11.

Prob. 2. Ex PP. Augustino lib. 2. contra Petilianum cap. 72. *Certè antiquus populus Dei, Circumcisionem pro Baptismo habebat.* Et lib. 3. contra Julianum c. 18 *Responde si potes: Cur ipse Isaac nisi Baptismatis Christi signo, circumcisus die octavo fuisset, periisset anima ejus de populo suo? Explica si potes: tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo Sacramento liberaretur?* Quid clariùs? Gregorio lib. 4. Moral. c. 3. *Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres ... pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierant, Mysterium Circumcisionis*: unde Innoc. III. cap. *Majores* de Baptismo: *Etsi Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium* &c. Quibus concionat Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 12. cap. 2. ubi ait: *Manifestè datur intelligi Sacramentum Circumcisionis ad hoc institutum, ut per ipsum homo à debito primæ prævaricationis liberaretur.*

Prob. 3. Ratione Scoti; quia nunquam Deus, qui in omni statu providit hominum saluti, reliquit genus humanum sine remedio culpæ originalis deletivo; aliàs ejus saluti providisset, & non providisset: sed remedium illud pro masculis in lege scripta, fuit Circumcisio, ut patet ex Scriptura & Patribus citatis: ergo.

Prob. 4. Efficacius, ut fecimus de Remedio legis naturæ. 1. Fuit signum sensibile, cùm fieret cultro petrino in membro generationis, in quo senserat Adam primum inobedientiæ suæ effectum, nempè carnis rebellionem.

2. Fuit ex institutione divina; nam voluit Deus ut remedium originalis, quod anteà erat indeterminatum quoad modum externæ protestationis fidei, determinaretur in circumcisione pro masculis. & ideò factum est, ut dixi, in membro generationis, utpotè signum fidei de Christo ex Abraham nasciturо.

Dices Deum instituisse quidem circumcisionem ut distinctivum populi Judaici; homines verò, quibus liberum erat hunc vel illum actum assumere in signum protestatione fidei, Circumcisionem adhibuisse in tale signum.

Sed esto determinatio illa esset ab hominibus, cujus tamen contrarium insinuat Scriptura, & Patres citati; adhuc Circumcisio esset deletiva originalis ex institutione divina; quia statuit Deus ut quodlibet signum sensibile debitè significativum protestationis fidei parvulis applicatum, deleret originale, adeoque & Circumcisio.

3. Significavit efficaciter gratiam: nam juxta Trid. Sess. 6. cap. 7. non remittitur peccatum sine infusione gratiæ: ergo si Originale delevit, gratiam contulit; & quidem ex opere operato; quandoquidem illam non contulerit ex opere operantis ipsius parvuli, utpotè meriti personalis incapacis: nec ex opere operantis parentum, aut circumcidentis; nam ultra quod nemo sibi aut alteri mereri potest propriè primam gratiam justificantem, non satis fuisset provisum infantibus, utpotè qui nonnunquam à malis parentibus, aut à Ministris perversis, quorum multitudo erat maxima, circumcidebantur. Unde August. Lib. 4. contra Donatistas cap. 44. dicit Circumcisionem per seipsam, non per fidem parentis, aut circumcidentis multùm valere.

Obj. 1. Apostolus 1. Corinth 7. dicit circumcisionem nihil esse. Et ad Galat. 4. Sacramenta antiquæ Legis vocat infirma & egena elementa. Idem habet alibi.

R. Tantùm velle Circumcisionem nihil esse, nihil valere homini Christiano; quia in Christianismo, seu in lege Euangelica est abrogata, licèt valeret in lege Mosaica; & ideò non loquitur de illa, sed de aliis initio quæstionis citatis, dum Sacramenta Mosaica vocat *infirma* &c. quia circumcisio utpotè 400. annis ante legem Moysis data Patribus, non fuit purè Mosaica, sed tam legis naturæ, quàm scriptæ Sacramentum; cùm in illa incæperit, in hac perseveraverit: unde Christus Joan. 7 *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.*

Quòd si Apostolus alibi insinuet circumcisionem etiam in lege Mosaica nihil valuisse, tantùm intendit nihil valuisse, seu non habuisse vim justificandi in lege Mosaica, ex lege Mosaica, quia tantùm habuit ex lege illa consignare Dei populum ipsumque ab aliis populis discernere: Vim autem justificandi habuit quatenus determinatum legis naturæ remedium. Itaque dupliciter spectari potest circumcisio, vel quatenus erat certa fidei protestatio à parentibus, ad deletionem culpæ originalis, seu quatenus remedium legis naturæ quoad speciem indeterminatum determinabat, induebatque rationem Sacramenti pro masculis; vel quatenus erat pura cæremonia Mosaica; iam autem primo modo, non secundo conferebat gratiam.

Aliter etiam intelligi potest Apostolus, nempè Circumcisionem nihil valuisse in lege scripta ad sensum Judæorum, aut Judaizantium, qui Circumcisioni & aliis legis operibus efficaciam tribuebant independenter à meritis Christi, quem agnoscebant quidem ut liberatorem à servitute temporali, non tamen à servitute peccati. His autem sensibus veniunt explicandi Patres apparenter nobis contrarii. Cùm suæ assertionis fundamentum unicè depromant ex allegatis Pauli authoritatibus.

Obj. 2. Trident. sess. 7. can. 2. ubi legitur: *Si quis dixerit novæ legis Sacramenta à Sacramentis legis antiquæ non differre nisi quia sunt cæremoniæ aliæ, & alii ritus: Anathema sit;* ergo supponit antiqua Sacramenta non contulisse gratiam, adeoque non fuisse propriè Sacramenta, aliàs non differrent à nostris.

Resp. N. conseq. Quia etsi gratiam conferret, ac originale deleret circumcisio, in multis tamen differebat à Sacramentis Euangelicis; nam 1. Baptismus, cujus figura erat circumcisio, aliam habet materiam, aliam formam, aliam essentiam. 2. Confert gratiam uberiorem. 3. Aperit cœli januam. 4. Confert gratiam secundam, ubi baptizatus habet primam: quæ non competebat circumcisioni: unde Abraham jam ab originali mundatus & justificatus per remedium legis naturæ, non fuit justificatus ex circumcisione, nequidem justificatione secunda, ut colligitur ex hoc Rom. 4. *Reputata est Abrahæ fides ad justitiam: quomodo ergo reputata est? in Circumcisione, an in præputio? non in Circumcisione, sed in præputio;* & ideò docet Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 11. Circumcisionem non contulisse gratiam cuique suscipienti; quia, ut ait, *determinabatur forte ex institutione divina ad certum gradum*, idque ob status illius umbratici imperfectionem.

Obj. 3. Florentinum in instructione data Armenis sic loquitur de Sacramentis antiquæ legis: *Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant:* ergo &c.

R. Concilium ibi loqui de Sacramentis purè Mosaicis, qualis non fuit circumcisio, quæ tot annis ante legem Moysis, fuit instituta. Et hujus asserti duplicem profero rationem. 1. Quia non credibile sub illis Sacramentis voluisse comprehendere remedium legis naturæ, quod ab initio mundi institutum, etiam in lege scripta duravit; quandoquidem remedium illius verè & propriè peccatum originale deleverit (adeoque gratiam contulerit) ex opere operato, ut anteà probavimus; jam autem si remedium illud sub allatis verbis non comprehendit Concilium, cur circumcisionem comprehendisset? cùm ut Sacramentum tantum fuerit illius remedii indeterminati determinatio. 2. Quia non est præsumendum condemnatos esse ibi Augustinum, Gregorium, & Innocentium III. expressissimè docentes superiùs id præstitisse Hebræis circumcisionem, quod præstat Christianis Baptismus.

Accedit quòd illorum expressio sit particularis & clara, ait enim Innocentius IV. ut alios citatos hic sileam: *Originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium;* expressio autem Eugenii, generalis, adeòque obscura, quandoquidem Regulæ generales non rarò patiantur exceptionem.

Obj. 4. Sacramentum deletivum originalis debet esse commune, ut patet de Baptismo: sed Circumcisio non erat communis, cùm applicaretur masculis, non fœminis: ergo.

R. Dissimulato Ant. (quod negari potest; cùm hoc dependeat à sola voluntate Dei) Dist. Min. Circumcisio ut erat præcisè remedium legis naturæ non erat communis, N. ut erat remedium potiùs taliter, quàm taliter exhibitum, C. sed hoc non requiritur ad rationem Sacramenti, novæ legis; cùm Ordo aliter conferatur Græcis, & aliter Latinis.

Obj. 5. Si Circumcisio contulisset ex opere operato gratiam Originalis deletivam, frustra instituisset Christus Baptismum.

R. Relicta Circumcisione, fuisse quidem superfluam Baptismi institutionem, sed expediebat ut, amoto remedio duro, quod legi duræ congruebat, in lege gratiæ remedium gratum & facilè adhiberetur.

Obj. 6. Quod confert gratiam, confert Jus ad gloriam: sed Circumcisio non conferebat jus ad gloriam, cùm cœli januam non aperiret: ergo.

R. Dist. Maj. Quod confert gratiam, confert jus ad gloriam aliquando recipiendam, C. statim recipiendam, N. universaliter. Non aperiebat quidem circumcisio morientibus cœli januam, sicut nunc Baptismus, sed non obstabat ex eo quòd non con-

conſerret gratiam, ſed ex eo quòd redemptionis pretium aecdum eſset ſolutum.

CONCLUSIO II.

ALia Sacramenta initio quæſtionis citata, non erant verè & propriè Sacramenta.

Ratio eſt; quia eſt de ratione Sacramenti, propriè dicti gratiam non tantùm figurare, ſed & cauſare, & quidem actualiter, ubi non ponitur obex, ut patet ex dictis diſp. 1. q. 4. concl. 2. ſed illa non cauſabant gratiam; cùm teſte Apoſtolo, eſſent egena & infirma, & teſte Florentino, gratiam poſteà dandam tantùm figurarent: ergo &c. Unde Sacrificia & purgationes recenſita Levit c. 4. 5. & 6. instituta fuere pro peccatis delendis coram hominibus, non coram Deo, ſeu ad auferendam maculam legis, non conſcientiæ. Dixit quidem Auguſtinus Tract. 26. in Joan. Judæorum Sacramenta & noſtra fuiſse quidem ſignis diverſa, re tamen paria, ſed loquitur ibi de re ſignificata, non cauſata.

QUÆSTIO III.

Quod ſint Sacramenta in lege nova?

CUm in lege Euangelica aliquorum Sacramentorum exiſtentiam admittant Catholici ſimul & Hæretici, ſaltem moderni, licèt aliqui ex Heterodoxis admittant plura, alii pauciora, non quærimus hic an ſint Sacramenta, ſed quot ſint.

CONCLUSIO UNICA.

SEptem ſunt in lege nova Sacramenta, nempè Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ licèt nullibi expreſsè meminerit numeri ſeptenarii, ſicut nec meminit binarii, ternarii, aut quaternarii, quem admittunt hæretici, implicitè tamen illum admittunt, cùm ex ea de ſingulis illorum, non tamen de ullo alio, probari poſſit eſſe Sacramentum.

Ac 1. de Baptiſmo, qui dicitur *Lavacrum*, Epheſ. 5. & *renaſcentia* Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. ſed ſecundum omnes, eſt lavacrum & renaſcentia non corporis, ſed animæ, quæ fit per peccati deletionem, & gratiæ infuſionem: ergo Baptiſmus; qui eſt ſignum ſenſibile hæc præſtans, eſt verum Sacramentum.

2. De Confirmatione; quia Apoſtoli *imponebant manus ſuper illos*, ideſt, ſuper baptizatos, *& accipiebant Spiritum Sanctum*, ſeu gratiam, Act. 8. Hanc autem cæremoniam ſenſibilem collativam gratiæ adhibebant Apoſtoli ex inſtitutione divina, nam cùm ſcirent ſe non poſſe gratiam conferre, etiam noverant ſe non poſſe ſignum inſtituere collativum gratiæ. Cur autem Lucas manuum impoſitionis, & non chriſmationis in hoc Sacramento intervenientis, faciat mentionem, dicemus poſteà.

3. De Euchariſtia; quia *qui manducat meam carnem*, inquit Chriſtus, Joan. 6. *& bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, ſeu gratiam. Hoc autem convivium ſenſibile gratiæ collativum inſtituit Chriſtus in ultima cæna his verbis: *Accepto pane gratias egit & fregit: & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem*. Luc. 22.

4. De Pœnitentia ex Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ubi abſolutioni humano modo adhibitæ, adeoque ſenſibili promiſſa peccatorum remiſſione, promittitur & gratia, quæ ſemper infunditur, ubi peccatum remittitur.

5. De Extrema-unctione ex Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum* &c. Ubi onctioni & orationi promittit Apoſtolus ſalutem corporis, ſi ægro expedierit, ac præſertim ſalutem animæ, addendo: *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Hanc autem animæ ſalutem non promitteret, niſi mandatum ab eo, qui eam conferre poteſt, accepiſſet.

6. De Ordine; quia monet Apoſtolus Timotheum ut gratiam, quam in ſua ordinatione recepit, non negligat: *Admoneo te*, inquit 2. ad Timoth. 1. *Ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Inſtituit autem Chriſtus ordinationem illam gratiæ collativam in ultima cæna dum Apoſtolos ordinavit Sacerdotes dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*.

7. De Matrimonio ex Epheſ. 5. ubi ſic de eo loquitur D. Paulus: *Sacramentum hoc magnum eſt*. Quando autem ad Sacramenti dignitatem fuerit elevatus hic contractus ab initio mundi inſtitutus, non ſatis conſtat: probabilius tamen creditur fuiſſe elevatum, dum ejus indiſſolubilitatem confirmavit Chriſtus Matth. 19. his verbis: *Quòd Deus conjunxit, homo non ſeparet*.

Prob. 2. Ex Trid. ſeſſ. 7. Can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis.... aut eſſe plura, vel pauciora quam ſeptem.... aut aliquod horum non eſſe verè & propriè Sacramentum Anathema ſit*: Huic autem præluxerat Florentinum in decreto Eugenii, ſicut & perpetua Eccleſiæ Traditio, quæ hac in re ſufficeret, etſi nihil haberemus ex ſcriptura: unde D. Hieron. lib. contra Luciferianos: *Etiamſi ſacræ Scripturæ authoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret*.

Prob. 3. Ex Congruentiis (nam ratio à priori nulla alia eſſe poteſt quam Dei voluntas) Quia ſicut ſeptem ſunt modi reſpectu eſſe corporalis, nempè generatio, corroboratio, nutritio, alterati reparatio, debilitati reſtauratio, conſervatio, & propagatio; ita convenit ſeptem eſſe modos reſpectu eſſe ſpiritualis: per Baptiſmum autem ſpiritualiter naſcimur, corroboramur per confirmationem, nutrimur per Euchariſtiam, per Pœnitentiam à morbis animæ reparamur, per Extremam-unctionem debilitati reſtauramur, conſervamur, mediantibus Eccleſiæ Miniſtris, per Ordinem, & tandem per Matrimonium propagantur Chriſti fideles.

Objectiones Hæreticorum volentium pauciora eſſe Sacramenta.

OBji. 1. Sanctos Patres, quorum aliqui tantùm tria referunt Sacramenta, alii duo, alii quatuor, alii quinque, & pauci ſeptem.

Reſp. Argumentum illud eſſe negativum: unde nullibi reperies vel unicum negantem eſſe ſeptem Sacramenta, aut affirmantem eſſe tantùm duo, aut tria; & ideò ſi quandoque pauciora proferebant, non oriebatur ex eo quòd ſeptem negarent, ſed quia plura exponere non exigebat argumentum operis.

Obji. 2. Eccleſia græca ſolùm duo agnoſcit ſacramenta, nempè Baptiſmum & Euchariſtiam ut patet ex Cyrillo Lupari, qui anno 1633. imprimi curavit confeſſionem fidei, ubi ſic legitur. *Credimus Euangelica Sacramenta, eſſe ea quæ Dominus inſtituit in Euangelio, & ipſa eſſe duo, nempè Baptiſmum & Euchariſtiam, ampliorem numerum Sacramentorum non habemus*.

Reſp. Non eſſe ibi fidem Eccleſiæ græcæ ut convincunt omnia illius Eccleſiæ Euchologia, & Ritualia, ſed illius Patriarchæ Conſtantinopolitani Calvinizantis, quem ideò Cyrillus Berroenſis ejus ſucceſſor anathematizavit his verbis anno 1638. *Cyrillo dogmatizanti & credenti non eſſe ſeptem Sacramenta Eccleſiæ..... ſed mentienti non eſſe tradita à Chriſto in Euangelio, niſi ſolùm Baptiſmum & Euchariſtiam Anathema*. Præterea in Concilio Florent. ubi expreſsè de Sacramentis actum eſt, nulla fuit inter Latinos & Græcos diſputatio de ſacramentorum numero: quod ſignum eſt evidens Eccleſiam græcam in eo cum latina convenire.

Obj. 3. Nullibi aſſerit ſcriptura Confirmationem, Ordinem Extremam-unctionem &c. eſſe ſacramenta: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Nullibi aſſerit explicitè: ſed quid tum? an alicubi explicitè aſſerit ſacramenta eſſe Baptiſmum & Cœnam, quæ tamen ut ſacramenta recipiunt Hæretici? Nullibi aſſerit implicitè: N. eo ipſo enim quo declarat cæremoniis illis omnia competere, quæ competunt ſacramentis, implicitè declarat eſſe ſacramenta.

Obj. 4. Non eſt alia Eccleſia poſt Chriſtum ac ante: ergo nec alia ſacramenta.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ad Eccleſiæ unitatem ſufficit unitas capitis, ſicut unitas finis & effectus ſacramentorum; jam autem licèt pro diverſo tempore diverſa fuerint ſacramenta, unum tamen fuit Eccleſiæ caput, nempè Chriſtus, unicuíque ſacramentorum effectus & finis, nempè gratia & gloria.

Objectiones adſtruentium plura.

OBji. Non tantùm Euchariſtia, ſed etiam ſumptio Euchariſtiæ eſt Sacramentum: ergo ſaltem ſunt octo. Prob. Ant. Quia ſumptio illa eſt ſignum ſenſibile à Deo inſtitutum, effectivum gratiæ, ut per ſe patet.

R. Neg. Ant. ad probat. Diſt. Aſſumpt. Eſt ſignum effectivum gratiæ tanquam cauſa: N. tanquam conditio applicans cauſam: C. ſed Nego conſeq. Nam ſicut non nutrit corporaliter ſumptio cibi, ſed cibus ipſe; ita nec nutrit ſpiritualiter ſumptio Euchariſtiæ, ſed Euchariſtia ipſa. Nutrit quidem

spiritualiter applicatio aquæ in Baptismo, applicatio Chrismatis in Confirmatione, applicatio olei in Extrema unctione, sed nec aqua, nec Chrisma, nec oleum sunt Sacramenta, sed eorundem applicatio, seu usus: Eucharistia vero est Sacramentum ante omnem usum.

Obj. 2. Martyrium confert gratiam, deletque originale non baptizatis: ergo est Sacramentum.

Resp. Licèt Martyrio libenter tolerato hos effectus annexuerit Christus; illud tamen, ut hos effectus conferret, non instituit, imò graviter prohibuit.

Obji. 3. Augustinus lib. 2. de peccat. meritis & remissione, vocat Sacramentum, *panem benedictum Catechumenis exhibitum*: ergo &c.

Resp Etiam vocare Sacramentum signum crucis, imò & cæremonias ante Baptismum exhibitas: illa autem omnia non esse Sacramenta propriè dicta, quis non videat? cùm dentur ante Baptismum, qui est janua Sacramentorum: unde impropriissimè sumit ibi Sacramentum, nempè pro re mystica.

Obji. 4. Omnia ad Sacramentum requisita conveniunt lotioni pedum, nempè sensibilitas, ut patet; Christi institutio, & declarant hæc verba: *Et vos debitis alter alterius lavare pedes*, Joan. 13. & gratiæ promissio; *si non lavero te, non habebis partem mecum*, idest gratiam: unde Bernardus Serm. 1. in Cœna Domini; *Vis autem nosse quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? illud attende quod Petro dictum est*; si non lavero te &c. ergo.

Resp. Neg Ant. Nam 1. non fuit instituta ut cæremonia necessaria à fidelibus frequentanda, ut satis declarat praxis contraria; & ideò hæc verba: *Et vos debitis* &c. Non litteraliter, sed metaphoricè accipienda sunt; ita ut non lotionem pedum præcisè, sed Humilitatem & Charitatem in hac & similibus actionibus contentam insinuet. 2. Nec habet annexam promissionem gratiæ, quia hæ voces: *non habebis* &c. tantùm minantur pœnam inobedienti, nempè vel esse privandum beatitudine, ut volt Basilius, vel convivio Eucharistico jamjam celebrando, ut volunt alii.

QUÆSTIO IV.

Quis instituerit Sacramenta?

SUppono 1. ex Scoto 4. dist. 1. q. 3. n. 5. non posse communicari puræ creaturæ potestatem instituendi Sacramenta completè idest, & designandi materias & formas, & ulteriùs ipsis designatis infallibiliter, efficaciam Sacramentalem annectendi; quia ipsius solius est efficaciam illam Sacramentis tribuere, qui potest illorum effectum, nempè gratiam, physicè producere: sed gratiam physicè producere ita soli Deo competit, ut ejus productio nequeat creaturæ, nequidem tanquam instrumento, concedi, ut suo loco probatur: ergo &c.

Dixi *completè*; quia nulla apparet repugnantia, quod alicui homini, aut Angelo conferat potestatem designandi signum sensibile, ad cujus positionem statuat, gratiam conferre, cùm facultatem illam de facto concesserit Christo ut homini, ut dicemus postea: unde Scotus supra; *Quantùm ad signationem possibile est quod institueretur ab aliqua creatura.*

Suppono 2. Puram esse quæstionem de nomine *an creatura illa*, cui Deus concederet potestatem designandi materias & formas, *diceretur simpliciter instituere Sacramenta?* cum ad hoc solo dependeat, quid intelligatur, per verbum *instituere*; & ideò huic quæstioni tanquam superfluæ & inutili libenter supersedemus.

Suppono 3. Sacramenta antiqua, nempè remedium legis naturæ, & Circumcisionem, fuisse à solo Deo instituta, & certè si cæremoniarum innumerarum longè minoris momenti voluerit esse Author, ut patet ex libris Exodi, & Levitici, ubi quoties aliquid novi institueretur, dicitur, *Locutus est Dominus ad Moysen*, ut notavit Bellarminus, quidni Author esset Sacramentorum, à quibus justificatio dependebat plurium animarum? Unde de Sacramentis Euangelicis procedit quæstio, His notatis

CONCLUSIO I.

CHristus fuit Author Sacramentorum novæ legis, ut homo quidem causa moralis, ut Deus autem causa physica. Est certa quoad utramque partem, quam docet Scotus 4. dist. 2. q. 1 6. his verbis: *Sacramenta novæ legis à solo Deo habent efficaciam tanquam à causa principali, à Christo autem patiente, sive à passione Christi habent efficaciam tanquam à causa meritoria.*

Prob. 1. Pars, Meruit nobis Christus per Passionem suam omnes gratias, quæ in nos tanquam membra, ab ipso tanquam capite moraliter fluunt, juxta illud Joan. 1. v. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*: ergo à fortiori meruit ut media, seu canales, per quos gratiæ illæ in nos derivantur, *instituerentur*. Unde potestas Christi ut hominis in Sacramenta, non fuit purè ministerialis, sed fuit, ut loquuntur Theologi, potestas excellentiæ, in eo consistens tum quod fuerit causa moralis cur instituerentur, tum quod operentur ex ejus meritis, tum quod dentur ejus nomine & authoritate, tum denique quòd meruerit ut sibi concederetur materias & formas Sacramentorum designare.

Prob. 2. Pars quia propriè Sacramenta Physicè instituere, est authoritate propria signis quibusdam sensibilibus vim justificandi tribuere, hoc autem, quia soli Deo competit justificare, juxta illud Job. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* ita ipsi soli competit vim illam Sacramentis tribuere.

Obj. 1. Christus ut homo dicit de seipso: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: ergo etiam ut homo fuit causa Physica Sacramentorum.

Resp. Christo ut homini datam esse illam potestatem, non hoc sensu quod ejus humanitas facta sit omnipotens, sed hoc sensu quod unita sit hypostaticè Deo omnipotenti: ex quo nihil sequitur contra conclusionem.

Obj. 2. Christus ut homo est causa universalis nostræ justificationis: ergo principalis; adeoque physica respectu Sacramentorum, per quæ justificamur.

Resp. Dist. Ant. Est causa universalis, quia gratias omnes ad justificationem nostram concurrentes Physicè producit: N. quia meruit ut à Deo producantur: C. sed hoc est esse causa moralis, non Physica.

Obj. 3. Christus potius dicitur Author Sacramentorum quam tota Trinitas: ergo hoc habet ut homo, aliàs ut Deus non potius diceretur Author quam Pater, aut Spiritus Sanctus, quandoquidem actiones divinæ ad extra sint indivisæ.

Resp. potius dici Authorem, quia ultra quòd ut Deus conferat Sacramentis vim justificandi, sicut Pater & Spiritus Sanctus, designat ut homo illorum materias & formas, quamvis & illa potestas designandi sit ipsi à tota Trinitate commissa; quæ ideò etiam propriissimè dici potest Author Sacramentorum. Ex dictis

Resolve Christum utramque suam naturam adhibuisse ut Sacramenta completè institueret, nempè humanitatem ut materias & formas designaret, & Divinitatem ut illis efficaciam annecteret.

CONCLUSIO II.

OMnia legis Euangelicæ Sacramenta fuerunt immediatè à Christo Domino instituta. Et jam communis & fortè de fide contra quosdam Antiquos Theologos, quorum aliqui confirmationem, alii Pœnitentiam, alii Extremam Unctionem voluerunt esse ab Apostolis instituta, ex commissione divina, adeòque tantùm mediatè ab ipso Christo.

Prob. 1. Concilium Trid. sess. 7. can. 1. anathematizat eos qui dixerint *omnia Legis novæ Sacramenta non fuisse à JESU Christo Domino nostro instituta*: atqui si partim à Christo, partim ab Apostolis, etiam ex Christi commissione, fuissent instituta, non diceret *omnia esse à Christo*; quandoquidem nec Concilia, nec Patres, nec Theologi dicant esse à Christo, quæ sunt immediatè ab Ecclesia, etiam ex Christi commissione, stabilita, ut patet de legibus jejuniorum, Festorum, &c. ergo.

Confirmatur 1. Ex eodem Concilio sess. 14. can. 1. ubi legitur: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo institutum, & à B. Jacobo promulgatum, Anathema sit.* Quibus verbis soli Christo institutionem, & meram D. Jacobo tribuit promulgationem: quod sanè non fecisset, si credidisset à Christo tantùm mediatè, & ab Apostolo immediatè fuisse institutum; cùm is, qui etiam authoritate Principis legem condit, non dicatur tantùm promulgator; aliàs Ecclesia non esset suarum legum institutrix, sed tantùm promulgatrix, cùm agat Christi authoritate.

Confirm. 2. Ex eodem sess. 21. cap. 2. ubi defendens contra Hæreticos, ritus in Eucharistiæ distributione servari solitos, non dicit esse à Christo institutos, (quod sufficeisset ad confutationem Hæreticorum) seu ab Ecclesia, licèt ad id potestatem à Christo acceperit: ergo quando Concilium docet aliquid à Christo institutum, intelligit ab eodem immediatè institutum.

Confirm. 3. Minus est circa Sacramentorum substantiam aliquid mutare, quàm illa instituere, ut per se patet: sed Concilium ibidem negat esse in Ecclesia potestatem aliquid circa Sacramentorum substantiam mutandi: ergo & illa instituendi; & con-

& consequenter debent esse à Christo immediatè instituta.

Prob. 2. ex Patribus: Dionysio lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. *Apostoli Sacramentorum formas accepere, non confinxere:* Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Author Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Idem asserunt Cyprianus, Augustinus, & alii.

Prob. 3. Quia sicut convenit fundamentales Regni leges ferri ab ipso capite ob majorem earum dignitatem, efficaciam & venerationem, ità conveniebat, propter eam rationem, præcipua Ecclesiæ fulcimenta ab ipso Ecclesiæ Capite stabiliri: & certè si antiqua Sacramenta fuerunt immediatè ab ipso Deo, ut diximus Supposito 3. quidni Evangelica, longè nobiliora, præstantiora, efficaciora, essent immediatè à Christo?

Obj. 1. Misit Christus Apostolos cum eadem potestate, quam receperat à Patre, juxta illud Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* ergo cum potestate instituendi Sacramenta: adeoqua aliqua instituerunt ne esset superflua.

Resp. *Ly sicut* importare aliquam paritatem, nempe quòd possent sicut Christus prædicare, docere, peccatores reconciliare: non tamen omnimodam, aliàs potuissent sine Sacramento, sicut fecit Christus Magdalenæ, & Paralitico, peccata remittere; quod nemo dixerit.

Obj. 2. Nullibi fit mentio institutæ Extremæ Unctionis, nisi Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis* &c. ergo ab ipso, & non à Christo fuit instituta.

Resp. Neg. Ant. Nam Marc. 6. legitur: *Ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Ubi Trid. sess. 14. cap. 1. docet insinuatam esse Extremam Unctionem ut jam institutam, cùm illam administrarent Apostoli.

Obj. 3. Augustinus lib. 3. de Doct. Christ. cap. 9. sic differit de Sacramentis Evangelicis: *Quædam pauca pro multis... ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina:* ergo aliqua instituerunt Apostoli.

Resp. Neg. conseq Quia illa tradidit Dominus ut Author: Apostoli autem ut Doctores, & promulgatores, ut satis insinuat vox *Disciplina:* unde Apostoli 1. Corinth. 4. vocant se *mysteriorum Dei*, adeòque & Sacramentorum, *dispensatores*, non institutores.

Obj. 4. Christus solius Eucharistiæ est Author, juxta illud Cypriani serm. de ablutione pedum: *Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor & Author: in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem:* ergo.

Resp. Neg. Ant. & Dico Cyprianum per ly *sui Sacramenti*, intelligere quodlibet Sacramentum; aliàs excluderet etiam Baptismum, cujus tamen institutorem immediatum Christum agnoscunt ipsimet Hæretici. Per ly autem *in cæteris*, intelligit cæremonias, quas venerationis & majestatis causa adhibuit Ecclesia in Sacramentorum confectione, & dispensatione.

Obj. 5. Apostoli ab initio baptizabant in nomine Christi, confirmabant sine Chrismatione, ordinabant sine propria materia: ergo vel illa Sacramenta instituebant, aut saltem substantialiter mutabant.

Resp. Apostolos sic egisse ab initio, non aliquid instituendo, sed purè voluntatem Christi ità, ob causas suo loco exponendas, ordinantis, exequendo.

DISPUTATIO III.

De Materia & Forma Sacramentorum.

ALii hanc Disputationem præponunt præcedenti, sed cùm videatur prius esse Sacramentorum institutionem & existentiam cognoscere, quàm de eorum partibus inquirere, illam postposuimus.

QUÆSTIO I.

Quid hic intelligatur nomine materiæ & formæ, & quandonam cœperit in Ecclesia illorum verborum usus?

SCio aliquos Theologos etiam Scotistas, vocare hic Materiam, totum sensibile (adeoque & res & verba) quod reperitur in Sacramento; Formam verò ipsam relationem signi efficacis. Sed hic aliter loquimur de materia & forma, nempe prout sunt partes reales ipsius entis sensibilis, quod dicitur causare gratiam.

Porrò Pauluciani veteres quidam Hæretici omnem Sacramentorum efficaciam tribuebant formæ seu verbis; è contra quidem Calvinistæ & Lutherani materiæ seu rebus: Catholici verò, cùm utrique efficaciam tribuant, etiam utriusque inquirunt notionem.

CONCLUSIO I.

MAteriam hic vocamus id quod adhuc intelligitur indeterminatum & indifferens ad esse Sacramenti, sive interim illud sit res propriè, sive non. Formam verò, illud quod materiam ad illud esse determinat, sive interim sint verba propriè, sive æquivalentia: & hoc per respectum ad materiam & formam physicam, quarum prima dicitur indeterminata ad quodlibet compositum, secunda verò determinans ad tale compositum v. g. forma auri ad aurum: unde Scotus 4. dist 3. q. 2. nu. 3. *Si in fundamento isto sint plura ex quibus aliquo modo fit unum Sacramentum, quæ non omnino æqualiter se habent, sed alterum sit quasi prævium & determinabile, alterum quasi posterius & determinatio præcedentis: primum potest dici quasi materia, per quamdam similitudinem ad materiam, & alterum forma; materiæ enim est præcedere secundum originem & determinari; formæ autem sequi & determinare.* Hoc totum exemplificemus in Baptismo, ubi ablutio quia indifferens est ad lotionem corporalem, & spiritualem, dicitur *Materia*, quia autem verba: *Ego te baptizo &c.* prolata ex intentione faciendi quod Christus instituit, determinant ipsam ad lotionem spiritualem, dicuntur *forma:* hocque insinuavit Augustinus implicitè, Tract. 80. in Joan ubi ait: *Accedit verbum ad elementum*, id est determinans ad determinabile seu forma ad materiam, *& fit Sacramentum.*

Dixi: *sive sit res propriè sive non*, &c. & idem est de verbis; quia non requiritur absolutè, quòd materia sit res, neque quòd forma sint verba, sed sufficit si sint loco rerum aut verborum, seu ipsis æquivaleant: unde verba ipsa si per verba ulteriora determinentur ad esse Sacramentale, induunt rationem rei: & hoc accedit in Sacramento pœnitentiæ, ubi confessio verbalis, quia per Absolutionem determinatur ad esse Sacramenti, dicitur quasi materia. In Sacramento autem Matrimonii nutus aut litteræ, si per illa declaretur contrahentium consensus, tenent locum verborum: unde hoc sensu venit intelligendum Florentinum in decreto Eugenii, ubi docet omnia Sacramenta perfici *rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma.*

CONCLUSIO II.

NUnquam usa est Ecclesia vocibus *materia*, & *forma*, prout nunc usurpantur in Tractatu Sacramentorum, ante initium sæculi XIII. sed eorum loco ponebant Patres & Theologi vel *res & verba*, vel *Sacramentum & rem Sacramenti*, vel *signum visibile, & rem invisibilem*; per *Sacramentum* autem, & *signum sensibile*, intelligebant totum id, quod nos intelligimus per materiam & formam; per *rem Sacramenti & rem invisibilem*, Sacramenti effectum, seu gratiam.

Prob. Conclusio; quia ante illud tempus neque in Conciliis, neque in Patribus, neque in iis qui de Sacramentis ex professo tractarunt, ut sunt Anselmus. Bernardus, Hugo à S. Victore Guitmundus, Lanfrancus & alii, reperies has voces sic usurpatas: unde nequidem Magister Sententiarum, qui circa annum 1150. Tractatum hunc modo Scholastico exposuit, illarum sic Intellectarum mentionem fecit: quibus patet quòd licèt Philosophia frequentari cœperit à Christianis 3. Sæculo, saltem Alexandriæ, ut refert Eusebius Cæsariensis, non ideo tamen vocibus præfatis usi fuerint in exponendis Sacramentis, quidquid dicant aliqui; aliàs qui tunc & postea de illis scripserunt, illarum vocum meminissent.

Dixi in Conclus. *Prout nunc usurpantur*; & ideo quando Augustin. lib. 1. de peccat. merit. cap. 34 dixit: *Quid de ipsa Sacramenti forma loquar;* vocem *forma* usurpavit non pro solis verbis à baptizante prolatis, sed pro toto Baptismi apparatu, seu cæremonia, aut ritu prout comprehendit & verba & ablutionem, imò & exorcismos: quo sensu agens Concilium Milevit. (cui S. Doctor interfuit) contra Pelagianos negantes infectos esse infantes culpa originali, dixit: *Unde consequens est ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur;* quia si sint ab illa culpa liberi, non tantùm verba, sed etiam ablutio, & exorcismi, ac insufflationes falsum significant.

QUÆ.

QUÆSTIO II.

An quodlibet Sacramentum perficiatur materia & forma, & an sint partes illius intrinsecæ?

LOquor de Sacramentis novæ legis; quia pro Sacramentis antiquis nullam legimus institutam suisse verborum formulam: Nec mirum; quia congruebat statu illius obscuritati obscura Sacramentorum umbraticorum significatio, quam res ingerunt: verba siquidem, utpotè clarius, & expressius significantia, Sacramentis Evangelicis reservabantur.

CONCLUSIO I.

OMnia Sacramenta perficiuntur rebus ut materia, & verbis ut forma. Hæc sententia adeò certa est, ut aliqui contrariam durandi sententiam id negantem de Sacramentis Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Matrimonii, gravibus notent censuris.

Prob. 1. Ex C. Florent. in decreto Eugenii, ubi sic loquitur: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma* &c. quod confirmat Tridentinum assignans singulis Sacramentis materiam & formam.

Prob 2. Quia in quolibet Sacramento assignari potest determinabile & determinans; sed primum habet rationem materiæ, & secundum formæ: ergo Prob. Min. quia in Baptismo ablutio, in Confirmatione Chrismatio, in Pœnitentia Actus pœnitentis, in Extrema unctione unctio, in Ordine vasorum traditio, in Matrimonio consensus, ut habet rationem traditionis corporum sunt determinabiles ad varios effectus, determinanturque per verba, aut quasi verba proportionata ad constituendum Sacramentum. Panis autem & vinum determinantur per verba consecratoria initio prolationis, ut sint materia Eucharistiæ in fieri.

CONCLUSIO II.

MAteria & forma, seu res & verba sunt partes intrinsecæ & essentiales Sacramentorum, si Eucharistiam excipias. Est contra quosdam etiam Scotistas, quorum aliqui etiam excipiunt Pœnitentiam, alii etiam Matrimonium, non satis in hoc Doctori suo conformes; cum expressissimè dicat. 4. dist. 8. q. 1. num. 7. loquens de Sacramento Eucharistiæ: *Non hic aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma, sicut est in aliis.. quia istud est permanens; & ideo non possunt aliqua verba ad ejus essentiam pertinere; in quocunque autem Sacramento distinguuntur materia & forma: signum visibile dicitur esse materia, verba verò forma:* ubi cum loquatur de Eucharistia per oppositionem ad alia Sacramenta, dicatque formam, & à fortiori materiam, utpote jam destructam, ad illius essentiam non pertinere, consequenter docet esse de essentia aliorum Sacramentorum.

Prob 1. Conclusio ex D. Thoma 4. dist. 1 q. 1. art. 3. ad 2. ubi ait: *Verba & res sunt de essentia Sacramenti*, Et q 90. art. 2 asserit *quodlibet Sacramentum distingui in materiam & formam sicut in partes essentiæ*. Prob. 2. Ideo materia & forma in composito naturali sunt partes intrinsecæ & essentiales, quia verè & realiter ipsum constituunt, sed materia & forma in composito Sacramentali etiam verè & realiter ipsum constituunt in esse tali, seu in esse morali: ergo: Et certè quid intrinsecè constituit Baptismum physicè & materialiter spectatum? non sola ablutio, ut vult Cabrera; aliàs posset absolutè dici: *ablutio est Baptismus*, quod est falsum: non etiam sola verba; quia sine ablutione sunt falsa: ergo utraque. Idem est de aliis Sacramentis.

Obji. 1. Ut materia & forma constituant intrinsecè, debent esse simul: sed in Sacramentis sæpe materia præcedit formam, aut forma materiam: ergo.

Resp. Dist. Maj. Debent esse simul simultate physica: N. morali: C. undè talis requiritur simultas, quale est compositum: Sacramentum autem cùm non sit compositum physicum sed morale, tantùm requirit simultatem moralem. De his fusius postea.

Obj. 2. Materia & forma Sacramentorum non sunt ejusdem generis: ergo non possunt constituere compositum. Resp Dist. Conseq. Non possunt constituere compositum physicum: C. morale: N.

Obji. 3. Significatio gratiæ est forma cujuslibet Sacramenti: ergo illa, & non verba, intrinsecè constituit.

Resp. Dist. Ant. Est forma Sacramenti, logicè & formaliter considerati, quatenus nempe exurgit ex toto sensibili, tum verbali, & dicta significatione: C. physicè & materialiter considerati: N.

Obj. 4. Juxta Scotum essentia Sacramenti pœnitentiæ consistit in sola absolutione; atqui absolutio non continet materiam: ergo.

Resp. Dist. Min. Non continet materiam, id est, non continet actus pœnitentis, quos Florentinum vocat quasi materiam: C. nullam continet materiam: N. continet enim verba, quæ tenent locum materiæ, & significatio naturalis locum formæ. Dico *naturalis*; quia significatio Sacramentalis seu illa, quam habent verba ex Christi institutione, est forma Sacramenti pœnitentiæ logicè considerati.

Obji. 5. Corpora contrahentium in Matrimonio, sunt materia ejusdem: atqui non sunt de essentia illius: ergo.

Resp. Dist. Maj Sunt materia ejusdem remota, sicut peccata in Sacramento Pœnitentiæ: C. proxima: N. quando autem dicimus Sacramenta constare intrinsecè materia, loquimur de materia proxima, non remota: & certè non dicimus Baptismum v. g. constare aqua, sed ablutione & verbis, licèt ablutio aquam necessariò præsupponat.

Instabis: In Matrimonio tantùm reperiuntur corpora & consensus mutuus in illa, sed consensus ille non est materia, cùm juxta Florent. in Decreto Eugenii, sit causa efficiens Matrimonii: ergo materia sunt contrahentium corpora.

Resp Neg. Min. Quia non implicat idem esse causam efficientem & materiam respectu ejusdem, sub diverso respectu: cognitio enim ut est actio, est causa efficiens objecti cogniti ut cogniti, & tamen ut suo modo objectum informat, est illius forma. Similiter consensus ut est actus, est causa efficiens Matrimonii; consideratus autem ut est traditio determinabilis per acceptationem, sortitur rationem materiæ: & certè si consensus non esset de ratione intrinseca contractus Matrimonialis, cur definiretur contractus: *Consensus duorum* &c. Dixi in Conclusione: *Si Eucharistiam excipias*; & ideo sit

CONCLUSIO III.

EUcharistia non constat intrinsecè materia & forma; & ideo quando D. Thomas supra, dicit materiam & formam esse de essentia Sacramenti, loquitur de Sacramento in usu consistente, non autem de hoc unico permanente; vel certè si hoc etiam comprehendat, intelligi debet de Sacramento tam in fieri, quàm in facto esse.

Ratio Conclusionis est; Quia destructis pane & vino transactisque verbis consecrationis, quorum illa, dicuntur *materia*, hæc verò *forma* à Florentino, verè & realiter perseverat Eucharistiæ Sacramentum, etiam per annum & amplius, si tamdiu species maneant incorruptæ.

Dices 1. Verba consecrationis dicuntur Sacramentalia: ergo.

Resp. Dist. Ant. Dicuntur Sacramentalia, quia constituunt Sacramentum, sicut verba in Baptismo: N. quia conficiunt Sacramentum: C. unde respectu Eucharistiæ, sunt causa efficiens, non formalis; vel, si mavis, sunt causa formalis respectu Eucharistiæ in fieri, (respectu cujus etiam panis & vinum sunt causa materialis) & causa efficiens respectu Eucharistiæ in facto esse; & ideo Florentinum in Decreto Eugenii vocat verba consecrationis & *formam*, & *causam efficientem*.

Dices 2 Species dicuntur consecratæ à consecratione: ergo est forma Eucharistiæ in facto esse.

Resp. Dist. Ant. Dicuntur consecratæ &c. efficienter: C. formaliter: N. tales enim dicuntur à corpore & Sanguine Christi.

Inst. Ecclesia dicitur consecrata formaliter à consecratione præterita moraliter perseverante: ergo & species similiter.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quòd Ecclesiæ sanctitas sit tantùm extrinseca & moralis, ad quam sufficit consecratio moraliter perseverans: Eucharistiæ autem sanctitas, cùm sit physica, realis, & intrinseca, requirit etiam causam formalem ejusdem generis, qualis sunt Corpus & Sanguis Christi, non autem consecratio præterita.

Dices 3. Illud est de essentia Sacramenti, quod reddit Sacramentum sensibile: sed id præstant verba consecrationis respectu Eucharistiæ; quandoquidem species non ex se, sed ratione verborum, sint signum sensibile gratiæ Eucharisticæ: ergo

Resp. Dist. Maj. Illud est &c. quod reddit Sacramentum sensibile per modum formæ intrinsecæ: C. per modum formæ extrinsecæ, & efficientis, ut facit consecratio: N. Est quidem de essentia Sacramenti quod sit signum sensibile; non est

tamen

tamen de illius essentia, ut id, per quod redditur sensibile, sit pars intrinseca ipsius Sacramenti.

QUÆSTIO INCIDENTALIS.

An intentio Ministri constituat intrinsecè Sacramentum?

POnitur hæc quæstio occasione Verborum Concilii Florent. dicentis in decreto fidei: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.*

CONCLUSIO UNICA.

INtentio Ministri non constituit intrinsecè Sacramentum. Est communis & certa contra unicum Lugonem.

Prob. 1. Quia fundamentum opinionis contrariæ tantùm desumi potest ex eo quòd Florentinum dicat Sacramentum perfici intentione Ministri: sed si quid inde probaretur etiam probaretur personam Ministri esse partem intrinsecam Sacramenti; cùm ibi etiam dicat perfici persona Ministri: ergo

Prob. 2. Intentio habet pro objecto Sacramentum conficiendum: ergo non est pars Sacramenti; aliàs jam facta haberet & seipsam conficiendam pro objecto quod implicat. Si autem dicas objectum intentionis esse omnia quæ sunt in Sacramento præter intentionem, dicam ego Ministrum tunc velle conficere Sacramentum, ut supponitur, & non velle; cùm non intendat partem illius intrinsecam, sine qua non est Sacramentum.

Prob. 3. Causa non est de intrinseca ratione sui effectus: sed intentio est causa Sacramenti: ergo. Major certa est. Prob. Min. Quia Minister ponens materiam & formam sine dicta intentione non est causa Sacramenti, & ponens cum illa intentione est causa Sacramenti: ergo cùm sit causa propter intentionem, à fortiori causa est intentio.

Obji. 1. Intentio orandi, vovendi, contrahendi, constituit intrinsecè orationem, votum, contractum: ergo & intentio Sacramenti conficiendi constituit intrinsecè Sacramentum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quòd oratio, votum, & contractus consistant essentialiter in actu voluntatis: unde oratio est desiderium, votum promissio, contractus consensus, qui sunt voluntatis actus: non sic Sacramentum, in cujus definitione nulla fit mentio actus voluntatis.

Obj. 2. Positis materia & forma sine intentione, non habetur Sacramentum, & addita intentione, habetur: ergo &c.

Resp. 1. Retorquendo argumentum: Positis corpore & anima sine unione, non habetur homo; & unione addita habetur homo: ergo unio est de essentia hominis. Similiter, positis omnibus ad Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ &c. requisitis sine Baptismo, non habetur Confirmatio, Eucharistia &c. & præsupposito Baptismo, habentur dicta Sacramenta: ergo Baptismus est de illorum essentia; & tamen falsa est utraque consequentia.

Resp. 2. Neg. Suppositum, nempe ablutionem v. g. & verba in Baptismo (idem est de aliis) esse materiam & formam Baptismi sine intentione; quia sine illa sunt indifferentia ad lotionem corporalem & spiritualem, debentque ab ipsa determinari, non quidem tanquam ab aliquo se tenente ex parte formæ aut materiæ, sed se tenente ex parte causæ efficientis, in quantum voluit Christus ut illa essent actio Christi, adeoque elevata ad dignitatem Sacramenti, nisi procederent ex intentione faciendi quod Christus instituit, & ideo Florentinum non adjunxit intentionem materiæ & formæ, sed causæ efficienti seu personæ Ministri.

Obi. 3. Actio Sacramentalis est intrinsecè voluntaria: sed non dicitur voluntaria nisi ab intentione: ergo.

Resp. Dist. Min. Non dicitur voluntaria in ratione actionis præcisè nisi ab intentione: N. nam talis dicitur ex eo quod ponatur advertenter & liberè. In ratione actionis Sacramentalis, subdist. nisi ab intentione informante: N. influente: C. sed quid tum? etiam influit voluntas, & tamen non est pars illius intrinseca. Pro aliis objectionibus

Adverte 1. Intentionem contrahendi, quæ est de essentia contractus matrimonialis, confundi à Lugone cum intentione faciendi Sacramentum; & ideo putans intentionem faciendi Sacramentum esse de essentia Matrimonii, sicut est intentio contrahendi, putavit consequenter esse de essentia aliorum Sacramentorum, sed aliud est intentio contrahendi, & aliud intentio faciendi Sacramentum; nam ante Christi adventum habebant homines intentionem contrahendi matrimonialiter, verèque contrahebant civiliter, & tamen non habebant intentionem faciendi Sacramentum, utpotè necdum institutum. Imo idem nunc accidit inter infideles; & fortè fieri posset inter fideles contractus civilis Matrimonii sine Sacramento si esset intentio contractus & nullatenus Sacramenti. Unde est quidem de essentia Matrimonii, etiam ut Sacramentum est, intentio contrahendi, non tamen faciendi Sacramentum, licèt insupplebiliter prærequiratur.

Adverte 2. Intentionem contrahendi (idem est orandi, vovendi, &c.) esse duplicem, imperantem unam, quæ applicat voluntatem ad contractum, imperatam alteram, quæ intervenit ubi actualiter contrahitur, hæc est de essentia contractus, non altera cui comparatur intentio Sacramenti; quia per hanc intentionem applicat voluntas potentias ad executionem signorum Sacramentalium.

QUÆSTIO III.

Qualis requiratur simultas inter materias & formas Sacramentorum?

DIco *simultas*, & non unio; quia certum est inter illas, ex quibus non resultat compositum physicum, sed tantum morale, unionem physicam & realem non intercedere?

CONCLUSIO I.

NOn requiritur in omnibus Sacramentis inter materiam & formam simultas physica. Est communis & certa. Unde communiter rejicitur Glossa in cap. *Detrahe* 1. q. 1. ubi dicitur: *Quod si in eo instanti quo forma finitur, puer non esset in aqua, non esset baptizatus*. Dixit quidem Scotus 4. d. 6. q. 3. n. 4. *Judicatur simultas inter factum hominis & verbum ejus, quando incipit unum, antequam finiat totaliter aliud*; sed aliud est dicere tunc judicari esse simultatem, & aliud simultatem illam ad Sacramentum requirere: imò supra expressè docet, *quòd talis simultas requiratur, qualis requiritur in actibus humanis*. Ubi satis insinuat non simultatem physicam, sed moralem requiri.

Prob. 1. Conclusio; quia non est credibile Apostolos tria hominum millia uno die baptizantes, ut legitur Act. 2. & quidem per aspersionem, ut docent Interpretes, semper ita aspersisse ut aqua semper tangeret baptizandos, dum forma, aut aliqua ejus pars pronuntiaretur.

Prob. 2. Quia non alia requiritur simultas in Sacramento Pœnitentiæ, quàm in Judicio, nec alia in Matrimonio quàm in contractu: sed non debent esse simul partes judicii, aut contractus, cùm in 1. possit confessio Rei aliquandiu præcedere sententiam, & in 2. traditio acceptationem: ergo

Dixi: *Non requiritur in omnibus Sacramentis*; quia non negamus requiri in Eucharistia, ubi pronomina *Hoc*, & *Hic* satis denotant debere materiam esse physicè præsentem, ut verificetur forma.

CONCLUSIO II.

SUfficit inter materias & formas Sacramentorum ab Eucharistia distinctorum simultas moralis, eaque major vel minor pro qualitate Sacramenti, seu debet esse talis, ut secundùm hominum existimationem, verba censeantur servare suam veritatem, & materiam afficere. Patet ex Scoto supra, estque sensus communis.

Ratio est; quia cùm Sacramenta ita instituta sint, ut debeant ab hominibus confici, & ab hominibus recipi, adeoque humano modo tractari, etiam sufficit ut partes humano modo, seu moraliter coexistant; adeoque validè baptizaret, confirmaret, &c. qui immediatè post absolutam ablutionem, chrismationem, aut unctionem, pronuntiaret formam, quia tunc censetur adhuc vera; sicut censetur verax dicens: *Bibo ad vestram sanitatem*, licèt immediatè post bibat, aut dicens: *non loquor*, si immediatè ante tacuit: unde licèt formæ Sacramentorum solùm importent tempus præsens, ut *baptizo*, *signo*, &c. quia tamen moraliter loquendo tempus præsens patitur quamdam latitudinem, ideo per illud intelligimus id quod nunc existit, vel quod immediatè ante extitit, vel quod immediatè post existet.

Dixi in Conclusione: *eaque major vel minor*, &c. & ideo ad majorem intelligentiam

Resol. 1. Contritum de peccatis hora 6, confitentem hora 9. & absolutum hora 12. validè absolvi quia Sacramentum Pœni-

Pœnitentiæ, utpotè quoddam judicium, non majorem requirit partium simultatem. Requirit tamen maiorem, quàm judicium civile, ubi Reus potest sententiari etiam 8. diebus à confessione: non sic in hoc tribunali, ubi Doctores ad summum concedunt tempus nocturnum inter confessionem, & absolutionem, & tres aut quatuor horas inter contritionem & confessionem.

Resol. 2. Sponsi tradentis hodiè dominium sui corporis sponsæ, validum esse Matrimonium etiamsi sponsa tantùm acceptet uno aut altero die post traditionem, modò tunc adhuc perseveret moraliter ejus consensus; quia ad contractum, quale est Matrimonium, sufficit illa simultas.

Resol. 3. Probabilius nihil effecturum Ministrum, si inter materiam & formam Baptismi, Confirmationis, Ordinis, Extremæ-unctionis spatium unius *Pater & Ave* intercederet; quia in illis Sacramentis ad verificationem formæ requiritur ut materia proxima sit præsens, aut quasi præsens.

Resol. 4. Licèt in his 4. Sacramentis simultas physica non sit de necessitate Sacramenti, sit tamen de congruitate Ministerii, tum ut serventur Ritualium præscripta, tum ut vitentur scrupuli; tum etiam ut habeatur major Sacramentorum certitudo: propter enim nostrum dicere, nihil mutabitur in re, si alia sit doctrina nostra, & alia Christi voluntas.

QUÆSTIO IV.

An Christus determinaverit materias & formas Sacramentorum?

NEgavit Lutherus, lib. de captivit. Babyl. c. 9. de Bapt. Sacramenta novæ legis necessariò constare determinata verborum forma, sed cùm vix sibi constaret, quod impudenter docuerat, prudenter retractavit Hom. 1. de Baptismo.

CONCLUSIO I.

CHristus determinavit omnes Sacramentorum materias & formas, quoad substantiam. Est certa.

Prob. 1. Christus instituit immediatè omnia Sacramenta novæ legis, ut antea probavimus: sed si Apostoli aut Ecclesia determinassent aliquas Sacramentorum materias aut formas, Christus non instituisset illa immediatè, sed tantùm mediantibus hominibus materias, & formas determinantibus: ergo.

Confirm. 1. Quia Sacramentum definitur *signum ex institutione divina significans* &c. sed si Christus materias & formas non determinasset, non esset signum ex institutione divina: qui enim partes intrinsecas signi non instituit, nec signum instituere dicendus est: ergo

Confirm. 2. Quia si non Christo, sed Ecclesiæ, determinatio illa competeret, etiam ipsi competeret Sacramenta substantialiter mutare, contra expressam Tridentini declarationem; qui enim potest substantialia primò determinare, à fortiori potest determinata mutare

Obj. 1. Nec unius formæ Sacramentorum meminit Scriptura: ergo illæ non à Christo, sed ab Ecclesia fuerunt traditæ.

Resp. 1. Dist. Ant. Nè unius meminit explicitè: transeat: implicitè; N. dicendo enim: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris* &c. Satis ostendit quibus verbis utendum esset in Baptismo. Similiter prolatis his verbis: *Hoc est corpus meum*, addens: *Hoc facite in meam commemorationem*, docet Apostolos ut iisdem utantur ejus nomine in confectione Eucharistiæ. Idem dic de forma pœnitentiæ, ex Joan. 20.

Resp. 2. Dissimulato Ant. neg. conseq. Multa enim à Christo prodierunt, quæ non sunt scripta, ut patet ex Joan. ultimo undè sufficit quòd illa habeamus per continuam traditionem.

Obj. 2. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 1. aliquid mutavit circa substantiam Matrimonii: ergo potest materias & formas determinare.

Resp. Dist. Ant. Circa substantiam Matrimonii, ut est Sacramentum: N. ut est contractus: C. seu fecit ut contractus matrimonialis, qui antea erat legitimus sine Parocho & testibus, fieret illegitimus sine illis, ubi non mutatur Sacramentum; quandoquidem illius materia & forma sit contractus præcisè legitimus, quibuscumque vestiatur conditionibus. Undè ut Sacramentum mutaret, deberet facere ut contractus legitimus non esset ampliùs materia & forma Matrimonii, quod non fecit. Sicut ergo non dicerentur homines mutare formam Eucharistiæ, si statuerentur vox *Templum* deinceps significaret *corpus*, & è contra; quia non est instituta vox *corpus* sub ratione vocis, sed sub ratione significationis; ita & in nostro casu, quia non est elevatum Matrimonium ad dignitatem Sacramenti sub ratione contractus, cùm tali, aut tali conditione, sed sub ratione legitimi.

CONCLUSIO II.

QUinque Sacramentorum materias & formas determinavit Christus quoad speciem infimam, Ordinis autem & Confirmationis tantùm quoad speciem subalternam. Est satis communis quoad utramque partem contra Juenin & quosdam qui negant secundam.

Prob. 1. Pars, quia in omnibus Sacramentis, excepta Confirmatione & Ordine, determinatæ sunt specificè materiæ & formæ proportionatæ. In Baptismo quidem, ablutio ex aqua naturali: in Eucharistia panis tritriceus, & vinum de vite: in Pœnitentia, pœnitentis contritio, confessio & peccata, in Extrema-unctione unctio ex oleo olivarum; in Matrimonio, legitima corporum traditio & acceptatio: & hæc omnia cum verbis aut quasi verbis proportionatis: sed hæc determinatio nullibi legitur aut traditur facta ab Apostolis, aut ab Ecclesia: ergo à Christo; cùm circa hanc materiam litigantes, non alium assignent, à quo potuerit determinari.

Dices 1. Christus determinavit quidem pro Eucharistia *vinum de vite*, & *panem triticeum*; pro Pœnitentia *peccata* &c. sed non hoc specie triticum, non hoc specie vinum, non hoc specie Peccatum: ergo &c.

Resp. Determinantem aliquid in materia dogmatica sine restrictione aut limitatione, eo ipso determinare omne illud quod sub eo continetur: & certè si Deus statuisset sine limitatione, ut animal irrationale esset victima certi Sacrificii, nunquid determinaret ipso facto & bovem, equum, & ovem &c. posse esse talem victimam? Idem est in nostro casu. Undè liberum est quidem Ministris hoc vel illud specie triticum eligere? hoc vel illud specie peccatum sive mortale, sive veniale absolvere; sed ex suppositione divinæ determinationis.

Dices 2. Saltem in Matrimonio non determinavit speciem contractus, quandoquidem permiserit Ecclesiæ illum cum talibus, vel talibus conditionibus, prout diversæ temporum circunstantiæ requisierint, celebrare.

Resp. Neg. Assumpt. Quia conditiones illæ variatæ, non variant speciem contractus & substantiam; quandoquidem semper sit idem objectum traditionis & acceptationis, nempè contrahentium corpora; adeoque tota variatio merè accidentalis est.

Prob. 2. Pars; Quia quantum ad Sacramentum Ordinis voluit quidem Christus ut conferretur per signum expressivum potestatis traditæ; reliquit tamen Ecclesiæ signum illud determinare; & ideò ordinant Græci, etiam Catholici, Sacerdotes suos per solam manuum impositionem cum forma proportionata; Latini verò superaddunt Calicis cum vino, & patenæ cum hostia traditionem, adhibitis verbis correspondentibus; de Confirmatione videbitur infrà.

Hic autem esse potius Ecclesiæ determinationem, quàm in vino aut pane triticeo, indè patet, quòd in quolibet vino de vite, sive Ecclesia permittat, sive prohibeat, sive determinet esse vinum, sive non, validè conficeretur. Idem est de pane triticeo. Alius est hic; quia si quis uteretur signo potestatis quidem traditæ significativo, sed ab Ecclesia non determinato, invalidè ordinaret; & ideò invalida est ordinatio Sacerdotis facta ab Episcopo Latino, si solam manuum impositionem adhibeat, sine vasorum traditione; quia Ecclesia latina hanc traditionem pro latinis determinavit. De his plura suo loco.

Dices: Tota ratio cur hæc determinatio tribuatur Ecclesiæ, oritur ex eo quòd supponatur Græcos in ordinatione non adhibere vasorum traditionem: sed hoc est falsum, quandoquidem tangentes Altare in quo est calix cum vino, & patena cum hostia, censeantur & illa tangere: ergo.

Resp. Tactum illum, si adhibeatur, nullatenùs esse tactum calicis, aut patenæ: non quidem physicum, ut patet: non etiam moralem; quia sicut moraliter loquendo non censetur tangere librum Evangeliorum, aut candelabra in altari existentia, qui tangit altare, ita nec calicem.

CONCLUSIO III.

ETiam determinavit in materiis & formis Sacramentorum certa accidentia; non tamen omnia.

Prob. 1. Pars; quia voluit ut aqua in baptismo esset fluida & apta ablutioni: in Eucharistia autem ut vinum esset potabile, & ideò aqua congelata, nisi resolvatur non est materia Baptismi, sicut vinum in uvis, aut etiam congelatum, non est materia Eucharistiæ.

Prob. 2. Pars; quia non determinavit formas ad certas voces,

ees, aut ad certum idioma, sed solum ad certam significationem, licèt teneatur unusquisque etiam in vocibus & idiomate Ecclesiæ suæ ritum servare.

QUÆSTIO V.

An forma Sacramentorum debeat esse concionatoria, an consecratoria?

Huic Quæstioni occasionem dederunt Calvinus, Lutherus, & alii hujus temporis Hæretici volentes verbum, quo partialiter constat Sacramentum, debere esse concionale, seu instructorium, ut excitetur in audientibus fides justificationis promissæ, cui fidei & non Sacramento justificationem tribuunt: undè Calvinus Commentario in c. 5. Ephes. docet defectu instructionis nullum esse apud nos Baptismum. *In Papatu*, inquit, *nulla fit mysterii explicatio ad populum, quæ sola facit ut mortuum elementum incipiat esse Sacramentum*. Alibi tamen, nempe lib. 4. Instit. c. 15. §. 16. sibi contradicit asserens verum esse Catholicorum Baptismum, & ideò fortè Calvinistæ ultra verbum concionale, adhibent etiam solemne: *Ego te baptizo* &c. in Eucharistia autem solo verbo concionali utuntur narrantes historiam institutionis, ac postea sine ullo ritu aut verbo panem & vinum distribuentes; & ideo nihil conficiunt. Licèt autem cum Calvinistis quantum ad Baptismum conveniant Lutherani, disconveniunt tamen, saltem aliqui quoad Eucharistiam, quòd verba & historicè & consecratoriè proferant; etsi nihil etiam operentur, nisi fuerint in Ecclesia Sacerdotes ordinati.

CONCLUSIO UNICA.

Forma Sacramentorum non debet esse concionatoria, sed sufficit consecratoria, id est, illa quæ materiam consecrat, & effectum suum operatur independenter ab audientium instructione.

Prob. 1. Ex ipsomet Calvino qui lib. 4. Instit. docet non esse rebaptizandos Catholicos, quia verus est eorum Baptismus: sed Baptismo Catholicorum non adhibetur verbum concionale: ergo. Quod autem docuit, ipse cum suis asseclis practicavit; cùm nec se nec suos, ubi apostatavit jusserit rebaptizari:

Prob. 2. Quia si necessarium esset verbum concionatorium; nec pueri, nec amentes possent baptizari; cùm non possit in ipsis promissæ justificationis fides excitari, ad quam tamen excitandam instituitur concio. Dicere autem cum Lutheranis tunc infantes concionem percipere; ita absurdum est, ut deliraret, qui delirium illud vellet refutare.

Confirm. Non potest quis baptizari, nisi valeat Baptismum recipere: sed parvuli in Hæreticorum supposito, non possunt recipere Baptismum; cum non possint Baptismi formam, nempe concionem recipere: ergo.

Prob. 3. Verba Sacramentorum fuerunt à Christo determinata, ut diximus q. præced. sed si deberent esse concionatoria, non essent à Christo determinata, cùm tot essent diversæ conciones, quot diversi Concionatores: ergo.

Prob. 4. Quia mirum esset, quòd ante Calvinum & Lutherum, nulli Patres, nulli Theologi, nulli Interpretes, imo nulla Concilia, nec ipsum Florentinum, quod tam distinctè & exactè ad instructionem Armenorum, omnes Sacramentorum materias & formas exposuit, illius concionis adeò necessariæ meminisset.

Obji. 1. Ephes. 5. Baptismus dicitur *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*: sed verbum vitæ est verbum concionatorium: ergo.

Resp. A fortiori verbum consecratorium esse verbum vitæ; cùm ad vitam spiritualem concurrat, non excitativè solum, ut verbum concionatorium, sed etiam effectivè ratione virtutis sibi à Christo concessæ. Vocat quidem Hieronymus in hunc locum, verbum vitæ doctrinam; sed, ut monet initio sui commentarii, sumit lavacrum, non litteraliter pro Baptismo, sed mysticè pro qualibet purgatione, ad quam disponit doctrina.

Obj. 2. Christus mittens Apostolos per orbem ipsos monet ut doceant baptizando: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ergo &c.

Resp. Non velle Christum, ut doceant baptizando, sed ut prius doceant, deinde baptizent; eò quòd radix justificationis in adultis sit fides: *Quomodo autem credent sine prædicante?* Unde necessaria est instructio ut dispositio ad Baptismum, non ut ejusdem forma.

Obj. 3. August. Tract. 80. in Joan. Cap. 13. ait: *Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* Quod autem fide creditur, ad credendum exponitur.

Resp. Augustinum tantum velle, quòd hæc verba, *Ego te baptizo* &c. Cor abluant, non quia dicuntur, cùm nec proferens, nec prolata habeant de se vim justificandi, sed quia justificativa creduntur (non quidem semper à baptizante, cùm possit esse infidelis; non etiam semper à baptizato, cùm sæpè sit rationis expers) sed saltem ab Ecclesia; & certè nisi crederentur habere vim justificandi ex Christi institutione, quomodo haberetur intentio faciendi, quod fecit Christus, sine quo non subsistit Sacramentum? Non credit quidem infidelis baptizans, ut dixi, sed tamen intendit facere quod facit Ecclesia, quæ ita credit: undè si per impossibile non crederet Ecclesia formam Sacramenti esse ex divina virtute justificativam, infidelis ille intendens facere quod facit Ecclesia, non baptizaret defectu intentionis. Ex quibus patet quòd verba Sacramentalia debeant quidem credi, non tamen ideo in Sacramento concionaliter exponi; cùm inter illa nulla sit necessaria connexio.

Inst. 1. Augustinus infra vocat formam Baptismi, *verbum fidei*: ergo est concionalis, & non consecratoria, seu ritualis.

Resp. Dist. Ant. Vocat *verbum fidei*, formaliter: N. objectivè, in quantum credere debemus esse ex divina virtute justificativum: C.

Instit. 2. Dicit ibidem: *Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei*; sed sic loquitur quia hoc verbum in Ecclesia Dei proponitur concionatoriè, non extra: ergo &c.

Resp. Neg. Min. Quia vult tantum valere, ubi sit ex intentione faciendi quod facit Ecclesia Dei, quæ baptizatum mundat ministerialiter.

Obj. 4. D. Ambrosius lib. de initiandis c. 3. vocat formam Baptismi, Dominicæ crucis prædicationem.

Resp. Sic vocare, quia Minister baptizat in modum crucis, quam ideo exaltat & prædicat opere, non voce.

QUÆSTIO VI.

Quæ mutatio in materia aut forma irritet Sacramentum?

Duplex circa materiam & formam Sacramentorum accidere potest mutatio, substantialis una, accidentalis altera. Censetur autem mutatio substantialis in materia, quando moraliter loquendo, censetur alia nomine & ratione, etsi specie physica non differat, aliàs reputatur accidentalis. Similiter censetur substantialis mutatio in forma quando verba aut addita, aut omissa, aut falsificata, aut transportata, aut quomodolibet variata, ita sensum alterant: at secundum communem hominum existimationem reputetur diversa ab ea quæ communiter adhibetur; alioqui tantùm est accidentalis.

CONCLUSIO I.

Mutatio merè accidentalis in materia & forma, non irritat Sacramentum. Est communis.

Ratio est; quia non irritatur Sacramentum, quamdiu manet integrum: sed quamdiu mutatio tantùm est accidentalis, manet integrum Sacramentum; cùm maneant partes ejus intrinsecæ, in ratione partium & physicè & moraliter invariatæ: ergo.

Dixi: *Mutatio merè accidentalis*, idque propter formam Baptismi, quæ collata in nomine SS. Trinitatis, loco *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nulla est; quia ultra mutationem accidentalem, etiam minus distinctè Mysterium SS. Trinitatis exprimit contra expressam Christi voluntatem requirentis, ut in hoc fidei Sacramento fiat explicita SS. Trinitatis invocatio.

CONCLUSIO II.

Mutatio substantialis materiæ aut formæ, irritat Sacramentum. Est etiam certa.

Ratio est; quia non possunt substantialiter mutari partes in physicis, nisi taliter mutetur & totum physicum: ergo similiter in moralibus; cùm partes entis moralis non sint minus intrinsecæ enti morali, quàm partes physicæ enti physico. Præterea nihil est aliud Sacramentum materialiter sumptum, quàm sua materia & forma: ergo si hanc vel illam substantialiter mutaveris, Sacramentum substantialiter mutes, adeoque irrites, necesse est. Ex dictis

Resol. 1. Baptizantem cum glacie, consecrantem pastam, aut succum in uvis nihil efficere; quia etsi specie physica non differat glacies ab aqua, nec pasta à pane nec succus in uvis à vino,

vino, differunt tamen specie morali, jam antem cùm Sacramenta fint entia moralia ad usum humanum destinata, magis attendi debet ad judicium morale, quàm ad physicas rerum naturas.

Resol. 2. Nihil referre ad valorem Eocharistiæ, si quis consecret panem album, aat nigrum, azimum aut fermentatum, sicut nec ad valorem Baptismi, si baptizet in aqua calida, frigida, aut tepida, consecrata aut non consecrata, licèt, ut vitet peccatum, servare debeat morem suæ Ecclesiæ: Ratio est; quia mutationes illæ nec physicè, nec moraliter censentor materiam ordinariam variare.

Resol. 3. Si vino consecrando tantùm misceatur aquæ, aut aquæ baptismali tantum aquæ rosaceæ, aut alterius liquoris, ut primum moraliter non reputetur amplius vinum usuale, & secunda non amplius aqua naturalis, nullum erit Sacramentum; stabit tamen, si mixtio non censeatur moraliter speciem mutare: erit autem dubium, si dubia reputetur materia. Sequitur ex antecedentibus

Resol. 4. Posse formam essentialiter ant accidentaliter mutari, adeoque Sacramentum irritare, aut integrom relinquere sex modis his versibus expressis.

Nil formæ demas, nil addas, nil variabis:
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Pro quibus facilè intelligendis, pono Resolutiones sequentes.

Resol. 5. Omittentem in forma Baptismi *Ego*, & in forma consecrationis *enim*, non irritare Sacramentum; secus si in prima omitteret *Te*, & in secunda, *Hoc*, quia omissio prima non variat moraliter sensum, variat autem secunda.

Resol. 6. Baptizantem eum hac forma, *Ego nobilis te baptizo* &c. vel cum hac: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, Filii sapientis, Spiritus Sancti Paracliti*. Item consecrantem his verbis: *Hoc est corpus meum, pro humano genere crucifixum*, conficere Sacramentum; quia etsi formæ illæ plura dicant, ordinariam tamen significationem non alterant substantialiter. Alterant tamen formæ sequentes: *Hoc coagulatum ex aqua & tritico est corpus meum*. Item *Hic liquor est Sanguis meus*; quia non important identitatem prædicati cum subiecto.

Resol. 7. Sie consecrantem: *Hoc est corpus Christi*, vel baptizantem in nomine Dei, suppressis trium Personarum nominibus, nihil efficere; quia variatio illa censetur substantialis, eò quòd in primo minister non loquatur in persona Christi, sed propria; In secundo aurem nun exprimatur Ss. Trinitatis Mysterium. Validè tamen operaretur; qui uteretur idiomate materno, adhiberet verba synonima, v. g. *Abluo* loco *Baptizo*, aut diceret in consecratione *Corpus meus*, loco *corpus meum*; *Sanguini* loco *Sanguinis*, *Calis*, loco *Calix*; quia moraliter censerentur variationes accidentales.

Resol. 8. Validè operari baptizantem cum hac forma: *In nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti ego baptizo te*, sicut & consecrantem hoc modo: *Hoc est meum corpus*, aut: *Hic est sanguinis mei calix*. Invalidè autem, si dicat: *Hoc corpus est meum*, vel, *Hic sanguis est meus*, quia ratione transmutationis verborum alins est omnino formæ sensus in secundo casu, non in primo.

Resol. 9. Balbum proferentem: *Hoc est coppus meum*; validè consecrare; non sic lingua sanum, quia juxta hominum existimationem in primò tantùm est corruptio accidentalis, in secundo, substantialis, eò quòd ly *coppus* respectu Balbi, significet *corpus*, non respectu alterius. An autem sanus dicens *coppus* ex intentione Balbum simulandi, sed cùm intentione consecrandi, verè consecrer? Dubium est; & ideo dubium est Sacramentum.

Resol. 10. Nullam esse formam, adeoque nullum Saeramentum, si inter illius verba tanta intercedat mora, ut moraliter loquendo non censeatur posteriora connecti cum prioribus: ad quod bene advertere debent illi, qni ita morosè & tædiosè consecrationis verba proferunt, ut pro unica forma ferè semiquadrantem horæ impendant. Non laudamos tamen propterea in actione tam sancta præcipitantes. Si quis autem inter verba sacramentalia sternuat tussiat aut breviter mente divagetur, non debet prolata repetere, sed prosequi, quia mora tam parva pro nulla reputatur in moralibus.

Resol. Denique Formas omnium Sacramentorum, excepta Extrema-unctione debere ab unico Ministro integras proferri; quia cum verba unius nec ex natura rei, nec ex Christi Institutione ordinentur ad complementum verborum alterius, si dno duas formæ partes pronuntiarent, nequaquam formam unicam integrarent.

Dixi *Excepta Extrema-unctione*, cujus forma cum sit multiplex, pro multiplicitate sensuum, & aliunde sit deprecatoria, potest instar orationis ab uno inchoari, & ab alio perfici.

QUÆSTIO VII.

An aliquid addens, minuens, aut mutans in forma Sacramentorum ex intentione introducendi errorem, aut novum ritum, Sacramentum efficiat?

CONCLUSIO I.

ALiquid accidentale addens, minuens, aut mutuans in forma sacramentorum ex intentione introducendi errorem, aut etiam falso putans esse necessariò addendum, aut omittendum, conficit Sacramentum, modò habeat intentionem eonditionatam faciendi quod Christus instituit, aut quod facit Ecclesia, casu quo erret.

Ratio est; quia tunc forma maner eadem substantialiter quoad sensum à Christo requisitum, cùm error aut intentio perversa Ministri non possit alienare verborum significationem; nam sicut independenter ab ipso, receperunt suam significationem, ita independenter ab ipso illam retinent.

Dixi: *Modo habeat intentionem* &c. nam si absque illa scienter omittat illud accidentale, quod credit essentiale. nihil efficit, non defectu formæ, sed defectu intentionis faciendi Sacramentum; eùm nolens ponere essentiam Sacramenti nolit ipsum Sacramentum. Aliud esset, si adderet aliquid quod falsò putarer partem essentialem; quia cum illo errore adhuc stat intentio ponendi totum essentiale, adeoque & Sacramentum, & ideo validè consecraot Græci, addentes his verbis *Hoc est corpus meum* sequentia tanquam essentialia: *quod pro vobis tradetur*.

Dices: Zacharias Papa de Consecr. Distinct. 4. cap. *Retulerunt*, declaravit Baptismum collatum ab ignaro linguæ latinæ, sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta*, non esse iterandum, si noluit errorem inducere. ergo censet intentionem introducendi errorem officere Sacramento.

Resp. Dist. eonseq. Ergo censet intentionem introducendi errorem destrnentem formæ sensum, at si baprizans per *Patria, Filia*, &c. intelligat fœminas, officere Sacrameoto: C aliàs: N. ista quidem verba videntur de se aliud significare, quàm *Patrem, Filium* &c. pronuntiata tamen bona fide ab ignaro linguæ, censentur moraliter idipsum significare.

CONCLUSIO II.

MInister addens, minnens, aut mutans accidentaliter formam Sacramentorum, ex intentione introducendi novum ritum, conficit Sacramentum, si tantùm intendat corrigere praxim Ecclesiæ, quam falsò putat errare; non conficeret tamen, si intenderet ritum aliquem distinctum ab eo, qorm Christus instituit, & Ecclesia, observare consuevit.

Prob Prima pars; Quia cum illo errore privato, & intentione minus recta inde proveniente, adhuc stat intentio faeiendi quod Christus instituit: imò ideo illud addit, quia vult exactiùs facere quod Christus statuit; unde consecrantes Græci in pane fermentato, & baptizantes cum hac forma: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris* &c. etiam cum intentione corrigendi Ecclesiam Romanam, quam in azimo consecrantem, & aliis verbis baptizantem existimant errare, Sacramentaliter operantur.

Prob 2. Pars. Quia talis vult aliud facere, quàm instituerit Christus, & eonsequenter non habet intentionem ad Sacramentum requisitam, licèt in fundo rei ponat formam sufficientem. Ex dictis

Resol Formæ significationem nullatenus pendere ab intentione Ministri, & ideo non approbo sententiam Suarez volentis formam, cujus sensus dubius est ob mutationem, mutari substantialiter, si falsum sensum intendat Minister; aliàs si verum sensum intenderet, forma, propter eamdem rationem, de ambigua fieret certa, quod nemo dixerit.

QUÆSTIO VIII.

Quale sit peccatum materias aut formas mutare, dubias aut probabiles adhibere, aut in formis aliquid repetere?

CONCLUSIO I.

QUi materias aut formas Sacramentorum mutat substantialiter, semper mortaliter delinquit; qui autem accidentaliter, aliquando mortaliter, aliquando venialiter.

Prob. 1.

Prob. 1. Pars; quia Sacramento ob nullitatem irrogatur gravis irreverentia, & suscipienti, ob gratiæ privationem, grave nocumentum.

Prob. 2. Pars; quia fieri potest ut mutatio accidentalis, attenta consuetudine, Ecclesiæ præcepto, Sacramenti dignitate, circumstantiarum natura, Ministri qualitate &c. aliquando gravem, aliquando levem importet deordinationem: hoc autem prudentum judicio relinquitur determinandum: ut tamen lucem majorem tyronibus ingeramus

Resol. 1. Latinum celebrantem in fermentato, & Græcum in Azimo: Non miscentem aquam vino consecrando: consecrantem idiomate gallico aut germanico: Omittentem in forma consecrationis: *Novi & æterni testamenti*, *mysterium fidei*, graviter peccare; quia censent communiter DD. in his materiis Ecclesiæ præceptum ob causas graves graviter obligare.

Resol. 2. Omittentem *enim* in consecratione, *In nomine Patris* &c. in Absolutione, *Ego* in forma Baptismi, sicut & ponentem *Abluo* loco *Baptizo*, aut baptizantem privatim lingua vulgari, tantùm peccare venialiter: quia non videntur illa graviter adversari Sacramentorum ritui, aut Ecclesiæ voluntati. Imo expedit ut linguæ latinæ ignarus potius baptizet vernaculè, quàm latinè etsi formam latinam calleret.

CONCLUSIO II.

QUi deliberatè & sine necessitate conficit Sacramentum in materia aut forma dubia, vel probabili, gravissimè peccat: & quidem contrà Religionem ob irreverentiam Sacramento illatam; contrà charitatem proximo debitam; & contra justitiam, si ipsi animarum cura incumbit ex officio. Hæc omnia fusè discutiuntur in Tractatu nostro de Actibus humanis Disp. de conscientia probabili.

CONCLUSIO III.

ETiam gravis Sacrilegii reus est, qui secluso dubio fundato, aut scrupulo, formam Sacramentalem repetit. Est communis & certa.

Ratio clara est, quia secunda forma est omninò inutilis, omnique caret effectu, cùm jam antea Sacramentum sit sufficienter completum.

Dixi 1. *Secluso dubio fundato*; quia taliter dubitans, an de facto consecraverit v. g. potest & debet formam, de qua dubitat, repetere sub conditione. Non censetur tamen adesse dubium fundatum, quando quis præcisè, ratione distractionis, non meminit consecrationis factæ; quia prudenter præsumere potest omnia præcedentia peregisse, adeoque & consecrasse; cum non soleant celebrantes, ob distractionem supervenientem aliquid in Missa omittere.

Sed quid si dubitet Sacerdos, an pœnitentem absolverit, nec possit ipsum interrogando, de rei veritate certificari; Dicunt plurimi tunc etiam conditionaliter esse absolvendum, quia hic conditio, sicut in casu priori abstergit omnem irreverentiam, si fortè bis forma pronuntietur, eò quòd tunc verba defectu intentionis, non dicantur Sacramentaliter, sed materialiter; verùm non apparet hic necessitas conditionaliter absolvendi, cùm possit à pænitente petere an iterum se accuset de peccatis jam declaratis, & habita responsione, novaque elicita contritione, absolutè absolvere, intendendo facere novum Sacramentum si factum sit aliud.

Dixi 2. *& scrupulo*; quia excusari possunt scrupulosi repetentes, saltem à gravi peccato; idque ob anxietatem, & mentis perturbationem: non enim est credibile quòd Deum graviter offendant per actionem, quam ideo ponunt ne ipsum offendant.

DISPUTATIO IV.

De Ministro Sacramentorum.

LUtherus lib. de instituendis Ecclesiæ Ministris, edito anno 1523. docet omnibus baptizatis eamdem in esse potestatem in Sacramentis administrandis; *Sacerdos*, inquit, *in novo præsertim testamento, non fit, sed nascitur: non ordinatur, sed creatur: nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani Sacerdotes*; Quamvis, ut ait, ad vitandam confusionem, soli vocati debeant illa potestate uti, ubi Sacramentum ministratur solemniter, nec urget necessitas. In libro autem de Missa privata edito anno 1534 hanc potestatem etiam extendit ad dæmones, docens diabolum in corpore humano baptizantem, & consecrantem, absolventem, Sacramentaliter operari.

Cujus ratio est, quòd id etiam possint membra Diaboli, ut Judas, & mali Sacerdotes, quidni & Diabolus? Sed non advertit egregius Diaboli Advocatus quòd non illa præstent ut membra Diaboli; sed ut Christi Ministri, quales non sunt, nisi specialiter ad id ordinentur.

Calvinus è contrà in Antidoto ad can. 10. sess. 7. Conc. Trident. ita restringit ministerialem Sacramentorum potestatem ad eos, *qui singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur Ministri*, ut deneget fœminis potestatem baptizandi, etiam in extrema necessitate. *Porro munus baptizandi*, inquit ibidem, *ubi mulierculis injunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?* Sed hunc errorem in Disputatione de Baptismo refutabimus.

QUÆSTIO I.

Quis sit legitimus Sacramentorum Minister?

QUærimus hic de Ministro minus Principali: nam certum est magis principalem esse Christum ut hominem, ut patet ex illo Joan. 1. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu S.* unde August. Tract. 6. in Joan. *Petrus baptizet.... Paulus baptizet... Judas baptizet, hic est, nempe Christus, qui baptizat.*

CONCLUSIO I.

ORdinarius Sacramentorum Minister est solus homo viator, non tamen omnis respectu omnium.

Prob. 1. Pars; ille solus potest Sacramenta ministrare, cui ministrandi data est potestas; cùm nec creaturæ, nec res, nec verba ab ipsis adhibita, habeant de se vim instrumentaliter justificandi: sed soli homini Viatori data est illa potestas: ergo. Prob. Min quia solis viatoribus dixit Christus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. Matt. 28 *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joan 20. Item Ministri confirmationis dicuntur Apostoli Act. 8. Extremæ unctionis Presbyteri Ecclesiæ, Jac. 3. Ordinis, *Pontifex ex hominibus assumptus*, Hebræ. 5. Ministri autem Matrimonii sunt contrahentes, ut suo loco dicemus: ergo soli homines viatores sunt Sacramentorum Ministri.

Ratio congruentiæ est, quia conveniebat ut Sacramenta pro hominibus instituta, ministrarentur ab hominibus, signaque sensibilia à creaturis sensibilibus, quales non sunt Dæmones aut Angeli, exercerentur.

Prob. 2. Pars, quia licèt Minister Baptismi sit quilibet homo rationis compos & Ministri Matrimonii sint ipsi contrahentes, Minister tamen Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ-unctionis debet esse Sacerdos, imo Episcopus pro Ordine & Confirmatione, ut suo loco probabimus: undè Trid. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Christianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis habere potestatem: Anathema sit.* Dicuntur quidem omnes Christiani *Sacerdotes*, in variis Scripturæ locis, & indè infert Lutherus omnes esse quoad potestatem Sacramentorum Ministros, sed manifestè loquitur Scriptura, de Sacerdotio mystico & Spirituali, quo, ut dicitur 1. Pet. 2. hostias spirituales offerunt, id est opera bona, ac præsertim preces & laudes.

Obj. 1. Contra primam partem: Sacramentum non pendet à qualitate Ministri: ergo sive sit homo, sive Angelus, sive Dæmon, validè conficitur.

Resp. Dist. Ant. Non pendet à qualitate ministri accidentaria, v. g. bonitate aut malitia: C. qualitate essentiali, ut est character Ordinis: N. hoc insinuat perpetua Ecclesiæ traditio.

Obj. 2. Quod potest Inferior, potest Superior: Sed Angelus est superior homine: ergo.

Resp. Dist. Maj. Quod potest &c. in his quæ pendent ab alterius voluntate: N. in aliis, transeat. Sed hoc ministerium pendet à Deo, qui illud concessit homini, non Angelo.

Obji. 3. D. Thomas Parte 3. q. 64 art 7 hanc potestatem tribuit Beatis: atqui non sunt viatores: ergo.

Resp. Dist. Maj. Hanc potestatem tribuit Beatis: radicaliter, eò quòd maneant characterizati. C. formaliter. N. Plus quidem tribuit Beatis in Sacramenta quam Angelis, sed his negat omnem potestatem, illis autem licèt non concedat formalem defectu viæ, concedit tamen radicalem ratione characteris.

Obj. 4.

Obj. 4. Si resurgeret Apostolns aliquis, posset Sacramenta ministrare: sed non reciperet novam potestatem, ergo.

Resp. Dist. Maj. Posset Sacramenta ministrare, quia fieret viator, C. ratione Characteris præcisè, N. Unde id non posset si appareret in corpore assumpto, aut glorioso.

Obj. 5. In Hymno Apostolorum sic ipsos alloquimur, *Nos à peccatis omnibus, solvite jussu quæsumus*: ergo possunt absolvere.

Resp. Dist. Conseq. Possunt absolvere, peccata condonando, N. gratiam pœnitendi impetrando, C.

Obj. 6. *Scotus in 4. Dist 6 q 1. affirmat Angelos, etiam de lege ordinaria, posse esse Sacramentorum Ministros*, verba sunt P. Gonet Tom. 5. dist. 6. art. 1. ergo.

Resp. vel Gonet nunquam legiste Scotum, vel ipsi fraudulenter imponere, cum ne vel umbra illius ibi reperiatur, docet quidem fore validum Baptismum, si ex præcepto Dei conferatur ab Angelo in corpore assumpto, sed tunc constitueret ipsum Deus Ministrum extraordinarium. Et ideo sit

CONCLUSIO II.

MInister Sacramentorum extraordinarius potest esse quælibet creatura rationalis, sive anima separata, sive Angelus, sive etiam Dæmon, si à Deo assumeretur. Est communis.

Prob. 1. Quia sicut Deus, inquit D. Thomas supra, *virtutem suam non alligavit Sacramentis, quin posset sine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ Ministris, quin etiam Angelis posset virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis.*

Prob. 2. Ex variis Historiis fide dignis, quibus narratur Angelos sæpius Eucharistiam ministrasse, ut teste Breviario Romano B. Raymundo Nonnato, teste Sabellio lib. 2. c. 2. S. Onuphrio, teste D. Antonino B. Catharinæ Senensi. Imo, ut refert Nicephorus lib. 11. c. 2. ratam habuerunt Episcopi Consecrationem S. Amphilochii, ab Angelis in Episcopum consecrati. Unde si constaret Sacramentum esse ab Angelo collatum, de ejus valore non esset dubitandum, quia certum est Angelum nonnisi ex speciali Dei deputatione id fuisse facturum. Seclusa tamen certa revelatione, nt ait Scotus supra, dubitandum esset de collato à Dæmone, cum sit spiritus mendacii, & aliundè non quærat hominem salvare sed perdere.

Dices 1. Sacramenta debent constare rebus & verbis: sed non possunt Angeli verba proferre: ergo.

Resp. Dist. Maj. Debent constare verbis ut vitalibus: N. ut significativis: C. Angeli autem licèt non possint in corpore assumpto verba vitalia edere, cùm non procedant à principio intrinseco, possunt tamen edere significativa, quo casu hæc verba differrent quidem materialiter à verbis humanis, non tamen formaliter, cum horum & illorum esset eadem significatio; quæ præsertim attenditur in Sacramentis.

Dices 2. Non possunt Angeli Sacramenta recipere: ergo nec conficere.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quòd actio Sacramentalis, utpotè materialis, non possit in subjectum spirituale exerceri, suppositum autem spirituale, possit mediante corpore assumpto tanquam instrumento actionem materialem ponere.

Instabis: Potest Angelus baptizare v. g. mediante corpore assumpto: ergo & mediante eodem baptizari.

Resp. N. Conseq. Disparitas est, quod ubi instrumentum, quale est corpus illud assumptum, operatur, dicatur & motor instrumenti operari, quia vim operandi communicat instrumento, ubi autem instrumentum aliquid recipit, non dicatur illud recipere motor instrumenti; cùm instrumentum nihil communicet motori: & sic ubi baptizaretur corpus assumptum, non diceretur Angelus baptizari.

Dices 4. Sacramenta sunt thesauri Ecclesiæ militantis; atqui Angeli non sunt de Ecclesia militante, sed triumphante: ergo non possunt illa distribuere.

Resp. Dist. Conseq. Non possunt illa distribuere, seclusa speciali & extraordinaria Dei dispensatione: C. illa accedente: N.

QUÆSTIO II.

De Intentione ministri.

SUppono 1. Intentionem (quæ est actus voluntatis tendens in finem, distinctus ab attentione, quæ est actus intellectus) esse duplicem, *directam* unam, & *indirectam* alteram: Per primam, intenditur res in se, per secundam intenditur in altero, ex quo prævidetur secutura. Hæc aliter vocatur interpretativa.

Suppono 2. Intentionem directam adhuc esse triplicem, nempe *actualem*, quam quis habet dum actualiter operatur, v. g. baptizat, consecrat &c. *virtualem* quæ censetur procedere ex actuali præhabita, in quantùm vi ejus applicantur potentiæ exteriores ad actum, licèt operans non attendat hic & nunc ad id quod exequitur. Talem habet, qui voluit in Sacristia, aut in altari, consecrare, & postea tempore consecrationis distrahitur. Et *habitualem*, quæ est volitio præterita non retractata, sed ita interrupta, ut nec in se, nec in virtute censeatur remanere, sed tantùm in habitu ex actu relicto. Alias intentionis divisiones suo loco assignabimus.

Suppono 3. Varia admodum de intentione occurrere dicenda, quæ cum non possint clarè & distinctè unica quæstione comprehendi, ideo illa per varios Articulos exponemus.

ARTICULUS I.

An & qualis requiratur intentio ad valorem Sacramenti?

CONCLUSIO I.

NOn potest subsistere Sacramentum, sine intentione Ministri volentis saltem generaliter & confusè, facere quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conciliis, Constantiensi sub Martino V. Flor. & Tridentino, ubi id expressissimè definitur. *Si quis dixerit*, inquit Trid. Sess. 7. Can. 11. *In Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, Anathema sit.*

Prob. 2. Quia cùm actio Ministri sit de se indifferens ut sit naturalis, vel Sacramentalis, debet per intentionem faciendi Sacramentum, ad actionem sacramentalem determinari. Et certè cur ablutio baptismalis significat potiùs ablutionem animæ, quàm corporis, cùm de se significet potiùs contrarium? Non alia ratione, nisi quia eò dirigitur intentio Ministri.

Obj. 1. Medicina est Medicina independenter ab intentione Medici: ergo Sacramentum est Sacramentum independenter ab intentione Ministri.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est quòd medicina vim sanandi habeat ex suis intrinsecis; Sacramentum autem tantùm vim habeat justificandi ab extrinseco, seu ex institutione Christi, Ministri intentionem requirentis.

Obj. 2. Ad validam prædicationem non requiritur intentio prædicandi: ergo nec ad validum Sacramentum, intentio Sacramenti conficiendi.

Resp. N. conseq. Disparitas est, quòd prædicatio sit de se talis independenter à quolibet alio, cùm, velit, nolit concionator, equidem instruat; actio autem Ministri, cùm sit de se indifferens ut sit quid naturale, aut sacramentale, debet ab alio determinari.

Obj. 3. Constituitur Sacramentum per res & verba: sed hic habentur, ubi non habetur intentio Ministri: ergo.

Resp. Dist. Maj. Constituitur per res & verba nudè sumpta, N. determinata effectivè per intentionem ad esse Sacramentale: conc.

Obj. 4. Signa (qualia sunt Sacramenta) significant independenter ab intentione illa applicantis: ergo.

Resp. Dist. Ant. Signa naturalia: conc. Arbitraria: Nego universaliter; quia dum illa instituens, requirit ad eorum significationem, intentionem applicantis, ubi illa deficit, deficit & significatio.

Obj. 5. Intentio non est sensibilis: ergo non potest constituere Sacramentum, quod est signum sensibile.

Resp. Dist. conseq. Non potest constituere, partes informando, C. illas ad esse Sacramenti determinando, N. ad hoc enim nihil facit ipsius sensibilitas, aut insensibilitas.

Dixi in concl. *Volentis saltem generaliter & confusè*; quia, ut intendat facere quod facit Ecclesia, non requiritur quòd Ecclesiam distinctè cognoscat, sed sufficit quòd illam cognoscat sub ratione alicujus societatis, Sacramentum conferendum, tanquam cæremoniam sacram exercentis; Imò satis est, si Paganus v. g. velit, baptizando, id exequi, quod alter ab ipso exigit; nam cùm baptizandus exigat id, quod Christus instituit, censetur & baptizans velle implicitè idipsum facere.

CONCLUSIO II.

AD valorem Sacramenti non requiritur intentio actualis; non sufficit habitualis; sufficit virtualis.

Prob. 1. pars; quia licèt intentio actualis sit optima, & in praxi consulenda propter majorem Sacramenti reverentiam;

tiam; non est tamen credibile Christum in hominibus tam facilè distractis ipsam exegisse: cùm aliàs sæpe exponeretur Sacramentum periculo nullitatis, ac ideò sæpè fraudaretur suscipiens illius effectu, cum magno salutis dispendio. Porrò ut dicatur quis habere intentionem actualem, non requiritur quòd reflexè dicat: *volo baptizare*, *volo consecrare &c.* quod sæpius est somentum & occasio scrupulorum, sed satis est, si ad actionem sacramentalem advertat, ipsamque advertenter ponat.

Prob. 2. pars, quia cùm intentio debeat actionem de se indifferentem ad esse Sacramenti determinare, debet in ipsam influere: sed in actionem illam non influit intentio habitualis, cùm nec in se nec in virtute remaneat, sed tantùm in habitu ex intentione relicto; adeòque ab ipsa distincto: ergo. Prætereà si dormiens aut ebrius materiam & formam Sacramenti poneret, nihil conficeret, defectu operationis moralis, ut concedunt omnes, & tamen remanet in illis intentio habitualis: unde sicut habitus ambulandi non reddit ambulationem in somno factam, moralem; ità nec intentio habitualis moralem reddit actionem Sacramentalem.

Dices 1. D. Thomas q. 64. art. 8. ad 3. tantùm requirit intentionem habitualem: ergo.

R. Dist. Ant. Tantùm requirit &c. quoad nomen, C. quoad rem, N. quia evidentissimè per habitualem, idem intelligit quod nos per virtualem, cùm vocet habitualem illam, quæ manet in distracto paulò post actualem.

Dices 2. Aliquando sufficit intentio habitualis in suscipiente: ergo & in conficiente.

Resp. Disparitatem esse, quòd in suscipiente tantùm requiratur ut dispositio subjecti; in conficiente autem, ut determinativum rei, de se ad Sacramentum indeterminatæ; & ideò debet conficiens in Sacramentum influere, non suscipiens.

Dices 3. Sufficit intentio præfata, ut applicetur Missa: ergo etiam ut conficiatur.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quòd Missæ applicatio, non sit actio Missæ factiva, sed tantùm donativa, casu quo fiat; & ideò sicut potest quis uno actu donare omnes picturas, v. g. quas per mensem integrum confecturus est, licèt posteà de donatione non cogitet; ità & omnes Missas unius mensis.

Dices 4. Docet Augustinus Tract. 5. in cap. 1. Joan. Ebriosum validè baptizare: sed hic non potest habere intentionem actualem aut virtualem: ergo

R. Neg. Min. Quia licèt illam non possit habere ebrius; utpotè importans actualem ebrietatem, adeòque carentiam usus rationis, illam tamen habere potest ebriosus; cùm solùm importet habitum seinebriandi, quocum stat aliquando usus rationis.

Prob. 3. pars; quia sufficit illa intentio ad actionem Sacramentalem, quæ sufficit ad actionem moralem; cùm tantùm voluerit Christus ut homo in Sacramentis humano modo operaretur: sed sufficit ad actionem moralem, v. g. ad votum, orationem, contractum &c. intentio virtualis: ergo etiam ad Sacramentalem.

Dices: Vix explicari potest in quo consistat intentio illa virtualis.

R. Variè quidem à variis explicari, sed cùm nobis constet sufficere ex recepta communiter Ecclesiæ praxi, speculativam illius expositionem Philosophis relinquimus. Proderit tamen pro tollendis variis scrupulis sententia Reginaldi & aliorum asserentium illam esse intentionem virtualem ad Sacramentum sufficientem, quæ, vel ex natura rei, vel ex institutione Ecclesiæ comprehenditur sub altera intentione: unde quia sub intentione se induendi vestibus Sacerdotalibus continetur virtualiter intentio celebrandi, censetur quis validè consecrare, etsi tempore consecrationis distrahatur, si habuerit intentionem se induendi, quæ vix ab homine usu rationis utente potest abesse.

In praxi tamen curare debet Sacerdos, ut ante Missam formet intentionem expressam celebrandi: quod ut fieret, Indulgentias concessit Gregorius XIII. recitantibus hanc formulam: *Ego volo celebrare Missam* &c. Ex dictis hac quæstione

Resol. 1. Incipientem formam sine intentione, & prosequentem cum intentione, nihil efficere; quia debet intentio in totam formam influere.

Resol. 2. Eum, qui advertenter ivit ad Baptisterium, Confessionale, Altare, Xenodochium, &c. ministraturus, validè baptizare, absolvere, consecrare, Extremam-unctionem conferre, &c. etsi tempore ministerii ad extranea, mente rapiatur; quia vel illas actiones comitata est intentio actualis virtualiter perseverans, vel certè adfuit virtualis à Reginaldo explicata.

Resol. 3. Idem, propter eandem rationem, dicendum esse de eo, qui posuit Pixidem in Altari super Corporale, parvulas hostias consecraturus, etsi consecrando, illarum sit omninò immemor.

Resol. 4. Remanere intentionem sufficientem in Sacerdote, qui tempore concionis post Offertorium habitæ recessit ab Altari sessurus; quia Concio illa, sicut & recessus, non censetur intentionem discontinuare: imò idem esset, si tempore concionis parum dormiat, eo quòd in moralibus parum reputetur pro nihilo. Si tamen somnus fuisset diuturnior, esset renovanda intentio, quod videtur facere eo ipso quo advertenter regreditur ad Altare.

Resol. 5. Etsi distractus validè possit absolvere, non tamen dormitans, & ideò repetenda esset absolutio, si subitaneo somno correptus absolvisset, quia dormiens non censetur humano modo agere. Et ideò sit

CONCLUSIO III.

NOn sufficit ad valorem Sacramenti intentio indirecta, seu interpretativa.

Ratio est, quia actio sacramentalis tam consistit in actione externa, quàm interna; adeòque debet esse utraque in se humana & moralis, idest, liberè & advertenter posita. Aliud est de peccato; cùm enim ejus ratio petatur ab actu interiori, ubi actus ille interior liberè ponitur, censetur adesse peccatum, etsi actus exterior in somno, aut ebrietate ponatur; imò etsi nullatenus sequatur.

ARTICULUS II.

An sufficiat intentionem versari præcisè circa ritum externum Sacramenti?

REquiri ad Sacramentum intentionem faciendi quod facit Ecclesia, contra Lutherum, & Calvinum docuimus Art. 1. tanquam Oraculum fidei. Sed quodnam debeat esse objectum illius intentionis? Controvertitur, etiam inter Catholicos. Quod ut faciliùs percipiatur.

Adverte 1. Circa tria versari posse intentionem præfatam. 1. Ita ut tantùm intendatur sacramentum materialiter, idest, præcisè positio materiæ & prolatio formæ ut sunt actiones physicæ, non respiciendo an sint naturales, vel sacramentales; sacræ, vel profanæ. 2. Ita ut intendatur sacramentum formaliter, idest, positio materiæ, & prolatio formæ, ut sunt actiones sacræ, & à Deo elevatæ seu ordinatæ ad constituendum sacramentum. 3. Ut etiam intendatur per actiones illas sacras collatio effectus sacramentalis.

Adverte 2. Non esse difficultatem de 3. intentione: omnes enim conveniunt non esse opus ut intendat Minister effectum conferre; quia cùm effectus non sit de essentia sacramenti, potest intendi sacramentum, etiamsi non intendatur effectus. Si tamen nollet absolutè effectum, nempè gratiam, non censeretur velle sacramentum, cùm sacramentum sic essentialiter signum efficax gratiæ. In quod inconveniens non impingunt ordinariè Hæretici credentes sacramenta non esse causativa gratiæ; quia error ille speculativus, qui tantùm est in intellectu non impedit quominus habeant voluntatem faciendi quod instituit Christus, adeoque sacramentum. His notatis, restat videndum an sufficiat prima intentio, an requiratur secunda?

CONCLUSIO UNICA.

NOn sufficit ad valorem sacramenti, si tantùm intendatur materialiter, sed debet intendi formaliter, saltem implicitè, volendo quod vult Ecclesia saltem particularis, aut quod vult Parochus, vel alius validè ministrans. Est communis contra quosdam antiquos, & paucos recentiores, præsertim Sorbonicos, & Lovanienses, qui docent ponentem seriò materiam & formam, etsi non intendat sacramentum, imò positive dicat: Nolo facere sacramentum, equidem illud conficere; quia intentio illa contraria tantùm est inefficax; quandoquidem, illa non obstante, ponat partes sacramenti constitutivas, adeoque sacramentum. Quemadmodum ergo (comparatio est P. Juenin pag. 15.) qui ceram in figuram humanam disponit, velit nolit, imaginem hominis exhibet, quia ponit omnia imaginis illius constitutiva; ita & Minister seriò ponens materiam & formam Sacramenti, velit nolit, Sacramentum conficit; quia exequitur omnia ad Sacramenti constitutionem requisita.

Prob. Nihilominus 1. Conclusio: De fide est requiri ad Sacramentum, intentionem faciendi quod facit Ecclesia:

sia: sed Ecclesia non facit cæremoniam profanam, sed sacram; non naturalem, sed Sacramentalem: ergo requiritur intentio faciendi Sacramentum formaliter.

Dices cum Juenin pag. 2. Ecclesiam tantùm operari cæremoniam externam à Christo Sacramentorum Institutore præscriptam.

Resp. Authorem illum seipsum suo interficere gladio; quia cæremonia illa à Christo instituta est verè cæremonia sacra, & non abstrahens à sacra & profana, & consequenter illam ponens Ecclesia, ponit Sacramentum formaliter.

Replicabis, illam quidem ponere à Christo institutam, non tamen quatenus institutam.

Resp. Vel illam ponendo aliqualiter respicit ad institutionem, vel non; si non: ergo non ponit cæremoniam à Christo institutam, sed actionem merè naturalem, v. g. in Baptismo ablutionem talem, qualem poneret si nulla instituta essent sacramenta. Si respicit: ergo ponit illam ut institutam.

Instabis: Etsi non respiciat ad Christi institutionem, baptizando tamen in circumstantiis ordinariis, v. g in fonte baptismali, præsente Patrino &c. aut domi infantem necdum baptizatum, ubi mors imminet, censetur esse ablutio à Christo instituta; quia tunc juxta hominum existimationem, à qua dependent entia moralia, qualia sunt sacramenta non censetur fieri ad lotionem corporis, sed animæ. Sed

Contra est, quòd si ille, qui nihil unquam audivit de Ecclesia & sacramentis, lavaret prolem in circumstantiis ordinariis Baptismi, dicendo: *Ego te lavo in nomine Patris* &c. non operaretur sacramentaliter, ut fatentur Adversarii; quia nullatenus cognoscens Ecclesiam, nec distinctè nec confusè, nec directè, nec indirectè, nec in se, nec in alio, non posset habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: ergo falsum est circumstantias determinare ablutionem de se indifferentem ad esse sacramenti.

Urgebis: Requiritur ulteriùs quòd sciat Minister ablutionem illam haberi tanquam ritum sacrum in Ecclesia saltem confusè cognita.

Resp. 1. Cùm scientia illa, utpotè interior nullatenus variet significationem circumstantiarum exteriorum, ab his non potius determinari ablutionem ad esse sacramenti, ubi scientia adest, quàm ubi abest, & consequenter si tunc determinetur ablutio ad esse sacramentale, habetur determinatio à scientia non à circumstantiis, quod tamen apertè falsum est, cum non sit intellectus, ad quem scientia pertinet, sed voluntatis, indeterminatum determinare.

Urgebis ulterius. Licèt tunc circumstantiæ non aliud significent adstantibus, aliud significant Ministro, censenturque ejus intentionem determinare; nam ponens actionem, quam scit in illis circumstantiis haberi velut sacram, censetur intentione efficaci, quam publicam vocant, velle illam ut sacram ponere, etsi contrarium intendat intentione inefficaci & privata.

Resp. Si hoc esset, sequeretur (quod absurdissimum est) baptizantem cum intentione Sacramenti apud infideles, quibus ignota essent Sacramenta, nihil efficere; nam si baptizans apud fideles, etsi nolit, ponat Sacramentum, quia ponit actionem quam credunt Sacram, ita etiam baptizans apud infideles, quibus Sacramenta essent ignota, etsi vellet, non efficeret Sacramentum; quia poneret actionem, quam credunt profanam: & sic ut actiones essent sacramentales, non dependerent à Ministro, sed à circumstantibus, adeòque Hi, non ille, influerent in Sacramentum, quod nemo somniavit.

Si dicas cum Juenin, tunc determinari ablutionem ad esse Sacram ab intentione Ministri; Dicam ego, si intentio Ministri non possit efficere ut ablutio sit profana apud adstantes, qui credunt esse Sacram, nec poterit intentio ejusdem efficere, ut ablutio sit Sacra apud eos, qui putant esse profanam, nec mihi unquam dabitur disparitas, cum ablutio sit tam indifferens ut profana, quam Sacra.

Prob. 2. Conclusio, ex Trid Sess. 14. cap. 6. ubi legitur: *Atque ideò non debet pænitens adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi .... Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit, putet se esse absolutum verè & coram Deo*: ubi requirit in absolvente ad validam absolutionem, animum & seriò agendi, & verè absolvendi: atqui Adversarii docent seriò proferentem verba, etsi animum habeat non absolvendi, validè absolvere: ergo expressissimè contrariatur Tridentino.

Dices; Patres Concilii, per animum seriò agendi, & verè absolvendi tantùm excludunt jocum externum, cùm vellent confirmare decretum Leonis X. contra hanc Lutheri propositionem latum: *Si Sacerdos non seriò, sed joco absolveret, si tamen pænitens credat se esse absolutum, verissimè est absolutus.*

R. Voluisse quidem damnare Lutherum, & ejus asseclas ita sentientes, sed insuper, ut magis ipsos confunderet, voluisse ostendere non satis esse, ut jocus absit, sed etiam requiri ut verè absolvendi animus adsit; aliàs non posuisset illa duo tanquam distincta, nempè, *seriò agendi & verè absolvendi*; cùm ad condemnationem Lutheri primum sufficeret.

Replicabis: Juxta Palavicinum Concilii Trid Historiographum, noluit S. Synodus opinionem Catharini & aliorum, qui tantùm voluntatem seriò agendi requirebant, condemnare; ergo &c. Et certè mens Concilii fuit condemnare Hæreticos, non Catholicos.

Resp. Ita quidem opinari Palavicinum, & quidem ex proprio, non ex dictis Patrum, cùm nulla referat; sed huic uni tot ferè contradicunt, quot Theologiam Sacramentalem impresserunt. Voluit Concilium ex professo condemnare Hæreticos, sed hoc non obest, quominus per transennam, etiam aliorum sententias condemnaverit, ubi id apertè declaravit.

Prob. 3. Ex condemnatione hujus propositionis ab Alexandro VIII. *Valet Baptismus collatus à Ministro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus verò in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia.* Quid clarius?

Dices, Justè condemnari, eo quòd universaliter loquendo sit falsa; quia qui jocosè: mimicè: aut derisoriè ponit totum ritum externum Baptismi sine intentione, nihil conficit. Cum quo tamen stat quod sit vera, adeoque non proscripta, ubi ritus externus seriò ponitur.

R. Hic non condemnari opinionem hereticorum volentium talem Baptismum jocosè collatum valere, ad quid enim damnatio illa? Cùm jam non aliud teneant quàm tempore *Tridentini*, in quo fuerunt sufficienter condemnati. Condemnatur ergo assertum quorundam Catholicorum qui docebant valere talem Baptismum, dummodo seriò exterius perficeretur; imò dicta propositio desumpta est ex Thesi cujusdam Doctoris mihi olim cogniti, & familiaris, qui præcisè Adversariorum sententiam sustinebat.

Prob. 4. Quia seria positio materiæ & formæ, etiam cum intentione seriò agendi, est adhuc indifferens ad esse naturale, aut Sacramentale, ut per se patet: ergo alia requiritur intentio, per quam determinetur ad esse Sacramenti. Circumstantias autem non satis determinare, evidenter constat ex solutione Replicarum ad primam probationem.

Prob 5. Quia expressissimè declarat Ecclesia in Rubricis Missalis § 7. *de defectu intentionis*, Sacerdotem seriò proferentem formam super materiam præsentem, & quidem in iis circumstantiis, in quibus creditur ab omnibus consecrare, nihil tamen efficere, si desit ipsi intentio consecrandi: *si quis habeat coram se*, inquit *undecim hostias & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio:* Ex quibus evidenter apparet solum contumacem posse deinceps de Ecclesiæ mente circa hoc dubitare.

Prob. 6. Quia si Ecclesia tantum exigeret intentionem ponendi ritum externum, nunquam exegisset ultra positionem materiæ & formæ, intentionem Ministri, cum sit impossibile ut quis sibi præsens ponat materiam & formam, & non intendat ponere.

Prob. denique; quia jam universalis Ecclesiæ praxis obtinuit, ut, in dubio Sacramenti in necessitate conferendi, intentio sit conditionata, ad quid autem illa intentio interna conditionata, si ab ea non dependeat Sacramentum, ubi seriò ponitur totus ritus externus?

Solvuntur objectiones ab Authoritate!

OBji. 1. Dubitavit Augustinus lib. 7. contra Donatist. cap. 53. de validitate Baptismi mimicè dati, sed mimicè Baptizans non habet aliam intentionem, quàm ludendi & risum aliis movendi: ergo.

Resp. Dist. Maj. Dubitavit, quia dubitabat an esset necessaria intentio Sacramenti: N. quia dubitabat an Mimus illam intentionem haberet, eo quòd Mimum agendo possit intendere vel ludere, vel etiam ludendo, id quod Christiani agunt, agere: C. sed esto dubitaverit an esset necessaria intentio Sacramenti, quia nihil adhuc circa hoc Ecclesia resolverat: certè non dubitasset, si post Concilia Constantiense, Florentinum, & Tridentinum, ubi hæc veritas definita est, fuisset superstes.

Inst. 1. Docuit ibidem fallaciter collatum valere: ergo. Prob. Ant. *Nihil interest*, inquit, *ad integritatem Sacramenti in Ecclesia Catholica, utrum id aliqui fallaciter, ac veraciter agant.*

R. Dist.

R. Dist. Ant. Docuit fallaciter collatum, idest, sine intentione Sacramenti, valere: N. idest sine Fide veritatis Sacramenti, quàm exteriùs simulat Minister? C. quia potest baptizans, de quo loquitur Augustinus, nihil posteà de veritate Baptismi credens, sed credere simulans, intendere Sacramentum, saltem conditionate, idest, casu quo sit tale.

Inst. 2. Asserit interiùs valere Baptismum ubicumque, & quibuscumque verbis Euangelicis consecratum: ergo.

Resp. Quod sicut ibi supponit adhibitionem materiæ sufficientis, ità intentionis.

Obji. 2. D. Thomam 4. dist. 6. q. 1. art. 2. ubi ait: *Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta*. Quod confirmat in sua summa, 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. *In verbis*, inquit, *quæ profert*, Minister, *exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis*.

Resp. D. Thomam, (quem, ob allata testimonia, fecerunt oppositæ sententiæ Patronum Vasquez, & Bernal) tantùm velle non requiri intentionem mentalem expressam, quasi verò dici debeat signatè Minister: *Volo baptizare; consecrare* &c. quia ut præfert objectio ad quam respondet, *non posset homini ad Sacramentum accedenti esse notum quod Sacramentum suscepisset*, cùm sæpe talis intentionis oblivisceretur ministrans: unde non negat requiri implicitam, quam habet quis eo ipso quo factus Sacerdos, aut Ecclesiæ Minister accedit ad altare, ad Baptisterium, ad Confessionale &c. Sacramenta confecturus, sicut alii, licèt interius nihil dicat: de hac autem intentione, moraliter loquendo, nulla est ratio dubitandi.

Dices: S. Doctor rejicit ibi intentionem mentalem, quam requirebant certi Theologi, sed nullus requirebat expressam: ergo etiam implicitam rejicit.

Resp. Eodem jure posse negari Minorem, quo affirmatur, quandoquidem nec pro, nec contra possit probari: & certè si jam reperiantur requirentes nullam, quidni potuerunt esse requirentes expressam? Interim D. Angelicum ad valorem Sacramenti requirere intentionem mentalem, patet ex eo quòd art. 10. dicat vnlentem, præcipuè exteriùs (adeoque e am interiùs) derisoriè agere, nihil efficere: undè postquam ostendisset variis locis eandem esse necessitatem intentionis in conferente, ac suscipiente Adulto, sic loquitur q. 68. art. 7. ad 2. *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*.

Obj. 3. Licèt Ecclesia sciat Lutheranos & Calvinistas non requirere intentionem mentalem ad valorem Sacramenti, redeuntes tamen ad gremium Ecclesiæ non rebaptizat nequidem sub conditione: ergo censet illam non requiri.

R. Sic Ecclesiam agere, quia etsi intentionem illam negent esse necessariam, illam tamen habent in praxi, cùm ipsis confitentibus, eodem modo se gerant baptizando, quo Catholici.

Obj. 4. Docent SS. Patres incertam fore fidelium salutem, si dependeret à sanctitate Ministri, atqui magis foret incerta, si dependeret ab ejusdem intentione mentali, ergo.

Resp. Neg. Min. Quia constat nonnullos mortali infectos Sacramenta ministrare, nullum autem; aut vix ullum intentionem retinere.

Obj. 5. Inn. IV. in c. *Si quis puerum*, sic ait: *Si Saracenus baptizat non credens per immersiones aliquid fieri, nisi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere, secundum intentionem petentis Baptismum.... verè baptizatus est, sed si hoc non intenderet, non baptizaret*.

Resp. Ibi evidentissimè additam esse particulam *Non* ante *Intendat eum baptizare*; quia aliàs sensus esset ridiculus, imò contradictorius: nam baptizaret si non intenderet, & non baptizaret si non intenderet.

Solvuntur objectiones ab Historiis.

OBji. 1. Factum S. Genesii Martyris, qui coram Diocletiano mimicè Baptismo illudens, illum petiit, & à Mimo recepit: quo suscepto ita constanter Christi fidem confessus est, ut pro illa tuenda Martyr obierit: atqui Mimus baptizans nolebat, quod facit Ecclesia, facere, sed ridere, ergo.

Resp. 1. Id etiam solvendum esse ab Adversariis, cùm doceant ad valorem Sacramenti requiri ut totus ritus externus seriò peragatur.

Resp. 2. Genesium subitò quidem fuisse conversum; sed quomodo factus fuerit Christianus, variant Authores, Alii volunt baptizatum fuisse ministerio Angelorum, non Mimorum: alii à Mimis quidem, sed monitis ab Angelo, ut Genesium jam conversum ritè baptizarent, alii intentionem fuisse à Deo suppletam, alii aliter loquuntur, quoquomodo res se habeat, dico baptizatum esse vel Baptismo fluminis, vel Baptismo Sanguinis, Fluminis quidem, si Minister intendebat, saltem confusè, Sacramentum, Sanguinis verò si non intendebat.

Obj. 2. Baptismum à S. Athanasio puero pueriliter ludente, ac Episcopales actiones imitante, pueris collatum, tanquam validum habuerunt S. Alexander Patriarcha Alexandrinus, aliique Episcopi non pauci, sed Athanasius ludum intendebat, non Sacramentum, ergo.

Resp. (relicto etiam Adversarii objectionem dissolvendi onere) habuisse D. Athanasium (si vera sit historia) intentionem faciendi quod faciebat Patriarcha ut ipsemet fassus est, & ideò solos baptizavit Catechumenos, ludebat quidem, sed non præcisè fingendo aut respiciendo quod fit in Ecclesia: sed volendo revera facere quod in eadem peragitur, licèt recreationis ergo, cum hoc autem modo ludendi, consistere potest intentio sufficiens, quamquam consistere non possit cum illo.

Dixi: *si vera sit historia*, quia fabulosam putant aliqui, eo quòd ipsam referentes maximè varient in circumstantiis, nam Sozomenus asserit Alexandrum factum advertisse dum Clericos ad prandium expectaret, Nicephorus dum sederet in loco sublimiori, Socrates dum transiret, Alii cum Missam celebraret, imò maximè disconveniunt pro tempore, cum velint Sozomenus & Socrates id accidisse in pueritia, Baronius anno ætatis XII. quæ omnia adhuc falsa sunt juxta Chronicum D. Hieronymi, juxta quod dictus Alexander tantùm creatus fuit Episcopus anno 321. idest 21. Athanasii.

Obj. 3. Ex Nicephoro quemdam Judæum à pueris Christianis ludentibus baptizatum, non repetito Baptismo factum esse Sacerdotem: atqui pueri non sunt capaces intentionis à nobis requisitæ: ergo.

Resp. Min. esse veram de pueris ante usum rationis, non post, quales erant illi, de quibus agitur, cum tunc possint velle facere, quod vident fieri à suis Parochis, ut autem omninò tollatur scrupulus quomodo stare possit illa intentio cum ludo:

Advertendum dupliciter spectari posse actionem à pueris ludentibus, aut à Comœdis exhibitam. 1. ut actio sit ipsemet jocus & ludus. 2. Ut non sit quidem jocus, sed propter jocum à ludentibus intentum: primo modo ludunt, qui fingunt furari, ridere, lugere, Matrimonium inire, quæ tamen revera non faciunt. 2. modo, qui de facto bibunt, comedunt, cantant, ut adstantes recreent. Hoc modo ludebant pueri illi, volentes revera baptizare, sicut baptizabant Ecclesiæ Ministri, ut se recrearent; non autem priori modo, in quo est mera repræsentatio.

Dices: Cum studiosi adolescentes exhibent aliquem Baptismum in theatro, non intendunt facere quod facit Ecclesia, ergo nec quando exhibent pueri.

Resp. Disparitatem esse quòd primi edocti, id non intendant, ne bis eundem baptizent, & cæremonias sacras indignè tractent, pueri autem, id non apprehendant, & indè habes quod potiùs Mimi pagani intendunt facere quod facit Ecclesia, quàm Mimi Christiani.

Obj. 4 Sceleratissimos quosdam Sacerdotes in Gallia, non intendisse baptizando Sacramentum efficere, sed baptizandos Dæmonibus devovere, ut ipsimet fassi sunt posteà, sed si tunc Baptismus non valuisset defectu intentionis, horribilia sequi potuissent inconvenientia, nempè quod potuisset Ecclesia deficere, si nempè illi non baptizati per orbem dispersi, facti fuissent Episcopi, quia utpotè invalidè consecrati, nullos consecrassent Sacerdotes, suissetque Ecclesia sine Pastoribus.

Resp. Ridiculum hunc scrupulum non ingerere Patrem Juenin, quasi vero idem inconveniens non posset oriri ex parte formæ, dum Sacerdos perversus loco *baptizo*, v.g. pronunciaret in dentes, *dogmatizo*, aut aliud verbum impertinens, undè sicut Deus non obstante illo inconveniente, quod oriri posset defectu formæ debitæ, illam tamen requisivit ad valorem Sacramenti, ita & intentionem præfatam non obstantibus inconvenientibus, quæ parva, & rara admodum hactenus fuerunt, propter vigilantem Dei, super Ecclesiæ suæ statum, providentiam.

Solvuntur objectiones à ratione.

OBj. 1. Non intendunt Lutherani & Calvinistæ facere quod facit vera Ecclesia, nempè Romana, & tamen validè baptizant: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non intendunt intentione particulari & explicata: C. intentione generali, & implicita N. Intendant enim facere quod instituit Christus, & consequenter

cùm nihil aliud faciat Ecclesia Romana, quàm quod Christus instituit, intendendo primum, intendunt & secundum.

Instabis: Intentiones illæ utpotè oppositæ, sese invicem destruunt: ergo.

R. Non esse ibi oppositionem, adeòque nec destructionem: non enim dicunt: *volo facere quod Christus instituit*, & *nolo facere quod facit Ecclesia Romana*, *etiamsi non erret*: aliàs de facto intentiones illæ utpotè implicitè contradictoriæ, sese destruerent, sed credendo Ecclesiam Romanam non esse veram, aut non agere secundùm Christi institutionem, præcisè volunt facere quod Christus instituit, quod etiam intendunt, dum volunt facere quod facit Ecclesia Calviniana, aut Lutherana, quia hæ Ecclesiæ licèt falsæ, faciunt quod instituit Christus.

Obj. 2. Atheus potest validè baptizare: sed cùm nec Deum, nec Christum, nec Ecclesiam agnoscat, imò omnia illa reputet chimerica, non potest velle quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit: ergo.

R. Dist. Min. Non potest velle expressè & distinctè: C. implicitè & confusè, N. quia potest velle facere quod videt à Christiano fieri, & consequenter quod Ecclesia facit: sicut accidit quibusdam Paganis, & infidelibus, quibus Christus & Ecclesia erant ignoti. Ex quo sequitur non requiri, ut intendatur implicitè quod Christus instituit, aut Ecclesia facit, cognitionem Christi aut Ecclesiæ in se; unde Innoc. IV. in cap. 1. lib. 3. Decret. *Non est necesse quòd baptizans sciat quid sit Ecclesia*.

Inst. Non potest quis agere nomine illius, quem credit fictitium, aut chymericum: sed ut baptizet Atheus, debet agere nomine Ecclesiæ aut Christi, quos credit chymericos: ergo.

R. Id non posse per intentionem expressam, posse tamen per implicitam, quia volendo facere quod facit alter, qui agit nomine Christi aut Ecclesiæ, vult & ipse taliter agere.

Obj. 3. Episcopus validè ordinat excommunicatos, licèt dixerit se nolle ipsos ordinare, si qui sint: ergo.

R. Dist. Ant. Validè ordinat excommunicatos vi intentionis externæ, N. quia audito nullos esse excommunicatos, mutat a voluntate, vult quemlibet ordinare: C.

Obj. 4. Mardochæus fuit verè ab Aman honoratus licèt hic contrarium intenderet, Esther 6. ergo similiter.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est quòd cæremoniæ ab Aman exhibitæ non essent de se indifferentes ad honorem, vel aliud, sicque non deberet ab intentione determinari, sicut in nostro casu.

Obj. 5. Pingens, licèt interiùs nolit pingere, de facto pingit: ergo ponens partes Sacramenti, licèt nolit Sacramentum, ipsum ponit.

R. 1. Neg. Suppositum consequentis, nempè res & verba sine intentione Ministri esse partes Sacramenti; quandoquidem illa seclusa, sint indifferentia ad Sacramentum, vel ad aliud.

R. 2. Inde etiam probari contra Adversarios, mimicè baptizantem v.g. validè baptizare, quia mimicè pingens, de facto pingit.

R. 3. N. Conseq. Disparitas est quòd pictura, utpotè quid de se determinatum, non dependeat ab intentione pingentis ut sit pictura, res autem & verba in Sacramento, utpotè de se indifferentia, debeant ab alio determinari.

Obj. 6. Valent certi contractus in jure tum Canonico, tum Civili, independenter ab intentione Notarii, aut Procuratoris: ergo & Sacramenta independenter ab intentione Ministri.

R. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd authoritas publica boni regiminis ergo, suppleat quandoque defectum intentionis, vel potiùs faciat ut contractus alias irriti habeantur tanquam validi, quod non facit Deus respectu Sacramenti sicut enim non habet pro rato Sacramentum sine debita materia aut debita forma collatum, ita nec collatum absque intentione sufficienti.

Obj. 7. Minister Sacramentorum est instrumentum Christi; ergo sufficit intentio quam habuit Christus illa instituendo.

Resp. Dist. Ant. Est instrumentum Christi inanimatum, & physicum: N. animatum & morale: C. adeoque debet moraliter secundùm instituentis præscriptum agere.

Obj. 8. Ponens signum magicum, licèt Magiam non intendat, imò detestetur, magicè operatur: ergo etiam operatur sacramentaliter, qui ponit ritum externum Sacramenti, licèt ipsum non intendat.

Resp. Neg. Maj. Quia si quis, ut ostendat signum aliquod esse superstitiosum & magicum, adeòque vitandum, illud ponat, recusata Dæmonis ope, nihil operabitur. Et sic potiùs inde firmatur nostra Conclusio, quam infirmatur.

ARTICULUS III.

An intentio Ministri debeat esse determinata circa personam & materiam?

CONCLUSIO I.

PEr se loquendo intentio Ministri debet esse determinata ad personam præsentem, non tamen ad personam in individuo, idest, non potiùs ad Joannem quàm ad Franciscum, non potiùs ad masculum, quàm ad fœminam, si Matrimonium exceperis.

Prob. 1 Pars: Debet intentio in Sacramentis proportionari formarum significationi, aliàs Minister aliud vellet, & aliud exprimeret; sed formæ significant personam præsentem, ut patet ex his verbis: *Ego te absolvo*, *te baptizo*, *Signo te*, *Indulgeat tibi Deus* &c. ergo.

Prob. 2. Pars; Quia ex nullius Sacramenti forma colligi potest determinandam esse intentionem ad personam in individuo: & ideò validus erit Baptismus, si baptizans credat baptizare filium Regis, cùm sit filius Rustici; aut masculum, cùm sit fœmina. Nisi tamen Minister intentionem suam limitasset ad filium Regis, aut ad masculum, cum exclusione aliorum, quod posset quandoque ex causa gravi, ut si timerer Episcopus ne Persona necessaria pro sustinendo Regni statu, se offerret ordinandum; & ideò dixi in conclusione: *per se loquendo*.

Dices: Cùm Sacerdos baptizat, aut confirmat per ly *Te* in forma positum, intelligere debet *Te Petrum*, *te Paulum*, & ideò priùs nomen baptizandi, aut confirmandi inquirit: ergo similiter in aliis Sacramentis.

R. Neg. Ant. Nomen quidem inquirit, sed imponendum, non per intentionem determinandum: unde sicut in absolutione sacramentali per ly *Te* non intendit *Te Petrum*, cùm sæpius nomen ignoret, sed *Te præsentem*, *Te pœnitentem* &c. Ità & in Baptismo aut confirmatione.

Dixi: *Si Matrimonium exceperis*; quia cùm hic contractus sit onerosus, sitque durum contrahenti jungi usque ad mortem, vel propriam, vel conjugis, Personæ quoad affectum & mores ignotæ, meritò alligant contrahentes intentionem suam ad personam determinatam, v.g ad Joannem, Mariam &c. unde in hoc Sacramento, non in aliis, error personæ ipsum irritat. De hoc plura suo loco.

CONCLUSIO II.

SImiliter ferri debet intentio Ministri in materiam præsentem, absque ulla limitatione, nisi causa subsit.

Ratio est; quia cùm formæ Sacramentorum nihil circa materiam præsentem limitent, nihil etiam limitare debet intentio Ministri: unde non dicitur in forma absolutionis: *Absolvo te à peccatis istis*, *non illis*, sed simpliciter *à peccatis tuis*. Similiter in Consecratione dicitur sine restrictione: *Hoc est Corpus meum*. Hinc

Resol. 1. Imprudenter agere celebrantem, si limitet intentionem suam ad unicam hostiam; quia potest fieri, quòd propter adhæsionem unius cum alia, sint duæ, non unica, sicque neutra consecretur; cùm enim intentio non feratur in totam materiam præsentem, nec sit ratio cur potius non feratur circa unam hostiam, quàm circa alteram, nulla consecrabitur. Idem propter eandem rationem accidit, si quis ex centum hostiis tantùm velit consecrare quinquaginta, nullas determinando.

Resol. 2 Ideò etiam invalidam fore absolutionem, si pœnitena volens iterum absolvi à peccatis præteritis, sese accuset de tribus pollutionibus aliàs commissis, non determinando, an sint tres primæ, tres mediæ, aut tres ultimæ.

Resol. 3. è contrà Sacerdotem non restringentem suam intentionem, consecrare omnem materiam, supra quam profert verba consecrationis, sive interim crediderit esse unicam hostiam, ubi erant duæ, aut tres; sive crediderit tantùm esse centum formulas in pixide, cùm essent mille; quia intentio Ministri non limitata censetur ferri in omne consecrabile, quod consecraturus attulit, aut apposuit.

Dixi in Concl. *nisi causa subsit*; quia si Sacrista, non consumptis particulis restantibus in Ciborio, hostias consecrandas superposuerit (quod tamen non est practicandum) tunc debet Sacerdos intentionem suam limitare ad materiam consecrabilem, ne forma proferatur super materiam jam consecratam.

ARTI-

ARTICULUS IV.

An sufficiat ad Sacramentum intentio conditionata, & an sit licita?

INtentio alia est absoluta, ubi nulla ponitur conditio, alia conditionata, ubi apponitur. Hæc autem est triplex, nempe *de præterito*, ut absolvo te, si ultimam pœnitentiam adimpleveris: *de præsenti*, ut baptizo te, si sis legitimus: & *de futuro*, ut signo te, si remaneas Catholicus.

CONCLUSIO I.

NOn subsistit Sacramentum (dempto Matrimonio, de quo postea) ubi intentio est conditionata de futuro. Est communis & certa.

Ratio est; quia vel subsisteret statim, vel posita conditione: non primum, quia Minister, à cujus intentione dependet valor Sacramenti, non vult statim illud conficere. Non etiam secundum; quia posita conditione, non erunt amplius materia & forma, sine quibus non potest subsistere.

Dices 1. Valet Sacramentum sub hac conditione: Ego te absolvo, si Deus videat, te dimissurum Concubinam, restituturum aliena: ergo.

Resp. Neg. Conseq. Quia conditio illa non est de futuro, sed de præsenti; quandoquidem habeat pro objecto visionem Dei præsentem, non dimissionem futuram. Aliud esset, si diceret: ego te absolvo, si crastina die aliena restitueris; quia tunc conditio, utpotè habens objectum futurum, esset de futuro.

Dices 2. Sententia Sacramentalis assimilatur sententiæ judiciali; sed hæc subsistere potest cum conditione de futuro: ergo & illa.

Resp. Dist. Maj. Assimilatur quoad omnia: N. Judicialis enim potest ferri scripto, in absentem &c. non Sacramentalis. Quoad aliqua: C. sed inter illa non reperitur id quod præfert objectio; quandoquidem voluerit Christus: ut non esset Sacramentum, nisi simul essent intentio, materia, & forma, quod non potest accidere, ubi habetur intentio suspensiva Sacramenti usque ad positionem conditionis futuræ; illa enim posita non amplius existunt materia & forma. Nec dicas virtualiter existere; quia earum existentiam actualem, & non virtualem requisiisse Christum, satis declarat praxis Ecclesiæ communis.

Dices 3. Ideo valet Matrimonium cum intentione conditionata de futuro, quia suspenditur consensus usque ad positionem conditionis: sed etiam in aliis Sacramentis taliter suspenditur intentio Ministri: ergo.

Resp. Dist. Maj. Ideo valet præcisè, quia suspenditur consensus &c. N. quia suspenditur consensus, & quia etiam censentur tunc adesse moraliter materia & forma Matrimonii, nempe corporum traditio & acceptatio: C. in aliis autem sacramentis, ubi purificatur conditio, nec physicè, nec moraliter existunt eorum materia & forma.

CONCLUSIO II.

INtentio conditionata de præsenti aut præterito, non nocet valori Sacramenti, ubi verificatur conditio. Est etiam certa.

Ratio est; quia ubi subsistit res expressa in conditione, eodem modo operatur intentio Ministri, ac si non fuisset apposita conditio; quandoquidem intentio conditionata, purificata conditione, transeat in absolutam, ut suo loco diximus de contractibus. Hinc praxis est Ecclesiæ communis, ut pœnitens moribundus, cujus dubia est dispositio, absolvatur sub conditione, *si sit dispositus*, sicut & baptizetur puer exposititius sub conditione, *si non sit baptizatus*, ubi non potest constare de Baptismo ipsi collato. Antea tamen fieri debet inquisitio talis, qualem postulat rei gravitas.

Quod autem diximus, intelligi debet tam de conditione naturaliter incognoscibili, quàm de naturaliter cognoscibili; ut si quis dicat: *te baptizo, si sis prædestinatus*; quia equidem vel subsistit conditio coram Deo, & subsistit Sacramentum; vel non subsistit, & nullum est Sacramentum.

CONCLUSIO III.

APponere Sacramento conditionem de futuro, sivè suspensivam valoris Sacramenti, sive non, semper est peccatum mortale Sacrilegii. Est autem intentio suspensiva, quando suspenditur Sacramentum usque ad positionem conditionis; non suspensiva verò, quando intenditur Sacramentum hic & nunc, si subsistat futuritio rei, ut si dicat Minister, *absolvo te, si cras debeas restituere*: & de hac conditione eodem modo loquendum est, quoad valorem Sacramenti, ac de conditione de præsenti, cùm revera sit in se talis.

Ratio autem Conclusionis est; quòd semper exponatur Sacramentum periculo nullitatis cum gravi injuria ipsiusmet Sacramenti, ac suscipientis.

CONCLUSIO IV.

APponere Sacramento conditionem de præsenti, aut præterito, est aliquando peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando licitum.

Prob. 1. pars; quia apponens talem conditionem potest etiam exponere Sacramentum periculo nullitatis: ut si dicat: *ego te baptizo, si sis prædestinatus: signo te, si pater tuus antea hæreticus factus sis catholicus: absolvo te, si Deus videat te melius victurum* &c. illa enim sunt omnino incerta Ministro.

Prob. 2. Pars; quia fieri potest, ut conditio apposita non possit nocere Sacramento, aut suscipienti, sed tantùm frustraneè ponatur, ut si Sacerdos dicat pœnitenti, quem credit verè dispositum: *si sis dispositus, ego te absolvo &c.* nam conditio illa nullateous variabit Sacramentum, eritque tale quoad valorem aut non valorem, quale fuisset, seclusa conditione. Erit tamen aliqualis irreverentia.

Prob. 3. Pars; Quia authorisante universali Ecclesiæ praxi, ac recepto Timoratorum usu, in casu necessitatis, aut notabilis utilitatis apponitur conditio, præsertim in forma Baptismi, & absolutione Sacramentali, ubi dubium est aut de dispositione pœnitentis, aut de usu rationis sufficienti, aut de Sacramento prius collato: nec immeritò apponitur, cùm faciat, ut, si subjectum sit Sacramenti incapax, verba non Sacramentaliter, sed materialiter proferantur, sicque partim ipsa, partim necessitas irreverentiam, alioqui Sacramento inferendam, abstergat.

Scio aliquos recentiores huic praxi contumaciter adversari, sed scio, ubi jus Canonicum, ubi Summi Pontifices, ubi Synodus, ubi Catechismus Romanus, ubi tota Schola, ubi tota denique Ecclesia locuta est, non satis prudenter agere contradicentes. De Baptismo, inquis, loquuntur, non de absolutione Sacramentali; sed esto: nunquid eadem est ratio pro uno, ac pro altero? Nunquid eadem irrogaretur irreverentia Sacramento Pœnitentiæ, si conferretur subjecto incapaci, ac Baptismo? Imprimit hic Characterem, ais, non illud: Ridiculum subterfugium. An Baptismus super baptizatum reiteratus, seclusa conditione, novum imprimeret characterem? ergo non ratione characteris, sed ratione irreverentiæ alioqui Sacramento inferendæ apponitur conditio.

Dices cum Juenin, Septem primis sæculis non fuisse usurpatam conditionem in Sacramentorum administratione; quandoquidem illius non meminerint Patres, licèt certos casus, ubi Sacramentum esset reiterandum, in medium proferant.

Resp. 1. Retorquendo argumentum: Patres trium priorum sæculorum non meminerunt usus Extremæ-unctionis, licèt meminerint infirmorum; ergo toto illo tempore non fuit usurpata. Quo jure negabis consequentiam argumenti mei, negabo & tui.

Resp. 2. Argumentum illud, utpotè ab authoritate negatà, non urgere. Dicam tamen non fecisse mentionem conditionis apponendæ; quia tunc nulla prodierunt Ritualia, nulla Decreta, nullæ Formulæ, nulli Catechismi præscribentes ex professo modos, quibus Sacramenta essent ministranda: quo non obstante, cùm tunc non deessent viri zelosi, prudentes & docti, quibus perspectum erat, quid ad Sacramentorum reverentiam conduceret, non est dubitandum, quin tunc, sicut octavo sæculo & postea, conditionem adhibuerint, ubi id exigebat periculum nullitatis Sacramenti. Imò credo conditionis non meminisse; quia res ita erat de se clara & evidens, ut nullus Minister sanæ mentis posset id ignorare; qui enim non ignorat, non posse sine irreverentia Sacramentum conferri subjecto incapaci, non potest ignorare, ubi tale periculum imminet, oportere per intentionem conditionatam huic inconvenienti occurrere.

QUÆSTIO III.

An ad validam & licitam Sacramenti administrationem requiratur sanctitas in Ministro?

Censentur hìc sanctitate, de qua loquimur, privati, non solùm Catholici, qui sunt in statu peccati mortalis; sed etiam illi, qui vel nunquam Baptismum susceperunt, & dicuntur ordinariè *Infideles*; vel qui post susceptionem, errorem Ecclesiæ definitioni contrarium pertinaciter tenuerunt, & dicuntur *Hæretici*. De his omnibus agendum est sequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

An valeat Sacramentum ab infideli aut hæretico collatum.

Neguvit circa finem secundi sæculi Tertullianus necdum hæreticus, qui ideo voluit hæreticos in sinum Ecclesiæ redeuntes esse rebaptizandos. Hocque non obscurè colligitur ex ipsiusmet verbis lib. de Baptismo, cap. 15. ubi ait: *Hæretici nullum habent consortium nostræ disciplinæ... quia non idem Deus & nobis & illis, nec unus Christus, ideoque nec Baptismus unus; quia non idem; quem cùm ritè non habeant, sine dubio non habent.*

Huic errori adhæsit Agrippinus Chartaginensis Episcopus circa annum 217. voluitque eodem anno confirmari in quodam Concilio Africano ex Episcopis Africanis & Numidiis à se collecto. Volunt aliqui ipsum Agrippinum huc in re fuisse Antesignanum: sed si Baronio credimus, præcessit Tertullianus: unde ideo forte dictus est primus à Vincentio Lirinensi; quia primus hunc errorem Concilii sententia confirmavit.

Agrippinum errantem secutus est S. Cyprianus etiam Chartagin. Episcopus, ibique in duobus Conciliis à se coactis, Hæreticorum rebaptizationem ordinavit, ut fatetur ipsemet Epist. ad Quintum & Epist. 73. ad Jubajanum. Ad id autem motus est, tum ex facto Agrippini prædecessoris sui (non quidem immediati, cum intercesserit Donatus anno 250. defunctus, sed mediati) *Non nova apud nos, aut repentina res est*, inquit, Epist. ad Jubajanum, *ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt.* Tum occasione Cataphrigarum & Novatianorum: qui Catholicos ad suam sectam deficientes rebaptizabant. Tum ne videretur credere veram esse apud Hæreticos Ecclesiam, si vera haberentur eorum Sacramenta. Tùm denique, quia juxta Scripturam variis locis, impiorum facta eò sunt Deo execrabiliora, quò sacratiora.

Ne tamen videretur dogmatizare, omnia, quæ cum suis coepiscopis scripserat, & decreverat, (erat enim Africæ Primas) misit ad Stephanum Papam, qui (ut refert ipsemet Cyprianus Epist. 74. ad Pompejum, in qua non satis modestè de ipso Stephano loquitur) ita rescripsit: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est &c.* Id est, sola manuum impositione purgetur; quod & ante ipsum statuerat S. Cornelius, tanquam regulam à Patribus traditam. Non statim acquievit Cyprianus; nam recepta Stephani Epistola, quæ amplius non extat, tertiam Synodum convocavit Chartagine ex 87. Episcopis, ubi idem error confirmatur. Non ideo tamen restitit Cyprianus Stephano ut Pontifici aliquid definienti, sed ut Doctori suam sententiam aperienti: unde verisimilius est semper servata pace & unitate concordiæ, hæc inter Stephanum & Cyprianum agitata fuisse, ut colligitur tum ex ejus Epistolis, ubi semper pacem & concordiam prædicat, tum ex Augustino variis locis ac præsertim lib. de unico Bapt. cap. 14. ubi legitur: *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizat hæreticos, verùm etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani Epistolæ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.* Tum ex testimonio S. Dionysii Episcopi Alexandrini ejus Contemporanei, qui apud Eusebium lib 7. c. 3. & 4. asserit recessisse quidem Cyprianum à Stephano sententia, non tameo unitate; imò fuisse anno sequenti, id est, 259. Authorem pacis inter Stephanum & Episcopos Orientales, & Afros, qui omnes Pontifici adhæserunt, & à fortiori ipsemet, licèt ejus retractatio non legatur in ejus libris; cùm non sit credibile solum Cyprianum, & quidem pacis mediatorem, pertinaciter restitisse. Tum denique ex eo quod nullibi legatur ipsum, aut ejus Coepiscopos fuisse ab Ecclesiæ communione semotos. Excommunicaverat quidem Stephanus ob eamdem sententiam, quosdam Episcopos Orientales cum Firmiliano (qui tamen resipuit; cùm teste, Eusebio lib. 7. cap. 3. interfuerit Concilio Antiocheno; imò colatur ut sanctus apud Græcos 28. Octob.) non tamen Afros, qui cum suo Primate Cypriano protestabantur, se velle unitatem conservare.

Anno 306. id est, 45. annis post obitum S. Cypriani, qui Martyr occubuit anno 261. hic error in hæresim formalem deflexit, cœpitque Donatistarum ita sentientium origo ex tribus personis & tribus caussis: *Sic tribus convenientibus caussis & personis*, inquit Optatus, *factum est, ut malignitas haberet effectum; Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitio nutrivit, avaritia roboravit.* Fœmina illa fuit Lucilla Hispana prædives, quæ sæpius à Cæciliano reprehensa, quod ante communionem deoscularetur Reliquias alicujus necdum canonizati, non potuit ejus promotionem ad Sedem Cartaginensem sufferre; & ideo eum Botro, & Cœlestio eamdem Sedem ambientibus & vasa Ecclesiæ ex avaritia detinentibus, nihil non molita est, ut Cæcilianum ab Episcopatu dejiceret. Licèt autem hi tres initium Schismati dederint, nomen tamen sumpsit Secta à Donato, (*non Calamensi aut Mosculitano, qui, ut ait August. l. de Hæresib. c. 69. de Numidia veniens & contra Cæcilianum Christianam dividens plebem, adjunctis sibi ejusdem factionis Episcopis Majorinum apud Chartaginem ordinavit Episcopum*, id est Pseudo-Episcopum, loco Cæciliani justè creati, ut declaravit eventus à nostro Frassen latè explanatus Tom. 4. pag. 72. & sequentibus) sed Majorini successore: unde Augustinus sup. *Majorino Donatus Episcopus alius in eadem divisione successit qui eloquentia sua sic confirmavit hanc Hæresim, ut multi existiment, propter ipsum potius eos Donatistas vocari.* Hi autem ultra quod rebaptizarent alios Hæreticos, imo & Catholicos, apud quos nullum valere Sacramentum existimabant, etiam apud se tantum integram mansisse Ecclesiam Dei, insolenter jactitabant.

Alii ejusdem erroris surrexerunt postea Sectarii, ut quidam *Ariani*, de quibus Aug. supra c. 49. *Rebaptizari quoque ab his Catholicos* (quos ipsi Hæreticos arbitrabantur *novimus*. Ætiani de quibus Epiphanius Hær. 76. Hilarius Diaconus, cui tamen non adhærebant in hoc alii Luciferiani, quos potiùs Schismaticos fuisse, quam Hæreticos docet Aug. supra c. 81. His etiam annumerantur Petro Brussiani, quos duabus Epistolis refutat Petrus Cluniacensis, & Bugomiliani, de quibus Euthymius in panoplia sua parte 2. His prænotatis

CONCLUSIO UNICA.

Non requiritur ad valorem Sacramenti fides Ministrorum. Est de fide in variis Concil. ac tandem in Trid. sess. 7. Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis, non esse verum Baptismum, Anathema sit.*

Prob. 1. Authoritate D. Aug. lib. 1. de Bapt. adversus Donatist. c. 7. *Quæstionis hujus obscuritas* (nempè an valeret Baptismus ab Hæreticis collatus) *prioribus Ecclesiæ temporibus... magnos viros, & magna charitate præditos Patres Episcopos ita inter se compulit, salva pace, discrepare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibusque Regionibus diversa statuta nutaverint, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.* lib. 4. c 24. dixerat: *Rectè baptizatos à quavis Hæresi venientes absque novo Baptismate recipiendos, antiquissima consuetudo semper & ubique tenuit.*

Quodnam autem fuerit Concilium illud plenarium, de quo ibi & pluribi loquitur Augustinus? Quot capita, tot sententiæ. Alii volunt esse *Arelatense primum, alii Bagajense*, alii *Sardicense*, alii *Capuanum*, alii *Constantinopolitanum*, alii *Alexandrinum*, alii denique *Nicænum*, & his suffragamur, cum dicat ipsemet Augustinus lib. 1. de Bapt. Concilium illud fuisse ante nativitatem suam celebratum, nullum autem Concilium plenarium, antequam nasceretur Augustinus, hanc materiam tractavit, præter Nicænum primum non quidem *Arelatense*; cum utpote tantum 56. Episcoporum, nec à Papa, sed à Constantino convocatum, non fuerit plenarium. Non *Bagajense*, quia licèt illud vocet plenarium Augustinus, & universale, quia 310. erat Episcoporum, non tamen simpliciter, sed plenarium Donatistarum, ut patet ex lib. 10. contra litteras Pitiliani cap. 10. ubi alloquens Donatistus, ait: *Testis est plenarii vestri Concilii præclara sententia.* Non etiam *Alexandrinum*, *Capuense*, aut *Constantinopolitanum*; cùm primum anno 362. Secundum 377. & tertium 381. celebratum fuerit, natus autem fuerit Augustinus anno 354 aut circiter. Imo *Bagajense*, de quo ante, etiam fuit Augustino nato posterius, nempè anno 368. Non denique *Sardicense*, celebratum anno 347.

cùm

cùm ne umbra quidem materiæ præſentis in eo appareat. Meminit quidem S. Doctor alicujus Sardicenſis Concilii ibidem eodem tempore coacti, ſed expreſsè docet lib. 3. contra Creſconium cap. 34. fuiſſe Arianorum. *Sardicenſe Concilium*, inquit, *Arianorum fuit*. Reſtat igitur, ut ſit *Nicænum*.

Prob. 2. Concl. quia Nicænum Concilium ſolos jubet Paulianiſtas rebaptizari, eo quòd non uterentur legitima forma: ergo cenſet Baptiſmum ab aliis hæreticis collatum valere.

Prob. 3. Operatur Miniſter non virtute propria, ſed divina (ideo enim dicitur Miniſter) ſed non tollit Deus à Miniſtro propter hæreſim, virtutem illam: ergo. Prob. Min. quia ſi tolleret, maximè in pœnam infidelitatis: ſed, illa ſublata, magis puniretur ſuſcipiens, quam conferens, cùm virtus illa ſit in utilitatem ſuſcipientium, non Miniſtrorum: ergo.

Obj. 1. Canone 67. Apoſtolorum legitur. *Qui à talibus*, nempe Hæreticis, *baptizati ſunt, aut ordinati, nec fideles, nec Clerici eſſe poſſunt*. Idem habetur can. 46. 47. & alibi.

Reſp. 1. Canones illos veriſimilius eſſe apocryphos, cùm illos nec Cyprianus Stephano, nec Donatiſtæ Auguſtino objecerint: illos ſane objeciſſent, ſi tunc extitiſſent, cum longè minora oppoſuerint:

Reſp. 2. Ibi fieri mentionem veterum Hæreticorum, qui, teſte S. Irenæo lib. 1. contra Hæreſes, c. 18. non utebantur legitima forma. De ſimilibus etiam loquitur Can. 95. in Trullo, dum ait *Venientes ad Eccleſiam ab hæreſi baptizamus*, quandoquidem (ut patebit legenti) ab aliquibus Hæreticis redeuntibus, tantùm exigat Hæreſis ſuæ execrationem, ut participes fiant communionis.

Obj. 2. Traditio erat apud Orientales Eccleſias, rebaptizationem Hæreticorum ab Apoſtolis deſcendere; *cum nec meminerimus*, inquit Firmilianus Epiſt. ad Cyprianum, *hæc apud nos cœpiſſe*.

Reſp. Mirum eſſe talem fuiſſe ibi traditionem, & tamen Epiſcopos in Concilio Chartaginenſi dixiſse, ut refert Aug. lib. 2. de Bapt. cap. 12. conſuetudinem, quam allegabant contra ipſos Pontifices Romanos, debere cedere veritati, nulla facta mentione conſuetudinis contrariæ, ſaltem antiquæ: imò oppoſitum apparet ex Cypriano dicente, conſuetudinem rebaptizandi fuiſse inſtitutam ab Agrippino, id eſt 32. annis antequam Cyprianus fieret Epiſcopus: Unde ſignum eſt Firmilianum, qui in dicta Epiſtola, multa obtrudit figmenta, id etiam finxiſse, ut Injuſtitiam Stephani Papæ, à quo fuerat ob hanc Hæreſim excommunicatus, prætenderet.

Obj. 3. Apud Gratianum Diſt. 19. c. *Schiſma* legitur dictum eſse à Pelagio Papa: *Non eſt Chriſti corpus, quod Schiſmaticus conficit*. Item Innocentius I. Ep. 18. ad Alexandrum: *Non videtur*, inquit, *Clericos Arianorum cum Sacerdotio miniſterii cujuſpiam ſuſcipere dignitatem*. Et Urbanus II. 3. q. 7. c. *Daibertum*, hunc à Nezelone factum Diaconum, iterum ordinavit; quia Nezelon fuerat ab hæreticis ordinatus.

Reſp. Pelagium velle, non eſse corpus Chriſti quoad membrorum Eccleſiæ unitatem, quia illam ſcindit Schiſmaticus, licèt ſit quoad veritatem, ſi fuerit validè ordinatus.

Ad Innocentium dico, non velle eſse invalidam eorum ordinationem; ſed cum Sacerdotio, quod revera recipiebant, ubi Miniſtri erant legitimi, non recipere honorem miniſtrandi, quia jam factis Catholicis non permittebatur miniſtrare, ut patet ex Epiſt. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ, c. 4.

Reſp. Urbanum II. reordinaſse Daibertum, non defectu fidei in iis, qui ordinaverant Nezelonem, ſed defectu poteſtatis, eo quòd eſsent quidem Chor-Epiſcopi, non tamen Epiſcopi, & ideo concludit: qui Pontificalem honorem non habuit, pontificalia jura tribuere non potuit.

Obj. 4. Hæretici non habent Spiritum S. ergo non poſsunt dare.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia Miniſtri non dant Spiritum S. ſeu gratiam, quia habent, ſed quia ponunt opus, cui Deus annexit gratiam independenter ab eorum fide.

Inſt. 1. Joan. 20. v. 22. datur Apoſtolis Spiritus S. ut remittant peccata: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata &c.* ergo niſi illum habeant Hæretici, non poſsunt peccata dimittere.

Reſp. Diſt. Conſeq. Niſi illum habeant inhabitantem per gratiam: N. aſſiſtentem per operationem: C. vel dic: niſi habeant virtualiter, non formaliter.

Inſt. 2. Mortuus eſt, in quo non habitat Spiritus S. ſed nihil prodeſt Sacramentum à mortuo collatum, juxta illud Eccli. 34. v. 30. *Qui baptizatur à mortuo... quid prodeſt lavatio ejus?* ergo.

Reſp. Neg. Min. Ad paſſum Scripturæ, dico illius ſenſum eſſe hunc: loto ab immunditia legali orta ex tactu mortui, quid prodeſt lavatio, ſi iterum tangat mortuum? & ideo dicitur: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodeſt &c.*

Obj. 5. Expulſus ab Eccleſia non poteſt Eccleſiæ munia exercere: ſed Hæreticus expulſus eſt ab Eccleſia: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Expulſus ab Eccleſia non poteſt &c. ſi ab eo tollatur poteſtas, ſicut de facto tollitur juriſdictio ad validè abſolvendum, ab eo, qui laborat hæreſi externa, C. ſi non tollatur, N.

Obj. 6. Caput non influit in pectus v. g. per membra mortua: ergo nec Chriſtus influit nobis gratiam per Hæreticos, qui ſunt membra putrida.

Reſp. Neg. conſeq. Diſparitas eſt quòd influxus capitis, utpote vitalis, non poſſit niſi per membra vivida communicari; alter autem, utpote moralis, dependeat à ſola influentis voluntate, qui poteſt per membra viva, aut mortua, ut ſibi placuerit, influere.

Obj. 7. Ss. Patres docent potiùs nocere, quàm prodeſſe Baptiſmum ab Hæreticis collatum. Item dicunt eſſe invalidum, vanum, polluere &c. *Quomodo*, inquit Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 27. *purgent hominis ſpiritum, qui immundum habent proprium?*

Reſp. Sic loqui PP. non quia tunc Baptiſmus eſt in ſe irritus, ſed quia invalidus eſt, inutilis, vanus quoad effectum principalem, ſeu gratiam ſuſcipienti, eò quòd ſcienter recipiens Baptiſmum ab Hæretico extra neceſſitatem, peccet mortaliter, adeoque ponat obicem gratiæ. Auguſtinus autem non loquitur ibi de Miniſtris Sacramentorum, ſed de iis, qui volunt alios purgare per invocationem dæmonis.

Obj. 8. Extra Eccleſiam non eſt ſalus: ergo Hæretici extra poſiti non poſſunt eam conferre.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt ſalus, i. e. extra illam vivens non poteſt ſalvari, C. id eſt, non poteſt eſſe alteri cauſa ſalutis, N.

Inſt. In cauſis univocis nemo dat, quod non habet.

Reſp. Diſt. Aſſump. Nemo dat phyſicè, quod non habet, C. moraliter, N. quia poteſt quis ponere opus, ad cujus poſitionem moveatur alter ad dandum phyſicè, ut fit in noſtro caſu. Præterea dici poteſt, quòd Miniſtri habeant gratiam virtualiter, ſeu miniſterialiter.

Obj. 9. Debuit repeti Baptiſmus Joannis: ergo à fortiori Baptiſmus Hæretici.

Reſp. Neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd Baptiſmus Joannis non eſſet Baptiſmus Chriſti, ſed tantùm præparatio ad eundem: Baptiſmus autem hæretici ſit verè Baptiſmus Chriſti. Plura circa hanc materiam vide apud Fraſſen.

ARTICULUS II.

An valeat Sacramentum à peccatore collatum?

NEgaverunt olim Donatiſtæ, volentes non ſolùm infideles, ſed etiam peccatores à valida Sacramentorum adminiſtratione eſſe excludendos. Negaverunt & Henriciani, qui teſte D. Bernardo Serm. 66. in Cant. c. 11. ſeſe Apoſtolicos jactitabant. Similiter negavit Wicleffus, adimens Miniſtro peccatori poteſtatem baptizandi, conſecrandi, abſolvendi, &c. Contra quos ſit

CONCLUSIO UNICA.

POteſt peccator Sacramentum validè conficere & miniſtrare. Eſt etiam de fide ex Trid. ſeſſ. 7. Can. 12. *Si quis dixerit Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, Anathema ſit.*

Prob 1. ex Auguſt. lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani c. 10. *Omnia Sacramenta cùm obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus*: non prodeſſent autem, ſi non valerent.

Prob. 2. Eadem ratione, qua probavimus, non requiri fidem ad valorem Sacramenti.

Prob. 3. Poteſtas conficiendi Sacramentum, eſt gratia gratis data, id eſt, per ſe ordinata ad alterius ſalutem: ſed gratia illa non tollitur ob peccatum; quandoquidem veridicè de Chriſto prophetaverit Caiphas impius: ergo.

Prob. 4. Conficiens Sacramentum non agit nomine proprio, ſed Chriſti: *Hic eſt, qui baptizat*, Joan. 1. ergo non eſt, cur valor Sacramentorum dependeat à diſpoſitione Miniſtri: unde ſicut nihil refert ad efficaciam ſeminationis, an quis mundis, an ſordidis ſeminet manibus, modò ſemen bonum ſit, & terra fertilis; ità nihil hic refert, an mundus, an immundus ſit Miniſter, ubi bonum eſt opus miniſtratum.

Prob. 5. Ratione Scoti 4. diſt. 5. q. 1. n. 5. quia nullus poſſet eſſe ſecurus de ſuſcepto Sacramento: ſi enim nullus ſit ſecurus de ſanctitate propria, quomodo erit de ſanctitate aliena?

Quomodo securi erunt, inquit Aug. lib. 1. contra litt. Petil. *Si conscientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi?*

Obj. 1. *Deus peccatores non audit*, Joan. 9. Vers. 31. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*, Psal. 140. *Ab immundo quis mundabitur?* Eccli. 34. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, Matth. 7. ergo

Resp. ad 1. Hoc fuisse dictum à cœco illuminato, non à Domino; cùm justificet omnes peccatores perfectè contritos. Ad 2. Dico Sacramentum esse oleum Christi, non peccatoris. Ad 3. Resp. ab immundo ut immundo, seu utente re immunda neminem posse mundari, posse tamen ab immundo, si utatur re munda: & certè quid vetat immundum mundare aqua munda, qualis dicitur Sacramentum? cùm Medicus carens sanitate possit alteri dare sanitatem per pharmaca sana. Ad 4. Dico Sacramentum non esse fructum arboris malæ, seu mali Ministri, sed passionis Christi.

Obj. 2. Non potest mortuus corporaliter alteri vitam corporalem tribuere: ergo nec mortuus spiritualiter, vitam spiritualem conferre.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quòd vita corporalis non tribuatur, nisi mediante actione vitali, cujus est incapax mortuus corporaliter; spiritualis autem vita communicari possit per actionem spiritualiter mortuam ex parte Ministri, quia potest esse viva ex parte principaliter agentis: undè si ob peccatum mortuus est impius Minister, vivit tamen ille, de quo dicitur Joan. 1. *Hic est, qui baptizat*.

Obj. 3. Aug. lib. 5. de Bapt. cap. 21. asserit: *Deum non dare gratiam, nisi per seipsum, vel per sanctos suos*: ergo.

Resp. Per *Sanctos*, intelligere Sanctificatos, seu consecratos per Ordinationem, per quos solos ordinariè confertur gratia Sacramentalis.

Obj. 4. Peccaror non est debitus Sacramenti Minister: ergo. Prob. Ant. ex Aug. lib. 3. de Bapt. cap. 18. ubi docet, hæc verba: *Quorum remiseritis peccata, non esse dicta raptoribus & fœneratoribus*: undedicit ibid. *Mali Ministri remissionem peccatorum non dant*

Resp. Dist. Ant. Non est debitus Minister ad validè conferendum, N. ad licitè, C. & hoc sensu venit intelligendus Augustinus in primo passu. In secundo autem vult non posse dare remissionem ex opere operantis, seu impetratoriè, licèt possit ex opere operato, seu ministerialiter.

Obj. 5. Illud Matth. 7. Vers. 16. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Atqui actiones Ministri mali, mysticè sunt spinæ & tribuli: ergo.

Resp. Dist. Min. Sunt spinæ, quatenus sunt actiones Ministri mali, C. quatenus sunt actiones Christi, cujus nomine agit, N. unde Aug. Tract. 5. in Joan. *Quid tibi facit malus Minister, cùm bonus est Dominus?*

Obj. 6. Non potest moveri Deus à Sacrilegio, ut conferat gratiam: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non potest moveri à Sacrilegio formaliter, C. materialiter, seu quatenus est præcisè actio à Christo instituta, & à Ministro posita, abstrahendo, an bene, vel malè, N.

ARTICULUS III.

An sit necessaria sanctitas Ministri ad licitam Sacramentorum administrationem?

Duplex est Sacramenti Minister; unus *solemnitatis*, qui est ad hoc specialiter consecratus, aut deputatus, ut Episcopus confirmans, Sacerdos absolvens. Alter *necessitatis*, qui nec est ad id consecratus, nec specialiter deputatus, ut laicus baptizans in necessitate.

CONCLUSIO I.

Peccat graviter Minister Solemnitatis, ubi, seclusa ignorantia, inadvertentia, aut necessitate, Sacramentum conficit, aut ministrat in statu peccati mortalis. Est communis contra paucos.

Prob. 1. Requirebat Deus sanctitatem in Ministris veteris Testamenti, licèt Sacramenta egena, & Sacrificia Sanctitate vacua peragerent: ergo à fortiori illam requirit in Ministris novi Testamenti, qui sancta, & sanctitatis canalia tractant, imò & Sanctum Sanctorum.

Prob. Ant. ex Isa. 52. v. 11. *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Item Exod. 19. v. 22. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, Sanctificentur*, & Levit. 21. v. 6. de Levitis dicitur: *Sancti erunt Deo suo*. Quod & D. Paulus requirit à Diaconis nostris, *Ministrent*, inquit: ad Timoth. 3. v. 10. *nullum crimen habentes*: ergo à fortiori ab Episcopis & Sacerdotibus, dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt.

Prob. 2. ex Ss. PP. Dionysio lib. de Eccles. Hierarch. *Malis non est fas tangere Symbola*, id est, Sacramentalia signa. Chrysostomo Homil. 60. ad pop. Anthioch. *Quo non oportet igitur esse puriorem, tali fruentem Sacrificio?* En pro recipientibus. *Quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem?* En pro Ministris Gregorio Cap. *Necesse est*, 1. q. 1. *Necesse est ut munda sit manus, quæ diluere sordes curat*. Augustino lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 10. *Omnia Sacramenta, cum obsint indignè tractantibus*; &c.

Prob. Etiam ratione; quia Ratio & lumen naturæ dictat Sancta sanctè esse tractanda, præsertim ab iis, qui sunt ad hoc specialiter consecrati, aut deputati.

Dixi in Concl. *Seclusa ignorantia, inadvertentia, aut necessitate*; quia potest quis excusari, si invincibiliter ignoret se esse in malo statu; aut si propter animi turbationem non advertat ad statum proprium; aut etiam, si sit ita urgens necessitas, ut contritionis eliciendæ non relinquatur Ministro tempus; v. g. si jam moriturus debeat baptizari, vel absolvi; quia cùm tunc nequeant simul adimpleri & præceptum Religionis, & præceptum charitatis, primum cedere debet secundo, eò quòd non sint homines propter Sacramenta, sed Sacramenta propter homines. Nunquam licèt quidem Sacramenta irreverenter positivè tractare, irridere, hostiam sacram conculcare &c. licet tamen quandoque tractare irreverenter negativè, seu non adhibere ipsis omnem reverentiam, quam meretur eorum sanctitas; ubi aliàs homines, quorum salus periclitatur, essent illis privandi; & talis præsumitur voluntas Christi, qui, ut dixi, non fecit homines propter Sacramenta, sed Sacramenta propter homines. Nullus tamen facilè sibi aduletur de temporis defectu, cùm quolibet tempore etiam minimo possit concedere Deus contritionem.

CONCLUSIO II.

Probabilius est Ministrum necessitatis etiam graviter peccare, ubi reus peccati mortalis Sacramenta conficit, aut ministrar. Hæc sententia non est communis; huic tamen favent Vasquez, Lugo; ex nostris Bosco, Coen, & alii.

Prob. 1. ex Concil. Eliber. Can. 38. ubi legitur *Fidelem, qui lavacrum suum integrum habuerit*, id est, qui in statu gratiæ fuerit, *posse baptizare Catechumenum infirmitatis necessitate oppressum, si Ecclesia in proximo non fuerit*.

Prob. 2. Quia non videtur levis esse irreverentia, quando hostis Christi, & servus Dæmonis præsumit in nomine Christi, scienter & advertenter immundus immundè tractare ea, quibus, ut loquitur Paulus V. *In Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, aut magis divinum habetur*, quibus inquam, Christi sanguis seu merita fidelibus dispensantur.

Obji. 1. Minister necessitaris non recepit gratiam, ut Sacramenta dignè ministraret, sicut recepit Minister solemnitatis: ergo &c.

Resp. Graviùs quidem peccare Ministrum solemnitatis, eò quòd crescat irreverentia, ubi crescit dignitas Ministrantis, non propterea tamen eximi à peccato gravi Ministrum necessitatis, propter rationes superius positas.

Obj. 2. Peccator baptizans in necessitate, exercet actum maximæ charitatis: ergo non peccat.

Resp. Dist. Conseq. Non peccat exercens actum charitatis, ut charitativus est: C. ut sacramentalis est, requirens munditiam in operante: N.

Obj. 3. D. Thomas q. 64. art. 5. ad 3. tantùm requirit statum gratiæ ad quamdam decentiam ipsius Sacramenti: sed omittere debitum secundum decentiam non est peccatum grave: ergo.

Resp. Dist. Maj. Requirit ad quamdam decentiam, id est, convenientiam, aut congruitatem: N. ad quamdam decentiam, id est, reverentiam & honorem ipsis Sacramentis ex jure naturæ debitum, supposita illorum fide. C. Sic autem ly *decentiam* sumere D. Thomam, convincetur quisquis ipsum legerit.

Inst. Art. 6. ad 3. expressè docet laicum peccatorem baptizantem in necessitate non peccare; imò id etiam asserit de Sacerdote sic baptizante; *quia*, inquit, *non exhiberet se Ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti*.

Resp. D. Thomam intelligendum esse de baptizante in tali necessitate, ut non sit pœnitendi locus ob vicinam baptizandi mortem: hancque esse illius mentem, indicant verba sequentia: *secus est autem in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus*: quibus ostendit ministrantem alia sacramenta, etiam in necessitate, peccare; non propter majorem illorum dignitatem, cùm Baptismus sit æquè aut magis dignus, quàm Extrema-unctio, aut

Matri-

Matrimonium, ergo ex eo quòd alia Sacramenta non cenſeantur ita urgere, quin ſubſit tempus ſufficiens ad prius pœnitendum. Et certè cur voluiſſet Sacerdotem reum peccati, baptizantem in neceſſitate non peccare, etiam ubi poſſet antea pœnitere? nunquid gratiam recepit in ſua ordinatione ad baptizandum in omni caſu, adeoque etiam in neceſſitate? ergo vel etiam tunc peccat, vel nunquam. Nunquid gratiam illam recepit independenter à ſolemnitate, cùm ſolemnitas Baptiſmi ab Eccleſia, & non à Chriſto fuerit inſtituta? nunquid peccaſſet ſic baptizando, ſi nulla fuiſſet inſtituta ſolemnitas? cur igitur non peccaret jam abſque ſolemnitate baptizando? quia, inquis, non exhibet ſe Miniſtrum Eccleſiæ; ſed eſto, nunquid exhibet ſe Miniſtrum Chriſti, quod majus eſt? unde cùm non ſit veriſimile Doctorem Angelicum hoc tenuiſſe, etiam nec veriſimile eſt ſic eſſe intelligendum. Ex dictis hac & præced. Concl.

Reſol. 1. Quòd etſi validè confirmet & ordinet Epiſcopus, validè baptizet, abſolvat, conſecret, & inungat Sacerdos in malo ſtatu; ſacrilegè tamen, ob indignam tum muneris, tum ſacramenti tractationem. Imò idem eſt de laico baptizante ſine ſolemnitate; quia etſi non peccet ex duplici capite, ſicut baptizans ex officio; adhuc tamen graviter peccat ob irreverentiam Sacramento factam.

Reſol. 2. Contrahentes Matrimonium in ſtatu peccati, reos eſſe duplicis culpæ, 1. Quia tanquam Miniſtri ſacramentum indignè conficiunt; 2. Quia tanquam ſubjecta illud indignè recipiunt. Secundùm Non tamen peccat Parochus aſſiſtens, eo quòd non gerat in Matrimonio perſonam Miniſtri, ſed teſtis publici. Dico: *ſecundum Nos*; quia cùm aliqui ipſum faciant Matrimonii Miniſtrum, & non contrahentes, conſequenter dicere debent ipſum, ubi immundus fuerit, lethaliter peccare.

Reſol. 3. Probabilius eſſe non peccare Miniſtrum peccati reum, excipiendo Confeſſionem, modò proponat conteri, antequam abſolvat. Ratio eſt; tum quia juxta Scotum, tota Sacramenti pœnitentiæ eſſentia conſiſtit in ſola abſolutione; tum quia juxta communem ſententiam non peccat pœnitens ita confitendo: cur autem peccaret potiùs Miniſter, quàm pœnitens, cùm hic habeat ſe activè, ille paſſivè?

Reſol. 4. Quidquid dicant aliqui, non peccare Minorum Ordinum Miniſtros, ubi ſua munia obeunt in ſtatu peccati; parum conferunt ad Sacrificium, tum quia levis eſt eorum materia; tum quia ſatis communiter exercentur à laicis.

Reſol. 5. Non inquinari novo peccato Subdiaconum miniſtrantem in malo ſtatu; quia licèt ejus Ordo dicatur ſpecialiter *ſacer*, quod non dicitur de Ordinibus Minoribus ejuſque miniſterium propiùs accedat ad Euchariſtiam; nihilominùs cùm adhuc remotè & exiguè ad illam conferat, non videtur gravi irreverentia Sacrificium afficere. Aliud eſt probabilius de Diacono; tum propter paſſum Apoſtoli 1. ad Tim. 3. v. 10. *Miniſtrent nullum crimen habentes*; tum quia immediatè aſſiſtit ſacrificanti; imò & cum ipſo faciat oblationem calicis: & pedem tenendo, & verba pronunciando: tum etiam quia varii Diaconi (ſi Jacobo Marchantio credimus in reſolutionibus Paſtoralibus *de Miniſtro Sacramentorum* cap. 3.) fuere divinitus puniti, etiam morte corporali; eo quòd in ſtatu peccati miniſtraſſent. Poteſt quidem Deus mortis & vitæ Dominus, peccatum veniale taliter punire; ſed cùm legamus puniiſſe Diaconos indignè miniſtrantes, & non Subdiaconos, meritò colligimus plus ab illis quàm his exigere.

Reſol. 6. Ad conſecrationem Templi, Altaris, Calicis &c. Item ad benedictionem Abbatum, Virginum, veſtium ſacerdotalium, aquæ luſtralis, Candelarum, Cinerum, Palmarum &c. ſicut ad tonſurandum, excommunicandum, ſuſpendendum, aut ab excommunicatione, ſuſpenſione, &c. abſolvendum, non requiri ſtatum gratiæ, ſaltem ſub mortali; quia nec Sacramenta ſunt, nec actiones Sacramentales; unde nec merita Chriſti diſpenſat Miniſter: nec agit ejus nomine; cùm illa non ex jure divino, ſed Eccleſiaſtico ſint Ordini annexa.

Reſol. 7. Idem probabiliùs eſſe dicendum de confectione Chriſmatis, & benedictione Olei Infirmorum, quidquid dicat Gonet; quia etſi actio illa ſit aliquo modo Sacramentalis, non videtur tamen ſub peccato gravi ſtatum gratiæ exigere: vel enim id exigeret ut eſt conſecrativa, aut benedictiva, vel ut eſt materiæ Sacramenti conſtitutiva: non primum, aliàs id etiam exigeret conſecratio. Templi aut Altaris: non etiam ſecundum: quia peccator coquens panem, aut exprimens vinum pro Euchariſtia, peccaret mortaliter, ſecurius tamen eſt contrarium & in praxi conſulendum.

Reſol. 8 Baptizantes, abſolventes, aut inungentes in malo ſtatu: tot numero peccata committere, quot perſonas baptizant, abſolunt &c. quod etiam verum eſt, licet Baptiſmata, aut abſolutiones immediatè ſibi ſuccedant; quia quodlibet Baptiſma aut abſolutio, eſt actio integra & completa, adeòque omninò à priori aut poſteriori independens.

Reſol. 9. Non eſſe idem ſentiendum (contradicentibus tamen Bonacina, Conink, & aliis) de miniſtrante Euchariſtiam; quia licèt hic per quadrantem, imò per horam, aut plùs diſtribuat communionem ſine interruptione morali, unicum committit peccatum; quia etſi quælibet diſtributio ſit actio phyſicè completa: moraliter tamen coaleſcunt ſingulæ in unicam totalem, nempè in unum & idem convivium, cujus adſtar inſtituta eſt Euchariſtia. Quia tamen quælibet diſtributio indigna ultrà primam: eſt circunſtantia notabiliter aggravans, cùm ſit ſolitariè ſumpta, peccatum grave, exprimendus eſt, in Confeſſione, Perſonarum, quibus facta eſt diſtributio, numerus; vel certè ubi id fieri non poteſt, tempus circiter diſtributionis.

Dixi tamen; *Sine interruptione morali*, quia ubi diſtributio cenſetur alia moraliter, cenſetur & aliud peccatum.

Reſol. Denique non peccare, ſaltem graviter, concionantem in ſtatu peccati; quia actio illa nec ſpecialiter ſacra, ne in ſe continet gratiam, nec eſt alicui Ordini neceſſariò annexa; quandoquidem committi poſſit non Tonſuratis, imò tales quotidie in Templis noſtris præcipua Religionis noſtræ myſteria exponunt interrogando, explicando, catechizando. *Peccatori quidem dixit Deus*, Pſal. 49. v. 17. *Quare tu enarras juſtitias meas*, &c. ſed peccatori publico & ſcandaloſo, qui vituperans miniſterium ſuum potiùs eſt audientibus occaſio impœnitentiæ, quàm pœnitentiæ: undè ſubditur v. 19. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*.

ARTICULUS IV.

An Miniſtro peccatori ſit obligatio confitendi, antequàm Sacramentum conficiat aut miniſtret?

CONCLUSIO I.

Debet Sacerdos, antequam celebret, confiteri, ſi conſcientia remordeat peccati mortalis.

Ratio petitur ex illo Apoſtoli 1. Corint. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat &c.* Quæ probatio, juxta declarationem Trid. Seſſ. 13. c. 7. traditionem Eccleſiæ, & conſenſum unanimem Doctorum, fieri debet mediante confeſſione Sacramentali: unde Trid. ſup. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quamvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat*. Sed de his fuſiùs ſuo loco.

CONCLUSIO II.

Conſilii eſt, non præcepti, ante cujuslibet alterius Sacramenti confectionem, imò & ipſius Euchariſtiæ diſtributionem, peccata mortalia, ſi quæ ſint, confiteri; & ideò ſufficit, ut quis vitet novum peccatum, ſi perfectè conteratur. Eſt communis contra paucos recentiores.

Prob. 1. Quia Trid. tantùm requirit confeſſionem ad Euchariſtiam: ergo ſignum eſt ad alia Sacramenta non requiri aliàs nulli fuiſſet ratio potiùs pro Euchariſtia, quàm pro aliis Sacramentis, obligationem confeſſionis inculcandi.

Prob. 2. Ex Rituali Pauli V. Tit. 1. ubi declarat non obligationem, ſed meram convenientiam eſſe confitendi; *Sacerdos*, inquit, *ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, quod abſit, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat. Sed ſi habet copiam Confeſſarii, & temporis, locique ratio ferat, CONVENIT confiteri.*

Prob. 3. Quia non eſt imponenda fidelibus gravis obligatio, qualis eſt confitendi, ſine ſufficienti fundamento: ſed nullum tale reperitur, cùm nec Scriptura, nec Concilia, nec Traditio, nec Patres, nec aliquod Eccleſiæ decretum, nec ratio confeſſionem in illo caſu requirant: ergo.

Dices 1. Catechiſmus Rom. Parte 2. cap 69. Item 2. Synodus Cameracenſis cap. 7. Attrebatenſis Tit. *de pœnitentia* Iprenſis tit. 11. requirunt ſtatum gratiæ per confeſſionem: ergo &c.

R. In illis contineri ſalubre conſilium, & utilem admonitionem, non autem præceptum; quandoquidem non poſſint plus exigere, quàm Rituale Pauli V.

Dices 2. Contritio non confert gratiam, niſi cum voto Sacramenti Pœnitentiæ: ſed qui habet copiam Confeſſarii, nec dignatur confiteri, nec videtur habere votum Sacramenti Pœnitentiæ: ergo, quamvis conetur conteri, non juſtificatur.

R. Diſt. Min. Non habet votum Sacramenti pœnitentiæ

hìc

hic & nunc suscipiendi: C. suscipiendi quando præceptum obligabit: N. Jam autem ut contritio justificet, non debet habere annexum votum Sacramenti suscipiendi, toties quoties adest copia Confessarii; alioqui existens in mortali, & habens hic & nunc opportunitatem Confessionis, non posset justificari per contritionem, licèt haberet voluntatem confitendi manè sequenti: quod est contra communem sensum & Theologorum, & Christianorum: undè sicut non requiritur ad veram contritionem votum jejunandi, Festa servandi, Missam audiendi &c. hic & nunc, sed quando urgebit præceptum, ita nec confitendi.

Dices 3. In illa sententia Sacerdos, qui non potest, aut non vult celebrare, poterit accumulando peccata peccatis, & contritionem contritioni, per tempus notabile plurimos baptizare, absolvere &c. etiamsi non confiteatur.

Resp. Quod sicut potest, accumulando peccata peccatis, & confessionem confessioni, baptizare, absolvere, &c. ita etiam accumulando peccata peccatis, & contritionem contritioni. Videbimus tamen infra, an ubi sic accumulantur peccata, adsit verum propositum emendæ, & consequenter, an valida sit confessio aut contritio:

Dices 4. Non licet sine necessitate sese exponere periculo irreverenter tractandi Sacramenta: sed tantùm contritus & non confessus exponit se illi periculo: cùm non possit esse moraliter certus, quòd sua contritio intendatur usque ad gradum extrasacramentaliter justificativum: ergo.

Resp. Neg Min. Quia cùm non sit credibile voluisse Deum, ut Sacramenta veteris legis, qualia erant Circumcisio & Remedium legis naturæ, potius exponerentur periculo indignæ tractationis, quàm Sacramenta novæ legis, sequitur vel nunc peccatorum contritum non exponere Sacramentum tali periculo, vel tali periculo exposita fuisse Sacramenta veteris legis, cum nullum aliud esset Ministris justificationis medium, quam contritio.

Ad Confirmationem Minoris Dico, quod etsi certi gradus charitatis requirerentur ad justificationem extra Sacramentalem (quod posteà examinabimus) posset tamen aliquis habere prudentem existimationem suæ justificationis, si nempè advertat se aliqualiter affectuosè propter summam Dei bonitatem dolere, quandoquidem etsi fortè noluerit Deus contritioni remissæ & frigidæ justificationem concedere, credendum est tamen illam concedere contritioni utcumque affectuosę & fervidæ, cùm id videatur exigere, & Dei bonitas, & hominis sensibus immersi materialitas. Facilè autem potest quis advertere, an in se aliqualem charitatis fervorem experiatur necnè. Et certè si statim videat, an hominem frigidè aut fervidè diligat? Quidni idipsum respectu Dei posset advertere?

Confirmatur hæc responsio: Non requiritur jam alia contritio ad justificationem extrasacramentalem, quam requireretur in veteri Testamento: sed tunc ministraturi Sacramenta non poterant fieri moraliter certi de sua justificatione, sicque vitare periculum indignæ tractationis, nisi sufficeret vel contritio sine determinato intensionis gradu, vel certè cum gradu facilè perceptibili, ut anteà diximus: ergo.

DISPUTATIO V.

De suscipiente Sacramenta, & requisitis ex parte illius.

QUÆSTIO I.

Quinam sint capaces Sacramentorum?

CONCLUSIO I.

SOlus homo viator, de lege ordinaria, est capax Sacramenti suscipiendi. Est certa.

Ratio petitur tum ex voluntate Christi ita instituentis; tum ex definitione ipsius Sacramenti, quod dicitur *Ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Et certè quomodo ordinarentur ad hominis beati, aut damnati salutem? cum illi ita salutem possideant, ut non possint eam perdere vel augere; hi verò ita perdiderint; ut non possint illam sperare.

Dices 1. Eucharistia dicitur *Panis Angelorum*: ergo etiam Angeli possunt Sacramenta suscipere.

R. Dist. Ant. Dicitur. *Panis Angelorum*, quia Christum Sacramentaliter percipiunt: N. quia in cœlis Christo fruuntur eiusque visione saturantur: C. Accedit quod sensibilia, qualia sunt Sacramenta, non sint proportionata insensibilibus, quales sunt Angeli.

Dices 2. Potest Bestia vinum consecratum bibere, aut hostiam consecratam manducare: ergo

R. Posse quidem comedere aut bibere materialiter, seu quatenus præcisè sunt comestibilia, aut potabilia, non tamen Sacramentaliter, seu quatenùs ordinantur ad gratiam conferendam, quandoquidem illa ordinatio non respiciat subjecta gratiæ incapacia, qualia sunt bruta.

Dixi in Conclusione: *De lege ordinaria*, quia sicut possent Beati aut Angeli de potentia absoluta Sacramenta ministrare, ita & quædam recipere, cùm nulla appareat contradictio.

CONCLUSIO II.

NOn quilibet homo viator est capax cujuslibet Sacramenti suscipiendi.

Ratio etiam petitur ex voluntate Christi, aut etiam ex natura rei: unde absolutè impotentes sunt Fœminæ Ordinis, incapaces infantes Matrimonii, Pœnitentiæ & Extremæunctionis: imò quilibet non baptizatus est incapax aliorum Sacramentorum; eo quòd Baptismus sit illorum janua, sed de his fusiùs suo loco.

QUÆSTIO II.

An ad valorem Sacramentorum requiratur intentio & consensus recipientis.

CONCLUSIO I.

NUlla requiritur in parvulis, aut perpetuò amentibus intentio, aut consensus, ut validè recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, idest, ut recipiant Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & fortè Ordinem, de quo posteà. Est contra Lutherum requirentem in quolibet baptizato fidem actualem: & contra Erasmum, qui Præfat. Paraphrasia in Matth docet baptizatos in infantia habendos esse pro non baptizatis, si in adolescentia Baptismum non ratificaverint.

Prob. Autem Concl. tum ex universali Ecclesiæ praxi, quæ tales baptizat, licèt noverit intentionis formandæ esse incapaces; tum ex Concilio Florent. in Decreto Eugenii, ubi requirens ad valorem Sacramenti materiam, formam, & intentionem Ministri, non meminit intentionis suscipientis, idque propter pueros & amentes, nam si in illis requireretur, sicut requiritur in adultis, ut dicemus, non potius tacuisset intentionem suscipientis, quam Ministri; quandoquidem fuisset etiam ad Sacramentum necessaria.

CONCLUSIO II.

ADultus omninò reluctans invalidè recipit Sacramentum. Est communis & certa contra Vanroy Tom. 4. pag. 80. ubi docet positivum reluctantis animi dissensum non officere Sacramento Ordinis.

Prob. 1. Ex unanimi Ecclesiæ sensu. 2. Ex determinatione Innocentii III. cap. *Majores de Bapt.* ubi expressè ait: *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec caracterem suscipit Sacramenti.* 3. Ratione, quia cum certa Sacramenta, ac præsertim Baptismus & Ordo gravem imponant suscipientibus obligationem, non videtur justum, ut inviti illo onere graventur. 4. Congruentia, quia non convenit, ut notat Scotus 4. dist. 4. q. 4. n 3. loquens de baptismo, ut Deus reluctantem familiæ suæ adscribat, & filium suum ac hæredem constituat.

Dices 1. Augustinus lib. 7. contra Donatist. cap. 53. putat valere Baptismum fallaciter receptum: quod confirmat lib. 1. de Bapt. cap. 12. his verbis: *sicut ficti veraciter, non fictè recipiunt, nec eorum Baptisma reprobatur*; imò Tract. 26. in Joan. asserit nolentem posse Sacramentum recipere.

Resp. S. Doctorem per *fallaciter & fictè*, non intelligere corde dissentientem, sed simulantem se interiùs dispositum ad effectum Sacramenti, cùm non sit. Imò verba lineata reperiuntur quidem cap. 35. 1. q. 1. non tamen in Augustino. Ad aliud dico ipsum loqui de Eucharistia, quæ ori reluctantis potest per vim ingeri, quod non obest nostræ Conclusioni, quæ intelligi debet Sacramento, non permanente, sed consistente in usu.

Dices 2. Innoc. c. *Majores de Bapt.* sic habet: *Cùm non parvuli solùm, qui non consentiunt, sed adulti, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant Sacramentum.*

Resp. Sic loqui non in propria, sed in aliorum persona, seu referendo aliorum sentimenta; & ideò immediatè subdit: *sed opponitur talibus.*

Dixi in Conclus. *Omninò reluctans*, seu invitus; quia si tantùm

tùm sit invitus secundùm quid, idest, habeat quidem velleitatem susceptioni contrariam, quatenus mallet non recipere, si non timeret patris indignationem, aut quid aliud, & interim recipit, validè recipit, saltem Matrimonium, de quo posteà, excipiatur. Cujus ratio est, quòd equidem de facto consentiat in receptionem, ut vitet malum sibi imminens, sicut consentit Mercator in projectionem mercium, mortem vitaturus. Estque nostra Resolutio Ecclesiæ doctrina & praxis, declarata in cap. *Majores de Bapt.* & ideò Can. *de Judæis* dist. 45. dicuntur Judæi obligandi ad servandam Christianorum legem, etsi metu coacti consensissent in receptionem Baptismi. Ibidem tamen prohibetur, ne deinceps inviti baptizentur.

Dices 3. Nonnulli, inviti aut inscii, fuerunt ordinati. 1. S. Epiphanius (ut refert Hieron. Epist. 60.) ordinavit Fratrem ipsius D. Hieronymi Diaconum & Presbyterum omninò reluctantem & invitum. 2. A Valerio, etiam invitus consecratus est Sacerdos, D. Augustinus. 3. Salamanum Eremitam omninò inscium, fuisse ordinatum testatur Morinus Parte 3. de Ordine. 4. Similiter inscius ordinatus fuit Presbyter Macedonius Eremita à Flaviano.

R. Ad 1. Magnam ibi commendari humilitatem Ordinandi, imò tantam reluctantiam, ut nisi adfuisset Ecclesiæ & Superiorum præceptum, nunquam consensisset (*valdè quippè obtinebatur, indignum se esse contestans*, non tamen reluctantiam omnimodam; cùm fuerit tandem persuasus, adeòque consentiens, ut patet ex verbis: *Vix ergo compulimus eum, & PERSUADERE potuimus*, (nempè ut consentiret in Presbyteratum) *testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei... iisdem verbis, quibus antea suaseramus*, nempè ut consentiret in Diaconatum. Os quidem ejus tenuerunt assistentes in utraque ordinatione, non tamen ne contradiceret, sed ipsos *adjuaret per nomen Christi*, ut liber dimitteretur.

Ad Ordinationem D. Augustini, Dico ipsum non fuisse invitum simpliciter, sed secundùm quid, in quantùm non consensisset, nisi ardentes & importunæ populi Hypponensis preces ipsum impulissent.

Ad 3. & 4. Dico fuisse inscios non actionis circa se exercitæ, cùm eam viderent, & in eam consensissent virtualiter, volendo quod vellet Episcopus circa se fieri; sed potestatis sibi per eam traditæ, ut patet ex eo quòd Macedonius die Dominico sequenti invitatus ad celebritatem responderit: *Non sufficiunt vobis ea quæ facta sunt, sed me rursus vultis efficere Presbyterum?*

Dices 4. Cum Vanroy: Potest Religiosus invitus promoveri ad Superioratum, Civis ad Consulatum, ubi id exigit bonum commune: ergo & Catholicus invitus ad sacri Ordinis gradum, ubi id postulat utilitas Ecclesiæ.

R. Neg. conseq. Disparitas petitur ex voluntate Christi nobis per continuam traditionem, & Ecclesiæ praxim manifestata; & certè si possent inviti ordinari, innumera hujus rei exempla, non dubia, non incerta, sed evidentissima legeremus; quandoquidem non defuerint omni tempore viri præstantissimi reluctantes, quorum tamen ope indigebat Ecclesia.

CONCLUSIO III.

ADultus nec consentiens, nec dissentiens positivè, sed habens se merè negativè, invalidè etiam suscipit Sacramentum. Est Scoti sup n. 5. quod probat ex illo Augustini: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*. Et in terminis D. Thomæ q 68. art. 7. ad 2. *Si adulto deesset intentio*, inquit, *suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*. Unde mirum est, Cajetanum & quosdam alios, tam apertis Præceptoris sui verbis contradicere.

Prob. 1. ex Conciliis, *Carthaginensi III.* cap. 34. *Ægrotantes si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium ii, qui sui sunt, dixerint, baptizentur*. Arausicano c. 11. *Obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet*, ubi prærequiritur consensus positivus.

Prob. 2. Ex Catechismo Rom. Pii V. Tit. *de Baptismo Adultorum*, ubi inhibet baptizari Amentes, qui cùm ante amentiam ostendere potuerunt desiderium Baptismi, tamen non ostenderunt. Quod desumptum est ex Doctore Angelico sup. art. 12. ubi legitur: *Si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent non sunt baptizandi*.

Prob. 3. Ex Augustino lib. 4. de Bapt. c. 24. *Si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet*: quod falsum esset, si non requireretur consensus suscipientis.

Prob. 4. Ratione; quia non est credibile voluisse Deum, de lege ordinaria, justificare Adultum nequidem cogitantem de justificatione; ut si ambulans baptizaretur à tergo; quia, ut dixi: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*. Hic etiam applicari potest probatio tertiæ Conclusionis præced.

Obj. 1. Concilium Florent. requirens expressè intentionem Ministri, non facit mentionem intentionis suscipientis: ergo.

Resp. Ibi tantùm requirere illa, quæ in omni Sacramento necessaria sunt; intentio autem suscipiendi (utpotè impossibilis) non requiritur in Baptismo parvulorum, aut perpetuò amentium. Prætereà dici potest Concilium tantùm loqui de illis, quæ necessaria sunt ex parte Sacramenti non subjecti; aliàs debuisset etiam requirere sexum masculinum, ad Ordinem requisitum.

Obj. 2. Cap. *Majores* dicitur; quod *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem contrariæ voluntatis non invenit obsistentem*: atqui nec consentiens nec dissentiens non obsistit: ergo.

R. Innocentium non loqui ibi absolutè, sed relativè ad verba præcedentia: dixerat enim baptizatos in amentia recipere characterem, si prius habuissent propositum Baptismi. Huic autem proposito contrariatur, saltem moraliter, non tantùm dissensus positivus, sed etiam negativus, quando nempè quis de Baptismo recipiendo cogitans, habet se negativè: quod addo, quia ubi de Baptismo non cogitat, censetur prius propositum, saltem habitualiter, remanere; quod sufficit ad Baptismi valorem, ut dicemus posteà.

Obj. 3. Narrat Aug. lib. 4. Confess. c. 4. baptizatum esse amicum suum *Nebridium* sensibus destitutum: ergo.

R. Probabilius esse *Nebridium* habuisse anteà desiderium Baptismi, cùm haberet rectam fidem, à qua Augustinus, ut ibid. fatetur ipsemet, conatus fuerat ipsum avertere.

Obj. 4 Cogit Ecclesia baptizatos, qui non ore, licèt corde, contradixerint, ad servandam Christianorum legem: ergo.

R. Sic Ecclesiam cum ipsis procedere, quia in foro externo præsumuntur verè consensisse, adeòque verè baptizati, ex hac regula juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*. Unde si qui Patres aut Canones velint exteriùs consentientes, etsi interius contradicant, habendos esse pro baptizatis, loquuntur pro foro externo, in quo sic etiam judicatur de matrimonio solùm interiùs fictè inito.

Obji. 5. Ut homo generetur, non requiritur illius consensus: ergo nec ut regeneretur.

Resp. Disparitatem esse, quòd regeneratio sit quid morale naturæ additum & indebitum, ex quo sequuntur obligationes, quibus noluit Christus gravare hominem invitum.

Obji. 6. Non requiritur in parvulis consensus: ergo nec in Adultis.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd hi sint capaces consensus proprii, illi non, & ideò sufficit pro eis consensus parentum aut Ecclesiæ. Hanc Ecclesiæ praxim & traditionem à Christi voluntate descendentem, nobis declarat in terminis Augustinus lib. 4 de Bapt. cap. 24. *Cum pro parvulis alii respondent.... valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi pro se respondere non possunt. At si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet*.

Inst. Quod necessarium est ad subsistentiam sacramenti in uno, necessarium est in altero.

Resp. Dist. Assumpt. Si illud necessarium sit quid essentiale: C. si sit tantùm dispositio recipientis: subdistinguo: necessarium est in uno & altero, si uterque sit capax: C. si unus sit capax, alter incapax: N. idque propter rationem antea allegatã.

Obji. 7. Ut adultus recipiat alapam, non requiritur consensus: ergo nec ut recipiat sacramentum.

Resp. Dist. Ant. Ut recipiat voluntariè: N. ut coactè: C. receptio autem sacramenti debet esse voluntaria, & non coacta: & per hoc solvitur argumentum Cajetani volentis non requiri intentionem in patiente, qualis est recipiens, quia id tantùm verum est de patiente in voluntario, non voluntario.

CONCLUSIO IV.

ADultus validè recipit Sacramentum cum intentione habituali non retractata. Hæc sententia communis est, patetque ex Conciliis, & Rituali Rom Concl. præced. citatis, ubi expressè præcipitur, ut moribundi sensibus destituti baptizentur, si antea desiderium Baptismi ostenderint; certum autem est in ipsis nonnisi habitualiter remanere. Imò respectu aliquorum Sacramentorum videtur sufficere intentio interpretativa. Sic in moribundo vita Christianè peracta, videtur sufficiens & interpretativa voluntas Confirmationis, Extremæ-unctionis, imò & absolutionis; & ideò tunc est impertienda sub conditione; nam cùm illa Sacramenta sint recipientibus vel necessaria, vel ad modum utilia, eo ipso quo quis catholicè vixit, censetur velle Catholicorum more illa Sacramenta recipere; quandoquidem prodesse possint, nocere non possint.

Aliter

Aliter loquendum est Baptismo & Ordine, nam cùm ille Religionis, hic status notabilem inducat murationem, & utrque suscipienti diversissima imponat onera, uterque etiam expressam requirit intentionem, saltem habitualiter remanentem. Attamen probaptizandis licitè Catechumenis lethali morbo repentè oppressis dicit August. lib. 1. de Adulterinis conjugiis cap ult. sufficeret fidem Christianam, in qua instruebantur, licèt eorum voluntas sit incerta; quia dum Christianorum fidem, mores, & ritus addiscunt, censentur velle per Baptismum Christianis conjungi: fortè autem sufficit talis voluntas, & ideò tunc sub conditione sunt baptizandi.

Quantùm ad Matrimonium requiritur etiam intentio expressa, & quidem ad minus virtualis, saltem quando contrahitur inter præsentes, eo quòd contrahentes sint etiam Ministri. De his fusiùs suo loco. Cur autem potiùs requiratur intentio virtualis in Ministro quàm in suscipiente, oritur ex voluntate Christi ita meritò statuentis; cùm Minister influat in Sacramentum, non recipiens. Ex dictis hæc Quæst.

Resol. 1. Adultum utentem ratione, qui surdus est, mutus, & cæcus à nativitate, non posse baptizari absolutè, eo quòd non possit consensum manifestare; Quia tamen volunt aliqui Authores, sufficere consensum interiorem, imò votum Baptismi contentum in contritione, licèt contritus nihil de Baptismo audierit, baptizari deberet sub conditione; quandoquidem nulla videatur contradictio, quòd talis de peccato conteratur; & aliunde cùm in extremis extrema sint tentanda, adhibendum est omne illud, quod fortè profuturum est.

Dixi: *Utentem ratione*; quia cùm perpetuò amentes comparentur parvulis, possunt & debent baptizari absolutè.

Resol. 2. Probabilius justum recipientem Eucharistiam tempore delirii, non recepturum ejusdem effectum; quia non est credibile velle Deum justificare justificatione prima, aut secunda Adultum sine proprio consensu: quidquid dicant aliqui. Prætereà si hoc esset, comedens hostiam, quam nesciret esse consecratam, aut eam sumens præcisè ad sedandam famem, reciperet gratiam: quod nemo dixerit.

Resol. 3 Baptismum vel ordinem ebrii, aut dormientis, etsi præviderit se in ebrietate baptizandum aut ordinandum, non esse validum; quia etsi talis habuerit consensum sufficientem in causa ad peccandum ratione irreverentiæ prævisæ, non tamen sufficientem ad valorem Sacramenti; eo quòd Baptismus & Ordo, ut dixi, requirant intentionem, non interpretativam solum, sed expressam, saltem habitualiter remanentem.

QUÆSTIO III.

Quænam dispositio requiratur, ut Adultus licitè recipiat Sacramentum?

CUm diversa sint Sacramenta, alia mortuorum, quæ conferunt gratiam primam, ut Baptismus, & Pœnitentia; alia vivorum, quæ conferunt gratiam secundam, ut reliqua, etiam diversa pro eorum diversitate, requiritur in Adultis dispositio.

CONCLUSIO I.

SAcramenta vivorum requirunt gratiam in suscipiente, obtinendam per Confessionem pro Eucharistia, per Confessionem autem, vel contritionem pro Confirmatione, Ordine, Extrema-unctione, & Matrimonio.

Prob. Prima pars; Quia cum sacramenta vivorum dicta sint *vivorum*, quia supponunt vitam spiritualem, vita autem spiritualis habeatur per gratiam, clarum est ipsam prærequiri in suscipiente.

Prob. Secunda pars; Quia præcipit Apostolus ut *probet seipsum homo*, scilicet per Confessionem, ut autem ex Tridentino ostendimus, antequàm *de pane illo edat & de calice bibat*.

Prob. Tertia pars; Quia etiam contritio perfecta potest peccatorem justificare, ut sufficienter probat Conclusio 3. Art. ultimi Disput. præced. unde quòd Confessionem requirat Tridentinum in Sacerdote celebraturo, aut laico communicaturo, non oritur ex eo quòd ex contritione certitudo moralis de justificatione haberi non possit, ut videtur asserere Vanroy Tom. 5. pag 65. sed ex eo quòd illam expressè requirat Apostolus ad sumptionem Eucharistiæ: quod non facit pro aliis

CONCLUSIO II.

SAcramenta mortuorum non requirunt gratiam in recipiente; ubi autem reperiunt, ipsam augent, ut dicemus posteà.

Ratio Conclusionis est; quia sacramenta non requirunt pro dispositione id, ad quod conferendum instituta sunt: sed instituta sunt Sacramenta mortuorum, ut conferant gratiam primam, seu vitam spiritualem; quandoquidem dicantur *mortuorum*, quia ordinariè dantur spiritualiter mortuis: ergo.

CONCLUSIO III.

ULtra alias conditiones requisitas ad justificationem, de quibus Tomo 3. requiritur & sufficit in peccatore baptizando, Attritio supernaturalis.

Prob. 1. pars; (quam impugnat Amicus, volens non requiri pœnitentiam in baptizando, qui solùm peccavit originaliter) quia justum est, ut qui voluntate propria, vel aliena Deum offendit, absque peccati retractione & dolore in ejus amicitiam non recipiatur: debet autem dolor ille esse supernaturalis; quia gratia, ad quam disponit, etiam supernaturalis est.

Prob. 2. pars; Ex Doctore Angelico, 4. dist. 6. q 1. art. 3 ad 5. *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo suscipiendam, præexigitur fides; sed non charitas; quia sufficit ATTRITIO præcedens, etsi non sit contritio*. Sed quid Doctor Subtilis? *Potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullomodo ATTERITUR, vel conteritur*, 4. dist 4 q 5. n 2. ergo si atteritur, censet evidentissimè esse sufficienter dispositum; aliàs si adhuc aliqua dispositio deesset, foret adhuc fictus. Postquàm autem tam clarè, tam distinctè, tam expressè locuti sunt Scholæ Magistri, non est undè obloquantur Discipuli. An autem idem sit dicendum de Sacramento Pœnitentiæ ac de Baptismo? Resolvemus in materia propria, quam conabimur ad amussim in statera Domini librare.

QUÆSTIO IV.

An liceat indispositis, seu peccatoribus, Sacramenta ministrare?

DUplex hic distingui potest peccator, Occultus unus, cujus peccatum est secretum; Publicus alter, cujus peccatum est evidens, vel *evidentia juris*, idest, aut per sententiam Judicis, aut per confessionem Rei in Judicio, aut per similem testium depositionem; vel *evidentia facti*, id est, quando ita multis & talibus notum est, ut ad communem notitiam prudenter credatur venturum.

Porrò quia potest peccator tum occultus, tum publicus, vel occultè vel publicè Sacramentum petere; ideò sigillatim hæc omnia sunt hic resolvenda.

CONCLUSIO I.

PEr se loquendo peccat contra Religionem, fidelitatem, & charitatem, qui Sacramentum ministrat indispositis, seu peccatoribus. *Contra Religionem* quidem, in quantum dat *sanctum canibus*; & projicit *Margaritas ante porcos* cum magna Sacramenti irreverentia. *Contra fidelitatem*, eo quòd abutatur ministerio sibi commisso, illoque utatur, non in ædificationem, sed in destructionem, contra illud 1. Corint 4. *Jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Contra *charitatem*, quatenus cooperatur peccato proximi externo, imò sæpissimè interno; ubi id magis continuatur aut intenditur.

CONCLUSIO II.

NOn licet ministrare Sacramentum distinctum à Pœnitentia & Matrimonio, peccatori publico publicè petenti: unde Rituale Rom loquens de Eucharistia (quod idem est de aliis) *Arcendi sunt*, inquit, *publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut Meretrices, Concubinarii, Fœneratores, Magi, Sortilegi, Blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint*.

Ratio clara est; tum quia hic militant omnes rationes Conclusionis præced. tum etiam quia ministratio illa nata est magnum

gnum parere scandalum. Excipitur tamen casus extremæ necessitatis, ubi sufficeret propositum firmum dimittendi Concubinam, Artem meretriciam, usurariam, sortilegam, &c. ubi tamen aliquam moram pateretur infirmitas, non esset absolvendus, aut, jam absolutus, commun candas infirmus, nisi prius Concubinam dimisisset, aut usuras restituisset, quamquàm millies proponeret, & juraret se id facturum; aliàs nec tolleretur scandalum, nec occasio peccandi.

Dixi in Concl. *Distinctum à pœnitentia*, quia hic non habet locum publica repulsa, ut satis declarat universalis Confessariorum, etiam maximè timoratorum, praxis, qoorum nullus sollicitus est pœnitentes suos ante Confessionem agnoscere, sed audita confessione ex toto, vel ex parte, dignos admittere, & indignos secretò remittere: indigni tamen reputantur, qui necdum occasionem dimiserunt, aut scandalo publico necdum satisfecerunt, licèt interdum tolli possit per confessionem Sacramentalem publicè factam, ubi priùs publicè dimissa est peccandi occasio.

Addidi: *Et Matrimonio*, quia permittitur compatti lo illis locis, ubi Catbolici permixtim vivunt cum Hæreticis, admittere ad Matrimonium compartem hæreticam, adeoque peccatorem publicum. Quia tamen hoc ibidem permittitur ex justa causa, ut nempè servetur pax & tranquillitas publica, non est id extendendum, sine gravissima ratione ab Ecclesia approbanda, ad alios peccarores publicos, puta, usurarios, sortilegos &c. quorum Matrimonio, nisi publico scandalo satisfecerint, non debet Parochus assistere. Videtur tamen huic obligationi satisfacere Concubinarius, ubi publicè Concubinam ducit, aut aliam, ipsa prius dimissa.

CONCLUSIO III.

Licèt quandoque ministrare Sacramentum peccatori publico occultè petenti, modò Minister & assistentes noveriot illius emendationem, ac respectu illorum sublatum sit scandalum, sicque respectu aliorum brevi auferendum, eo ipso nempè quo noverint vitæ emendationem, & occasionis dimissionem.

Ratio est, quia nulla apparet causa, cur Sacramentum ulterius differatur: quando enim reficietur Sacramenti administratio, reficietur & peccatoris emendatio, & occasionis sublatio.

Dixi: *Modo Minister &c.* quia si illius emendatio præsentes lateat, repellendus est, licèt privatim petat.

CONCLUSIO IV.

Peccatori occulto occultè Sacramentum petenti denegari debet, si statum illius noverit Minister per scientiam extraconfessionalem: quod & fieri debet, si petat in præsentia eorum, qoibus ipsius crimen notum est.

Ratio est, quia ex tali denegatione non est timendum ullum inconveniens: Non quidem scandalum, cùm nullus sit, qui possit inde meritò scandalizari, sed potiùs ædificari: Non etiam diffamatio petentis: quia adstantibus, si qui sint, supponitur notum ipsius peccatum, imò si aliter fieret, esset & irreverentia Sacramento, & cooperatio suscipientis peccato, & scandalum proximo: undè Rituale Romanum sopra: *Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat*.

Dixi: *Si statum illius noverit per scientiam extraconfessionalem*; quia si scientia sit tantum confessionalis, nequit ipsum repellere, licèt si solus, imò licèt indè sciret esse peccatorem publicum & scandalosum, quia nunquam licet uti scientia confessionali, cum rubore aut confusione pœnitentis, & ideò debet se ita gerere, quasi nihil sciret.

CONCLUSIO V.

Occulto peccatori publicè Sacramentum petenti, ministrari debet, si sine scandalo præteriri nequeat. Ita expreisè Rituale Rom. sup. *de Eucharistia*, cui quidem annuunt omnes, sed non omnium eadem est ratio & fundamentum. Alii fundantur in hoc quod jus habeat peccator occultus, ne infametur; sed quodnam jus impio, ut ejus famam servem cum gravi injuria Sacramenti? Certè si furem occultum possim manifestare, ut mea mihi restituat, quidni & impium, ne Sacramento, quo nihil Sanctius, nihil Sacratius, gravem irreverentiam inferat? Recurrunt alii ad factum Christi; Judam communicantis; sed ex eo quod semel injuriam sibi fieri permiserit, non sequitur voluisse ita semper fieri, Unde

Ratio Conclusionis videtur esse hæc, nempè factum Christi non undè sumptum, sed junctum cùm præcepto ità deinceps agendi: quod præceptum ab Apostolis ad nos usque descendit per continuam Ecclesiæ traditionem & praxim.

Congruentia autem posset hæc allegari, quòd Christus, qui Sacramenta instituit ad conscientiarum pacem & tranquillitatem, noluerit ipsorum administrationem exponere jurgiis, litibus, & scandalis, ubi Minister justam, & suscipiens injustam diceret repulsam; & ideò maluerit, ut quandoque Sacramenta sua sine reverentia tractarentur, quàm pax Ecclesiæ & conscentiarum turbaretur.

Obj. 1. Majora tunc sequuntur inconvenientia ex concessione Sacramenti, quàm ex ejusdem negatione: ergo. Prob. Ant. quia ex negatione tantùm sequitur diffamatio impii id implicitè quærentis, cùm scire debeat potiùs Sacramento, quàm sibi honorem oportere servari; ex concessione autem, & Christus inhonoratur, & Sacramenta vilipenduntur, & peccatum accedentis fovetur.

R. Alia insuper ex negatione sequi posse inconvenientia, nempè quòd Minister interdum ex imprudentia, ex odio, aut vindicta dignos repelleret: quod non parum removeret fideles à Sacramentorum susceptione. Præterea ex Sacramenti concessione nec Christus, nec Sacramenta inhonorantur positivè, sicut quando conculcatur hostia pedibus, datur bestiis, exponitur ludibrio &c sed tantùm negativè, idest, privantur reverentia & honore, quæ ipsis deberentur, nisi Christus suo & Sacramentorum juri cessisset, ob rationes priùs positas. Non foveri autem peccatum accedentis, declarabit sequens objectio.

Obj. 2. Nullus potest esse causa alieni peccati: sed ministrans indigno est causa ipsius sacrilegii: ergo.

R. Neg. Min. Non enim est causa physica, cùm actio illa sit de se bona & salutifera recipienti: non etiam moralis; quia justam habet causam ministrandi, nempè Christi præceptum, & sic nullatenus cooperatur ejus peccato.

Obj. 3 Lucius III. cap 5. de Temporibus Ordinandorum, asserit posse Superiorem, ob peccata subditorum occulta, ipsos privare Ordinibus: ergo.

R. Neg. conseq. Disparitas est, quòd subditus recusante Superiore, nullum jus habeat ad susceptionem Ordinum, etiamsi foret Innocens.

Instabis 1. Nec habet jus ad Sacramentum indignus.

R. Dist. Assump. Nec habet jus ad Sacramentum, ubi ejus indignitas est publica, C. ubi est occulta, N. tunc enim habet jus, si non fortè ad Sacramentum, saltem ne arceatur à Sacramento.

Inst. 2. Nullus habet jus, ut tractem irreverenter Sacramentum: ergo.

R. Dist. Ant. Ut tractem irreverenter positivè, ut dixi de inhonoratione in Responsione ad Object. primã, C. ut tractem irreverenter negativè: subdist. Ubi ille cui reverentia debetur, non cedit juri suo: C. ubi cedit, ut cessit Christus: nego.

Inst. 3. Nullo casu licet agere contra præceptum naturale negativum, cùm obliget ad semper, & pro semper; sed præceptum non tractandi irreverenter Sacramentum est tale: ergo.

R. Minorem esse veram de irreverentia positiva, non de negativa, quia respectu illius est tantùm præceptum affirmativum injungens Ministris & aliis, ut semper honorem & reverentiam ferant Sacramentis, nisi prudentia aliud dictet, ut hic propter Christi præceptum, & dum peccator propter urgentem necessitatem, non posset conteri, antequam moribundum baptizaret, aut absolveret.

Inst. 4. Præceptum hoc Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus*, est negativum: ergo &c.

R. Dist. Ant. Præceptum hoc intellectum ut ibi, idest, de Doctrina Euangelica non annuntianda iis, qui instar canum ipsam dilacerant, est negativum: transeat. Applicatum materiæ nostræ: subdist. Est negativum absolutè: N. conditionatè, idest, nisi Christus dispenset: C. unde præceptum illud est simile huic: *Non violabis secretum*; quod vel est affirmativum, idest, *servabis secretum*; vel, si negativum dicatur, est tale conditionatè, idest, nisi justa ratio aliud dictaverit.

Obj. 4. Non possum reddere gladium homini, cui ex eo imminet mors corporalis: ergo nec dare Sacramentum illi, cui receptio est mors spiritualis.

R. 1. Neg. Suppositum, nempè talem receptionem esse mortem spiritualem; cùm indignus jam sit ante receptionem spiritualiter mortuus. Præterea disparitas est inter gladium & Sacramentum, quòd gladius ordinetur de se ad occisionem, Sacramentum verò ad vivificationem.

R. 2. Dist. Ant. Non possum reddere gladium, ubi non possum sine gravi meo incommodo, v.g. periculo vitæ propriæ, illum retinere: N. secùs, C. jam autem quia ex negatione Sacramenti nata essent sequi gravia incommoda, nempè lites, jurgia, dissensiones, odia implacabilia, voluit Christus, ut tunc, cum aliquali honoris sui diminutione, conferretur Sacramentum.

Obj. 5.

Obj. 5. Possum aperire crimen volentis se occidere corporaliter, ut id impediam: ergo & prodere crimen volentis se occidere spiritualiter.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quòd, quia vita corporalis prævalet famæ, potiùs vitam quàm famam tenear servare. In nostro autem casu non tollitur vita spiritualis, cùm, ut dixi, sit priùs sublata, sed solùm peccatum affectu, ponitur effectu: quod videtur minus malum, quàm diffamatio proximi, saltem ubi adsunt justæ rationes ità agendi.

Obj. 6. Det Sacerdos indigno hostiam non consecratam, & sic vitabit omne inconveniens.

Resp. Fore majus inconveniens, nempè occasionem idololatrandi, saltem materialiter, tum assistentibus, tum recipienti.

Obj. 7. Præferri debet honor Sacramenti honori peccatoris.

Resp. Hoc esse verum ubi Christus non cessit suo juri. Malè tamen infertes non peccare recipientem, quia cessit quidem Christus in favorem ministrantis, in quo est intentio pura, non tamen in favorem recipientis, in quo est mera malitia.

Obj. 8. Deneganda est Eucharistia illam petenti ad incantationem: ergo.

R. Neg. conseq. Quia Christus voluit secundum, non primum, ubi esset inhonoratio non tantùm negativa, sed etiam positiva.

Obj. 9. Peccaret Minister, si poneret Hostiam in loco sordido: sed magis abhorret Deus conscientiam peccatoris, quàm locum sordidum: ergo.

R. Dist. Ma. Peccaret, si poneret sine causa, C. si cum causa, v.g. ne conspueretur, aut conculcaretur ab infidelibus: N. In nostro autem casu etiam causa subest, nempè vitatio inconvenientium ex denegatione sequi natorum.

QUÆSTIO V.

An liceat à Ministro indisposito, seu peccatore, Sacramenta petere?

SUppono 1. Ubi duo adessent Ministri, dispositus unus, indispositus alter, præferendum esse dispositum; imò id etiam esse faciendum, ubi in uno tantùm esset suspicio malæ administrationis; quia id exigit & ordo charitatis, & reverentia Sacramenti: unde Scotus 4. dist. 5. q. 2. n. 4. ait: *Si homo possit habere alium meliorem, peccat qui à malo recipit.*

Suppono 2. Ex eo præcisè quòd sciam Ministrum heri mortaliter peccasse, me non teneri ideò hodie Sacramenti petitione abstinere; quia non debeo præsumere eum, qui semel peccavit, bis peccaturum, præsertim in materia omninò disparata.

Suppono 3. Cùm debeat præsumi bonus, qui non probatur malus, non assa obligationem inquirendi de dispositione Ministri. Deinde inquisitio illa esset & odiosa fidelibus, & injuriosa Ministris.

Suppono 4. Inter Ministros indispositos, alios esse toleratos, alios non toleratos. Non tolerati, seu vitandi dicuntur illi, 1. qui sunt nominatim vel excommunicati, vel suspensi vel in perpetuum degradati, vel irregulares facti per sententiam publicatam & denunciatam specialiter & expressè in talem personam. 2. Percussores Clericorum notorii notorietate facti aut juris, saltem in his locis; quia in Gallia, teste Juenin, non sunt vitandi ante sententiam excommunicationis incursæ declaratoriam. 3. Publicè & nominatim condemnati criminis, cui annexa est vel irregularitas, ut homicidii voluntarii; vel excommunicatio, ut hæresis. Ante Concilium Constantiense, illis annumerabantur publici Concubinarii & Fornicarii; sed post illud & Extravag. Martini V. censentur tolerati, nisi contrarium statuatur; ut statutum est in Diœcesibus Cameracensi, Attrebatensi, Audomarensi, Mechliniensi, Namurcensi &c. Toleratus verò est quilibet Minister reus peccati mortalis, aut censura vel irregularitate innodatus, sed non modis præfatis. His suppositis

CONCLUSIO I.

IN casu extremæ necessitatis licitum est petere certa Sacramenta à Ministro non tolerato, aliàs non.

Prob. 1. pars; Quia id expressè statuit Concilium Trid. Sess. 14. cap. 7. de Sacramento pœnitentiæ, docens in articulo mortis posse quoslibet Sacerdotes (ubi nullam excipit) quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis & censuris absolvere. De Baptismo autem, idem asserit August. lib. 1. de Baptismo cap. 2. Sed quid de Sacramentis vivorum? Idem esse de Eucharistia probabilius existimo; quandoquidem præceptum Ecclesiasticum vitandi certos ministros, videatur cedere præcepto divino communicandi in extremo vitæ discrimine. Unde Aug. Tract. 5. in Joan. ultra med. *Non exhorreat columba ministerium malorum* præsertim in necessitate. Quia Superioris præceptum est majus vinculum, quàm inferioris. Sed *respiciat Domini potestatem.*

Accedit quòd non sit credibile piam matrem Ecclesiam velle filios suos innocentes privare viatico tam salutari ob culpam Ministrorum. Idem dicunt aliqui de Extrema-unctione, ubi dicta Sacramenta non possent ministrari; quia fieri potest, ut moribundus sit tantùm attritus, & ideò per illud Sacramentum justificetur, quibus libenter assentior. Casus hic accideret, cùm in moribundo nullum appareret, aut apparuisset signum confessionis, quia cùm tunc fortè Sacramentum pœnitentiæ sit invalidum, deberet Minister non toleratus, postquam ipsum conditionatè absolvisset, Extremam-unctionem ipsi conferre.

Confirm. Nostra Conclusio Ratione Scoti: Plus tenetur excommunicatus vitare alios, quàm alii ipsum: sed ipse potest in necessitate ab aliis petere Sacramenta: ergo & alii ab ipso. Sed quis præferendus est pro collatione Baptismi in necessitate, an laicus bonus, an Minister vitandus? *Magis eligendus est Sacerdos malus, quàm laicus bonus*, inquit Scotus num. 5. idque ratione characteris.

Dices: Noluit S. Hermenegildus jam pro Fide interficiendus, Eucharistiam recipere ab Episcopo Ariano: ergo

Resp. Noluisse, quia id petebat Pater in signum, quòd ad Arianismum rediret.

Prob. 2. pars; Quia si strictissimè inhibeat Ecclesia communionem in profanis cum Ministro non tolerato, à fortiori id inhibet in sacris.

Dices: *Constantinus Magnus*, teste Juenin, baptizatus fuit Nicomediæ ab Eusebio Episcopo Ariano, de quo tamen nullibi reprehenditur.

Resp. Potius credendum esse Breviario Romano, secundùm quod, non ab Eusebio, sed à *S. Sylvestro Papa* Baptismum recepit; sed esto ab Eusebio receperit, ille necdum Arianismo crederetur infectus, sed ab omnibus pro tunc verus habebatur Catholicus, ac Nicænæ definitionis de Verbi consubstantialitate sectator.

CONCLUSIO II.

POssum à Ministro tolerato, sive Parocho, sive non Sacramentum exigere, licèt timeam, ne indignè ministret; modò alius desit, qui possit & velit, & aliundè ad id me impellat necessitas, aut gravis utilitas. Est communis.

Prob. 1. Authoritate D. Thomæ q. 64. art. 6. ad 2. quia *quamdiu* Minister, *ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam Ministrum exhibet* Et Scoti dist. 5. q. 2. n. 3. *Adulto licèt recipere Baptismum à præcisso, si alius Minister haberi non potest.*

Prob. 2. Possum rem bonam petere ab eo, à quo potest benè præstari, cùm in hoc solùm utar jure meo: sed Sacramentum est res bona & sancta, potestque sanctè ministrari: ergo si impiè ministretur, malitia est ministrantis, non petentis.

Confirm. Quia ubi adest justa causa, possum petere mutuum ab eo, quem scio non daturum sine usura. Item juramentum à juraturo per falsos Deos. Item rem meam pretiosam ab eo, quem video indè turbandum aut blasphematurum: ergo à fortiori Sacramentum à Ministro, qui ex pura malitia est malè ministraturus.

Dixi 1. *Modo alius desit*; quia si detur commoda alterius occasio; nec à Parocho, nec ab alio, etiam ad id parato, licèt petere aut recipere: urget enim nos charitas, ut quando commodè possumus, ruinam spiritualem proximi vitemus. Si autem alius adsit bonus, sed non possim ab eo Sacramentum recipere sine gravi incommodo, aut periculo, v.g. quia turbat me, aut excitat in me pravos affectus inter confitendum; possum, & debeo, ubi urget necessitas, ipso relicto, Ministro improbo confiteri. Tenent similiter in articulo mortis petere absolutionem à Ministro malo approbato, ubi adest bonus non approbatus; quia bonus tunc tantùm habet jurisdictionem probabilem, malus autem certam.

Dices 2. *Qui possit & velit*; nam si careat jurisdictione, aut habens jurisdictionem recuset ministrare pro absente habendus est.

Dixi 3. *Et ad id me impellat necessitas*, v.g. quia aliàs morerer sine Baptismo, aut absolutione, succumberem tentationi &c. Addidi: *aut notabilis utilitas*, v.g. receptio Viatici, aut Extremæ-unctionis, Præceptum audiendi Missam in Dominico aut Festo, communicandi in Paschate, confitendi semel in anno. Item occasio lucrandi Jubilæum, aut Indul-

Indulgentiam plenariam, saltem in iis locis, ubi rara est. Non videtur causa sufficiens consuetudo confitendi singulis mensibus, aut septimanis, pius affectus communicandi &c. quia si quandoque teneamur vitam propriam exponere pro salute proximi, quidni teneremur devotiones nostras interdum differre, ne peccaret proximus, & ne Sacramentum irreverenter tractaretur?

Obj. 1. In tali casu petens Sacramentum inducit Ministrum ad peccandum: ergo.

Resp. Neg. Ant. Sed inducit ad actionem de se bonam & Sanctam, quam etiam Sanctè potest Minister ponere; si autem non faciat, ipsius malitiæ imputandum, quàm ad peccandum; cùm repræsentet ipsi rem Sacram ab ipso tractandam: undè si quod fit scandalum, non est datum, sed justè permissum.

Obj. 2. Quilibet adultus potest justificari per contritionem: ergo non occurrit casus, ubi licèt Sacramentum petere à Ministro fortè indignè ministraturo.

Resp. Dist. Ant. Potest justificari æquè certò, ac per Sacramentum: N. minus certò: C. hìc autem major securitas, quam semper quærit salutis suæ providus, dat causam sufficientem potius Sacramentum, quàm per solam contritionem, justificationem quærendi.

Obj. 3. Non possum petere sanitatem à Medico, quem scio non medicina (licèt possit,) sed magia usurum ergo nec Sacramentum à Ministro, quem scio fortè peccaturum, licèt possit non peccare.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd in primo casu non solùm permittam peccatum Medici, sicut in secundo peccatum Ministri, quod, urgente necessitate aut causa notabili, non teneor impedire, sed insuper velim interpretativè communicationem cum Dæmone; cùm sciam me ab ipso sanandum.

CONCLUSIO III.

POssum quolibet casu à quolibet Ministro tolerato, etiam excommunicato, Sacramentum petere, ubi prudenter existimo reconciliatum, aut reconciliandum cum Deo ante administrationem.

Ratio est; quia post Concilium Constantiense eodem modo possum me gerere, etiam in Sacris, cum excommunicato tolerato, ac cum alio peccatore: sed ubi prudenter existimo peccatorem reconciliatum aut reconciliandum Deo ante administrationem, possum ab eo Sacramentum petere: ergo

Dices 1. Minister taliter excommunicatus peccat ministrando: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Peccat si seipsum ingerat: C. quia favor ille concessus est fidelibus, non ministris excommunicatis. Si requisitus administrer: N. nam eo ipso quo fidelibus permittitur, ut absque scrupulo cum illis communicent, indirectè permittitur excommunicatis, ut requisiti sine scrupulo administrent: & certè si tunc peccarent ministrando, peccarem & ego eorum ministerium sine causa aut necessitate requirendo; quandoquidem censetur eorum peccato cooperari.

Dices 2. Cum Wiggers & Boudart, conclusionem esse veram de Parocho excommunicato, non de alio, qui non tenetur ex justitia ministrare.

Resp. Ubi leges & jura non distinguunt, nec nos debere distinguere; jam autem Bulla Concilii Constantiensis, seu Extravagans Martini V. *ad evitanda scandala*, non distinguit inter Parochum, & non Parochum, sed generaliter concedit cuilibet fidei facultatem communicandi cum quolibet excommunicato tolerato, etiam in sacris.

Dices 3. Jura prohibent Sacramenta petere à publicis Concubinariis, imò & eorum Sacrificio adesse: ergo Conclusio non est universaliter vera.

Resp. Juribus illis derogasse Concilium præfatum, post quod non sunt magis vitandi illi, quàm alii: quamvis tamen non putem esse ab illis, sine necessitate, Sacramentum petendum, non quia sunt vitandi; sed quia non possunt *prudenter existimare* esse reconciliatos, aut reconciliandos; quod tamen requisivi in Conclusione.

DISPUTATIO VI.

De primario effectu Sacramentorum.

DUplex est præsertim aliquorum Sacramentorum effectus, nempè gratia, & character. Dico *aliquorum*; quia etsi omnia conferant gratiam ritè dispositis, non omnia tamen imprimunt characterem, sed tantùm Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ ideò sunt initerabilia.

QUÆSTIO I.

Quam gratiam conferant Sacramenta novæ legis?

DUplicem Tom. 4. distinxi gratiam, actualem unam, habitualem alteram. Actualis est auxilium quoddam transiens, consistens in pia voluntatis motione, aut sancta intellectus cogitatione, ad bonum impellente, aut à malo retrahente. Habitualis est qualitas quædam supernaturalis permanenter inhærens animæ, ipsam constituens formaliter justam, Deo gratam, amicam, filiam, hæredem Regni cœlestis.

Porrò variè erraverunt Hæretici circa Sacramentorum efficaciam: *Manichæi*, teste Aug. lib. de Hæresibus, Hæresi 46. negabant Baptismum, & à fortiori alia Sacramenta justificare. *Pauliciani* volebant Baptismum prodesse corpori, non animæ, ut refert Euthymius lib 2. Panopliæ cap. 21. *Armeni*, ut narrat Guido Carmelita lib. de Hæresib. cap. 16. sustinebant per Sacramenta deleri quidem peccata, non tamen conferri gratiam. *Messaliani*, juxta Damascenum lib. de 100. Hæresibus circa finem, vim justificandi tribuebant precibus, non Sacramentis. *Anabaptistæ & Sacramentarii*, nullam Sacramentis respectu gratiæ tribuebant efficaciam. *Lutherus* autem & *Calvinus* vix sibi constant, cùm aliquando videantur nobis contradicere, aliquando assentiri; tamen in fundo rei nobis adversantur; cùm nos requiramus Fidem tanquam dispositionem ad Sacramentum, quod immediatè & proximè confert gratiam. Illi è contra requirant Sacramentum tanquam medium ad excitandam Fidem, quæ justificat.

CONCLUSIO UNICA.

SAcramenta novæ legis verè & propriè conferunt gratiam sanctificantem. Est de Fide in Concilio Trid. Sess. 7. Can. 6. & Florentino in Decreto Eugenii, his verbis: *Hæc verò*, supple Sacramenta, *continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.*

Prob. 1. Ex Script. ad Tit. 3. vers. 5. de Baptismo: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et Act. 2. vers. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.*

Nec dicas requiri Baptismum, ut excitetur Fides justificativa; quia jam crediderant illi, quibus dicit Petrus, *Baptizetur* &c. quandoquidem jam compuncti ex Petri Sermone dixissent: *Quid faciemus viri fratres?* Jam etiam crediderat Paulus, cui dicit Ananias Act. 21. *Baptizare & ablue peccata tua.* Replicam priorem alia infirmiori conatur sustinere Calvinus lib. 4. Instit. c. 15. §. 18. nempè fieri ablutionem in signum acceptæ justificationis, sed

Contra est, quòd Scriptura non dicat *in signum remissionis peccatorum*, sed in remissionem, seu ut remittantur.

De *Confirmatione* legimus Act. 8. vers. 17. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; ubi non fidei, quæ præcesserat, sed manuum impositioni tribuitur collatio gratiæ.

De *Eucharistia* dicitur Joan. 6. vers. 54. *Nisi manducaveritis & non habebitis vitam in vobis*: ergo si manducaveritis, habebitis vitam, seu gratiam.

De *Pœnitentia* Joan. 20. vers. 23. habetur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Si autem Sacramentum solùm esset signum, & non causa remissionis, seu gratiæ, non remitterent peccata Ministri.

De *Ordine* scribit Apostolus 2. Tim. 1. vers. 6. *Ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Ubi iterum impositioni manuum, non fidei, tribuitur gratia.

De *Extrema-unctione* legitur Jacobi 5. vers. 15. *Oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei*, & non tantùm significabuntur remissa aut remittenda.

De *Matrimonio* colligimus ex Ephesiorum 5. vers. 32. ubi dicitur *Sacramentum hoc magnum est*, per quod insinuatur eandem esse illius, ac cæterorum Sacramentorum efficaciam.

Prob. 2. Ex SS. Patribus Cyrillo Hierosol. in Cathecheseon

Præfat.

Præfat. *Magnum est sanè propositum hoc Baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio &c.* Chrysostomo in fine Homil. 39. in Gen. *Id quod illic operatur circumcisio in depositione carnis, id agit hic Baptismus in depositionem peccatorum.* Gregorio Nicæn. lib. de Baptismo: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.* Gregorio Magno lib. 9. Epist. 39. ultra med. *Qui ergo dicit peccata in Baptismate funditus non dimitti, dicat in Mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Augustino Tract. 8. in Joan. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor ablaat.* Hieronymo Dialog. adversus Luciferianos: *Prius ipsa aqua lavatur ex spiritu, ut alios lavare spiritualiter possit.*

Prob. 3. Quia si Sacramenta tantùm excitent fidem justificativam, ut volunt Hæretici, sequitur 1. Sacramentum aliquando conferre gratiam adstantibus, & non ipsi suscipienti, cùm verbum concionale possit in illis, non in hoc fidem excitare. 2. Quòd collatum in lingua latina ignaro hujus linguæ, nullius sit efficaciæ, cùm non possit in illo fidem excitare. Idem est, propter eandem rationem, si conferatur infantibus. 3. Baptismum Calvini fuisse nullum, cùm fuerit baptizatus eo tempore, quo non poterat in eo excitari fides. 4. Quòd omnes Catholici ad Calvinismum aut Lutheranismum declinantes, sint, ob dictam rationem, rebaptizandi, & ecce tamen ne unum quidem rebaptizant. 5. Baptismum non esse necessarium necessitate medii ad salutem; cùm possit per Catechismum, prædicationem, lectionem &c. excitari fides justificativa. 6. Baptismum Joannis fuisse tantæ virtutis ac Baptismum Christi, cùm potuerit aliqualiter fidem excitare, cui tamen contradicit ipsemet Joannes Matth 3. dicens se baptizare in aqua, & Christum baptizaturum in Spiritu Sancto. 7. Baptizatos à Joanne non fuisse baptizandos Baptismo Christi; & tamen contrarium præcipit Paulus Act. 19.

Obj. 1. Varia Scripturæ loca, quibus tribuitur fidei nostræ Justificatio: ergo

Resp. Dist. Ant. Tribuitur Fidei tanquam causæ: N. tanquam dispositioni: C. Hæc vide fusè Tom 4. in Tract. de Justificatione. Præterea ex eo quòd tribuatur Fidei, non sequitur non esse etiam tribuendam Sacramentis, aliàs simili argumento probarem contra Hæreticos Fidem non justificare; cùm Scriptura tribuat justificationem nostram Sacramentis, ut dictum est in prima probatione.

Obj. 2. Solus Deus potest remittere peccata, ut patet ex Job. 14. & Luc. 5. unde Hieronymus in cap. 4. Isaiæ: *Homo præbet aquam, Deus autem Spiritum S.* ergo

Resp. Dist. Ant. Solus Deus ut causa principalis: C. ut causa instrumentalis: N.

Inst. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; sed potest Deus sine instrumentis, sed Sacramentis, gratiam conferre: ergo

Resp. Inde sequi etiam superfluam esse Fidem, cùm possit Deus sine illa justificare; imò sine illa justificet infantes, & perpetuò amentes mediante Baptismo: unde sicut Christus lutum adhibuit ad illuminationem cœci nati, licèt potuerit sine illo cœcum illuminare; ita & Deus voluit justificare per Sacramenta, licèt potuerit sine illis, idque propter rationes sibi notas. Ubi justificatio (Deo sic ordinante) tribuitur Fidei tanquam dispositioni proximæ, Sacramentis ut instrumentis, Christo velut causæ meritoriæ, & Deo tanquam causæ principali.

Obj. 3. 1. Pet 3. vers. 21. legitur: *Vos salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio:* ergo justificat Baptismus, non ratione ablutionis, sed ratione conscientiæ bonæ, seu Fidei interioris.

Resp. Apostolum nihil aliud velle, quàm quòd Baptismus justificet, non quatenus abluit carnem exterius à sordibus, sed quatenus abluit animam interius à peccatis, faciens ut non amplius de illis remordeat conscientia.

Obj. 4. Illud Rom. 3. vers. 30. *Unus est Deus qui justificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem:* ergo etiam ratione Fidei reddit Baptismum justificativum.

Resp. Dist. Conseq. Ratione Fidei tanquam dispositionis necessariæ in adultis, ne impediatur effectus Sacramenti: C. Ratione Fidei tanquam causæ efficientis gratiam, aut dantis efficaciam Sacramento: N. Plura circa hoc infra, ubi quæremus, an Sacramenta causent gratiam ex opere operato.

QUÆSTIO II.

Quænam Sacramenta causent gratiam primam, quænam secundam?

ADverte 1. Gratiam Sanctificantem antea definitam, esse duplicem, primam nempè, & secundam. Prima est, quæ non præsupponit aliam præexistentem in eodem subjecto. Secunda, quæ aliam præsupponit, ipsamque auget. Hinc gratia prima & secunda, sunt gradus ejusdem gratiæ, suntque ejusdem rationis, ita ut prima, quantùm est de se, possit esse secunda, & secunda, prima.

Adverte 2. Sacramenta alia esse *Mortuorum*, quæ ordinariè præsupponunt mortem spiritualem, seu peccatum in subjecto, cui tribuuntur, ut Baptismus & Pœnitentia: Alia *Vivorum*, quæ ordinariè præsupponunt subjectum suum vivificatum à peccato per gratiam.

CONCLUSIO I.

SAcramenta Mortuorum per se, seu ex primaria sua institutione conferunt gratiam primam, per accidens quandoque secundam. Est communis contra Nominales & eorum Principem Ochamum, volentes omnia Sacramenta conferre gratiam secundam, seu augmentum gratiæ adultis, eo quòd Baptismus & Pœnitentiæ prærequirant (ut ajunt) in illis contritionem justificativam.

Prob. 1. Pars Conclusionis; quia Sacramenta mortuorum dicuntur *mortuorum*, eo quòd ordinata sint ad spiritualiter mortuos spiritualiter vivificandos: sed si non conferrent ex primaria sua institutione gratiam primam, non ordinarentur ad vivificandum mortuos, sed ad nutriendum, aut corroborandum viventes in vita spirituali: ergo. Deinde si semper præsupponere deberent gratiam per contritionem acquisitam, non esset facilior in lege Euangelica justificatio per Sacramenta, quàm sine illis: quod est contra communem sensum. Accedit quòd sit institutus primariò Baptismus, ut generetur homo spiritualiter; & Pœnitentia, ut spiritualiter resurgat: sed antea vivens nec generari, nec resurgere potest: ergo

Prob. 2. pars; Quia Sacramenta instituta sunt, ut conferant gratiam ritè dispositis: sed prima gratia, ubi ante susceptionem Baptismi aut Pœnitentiæ reperitur, non reddit subjectum indispositum ad receptionem gratiæ, sed magis dispositum: ergo ubi primam inveniunt, conferunt secundam. Primariò quidem & directè voluit Christus, ut Sacramenta mortuorum conferrent gratiam primam; quia tamen noluit, ut fraudarentur suo effectu, quando ministrarentur melius dispositis, indirectè voluit ut, dum gratiam reperirent, ipsam augerent. Unde Scotus dist. 2. q. 6. n. 2. *Quantumcumque perfecto de lege communi accedenti ad Baptismum, augetur gratia.*

CONCLUSIO II.

LIcèt Sacramenta vivorum ordinariè & ex primaria institutione, conferant gratiam secundam, ut conveniunt omnes; cùm dicantur *vivorum*, eo quòd dentur spiritualiter viventibus per gratiam; possunt tamen quandoque & per accidens conferre primam, ut dum quis bona Fide credens se contritum, cùm sit tantùm attritus, recipit Confirmationem, v. g. Hæc est satis communis, cui suffragari videtur Scotus 4. dist 4. q. 6. & d. 9. q. unic. in fine num. 3. imò illam expressimè docet D. Thomas q. 72. art. 7. ad 2. ubi sic habet: *Si etiam non perfectè contritus accedat, dummodò non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis) *consequitur remissionem peccatorum.* Idem docet de Eucharistia quæst. 79. art. 3. De Extrema-unctione 4. dist. 23. q. 1. art. 1.

Prob. 1. Conclusio: Sacramenta, juxta Trident. conferunt gratiam non ponentibus obicem: sed dum attritus accedit ad confirmationem v. g. credens se bona Fide contritum, aut nullius mortalis reum; aut Eucharistiam putans se absolutum, cùm Sacerdos ex malitia non absolverit, non videtur ponere obicem: ergo tunc gratiam recipit; non secundam, cùm attritio non conferat gratiam: ergo primam.

Prob. 2. Non est majoris efficaciæ conferre gratiam primam, quàm secundam; cùm gradus gratiæ sit ejusdem omninò rationis, & primus quantùm est de se, possit esse secundus, & secundus primus: ergo Sacramenta, quæ possunt conferre secundam, possunt & primam, ubi nulla præexistit sine malitia recipientis.

Prob. 3.

Prob. 3. Possunt Sacramenta mortuorum causare quandoque gratiam secundam, ut diximus; quidni & Sacramenta vivorum quandoque primam, cum prima non sit difficilior causatu, aut excellentior secunda? Non potest quidem homo mereri de condigno gratiam primam, licet possit secundam; sed hoc non oritur ex eo quòd unum sit difficilius altero, sed ex eo, quòd principium meriti condigni, quæ est gratia prima, non cadat sub tali merito.

Prob. 4. Quia satis verisimile est Christum; qui Sacramenta pro hominibus instituit, solùm requisisse pro Sacramentis vivorum recipiendis statum gratiæ prudenter ab homine existimatum; cùm hoc videatur divinæ bonitati, & humanæ conditioni satis conforme: ergo verisimile est, ubi homo prudenter existimat se esse in statu gratiæ, Sacramenta illa effectum suum producere, adeoque gratiam primam, ubi non existit alia.

Obji. 1. Florentinum in Decr. Eugen. sic loquitur de Eucharistiæ effectu: *Omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad spiritualem hoc Sacramentum operatur*, sed per cibum & potum non confertur quandoque vita prima: ergo.

Resp. Neg. Conseq. Quia ex eo quòd Eucharistia habeat omnem effectum, quem habet cibus materialis, malè infertur non habere alium.

Obji. 2. Nec Patres, nec Concilia, nec Traditio vim illam tribuunt Sacramentis vivorum: ergo nec est à nobis tribuenda.

Resp. Dist. Conseq. Non est à nobis tribuenda tanquam de fide? C. conjecturaliter. N. ad hoc enim sufficit, quòd nec Ecclesia, nec Patres, nec Traditio contradicant, licèt circa hoc nihil tradiderint: quod præcipuè verum est, ubi graves Theologi, imò Scholæ Principes id asserunt; idque ex Sacramentorum institutione, natura, & fine videtur colligi.

Obi. 3. Instituta sunt Sacramenta vivorum, ut nutriant & corroborent in gratia? sed non possunt nutrire & corroborare mortuos: ergo.

Resp. Dist. Ma. Instituta sunt primariò, ut &c. C. instituta sunt sic, ut nunquam possint spiritualiter mortuos vivificare: N. Dici enim potest ad hoc fuisse secundariò instituta, in quantùm voluit Christus, ut operarentur suum effectum, id est, gratiam, ubi nullum reperirent obicem, ut dictum est ante.

Obj. 4. Non requisivit Christus ad Sacramentorum receptionem dispositiones tantùm putativas, sed veras & reales: ergo licèt credat quis se esse dispositum, si non sit, non operabitur Sacramentum; cùm existimatio non faciat de indisposito dispositum, de attrito contritum.

Resp. Dist. Ant. Non requisivit dispositiones tantùm putativas ad tollendam indignitatem positivam: C. ad tollendam indignitatem tantùm negativam, seu ut quis prudenter credat & credatur accedere sine obice: N. undè talis non accedit quidem dignus positivè, cùm sit in statu peccati, accedit tamen dignus negativè, id est, sine indignitate, vel obice cognito. Vide dicta prob. 4.

Obji. 5. Non sufficit attritio existimata, ut operetur Baptismus: ergo nec sufficit contritio existimata, ut operetur Eucharistia v. g.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd defectus attritionis sit obex in homine peccatore ad justificationem, cùm vera pœnitentia fuerit omni tempore necessaria ad impetrandam peccatorum veniam, ut declarat Trid. Sess. 14. c. 4. Defectus autem status gratiæ in attrito invincibiliter credente se contritum, aut justificatum, non sit obex effectui Sacramenti vivorum, ut probatum est superiùs.

Obj. 6. Non potest effectus alicui causæ proprius produci ab alia causa: sed remissio peccati mortalis est effectus proprius Sacramenti mortuorum: ergo.

Resp. Dist. Ma. Non potest effectus alicui causæ omnimodè proprius, produci ab alia causa: C. tantùm proprius ex quodam supposito: N. remissio autem peccati mortalis tantùm est effectus proprius Sacramento mortuorum, ex supposito quòd Sacramentum vivorum reperiat in subjecto gratiam primam; cùm enim non reperit, ipsam producit, adeoque & peccatum mortale cum gratia incompatibile remittit; modo recipiens sit dispositus ut ante.

Obji. 7. Obex ad effectum Sacramenti vivorum est peccatum mortale: sed non tollitur per attritionem etiam existimatam contritionem: ergo.

Resp. Dist. Ma. Obex ad effectum &c. est peccatum mortale, spectata primaria & directa institutione: C. spectata secundaria, & indirecta; in quantum nempè noluit Christus, Sacramenta fraudari suo effectu in casu Conclusionis: Subdistinguo, est peccatum mortale non retractatum: C. retractatum modo præfato: N.

Obji. 8. Sacramenta vivorum non significant gratiam primam, ergo illam non causant.

Resp. Dist. Ant. Non significant primariò. C. secundariò & per accidens: N. Significant enim gratiam, quæ quia per accidens non reperit aliam dicitur prima; sicut cœna, licèt ordinariè sit refectio secunda, dicitur tamen prima in eo, qui nullam antea sumpsit. Ex dictis

Resol. 1. Tantùm attritum de peccato mortali posse salvari, si credens se contritum, recipiat aliquod Sacramentum vivorum ab eo, qui non potest absolutionem impendere; & ideo.

Resol. 2. Teneri Diaconum ministrare Eucharistiam moribundo, si desit Sacerdos, qui ipsum conantem de peccato conteri, absolvat; quia fieri potest, quòd sit solùm attritus, sicque gratiam primam recipiat per Eucharistiam,

Resol. 3. Sententiam nostram non adversari Scoto dist. 9. n. 2. dicenti posse Eucharistiæ sumptionem esse neutram, id est, nec peccaminosam, nec justificativam; quia talis esset, si quis falsò putans, sed bona fide se non esse reum gravis peccati, communicaret sine attritione,

QUÆSTIO III.

An Sacramenta, præter gratiam justificantem conferant gratias peculiares, & in quo consistat gratia Sacramentalis?

CONCLUSIO I.

QUodlibet Sacramentum præter gratiam habitualem, causat etiam actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti suo tempore adultis conferentur ad obtinendum finem proprium cujusque Sacramenti, nisi se illis indignos reddant. Est Scoti 4. dist. 2. q. 1. n. 3. ubi ait: *Congruum fuit septem adjutoria*, proportionatè ad septem Sacramenta, *conferri observatoribus legis Evangelicæ*. Estque communis inter Theologos, cui etiam favet D. Thomas variis locis.

Prob. 1. Conclusio; quia si Sacramenta tantùm conferrent gratiam justificantem, tantùm differrent materialiter, seu ratione cæremoniarum, non autem formaliter & ratione Sacramenti; quandoquidem eumdem omninò effectum significarent & causarent.

Prob. 2. Efficaciùs: Sacramenta habent diversos fines: *Baptismus* enim ordinatur ad vitam catholicè peragendam: *Confirmatio* ad constantem fidei professionem; *Eucharistia* ad fovendam & augendam charitatem, ad victoriam tentationum, ad præservationem culparum tùm venialium, tùm mortalium; *Pœnitentia* ad majorem peccatorum præcautionem, detestationem, & satisfactionem; *Extrema-Unctio* ad faciliùs resistendum Dæmoni tunc maximè insidianti, leviusque tolerandas morbi molestias; *Ordo* ad sanctè & religiosè obeunda munia, ad quæ quis per Ordinem destinatur; *Matrimonium* denique ad debitam prolis procreationem, & educationem, ad fovendum mutuum amorem, fidemque servandam, & ad onera conjugii constantiùs perferenda: sed non possunt ad illos fines tam diversos conducere, nisi habeant diversos effectus: ergo ultra gratiam sanctificantem, quæ eadem est in omnibus, requiruntur alia auxilia suo tempore conferenda.

Dixi 1. In Conclusione; *Suo tempore conferentur*; quia etsi jus ad istas gratias statim conferatur, non conferuntur tamen ipsæ gratiæ, nisi quando illarum opus fuerit ad fines Sacramenti consequendos.

Dixi 2. *Adultis*; quia parvulis, utpotè gratiarum actualium incapacibus, non conferuntur; & ideo morientes ante usum rationis, non recipiunt fructum adæquatum Baptismi.

Dixi 3. *Nisi se illis indignos reddant*; quia probabilius est, ubi gratiam justificantem peccando amittunt, etiam jus ad gratias actuales perdere; cùm justum sit, effectu primario ob culpam suam privatos, etiam secundario privari, licèt verisimiliter sit, redeunte per pœnitentiam gratia habituali, etiam jus ad gratias actuales redire.

Obj. 1. Gratiæ actuales dantur peccatoribus, ut nos convincit experientia propria: ergo malè asseritur jus ad illas, gratiam habitualem præsupponere.

Resp. Dist. Ant. Gratiæ actuales merè gratuitæ dantur peccatoribus, nempe ut convertantur: C. Gratiæ actuales quasi debitæ ob jus ad illas priùs acquisitum; N. Dico *quasi debitæ*; quia sicut jus illud gratis conceditur, etiam absolutè loquendo gratis conferuntur gratiæ illæ, licèt ex suppositione Deo libera debeant conferri.

Inst. 1. Non est major connexio inter gratiam habitualem, & spem aut fidem, quàm inter eamdem & jus præfatum:

S sed

sed fides & spes possunt esse sine gratia habituali, ergo : & illud jus.

Resp. Neg. Ma. Quia fides & spes non radicantur in gratia habituali, sicut jus illud.

Obji. 2. Gratiæ illæ actuales dantur independenter à Sacramentis : ergo &c. Prob. Ant. ex illis, qui sine Confirmatione fidem formaliter professi sunt.

Resp. Dist. Ant. Dantur æquè uberes & copiosæ, saltem ordinariè : N. minùs C. Dixi *saltem ordinariè*, quia non dubitamus Deum, qui gratiarum suarum Dominus est, posse etiam non confirmatos (idem est de aliis) gratiis uberioribus prævenire.

Obji. 3. Si darentur istæ gratiæ, essent efficaces: sed non dari gratias efficaces ad omnes actus, ad quos Sacramenta ordinantur, convincimur propria experientia: ergo. Prob. Ma. Quia ubi urget aliquod præceptum implendum, semper dantur gratiæ sufficientes independenter à Sacramentis: ergo si gratiæ dentur propter Sacramenta, debent esse efficaces.

Resp. Neg. Ma. Ad probationem, dissimulato Ant. Neg. Conseq. quia dari possunt gratiæ uberiores ordinariis, licèt non semper sint efficaces. Disparitas ergo inter gratiam actualem Sacramentalem & extra Sacramentalem in hoc consistit, quod illa sit copiosior & infallibilior : *copiosior* quidem, in quantum Deus cumulatiùs agit cum illis, quos suis refecit Sacramentis *Infallibilior* autem ; quia, ut dixi, non est merè gratuita sicut extra-Sacramentalis ; sed quasi debita.

Obji. 4. Si susceptio Eucharistiæ v. g daret jus ad gratias aliquas actuales, ubi pluries susciperetur, daretur jus ad gratias plures, aut uberiores: sed contrarium apparet in quibusdam Sacerdotibus, qui, quo pluries celebrant, eò fiunt pigriores: ergo.

Resp Quod sicut suscipiens potest ponere obicem ad gratiam habitualem, ita & ad gratias actuales: quod præsumendum est de illo, qui pluries Sacramentum suscipit, & tamen nihil proficit : vel certè dicendum est gratiis illis non cooperari.

CONCLUSIO II.

Gratia sacramentalis, est ipsa gratia habitualis prout connotat divinam acceptationem dantem jus ad gratias illas actuales suo tempore conferendas. Est contra varios, quorum aliqui volunt esse modum, alii habitum à gratia habituali distinctum, alii gratiam ipsam habitualem cum mero respectu ad Sacramentum ut causam alii aliter loquuntur.

Prob. autem Conclusio ex Trident. Sess. 14. in Procemio de Extrema unctione, ubi sic legitur; *Quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus christiani conservare se integros ... possent, ita &c.* sed non præparavit talia auxilia, nisi quia susceptionem Sacramentorum ad illa acceptavit: ergo videtur gratia Sacramentalis, ultra gratiam habitualem, in illa acceptatione consistere, seu, quod idem est, in gratia habituali acceptationem illam connotante.

Confirm. Gratia Sacramentalis est illa, quæ confertur in susceptione Sacramenti: sed tunc non confertur alia quàm habitualis, & cum ea jus ad auxilia præparata, seu tempore conferenda; quandoquidem auxilia non dentur, nisi occurrat aliquid faciendum, vel omittendum, ad finem Sacramenti conducens; ergo.

Dices 1. cum Sacramenta valdè diversos habeant fines, etiam diversos debent habere effectus: sed unus & idem habitus gratiæ sanctificantis non potest ad tot effectus diversos sufficere : ergo.

Resp. Dist. Min. Unus & idem habitus solitariè sumptus non potest sufficere : C. junctus cum jure ad diversas gratias actuales suo tempore conferendas : N.

Dices 2. Indè sequi gratiam unius Sacramenti, non differre ab altera, cùm sit eadem gratia habitualis, & idem jus ad gratias actuales.

Resp. Neg. Sequel. Quia cum gratiæ illæ actuales sint diversæ pro diversitate actuum exercendorum, etiam dici debet jus illud in quolibet Sacramento esse diversum, & sic quòd gratia Sacramentalis hujus Sacramenti adæquatè sumpta, specie differat à gratia Sacramentali alterius Sacramenti.

QUÆSTIO IV.

An Sacramenta nostra æqualem conferant gratiam?

Hæc quæstio duplicem continet : 1. an quodlibet Sacramentum, quantùm est de se, æqualem conferat gratiam? 2. An æqualem conferat attenta recipientis dispositione majori vel minori?

CONCLUSIO I.

De lege ordinaria, Sacramenta solo numero distincta, ut duo Baptismata, æqualem ex se conferunt gratiam ; specie autem distincta, saltem aliqua conferunt inæqualem.

Prob. 1. Pars, tum ex Trid. sess. 7. can. 6. definiente Sacramenta, secluso obice, conferre gratiam quam significant : atqui duo Baptismata v.g. eamdem omninò gratiam significant : ergo eandem seu æqualem conferunt. Tum ex Scoto 4. dist. 4. q. 7. n. 3. ubi ait: *Aliquam gratiam disposuit Deus regulariter dare cum isto signo*, id est, Sacramento, ... *& sicut determinatio illa universalis, quantùm ad istum gradum, est uniformis, ita effectus æqualis.* Tum etiam ratione; quia Sacramenta operantur ut causæ naturales; sicut autem duo ignes solo numero distincti æqualem producunt calorem, ita duo Baptismata æqualem gratiam.

Dixi : de lege ordinaria; *quia posset Deus, ... conferre majorem illi: quem prædestinavit ad majorem gloriam*, inquit Scotus, sup. *Sed*, ut ait ibid. *Ille uberior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia divina:* & ideo mirum est ab aliquibus ut nobis adversarium citari.

Prob. 2. Pars, Quia ex hac Tridentini definitione Sess. 7. can. 3. *Si quis dixerit hæc Septem Sacramenta inter se ita esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius : Anathema sit*, formari potest hoc argumentum : Causa nobilior nobiliorem producit effectum: sed dantur Sacramenta aliis nobiliora, seu digniora: ergo.

Dixi: *Saltem aliqua*, v. g. Eucharistia, & probabiliter Baptismus; de aliis autem, quia nihil revelatum est, nihil determinamus: possent enim specie differre, & tamen æqualem omnino gratiam habitualem causare ; cùm hoc dependeat à mera Dei voluntate.

Dices 1. Contra 1. partem: Tridentinum Sess. 6. c. 7. docet justitiam singulis concedi prout vult Spiritus S. ergo supponit gratiam Baptismalem, de qua ibi loquitur, aliquando esse inæqualem ex parte Sacramenti.

Resp. Ly *prout vult*, non significare diversam esse gratiam in sacramentis solo numero distinctis, quarum est nempe ex parte sacramentorum, sed denotare Dei libertatem, qui ita dare statuit, ut aliter dare potuerit : & sic verum est, cum dat gratiam æqualem, dare prout vult.

Dices 2. Aliquando Sacramenta conferuntur à Sanctioribus Ministris : ergo tunc saltem conferunt gratiam majorem: unde D Thomas q. 64 art 1 ad 2. *Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per devotionem Ministri.* Et Scotus sup. n. 5. *propter quorum*, id est, parentum aut Ministrorum, *merita Deus uni parvulo potest conferre majorem gratiam quàm alteri.*

Resp. Dist. Conseq. Conferunt gratiam majorem ex opere operato, seu ratione sui : N. ex opere operantis : Subdist. Majorem gratiam habitualem: N. quia non potest homo purus mereri alteri gratiam illam sive de condigno, sive de congruo, ut suo loco diximus. Majorem gratiam actualem, seu uberiorem: C. & de illa intelligendi sunt Doctores Angelicus & Subtilis.

Dices 3. Data est major gratia Angelis in natura perfectioribus: ergo & major datur hominibus, ubi major est naturalis eorum perfectio. Hanc opinionem imponit Scoto Regius; sed credibile est illum non legisse Scotum, nisi oculis Soti, qui id affinxit Doctori Subtili 4. Dist. 6. art. 6.

Resp. Quidquid sit de Angelis, quod probabilius falsum est, ut suo loco dicitur, hoc non posse affirmari de hominibus ; cùm nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres, nec Traditio ullibi asserat dari gratiam proportionatè ad naturam, sed benè juxta Dei voluntatem, Sacramentorum efficaciam, & recipientis dispositionem.

CONCLUSIO II.

Sacramenta solo numero distincta æqualem conferunt gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis, Inæqualem, ubi inæqualis. Est communis.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 6. cap. 7. ubi postquam dixit baptizatis conferri gratiam juxta mensuram, quam partitur Spiritus S. additur : *Et secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ q. 69. artic. 8. ubi loquens de Baptismo, ait : *Quidam cum majori ; quidam cum minori devotione accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt.* Cui conformis est Scotus q. 7. num. 5.

Quod

Quod autem hic dicitur de Baptismo, dicitur & de quolibet Sacramento.

Prob. 3. Ratione. Sacramenta operantur instar agentium naturalium: sed agentia naturalia operantur proportionatè ad dispositionem subjecti; sic ignis producit calorem majorem in ligno sicco, minorem in humido, æqualem in duobus æqualiter siccis: ergo.

Obji. 1. Sacramenta non conferunt plus gratiæ habitualis propter meliorem Ministrorum dispositionem, ergo nec propter meliorem recipientium, cùm magis dependeant à conferente, quàm à recipiente.

Resp. Neg. Conseq. Et dico plus quidem dependere à conferente ut existant, non tamen ut magis vel minus operentur; cùm hoc dependeat à dispositionibus subjecti. Sic ignis A, dependet ab igne B, ut sit, ut tamen magis vel minus calefaciat, dependet à subjecto magis vel minus approximato, & disposito.

Obj. 2. Sacramenta utpote agentia naturalia, operantur quantùm possunt: ergo semper producunt gratiam æqualem.

Resp. Dist. Ant. Operantur quantùm possunt, nulla habita ratione dispositionis subjecti: N. Habita: C. sic ignis producens in ligno humido tres gradus caloris, agit quantùm potest, quia in subjecto taliter disposito non potest plures producere, licèt in ligno sicco produceret sex aut plures. Idem dic in nostro casu.

Obji. 3. Si plus gratiæ recipiat magis dispositus, illud plus provenit ex ipsius dispositione. ergo non ex virtute Sacramenti.

Resp. Dist. Ant. Provenit ex ipsius dispositione tantùm: N. ex ipsius dispositione & Sacramento: C. quando igitur majoritas dispositionis est de se sufficiens ad merendum gratiam, aut gratiæ augmentum, tunc magis dispositus duplicem obtinet excessum gratiæ, unum ex opere operantis, ad quem concurrit majoritas dispositionis tanquam meritum, alium ex opere operato, ad quem concurrit Sacramentum ut causa, & major dispositio tanquam conditio sine qua non haberetur ille excessus. Quando autem major dispositio non sufficit de se ad gratiam, aut illius augmentum promerendum, tantùm confertur major gratia ex virtute Sacramenti, ad quam habet sa tantùm ut conditio, & major dispositio. Ex dictis

Resol. 1. Ordinariè loquendo peccatorem recipientem Sacramentum mortuorum, non recipere tantam gratiam, quantam justus recipiendo Sacramentum vivorum, quia raro tantam habet dispositionem inimicus quantam amicus.

Resol. 2. Gratiam æqualem de lege ordinaria conferri parvulis in Baptismo; eo quod omnium sit æqualis, vel potius nulla saltem personalis dispositio.

Resol. 3. Quod etsi adultus accederet ad Baptismum cum affectu ad peccatum veniale, adhuc majorem gratiam reciperet, quàm parvulus. Ratio est; quia cùm supponatur habere actum fidei, & dolorem formalem de peccato mortali; habet dispositionem, quam non habet parvulus: habet quidem peccatum veniale, quo caret ille, sed cùm peccatum veniale non impediat gratiæ infusionem, non impedit ejus intensionem.

Resol. 4. Posse fieri ut Sacramentum nobilius minorem producat effectum, quàm aliud minus nobile, si nempe recipiatur hoc cum longe majori dispositione, quàm illud. Verum quidem est causam imperfectiorem nunquam attingere effectum causæ perfectioris specie diversæ, quando ordinantur ad effectus specie diversos, potest tamen illum attingere, imò & superare, quando ordinantur ad eumdem effectum; hocque patet in sole, qui licèt perfectior, tamen minorem calorem producit in mea manu, quam ignis vicinus, eo quod major sit hujus, quàm illius approximatio.

Resol. 5. Cum fructus Sacramentorum augeatur proportionatè ad dispositionem recipientium, cuique adlaborandum esse, ut meliori, qua potuerit, dispositione se præparet, & ubi adhuc se tepidum & frigidum viderit post tot Sacramentorum susceptiones, suis indispositionibus hoc attribuat.

QUÆSTIO V.

An Sacramenta in voto, conferant gratiam Sacramentalem?

SAcramentum in voto (quod est desiderium Sacramenti realiter suscipiendi) est duplex, Explicitum unum & formale, Implicitum aliud & virtuale: primum est quo quis expresse & formaliter intendit sacramentum, sivè interim alias dispositiones habeat, sive non; & ideo compatibile est cum peccato mortali. Secundùm verò, quo peccator antequam sacramentum realiter suscipiat, id intendit & efficit per quod censetur velle sacramentum realiter suscipere, licèt de illo hic & nunc non cogitet, ut si perfectè conteratur, aut Deum super omnia diligat: cùm enim actus contritionis, aut amoris Dei super omnia ultimò disponant ad justificationem, virtualiter censetur illum eliciens, ea omnia velle adeoque & sacramenta, quæ saluti obtinendæ sunt necessaria. De hoc voto loquitur Trident. sess. 14. cap. 4. his verbis: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

CONCLUSIO UNICA.

QUamquam votum sacramenti cum actu perfectæ contritionis aut Charitatis, in quo includitur sit justificativum ex opere operantis; non confert tamen gratiam sacramentalem, seu non confert gratiam actualem ex opere operato, quasi de facto susceptum esset sacramentum. Est contra Baldium.

Prob. 1. Quia scriptura non attribuit gratiam sacramentalem voto Sacramenti, sed reali sacramentorum susceptioni, ut patet Jo. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et Marci 16. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit salvus erit.* Ubi non dicitur, *qui voluerit manducare, qui voluerit baptizari*, sed *qui manducaverit, qui baptizatus fuerit*. Et certè idipsum sonat *opus operatum*, sacramentum autem in voto, non est opus operatum, sed ad summum *opus operandum*: Dico *ad summum*, quia multi desiderarunt suscipere, qui nunquam susceperunt.

Prob. 2. Unum & idem numero sacramentum non confert bis suum effectum: sed si sacramentum in voto conferret gratiam sacramentalem, posset bis effectum suum conferre. 1. Quando esset illius desideriũ. 2. Quando esset realis ipsius susceptio, cùm propter desiderium præcedens nihil perdat de sua virtute & efficacia: ergo.

Prob. 3. Non est ratio cur Sacramenta in voto potius conferant gratiam Sacramentalem, quàm imprimant characterem: sed certum est hunc imprimere: ergo nec illam conferre.

Obji. 1. Trid. sup. docet reconciliationem non esse adscribendam contritioni sine Sacramenti voto: ergo Sacramento attribuit justificationem.

R. Dist. Ant. Sine Sacramenti voto, quia desiderium Sacramenti eodem modo justificat ac Sacramentum realiter susceptum: N. quia contritio non justificat sine proposito adimplendi præcepta, & consequenter suscipiendi Sacramenta, ubi urgebit obligatio: C.

Obji. 2. Idem Conc. Sess. 13. c. 8. asserit comedentem Eucharistiam fide viva, quæ per dilectionem operatur, recipere fructum Eucharistiæ: ergo.

R. Dist. Ant. Recipere fructum Eucharistiæ, id est, gratiam Sanctificantem, ex opere operato: N. ex opere operantis, seu ratione dilectionis: C.

Obj. 3. D. Thomas docet variis locis per Sacramenti votum suscipi rem & effectum Sacramenti.

R. Dist. Ant. Docet suscipi effectum Sacramenti, quoad modum susceptionis: N. quoad æquivalentiam: C. quia gratia habitualis extra Sacramentum, & in Sacramento, eadem est specie, licèt Sacramentum realiter susceptum habeat se ad gratiam ut causa instrumentalis, Sacramentum verò desideratum, solùm ut dispositio.

Obji. 4. Illud Augustini in c. 6. Joan. *Quid paras dentes & ventrem? Crede & manducasti.*

R. Quod per fidem vivam, quæ per dilectionem operatur manducaveris æquivalenter quoad effectum principaliorem, non tamen Sacramentaliter.

Quærunt hic aliqui quandonam Sacramenta causent suum effectum, an in ultimo sui esse? an in primo sui non esse; Sed hac quæstione merè philosophica ad Philosophos remissa, dico breviter Sacramenta transeuntia tunc causare quando sunt completa tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, sivè interim forma priùs desierit, sive applicatio materiæ? Sacramentum verò permanens, nempe Eucharistia, ubi completa est manducatio, sed de hoc fusius suo loco.

QUÆSTIO IV.

De reviviscentia Sacramentorum fictè susceptorum.

CUm duplex sit effectus Sacramentorum, saltem aliquorum, nempe gratia & character, de duplici effectu quæri posset an reviviscat; seu quoniam character non sequitur dispositionem recipientis, sed valorem Sacramenti, ita ut ibi sit character, ubi stat verum Sacramentum characteris impressivum, de illo non quærimus, sed de gratia: Sensus autem quæstionis est, an quando quis accedit fictè ad Sacramentum, id est, cum obice, seu impedimento, non ad valorem ipsius Sacramenti, cùm certum sit non posse reviviscere, quod nunquam vixit, sed ad ejus effectum seu gratiam, valido interim stante Sacramento, recipiat postea effectum illum, ubi ponit dispositionem, quæ anteà defuerat.

Potest autem esse duplex fictio, seu obex, ad effectum Sacramenti, positiva una, ut dum quis accedit cum conscientia

peccati gravis non retractati: negativa altera, dum putat qois bona fide se esse dispositum, & revera non est.

ARTICULUS I.

Quænam Sacramenta fictè suscepta per se reviviscant?

QUot capita, tot sententiæ: Alii volunt nullum reviviscere, ut Noster Alensis; alii volunt omnia excepta Eucharistia, ut Cajetanus cum pluribus; alii sola imprimentia characterem, nempe Baptismum, Confirmationem, Ordinem, cui sententiæ favere videntur DD. Seraphicus & Angelicus, cum multis sequacibus: alii tantùm Baptismum & Pœnitentiam, ut Durandus & cæteri: alii denique solum Baptismum, ut dicemus posteà.

CONCLUSIO I.

SUblata fictione seu indignitate, reviviscit Baptismus. Est D. Thomæ q. 69. art. 10. ubi ait: *Oportet quod remota ea per pœnitentiam*, nempe fictione *Baptismus statim consequatur suum effectum*. Cui contrarium facit Scotum Gonet Disp. 4. de Baptis. art. 2. sed quam falsò & injustè declarabunt ejus verba sequentia dist. 4. q. 5. num. 4. *Potest dici quod illa fictio dimittitur, nisi per veram pœnitentiam: sed ea dimissa habet Baptismus effectum suum*. Et num 8. loquens de eo qui accedit cum fictione: *Recepit ergo effectum Baptismi quando pœnitet*. Quid clarius?

Prob. 1. Conclusio ex August. lib. 1. de Bapt. cap. 12. ubi asserit quod *incipiat tunc valere ad salutem*, Baptismus, *cum illa fictio veraci confessione recesserit*. Et lib 3. c. 3. *Tunc incipit valere Baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerit*, nempè Hæreticus, aut Schismaticus, retractata Hæresi aut Schismate.

Dices: ex illis Augustini passibus nihil posse pro sententia nostra inferri, cùm nulla esset inter illum & Donatistas disceptatio, an Baptismus reviviseeret quoad gratiam, se an valeret in hæresi aut Schismate susceptus: unde passus allegari non insinuant Baptismum valere ad salutem redeuntibus ad Ecclesiam; quia tunc baptismus fictè susceptus incipit justificare, sed quia dat jus conversis, ut recipiant alia Sacramenta, per quæ justificentur.

Resp. Licet præcipua ejus controversa fuerit de Baptismi valore; etiam tamen quæstionem nostram agitarunt per transennam Donatistæ, ut patet ex lib. 1. cap. 11. ubi dicebant: Si Baptismus noster remittit peccata, datur apud nos Spiritus S. seu gratia, & consequenter sumus in vera Ecclesia; si non remittit; ergo apud vos, nempe Catholicos, redeuntes, sumus rebaptizandi. Quibus respondet Augustinus, fictè suscipienti in vera Ecclesia (quem comparat suscipienti in hæresi) valere baptismum ad salutem, adeoque ad peccatorum remissionem, non quando confertur, sed quando fictus convertitur. Loquitur autem S. Doctor de remissione peccatorum, de qua interrogabant Donatistæ, adeoque de formali & immediata, non autem de radicali & mediata, in quantùm poterant, conversi ratione Baptismi, alia Sacramenta suscipere, & per ea justificari, cum de illa nullatenus loquerentur Donatistæ.

Prob. 2. Ex Trid. sess. 6. c. 4. ubi docet primam justificationem non posse fieri *sine lavacro regenerationis aut ejus voto*: sed perfectè contritus post Baptismum fictè susceptum justificaretur, non quidem per novum Baptismum, cùm sit interabilis, nec per Baptismi votum, cùm nullus possit desiderare receptionem illius quod jam receptum est, nec potest sæpius recipi: ergo per reviviscentiam Baptismi fictè recepti.

Dices Concilium tantùm velle neminem posse justificari nisi vel anteà baptizatus fuerit, vel tunc intendat baptizari, non autem quod in ipsa justificatione necessariò debeat intervenire aut Baptismus realis, aut Baptismus reviviscens, aut Baptismi votum.

Sed huic opponitur Scriptura Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* ubi ad justificationem requiritur regeneratio non tantum ex aqua, sed etiam ex Spiritu S. sed si tunc Baptismus fictè susceptus non reviviseeret, justificaretur quis renatus tantum ex aqua: ergo.

Replicabis tunc infondi Spiritum S. seu gratiam ratione contritionis, aut Sacramenti pœnitentiæ. Sed

Contra est quod gratia per contritionem aut Sacramentum pœnitentiæ collata, dicatur quidem justificativa, si sit primo justificatio, & resuscitativa, si sit secunda; nunquam tamen regenerativa.

Prob. 3. Quia hæc sententia videtur conformior infinitæ Dei bonitati, qui Sacramenta instituit ut succurreret humanæ miseriæ & necessitati: etsi autem remitti possit indirectè peccatum originale per pœnitentiam subsequentem, in quantum non potest in eodem subjecto cum gratia subsistere, non tamen per eam condonantur omnes pœnæ peccatis ante Baptismum commissis debitæ, qui est unus è præcipuis Baptismi effectibus.

Obj. 1. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum est authoritas Augustini: sed hic nec Traditionem, nec Concilia, nec rationem sibi suffragari ostendit: ergo.

R. (dissimulata Ma. cujus contrarium satis apertè declarat 2. probatio in Trid. & Scriptura fundata) S. Doctorem nihil pro se allegare, saltem explicitè, quia res ita ipsi videbatur clara & evidens, attenta Dei Redemptoris misericordia, Sacramentorum fine, hominum miseria & necessitate, ut superfluam probationem crederet, præsertim cùm Donatistæ, contra quos agebat, de hoc non dubitarent.

Obj. 2. Opus mortuum non potest reviviscere, juxta hunc versum: *Vivere non poterunt, quæ nunquam viva fuerunt*: sed Baptismus susceptus à peccatore peccatum non retractante, fuit opus mortuum: ergo.

Resp. Dist. Min. Fuit mortuum ex parte suscipientis: C. ex parte Dei efficaciam ipsi tribuentis ex meritis Christi: N.

Obj. 3. Ubi tollitur fictio, non existit amplius Baptismus: ergo non potest effectum suum causare.

Resp. Dist. Ant. Non amplius existit in mente hominum: C. in mente Dei: Subdist. secundùm entitatem; Transeat. Secundum motionem: N. cùm enim Sacramenta producant suum effectum moraliter, seu Deum movendo ad productionem illius, ut dicemus, Deus, qui ratione fictionis non fuit motus ut gratiam conferret dum Baptismus conferebatur, ab eo movetur, sublata fictione, ut eam conferat. Ut autem moveatur quis ab aliquo opere ad retributionem, sufficit quod opus existat vel in se, vel in memoria retribuentis, ut nos convincit experientia, & ipsa Christi passio quæ etiam nunc Deum movet ut nobis gratiam suam conferat.

Obj. 4. Pœnitentia subsequens perfectè reconciliat peccatorem; ergo nihil operatur Baptismus fictè susceptus.

Resp. Dist. Ant. Perfectè reconciliat, id est, nullum peccatum relinquit irremissum. C. id est, omnia remittit: Subdist. indirectè, in quantum confert gratiam, quæ incompatibilis est cum quolibet peccato, etiam Originali: C. directè: N. quia objectum Sacramenti Pœnitentiæ sunt peccata post Baptismum commissa, non ante. Unde eodem instanti temporis & naturæ, quo Pœnitentia directè remittit peccatum fictionis, & alia post Baptismum commissa, Baptismus reviviscens directè tollit peccata ante realem ejus susceptionem patrata, ita ut nullus alio prius operetur effectum sibi proprium: & ideo quando dicimus Baptismum reviviscere, *sublata fictione*, non est sensus quod prius tollatur fictio, & deinde operetur Baptismus, sed quod simul & fictio tollatur, & Baptismus operetur. Ex dictis

Resol. 1. Per Baptismum reviviscentem conferri omnem effectum, qui confertur per realem Baptismi susceptionem, adeoque ultra gratiam sanctificantem, & remissionem peccati originalis, omniumque actualium Baptismo priorum, tollit omnem pœnam dictis peccatis debitam, confertque jus ad gratias actuales suo tempore conferendas; cùm nulla sit ratio cur dicatur potius ad unum effectum reviviscere, quam ad alium.

Dixi: *dictis peccatis debitam*, quia cum non remittat directè peccatum fictionis, & alia inter Baptismi susceptionem, & reviviscentiam commissa, non aufert etiam pœnam temporalem ipsis debitam.

Resol 2. Cum ex dictis gratia Sacramentalis conferatur proportionate ad dispositionem recipientis Baptismum reviviscentem majorem vel minorem conferre gratiam, prout major vel minor fuerit dispositio tollentis obicem.

CONCLUSIO II.

VErisimile est etiam reviviscere alia Sacramenta imprimentia characterem, id est, Confirmationem & Ordinem. Ita expresse D. Angelicus 4. dist. 4. q. 3. art. 2. D. Seraphicus dist. 1. p. 1. art. 13. quibus adstipulatur D. Subtilis 4. dist. 1. q. 5. n. 7. his verbis: *In quibuscumque Sacramentis imprimitur dispositio ad effectum principalem, si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis, cessante obice, sufficit dispositio ad illum effectum principalem; apparet in Sacramentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia*.

Ratio est: quia cùm Sacramenta illa non possint iterari, fictè confirmatus aut ordinatus non tantùm privaretur gratia sanctificante illis Sacramentis correspondente, ubi etiam de fictione pœniteret, sed etiam jure ad gratias actuales, ratione horum Sacramentorum suo tempore conferendas, quæ tamen utrique sunt maximè necessariæ: *Confirmato* quidem ut fidem, etiam cum periculo vitæ, conservet & profiteatur: *Ordinato* autem, ut dignè

ut dignè & sanctè muniis Ecclesiasticis persungatur. De his quidem Sacramentis nihil determinavit Augustinus, non quia contrarium credidit, sed quia non fuit ipsi occasio de illis agendi, sicut de Baptismo.

CONCLUSIO III.

Satis est probabile idem asseri posse de Extrema Unctione, & Matrimonio, quamvis res non appareat ità certa. Est tamen D. Thomæ loc. cit. & colligitur ex Scoto supra, ubi tantùm excipit Sacramentum Pœnitentiæ, saltem expressè: quod addo propter Eucharistiam, de qua postea.

Ratio Conclusionis est; quia etsi Sacramenta illa sint iterabilia, rarò tamen admodum iterantur; & ideo ne infirmus succumbat in lucta tam periculosa, in qua agitur de æternitate supplicii, aut præmii, nevè conjux fragilis violet vinculum, aut debitum conjugale, credibile est, ubi de fictione pœnituerit recipere jus ad gratias oneribus illis sustinendis necessarias.

CONCLUSIO IV.

Longè probabilius est Pœnitentiam & Eucharistiam non reviviscere. Est communis quoad utramque partem.

Prob. 1. pars: tum ex Scoto sup. ubi ait: *In fictè pœnitente, cessante fictione, nihil est quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ, alioquin non oporteret talem fictè confessum, de eisdem peccatis aliàs confiteri*. Scoto contrarius est D. Thomas 4. dist. 17. q. 3. art. 4. dicens; *Confessio potest esse in eo qui non est contritus & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri*. Fatendum tamen praxim Confessariorum universalem favere D. Subtili, non Angelico: cùm velint omnes confessionum fictè factarum repetitionem; tum etiam quia non datur Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, seu carens effectu, ut suo loco dicemus.

Prob. 2. pars; (quam expressè docet D. Thomas 4. d. 3. q. 3. art. 2. ad 3.) quia aliàs toto tempore vitæ sacrilegus ob innumeras communiones indignas, fieret in fine vitæ maximus Sanctus, si verè & sufficienter pœniterer quod nemo dixerit.

Confirm. Utraque pars: quia duo illa Sacramenta non tantùm sunt iterabilia, sed etiam facilè, imò toties quoties voluerit suscipiens ritè dispositus: quod non potest dici de aliis Sacramentis. Quantùm ad reviviscentiam Eucharistiæ, nihil in Scoto legimus: mentem nihilominus satis aperit, ubi id denegat Pœnitentiæ, cùm sit eadem, imò fortior ratio id denegandi Eucharistiæ.

ARTICULUS II.

Quænam requiratur dispositio ut Sacramenta reviviscant?

CONCLUSIO I.

Ut reviviscat Baptismus, obice tantùm negativo susceptus requiritur & sufficit attritio supernaturalis; ut autem reviviscat susceptus cum obice positivo, requiritur vel contritio imperfecta cum Sacramento, vel contritio perfecta sine illo.

Prob. 1. pars, quia juxta Scotum sup. n. 4. & 7. eadem requiritur & sufficit dispositio ut Baptismus reviviscat, ac ut 1. vivat; sed ut primò vivat requiritur & sufficit attritio supernaturalis, ut ex D. Thoma & Scoto evidenter ostendimus agentes de dispositione requisita in suscipiente Sacramentum: ergo. Deinde si requireretur contritio perfecta, ille qui non peccasset post Baptismum cum fictione negativa susceptum, esset deterioris conditionis in ordine ad pœnitendum, quàm ille, qui peccasset; cùm hic posset justificari cum contritione imperfecta accedente Sacramento, ille autem necessariò deberet conteri perfectè, eò quòd defectu materiæ non posset recipere Sacramentum Pœnitentiæ.

Sic tamen intelligenda est nostra resolutio, ut fictus negativè non peccaverit mortaliter post susceptionem Baptismi, aliàs eadem requiritur in ipso dispositio ad reviviscentiam, quàm in ficto positivè.

Dices contra resolutionem: Dispositio subsequens non est dispositio ad Sacramentum, utpote præteritum: ergo attritio non sufficit ad reviviscentiam Baptismi.

Ref. Neg conseq. Quia etsi non sit dispositio ad Baptismum eò quòd dispositio debeat esse prior forma ad quam disponit, est tamen dispositio ad illius effectum, quem suspenderat obex præteritus: unde sicut attritio præcedens Baptismum, non est dispositio ad valorem Baptismi, sed ad illius effectum, ità & attritio subsequens.

Prob. 2. pars; quia peccatum fictionis positivè est peccatum actuale posterius natura susceptione Baptismi, ut dicemus Art. seq. sed tale peccatum non remittit sola contritio imperfecta, ut cum Tridentino docent omnes Theologi: nec etiam Baptismus, cùm ejus objectum sit peccatum ipso prius: ergo vel contritio perfecta, vel imperfecta cum Sacramento pœnitentiæ; cùm non detur aliud medium.

Dices 1. Baptismus reviviscit sublato obice: sed obex tantùm fuit defectu attritionis; ergo ubi habetur attritio, habetur & Baptismi effectus.

Ref. Dist. Min. Tantùm fuit defectus &c. involuntarius, N. voluntarius, C. & ideo cum defectus ille habeat annexam culpam mortalem non remittendam per Baptismum, debet accedere vel Sacramentum Pœnitentiæ, vel contritio perfecta cum illius voto. Unde quòd non sufficiat hic attritio non oritur ex obice præcisè sumpto, ut satis patet ex Resolutione præcedenti, sed ex obice peccaminoso.

Instabis; Baptismus tunc remittendo originale, remittet indirectè peccatum actuale fictionis, cùm unum peccatum non possit remitti sine alio.

Resp. Quia unum mortale non potest remitti sine alio tunc nec originale, nec actuale fore remittendum: remittitur quidem indirectè peccatum oblitum in Confessione; sed quia tunc Sacramentum Pœnitentiæ habet suum effectum seu gratiam incompatibilem cum quolibet peccato: non haberet autem Baptismus, eò quòd hic & nunc occurrat peccatum, ad quod non se extendit, sicut se extendit Pœnitentia ad peccatum oblitum: cùm sit instituta ad delendum omne peccatum Baptismo posterius.

Malè tamen inferres peccatum oblitum, ubi postea memoriæ, occurrerit, non esse confitendum: quia etsi deletus sit culpæ reatus, non tamen Confessionis obligatio, eò quod adsit præceptum speciale confitendi semel omnia peccata, sive antea fuerint remissa, sive non.

Dices 2. Eucharistia indirectè remittit peccatum originale Attrito, qui bona fide credit se Baptizatum: ergo & Baptismus reviviscens similiter remittit attrito peccatum fictionis, saltem si non occurrat ipsius memoriæ.

Ref. Neg. conseq. Disparitas est quòd Eucharistia & alia vivorum Sacramenta fuerint secundariò instituta ut conferant gratiam primam, adeoque ut remittant peccata omnia præcedentia, cùm nullum subsistere possit cum gratia in eodem subjecto: Baptismus autem licèt sit institutus secundariò ut conferat gratiam secundam, ut diximus, non tamen ut remittat peccata ipsum subsequentia, aliàs hoc daret ansam suscipiendi Baptismum cum obice, ut peccata omnia deinceps patranda delerentur quoad culpam & pœnam, (ut fit in Baptismo) dum tolleretur obex.

Dices 3. Baptismus est ejusdem efficaciæ posito obice positivo, ac posito obice negativo: ergo si sufficiat attritio ad tollendum obicem negativum, etiam sufficit ad tollendum obicem positivum.

Ref. Concesso Ant. Neg. conseq. Quia obex positivus non negativus, importat peccatum, ad quod non se extendit efficacia Baptismi, ut dictum est.

CONCLUSIO II.

Ut reviviscant alia Sacramenta de quibus supra, requiritur status gratiæ.

Ratio est; quia non minorem requirunt dispositionem ut reviviscant, quàm ut statim effectum suum conferant, non conferunt autem illum ex primaria sua institutione nisi habentibus gratiam primam, cùm eorum effectus sit gratia secunda, & ideo dicuntur Sacramenta vivorum.

ARTICULUS III.

Quomodo se habeant Baptismus reviviscens, & Pœnitentia in justificatione illius, qui fictè Baptismum recepit?

CONCLUSIO UNICA.

Baptismus reviviscens concurrit simul natura cum Pœnitentia ad unam & eamdem gratiam quæ quatenus Baptismalis est, dicitur *regenerativa*, quatenus Pœnitentialis, *Justificativa*: unde Scotus 4. dist. 4. q. 5. n. 7. *Illam includit in se perfectionem gratiæ pœnitentialis & Baptismalis, quia gratia æquivalens gratiæ Baptismali datur Pœnitenti de fictione, simul cum illa, quam meretur de Pœnitendo*. Et ideo gratia illa major est quàm quæ conferretur à Baptismo, aut Pœnitentia seorsim.

Prob. 1. Concl. quia, juxta Augustinum supra, tunc incipit valere Baptismus ubi fictio veraci Confessione recedit: ergo ubi operatur vera Confessio operatur & Baptismus, adeoque simul.

Prob. 2. Quia Baptismus eodem instanti producit gratiam Baptismalem, quo Pœnitentia tollit peccatum fictionis, sed eodem instanti, quo Pœnitentia tollit peccatum fictionis pro-

ducit gratiam Pœnitentialem: ergo simul & semel operantur gratiam sibi proportionatam. Min. certa est, cùm ipsa gratia Pęnitentialis expellat peccatum. Prob. Ma. Quia eodem instanti quo tollitur fictio, adest dispositio ad effectum: ergo nihil obest, quominus tunc operetur baptismus.

Prob. 3. Non prius operatur baptismus, nisi tollatur obex seu fictio: sed fictio debet tolli per Pęnitentiam, cùm, utpote non ante baptismum commissa, non sit materia baptismi, sed Pęnitentiæ: ergo.

Dices: voluntas suscipiendi indignè baptismum, est prior Sacramento: ergo est materia baptismi, & non Pęnitentiæ.

Resp. Dist. Ant. Voluntas ante completam susceptionem retractata: C. & ideo fatemur hanc esse materiam baptismi. Voluntas opere completa: Subdist. Est prior inchoativè: Transeat; consummativè: N. quia ut sic est natura posterior baptismo, cùm non possit intelligi sacrilega tractatio baptismi, nisi præintelligatur baptismus: unde censetur peccatum post baptismum, adeoque juxta Trid. sess. 14. c. 1. materia Pęnitentiæ.

Quòd autem gratia tunc collata sit major, collata à solo baptismo, aut à sola pęnitentia inde patet, quod unum non impediat causalitatem alterius, & aliunde gratia baptismalis non opponatur gratiæ pęnitentiali, vel è contra cùm sint ejusdem rationis: & ideo ubi simul operantur, necesse est, ut producant perfectiorem effectum: unde Scotus suprà: Quando verè aliquem pęniter de fictione illa, gratia sibi infunditur perfectior illa, quæ præcisè virtute pœnitentię infunderetur.

Obj. 1. Prius est aliquem resuscitari, quàm operari: ergo prius est baptismum reviviscere, quàm producere effectum, & consequenter cùm reviviscat per Pęnitentiam, non operatur simul cum illa, sed posterius.

Resp. Dist. Ant. Prius est resuscitari quoad existentiam, quàm operari: C quia prior est existentia, quàm operatio Prius est resuscitari quoad operationem, quàm operari: N. Jam autem baptismus: non reviviscit quoad existentiam, sed tantùm quoad productionem sui effectus, quem propter obicem, impediebatur causare.

Obj. 2. Pęnitentia directè aut indirectè remittit omnia peccata mortalia baptismum subsequentia, & præcedentia, cùm producat gratiam, quæ nullum compatitur mortale: ergo nihil operatur baptismus. Idem Ant. formari potest de baptismo respectu Pęnitentiæ.

R. Dist. Ant. Remittit omnia peccata, quando sola operatur: C. quando baptismus simul coagit: N. tunc enim illa remittit peccata baptismum subsequentia, Hic præcedentia.

Inst. Non datur causa formalis sine omni effectu suo formali: sed effectus formalis gratiæ, quam causa aut Pęnitentia, aut baptismus, est remittere omnia omnino peccata: ergo vel baptismus non operatur, vel non operatur Pęnitentia.

R. Dist. Ma. Non datur causa formalis sine omni effectu suo formali, quem habet ex natura sua: C. quem habet dependenter ab alterius voluntate: N. Gratia autem non habet ex fois intrinsecis remittere peccata, cùm possit de potentia Dei absoluta esse in eodem homine cum peccato, ut suo diximus, sed ex Dei ordinatione, qui tunc volens utramque causam simul agere, utriusque effectum attemperat.

Inferes: Ergo dimidiatur peccatorum venia.

Resp. Dist. Illatum: Dimidiatur peccatorum venia, id est, non remittuntur omnia: N. id est, media pars attribuitur uni, & media pars alteri: Transeat. Dico *Transeat* quia una & eadem gratia ab utroque collata, omnia remittit, præcedentia Baptismum, ut Baptismalis est, subsequentia, ut est pœnitentialis.

Obji. 3. Prior est gratia, quàm resuscitatio: ergo prior est gratia spiritualiter generativa, seu Baptismalis, quàm suscitativa, seu pœnitentialis.

Resp. Dist. Conseq. Prior est gratia spiritualiter generativa ordinariè loquendo: C. quando ponitur obex tollendus per Pœnitentiam: N. tunc enim sunt simul, cùm sit una & eadem.

DISPUTATIO VII.

De certis modis, quibus gratiam causant Sacramenta novæ legis.

Dico *Sacramenta novæ legis*: de Sacramentis enim veteris legis, Circumcisione scilicet, & Remedio legis naturæ sufficienter diximus Disput. 2. illuc recurre.

QUÆSTIO I.

An Sacramenta causent gratiam ex opere operato?

SAcramenta causare gratiam, diximus Quæst. 1. Disput. 6. sed an eam causent ex opere operato, an verò ex opere operantis? hic quærimus. Porro censentur causare *ex opere operantis*, dum gratiam conferunt ob solam suscipientis dispositionem, intellige, supernaturalem: *ex opere operato*, dum eam conferunt per virtutem sibi à Christo communicatam, independenter à Ministrantis aut recipientis dispositione, *Tanquam causa efficiente*, quod addo, propter hujus temporis Sectarios, qui nobis malignè affingunt, nullam nos requirere in peccatore justificando fidem, & dolorem de peccatis, cùm ne unus Catholicus id somniaverit, imò contrarium in terminis declaret Trid. agendo de justificatione: unde volumus quidem fidem & dolorem non concurrere ad gratiam Sacramentalem, tanquam causas efficientes, attamen illas requirimus tanquam dispositiones necessarias ex parte subjecti, ut sacramenta effectum suum operentur.

CONCLUSIO UNICA.

SAcramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato. Est de fide in Conc. Trid. Sess. 7. Can 8 ubi legitur: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam.... Anathema sit.*

Prob. 1. Ex omnibus illis scripturæ passibus, quibus ostendimus disp. 6. q. 1. singula Sacramenta gratiam causare; cùm scripturæ ibi allegatæ evidenter ostendant sacramentorum efficaciam, non à suscipientium meritis, sed à propria eorum virtute sibi à Christo communicata dimanare.

Prob. 2. ex Augustino lib. 4. contra Crescon. c. 16. ubi docet *Non eorum meritis, à quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate atque veritate, propter eum, à quo institutus est*. Item lib. 13. contra Faustum docet Sacramenta Evangelica, *esse virtute majora*, quàm antiqua: sed antiqua ad minimum conferebant gratiam ex opere operantis; imò Circumcisio & Remedium legis naturæ ex opere operato: ergo &c.

Prob. 3. Vel potuit Deus communicare Sacramentis virtutem causativam gratiæ, vel non: si non: cur hactenus nullam nobis adhuc implicantiam opposuerunt Hæretici? Si potuit, cur negatur fecisse, cùm scriptura ad litteram intelligenda, ubi nulla indè sequitur contradictio, aut implicantia, idipsum insinuet: & certè, ut alia omittam, nunquid Joan. 3. tribuitur aquæ baptismali Cœli ingressus, adeoque justificatio? Vult quidem Calvinus vocem *aquæ* ibi sumi metaphoricè pro Spiritu S. sicut sumitur vox *ignis*. Matth. 3. *Ipse vos Baptizabit in Spiritu Sancto & igni*. Sed contradictio est, quòd ignis baptizet, non aqua, & ideo admittenda est in primo metaphora, non in secundo. Præterea si metaphoricè sumitur vox *aqua*, Joan. 3. Dicam ego eodem modo sumi alibi, & consequenter non posse probari ex scriptura necessitatem Baptismi: quod negant ipsimet Hæretici: unde Hunnius Lutheranus lib de bapt. c. 10. vocat hanc Calvini interpretationem *profligatam temeritatem, & Diaboli glossam contortam*.

Prob. 4. Aliquando sacramentum operatur gratiam in subjecto, vel nullatenùs disposito, ut baptismus in parvulis, vel insufficienter ad gratiam disposito, ut Pœnitentia in adulto imperfectè contrito: ergo cùm non conferatur gratia eo opere operantis, debet conferri ex opere operato, seu vi Sacramenti: & ideo docet Aug. lib. 1. de peccat. meritis & remiss. infantes esse fideles, & Pęnitentes, & *totum hoc fieri vi Sacramenti & divinæ gratiæ*.

Obj. 1. Varias Augustini authoritates insinuantes fidem aut orationem, & non Sacramenta justificare, ut fer. 3. de Verbis Domini: *Baptisma, quod semel adhibetur, per fidem mundat*. Item tract. 6 in Jo. *Vidit Simon Magus per impositionem manuum dari Spiritum S. non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est.* Similiter lib. Quæstionum veteris & novi Testam q. 59. *Nec cœleste donum poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem mundari credit.*

Resp. ad 1. Mundare per fidem tanquam præviam dispositionem, non tanquam causam efficientem. Et certè si Sacramenta, ut aiunt, sint sigilla justitiæ seu mundationis acceptæ, quomodo poterit fides Sacramentis posterior, utpote ab ipsis excitata, ut volunt, mundationem efficere? Unde aperta est in terminis contradictio.

Ad 2. Dico Apostolos non dedisse Spiritum S. seu gratiã, ut causas principales, sed ut causas ministeriales, mediantibus

bus Sacramentis, tanquam instrumentis moralibus.

Ref. Ad 3. Librum illum non esse Augustini sed cujusdam Hæretlci referentis inter alios errores, Melchisedech non fuisse hominem, sed Spiritum S. & ideo nec Index Possidii, nec Libri Retractationum illius mentionem faciunt. Præterea esto liber ille foret Augustini, dici potest, quòd non debeat quis credere, se mundari per aquam nudam, sed per aquam junctam cum fide Trinitatis, cujus fit invocatio vel per aquam cum fide, qua credit esse elevatam ad esse Sacramenti.

Obj. 2. Cum Melancthon, art. 13. Apolog. dicente: *Neque ulla littera ex veteribus Scriptoribus proferri potest quæ patrocinetur in hac re Scholasticis.*

Ref. Dist. Ant. Quæ patrocinetur per hæc præcisè verba *ex opere operato*: Transeat. Dico *Transeat*; quia jam à 400. circiter annis, illis verbis usus est Scotus 4. dist. 1. q. 6. n. 11. ubi ait: *Sacramentum confert gratiam ex virtute operis operati.* Imo plusquam à quingentis annis illa usurpavit Innocentius III. l. de Mysteriis Missæ. Quæ patrocinetur verbis æquivalentibus: N. certè nunquid patrocinantur omnes Patres q. 1. Dis. 6. allegati? Nunquid patrocinantur innumera ferè Concilia docentia, Baptismum dari etiam parvulis omnis fidei, & dispositionis incapacibus, in remissionem peccatorum? Numquid patrocinatur & ipsamet Scriptura ut diximus supra? De modo loquendi contra Grammaticam nos reprehendis, eò quòd verbum *Operatum*, quod est deponens, sumatur passivè; sed *melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi*, inquit Augustinus in Psal. 133. Hujus rei exemplum dedit nobis Apostolus Hebr. 3. dicens; *Talibus hostiis promeretur Deus*, ubi etiam verbum deponens *Promeretur*, sumit passivè. Interroga Apostolum, cur id fecerit? Nos interim tibi dicemus præfatis verbis usos esse Scholasticos tum ut ostenderent gratiam in Sacramento non est solius operantis seu suscipientis sed ipsius operis per se seu per suam virtutem tum etiam ut pateret gratiam ut sacramentalem non conferri à Sacramentis solum desideratis, sed realiter operatis seu positis.

Obj. 3. Dare virtutem illam Sacramentis, est exponere periculo idololatrandi collocando spem in rebus materialibus.

Ref. Sed nunquid etiam exposuit Christus adstantes illi periculo, dum cœcum sanavit luto & aquis Siloe, Mulierem tactu fimbriæ, Puellam moribundam manus apprehensione? Nunquid idem fecit Deus sanando Israelitas per aspectum Serpentis ænei? Si affirmas, Deum ipsum reprehendes. Si negas eo quòd non in aquis, fimbria, æneo Serpente &c. spem collocarent, sed in Deo prodigiorum illorum Authore, idem dic de fidelibus respectu Sacramentorum, cùm non alligetur Deus sacramentis, sed Sacramenta Deo. Præterea statuendo justificationem in sola fide nunquid exponis etiam fideles idololatriæ, cùm Fides sit res creata? Negas sane: nega & in nostro casu ob rationis paritatem.

QUÆSTIO II.

An Sacramenta causent gratiam physice, an moraliter?

SOlum Deum esse causam principalem gratiæ Sacramentalis, Christum vero causam meritoriam, & Sacramenta causas instrumentales aut quasi instrumentales, in confesso est apud omnes Catholicos, sed an Sacramenta sint instrumenta physica an moralia? Gravis est inter Theologos controversia, Scoto cum suis, & innumeris aliis, favente causalitati morali; Thomistis verò, causalitati physicæ. Sed an Divum Thomam sibi hac in re patronum habeant? videbimus infra.

Hic recolendum est duplicem esse causam, physicam unam moralem alteram; & utramque subdividi in principalem, & instrumentalem. Physica principalis est illa, quæ virtute propria dat esse rei per attingentiam physicam. Instrumentalis verò, quæ virtute sibi à causa principali communicata: Sic picturæ causa principalis est Pictor, instrumentalis penicillus. Causa moralis principalis est, quæ virtute propria movet & allicit causam efficientem physicam, ut det esse rei ita ut juxta hominum existimationem, ipsi attribuatur, quòd causa efficiens ponat effectum. Instrumentalis autem, quæ id præstat virtute sibi à causa principali participata.

Porro causa moralis principalis gratiæ Sacramentalis, est Christus, qui sua Passione obtinuit à Patre, ut quoties gratiam nobis conferret, conferret intuitu meritorum ipsius: Sacramenta autem dicuntur causæ instrumentales morales, quia Deus infallibiliter movetur ab ipsis ad gratiæ collationem, eò quòd moraliter contineant Christi merita. Non aliter tamen merita illa continent, nisi quia ponuntur vice, nomine, ac in persona illius, qui apud Deum meruit, ut quoties illa Passionis suæ signa debitè ministrarentur, & reciperentur, toties gratiam propter illa largiretur. Quoniam autem hæc quæstio multam materiam continet, in tres Articulos consultò secabitur.

ARTICULUS I.

Rejicitur causalitas Sacramentorum physica.

SAcramenta non sunt instrumenta gratiæ physica. Ita cum tota sua Schola D. Subtilis dist. 1. q. 5. n. 12. ubi ait: *Iste finis, nempe gratia, posset sufficienter haberi absque eo quod dicatur Sacramentum habere aliquam actionem propriè dictam.* Huic Sententiæ etiam patrocinantur D. Bonavent. Richardus, Alensis, Aureolus, Vasquez, cum plusquam sexcentis aliis. Sed quid de Doctore Angelico? *Influxus physici Sacramentorum assertio nequit S. Thomæ, nisi cum vitiis pluribus attribui*, inquit Bernal. disp. 10. de Sacramentis sect. 4. §. 2. sed quidquid sit, certum est nullibi asseverasse, Sacramenta esse causas gratiæ physicas.

Prob. 1. Concl. ex SS. PP. Cypriano serm. de Bapt. Christi: *Remissio pecatorum sivè per Baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.* Ambrosio lib. 1. de Sacram. c. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio: non sanat aqua nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit.* Augustino Ep. 25 ad Bonifac. *Aqua exibens forinsecus Sacramentum gratiæ Spiritus sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ.* Hieronymo in c. 4. Isa. *Homo tantum aquam tribuit, Deus autem Spiritum S.*

Dices: Si Patres per hoc aliquid probarent; etiam probarent nequidem causalitatem moralem Sacramentis competere. Sed

Contra est quod cùm sit de fide aliquam causalitatem habere non est verisimile, voluisse ipsis omnem denegare, sed tantum illam, quæ simpliciter dicitur talis, adeoque solum physicã.

Replicabis, Denegasse causalitatem physicam principalem, non instrumentalem. Sed

Contra est 1. quòd si SS. Patres tantùm voluissent denegare Sacramentis causalitatem principalem respectu gratię nunquam denegassent modo præfato, cùm per hoc dedissent occasionem populis, imò & Theologis credendi se denegare omnem physicam: & certè si omnem physicam voluissent denegare, quomodo fuissent aliter locuti? 2. Quia ubi non distinguunt SS. Patres, cùm id facilè potuerint, non est cur distinguant Theologi, præsertim cùm sacramentorum causalitas meliùs possit per moralem explicari ut patebit infra. 3. Cur nullus Discipulorum, juxta Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 26. dedit Spiritum S seu gratiam per manuum impositionem si conficiebant sacramentum, physicè causativum gratiæ? Cum causa causæ sit causa causati.

Prob. 2. Ratione: quia vel sacramenta efficerent immediatè gratiam in anima, vel mediatè, non primum; quia agerent in passum distans, cùm non sint intimè præsentia animæ ut patet de absolutione & aliis sacramentorum formis: Non secundum, quia illam deberent efficere in subjecto intermedio quod cùm sit materiale non potest qualitatem spiritualem recipere, secundùm Thomistas.

Prob. 3. Nulla causa producit physicè effectum, nisi physice existat, aliàs homo mortuus posset scribere, saltare &c. sed Sacramenta producunt gratiam, quando non existunt physicè: ergo Prob. vel enim (cùm sint entia successiva, si solam Eucharistiam exceperis) gratiam producunt secundùm partem sui initialem, vel secundùm mediam, vel secundùm terminativam: sed nec in principio, nec in medio nec in termino sive intrinseco sive extrinseco physicè existunt: ergo. Prob. hæc Min. quia non existit Sacramentum nisi tota forma existat, & ideo qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii*, relinquendo, *& Spiritus sancti*, non faceret Sacramentum; sed nunquam existit physicè tota forma, cùm enim proferuntur primæ, aut mediæ syllabæ, non existunt ultimæ, existunt mediæ aut primæ, utpote jam præteritæ: ergo.

Dices cum Sylvio extare priores syllabas cùm profertur ultima ob unionem continuitatis. Sed

Contra est, quòd etiam unionem illam habeant partes temporis, & tamen cùm existit pars præsens, non existit pars præterita.

Dices cum aliis gratiam produci à singulis formæ syllabis, dum proferuntur, & consequenter dum physice existunt. Sed

Contra est, quòd gratia, utpote indivisibilis, quia spiritualis non producatur per partes. Si autem dicatur per primam formæ syllabam produci totam gratiæ entitatem sequitur posse recipi gratiam Sacramentalem, ubi non recipitur Sacramentum, ut si post primam aut secundam syllabam desinat Minister quod nemo somniavit.

Dices cum Gonet producere gratiam, quando adhibita materia, desinit prolatio formæ extrinsecè, seu quando verum est dicere: jam non est forma, & immediatè ante erat, quia licet tunc non existat Sacramentum in se, existit tamen in sua virtute. Sed

Contra est: Vel virtus illa subjectatur in Sacramentu, vel extra: si extra: ergo non est virtus Sacramenti, sed illius, in quo subjectatur. Si in Sacramentu: ergo desinit, ubi desinit Sacramentum, cùm destructo subjecto, destruatur & accidens in eo contentum.

Replicat Gonet, virtutem illam subjectari non quidem in Sacramento, sed in illius complemento, seu in ultimo mutatu esse, quod intrinsecè complet Sacramentum, non per modum partis, sed per modum termini, sicut punctum complet lineam, & superficies corpus, & sic bene dicitur virtus Sacramenti. Sed

Mirum est tot verba & voces, tot futilia, imo tot inconceptibilia adhiberi ad explicandam causalitatem etiam inconceptibilem. Nihilominus aut virtus illa corporea est, aut spiritualis: si corporea, quomodo potest attingere spirituale, quale est gratia? Si spiritualis, non potest in ipsius & aliorum Thomistaru m Principiis subjectari in illo complemento, quod corporeum est & materiale, sicut ipsum Sacramentum, ut fatetur ipsemet.

Urget, volens virtutem illam esse quidem spiritualem, sed fluentem, incompletam & vialem, quam ideo sustinet posse subjectari in corporeo.

Contra est, quòd virtus illa ex eo quod sit fluens & incompleta, non desinat esse spiritualis, & ideo si virtus spiritualis completa & permanens non possit recipi in subjecto extenso, nec poterit incompleta & fluens.

Prob 4. Sacramenta reviviscentia non causant physicè gratiam: ergo nec alia, quandoquidem nec ex scriptura, nec ex Conciliis, nec ex Patribus, imo nec ex ratione colligatur ulla horum, & alia illorum causalitas, cùm equidem hæc, & illa causent, dum non existunt. Prob. Ant. quia fieri potest, quod Sacramenta reviviscant uno aut altero anno post eorum collationem, & consequenter eo tempore, quo jam pridem desierunt.

Prob. 5. Quia nulla est causa asserendi, quòd Sacramenta aliter causent gratiam habitualem, & aliter gratias actuales: sed has non causant physicè, ut concedunt omnes: ergo nec illam.

Prob. 6. Non est tribuenda nobilior causalitas Sacramentis, quàm Christi humanitati, ejusque Passioni, cùm sint illius instrumenta, totamque suam efficaciam hauriant ab illa: sed nec Christi passio; nec humanitas physicè efficiunt gratiam, sed solùm meritoriè, seu moraliter, ut docet Trid. sess. 6. cap. 5. ergo.

Obj. 1. scriptura docet nos renasci *ex aqua* Jo. 3. *Per lavacrum regenerationis*, ad Tit. 5. sed particulæ *Ex* & *Per* denotant causalitatem physicam: ergo.

R. Particulas illas esse indifferentes ad causalitatem physicam & moralem: nam Judex dicitur influere in mortem Rei *per sententiam*, dicimur justificari *ex meritis Christi*; quamvis & meritorum, & sententiæ influxus sit moralis: unde quòd causalitas sit physica aut moralis, non debet peti præcisè ex illis particulis, sed ex subjecta materia: unde quia Verbo Divino competit creatio, colligimus in hoc passu Jo. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, ly *per* importare causalitatem physicam; quia autam creaturæ non competit creare, nequidem instrumentaliter, ut probatur in Physica, colligimus particulas præfatas Sacramentis præfixas tantùm importare causalitatem moralem respectu gratiæ, quæ non producitur, sed creatur.

Obj. 2. Juxta Florentinum & Trid. Sacramenta continent gratiam: ergo cùm non contineant illam localiter *tanquam aqua in vase, vel medicina in pixide*, ut loquitur D. Bonav. 4. d. ar. 1. qu. 3. nec tanquam accidens in subjecto, cùm gratia sit spiritualis, & Sacramentum res corporea, dicuntur illam continere, in quantum possunt efficere.

R. Dist. cons. In quantùm possunt efficere physicè, N. nam efficientia illa, utpote creativa, ipsis repugnat. In quantùm possunt efficere moraliter, per hoc quòd possint ratione meritorum Christi, ipsis moraliter applicatorum, Deum movere ad illius creationem, C.

Obj. 3. SS. Patres mirantur Sacramentorum causalitatem: unde Aug. Tract. 80 in Joann. *Quæ ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Sed nulla esset causa admirationis, si eorum causalitas tantùm esset moralis; nemo enim miratur, quòd Chyrographum moveat debitorem ad solutionem: ergo &c.

R. E contra ridiculam fore Patrum admirationem, si mirarentur Sacramenta gratiam causare physicè: nam si id possent physicè: id etiam posset musca per potentiam, ut ajunt obedientialem: Quis autem miretur, quòd aliquid possint Sacramenta circa gratiam, quod potest musca: unde mirantur Patres, quòd Deus voluerit per Sacramenta, quæ sunt de se elemēta egena & infirma, tā infallibiliter, tam promptè, tam stabiliter quasi necessitari ad gratiæ productionem. Et certè si miremur ad vocem Josue stetisse solem, licèt vox tantùm moraliter ad id concurrerit, quidni miraremur ad vocem Sacerdotis consecrantis sisti præsentem in Altari Solem justitiæ, quamquam ejus verba tantùm ad id concurrant moraliter?

Obj. 4. S. Leo comparat Baptismum *utero Virginali*, Cyrillus Alex. *Aquæ ferventi*. Greg. Nicæn. *Semini*: Chrysost. *Matrici*: sed certum est uterum, semen, & matricem concurrere physicè ad productionem hominis, & aquam ferventem ad calefactionem subiecti: ergo.

Resp. Dist. Maj. Comparat &c. quoad effectum, Conc. quoad modum efficiendi, N. Unde volunt, quòd sicut semen, uterus &c generant hominem corporaliter, ita Sacramenta generent spiritualiter, abstrahendo, an id fiat moraliter aut physicè.

Objic. 5. Ecclesia definit in Tridentino Sacramenta causare gratiam *ex opere operato*; & alibi dicit Corpus Christi poni sub speciebus panis *vi verborum*: imò in Cœna Domini consecrando Oleum, petit ut ei admisceatur virtus Spiritus Sancti. Et Sabbatho sancto ut eadem virtus descendat in aquam baptismalem: sed hæc omnia ità denotant causalitatem physicam, ut eam verbis fortioribus non possit exprimere: ergo.

Resp. Neg. Min. Quia cùm Ecclesia in Tridentino noluerit quidquam circa opiniones inter Catholicos receptas decidere, sed falsa Hæreticorum dogmata anathematizare, per hæc verba: *ex opere operato*, *vi verborum*, noluit causalitatem Physicam Sacramentis adstruere, sed præcisè ostendere, quòd effectum suum haberent independenter à meritis conferentium; sive interim id haberent ex se moraliter, sive physicè. Ad preces autem præfatas, dico Ecclesiam non orare, ut Oleum, & aqua Baptismalis habeant virtutem causativam gratiæ, cùm illam habeant ex institutione divina, ubi subjecto debito debitè applicantur; sed verbis illis utitur majoris solemnitatis ergo, ut magnificet virtutem, quam ipsis Christus contulit, nihil determinando an sit physica vel moralis.

Objic. 6. Si Minister per Sacramenta non conferat physicè gratiam, mentitur dicendo: *Ego te absolvo*, *Ego te baptizo*; cùm non ipse, sed Deus, ipso loquente & agente, absolvat, baptizet &c.

Resp. Neg. Assump. Quia ad verificationem illarum formarum, sufficit causalitas moralis: & certè si Christus verum proferret dicendo: *Ego vos justifico per meam Passionem, vos abluo per meum Sanguinem*, licèt Passio, & sanguis id tantùm operentur moraliter; quidni similiter sacerdos in nostro casu?

Obj. 7. Credibile est Deum tribuisse Sacramentis causalitatem, quam potuit maximam: sed potuit physicam: ergo.

R. Neg. Min. Quia creaturæ, ut diximus, repugnat creatio, etiam instrumentalis. Præterea satis consulitur Sacramentorum honori, dum illis tribuitur eadem causalitas, quæ Christi meritis & Passioni.

Inst. 1. Datur in qualibet re potentia obedientialis ad quodlibet agendum: ergo potest elevari Sacramentum ad gratiam physicè producendam.

R. Neg. Ant. Quia non datur illa potentia in re, nisi habeat respectu effectus producendi virtutem inchoatam, quam non habet Sacramentum materiale ad producendam gratiam spiritualem. Vide physicam, ubi docetur non posse elevari oculum ad audiendum, aurem ad videndum &c. Idque defectu potentiæ inchoatæ ad similes effectus.

Inst. 2. Elevatus est ignis infernalis ad torquendas physicè animas spirituales: ergo & Sacramentum ad producendam gratiam, cùm non sit plus tribuendum instrumento justitiæ, quàm instrumento misericordiæ

R. Neg. Ant. Quia ignis infernalis non agit physicè in animas damnatorum, sed tantùm intentionaliter, ut docent Scotistæ in 2. sententiarum.

Obj. 8. Cum Soto: ut Sacramentum dicatur physicè producere gratiam, sufficit quòd attingat unionem gratiæ cum anima, sicut sufficit ut homo dicatur causa hominis, quòd attingat unionem animæ cum corpore.

Resp. Unionem gratiæ cum anima fieri in instanti, in quo non est Sacramentum, ut colligitur ex dictis, & consequenter unio illa non fit à Sacramento, sed ab eo qui producit gra-

gratiam; ſicut unio animæ rationalis cum corpore; quidquid dicat Scotus, fit ab en, qui creat animam rationalem, & non ab homine, ſolùm ultimam diſpoſitinnem ponente. Præterea ſi Sacramentum attingens dictam unionem diceretur producere gratiam, homo (in ſententia Soti) attingens unionem animæ cum corpore diceretur producere animam rationalem, quod falſum eſt.

ARTICULUS II.

Defenditur cauſalitas moralis.

SAcramenta producunt gratiam moraliter, ſeu ſunt inſtrumenta moralia gratiæ, eo modo quo diximus in Præludio Quæſtionis. Hæc eſt longè probabilior tum intrinſecè, tum extrinſecè.

Prob. 1. Certum eſt de fide aliquam efficientiam competere Sacramentis reſpectu gratiæ, ut diximus Quæſt. præced. Non phyſicam, ergo moralem, cùm non poſſit alia aſſignari.

Dices: Sacramenta eſſe conditiones ſine quibus non produceret Deus gratiam hic & nunc. Sed

Contra eſt, quòd fides tribuat Sacramentis aliquem influxum reſpectu gratiæ; conditio autem ſine qua non, non influat in effectum, ſed tantùm requiratur, ut cauſa influat, removendo ſcilicet prohibens vel ex parte cauſæ, vel ex parte ſubjecti, ut patet de approximatione reſpectu ignis calefacientis. Si tamen volentes Sacramenta eſſe conditiones ſine quibus non, nihil aliud intelligant, quàm quòd Deus non ſtatuerit conſerre gratiam in Sacramentorum adminiſtratione, niſi ab ipſis Sacramentis moveatur, libenter damus ipſis manus, quia in hoc involvitur cauſalitas moralis: ſicut involvitur, quando Scotus vocat Sacramenta *diſpoſitiones ad gratiam*; quia confundit ibi diſpoſitionem cum merito, & cauſa morali.

Prob. 2. Concl. Modus operandi ſequitur modum eſſendi: ſed Sacramenta, ut Sacramenta, ſunt entia moralia: ergo & illorum modus operandi eſt moralis. Prob. Min. Quia Sacramenta ut talia, non ſunt materia & forma nudè ſumpta ſed prout ſignificantia gratiam ex inſtitutione divina, & conſequenter licèt ex parte materiæ & formæ ſint entia phyſica; tamen in quantùm ex illis & præfata ſignificatione ponuntur, ſunt entia moralia. Idque patet in Moneta, quæ quidem ſecundùm ſubſtantiam auri vel argenti eſt ens phyſicum, prout tamen eſt tanti vel tanti valoris eſt ens morale; cùm ut ſic componatur ex metallo & inſtitutione Principis illam valorantis.

Prob. 3. Eodem modo Sacramenta ſunt cauſa gratiæ, quo ſunt ſigna ejuſdem, cùm ſu tantùm cauſent in quantùm ſignificant: ſed tantùm ſunt ſigna moralia gratiæ, ratione ſcil. inſtitutionis divinæ ſibi extrinſecè applicatæ: ergo.

Prob. 4. Quia per cauſalitatem moralem ſalvari poſſunt omnes locutiones Scripturæ, Patrum, & Conciliorum; cùm ſecundùm communem loquendi modum cauſæ morali verè & propriè tribuatur effectus, & quidem ſine addito: & certè ſi in Scriptura dicatur ſimpliciter Sanguinem Chriſti mundare ab omni peccato, fidem ſalvare, eleemoſynam à morte liberare, licèt eorum cauſalitas ſit tantùm moralis, quidni Sacramenta dicerentur ſimpliciter gratiam conferre?

Obji. 1. Joannis 6. legitur de Euchariſtia: *Caro mea verè eſt cibus*; ergo verè nutrit ſpiritualiter, ſicut cibus corporaliter: ſed ſola cauſalitas phyſica eſt vera cauſalitas: ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia juxta communem modum loquendi, cauſalitas moralis reputatur vera & propria cauſalitas; & ideo Ariſtoteles 2. Phyſic. inter cauſas efficientes *Moralem* annumeravit.

Obji. 2. Si Sacramenta tantum cauſarent moraliter, non eſſent inſtrumenta Dei, ſed Miniſtrorum; quandoquidem inſtrumenta moralia non ſunt moti, ſed moventis, ut patet in mandato, quod eſt inſtrumentum mandantis, non mandatarii.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Et Dico, licèt inſtrumentum ſit ordinariè illius, qui movet, eſt tamen etiam illius, qui movetur, quando illud inſtituit, ut per ejus exhibitionem moveretur. Sic ſi Rex dediſſet ſubditis ſuis Strophiola tincta ſanguine filii ſui, pro Regni defenſione occiſi, ut quoties illa exhiberent, toties certam gratiam obtinerent, Strophiola illa eſſent inſtrumenta & ſubditorum, & ſimul ipſius Regis; ita & in noſtro caſu.

Obji. 3. Poteſt Miniſter baptizare v. g. ex pravo fine: ſed actio illa, utpotè mala, non poteſt Deum movere ad collationem gratiæ: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non poteſt Deum movere, ut eſt actio peccatoris & perſonæ privatæ: C. ut eſt actio Miniſtri Chriſti, ut ſic, & perſonæ publicæ: N. Unde ſicut eadem actio poteſt eſſe bona & mala ſub diverſo reſpectu, ſi nempe ab alio imperetur, & ab alio eliciatur: ut patet in eleemoſyna, quæ quatenus ab Hero imperata ex affectu miſericordiæ, eſt bona & quatenus à famulo executa ob vanam gloriam, eſt mala; ita actio præfata, ut eſt Chriſti ordinantis & principaliter agentis eſt bona; aliunde mala.

Obj. 4. Vel Sacramenta Deum movent ratione ſui, vel ratione ſuæ à Chriſto elevationis, non ratione ſui quia ablutio v. g. in Baptiſmo eſt quid indifferens: Non ratione elevationis: cùm enim hæc ſit ipſis extrinſeca, non ſacramenta ſed Chriſtus elevans, Deum moveret.

Reſp. Nec ratione ſuæ entitatis nudè ſumptæ, nec ratione elevationis præciſè Deum movere, ſed ratione utriuſque, in quantùm nempe ex hac & illa moraliter coaleſcunt tanquam entia moralia.

Obj. 5. Deus, utpote immutabilis non poteſt moveri: ergo falſum eſt Sacramenta cauſare, Deum movendo.

Reſ. Diſt. Ant. Non poteſt moveri, ut aliquid de novo velit: C. quia quidquid vult in tempore, ab æterno voluit. Ut aliquid de novo creet, nempe gratiam in noſtro caſu: N. quia ad hoc non requiritur aliqua mutatio in Deo, ſed tantùm in creatura, ſeu quòd ponatur res antea non exiſtens: unde aliter movetur Deus, aliter creatura: hæc enim movetur ad volitionem internam, & ad actionem: Deus autem tantùm ad externam operationem.

Obj. 6 Alia debet aſſignari cauſalitas ſignis Dei, quàm ſignis diaboli: ſed hæc ſunt cauſæ morales: ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia ſigna illa magica ſunt tantùm conditiones ſine quibus non operaretur Dæmon, cùm agat quidem illis poſitis, ſed non excitatus ab eorum virtute, quod requiritur ad cauſam moralem, ſed ab aliis motivis. Prætereà etſi ſigna illa quandoque Dœmonem moraliter moveant ad maleficium operandum, ut quando annexam habent ipſius invocationem, aut honorem, non ſunt tamen ita infallibilia ſicut Sacramenta; cùm interdum Dœmon illudat, & Deus effectum impediat.

Obj. 7 Movens per Chirographum debitorem ad ſolutionem, non dicitur ſolvere: ergo ſi Miniſter per Sacramenta tantùm moveat Deum ad gratiæ collationem, non dicetur per illa gratiam conſerre: quod tamen falſum eſt.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd in Miniſtro nihil ſit, quod impediat denominationem *conferentis*; In creditore autem Chirographum exhibente, ſit impedimentum, quominus denominetur *ſolvens*, nempe ejus ad debitum, cùm in ſolvente non debeat eſſe jus, ſed obligatio ad debitum.

DISPUTATIO VII.

De ſecundario Sacramentorum effectu, nempe Charactere.

QUÆSTIO I.

An detur Character Sacramentalis diſtinctus ab anima?

CHaractem negant Hæretici moderni, nempe Lutherani & Calviniſtæ, cum ſuo reſpectivè duce. Imò Kemnitius, aliique ejuſdem farinæ volunt primum Characteris Sacramentalis Authorem fuiſſe Innocentium III. Inter Catholicos autem, Characterem quidem admittit P. Vanroy, ſed docet nihil occurrere, cur admittatur eſſe entitatem aliquam realiter ab anima diſtinctam, & ideo vult tantùm eſſe quamdam animæ modificationem, adinſtar ceræ abſque nova entitate per ſigilli impreſſionem modificatæ: Contra quos

CONCLUSIO I.

DAtur de facto Character ſacramentalis. Eſt de fide ex CC. Florent. in decreto unionis, & Trident. Seſſ. 7. Can 9. ubi ſic legitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis non imprimi Characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt: Anathema ſit.*

Pro-

Probant aliqui 1. Ex hac Scriptura 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos, Deus est, & qui signavit nos*. Ubi unctio tribuitur gratiæ, & signatio Characteri.

Probant 2. Ex PP. August. Tract. 1. in Joan. ubi ait: *Si baptizatus charitatem non habet, habet tamen Characterem impositum*. Idem habet lib. 6. contra Donatist. cap. 1. & alibi. Cyrillo Hierosolimitano, Præfat. in Catheheses: *Nisi agnoscat in te signaculum Angelus, quomodo pro te pugnabit?* Idem habet Basilius Hom. 13. Hieronymo in præfatum Script. Textum: *Deus imprimit animæ signaculum Spiritus* S. Cyrillo Alexandrino in Concil. Ephes. columna 1. *Per eum*, nempe Baptismnm, *divinus nobis Character imprimitur*.

Probant 3. Ratione congrua; quia sicut olim milites corporales, corporali Charactere notabantur, ita debent spirituales Christi milites spirituali charactere insigniri.

Sed fatendum est cum Scoto 4. d. 6. q. 9. probationes allatas non esse ita evidentes & concludentes, quin patiantur alias explicationes: nam 1. Textus Scripturæ intelligi potest de graria sanctificante, quæ nos & ungit, & signat in filios Dei. 2. Quia SS. Patrum loca intelligi possunt de ipsomet Baptismo, qui sano sensu dici potest quoddam signaculum, signum, Character, quo in Dei familiam, & Christi militiam adscribimur: hocque insinuavit ipsemet August. lib. de Gestis, ubi ait: *Character exterius agnoscitur, & agnitus approbatur:* ubi manifestum est per *characterem* intelligere Baptismum; cùm character, ut hic loquimur, sit spiritualis, adeoque non possit videri. Et lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. *An fortè minus hærent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota*, ubi comparat Sacramentum Baptismi cum charactere militari, & vult quod sicut Character ille non debet repeti, sed tantùm approbari, dum miles, qui ex ignavia militare desiit, & postea militare incipit, ita nec debeat repeti, sed tantùm agnosci Character Christianitatis, seu Baptismus, dum quis ab Hæreticis ad Catholicos transit. 3. Quia probatio à ratione uullus est momenti, ut per se patet. Unde

Concludendum est admittendum esse caracterem in eo sensu, quo hic loquimur, propter Ecclesiæ Traditionem quam nobis exponit Lucius III. cap. *Ad abolendum*, & Innocentius III. cap. *Majores*. Et ideo Scotus sup. n. 14. postquam dubietates aliquas ostendit per ly *videtur*, tandem expressè concludit; *Propter ergo solam authoritatem Ecclesiæ, quantùm occurrit ad præsens, est ponendum Characterem imprimi*. Et n. 16. breviter, *Teneatur Conclusio propter authoritatem Ecclesiæ prius adductam*, ubi de Charactere loquitur non *dubitative*, ut vult Suarez, non *probabiliter*, ut fingit Præpositus: non *tenuissimè*, ut habet Scotus, nec *inconsideratè*, ut incousideratè loquitur Coninck; sed resolutivè, expressè, & sapientissimè. Quòd autem Scotus ab iuitio usus sit verbo *videtur*, non est mirum, cùm ejus tempore characteris existentia non esset definita.

Obj 1. Contra Conclusionem: Scriptura non facit mentionem Characteris Sacramentalis: ergo.

Resp. Dissimulato Ant. cujus contrarium multis conatur probare Bellarminus: uegando conseq. quia cum tenemur credere propter traditionem; & certè cur credunt Hæretici nomen *Personæ*, nomen *Hypostasis*, Patrem in divinis esse *ingenitum*, cùm horum verborum non meminerit Scriptura?

Instabis: Si existentiam Characteris haberemus per Traditionem, hoc reperiretur apud Patres: atqui Patrum testimonia circa hanc rem non sunt convincentia, ut dictum est à Scoto supra: ergo.

Resp. Dist. Min. Non sunt convincentia, quia nullum determinatè apparet concludere, eo quod per ly *Characterem*, modo unum, modò aliud intelligant, ut patet ex Augustino: C. & hoc tantùm vult Scotus, qui n. 13. sic loquitur: *Inter authoritates autem Sanctorum secundùm istam significationem Characteris, de qua loquimur, non videntur multæ authoritates expressæ: tamen aliquæ allegantur non concludentes*. Non sunt convincentia, juncta Traditione: N. quia per illam habemus, Patres tenuisse Characterem ad sensum nostrum, licèt propter nominis æquivocationem non pateat evidenter, quo determinatè loco illum docuerint.

Obj. 2. Si Character poneretur in anima, poneretur vel ad sanctificatiouem, vel ad distinctionem, vel ad deputationem; cùm non possit aliud excogitari: sed ad nullum illorum ponitur: ergo. Prob. Min. Non ad Sanctificationem, cùm maneat in peccatoribus, & aliunde sufficiat gratia habitualis; Non ad distinctionem; cum homo non distinguat unum ab alio per Characterem, utpote invisibilem; Deus autem aut Augelus independenter ab illo distinguat baptizatum à non baptizato: Non denique ad deputationem ad certa munia; quia ut patet iu politia tam civili, quàm Ecclesiastica, sufficit ad quælibet officia, gradus aut ministeria, denominatio extrinseca.

Resp. Characterem imprimi diversis de causis: 1. Ut Deus hominem specialiter sibi vendicet tanquam domesticum. 2. Ut maneat post mortem in Beatis ad gloriam, tanquam animæ ornatus, & in damnatis ad confusionem tanquam exprobatio impietatis & ingratitudinis. 3. Ad deputationem, quæ licèt fieri possit per denominationem extrinsecam, Deus tamen, qui amicos suos voluit adornari gratia interna, quod non reperitur in amicitia humana, voluit & milites suos ac Ministros insigniri Charactere spirituali, ad ostendendam divinæ operationis efficaciam, ac suavem Dei providentiam.

Obj. 3. Vel Character ille est quædam perfectio, vel imperfectio: si imperfectio: ergo nocet sacramentum, illum imprimens. Si perfectio, cur illo caruit Christus?

Res. Esse perfectionem mixtam imperfectione, seu perfectionem propriam subditis & militibus, & ideo Christo utpote Superiori, & Imperatori non quadrabat.

CONCLUSIO II.

CHaracter realiter distinguitur ab anima. Est certa & tenenda.

Ratio est; quia Trident. sess. 7. can. 9. docet Characterem esse impressum animæ; sed anima non imprimitur sibi ipsi: ergo quod imprimitur, est aliquid ab anima distinctum.

Dices: Character sigilli in cera, non est aliquid reale distinctum ab ipsa cera: ergo nec Character Sacramentalis aliquid reale distinctum ab anima.

Resp. 1. Neg. Ant. quia cùm cera post impressum Characterem remaneat realiter modificata, & autequam esset Character impressus, nou foret ità modificata, debet adesse aliquid realiter modificans, adeoque aliquid reale, quod non erat ante; quandoquidem non nisi reale realiter modificet.

Resp. 2. Dissimulato Aut. Neg. conseq. Disparitas est quòd ipsum sigillum characterizet ceram; nihil sit autem excogitabile, quòd characterizet animam, si aliquid de novo in ea non recipiatur.

Replicabis characterizari seu sigillari quodammodo animam per Sacramentum. Sed

Contra est, quòd nihil materiale, quale est Sacramentum agit in spirituale.

QUÆSTIO II.

Quid sit Character, & quænam Sacramenta illum imprimant?

CONCLUSIO I.

CHaracter juxta Trid. sup. est signum quoddam spirituale & indelebile impressum animæ in tribus Sacramentis initerabilibus.

Dicitur 1. *Signum spirituale*; quia licèt omnia signa, quibus utimur, sint sensibilia, non repugnat tamen signum spirituale cùm tales sint locutiones Angelicæ.

Dicitur 2. *Indelebile*, non quidem ab intrinseco; cùm nulla sit ratio, cur Deus non possit statuere, ut per peccatum destrueretur character, sicut destruitur gratia; sed ab extrinseco, nempe ex lege Dei ità ordinantis. Sed de hoc fusiùs postea.

Dicitur 3. *Impressum animæ*, non quidem immediatè, sed mediante potentia inferius assignanda. Porrò Scotus iu Report. dist. 6. q. 8. n. 2. quatuor enumerat Charactris proprietates, 1. Assimilare Characterizatos. 2. Rememorare Sacramentum susceptum. 3 Configurare hominem Christo. 4. Inducere obligationem servandæ legis & fidei.

CONCLUSIO II.

TRia Sacramenta imprimunt Characterem, nempe Baptismus, Confirmatio & Ordo. Est de fide in Trid. sup. & in Florent. in Decr. Eugen. ubi legitur: *Inter hæc Sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem imprimunt in anima*.

Ratio à priori hujus veritatis non est alia, quàm Christi voluntas nobis per Ecclesiam manifestata; nam dicere quòd

Chara-

Characterem imprimant, quia sunt initerabilia; ultra quòd ratio illa fit à posteriori, juxta Trident. suprà, inferens initerabilitatem ex charactere, nullatenus convincit; quia potuisset Deus velle, ut essent initerabilia, & tamen Characterem non imprimerent; cùm in hoc nulla prorsus appareat repugnantia.

Ratio congruentiæ adferri potest duplex. Primam proponit D. Bonav. in Breviloquio parte 6. cap. 6. *Triplex est*, inquit, *status fidei, secundùm quem habet fieri distinctio in populo Christiano.....scilicet status fidei genitæ, roboratæ, multiplicatæ..... Quoniam ergo Baptismus respicit statum fidei genitæ, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israelitæ ab Ægyptiis, & Confirmatio respicit statum fidei roboratæ, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis . . . . & Ordo respicit statum fidei multiplicatæ, in quo distinguitur Clericus à laicis, sicut Levitæ, ab aliis tribubus; hinc est, quòd in his tantùm tribus Sacramentis Characteres imprimantur*. Secunda desumitur ex Scoto 4. dist. 6. qu. 10. numer. 12. quia sicut in politia civili tres sunt tantùm gradus determinati & speciales: Primus: dum admittitur quis in familiam Principis. Secundus: dum constituitur miles ad defendendam Rempublicam. Tertius, quando constituitur Officialis Principis; ità tres solùm gradus determinati & speciales, adeoque dignitatem seu Characterem imprimentes reperiuntur in politia Ecclesiastica: Primus, dum quis recipitur in familiam Christi, quod fit in Baptismo. Secundus, dum fit Christi miles ad defensionem fidei Christianæ; quod peragitur in Confirmatione. Tertius quando assumitur ad Christi & Ecclesiæ Ministerium, quod fit in Ordine.

CONCLUSIO III.

ALia Sacramenta, nempe Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium non imprimunt characterem: imò nec ornatum specialem in anima.

Prob. 1. pars; tum ex Christi voluntate, tum ex Ecclesiæ Traditione, tum ex hac congruentia, ex Scoto superius desumpta; quia sicut in mundanis non recipit gradum specialem, qui vel comedit, aut bibit in familia Regis, vel post offensam reconciliatur Domino, vel sanatur ab ægritudine, vel Regis subditos multiplicat; ità nec in spiritualibus Characterem recipit, qui vel admittitur ad mensam Christi per Eucharistiam, vel Deo reconciliatur per Pœnitentiam, vel Ecclesiæ proles multiplicat per Matrimonium, vel cui peccatorum reliquiæ absterguntur per Extremam Unctionem.

Prob. 2. pars; quia ornatus ille specialis ponitur à suis Assertoribus tanquam dispositio ad gratiam Sacramentalem, sed gratia extra-Sacramentalis, quæ est prorsus eadem, non requirit ornatum illum: ergo. Deinde ornatus ille utpote spiritualis, quia in anima, & indelebilis defectu contrarii, coincideret cum Charactere.

QUÆSTIO III.

In quo consistat Character Sacramentalis.

ALiqui volunt consistere in relatione rationis: Alii in relatione reali: alii in entitate absoluta: Scotus autem 4. dist. 6. q. 10. n. 13. resolvit quidem esse aliquid reale, sed an relativum sit, vel absolutum, nihil determinat, cùm utrumque problematicè defendat; & ideo liberam suis relinquit opinandi libertatem: unde mirum est quàm plurimos, qui nonnisi alienis, imò fallis oculis Scotum legerunt, asseveranter dicere ipsum docuisse esse aliquid relativum, non absolutum, cùm tamen in terminis dicat: *utrumque salvari potest, quòd sit scilicet forma respectiva, sicut jam ostensum est, vel quòd sit forma realis absoluta*. Imò si Scotistis celebrioribus credimus, nempe Bassolio, Mayronio, Rubioni, Vorillon, Nicolao de Orbellis, Cavello, Aretino, Hiquæo, Poncio, Mastrio, Frassen, Coen, Du Pasquier, & aliis communiter, magis propendet in formam absolutam.

CONCLUSIO I.

CHaracter non est relatio rationis, aut denominatio extrinseca. Est communis.

Prob. 1. Juxta Trid. sess. 7. can. 9. Character est signum spirituale, indelebile impressum animæ: ergo.

Prob. 2. Vel aliquid definierunt hac in re contra Hæreticos, Florentinum & Trident. vel nihil: si nihil ad quid Can. nonus Ad quid anathematizario illa Tridentini? Si aliquid, ergo voluerunt esse plusquam ens rationis, aut denominationem extrinsecam, cùm non negarent Hæretici, imo nullus negare possit deputatum ad nova munia novam sortiri denominationem extrinsecam.

Dices: Concilia definivisse, esse aliquid morale non physicum, sicut si definirent Doctoratum esse signum scientiæ & honoris. Sed

Contra est, quòd aliquid tantum morale non sit indelebile; cùm enim tantum dependeat ab hominum existimatione, ut existat, ita potest, desinente illa existimatione, desinere: & certe nunquid potest Doctor, aut Licentiatus degradari, adeoque notam illam honoris perdere? Præterea Concilia, sicut Scriptura, intelligenda sunt propriè, ubi inde nulla implicantia sequitur, aut incongruitas, aliàs nihil certi haberemus ex illis.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est Characterem non esse etiam relationem realem, sed entitatem absolutam. Est longe communior, sicque tenent omnes Scotistæ antea citati.

Prob. 1. Debemus Sacramenta, illorumque effectus magnificare, quantùm possumus sine contradictione: sed relatio est entitas tenuissima, & maximè ab aliis dependens in suo esse & conservari, absoluta autem longe dignior & nobilior: ergo hæc (cùm hic contradictionem non implicet) tribuenda est Characteri.

Prob 2. Quia Character dicitur forma impressa indelebilis, configurans hominem Christo, signans obligationem legis servandæ, assimilans characterizatos, remanens in Beatis ad ornatum, in damnatis ad confusionem: sed hæc non competunt propriè relationi, cujus totum munus est, unum ad aliud referre: ergo.

Dices 1. Character est signum, ut patet ex Concil. citatis, sed signum est relatio significantis ad significatum, ergo.

Resp. Dist. Maj. Est signum formaliter. N. fundamentaliter & denominativè: C. unde est signum, sicut Sceptrum est signum potestatis supremæ, sicut cicatrix in Circumcisione erat signum posteritatis Abrahæ, sicut hædera est signum vini venalis &c. quæ omnia constat esse entitates absolutas.

Dices 2. Si Character esset quid absolutum, deberet esse qualitas: sed non potest assignari, ad quam speciem qualitatis pertineat: ergo. Prob. Min. Non ad primam, cùm sit habitus vel dispositio, quorum primus est tantùm difficulter mobilis, & secunda facilè mobilis à subjecto: Character autem sit indelebilis. Non ad secundam, quia Character non est potentia, cùm nihil operetur. Non ad tertiam, quæ est passio & patibilis qualitas, quandoquidem sint tantùm principia, aut termini actionum, quæ fiunt cum alteratione sensibili, quod non potest convenire Characteri, utpote spirituali. Non denique ad quartam, quia Character, cùm sit spiritualis, tantum metaphoricè & non propriè dicitur figura.

Resp. Cum Scoto, posse pertinere ad primam aut secundam speciem qualitatis, ad primam quidem, in quantùm est quid permanens, & per modum habitus; ad secundam verò, in quantùm est potentia, non physica, sed moralis, prout scilicet Charactere insignitus sit habilis & idoneus ex divina ordinatione ad ea munia exercenda, quæ occurrunt in Sacramentorum receptione, confectione, aut administratione.

Pro majori horum intelligentia

Adverte ex nostro Caspensi, Characterem posse considerari in esse physico, & in esse morali: *in esse physico* disponit hominem ad se, sicut sanitas aut pulchritudo: in hoc sensu dici potest pertinere ad primam speciem qualitatis, nempe habitum; cùm indelebile sit difficulter mobile, & plus *in esse morali* est potentia reddens suscipientes idoneos modo antea explicato, & in hoc sensu pertinet ad secundam speciem qualitatis, cùm sub potentia in genere, possit poni potentia moralis, sicut ponit Aristoteles sub causa efficiente causam moralem.

Replicabis cum Gonet: Habitus sunt intensibiles & remissibiles; sed Character non potest intendi aut remitti: ergo non pertinet ad Habitum.

Resp. Majorem esse veram de habitibus, qui paulatim acquiruntur, & deperduntur, non tamen de omni habitu, præsertim supernaturali, nam gratia Christo data utpote summa, non poterat intendi, & tamen erat habitus: unde posse intendi & remitti, tantùm est accidentale habitui ut sic.

Petes:

Petes: Cur Character non operetur physicè?

Ref. Quia operatio ejus physica videtur omninò superflua; nam quis dicat Characterem Confirmationis (ut alios omittam) esse principium physicum Confessionis Fidei coram Tyranno? An non sufficiunt habitus Fidei & fortitudinis cum Dei auxilio? Certè si non fuisset institutum Confirmationis Sacramentum, hæc sufficerent, quidni sufficerent & nunc? Undè nullus Christianorum credidit hactenus se à Charactere physicè juvari, ad profitendam Fidem; bene moraliter, in quantùm movetur ab illo Deus, ut auxilium abundantius conferat.

QUÆSTIO IV.

In quo subjectetur Character Sacramentalis?

Certum est de Fide ex Trid. sup. subjectum Characteris esse animam; sed quia in anima, tria distinguimus, nempe ipsam animæ essentiam, & duas potentias, voluntatem scilicet & intellectum. Quæritur, in quonam ex illis immediatè subjectetur? In sententia Scotistarum docentium animam cum suis potentiis unicam esse realiter formam, quæ secundùm unam formalitatem dicitur anima, secundùm aliam, voluntas, & secundùm alteram, intellectus, non est periculum recedendi ab Ecclesiæ doctrina, etiamsi subjectum Characteris statuatur aliqua animæ potentia: cùm equidem in sensu reali semper erit anima.

In sententia autem Thomistarum, potentias ab anima realiter distinguentium, majus est periculum, cùm enim in eorum doctrina, sit simpliciter vera hæc propositio; *Anima non est intellectus*, & è contra, etiam erit verum dicere simpliciter loquendo, quòd Character immediatè subiectatus in intellectu, non sit in anima; quod est contra Ecclesiæ definitionem. Dicunt quidem esse in anima mediatè, in quantùm intellectus, in quo secundùm ipsos subjectatur immediatè Character, radicatur in ipsa anima; sed tantùm inde sequitur, quòd sit in anima cum addito, nempe *mediatè*, cùm tamen dicat Tridentinum esse in anima simpliciter.

CONCLUSIO I.

Character Sacramentalis non subjectatur in anima sub ratione formali animæ. Est communis, in hocque conveniunt DD. Subtilis & Angelicus cum suis.

Prob. 1. Utriusque authoritate: *Character*, inquit D. Thom. q. 63. art. 4. *Non est sicut in subjecto in essentia animæ, sed in ejus potentia.* Et Scotus dist. 6. q. 11. *Arguitur, quòd character non sit in essentia animæ, ut in proximo subjecto*; & quamvis ibi loquatur in alterius persona, idem tamen formalissimè sustinet n. 3. & 4.

Prob. 2. Non est ponendum duplex subjectum immediatum Characteris, cùm sit forma indivisibilis; sed ostendemus postea immediatè subjectari in potentia animæ, in qua subjectatur gratia, ad quam disponit: ergo non subjectatur immediatè in essentia animæ.

Dices 1. Character non est operativus, aut principium operandi, sed præcisè ornatus animæ; ergo non in potentia, sed in essentia animæ collocandus est.

Ref. Dist. Ant. Non est operativus physicè: C. moraliter: N. In ordine enim disponit ad operationem: in Baptismo autem, & Confirmatione, obligat ad operandum.

Dices 2. Character, utpote nota distinctionis, ponendus est in subjecto notiori; sed notior est anima suis potentiis: ergo.

Resp. Dist. Maj. Ponendus est &c. quoad se: N. quoad nos: Transeat. Notior est autem nobis animæ potentia ratione suæ operationis, quàm ipsa anima. Dixi *Transeat*; quia Peregrini Hierosolymitani notantur in brachio, non in fronte, & varii equites notantur in pectore, non in facie.

Dices 3. Character, ut dictum est, est aliquo modo potentia: sed potentia non recipitur in potentia, sed in ipsa anima: ergo.

Ref. Dist. Min. Potentia naturalis non recipitur &c. C. quia cùm det posse non præsupponit in subjecto *posse*, in quo recipitur Potentia supernaturalis; N. quia etsi det posse simpliciter (saltem quando est physica) præsupponit tamen in subjecto *posse* inchoatum, quod elevat & complet, & consequenter in ipso recipitur.

CONCLUSIO II.

Character subjectatur in anima sub ratione formali voluntatis. Est contra Thomist. quia, ut dixi, volunt subjectari in intellectu.

Prob. 1. Ratione Scoti: In ea potentia poni debet signum obligationis, in qua ponitur obligatio: sed obligatio animæ ad Christum, quæ contrahitur per Baptismum &c. ponitur in voluntate, & non in intellectu, cùm hic, utpotè potentia necessaria & ad unum determinata, non sit capax præcepti seu obligationis; ergo.

Confirm. Quia licet non sit absolutè necessarium, ponere signum obligationis in illo subjecto, in quo est obligatio, ut patet in servis, qui notantur in corpore: congruentiùs tamen ponitur, ubi fieri potest: undè si possent homines signum servitutis imprimere in voluntate, sicut potest Deus signum militiæ Christianæ, de facto illic imprimerent, ut magis obligationem suam apprehenderent servi.

Dices: Non potest ostendi Characterem esse signum obligationis, nec voluntatem esse potentiam obligationis contractivam, præsertim in iis, qui Baptizantur &c. ante usum rationis.

Ref. Neg. Assump. Nam 1. Character in Baptismo est signum adoptionis in Christi familiam, in Confirmatione signum militiæ Christianæ, in Ordine signum ministerii spiritualis: ergo signum est quod illis Characteribus insigniti obligentur se gerere tanquam veros filios, tanquam strenuos milites, & tanquam fideles Ministros. 2. Quia homo per solam voluntatem obligatur, ita ut si per impossibile voluntatem non haberet, fieret cujuslibet obligationis incapax: ergo malè negatur esse potentiam obligationis contractivam. Quod autem dicitur de baptizatis, confirmatis &c. ante usum rationis, nullius est ponderis, quia obligari possunt per susceptores, aut Parentes, & certè si peccare potuerint per alium, nempè Adamum, quidni obligari possent per alios?

Prob. 2. Conclusio: Congruit in eodem subjecto poni dispositionem, in quo ponitur forma, ad quam disponit: sed Character disponit suo modo ad gratiam, quæ est in voluntate, cùm gratia, secundùm nos, non distinguatur à charitate, quam concedunt omnes in voluntate subjectari: ergo. Major videtur certa: quia etsi quandoque dispositio reperiatur in alio subjecto, quam forma (nam fides quæ est in intellectu, disponit ad gratiam, quæ est in voluntate) nihilominus, ubi nihil obstat, ut in nostro casu, congruentiùs in eodem subjecto collocatur. Prob. Min. ex D. Thom. 4. d. 4. art. 1. ad 5. ubi ait: *Character est dispositio ad gratiam, per quamdam congruitatis dignitatem*, ubi per ly *congruitatis*, denotat non esse dispositionem necessariam, seu ex natura rei, quasi verò non posset produci gratia sine Charactere, aliàs cùm omnia Sacramenta producant gratiam, omnia imprimerent Characterem: sed tantùm ex voluntate Dei sic ordinantis: & ideo non est dispositio physica, sed moralis.

Prob. 3. Character debet poni in ea potentia, quæ omnes alias potentias movet & dirigit ad actiones, ad quas conferuntur Sacramenta: sed hoc competit voluntati, instar Regiæ, omnibus potentiis imperanti: ergo.

Prob. 4. Actiones, ad quas habilitat Character, pertinent ad cultum divinum: & consequenter sunt actus Religionis: sed Religio, cùm sit pars justitiæ, ponitur in voluntate; ergo & Character.

Obj. 1. Character ordinatur ad protestationem Fidei: ergo debet poni in subjecto Fidei, nempè intellectu.

Ref. 1. Licèt ant. foret verum de Charactere Confirmationis, non tamen de Charactere Baptismi, aut Ordinis, ut per se patet. Dico *licet foret verum*: quia non Character, sed ipsamet Confirmatio per auxilia gratiæ proportionata, ad protestationem illam ordinatur: unde Character ille tantùm est signum obligationis Fidei suo tempore confitendæ, & non ordo ad illam.

Ref. 2. Dissimulato Ant. Neg. Conseq. quia inde sequitur potius ponendum esse in voluntate, cùm hæc sit principium actus credendi in quantùm ita imperat intellectui professionem Fidei, ut nisi imperaret, professio illa nec foret moralis, nec meritoria. Præcedit quidem imperium illud repræsentatio objectorum Fidei in intellectu: sed cùm hæc sit tantùm præambula, ut voluntas firmiter imperet, & aliunde major sit difficultas in actu imperandi quàm repræsentandi, potius in voluntate ponendus est Character, quàm in intellectu.

Obj.

Obj. 2. D. Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch. c. 2. asserit Characterem esse *lumen divinum illuminans nos, & configurans Christo*; sed lumen non pertinet ad voluntatem, utpotè cœcam; ergo ad intellectum.

Resp. esse lumen, non formaliter, sed objectivè, in quantùm est rememorativus obligationis in Sacramento contractæ; & sic nihil obest, quominus ponatur in voluntate.

Obj. 3. Si Character esset in voluntate, determinaret habentem ad bonum aut malum morale, cùm id præstent qualitates in voluntate receptæ; sed Character relinquit subjectum suum indifferens ad utrumque; ergo.

Res. 1. Falsum esse, quidquid dicat Gonet, voluntatem determinari à qualitatibus in se receptis, cùm determinetur à seipsa.

Resp. 2. Qualitates in voluntate receptas, si sint naturales, inclinare quidem ad bonum aut malum morale, ubi per actus bonos aut malos acquiruntur; non tamen ubi acquiruntur per actus indifferentes; si autem sint supernaturales, qualis est Character, semper inclinant ad actum bonum seu honestum ex objecto, licèt ex circumstantiis possit, saltem objectivè & remotè, vitiari. Unde Character inclinat ad actum suscipiendi aut conficiendi Sacramentum, non quidem effectivè, sicut habitus Fidei aut Spei ad actus proprios, sed objectivè.

Replicabis; Character inclinat quidem ad actum præfatum, ut validè fiat, non tamen ut fiat licitè; ergo non inclinat ad actum bonum.

Resp. Cùm actus ille non possit esse validus, nisi sit ex objecto bonus, inclinando ad actum validum inclinare ad actum ex objecto bonum.

QUÆSTIO V.

An Character sit indelebilis de qualibet potentia?

CONCLUSIO I.

POtest deleri Character de potentia Dei absoluta, idque tam in hac vita, quàm in altera. Est communis; unde Scotus dist. 6. q. 9. n. 20. *Nulla forma potest esse in anima quam non possit Deus de potentia absoluta delere quia in hac nulla inveniri potest contradictio.* Ratio est: quia omne creatum dependet à Deo in fieri & conservari: ergo cùm possit concursum suum conservativum suspendere, potest illud corrumpere & annihilare.

CONCLUSIO II.

DE potentia Dei ordinaria indelebilis est Character in hac vita. Est de Fide ex Conciliis Florent. & Trident. supra, ubi definientia esse indelebilem, ad minus intelligenda sunt pro hac vita.

Ratio est; quia si posset deleri: vel à Deo, vel à creatura: non à creatura, cùm sit forma supernaturalis, in quam nihil possunt omnes naturæ vires: non à Deo: quia, ut ait Scotus sup. *Ordinavit nullam formam supernaturalem delere, nisi propter aliquod demeritum inhærens animæ; respectu autem Characteris delendi, nulla potest esse causa demeritoria, cùm imprimatur in actu peccandi mortaliter*, id est, cùm quis scienter accedit ad Sacramentum cum obice ad gratiam.

Varias refert Historias Noster Frassen, quibus ostenditur Ordinatos ab uno, fuisse reordinatos ab altero, aut saltem remotos ab omni gradu Ecclesiastico: ergo signum est, tunc creditum esse, vel Ordinem non esse impressivum Characteris, vel certè Characterem esse delebilem. Sed ad hæc

Res. Si qui de novo fuerint ordinati, id factum esse, vel ex errore aut malitia reordinantium in odium suorum Prædecessorum, quod nunquam approbavit, sed semper reprobavit Ecclesia: vel certè ex credulitate quod fuissent invalide ordinati, defectu potestatis Episcopalis in Ordinantibus. Imò aliqui dicuntur reordinati, non quia de novo Ordinem receperunt, sed quia receperunt benedictionem Pontificiam, & alios ritus in reconciliandis Schismaticis aut Hæreticis adhiberi solitos: & ita scribit Baronius ad annum 369. de iis, qui fuerant à Constantino ordinati, quos Successor eius Stephanus IV. ita reconciliatos non reordinavit: quia etsi Constantinus esset Pseudo-Papa, erat tamen legitimus Episcopus. Quantùm ad alios, qui dicuntur fuisse remoti ab omni gradu Ecclesiastico; non est intelligendum, quòd fuerint privati Charactere, sed tantùm honoribus, officiis, dignitatibus, quantùm ad executionem. Plura circa hoc vide apud ipsum Frassen Disp. proœm. art. 2. q. 3. Concl. 4.

CONCLUSIO III.

CHaracter est etiam indelebilis in altera vita. Hæc licèt non sit de Fide, est tamen communis.

Ratio est; quia si Character in morte deleretur; vel à Deo concursum subtrahente, vel à contrario physico, vel à causa demeritoria, vel ratione subjecti destructi, cùm nihil aliud possit excogitari: sed à nullo prædictorum destruitur in morte Characterizati: ergo. Prob. Min. Non quidem à Deo, cùm non solest concursum suum denegare, nisi id exigant causæ physicæ aut morales. Non à contrario physico: quia nullum habet. Non à causa demeritoria: quia si quæ foret, esset peccatum; & ecce tamen in ipso actu peccati infunditur, ut diximus, & in peccatore conservatur. Non denique ratione subjecti destructi; cùm anima, quæ est ejus subjectum, sit immortalis: ergo restat, quòd maneat post mortem; in damnatis quidem ad confusionem in Beatis verò ad honorem.

Obj. 1. Sacerdos post mortem non potest consecrare: ergo non est amplius Characterizatus.

Res. Dist. Conseq. Non est amplius Characterizatus physicè: N. moraliter & quantùm ad idoneitatem Sacramenta recipiendi, aut tradendi: C. quia ut sic tantùm respicit Viatores, ut anteà diximus.

Inst. Character tantùm est propter Sacramenta recipienda, aut conficienda: ergo ubi illa non possunt recipi aut confici, superfluit Character.

Resp. Neg. Ant. Et dico, quòd sicut Character militaris non tantùm est propter pugnam, sed etiam ut post illam maneat in victoribus ad gloriam, & in victis ad ignominiam, ita & Character Sacramentalis post statum Viæ, in quo solo validè recipiuntur, & conficiuntur Sacramenta, perseverat ad confusionem damnatorum, & gloriam Beatorum, imò ad distinctionem fidelium ab infidelibus.

Obj. 2. Damnati sunt indigni cujuslibet doni supernaturalis ergo & Characteris.

Resp. Dist. Ant. Sunt indigni &c. conferentis ad eorum consolationem: C. conferentis ad augendum eorum dolorem: N.

Obj. 3. Destructo Altari, perit consecratio: ergo destructo homine perit Character.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd subjectum consecrationis sit Altare integrum, subjectum autem Characteris non sit homo, sed ejus anima, quæ remanet destructo homine.

Obj. 4. Non remanent in damnatis habitus Theologici: ergo nec Character.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd habitus illi sint præsertim propter operationem supernaturalem, cujus sunt incapaces damnati, Character verò alium habeat effectum, nempè exprobrare ipsorum ingratitudinem, impietatem &c.

Obj. 5. Dissolvitur Matrimonium cum morte, ita ut homo resuscitatus non possit copulari priori conjugi sine novo Matrimonio: ergo etiam dissolvitur Character, ita ut non possit resuscitatus alia Sacramenta recipere, nisi rebaptizetur.

Resp. Neg. Conseq. Ratio discriminis est, quòd Scriptura aut Patres nullibi dicant Characterem deleri in morte: imò contrarium insinuet ratio: dicat autem Scriptura 1. Cor. 7. de uxore, (idem est de Marito) *si dormierit vir ejus &c.*

Obj. 6. Damnati nec in se, nec in aliis cognoscere possunt Characterem; ergo omnino superfluè in illis remaneret. Prob. Ant. Quia objectum supernaturale, quale est Character, requirit notitiam supernaturalem, cujus sunt incapaces Dæmones.

Resp. Neg. Ant. Ad probat. dico, incapaces esse damnatos notitiæ supernaturalis conducentis ad salutem, quia illa datur ex Christi meritis & quidem Viatoribus; non tamen notitiæ supernaturalis, conducentis ad pœnam.

DISPUTATIO IX.

De Sacramentorum cæremoniis, & Sacramentalibus,

QUÆSTIO I.

An Cæremoniæ sint necessariæ ad valorem Sacramenti, & qualiter peccet illas omittens?

SUppono 1. Usum Cæremoniarum sanctè & licitè usurpari; quandoquidem ultra quòd conferant Sacramentis Majestatem, Ministris reverentiam, circumstantibus pietatem & devotionem, illas adhibuit Christus ipsemet, in instituendo corporis sui Sacramento, ante cujus consecrationem, oculos in cœlum levavit, benedixit, fregit &c.

Suppono 2. Quidquid oblatrent Heterodoxi moderni Ecclesiam posse instituere cæremonias. Patet tum ex Apost. 1. Corinth. 1. Ubi agens de cæremoniis in administratione Eucharistiæ servandis: *Cætera*, inquit, *cùm venero, disponam*: inter autem illa, quæ pollicetur, recenset August. Epist. 118. cap. 6. obligationem accedendi jejunè ad Eucharistiam. Tum ex Trident. sess. 7. can. 13. & sess. 21. cap. 2. Tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ ab initio ad hæc usque tempora semper & ubique hanc in se cognovit potestatem, ut patet ex antiquissimis Ecclesiæ tum Latinæ, tum Græcæ Liturgiis, Euchologiis, Ritualibus. Tum etiam ratione; quia cùm Christus voluerit Sacramenta reverenter confici, ministrari, & recipi, omninò credendum est reliquisse Ecclesiæ suæ potestatem ea instituendi, quæ ipsam reverentiam promovere & fovere possent.

Suppono 3. Ritus seu cæremonias (quæ sunt circumstantiæ quædam exteriores religiosæ ad DEUM colendum institutæ) triplices occurrere in Sacramentorum ministerio, nempe *essentiales*, quæ versantur circa materiam, formam, intentionem, & potestatem Ministri: *Integrantes*, non quia integrant Sacramentum, sed quia complent principaliter solemnitatem in Sacramentis adhiberi solitam, ut in Missa oblatio panis & vini, mixtio aquæ cum vino: item quòd Sacrificium peragatur cum vestibus sacris, in loco sacro, in Altari consecrato &c. & *merè accidentalis*, quæ nec essentiam concernunt, nec censentur actionem ministerii complere, sed adornare, ut cruces, genuflexiones, tunsiones pectoris, manuum elevationes &c. His suppositis.

CONCLUSIO I.

CÆremoniæ, seu ritus essentiales, sunt necessarii ad valorem Sacramenti; secus integrantes, aut merè accidentales. Prima pars est evidens, cùm nulla res possit subsistere sine suis essentialibus.

Prob. 2. Pars; quia nec partes integrantes, nec merè accidentales sunt de necessitate Sacramenti; & consequenter potest sine illis subsistere: & quamvis ritus integrantes magis conferant ad actionem Sacramentalem, quàm merè accidentales, tamen simpliciter loquendo sunt Sacramento accidentales.

CONCLUSIO II.

PEccat mortaliter, non tantùm qui omittit ritum essentialem, sed etiam qui omittit integrantem, saltem notabilem.

Prob. 1. Pars: quia cùm tunc Sacramentum sit irritum, committitur grave sacrilegium, graviterque decipitur suscipiens Sacramentum.

Prob 2. Pars: quia omittens partem integrantem, præsertim notabilem, transgreditur Ecclesiæ præceptum in re gravi: unde peccat mortaliter qui omittit oblationem in Missa, qui celebrat in loco profano, sine vestibus sacris, sine lumine &c. Qui scienter non elevat Hostiam, aut Calicem adorandum post Consecrationem.

CONCLUSIO III.

PEccat solùm venialiter, qui secluso contemptu & scandalo, omittit aliquem ritum merè accidentalem.

Ratio est; quia talis ritus nonnisi remotè concurrit ad Sacramentum; & aliunde tantùm leviter confert ad actionem ministerii.

Dixi 1. *Aliquem ritum*, nam eum, qui ferè omnes ritus Missæ, aut quam plurimos, eosque specialiter, qui in Canone continentur, ex negligentia culpabili, omitteret, non excusarem à mortali, inquit noster Marchantius.

Dixi 2. *Secluso contemptu*; quia posset quis peccare graviter ob contemptum, vel gravem incuriam in illis addiscendis, & practicandis; quia talis incuria in eo, qui tenetur illos scire, & practicare, censetur interpretativus illorum contemptus.

Dixi 3. *Et scandalo*; Nam posset esse reus peccati gravis qui præsertim in Missa, cæremonias insolitas efformaret, aut ab aliis efformatas imitaretur, ut proh dolor! aliquos videmus (verba sunt Marchantii) qui in sancto Sacrificio Histriones magis apparent, quàm Sacerdotes, etiam cum scandalo videntium, & Sacrificii non mediocri irreverentia.

QUÆSTIO II.

Quot sint Sacramentalia, & an remittant peccata venialia?

CONCLUSIO I.

SEx à modernis Theologis assignantur Sacramentalia versu sequenti expressa.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Per *Orans*, intelligitur Oratio Dominica, ad quam reducunt aliqui preces fusas in Ecclesiis solemniter consecratis, alii etiam pectoris tunsionem.

Tinctus denotat aquæ lustralis sumptionem, aut aspersionem.

Edens significat sumptionem panis benedicti, per quem August. lib. 2. de peccat. merit. c. 26. intelligit panem, qui olim dabatur Catechumenis loco Eucharistiæ: Imò in die Paschatis panes illi (dicti Eulogiæ, aut panes Eulogiarum) non solùm Catechumenis, sed etiam baptizatis ministrabantur, aut in Ecclesia, aut in eorum ædibus. Et licèt à Concilio Chartag. III. Can. 5. prohibitus fuerit usus Eulogiarum in Paschate pro Catechumenis, & à Concilio Laodiceno Can. 14. pro baptizatis, quibus illo die ministrabatur Angelorum panis, seu Eucharistia: usus tamen retinuit in multis pagis, ut saltem aliis Dominicis, panis in Ecclesia benedictus, deferretur in ædes Parochianorum.

Confessus, idem est ac recitans Confessionem generalem, quæ in principio Missæ, in Completorio: & quandoque in Prima dicitur.

Per *Dans* intelligitur largiens pauperibus eleemosynam;

Benedicens denotat benedictionem Episcopi, aut Abbatis, undè usus invaluit, ut ad illos accedentes petamus ab illis benedici.

Porro illa dicuntur *Sacramentalia*, non quia concurrunt ad Sacramentorum integritatem, nec quia Sacramentale ministerium complent, vel exornant, sed propter similitudinem, aut proportionem cum cæremoniis in Sacramentorum administratione adhiberi solitis.

CONCLUSIO II.

NUlla Sacramentalia remittunt peccata venialia ex opere operato. Est communis contra Scotum, Valentiam Dianam & alios, qui hanc virtutem tribuunt aquæ benedictæ.

Prob. 1. Non est tribuendus Sacramentalibus effectus ille specialis sine fundamento: sed nec ex Scriptura, nec ex Traditione, nec ex CC. nec ex PP. nec ex ipsa ratione colligi potest hujus rei fundamentum: ergo.

Prob. 2. Non possunt Ecclesiæ Prælati extra Sacramentorum collationem remittere immediatè venialia ex opere operato, cùm nullibi legatur ipsis concessa hæc potestas: ergo nec possunt mediantibus Sacramentalibus. Prob. Consequent. quia illius est signis illis virtutem illam

lam annectere, qui id per seipsum exequi potest, ut per se patet.

Dices: Augustinus Enchir. c. 71. sic de Oratione Dominica loquitur: Delet hæc Oratio minima & quotidiana peccata: ergo.

Resp. dist. Ant. Delet ex opere operato. N. ex opere operantis, & impetratoriè; in quantùm continent quamdam peccatorum detestationem contentam in his verbis: *dimitte nobis debita nostra &c.* C. undè

CONCLUSIO III.

Dici potest Sacramentalia remittere venialia ex opere operantis, & per modum cujusdam impetrationis, in quantùm scilicet excitant in nobis vel explicitam, aut implicitam peccatorum detestationem, vel pium motum in Deum, aut res sacras; unde D. Thom. q. 86. a. 3. *Triplici ratione aliqua causant remissionem peccatorum venialium; uno modo, in quantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata .... 2., in quantum sunt cùm aliquo motu detestationis peccatorum: & hoc modo Confessio generalis, Tunsio pectoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem venialium. 3. Modo in quantum sunt cum aliquo motu Reverentiæ in Deum & ad res divinas, & hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquæ benedictæ &c. operantur ad remissionem venialium peccatorum.*

Ratio Conclusionis est; quia cùm eis tribuatur communiter aliqua virtus in venialia, nec possit verior, aut magis proportionata rationabiliter assignari, meritò hanc statuimus.

Dices 1. Indè sequi Cruces, exhortationes, pias lectiones &c., etiam esse Sacramentalia, cùm motus illos operentur in Catholicis.

Resp. Neg. Sequelam, & dico ad illos motus tantùm concurrere objectivè, in quantùm ntallectui repræsentata ducunt in recordationem Mysteriorum vel rerum, quarum sunt imagines, aut significationes, ita ut non imagines, sed res per ipsas exhibitæ & repræsentatæ pium motum excitent; Sacramentalia verò id præstent ratione sui, id est, vel ratione consecrationis, aut benedictionis adjunctæ, vel ratione contenti, vel ratione modi, quo ordinariè exercentur.

Dices 2. Potest Ecclesia pœnas temporales relaxare per Indulgentias: ergo & peccata venialia remittere per Sacramentalia.

Ref. N. Conf. Ratio discriminis est, quòd pœnæ illæ relaxentur per solam condonationem extrinsecam; non fiat autem remissio venialium, nisi eorum macula tollatur ab anima inquam nec physicè, nec moraliter agere potest Ecclesia extra Sacramentorum collationem.

TRACTATUS II.

De Baptismo.

De Baptismo sic loquitur Florentinum in Decreto unionis.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cùm per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu S. renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in Regnum cælorum introire. Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis: nec refert, frigida sit, an calida; forma autem; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Non tamen negamus, quin & per illa verba: *Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Vel, *Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* verum perficiatur Baptisma: quoniam cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, Instrumentalis autem sit Minister, qui tradit exterius Sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solum Sacerdos, aut Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus & Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ & facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum cœlorum & Dei visionem perveniunt. Huc usque Concilium.

Porro Sacramentam hoc diversa, juxta diversos affectus, sortitur nomina. Dicitur. 1. *Baptismus*; quia peccatum per aquam abluitur. 2. *Lavacrum regenerationis*: quia nati quoad vitam corporalem, denuo per illud nascimur quoad vitam spiritualem. 3. *Sepultura*; quia in eo vetus homo peccati destruitur, & quasi sub aquis sepelitur. 4. *Indumentum*; quia ignominiæ nostræ velamen est. 5. *Circumcisio non manu facta*; eo quòd circumcidatur, non caro per instrumentum, sed peccatum per gratiam. 6. *Donum*: quia per illud omnino, gratis condonantur peccata, & tota pœna peccatis debita. 7. *Signaculum*: quia in eo Christi oves signatæ, ab hædis Diaboli secernuntur. 8. *Janua*; eo quòd per Baptismum habeamus ingressum tum ad Ecclesiam, tum ad alia Sacramenta. Alia apud alios Authores reperies nomina.

DISPUTATIO I.

De institutione, obligatione, & initerabilitate Baptismi Fluminis.

Dico *Flumiais*: quia tria ordinariè assignantur baptismata, nempè *Fluminis*, taliter dictus eo quòd conferatur per aquam: *Flamiais*, sic nuncupatus à sancto Flamine, per gratiam suam effectum Baptismi Fluminis, pro tunc impossibilis, in perfectè contrito supplente: & *Sanguinis*, seu Martyrii. Hæc duo, quia vices supplent primi, dicuntur Baptismata, licèt in rigore non sint talia: cum, ut ait Apostolus Ephes. 4. *una fides, unum Baptisma*. De primo hic agimus, de aliis acturi posteà,

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus, & quandonam fuerit institutus?

Baptismum esse Sacramentum inutile foret probare, quandoquidem hæc veritas sit in Scripturis manifesta, à Conciliis Florent. & Trident. definita, Patrum authoritate roborata, imò & ab ipsis Hæreticis recepta. Quare hujus rei certitudine supposita, sit

CONCLUSIO I.

Baptismus physicè spectatus, id est secundùm materiam & formam, definitur à Magistro sententiarum *Externa corporis ablatio sub præscripta verborum forma*. Metaphysicè autem, dicitur *Sacramentum regenerationis spiritualis*, ubi Sacramentum obtinet locum generis, reliqua, locum differentiæ. Sed quia per primam non innotescit Baptismi significatio, nempè spiritualis regeneratio: per secundam verò innotescit quidem, sed non exprimitur, per quid fiat; hanc clariorem, & magis completam subdimus ex partibus tum physicis, tum metaphysicis coalescentem, nampè; *Sacramentum consistens in exteriori corporis ablutione sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem*. Hujus definitionis bonitas patet ex eo, quòd nec superfluum admittat, nec quidquam necessarium omittat & aliundè quatuor causæ ad compositionem entis, præsertim moralis concurrentes exprimantur: nam causam *materialem* denotat ablutio, *formalem*, verba præscripta, *efficientem* Christi institutio, & *finalem* spiritualis regeuetatio.

Dices; Hæc definitio etiam convenit Pœnitentiæ, utpotè etiam spiritualiter regeneranti: ergo.

Ref. N. Ant. Quia cùm Pænitentia non conferat primam vitam spititualem, sed amissam restituat, non dicitur *regenerare*, sed *resuscitare*. Præteraa non consistit Pœnitentia in ablutione sicut Baptismus.

CON-

CONCLUSIO II.

Baptismum instituit Christus ante passionem suam. Ita communiter DD. cum D. Thoma & Scoto.

Prob. 1. Baptismus, utpotè janua Sacramentorum, necessarius est ad aliorum receptionem; sed Apostoli in ultima cœna receperunt Eucharistiam, imò & Ordinem Sacerdotalem, ut definit Trid. sess. 21. cap. 1. ergo tunc erant Baptizati, adeoque institutus erat ante Christi Passionem Baptismus.

Nec dicas Christum dispensasse cum Apostolis, ut priùs initiarentur sacerdotio, quàm Baptismo: quia dispensatio illa videtur infundata & incongrua; infundata quidem, cùm hujus dispensationis nec Scriptura, nec Traditio meminerit; incongrua verò, quia priùs fuissent Prælati Ecclesiæ, quàm filii ejusdem unde supponit Augustinus Epist. 167. priùs Baptismum, quam Eucharistiam recepisse: *Quomodo* inquit, *poterant Eucharistiam accipere Discipuli nondum baptizati?*

Prob. 2. Discipuli Christi ante Passionem Baptizabant; ergo Baptismus ante Passionem erat institutus: quandoquidem usus præsupponat institutionem. Prob. Ant. ex illo Joan. 3. v. 22. *Post hæc venit JESUS & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum iis, & baptizabat*, nempè per Apostolos, ut satis insinuat textus.

Nec opponas Baptismum, quo ante Passionem utebatur Christus, fuisse figuram illius quem postea erat instituturus: quia nulla est apparentia, quòd ille qui venerat figuris umbraticis finem daturus, ab institutione umbraticorum inciperet.

Nec satisfacis dicendo, baptizasse Baptismo Joannis: quia licèt Christus non venerit ministrari, sed ministrare in iis, quæ pertinebant ad externam conversationem, non tamen in iis, quæ pertinebant ad Ecclesiæ suæ ædificationem: & sic non est verisimile baptizasse Baptismo servi sui, sed proprio. Et certè si Baptismo Joannis usus fuisset, cur indignarentur Joannis Discipuli, quòd Christus baptizaret, ut habetur Joan. 3. cùm indè ipsi & eorum Magister fuissent multùm honorati? Accedit authoritas Augustini Tract. 12. in Joan. expressè dicentis: *Christus baptizatus baptizabat, non eo Baptismo baptizabat quo baptizatus est*. Idem habet Glossa in cap. 4. Joan. Deinde Baptismum suum distinguit ipsemet Joannes à Baptismo, quem conferebat Christus, quòd hic gratiam conferret, non ille; *Ego baptizo vos in aqua*, inquit Matth. 3. v. 11....... *ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto*.

Obj. 1. Contra Conclusionem; Joan 4. legitur quòd Christus non baptizaret: ergo baptismus ante Passionem non erat institutus; aliàs certò baptizasset.

Res. Licèt non baptizaret per se, baptizabat tamen per Discipulos, ut habetur ibidem. Præterea dici potest, quòd non baptizaret communiter, licèt aliquando baptizaret; nam si Evodio Episcopo Antiocheno credimus, *Christus manibus suis Petrum baptizavit*; si D. Vincentio Ferrerio, baptizavit & Beatam Virginem, imò & Joannem Baptistam.

Obj. 2. Tunc fuit institutus Baptismus, quando tradita fuit ejus forma: sed juxta D. Leonem Epist. 4. ad Episcopos Siciliæ cap. 3. *Christus postquam resurrexit à mortuis, Discipulis suis & formam & potestatem tradidit baptizandi*: ergo

Resp. Dist. Maj. Quando tradita fuit forma essentialis: C. Accidentalis, seu ritus & ordo, quo ministrandum erat Baptisma, prius nempe gentes evangelizando, instruendo, ac postea baptizando. N. Hæc autem (de qua verisimile est loqui D. Leonem) tradita fuit post passionem: illa ante.

Obj. 3. Theophilactus & Chrysostomus docent Baptismum quo baptizabant Discipuli ante Passionem Christi, fuisse expertem Spiritu: ergo necdum erat institutus Christi Baptismus gratiæ collativus.

Res. sic loqui, non quòd Baptismus ille Spiritum seu gratiam non conferret; sed quia non conferebat gratiam aperientem proximè cœli januam, quæ ante passionem omnibus erat clausa.

Solet etiam objici Tertullianus asserens Apostolos ante Christi Passionem nec fuisse baptizatos, nec alios baptizasse, nisi Baptismo Joannis; sed huic opponi debent authoritas Augustini & rationes suprà ex Scripturis desumptas.

Obj. 4. Baptismus habuit suam efficaciam à Christi Passione; ergo hanc non præcessit ille.

Res. Si Argumentum quidquam probaret, probaret nequidem Eucharistiam fuisse ante Passionem institutam cùm hæc, sicut alia Sacramenta efficaciam suam habeant à Christi Passione: unde in forma: Baptismus habuit suam efficaciam à Passione Christi prævisa, & à Deo acceptata: C. à Passione peracta: N. undè sicut ex Passione prævisa gratiam suam hauserunt Patres veteris Testamenti, ita & Baptismus efficaciam suam. Quando igitur dicuntur Sacramenta fluxisse de latere Christi, non est sensus, quòd indè institutionem suam acceperint, sed perfectionem, seu quòd tunc fuerit consummata causa eorum meritoria.

Obj. 5. ante Passionem *nondum spiritus erat datus, quia JESUS nondum erat glorificatus*, Joan. 7. v. 39. ergo Baptismus, per quem datur Spiritus S. seu gratia, necdum erat institutus.

Res. Dist. Ant. Spiritus S. non erat datur visibiliter, sicut in die Pentecostes: C. invisibiliter: N. nam sic datus erat Magdalenæ, sic Paralitico, sic latroni, sic Apostolis.

Obj. 6. Credibile est Christum instituisse Baptismum quando dedit Apostolis potestatem baptizandi: sed post Passionem dixit Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris &c.* ergo.

Resp. Dist. Maj. Quando dedit potestatem generalem respectu omnium gentium: N. Particularem respectu Judæorum: C. undè post Passionem, datam potestatem ad Judæos ampliavit ad omnes populos, Vel dic aliter junxisse Matth. ult. potestatem antea datam cum præcepto, ut Apostoli quidem tenerentur baptizare petentes, & populi tenerentur Baptismum recipere post sufficientem Evangelii promulgationem.

CONCLUSIO III.

Baptismus non fuit institutus, antequam Christus baptizaretur à Joanne, nec quando baptizabatur, nec dum colloquebatur cum Nicodemo. Est Scoti quoad omnes suas partes.

Prob. 1. pars; quia antequam baptizaretur, Christus nec Evangelium prædicaverat, nec legem condiderat, nec Apostolos assumpserat de Baptismo instruendos.

Prob. 2. Pars: quia si tunc Baptismum instituisset, vel in actu exercito, vel in actu signato: non primum; quia Baptismus *ille*, inquit Scotus 4. d. 3. q. 4. n. 2. *non fuit Baptismus Christi, id est, in forma Christi, sed in forma Joannis*. Si dicas non instituisse Baptismum recipiendo, sed Baptistam suum baptizando; Dicam ego purificasse quidem Baptistam suum, ut habet S. Maximus Homil. 1. de Epiphania, non tamen per Baptismum, sed per purum gratiæ augmentum; quandoquidem Matth. 3. ubi accuratè exponitur tota illa ceremonia, ne implicitè quidem insinuetur, Joannem tunc à Christo fuisse baptizatum. Non etiam secundum, quia tunc non agebat Christus ut persona publica, qualis debet esse Legislator, sed ut persona privata, & pœnitens coopertus peccatis, non suis, sed nostris: unde canitur in Vesperis Epiphaniæ: *Hodie in Jordane à Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos*.

Scio P. Gonet exponere Christum in cruce sustinuisse personam pœnitentis & peccatoris, & tamen legislatoriè exclamasse legem nempe veterem abrogando: *Consummatum est*; sed scio Doctorem nostrum 4. d. 3. q. 4. n. 18. asserere illud *Consummatum est*, intelligi de iis, quæ scripta sunt de filio hominis, juxta illud Luc. 18. v. 31. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis*: unde sicut per illam vocem non instituit formaliter legem novam, ita nec abrogavit formaliter veterem, quæ duravit Jerosolymis usque ad Pentecosten, & ulterius alibi, ut diximus in Tract. de legibus.

Dices 1. SS. PP. dicunt aquas tunc fuisse mundatas & consecratas, accepisse vim peccata abluendi, jus Baptismatis &c. sed aquæ non habuissent tunc illum effectum, nisi tunc fuisset institutus Baptismus; cùm id non habeant, nisi in quantùm sunt materia Baptismi: ergo.

Resp. Sic Patres loqui, non quia tunc virtutem aliquam intrinsecam recepissent aquæ, sed quia tunc destinatæ sunt tanquam materia Baptismi brevi instituendi, seu quia *Christus*, ut ait Scotus dist. 3. q. 4. n. 2. *dedicavit tunc aquam, tanquam materiam idoneam sue Baptismo, ex contactu suę mundissimæ carnis*: nec plus velle Patres inde patet, quòd etiam illi, qui volunt institutum fuisse Baptismum post Resurrectionem, eodem modo loquantur, ut videre est apud Tertullianum lib. adversus Judæos cap. 8.

Dices 2. Tunc concurrisse omnia ad Baptismi institutionem pertinentia; nam 1. per Christi contactum consecrata est materia remota. 2. Per illius corporis ablutionem indicata est materia proxima. 3. Tradita est forma implicitè per vocem

Pa-

Patris, per Perſonam Filii carne velati, per præſentiam Spiritus Sancti in ſpecie columbæ apparentis. 4. Aperti ſunt cæli ut denotaretur effectus Baptiſmi cœlum aperientis.

Reſp. Inde ſequi fuiſſe inſtitutum quaſi inchoatè & velut in exemplari, non tamen formaliter, propter rationes prius allegatas.

Prob. 3. pars: nempe quòd non fuerit inſtitutus in colloquio cum Nicodemo; quia *non eſt veriſimile*, inquit Scotus ſup. *tam neceſſarium Sacramentum in conclavi, & coram perſona privata inſtitui, quæ non debebat eſſe præco inſtitutionis illius*.

CONCLUSIO IV.

VEriſimilius eſt inſtitutum fuiſſe Baptiſmum paulò poſt initium prædicationis Chriſti, quando nempe Joan. 3. miſit Diſcipulos ſuos ad prædicandum & baptizandum.

Prob. Quia credibile eſt Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum illud coram iis, qui debebant eſſe illius præcones & Miniſtri, adeoque coram Diſcipulis, cùm id fecerit in aliorum Sacramentorum inſtitutione; ergo cùm initio ſuæ prædicationis Diſcipulos aſſumpſerit, illiſque tunc officium baptizandi commiſerit, rationabiliter creditur, tunc fuiſſe inſtitutum Baptiſmum.

Ratio congruentiæ eſt; quia conveniebat ut tunc inciperet Baptiſmus, quando incipiebat prædicari lex nova, cùm Baptiſmus ſit hujus legis janua, clavis & profeſſio.

QUÆSTIO II.

An Baptiſmus Joannis fuerit verum Sacramentum, & quænam ejus materia & Forma?

CONCLUSIO I.

BAptiſmus Joannis non fuit verum Sacramentum. Eſt contra Hæreticos, tum antiquos, tum recentiores qui per conſequens videntur admittere Baptiſmum Joannis fuiſſe Sacramentum, quando aſſerunt eumdem fuiſſe Baptiſmum Joannis & Chriſti, ſed condemnati ſunt in Concilio Trid. Seſſ. 7. Can. 1. ubi legitur: *Si quis dixerit Baptiſmum Joannis eamdem vim habuiſſe cum Baptiſmo Chriſti anathema ſit*.

Prob. 1. Baptiſmus Joannis non fuit permanenter inſtitutus, ſed ad breve tempus, tamdiu nempe neceſſarium eſſe ad diſponendos ſufficienter populos, ut ſine moleſtia & contradictione Chriſti Baptiſmum ſuſciperent, ut docet Scotus diſt. 2. q. 2. n. 2. poſt Sanctos Patres, quorum aliqui vocant Joannis Baptiſmum *præparatorium*, alii *initiatorium*, alii *introductorium*, alii *rudimentum*, nempe ad Chriſti Baptiſmum: ſed verum Sacramentum debet eſſe ſtabiliter & permanenter inſtitutum, ut docuimus initio Tractatus primi: ergo.

Prob. 2. Eſt de ratione veri Sacramenti cauſare gratiam ex opere operato, ut patet ex dictis: atqui gratiam non contulit ex opere operato Baptiſmus Joannis, ſed ad ſummum ex opere operantis: ergo. Prob. Min. 1. ex Scriptura Marc. 1. ubi Joannes ipſe ait: *Ego baptizo vos aqua, ille vero*, nempe Chriſtus, *baptizabit vos Spiritu S.* ubi Baptiſmo ſuo tantùm tribuit mundationem exteriorem per aquam, Baptiſmo autem Chriſti, etiam interiorem per gratiam. 2. Ex Tertulliano lib. de Baptiſmo cap. 10. *In actibus Apoſtolorum invenimus, quoniam qui Joannis Baptiſmum habebant, non accepiſſent Spiritum S.* 3. Quia Baptiſmus Joannis ordinabatur ad Chriſti Baptiſmum, tanquam imperfectum ad perfectius; hoc autem non ſtaret, ſi tanta fuiſſet utriuſque efficacia.

Dices 1. *Simul atque acceſſerat quis*, inquit Baſilius homil. de Bapt. c. 2. *& peccata ſua, quantacumque & qualiacumque fuiſſent, confeſſus fuerat, in Jordanis flumine baptizabatur, confeſtim peccatorum remiſſionem accipiebat*: ergo Baptiſmus ille gratiam conſerebat cum de lege ordinaria non fiat peccati remiſſio, niſi fiat gratiæ infuſio.

Reſ. D. Baſilium, & alios ſimilia docentes, tantum velle, quòd peccata deleret, & gratiam conſerret ex opere operantis, in quantùm excitabat in ſuſcipientibus peccatorum deteſtationem & dolorem: unde S. Petrus Chryſolog. ſerm. 137. *Per Baptiſma Joannis purificabatur homo ad Pænitentiam, non promovebatur ad gratiam*.

Inſt. Eodem modo loquitur Scriptura de Baptiſmo Joannis, ac de Baptiſmo Chriſti, quoad peccatorum remiſſionem; nam de primo ait Marc. 1. *Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum Pænitentiæ in remiſſionem peccatorum*; de ſecundo autem. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*, Act. 2.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Et dico in ſecundo paſſu Ly *in remiſſionem peccatorum* afficere immediatè Ly *baptizetur*: in primo verò tantùm afficit mediatè Baptiſmum, & immediatè Pœnitentiam, ad oſtendendum, quòd Baptiſmus Chriſti per ſe, adeoque ex opere operato, & Baptiſmus Joannis per Pœnitentiam, adeoque ex opere operantis peccata deleret: unde primus dicitur *Baptiſmus* ſimpliciter, ſecundus *Baptiſmus Pænitentiæ*.

Dices 2. Baptizati Baptiſmo Joannis non debuerunt baptizari Baptiſmo Chriſti: ergo ſignum eſt contuliſſe gratiam.

Reſ. Neg. Ant. Contrarium patet tùm ex Scriptura Act. 19. ubi Paulus baptizatos Baptiſmo Joannis, juſſit baptizari Baptiſmo Chriſti, tum ex Auguſtino pluribi, & maximè Homil. 5 ſuper Joan. ubi ait: *Si quos baptizavit Joannes iterum ſunt baptizandi*. Huic autem conformes ſunt Origenes, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus & alii; tum etiam quòd malè diceretur Baptiſmus ille præparatio aut diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti; quandoquidem, illo accepto non fuiſſet accipiendum Chriſti Baptiſma.

CONCLUSIO II.

MAteria remota illius Baptiſmi fuit aqua, proxima verò ablutio, ut patet ex quatuor Evangeliſtis, & Patribus communiter. Quænam autem fuerit forma? Incertum eſt. Imò Durandus cum quibuſdam aliis docet, Joannem baptizaſſe ſine ulla verborum forma: alii tamen probabilius exiſtimant adhibuiſſe aliquam, & quidem determinatam, nempè *in nomine Chriſti venturi*, nituntur que non ſolùm authoritate DD. Ambroſii, Auguſtini, & Thomæ, ſed etiam aliqualiter Scripturæ. Act. 19. in qua ſic legitur: *Joannes baptizavit Baptiſmo Pænitentiæ populum dicens in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in JESUM.* Si objicias jam Chriſtum, tempore quo baptizabat Joannes, adveniſſe, adeoque non fuiſſe venturum reſponderent, tibi non fuiſſe venturum ſimpliciter, ſed fuiſſe venturum per prædicationem Evangelii, & munus baptizandi, in quo ſenſu loquebatur Baptiſta.

Petes: Quis author fuerit hujus baptiſmi?

Reſ. Probabiliùs Deum fuiſſe authorem principalem, Joannem verò tantùm miniſterialem; adeoque omnem illius Baptiſmi ritum, fuiſſe ipſi à Deo inſpiratum. Colligitur ex Luc. 3. ubi dicitur: *Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, & venit prædicans Baptiſmum Pænitentiæ*; & ideo dicit ſe miſſum eſſe ad baptizandum, Joan. 5.

QUÆSTIO III.

Quandonam cæperit obligare Baptiſmus Chriſti?

JUxta dicta in Tractatu de legibus, ubi hanc materiam fuſiùs explicatam reperies, diſtinguenda ſunt duo baptiſmi tempora: Primum fuit ab ejus inſtitutione uſque ad ſufficientem legis novæ promulgationem. Secundùm à ſufficienti promulgatione ad finem Sæculi. Quatuor autem aſſignari poſſunt Circumciſionis tempora: Primum ab ejus inſtitutione ad inſtitutionem Baptiſmi, & tunc fuit & neceſſaria & utilis. Secundum ab inſtitutione Baptiſmi, ad promulgationem legis Evangelicæ, & tunc fuit utilis, non neceſſaria quantùm ad deletionem Originalis; quia liberum erat unicuique vel baptiſmum, vel circumciſionem eligere. Dico *quantùm ad deletionem Originalis*; quia in quantùm Circumciſio erat ſignum proteſtativum legis Moſaicæ, & diſtinctivum populi Judaici ab aliis gentibus, neceſſaria fuit quamdiu lex vetus duravit; ita ut peccarent Adulti, ſi aut pro ſe, aut pro ſuis parvulis, illam non adhiberent. Tertium fuit à promulgatione legis Evangelicæ ad breve aliquod tempus, puta ad 12. aut 14. annos: & tunc nec fuit utilis nec neceſſaria, ſed tamen licita, ſeu tolerata, ut cum honora ſepeliretur mortua Mater Synagoga. Quartum à Sepultura legis Moſaicæ, ad finem mundi quo tempore nec eſt utilis, nec neceſſaria, nec licita ſed mortifera.

CONCLUSIO I.

BAptiſmus non obligavit ante mortem Chriſti, fuit tamen utilis.

Prob. 1. Pars tum authoritate DD. Angelici & Subtilis, quorum primus ſic habet qu. 66. art. 2. *Neceſſitas utendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus poſt Paſſionem*. Secundus vero 4. d. 3. qu. 4. num. 11. probat non obligaſse, quamdiu duravit lex vetus. Tùm etiam ratione, quia non eſt veriſimile, Deum voluiſse ſimul obligare homines ad onera legis

Evangelicæ & Mosaicæ; Hæc autem ad minimum duravit usque ad Christi mortem. Præterea non obligavit lex nova ante Christi mortem; ergo nec obligavit ipsius fundamentum nempè Baptismus.

Dices 1. Fuit institutus Baptismus ante Christi mortem: ergo antea obligavit.

Resp. Neg. Conseq. Quia licèt tunc fuerit institutus, non fuit tamen propositus, ut necessarius ad salutem; cùm lex positiva, qualis est baptismi, non obliget tempore institutionis, sed promulgationis: unde tunc fuit sub consilio non sub præcepto.

Dices 2. Ante Passionem suam dixit Christus: *Nisi quis renatus fuerit &c.* ergo.

Ref. Per illa verba non insinuatam esse à Christo obligationem Baptismi præsentem, sed futuram, quando nempè fuisset sufficienter promulgata

Dices 3. Instructus ante Passionem tenebatur in Christum credere: ergo & ejus Baptismum suscipere.

Ref. N. conseq. Disparitas est, quod fides de Christo esset sub præcepto: non autem susceptio Baptismi necdum solenniter promulgati: undè si quis tunc voluisset Gentilismum relinquere, potuisset vel per Circumcisionem amplecti legem Moysis, vel per Baptismum legem Christi, licèt necdum obligaret; debuisset tamen servare legem naturæ.

Prob. 2. Pars: quia Baptismus statim à sua institutione contulit gratiam, cùm ex tunc fuerit verum Sacramentum. ergo utilis fuit ante Passionem. Præterea ex tunc fuit remedium sufficiens ad expiationem originalis; ita ut Circumcisio non fuerit amplius, ad hunc finem absolutè necessaria; *Si enim unum præceptum impositum*, inquit Scotus sub. n. 7. *totaliter revocat aliud circa eamdem rem, consilium seu monitio de uno, facit aliud non necessarium*; & consequenter *consilium de Baptismo reddebat Circumcisionem non necessariam.*

Dices: Consilium de uno, tollere necessitatem de altero incompatibili, non tamen de altero compatibili; sic quia non compatiuntur simul in uno virginitas & Matrimonium, consilium de priori tollit necessitatem posterioris; quia tamen compatibiles sunt in eodem Circumcisio & Baptismus, consilium hujus non tollit necessitatem illius.

Ref. Quòd licet Circumcisio & Baptismus non sint incompatibiles secundùm se, sint tamen per ordinem ad remissionem Originalis; & ideo sicut in illo sensu præceptum Baptismi fuit prohibitio circumcisionis; ita consilium de Baptismo fuit licentia omitrendi Circumcisionem, ut subtiliter ratiocinatus Scotus in Reportatis n. 7. Ex dictis

Resol. 1. Duplicem Baptismi fuisse promulgationem, unam per modum consilii factam ab Apostolis baptizantibus ante Passionem; altera per modum præcepti factam Hierosolymis in die Pentecostes, & alibi posteà. Prima promulgatio evacuavit necessitatem Circumcisionis quoad deletionem Originalis non tamen utilitatem; Secunda verò evacuavit utramque.

Resol. 2. ex Scoto sup. n. 8. *Si ante Passionem aliquis Judæus ad prædicationem Christi aut Petri, parvulum suum baptizasset, & non circumcidisset, si parvulus fuisset mortuus, salvatus fuisset; quia recepit gratiam in Baptismo*

CONCLUSIO II.

Baptismus non obligavit formaliter statim à morte Christi sed tantùm post sufficientem illius promulgationem id est Hierosolymis in die Pentecostes, & alibi successive; prout illuc pervenit illius notitia; ita tamen ut omnes obligaverit circa excidium Hierosolymitanum, quod accidit anno quadragesimo à Christi Passione.

Prob. 1. Pars ex Trid. sess. 6 cap. 4. ubi docet justificationem *post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non posse*: ergo supponit fieri potuisse ante Evangelii promulgationem sine Baptismo, adeoque ante promulgationem, seu in Christi morte, non obligasse Baptismum.

Deindè lex non transit de non obligante ad obligantem nisi ratione promulgationis præceptivæ; sed in Christi morte nulla talis intercessit promulgatio, ut per se patet: ergo sicut ante Christi mortem non obligabat Baptismus, nec in ejus morte.

Dices. Incipit obligare Baptismus, quando desiit obligare lex vetus: sed hæc desiit in morte Christi exclamantis *Consummatum est*: ergo.

Resp. Neg. Min. & dico illud *Consummatum* intelligendum esse ut q. 1. Concl. 3. Præterea esto intelligeretur de lege, dicendum est in Christi morte fuisse consummatam in causa, non formaliter. Plura circa hoc V. in Tract. de legibus.

Prob. 2. Pars quia ut fert Axioma commune, lex non obligat, nisi sufficienter promulgata: atqui lex de recipiendo Baptismo non fuit promulgata, nisi in die Pentecostes Hierosolymis & alibi successivè: ergo, Prob. Min. quia ante illum diem non prædicaverunt publicè Apostoli, juxta illud Luc. 24. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*, id est, donec recipiatis solemnites Spiritum S.

Dices 1. Licèt lex humana dependeat à promulgatione, ut obliget, non tamen divina; quia Legislator divinus non habet potestatem suam à subditis, sicut humanus saltem civilis.

Resp. Non requiri promulgationem propter rationem illam, sed quia justum est (cum lex sit regula faciendorum) facienda sic manifestari, ut possint ad notitiam subditorum pervenire, cum non possint nisi nota exequi.

Dices 2. Promulgaram esse legem Baptismi in die Resurrectionis, quando nempè dixit Christus Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

Ref. Non fuisse ibi promulgationem solemnem, qualem requirit lex, innumeras communitates obligatura, sed tantùm intimationem particularem factam in loco particulari, coram aliquibus particularibus & certè quis unquam somniavit solemnem esse legis promulgationem, quando Papa aut Rex in conclavi legem exponit coram 20. aut 30. Cardinalibus, aut Consiliariis?

Inst. Manifestationem illam esse sufficientem ad inducendam obligationem licèt non sufficiat ad tollendam subditorum ignorantiam. Sed

Contra est, quòd finis promulgationis sit notitia legis, adeoque depulsio ignorantiæ oppositæ, & consequenter ubi non sufficit ad tollendam ignorantiam, nec sufficit, ut habeat rationem promulgationis.

Dices 3. ex Sententia nostra sequitur adhuc hodie aliquas esse orbis partes, in quibus necdum obligat Baptismus, cùm ibi necdum fuerit sufficienter promulgatus.

Ref. N. Sequelam, & dico ita prædicatum esse in universo orbe Christi Evangelium & Baptismum, ut potuerint ad omnium notitiam pervenire, juxta illud Psalmistæ & Apostoli ad Romanos: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: unde in Indiis, in Japonio, & in remotissimis terræ partibus non ita pridem repertis, inventa sunt aliqualia Christianæ Religionis vestigia, quod signum est fuisse olim ibi annuntiatum Evangelium.

Dices 4. Augustinus Epist. 80. asserit in excidio Hierosolymitano necdum fuisse cunctis gentibus annuntiatum Evangelium: imo nec esse omnibus annuntiandum ante finem mundi ergo &c.

Resp. Tantum velle non esse omnibus annuntiatum & annuntiandum cum fructu & conversione audientium.

QUÆSTIO IV.

Quomodo necessarius sit Baptismus ad salutem?

Diximus Qu. præc. Necessarium esse ad salutem Baptismum post sufficientem Evangelii promulgationem hic quæritus qua necessitate sit necessarius, an medii ita ut, illo etiam inculpabiliter omisso, non possit obtineri salus? An præcepti ita ut si inculpabiliter omitteretur, salus posset obtineri?

Circa Baptismi necessitatem varia fuerunt Hæreticorum dogmata. Pelagiani, qui peccatum originale negabant, consequenter Baptismi necessitatem ad illius peccati deletionem non admittebant, licèt necessarium existimarent ad regni cælestis assecutionem ut patet ex Augustino pluribi & præsertim serm. 14. de Verbis Apost. ubi sic Pelagianum alloquitur: *Parvulus non baptizatus non intrat in regnum cælorum, & tu dicis, & ego.* Turpius errabant Manichæi, qui Baptismum rejiciebant, eò quòd aquas & alia corpora existimarent esse à Diabolo. Waldenses ut cæremoniam inutilem Baptismum relegabant. Calvinus verò lib. 4 Inst. c. 15. n. 20. negat esse necessarium necessitate medii parvulis, qui ex parentibus fidelibus nascuntur, vult ante nativitatem esse justificatos, ac in Filios Dei adoptatos: *Infantes nostros*, inquit, *antequam nascantur se adoptare in suos pronuntiat Deus.* Sed quomodo pronuntiant filios adoptionis, cùm per os Apostoli dicat esse filios iræ? & ideo sit

CONCLUSIO I.

Necessarius est de lege ordinaria necessitate medii Baptismus in re omnibus parvulis, nisi Martyrium subeant. Est communis contra Gersonem & Cajetanum, quorum ultimus sustinet infantes in utero matris periclitantes salvari

ri posse per Baptismum susceptum in Voto parentum, modò SS. Trinitas invocetur, & parvulus benedicatur, seu Deo offeratur: sed hæc opinio singularis, quam variis censuris notant Authores, adeo displicuit Pio V. ut eam ex ipsius operibus jusserit expungi.

Prob. 1. Conclusio: Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo quis nullarenus potest cœlum ingredi, sed nullus parvulus extra casum Martyrii, potest cœlum ingredi sine Baptismo realiter suscepto: ergo. Prob. Min. Nemo potest ingredi cœlum, nisi per Baptismum in re vel saltem in voto, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.*, atqui parvulus non potest ingredi per Baptismum in voto: ergo ei necessarius est Baptismus in re.

Dices cum quodam Calvinista particulam *Et* in passu allegato sumi disjunctivè, ita ut sensus sit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua vel Spiritu S.* Ita ut sufficiat vel aqua Baptismi, vel gratia Spiritus sancti. Sed

Contra, est quòd Scriptura sacra sit sumenda in sensu proprio & litterali etiam fatentibus Calvinistis, quando indè nulla sequitur contradictio aut implicantia: sed nihil tale sequitur ex eo, quod particula *&* sumatur ibi conjective: ergo Deinde illam conjectivè sumpserunt omnes SS. PP. omnes Theologi, omnes interpretes. Numquid tu doctior tota antiquitate? Sed numquid millies indoctior, cùm ex particula illa disjunctivè sumpta, sequatur posse aliquem justificari & spiritualiter renasci per meram aquæ ablutionem, cum exclusione Spiritus S. ut patet rem vel leviter consideranti.

Prob. 2. ex SS. PP. Augustino lib. 3. de origine animæ cap. 9. *Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad Originalium indulgentiam delictorum, si vis esse Catholicus.* Ambrosio lib. 2. de Abraham, cap. 11. ubi sic verba Joannis exponit: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* Idem reperies apud Hieronymum, Nazianzenum & alios.

Obj. 1. Filii fidelium reputantur semen Abrahæ: sed qui sunt de semine Abrahæ, sive baptizentur, sive non, sunt filii Dei, cum Deus dixerit Gen. 17. *Ero Deus tuus & seminis tui*: Ergo.

Resp. Sed numquid semen Abrahæ erat David? & tamen dicebat Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea.* Numquid filius Sanctorum erat Apostolus, ut ait ipsemet 1. Corinth. 15. & tamen *Eramus & nos*, inquit, Ephes. 2. *natura filii iræ*. Undè sicut ante legem Evangelicam, nullus erat semen Abrahæ spiritualiter, id est, justus sine Circumcisione, aut alio remedio, ita nec ullus jam sine Baptismo.

Obj. 2. Passus Joan. 6. v. 50. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam in vobis*, non comprehendit parvulos: ergo nec passus Joan. 3 *Nisi quis renatus fuerit &c.*

Resp. N. conseq. Disparitas est, quòd Christus in primo alloquatur solos Adultos, ut patet rum ex contextu, tum ex illo verbo *manducaveritis* expresso in secunda persona, quo innuat se tantùm alloqui capaces intelligendi, quales non sunt parvuli: in secundo autem cùm in tertia persona loquatur: *Nisi quis renatus fuerit*, non magis adultos alloquitur, quàm parvulos; adeoque & hos, & illos comprehendit.

Obj. 3. Filii fidelium vocantur Sancti, 1. ad Corinth. 7. V. 14. atqui Sancto non est necessarius Baptismus necessitate medii: ergo.

Resp. dist. Ma. Vocantur Sancti, quia tales sunt formaliter ante Baptismum, N. quia destinantur ad sanctitatem per Baptismum suscipiendam, C. & ideo filii fidelium appellantur à DD. August. & Hieronymo *Candidati fidei & sanctitatis*. Aliæ expositiones videri possunt apud Interpretes.

Inst. Ibidem dicitur, quòd mulier fidelis sanctificet virum infidelem, & è contra: ergo à fortiori uterque parens fidelis sanctificat filium suum per procreationem.

Resp. Dist. Ant. Sanctificat virum infidelem, quia conjungitur ipsi, N. quia ejus ope, monitis, ac vita exemplari baptizatus est, aut speratur baptizandus, C. sed neganda est conseq. Unde Aug. lib. 2. de peccat. merit. c. 12. *Nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur nisi in Christo fuerint baptizati.*

Obj. 4. Cum Cajetano: In lege veteri, pro pueris periclitantibus ante octavum diem sufficiebat fides parentum cum aliquo signo sensibili: ergo & in lege nova pro infantibus in utero materno morituris.

Resp. 1. N. conseq. Disparitas est, quòd nunc infantes possint à primo instanti nativitatis baptizari, non possent autem tunc, Deo prohibente, ante octavum diem nativitatis circumcidi, & ideo ne, illo intervallo, omni remedio destituerentur, aliud subministratum est.

Resp. 2. Ut valeret paritas Cajetani, debuisset dicere Tunc pro parvulis in utero materno periclitantibus sufficiebat fides parentum &c. ergo & nunc pro illis: sed tunc negassemus Ant sicut nunc negamus conseq.

Obj. 5. Parvuli in utero materno sunt capaces culpæ originalis: ergo & remedii; cùm hoc videatur ad suavem Dei providentiam pertinere.

Resp. Neg. conseq. Quia sufficit, ut Deus sincerè velit ipsos salvare, quòd remedium instituerit pro 1. instanti nativitatis, & aliunde statuerit eorum nativitatem non impedire, nisi cum causis secundis debeat concurrere. Sed hac de re plura in Tract. de Gratia sufficienti.

CONCLUSIO II.

Baptismus in re, vel in voto necessarius est ad salutem, omnibus adultis, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti, si casum Martyrii excipias.

Dixi 1. *In re vel in voto*, quia quibus impossibilis est Baptismus defectu Ministri aut alterius rei, sufficit ad justificationem, & consequenter ad salutem dilectio Dei super omnia, aut contritio perfecta, in quibus continetur voluntas efficax, saltem implicita, servandi omnia Dei mandata, & consequenter Baptismum suscipiendi; non sufficit tamen votum nudum Baptismi, id est, separatum ab actu dilectionis aut contritionis perfectæ; quia cùm votum illud non possit extra Sacramentum justificare, ità nec potest ad salutem sufficere.

Dixi 2. *Si casum Martyrii excipias*; quia ostendemus postea posse vices Baptismi impossibilis supplere.

Prob autem 1. pars Conclusionis, tum ex regula generali Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*; tum ex Trid. sup. definiente non posse fieri justificationem sine lavacro regenerationis, quæ omnia important necessitatem medii.

Prob. 2. pars. Quia si nobis impositum est aliquod præceptum, maximè de eo, sine quo non potest obtineri vita æterna; cùm omnia præcepta eò tendant, ut illam quæ omnium creaturarum rationalium finis est & æterna requies, assequamur, sed sine Baptismo non potest vita æterna obtineri, ut diximus: ergo. Accedit quòd teneamur ingredi Ecclesiam, ac aliorum Sacramentorum fieri capaces, sed illa non possumus sine Baptismo: ergo. Ex dictis

Resol. 1. Præceptum Baptismi etiam obligare illos, qui fuerunt per Baptismum Flaminis, aut Sanguinis justificati, si supervivant aut naturaliter, aut miraculosè. Ratio est; quia præceptum illud non imponitur propter solam justificationem; cùm justus esset Nicodemus teste Augustino Tract. 11. in Joan. & tamen Christus dixerit illi: *Nisi quis renatus fuerit*; sed etiam propter alios fines, ut nempe suscipiens fiat membrum Ecclesiæ, configuretur Christo per Characterem, sitque idoneus ad aliorum Sacramentorum susceptionem.

Resol. 2. Propter rationes illas debuisse baptizari B. Virginem, licèt sine culpa originali conceptam. Nec periculum fuit falsitatis formæ; quia illud verbum *Baptizo* significat: Confero tibi gratiam, quantùm est de se abluentem, si nempe reperiat quod abluat.

Resol. 3. Idem à fortiori dicendum esse de sanctificatis in utero: unde D. Thomas q. 68. art. 1. ad 3. *Si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem Characteris, aliis membris Christi conformarentur.*

Resol. 4. Mortuum sine Baptismo, sed justificatum per contritionem, debere, si ad vitam revocetur, realiter baptizari; quia non fuit justificatus sine voto Baptismi suscipiendi, ubi occasio se offerret; hæc autem obligatio non extinguitur: nam sicut mortuus cum peccato non confesso defectu Confessarii, tenetur reviviscens illud confiteri, ità in nostro casu.

QUÆSTIO V.

Quo tempore adimplendum sit Baptismi præceptum?

Hoc præceptum respicit tum Adultos prose, tum parentes pro suis parvulis, quibus tenentur suo tempore Baptismum procurare.

CONCLUSIO I.

Tenetur quilibet Adultus statim moraliter, ubi commodè fieri potest, Baptismum sibi procurare. Est communis & certa.

Prob. 1. Tenetur quis interiùs credere, ubi fidei Mysteria sibi sufficienter proponuntur: ergo & exteriùs fidem profiteri: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. vers. 10. sed præcipuè voluit Deus hanc professionem fieri in Baptismo, qui ideo dicitur *Sacramentum fidei*: ergo.

Prob. 2. Obligatur quilibet ex præcepto naturali divino salutem suam procurare, sed differens notabiliter Baptismum, etiam notabiliter salutem suam negligit: ergo. Prob. Min. quia ultra quòd vivat extra Ecclesiam, extra quam non est salus, etiam privatur omnium Sacramentorum fructibus, quibus indiget homo peccator.

Prob. 3. Tenemur esse membrum Ecclesiæ non solùm ut in ea moriamur, sed etiam ut in ea vivamus: ergo non solùm in periculo vitæ, sed ubi commodè fieri potest, suscipiendus est Baptismus. Et certè aliud tempus rationabiliter assignari non potest: unde sicut foret ridiculus, qui vellet militare finito bello; ita foret irrationabilis, qui militiam Christianam, in qua tenetur adscribi, tantùm vellet ingredi finitis hujus vitæ bellis & periculis.

Dices 1. Magis proficuum est Baptismum differre, quàm anticipare: ergo. Prob. Ant. quia quo diutius differtur, eò plura peccata quoad culpam & pœnam tolluntur.

Resp. cum D. Thoma 4. d. 4. q. 3. art. 1. *Quamvis Baptismus in fine vitæ susceptus plura peccata præterita tolleret, tamen pauciora impediret, & ad pauciora dona promoveret, & ideo minus esset utilis*: cùm melius sit vel unicum peccatum impediri, quàm mille tolli. Præterea cùm multis casibus subjaceat homo, potest morte inopinata præventus Baptismo frustrari: *Multos novi*, inquit Chrysostomus homil. 13. in Epist. ad Hebræos, post medium, *qui hoc passi sunt, qui spe Baptismi multa peccabant, circa diem autem mortis discesserant vacui*.

Dices 2. Legitur SS. Ambrosium & Nazianzenum & alios Sanctitate & doctrina conspicuos, tardè admodum Baptismum suscepisse: ergo.

Resp. Id fecisse vel ex instinctu divino, vel ex causa rationabili, vel ex humilitate ut melius disponerentur, vel certè propter ignorantiam invincibilem esse excusandos. *Imo ipsemet Ambrosius factus Episcopus*, Verba sunt Baronii ad annum 377. *se fecisse doluit, & ab aliis ne in posterum fieret, vehementer admonuit*.

Dices 2. Non tenetur peccator statim moraliter pœnitere: ergo nec Catechumenus statim moraliter baptizari.

Res. Neg. Conseq. Disparitas est quòd peccator non statim pœnitens nec sit extra Ecclesiam, nec impetatur Dæmonum tentationibus, sicut privatus Baptismo.

Dices 4. Debuit olim Baptismus, non obstante sufficienti instructione, ad Pascha, aut Pentecosten differri: ergo &c.

Resp. Posse & nunc, ut insinuat Rituale Romanum Tit. *de Baptismo Adultorum*, his verbis: *Docet hujusmodi Baptismum ex Apostolico instituto in Sabatho sancto Paschatis vel Pentecostes solemniter celebrari*. D. Thomas art. 3. tres adfert rationes dilationis licitæ, 1. ut cum majori solemnitate fiat, quod accidit in Vigilia Paschæ aut Pentecostes. 2. Ut magis instruantur baptizandi. 3. Ut probet Ecclesia eorum voluntatem. Ubi autem, ut docet ibidem, judicantur sufficienter instructi, probati, & admittendi, peccant si notabiliter differant.

Dices 5. Præcepta affirmativa, quale est præceptum Baptismi, tantùm obligant in necessitate: ergo ad finem vitæ, aut saltem diu, differens ejus susceptionem, non peccat.

Resp. Neg. Ant. quia etiam extra necessitatem obligant præcepta Fidei, Spei, & Charitatis, imò obligant sæpius in anno, ut suo loco diximus, & tamen sunt affirmativa. Deinde esto tantùm sic obligarent alia, aliter tamen obligat præceptum Baptismi, cùm, illo neglecto, negligatur salus ut antea ostendimus. Ex dictis

Resol. 1. Sufficienter instructum differentem Baptismi susceptionem ad annum integrum sine causa, non posse excusari à mortali, quidquid dicat Ariaga, posse tamen differentem ad semi-annum, aut paulo plus. Hæc omnia colliguntur ex praxi Ecclesiæ Romanæ, quæ nunquam differt ad annum, etiam majoris solemnitatis causa, sed ad summum ad decem menses circiter.

Resol. 2. Ad vitandum omne peccatum in dilatione Baptismi, proportionandam esse causam dilationi; ita ut dilatio diuturnior graviorem exigat causam, brevior, leviorem.

CONCLUSIO II.

TEnentur etiam parentes quàm primum parvulis suis Baptismum procurare, ita ut ly *quam primum* vix patiatur aliquam latitudinem ultra 5. aut 6. dies.

Ratio est; quia etsi fortè, ubi diutius differtur, periculum sit remotum, propter Baptismi facilitatem, & specialem parvuli curam; Ecclesiæ tamen praxi & consuetudine sic declarante, illicitum est ulterius differre, imò excommunicantur in aliquibus Diœcesibus ultra octavum, aut nonum diem differentes: nec immeritò, quia ultra quòd sit indecens & Christiano indignum diu relinquere filium suum mancipium diaboli, & inimicum Dei, longè facilius exponuntur periculo mortis, adeoque & damnationis, quàm adulti.

Obj. 1. Tertullianum lib. de Bapt. c. 18. ubi ad hæc Verba Christi: *Sinite parvulos venire ad me*, sic loquitur; *Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint*. Et ideo Nazianzenus Oratione *de sancto Lavacro*, sentiebat non esse baptizandos parvulos ante triennium, nisi mortis immineret periculum.

Res. Sic sensisse, quia satis frequens erat tertio seculo quo vigebat Tertullianus, & IV. quo florebat Nazianzenus, baptismi dilatio usque ad ætatem grandiorem, quia tamen Ecclesia postea, ob varia quæ evenerunt inconvenientia, contrarium decrevit, ejus judicio standum est.

Objic. 2. Christus baptizatus est trigesimo ætatis anno, imò nonnisi adultos Discipulos baptizari voluit; ergo.

Resp. Neg. Conseq. Quia nec debemus nec possumus omnia quæ egit Christus, & nos eodem modo agere, aliàs cùm Eucharistiam cænatis Discipulis ministraverit, nonnisi cænati possemus illam sumere. Præterea Christus baptizatus est quia voluit, non quia indiguit, sicut indigent parvuli, & sic non erat unde baptizaretur infans. Apostoli autem baptizati sunt adulti; quia jam mundati erant ab Originali per Circumcisionem.

Objic. 3. Baptismus magnas imponit baptizato obligationes: sed non est justum ut quis taliter obligetur nisi volens; ergo.

Resp. Dist. Maj. Imponit obligationes inevitabiles volenti salutem; C. evitabiles N. cum Adultus equidem teneatur jure divino illas assumere.

Obj. 4. Non debet baptizari nisi instructus: sed incapaces sunt instructionis parvuli: ergo.

Res. Christum injungere quidem Apostolis ut prius doceant, ac deinde baptizent, juxta illud Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* sed tantùm vult id esse servandum respectu Adultorum: & certè si hoc universaliter intelligeretur nequidem esset baptizandus parvulus jam jam moriturus quod nullus admiserit.

QUÆSTIO VI.

An Baptismus necessariò præsupponatur aliis Sacramentis.

SEnsus est, an ut quis licitè & validè suscipiat alia Sacramenta, debeat esse Baptizatus?

CONCLUSIO I.

PRæsupponitur necessariò Baptismus ad licitum aliorum Sacramentorum susceptionem. Est communis & certa.

Prob. 1. ex Concilio Florent. in Decreto unionis, ubi Baptismus vocatur *Vitæ spiritualis janua*: quod certè non staret si licitè posset Sacramentum Confirmationis aut aliud ante Baptismum suscipi, quandoquidem posset quis per illud primam vitam spiritualem adipisci.

Prob. 2. Quia sicut debet homo prius nasci corporaliter, quàm in vita corporali nutriatur, augeatur & roboretur, ita & prius nasci spiritualiter (quod fit per Baptismum) quam in vita spirituali confirmetur, crescat confortetur &c. Quod fit per Confirmationem, Eucharistiam &c. Quantùm ad hoc nulla est difficultas, nec scio quemquam huic veritati contradicentem. Sed an etiam ita prærequiratur aliis Sacramentis, ut nulla sint, ubi is non præcessit? Occasio dubitandi ingesta est nuperrimè.

CON-

CONCLUSIO II.

Præſupponitur neceſſariò Baptiſmus ad validam aliorum Sacramentorum ſuſceptionem, excepta ſaltem Euchariſtia, quæ etſi validè, infructuosè tamen ſuſcipitur à non baptizato. Ita poſt SS. Patres, & ſenſum communem, Theologi omnes, contra unum aut alterum recentiorem.

Prob. 1. Ex cap. *Veniens* de Presbytero non baptizato, ubi Innocentius III. mandat ut Presbyter, qui deprehenditur non eſſe baptizatus, baptizetur, & iterum ordinetur; quia, ut ait, taliter legitur conſtitutum in Concilio apud Compendium: ſed ſi Ordo collatus non baptizato valeret, non eſſet Presbyter ille reordinandus: ergo. Si autem non valeat Ordo illo caſu, nec valet Confirmatio, nec valet Matrimonium & ſic de aliis, cùm ſit par ratio.

Prob. 2. Secundum SS. Patres: Baptiſmus eſt fundamentum omnium Sacramentorum: ſed ubi non ſtat fundamentum, nec ſtare poſſunt ſuperædificata: ergo ubi nullus eſt Baptiſmus, nulla ſunt & alia Sacramenta.

Dices 1. Cum Authore moderno: *Enervis eſt hæc conſequentia, Baptiſmus dicitur aliorum Sacramentorum janua & fundamentum: ergo nullo caſu Sacramentum aliquod validè aut fructuosè ante Baptiſmum ſuſcipi poteſt*. Sed

Contra eſt quòd mirum ſit hanc conſequentiam eſſe enervem; & tamen legitimam agnoſcat Concilium Compendienſe, legitimam Innocentius III. legitimam jus Canonicum cap. Si quis, Tit. 43. legitimam S. Thomas q. 35. Supplementi art. 3. legitimam univerſa Theologorum turma. Cui ergo credendum? An uni recentiori nullam rationem, niſi futilem, ut patebit infra, proferenti, An toti Theologorum antiquitati? Judicet prudens lector.

Replicabis, Tonſuram dici fundamentum Ordinum & tamen validi ſunt ſine illa. Sed

Contra eſt quòd Tonſura dicatur quidem ab omnibus diſpoſitio ad Ordines, à nullo tamen fundamentum ordinum: & certè quomodo eſſet fundamentum, cum ordines inſtituerit Chriſtus, & Tonſuram Eccleſia? undè tantùm prærequiritur ex præcepto Eccleſiaſtico, ut ſuo loco dicemus.

Prob. 3. ex D. Thoma 4. d. 24. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ubi ait; *Per Characterem autem baptiſmalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum: unde qui Characterem baptiſmalem non habet, nullum alterum Sacramentum ſuſcipere poteſt*, ſcilicet validè, ut evidentiſſimè patet ex contextu.

Prob. 4. Quia ſi vel tenuiter probabile eſſet valere Sacramenta ante Baptiſmum, ordinaſſet Eccleſia, aut ſaltem alicubi legeretur practicatum, ut in defectu aquæ (quod accidere poſſet in obſidione urbis aut Arcis) præberetur Euchariſtia, aut aliud Sacramentum, baptizari petentibus, ſed hoc nullibi legitur ordinatum, practicatum, conſultum, aut ſolummodo edoctum: ergo.

Prob. 5. Non eſt recedendum à ſententia communi, niſi ex fundamento urgenti, aut ſaltem rationabili; aliàs ſingularitatis, imò & temeritatis nota incurritur: ſed nullum contra ſententiam communem proferunt adverſarii, vel potius adverſarius, fundamentum, quod mereatur vel umbram fundamenti: ergo.

Dices 1. Dionyſius Alexandro dubitanti, an valeret ſuus Baptiſmus ſic reſpondit, teſte Rufino lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. c. 8. *Ei ſufficere ...... quod Euchariſtiæ recipiens donum reſponderet Amen ex quo per ſingula potuiſſet ipſa Sacramentorum virtute purgari*. Cohortabat igitur (pergit Dionyſius) *cum debere confidere fides ſuæ, & conſcientiæ jam purgatæ, quod tamdiu in Sacramentis nobis jam particeps fuiſſet*; ergo cenſet proficere poſſe Euchariſtiæ ſumptionem non baptizato.

Reſ. 1. Non dixiſſe: *ex quo purgatus eſt*: vel *ex quo potuit purgari virtute Sacramenti*: ſed, *ex quo purgari potuiſſet*, ſi fortè valuiſſet baptiſmus, de quo dubitabatur. Quod autem addat cum debere confidere ſe eſſe purgatum eo quod in Sacramentis participaſſet, non eſt mirum; quia vix fieri poteſt ut tamdiu participans Euchariſtiæ, non fuerit purgatus ex opere operantis, propter diſpoſitiones ad tanti Sacramenti ſuſceptionem toties adhibitas. Unde

Reſ. 2. Dionyſium hæc dixiſſe non ad probandam Euchariſtiæ virtutem reſpectu non baptizati, ſed ad tollendum ſcrupulum illius, quem credebat baptizatum: cum, fatente Adverſario, ipſum non rebaptizaverit: quod ſanè feciſſet ſi vel nimium de valore baptiſmi dubitaſſet.

Dices 2. S. Ambroſius lib *de exceſſu fratris* (qui adhuc Catechumenus in periculo naufragii ſe in mare projecit, & appenſo ad collum orario, in quo latebat Euchariſtia mirabiliter evaſit) ſic loquitur cap. 7. *Qui tantum myſterii cæleſtis involuti in orario præſidium fuiſſet expertus, quantum arbitrabatur fore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Quam majus putabat fuſum in viſcera, quam tantum ſibi tectum in orario potuiſſet*. Ergo credidit Ambroſius ſingulare præſidium dandum fuiſſe Catechumeno, ſi Euchariſtiam manducaſſet.

Reſp. Præcisè ibi extollere fidem fratris ſui Satyri, quem vult fuiſſe ereptum, quia credebat eum, quem ad collum ferebat auxilii causâ, tantùm, imo majus præſidium collaturum fuiſſe, ſi eum ore ſumeret, baptizatus ſcilicet, nondum adhuc Catechumenus; aliàs non ad collum appendiſſet, ſed realiter manducaſſet majoris auxilii causâ, maximè cum eſſet validè prudens in arbitrando, ut refert Ambroſius cap. 6. & hanc eſſe genuinam Ambroſii mentem, nullus dubitabit cùm hiſtoriam legerit.

Dices 3. Innocentius ſup. licèt mandet reordinandum ſacerdotem illum, tamen oſtendit probabilem eſſe ſententiam docentem illo caſu valere Ordinem, ait enim ibidem poſtquam rationes pro & contra expoſuit: *In hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt, ſequentes, mandamus quatenus ipſum per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures &c.*

Reſp. Pontificem per ly *In hoc dubitabili caſu*, non dubitare an valeat Ordo ante Baptiſmum collatus, cum reſolvendo immediatè ante ex Concil. Compendienſi eſſe repetendum, reſolvat eſſe nullum, ſed dubitare an Sacerdos ille, quem rebaptizari fecerat, majoris ſecuritatis gratia, non fuiſſet baptizatus; quia natus & converſatus inter fideles, ut ait poſtea præſumitur baptizatus, niſi evidentibus quaſi argumentis contrarium probetur: unde ſenſus verborum Innocentii, eſt hic: Nos in caſu dubitabili de collatione Baptiſmi tutius ſequentes, ordinando, nempe præfatum rebaptizari (non reordinari; quia tutius eſſet in dubio valoris priorum ordinum talem ab executione Ordinum ſuſpendere, quàm reordinare, ut per ſe patet) mandamus ut eum ad ſacerdotium per ſingulos ordines promovere procures, quia *non intelligitur reiteratum quod ambigitur factum*, id eſt, quia propter dubium primi Baptiſmi, ſecundus cenſetur primus, adeoque ante illum irritos fuiſſe ordines collatos: Gloſſam lege, & omnia diligenter perpende, & hanc fuiſſe mentem Pontificis non dubitabis ipſe.

Dices 4. Petrus credens invincibiliter ſe baptizatum, per contritionem perfectam ſanctificatur: quid impedit quominus ad Euchariſtiam accedens ejus effectum percipiat, cùm ſit capax augmenti gratiæ?

Reſp. Eſſe quidem capacem, augmenti gratiæ, ſed non per Sacramentum recipiendæ; cùm illud non operetur niſi in ſubjecto baptizato, ut patet ex probationibus.

Dices 5. Quando dicitur Baptiſmus janua Sacramentorum, intelligitur Baptiſmus iure, vel in voto: ergo valere poſſunt Sacramenta ante realem baptiſmi ſuſceptionem collata.

Prob. Ant. quia eodem modo dicitur janua Sacramentorum, ſicut dicitur in Decreto unionis *vitæ ſpiritualis janua*; ſed certum eſt etiam in voto eſſe vitæ ſpiritualis januam: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Et ejus probationem, quia certum eſt ex ſenſu communi Eccleſiæ aliter eſſe januam vitæ ſpiritualis, & aliter januam aliorum Sacramentorum; quia eùm doceat in Patribus, in Conciliis, in Ritualibus, & in Catechiſmis &c. ſufficere ad juſtificationem Baptiſmum Flaminis ubi deeſt Fluminis, docet conſequenter poſſe etiam Baptiſmum in voto eſſe januam vitæ ſpiritualis: nullibi autem nobis inſinuat, nequidem implicitè Baptiſmum in voto, eſſe januam Sacramentorum.

QUÆSTIO VII.

An Baptiſmus ſit iterabilis?

Tertiò eumdem hominem, teſte Epiphanio Hæreſi 42 baptizabant olim Marcioniſtæ; ſemel in infantia ut deleretur culpa originalis, & bis in adulta ætate, ſi in peccata actualia fuiſſet prolapſus, Donatiſtæ vero aliud Baptiſma adhibebant pro juſtis, & aliud pro impiis, ut inſinuare videtur Aug. lib. 2. contra Petilianum c. 27. His temporibus redeuntes ad fidem quam deſeruerant, rebaptizant quidam Anabaptiſtæ, quos ità ferit Concilium Trid. ſeſſ. 7. Can. 11. *Si quis dixerit ritè collatum Baptiſmum, iterandum eſſe illi, qui apud infideles Chriſti fidem negaverit, cum ad Pœnitentiam revertitur, Anathema ſit*

CONCLUSIO I.

SEmel validè baptizatus nec licitè nec validè potest rebaptizari. Definitum est in variis Conciliis, & tandem in Tridentino supra.

Prob. 1. Ex Scriptura ad Hebræos 6. v. 4. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*, per quam cum nec pœnitentia virtus, nec pœnitentia Sacramentum intelligi possint, utpotè iterabilia, per eam intelligunt Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus Baptismum, qui ab ipsomet Apostolo & Patribus passim illuminatio vocatur.

Prob. 2. Ex perpetua Ecclesiæ praxi & traditione. Unde S. Leo Epist. 79. cap. 7. *Hanc Regulam, ut scitis, servandam omnibus Ecclesiis prædicamus, ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

Ratio à priori, est voluntas divina: unde Doctor noster 4. d. 6 q. 7. n. 3. *Dicit quod ratio initerabilitatis, Baptismi, est institutio divina, cujus non est aliqua causa prior nisi voluntas ejus.* Non desunt tamen congruentiæ 1. Sicut unica est nativitas corporalis ita & unica spiritualis 2. Quia unicum est peccatum originale: ergo unicum remedium; Quia Baptismus est figura mortis, sepulturæ, & Resurrectionis Christi: sed Christus tantùm semel fuit mortuus, sepultus, & resuscitatus. ergo. Quia secundus Baptismus videtur superfluus vel enim peccavit quis post primum Baptismum vel non peccavit. si peccavit, recurrat ad Sacramentum Pœnitentiæ: si non peccavit, ad quid secundus Baptismus? Ad augmentum gratiæ, inquit: sed nunquid augeri potest per Confirmationem, Eucharistiam, &c. unde ultra peccatum mortale quod incurrunt scienter rebaptizans & rebaptizatus, jure civili decernitur uterque extremo supplicio afficiendus l. 2. Cod. *Ne Sanctum Baptisma reiteretur.* Jure autem canonico, irregularitatem incurrit.

CONCLUSIO II.

SUb conditione rebaptizandus est ille, de cujus Baptismo rationabiliter dubitatur. Ita unanimis DD. consensus ac perpetua Ecclesiæ praxis, quam confirmat Inn. III. c. *Veniens*, S. Leo Epist. 92. & alii Patres.

Prob. Quia talis, nisi rebaptizetur, exponitur periculo quodlibet Sacramentum invalidè suscipiendi, imò & damnationis æternæ, nisi bona fides, & Baptismus fluminis defectum suppleanr. Nec in illo casu metuenda est irreverentia, quia intentio conditionata baptizantis ex una parte & incertitudo Baptismi suscepti, ac necessitas suscipiendi ex altera, eam sufficienter abstergunt.

Dixi *De cujus Baptismo rationabiliter dubitatur*, quia si tantùm essent leves quidam scrupuli, (quales haberet ille, qui inter Catholicos natus & educatus dubitaret an esset baptizatus, quia non sibi constaret, nec per Registrum baptismale utpotè combustum, nec per parentes, utpote mortuos: vel dubitaret an suus Parochus, quia valdè senex, debite formam pronunciasset, aut materiam sufficienter applicasset) non est repetendus Baptismus, nequidem sub conditione. Item nec est repetendus quando unicus testis omni exceptione major, id est, de cujus veritate nequit prudenter dubitari, asserit aliquem esse baptizatum: nisi certus de baptismo collato, meritò dubitaret de validitate collationis. Ex dictis

Resol. 1. Non esse repetendum Baptismum parvulorum ab Obstetricibus in necessitate baptizatorum si (facto diligenti examine, ad quod ex præcepto tenentur Parochi) deprehendantur Obstetrices formam perfectè callere, & materiam sufficientem adhibuisse. Si tamen de veneficiis forent suspectæ, aut in suis responsionibus inconstanres, ita ut vir prudens suspicari posset quòd in aliquo essentiali vel inadvertenter, vel ignoranter, vel malitiosè peccassent, Baptismus repetendus foret sub conditione.

Resol. 2. Adultos scientes se ab obstetricibus baptizatos, non debere scrupulis angi circa suum Baptisma, quia supponere debent quòd Parochus Baptismum examinaverit, adeoque quòd vel validum repererit, vel si dubium, sub conditione repetierit.

Resol. 3. Quando Conc. Carthaginense V. c. 6. vult baptizandos esse sub conditione infantes qui nesciunt an sint baptizati, nec sunt testes certissimi, qui id testentur, tantùm loqui de iis qui vel per infideles sunt à parentibus abrepti, vel ab infidelibus descendunt, ut insinuat finis Capitis. Nam si à fidelibus & inter fideles fuerint nati & educati pro baptizatis habendos esse declarat Inn. III. c. *Veniens*, nisi contrarium probetur.

Resol. 4. Puerum expositum ad portam Templi, vel alibi, semper debere sub conditione baptizari, sive schedulam habeat de Baptismo collato, sive non, quamdiu aliundè de ejus Baptismo constare non potest. Ita Sylvius, Jacobus Marchant. & alii. Imo id statuit Synodus Mediolanensis sub D. Carolo Borromæo, & Synodus 2. Cameracensis.

Ratio est, quia testimonium schedulæ relinquit aliquod dubium de valore Baptismi, cum tunc ordinariè non conferatur ab Obstetrice, sed vel à Matre, vel ab alia muliere forsan ignara. Præterea non magis credendum est schedulæ, quam scribenti schedulam, quem non constat esse restem omni exceptione majorem. Ubi autem conditionatè confertur Baptismus, hæc forma debet servari: *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in Nomine Patris &c.* Ita refertur Can. *De quibus* de Baptismo.

Resol. 5. Non facile rebaptizandos esse Hæreticos, etiam sub conditione, ubi fidem Catholicam amplectuntur; cùm sit de fide eorum Baptisma validum esse, ubi cum debita intentione essentialia adhibent, nisi examinanti, de alicujus necessarii omissione dubium ingerant, an legitimè baptizati sint reputandi: unde D. Greg. lib. 9. Ep. 61. *Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud Hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad S. Ecclesiam redeant, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ revocentur.* Nunquam tamen omittendum est de eorum Baptismo, ac modo baptizandi examen; quia etsi hoc tempore Lutherani & Calvinistæ legitimè procedere dicantur, cùm tamen legatur in aliquibus Provinciis vel aquam rosaceam honoris causa adhiberi, vel ob solemnitatem, formam ab uno proferri & aquam ab alio infundi, vel ratione frigoris, solas vestes aspergi, vel Sacramentum à Sutoribus, aut aliis personis ignaris conferri (ob quas fortè rationes illo tempore magis communes, rebaptizationem sub conditione præcepit Pastorale Mechliniense anno 1624.) non excusarem à gravi peccato supponentem noviter conversi Baptismum esse validum, nullo prius adhibito examine. *Pro* Coronide.

Adverte ubi iteratio Baptismi fieri debet, semper anteponendam esse receptioni cujuslibet Sacramenti, ne illud exponatur periculo nullitatis: unde si quis peccasset post Baptismum dubium, deberet iterato prius Baptismo, absolvi sub conditione; quia peccata illa fortè essent materia Pœnitentiæ, fortè non.

DISPUTATIO II.

De Materia, & Forma Baptismi.

QUÆSTIO I.

Quæ sit materia remota Baptismi?

DUplicem materiam in hoc Sacramento, sicut & in aliis in usu consistentibus, distinguunt Theologi: remotam unam, & est ipsa aqua: proximam alteram, & est ipsius aquæ ad corpus baptizandi applicatio passiva, seu aqua ut applicata. Varii fuerunt circa materiam Baptismi errores. *Manichæi* rati aquam esse à principio malo, Baptismum à suis Ecclesiis relegabant. Marcionitæ licèt idem de aqua existimarent, cum ipsa tamen, ob Christi præceptum baptizabant. *Seleuciani*, & *Jacobitæ* loco aquæ ignem adhibebant, & baptizandos in fronte aut genis cum ferro candente stigmatizabant, hunc passum Luc. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu S. & igni*, ad litteram intelligentes, cùm tamen sit intelligendus de igne metaphorico, id est de gratia seu charitate quæ, instar ignis, cor inflammat, accendit, sursum rapit, ac peccatorum rubiginem absumit. *Pauliciani* omnem materiam à Baptismo rejiciebant, volebantque in sola horum verborum prolatione consistere. *Ego sum aqua viva*, eò quòd dixisset Christus se esse aquam vivam. *Flagellantes* hæc verba Joan. 5. *Hic est qui venit per aquam & Sanguinem* JESUS CHRISTUS, interpretantes de Baptismo & non de Christo crucifixo, ex cujus latere fluxit aqua & sanguis, eliciebant cum flagellis ex baptizandorum venis, sanguine quorum illos baptizabant. *Lutherus* in symposiacis, seu convivalibus Colloquiis cap. 17. interrogatus an valeret Baptismus in vino aut alio liquore in defectu aquæ? Respondit 1. id esse committendum divino judicio, & tandem rem asseruit, volens in necessitate id omne quod venit balnei nomine esse materiam

teriam Baptiſmi. Quod & ſuſtinuit Beza Epiſt. 2. ad Thilium his verbis: *Si deſit aqua, & alicujus Baptiſmus cum ædificatione differri non poſſit, nec debeat. Ego certè quovis alio liquore non minùs ritè quàm aqua baptizarem.*

CONCLUSIO I.

Materia remota Baptiſmi eſt ſola aqua vera & naturalis ſeu elementaris.

Hujus veritatis ratio efficax eſt voluntas Chriſti, quæ nobis innoteſcit ex Scriptura, Conciliis, praxi Eccleſiæ, & Patribus. Ex Scriptura quidem, Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Act. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* ex Conciliis autem, ſcilicet Lateranenſi Cap. *Firmiter*, Florentino in Decreto unionis, & Trident. ſeſſ. 7. Can. 2. de Baptiſmo, ubi hæc veritas expreſſè definita eſt. Denique ex PP. Clemente Romano, Juſtino, Irenæo, Nazianzeno, Auguſtino, Hieronymo, & aliis, quorum nomina & verba, quia longiùs foret hic referre, Authores conſule.

Quare autem ſic voluerit Chriſtus, *Sunt apertæ congruentiæ*, inquit Scotus diſt. 3. q. 3. num. 2. *quia aqua eſt frigida, fluida, lucida, neceſſaria & communis; quæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo fieri debet Baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandum claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis; & hoc eſt commune omnibus, ſicut lex iſta*, nempe Baptiſmi, *communis eſt omnibus ad ſalutem.*

Dices: Nicephorus lib. 3. Hiſtor. cap. 37. refert quemdam Judæum de vita periclitantem à ſocio baptizatum in arena defectu aquæ, ſubito convaluiſſe, ergo Deus ratum habuit illud Baptiſma.

Reſ. Neg. Conſeq. & dico miraculum illud non validitatem Baptiſmi comprobaſſe, ſed ardentem Baptiſmi voluntatem compenſaſſe: unde, teſte eodem Nicephoro, Dionyſius Alexandrinus juſſit eum poſtea baptizari. Ex hac Concluſione.

Reſol. 1. Valere Baptiſmum collatum in aqua marina pluviali, fontana, ſive ſit clara, ſive turbida: ſive calida, ſive frigida, ſive dulcis, ſive ſalſa; ſive colorata, ſive non. Similiter in aqua ex grandine, glacie, aut nive ante ablutionem reſoluta. Item in ſudore pavimenti, aut parietum tempore pluvioſo. Idem eſt de lixivio, & vaporibus in operculo ollæ denſatis & ſimilibus, quamdiu nempe ſecundùm hominum exiſtimationem retinent nomen & rationem aquæ naturalis. Quod etiam extendi debet ad aquam miraculoſè productam, ſi conveniat cum noſtra. Ratio eſt; quia de illis omnibus verum eſt dicere quòd ſit aqua naturalis.

Reſol. 2. Nullum eſſe Baptiſmum collatum in offa, luto, ſpongia madida (aliud eſt ſi conferatur in aqua ex illis expreſſa) in juſculo aut cerevisia bene decoctis, vino, lacte, oleo, ſaliva, ſudore, lachrymis, urina, phlegmate, ptiſana, aqua roſacea, aut alia ex herbis aut floribus diſtillata, vel etiam ex vitibus defluente. Item in nebula, glacie, nive, pruina nondum reſolutis; quia illa omnia morali judicio non reputantur aqua naturalis & uſualis; ſive interim differant ſpecie ab aqua elementari, ſive non.

Reſol. 3. Idem probabilius dicendum eſſe de ſale, ac de nive, aut grandine, id eſt, poſt reſolutionem eſſe materiam aptam, non ante. Ratio eſt; quia ſicut nix & grando ſunt aqua condenſata ex frigore, ità & ſal aqua condenſata ex ſolis ardore; quia tamen non ità conſtat de aqua ſalis, ac de aqua nivis aut grandinis, non eſt extra neceſſitatem adhibenda.

Advertendum tamen in extrema neceſſitate, quando deeſt materia certa, poſſe & debere adhiberi ſub conditione dubiam, adeoque non tantùm illam, de qua diſputant Authores an ſit aqua naturalis, necne, ſed omnem omnino de qua prudenter dici poteſt: *fortè eſt aqua*, ſub quo collocant aliqui quamlibet aquam ex plantis, arboribus, herbis, & floribus expreſſam, ſive per defluxum naturalem, ſive per diſtillationem.

Ratio aſſerti noſtri eſt, quòd ſatius ſit in tali dubio exponere Sacramentum nullitati, quàm animam æternæ damnationi: præſertim cùm neceſſitas aut conditio tali Baptiſmo appoſita videantur abſtergere periculum irreverentiæ. Qui tamen fuiſſent in tali materia baptizati, deberent, habita materia certa, ſub conditione rebaptizari.

CONCLUSIO II.

Extra caſum neceſſitatis, in Baptiſmo ſolemni aqua debet eſſe Criſmate permixta, & illo anno benedicta in Sabbatho S. aut in Vigilia Pentecoſtes, *quæ in fonte mundo nitida & pura diligenter obſervetur*, ut ait Rituale Rom. Tit. *de Sacramento Baptiſmi*. Hancque Eccleſiæ praxim ex Apoſtolorum Traditione deſcendere colligitur ex eo quòd illius initium non legatur: unde D. Dionyſius, qui illorum tempore vivebat, ſic loquitur: *Pontifex ad Matrem adoptionis accedit*, id eſt, ad Baptiſmatis fontem, *ejuſque aquam ſacris invocationibus conſecrans, & eam trina unguenti vim maximam habentis purificandi, per modum crucis, effuſione perficiens.* Illius etiam benedictionis meminit S. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *Benedicimus aquam Baptiſmatis*, inquit, *& oleum unctionis.* Item S. Cyprianus Ep. ad Januarium. S. Ambr. lib 1. de Sacram. c 2. Auguſt. Hom. 27. & 50. & alii. Et quamvis Græci in hoc differant à Latinis, quod hi tantùm bis in anno, illi verò toties quoties miniſtrandus eſt Baptiſmus, aquam conſecrarent; illam tamen aquæ baptiſmalis conſecrationem etiam Græci ab initio uſurparunt, ut ſatis inſinuat Euchologium, quo à mille annis & amplius utuntur.

An autem ſit obligatio gravis adhibendi aquam præfatam in Baptiſmo ſolemni (nam in Baptiſmo neceſſitatis, licèt debeat eſſe aqua benedicta, quantùm fieri poteſt, non ſit tamen circa hoc magnus ſcrupulus) diſputant Theologi. Alii volunt eſſe levem, quòd iſta benedictio nec ad eſſentiam, nec ad integritatem Sacramenti, imò nec ad juſtificationem aut ad gravis myſterii ſignificationem aliquid conferat; Alii verò, inter quos Diana, docent eſſe gravem, tum quia expreſſius ſignificatur interior unctio Spiritus Sancti, tum etiam quia id inſinuat Eccleſiæ ſolemnitas in conſecrando, & cura in aſſervando, quæ ſanè non levis obligationis videntur indicia. Notanda ſunt diligenter pro praxi verba ſequentia Ritualis Romani loco cit. Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate. Si verò corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem benè mundum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præſcribitur. Sed ſi conglaciata ſit, curetur ut liquefiat: ſin autem ex parte congelata ſit aut nimium frigida poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere aquæ baptiſmali in vaſculo ad id parato, &, ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo. Hæc Rituale.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit materia proxima Baptiſmi, qualis eſſe debeat & ubi fieri?

Hanc diſtinctionem inter materiam remotam & proximam, quam admittunt communiter Theologi, rejicit quidam Modernus, vultque tantùm eſſe unicam, nempe aquam præciſè, eò quòd aquæ applicatio, ſive ſit infuſio ſive aſperſio, ſive immerſio, non ſit materia Baptiſmi, ſed actio baptizantis. Si tamen advertiſſet voces illas ſumi poſſe activè & paſſivè, ſicut ſumitur calefactio v. g. non erat cur contradiceret ſententiæ communi; cùm illas ſumant Theologi, non activè pro actione applicantis, ſed paſſivè pro re applicata, ſeu recepta in ſubjecto.

Hanc autem diſtinctionem materiæ remotæ & proximæ fieri maximo cum fundamento, indè patet, quòd ab omnibus Philoſophis dicatur calamus ante ſcriptionem, inſtrumentum ſcriptionis in actu 1. ſeu remotum, licèt ſit ex natura ſua ad ſcriptionem unicè determinatus: in actuali verò ſcriptione inſtrumentum in actu 2. ſeu proximum: cur ergo non diceretur ſimiliter aqua ante applicationem *materia remota*, & in applicatione, *proxima?* cùm ante applicationem non ingrediatur compoſitionem Baptiſmi, imò ſit indifferens ad Baptiſmum, aut ad alios uſus; in applicatione verò ingreditur formaliter. Inde ſequitur, inquis, panem triticeum eſſe materiam remotam conſecrationis ante applicationem, & proximam in applicatione: Sequitur ſanè; nec illud in ſcholis Theologicis eſt inauditum, ut fingis; quandoquidem Theologi dicentes univerſaliter rem ſenſibilem eſſe materiam remotam, & ejus applicationem, eſſe proximam, id etiam implicitè extendunt ad panem triticeum reſpectu conſecrationis, ſeu Euchariſtiæ in fieri; cùm panis triticeus ante applicationem non minus ſit indifferens ad conſecrationem, quàm aqua ad Baptiſmum. Unde relicta hac ſententia ſingulari, ſit

CONCLUSIO I.

MAteria proxima Baptiſmi eſt ablutio ſeu applicatio aquæ paſſiva, id eſt, aqua immediatè ad corpus ita applicata, ut cenſeatur moraliter ablui.

Ratio eſt; quia illud eſt materia Baptiſmi proxima, quod cum forma concurrit intrinſecè ad compoſitionem Baptiſmi: ſed ad illam tantùm concurrit aqua modo præſato applicata, ut per ſe patet: ergo.

CONCLUSIO II.

ABlutio baptiſmalis debet eſſe ſucceſſiva, id eſt, contactus aquæ ſuper corpus fieri debet ſucceſſivè à Miniſtro, ſucceſſione orta ex motu locali aquæ ad corpus, vel corporis ad aquam. Eſt communis inter Doctores.

Ratio eſt; quia talem requirit Chriſtus ablutionem, ut homo dicatur moraliter ablutus: ſed niſi aquæ contactus ſit ſucceſſivus, homo non poteſt dici moraliter ablutus: non enim dicitur ablui per aquam manentem in fronte immotam: ergo. Ex dictis

Reſol. 1. Nullum eſſe Baptiſmum, dum quis una aut altera gutta aſpergitur, ſi aqua perſiſtat, & non defluat, quia talis dici poteſt leviter madefactus, non ablutus.

Reſol. 2. Quietè exiſtentem in aqua omnino immota nullo modo baptizari, quia tunc non fit ablutio, quæ ſignificat aliquem motum vel aquæ ad corpus, vel corporis ad aquam.

Reſol. 3. Hunc motum fieri debere ab ipſo baptizante; & ideo dixi in Concluſione: *A Miniſtro*: & certè niſi ab eo fieret non poſſet verè dicere: *Ego te baptizo*. Et ideo

Reſol. 4. Reſolutionem nivis aut glaciei factam tantùm in corpore baptizati, non eſſe ablutionem ſufficientem ad Baptiſmum. Ratio eſt; quia tunc motus aquæ ſuper corpus cenſetur potius eſſe à baptizato, mediante ipſius calore, quam à baptizante; & ideo in praxi debet Miniſter ante nivis applicationem illam reſolvere.

Reſol. 5. Nec valere Baptiſmum, ſi videns puerum labentem, aut ab alio projectum in flumen, projiceram ſuper ipſum formam ordinariam; quia cùm tunc ablutio non à me, ſed ab alio cenſeatur procedere, falſa eſt forma. Aliud eſſet, ſi ego ipſe eum projicerem in fluvium cum funiculo; quia tunc verè abluerem.

Reſol. 6. Validè baptizari Infantem, ſi à Miniſtro ſubmittatur aquæ è tecto defluenti, quia tunc ſubmittens cenſetur moraliter abluere, non eſt tamen practicandum ſine neceſſitate.

Reſol. 7. Non requiri ad Baptiſmum, ut pars corporis abluta ſit à ſordibus libera: quia etſi id requiratur ad mundationem corporalem, non tamen ad ſpiritualem, ad quam hic ſufficit ablutio, ſive corpus mundetur, ſive non.

CONCLUSIO III.

PArum refert an ablutio baptiſmalis ſit immerſiva infuſiva, aut aſperſiva, modo ſervet quis praxim Eccleſiæ.

Prob. 1. ex Rit. Rom. ſupra: *Baptiſmus, licèt fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem primus tamen & ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur.*

Prob. 2. Quia ſufficit illa actio, quæ ſufficienter denominet hominem ablutum: atqui ſive homo baptizetur per immerſionem, ſivè per infuſionem, ſive per aſperſionem, denominatur verè ablutus: ergo.

Dixi: *Modo ſervet quis praxim Eccleſiæ ſuæ*: quam ſine cauſa violantem, accuſant Authores peccati mortalis.

Dices 1. Dubitavit Cyprianus Epiſt. 76. *ad Magnum*, an valeret Baptiſmus per infuſionem cùm ibi relinquat aliis Epiſcopis libertatem aliter opinandi: ergo &c.

Reſ. Neg. Ant. Quia ibi expreſſè reſolvit taliter baptizatos habendos eſſe inter Chriſtianos, licèt inſinuet ſe nolle aliquos aliter ſentientes condemnare.

Dices 2. Cornelius Papa conſultus à Fabiano Anthiocheno, qui baptizaverat per aſperſionem, inſinuavit ſe de tali Baptiſmo dubitare, *Si Talem*, inquit, *Baptiſmum percepiſſe dicendam ſit*.

Reſ. Dubitaſſe de Baptiſmo non quoad valorem, ſed quoad effectum; quia petierat in extremis Baptiſmum, quem ſanus contempſerat.

CONCLUSIO IV.

NIhil etiam refert ad valorem Baptiſmi, an ablutio ſit una, gemina, aut trina. Eſt enim certa

Prob. ex D. Gregorio lib. 1. Epiſt. 41. *Dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt infantem in Baptiſmate in aquam vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus Perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari.* Unde Eccleſia pro diverſis circumſtantiis aliquando præcepit unam, aliquandò triplicem quia uno aut altero modo ſufficienter abluitur Baptizatus.

Dices 1. Præcipitur in Can. Apoſtolorum 24. triplex immerſio ſub pœna depoſitionis: ergò.

Reſ. diſt. Ant. Præcipitur triplex immerſio, quia neceſſaria ad valorem Baptiſmi: N. quia talis erat praxis Eccleſiæ, à qua ſcandaloſum erat recedere: C. deinde parva eſt Canonum illorum authoritas, cùm diverſè referantur, nec credatur Apoſtolos fuiſſe illorum Authores.

Dices 2. Pelagius Papa diſt. 4. de conſecratione c. *Multi*, ſic habet: *Evangelicum verò præceptum ...... nos admonet in nomine Trinitatis trina merſione S. Baptiſma unicuique tribuere.*

Reſ. Totam vim illius præcepti eſſe ut Baptiſmus conferatur in nomine Trinitatis; quia ut immediatè ſubdit, Chriſtus dicit Apoſtolis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris &c.* quæ probatio oſtendit neceſſitatem invocationis trium Perſonarum, non trinæ merſionis: unde *trinæ* mentionem facit, quia ſic baptizabatur illo tempore.

Dices 3. Ibidem Can. *Si quis* jubetur deponi baptizans unica merſione.

Reſ. Hoc fieri quia tunc propter rationes occurrentes, præcepta erat merſio triplex. Præterea dici poteſt pœnam illam imponi, non propter merſionem unicam præcisè, ſed propter illam factam *in morte Domini*, eo quod ſic baptizarent aliqui: quod indicant Verba ſequentia: *Non enim dixit Dominus in morte mea baptizate*, *ſed* &c.

Dices 4. Ex trina immerſione aut infuſione poſſunt ſequi inconvenientia; v. g. quòd puer aut Miniſter moriatur poſt primam: ergo melius eſt unicam adhibere.

Reſp. Argumentum illud non nocere Concluſioni, in qua non determinatur quod melius ſit; ſed quod neceſſarium ſit. Præterea fruſtra timetur inconveniens ibi allegatum; nam vel dum alteruter moritur, abſoluta eſt forma, vel non: ſi non nullus eſt baptiſmus, ſicut nullus eſſet etiamſi unica adhiberetur immerſio aut infuſio: ſi abſoluta eſt, valet baptiſmus: quia poſita eſt abſolutio ſufficiens: unde quando quis trinam adhibet, & poſt primam aut ſecundam abſolvit formam, altera ſubſequens cæremonialis eſt, non neceſſaria.

Sed quid ſi baptizans non intendat Baptiſmum niſi poſt trinam ablutionem, quia triplicem credit neceſſariam? Equidem valeret: quia non poteſt Miniſter impedire poſitionem Sacramenti, ubi poſita eſt ſufficiens materia & forma, niſi certè (quod inſanum eſſet) nollet facere Sacramentum per primam, etiamſi ſufficeret; quia tunc non valeret Baptiſmus defectu intentionis. Unde ſupponimus, non obſtante errore, velle quod Chriſtus inſtituit, qui cùm unicam requiſierit ubi unica poſita eſt cum forma, ponitur Sacramentum. Plura circa hoc vide in noſtro Herinx.

Advertendum hìc pro praxi, quòd licèt tempore D. Thomæ uſus immerſionis vigeret, nunc tamen (niſi in Eccleſia particulari particularis eſſet conſuetudo) adhibenda ſit infuſio Eccleſia ex cauſis juſtiſſimis ita ordinante. Cum autem illa infuſio debeat eſſe triplex, ſic proportionanda eſt ad vitandum omnem ſcrupulum, ut prima fiat quando dicitur: *In nomine Patris*, ſecunda quando dicitur: *& Filii*, tertia, cùm dicitur, *& Spiritus Sancti*. Si autem paulò ante, aut paulò poſt fiant, nihil eſt timendum, modò remaneat unio moralis inter ablutionem & formam.

QUÆSTIO III.

An valeat ablutio occiſiva?

DIco: *An valeat*, & non *an liceat*, quia cùm actio illa ſit intrinſecè mala, nunquam poteſt cohoneſtari, etiam prætextu ſalutis proximi, aliàs in æternum perituri.

Ut autem hanc quæſtionem ſatis dubiam decidamus, diſtinguenda eſt duplex ablutio occiſiva? una, quæ licèt ablutum occidat, reputatur tamen adhuc moraliter ablutio: ut ſi quis abluat puerum cùm aqua ferventi aut venenata, unde moritur. Altera, quæ ratione circumſtantiarum videtur morali-

raliter à ratione si ablutionis deficere, ut si quis projiciat parvulum in fluvium aut puerum, unde non potest emergi: & hanc distinctionem eruimus ex Scoto 4.d.n 3 ubi docet projectum de ponte non fore baptizandum, *quia hoc non est ad vitam vel lotionem, sed ad mortem*, ubi insinuat actionem, quæ necest ad vitam, nec ad lotionem, esse ad Baptismum insufficientem; fore tamen sufficientem, si sit ad lotionem, licèt non sit ad vitam, ut indicat particula *Vel*. Et hoc modo facilè conciliari poterunt sententiæ oppositæ.

CONCLUSIO I.

Ablutio primo modo sumpta est sufficiens ad valorem Baptismi.

Ratio est; quia licèt sit occisiva, est tamen verè & realiter, ablutio usualis: sed ablutionem usualem requisivit Christus ad valorem Baptismi: ergo. Min. certa est. Prob. Ma. Quia omnino impertinens est ad lotionem, an aqua sit calida, aut venenata, an verò frigida aut pura, modò sit fluida.

Confirm. Quia infirmus inunctus oleo venenato, ex quo moritur, validè inungitur: ergo ablutus illa aqua, ex qua moritur, validè abluitur, modò aqua abluens reputetur adhuc moraliter aqua elementaris.

Dices 1. Ablutio baptismalis ordinatur ad vitam: sed talis ablutio ordinatur ad mortem: ergo.

Resp. Dist. Ma. Ordinatur ad vitam animæ: C. corporis: N. Similiter distincta Min. Nego Conseq.

Dices 2. Non instituit Christus pro materia Baptismi actionem intrinsecè malam: sed talis est ablutio occisiva: ergo.

Resp. Dist. Min. Talis est ablutio occisiva sub moralitate occisionis, C. & sub illo respectu non fuit à Christo instituta. Sub moralitate ablutionis præcisè; N. & hanc ut talem instituit Christus.

Dices 3. Debet moveri Christus ab actione Sacramentali ut conferat gratiam: sed non potest ad id moveri per actionem illam: ergo.

Resp. Dist. Min. Non potest moveri per actionem illam quatenus est Ministri peccantis, C. quatenus est Christi, cujus vice & nomine ponitur, N.

CONCLUSIO II.

Ablutio secundo modo considerata non est sufficiens ad baptismum. Est Scoti omniumque verorum Scotistarum, cum S. Antonino, Sylvestro, & innumeris aliis.

Ratio est; quia talis actio secundùm communem existimationem est submersio & non ablutio; & certè si quis hominem transeuntem in puteum aut flumen projecisset, unde non posset emergi, nunquid ridiculus haberetur, si diceret id fecisse, ut ipsum ablueret? Alia est, inquis hujus intentio, & alia baptizare volentis; sed nunquid intentio interna variat rationem actionis externæ? Sicut ergo intentio non potest facere ut id quod est ablutio, non sit ablutio, ità nec facere potest ut id quod de se non est ablutio, reddatur talis.

Confirm. 1. Quia juxta communem modum loquendi, id dicitur ablui, quod vel non totum immergitur ut ait Mastrius, vel immersum emergitur, sive à seipso, sive ab immergente: sed hic nihil tale repetitur: ergo.

Confir. 2. Quia nullus hominum credet projicientem canem, etiam sordidum, in puteum altum, unde non potest evadere, velle ipsum lavare, sed credent omnes velle perdere: ergo signum est quòd actio illa nullatenus reputetur ablutio. Jam autem si non reputetur ablutio respectu canis, etiam exterius sordidi, cur talis reputaretur respectu pueri exterius mundi?

Dices 1. Licèt fortè projectio illa non sit ablutio in omni casu, nihilominus videtur talis in illis circumstantiis, quando nempe parvulus de vita periclitans, vel sic est baptizandus, vel damnandus: unde homines tunc videntes Matrem cum prole jam moritura, quam sciunt nondum baptizatam defectu aquæ, arbitrarentur velle per projectionem illam puerum baptizare.

Resp. Christum non instituisse pro baptismo actionem, quæ reputaretur ablutio dependenter à circumstantiis ipsius baptismi, sed instituisset ablutionem usualem, seu actionem, quæ communiter & moraliter dicebatur ablutio ante omnem baptismi institutionem, & consequenter cùm projectio illa, seclusa baptismi institutione, non diceretur ablutio, nec credendum est talem esse à Christo institutam.

Dices 2. Si projectio illa non esset de se ablutio, inde oriretur quòd puer immersus non posset emergere sed emersio habet se merè per accidens ad ablutionem, cùm tantùm fiat ne pereat res, quæ jam supponitur abluta: ergo.

Resp. Dist. Min. Habet se per accidens ad ablutionem physicam: Transeat. Ad ablutionem moralem & usualem, qualem requirit Christus: N. quia usus invaluit apud omnes nationes ut nullus dicatur velle abluere, sed perdere quod immersum non est emergibile: sicut usus invaluit ut pasta non dicatur panis, & idem non sit materia consecrationis, licèt illa non differant inter se specie physica.

Dices 3. Si quis projiciat canem sordidum in aquas, & subitò inter natandum suffocetur, & pereat, dicetur voluisse abluere: sed canis illo casu non est emergibilis: ergo.

Resp. Dist. Maj. Dicetur voluisse abluere, quia dum projecit, erat emergibilis, C aliàs, N. Similiter si Minister, immergendo puerum in fontem baptismatis destituatur subitò sensibus, ità ut non possit illum emergere, dicetur voluisse abluere, imò, & puer dicetur baptizatus, si formam ante sensuum destitutionem absolvit; quia dum immersit habebat virtutem emergendi. Et hæc omnia verissima esse comperiemus si communem usum loquendi & arbitrandi spectemus; unde nullus dicet projicientem de ponte canem mortuum sordidum in aquas velle abluere, diceretur autem velle abluere, si esset vivus, quia hic est emergibilis non ille.

QUÆSTIO IV.

Quando, & in qua parte corporis fieri debeat ablutio?

CONCLUSIO I.

Seclusa necessitate non debet fieri ablutio, quamdiu puer est in utero Matris.

Dico: *seclusa necessitate:* si enim possit ibi ablui, ut volunt nonnulli, ibi abluendus est urgente mortis periculo, quia fortè proderit, cùm sententia jam probanda non sit omnino certa.

Prob. 1. Conclusio ex Scripr. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* sed quamdiu puer est in utero Matris non potest renasci, cùm renascentia, quæ est secunda nativitas supponat primam ergo.

Prob. 2. ex August. Epist. 57. post medium ad Dardanum: *Si homo regenerari per gratiam Spiritus S. in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci, renascitur ergo antequam nascatur: quod fieri nullo modo potest.*

Prob. 3. Ratione; quia sicut homo non potest mori nisi vixerit, nec resurgere nisi mortuus fuerit; ità nec renasci, nisi fuerit natus.

Dices 1. Animatio fœtus est prima nativitas, & partus secunda; ergo potest quis renasci ante partum.

Resp. Dist. Ant. Animatio fœtus est prima nativitas impropriè, Toleat. Propriè, & à Christo requisita ad renascentiam spiritualem, N. unde Augustinus sup. *Illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua & Spiritu.*

Dices 2. Potest puer esse martyr in utero Matris per mortem: ergo & Christianus per Baptismum.

Resp. Neg. Conseq Disparitas est quòd Martyrium non sit renascentia sicut Baptismus, adeòque nec primam nativitatem supponat, sicut ille.

Dices 3. Puer in utero est capax damnationis: ergo & salvationis; adeoque Baptismi.

Resp Dist. Conseq Ergo, & salvationis, seclusa nativitate & casu Martirii; N. supposita nativitate, quam Deus nunquam impedit ex intentione Baptismi impediendi, ut fusè suo loco diximus: C. est autem indifferens ad Baptismum an puer sit natus modo ordinatio aut extraordinario, v.g. per materni lateris sectionem.

CONCLUSIO II.

Extra necessitatem ablutio fieri debet in capite. Patet tùm ex praxi Ecclesiæ, tùm ex Pastoralibus, tùm ex Augustino Hom. 3. dicente; *Capita nostra in fonte demersimus:* tùm etiam ratione, quia in eo tanquam præcipua corporis parte vigent omnes sensus. Esset tamen valida ablutio, si fieret in pectore, aut scapulis, quia sunt partes corporis notabiles, imo & foret licita, si grave nocumentum ex capitis ablutione timeretur.

Sed quid si fieret in manu, pede, digito &c. Validam fore asserit Henriquez, quia sicut homo, inquit, qualibet corporis parte læsa, dicitur læsus, ita qualibet corporis parte lota, dici debet lotus. Sed quia ista opinio ad summum est probabilis, cùm usus non habeat ut homo, abluto digito, dicatur simpliciter ablutus, licèt dicatur simpliciter læsus, digito læso, ideo, nisi urgeat necessitas, non est practicanda.

Dixi: *Extra necessitatem*; quia tunc abluenda est quælibet pars corporis, etiam minima, adeoque solus digitus extra uterum maternum apparens: si tamen postea fœtus vivus egrediatur, est re-

est rebaptizandus sub conditione. Ubi autem ablutum esset caput ex utero prodiens, non esset, fœtu totaliter egresso repetendus Baptismus, sed tantùm adhibendæ cæremoniæ, quia tunc secundùm D. Thomam, Scotum & alios Doctores communiter, censetur sufficienter natus, ut possit renasci Quia tamen restat de illa nativitate dubium aliquale, putem securius sub conditione esse rebaptizandum.

Petes An sufficiat ablutio facta in vestibus, capillis, unguibus, aut secundinis?

Resp. Nullam esse investibus, quia veste lota homo non dicitur lotus. Idem est de secundinis, quidquid dicant aliqui, quia non sunt pars, sed involucrum corporis. Quoad ungues, res est valdè dubia, & certè, si dubia est in pede, aut digito, à fortiori in unguibus, quæ tantum sunt extremitates, & quasi excrementa corporis. Quantum ad capillos, asserunt plurimi, sed quoniam potius sunt corporis ornamenta, quam ejusdem partes, licèt probabiliter anima totius animentur, credimus probabilius ablutionem in solis capillis inhærentem non esse validam.

QUÆSTIO V.

Quæ sit forma Baptismi, & quid in ea debeat exprimi.

VArii fuerunt Hæreticorum errores circa Baptismi formam. Quidam *Valentiniani*, teste Irenæo, lib. 1. c. 8 baptizabant sub hac forma: *In nomine ignoti omnium Patris, & in veritate omnium Matre, & in eo qui descendit in* JESU. *Eunomianorum & Arianorum*, ut refert S. Epiphanius Hæresi 76. hæc erat forma: *Ego te baptizo in nomine Dei increati, & Spiritus sancti sanctificantis, & à procreato Filio procreati*. Montanistæ, Paulianistæ, & quidam alii Trinitatem negantes, in trium Personarum nomine non baptizabant, & ideo ad fidem conversi jubentur in Concilio Nicæ. can. 19. rebaptizari. *Ariani* verò, quia Filium Deum esse negabant, hac forma utebantur: *Ego te baptizo in nomine Patris per Filium* (quasi instrumentum, seu creaturam) *in Spiritu sancto*. Inter autem Hæreticos recentiores Lutherus lib. de captiv. Babyl. c. de Bapt. licèt consulat formam ordinariam, asserit tamen sufficere quælibet verba, modo conferatur aut recipiatur Baptismus *in nomine Domini*, ita ut si baptizans in nomine dæmonis conferret, & baptizatus in nomine Domini reciperet, valeret Baptismus.

CONCLUSIO I.

FOrma vera, & à latinis usurpanda, est hæc: *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*.

Prob. 1. Pars tum ex conciliis Lateran. c. *Firmiter*, Florentino in decreto unionis, & Trid sess. 7. can. 4. de Baptismo; tum ex perpetua Ecclesiæ praxi & Traditione; Tum ex his Christi verbis Matth. ult. *baptizantes eos in nomine Patris &c.* tum etiam quia exprimit omnia in Baptismo concurrentia, nempe personam Ministri baptizantis per ly *Ego*, personam baptizati per ly *te*, actionem Sacramentalem per ly *baptizo*, & causam principalem per ly *in Nomine Patris &c.*

Prob. 2. Pars quia licèt hæc Græcorum forma sit valida: *Baptizetur*, ut habet Florentinum sup. vel *Baptizatur*, ut fert Euchologium Græcorum, *talis servus Christi, in nomine Patris, &c.* graviter tamen peccaret Latinus illam usurpando, sicut & Græcus nostram assumendo; quia ritum Ecclesiæ suæ violaret in re gravi, ut tenent communiter DD. ex præfata Latinorum forma.

Resol. 1. Hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* esse nullam, quidquid dicant Coninck & alii quia omissio vocis *in*, omninò variat sensum, insinuatque Ministrum baptizare vice Patris, cum baptizare debeat in authoritate Patris &c.

Resol. 2. Idem asserere aliquos de hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus S.* quibus assentior, si proferens intelligat per omissionem illius particulæ *&* identificare personas; aliàs non, saltem si ita pronuntiet, quasi interposito inter singulas comate, sicut quando dicimus: *Ita tenendum est post Ambrosium, Augustinum, Hieronymum*; sed hic modus est omninò vitandus, cùm possit aliquam dubietatem post se relinquere, saltem de Trinitatis mysterio non sufficienter instructis.

Resol. 3. Particulam *Ego* utpote contentam in ly *baptizo*, posse omitti sine præjudicio formæ, non tamen sine culpa veniali. Omittens verò *Amen*, non peccaret; quia licèt in Rituali Leonis X legatur, tamen nec in verbis Christi, nec in Rituali Romano reperitur.

Resol. 4. Necessariò exprimendum esse in forma unitatem essentiæ divinæ designatam per ly *in nomine*; quia in hoc Sacramento Fidei non minus necessaria est professio unitatis in Deo, quam Trinitatis: & ideo qui baptizaret in nominibus Patris, & Filii &c. nihil efficeret; quia diversas in diversis Personis significaret naturas; sicut & diversas authoritates, virtutes &c. nam *in nomine* idem sonat ac in authoritate, virtute, divinitate; quamvis nec illæ voces in praxi sint usurpandæ: unde D. Hieronymus in Cap. 4 ad Ephes. *Non baptizamus in nominibus Patris, Filii &c. sed in uno nomine, quod intelligitur Deus*.

Etiam irritus esset Baptismus collatus in nomine Patris, in nomine Filii &c. quia licèt multiplicatio illius vocis non diversificet absolutè naturam, non designat tamen naturæ identitatem.

Resol. 5 Etiam necessariam esse distinctam expressionem trium Personarum, idque sub propriis in nominibus *Patris & Filii, & Spiritus S.* Ratio principalis est voluntas Christi nobis manifestata Matth. ult. Deinde cum Baptismus sit Sacramentum Fidei, conveniebat ut in eo præcipuum Fidei nostræ objectum clarè & distinctè, quantum fieri potest, cognosceretur: unde non valet Baptismus collatus *in nomine Trinitatis*, vel *Dei unius & trini*, non expressis distinctè Personis, neque in nomine unius aut duarum Personarum, neque *in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ*. Imò neque probabilius, secundùm D. Thomam & Scotum, *in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati*; quia licèt idem sonent materialiter, non tamen formaliter; quia hæ voces *Pater, Filius, Spiritus sanctus*, significant relationes Paternitatis, Filiationis &c. quibus Personæ divinæ constituuntur, & distinguuntur; hæ verò *Genitor, Genitus* &c. exprimunt Personarum notionem & originationem, quæ est fundamentum talium relationum.

CONCLUSIO II.

UT forma sit valida, debet in ea exprimi actio baptizantis. Definitum est ab Alexandro III. Extra de Baptismo ejusque effectu, c. 1. ubi resolvit eum, qui ter immergens puerum relinquit, *Ego te baptizo*, licèt dicat: *in nomine Patris: &c.* non baptizare. Florentinum verò in decreto unionis asserit perfici Sacramentum, si exprimatur actus qui per ipsum exercetur Ministrum. Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem: *Valuit* aliquando Baptismus sub hac forma collatus. *In nomint Patris &c prætermissis illis ego te baptizo*.

Ratio esse potest, quia cùm infusio aquæ supra corpus, aut immersio corporis in aquam, sit de se indifferens ad lotionem aut refrigerationem; ut censeatur lotio potiùs quàm refrigeratio, debet ad hoc per formam determinari; & consequenter in ea exprimi debet actio baptizantis, & non refrigerantis, præsertim cùm formæ Sacramentorum sint practicæ, id est efficiant quod significant.

Dices 1. Christus non præcepit Apostolis ut dicerent: *Ego te baptizo*, sed tantùm ut baptizarent in nomine Patris &c. ergo.

Resp. Dist. Ant. Non præcepit ut dicerent: *Ego te baptizo*, si nudè attendantur verba Christi Matth. ult. Transeat, si spectentur cum perpetua Ecclesiæ Traditione ab Apostolis ad nos usque descendente; N.

Dices 2. In forma Græcorum non exprimitur actio baptizantis, cum præcisè dicatur: *Baptizetur talis* quod est optativum, aut deprecatorium.

Resp. Etsi ly *baptizetur* possit quidem dici optativum, aut deprecatorium respectu ablutionis internæ, seu gratiæ; est tamen imperativum respectu ablutionis externæ, & æquivalet his verbis: *Baptizetur talis manibus meis*, ubi involvitur actio baptizantis: unde parum refert ad valorem Baptismi, an actio baptizantis exprimatur per verbum imperativi, aut indicativi modi; per verbum activum aut passivum: sicut si loco *baptizo* ponatur *abluo, lavo, mergo* &c. licèt in praxi retinendum sit verbum Evangelicum.

CONCLUSIO III.

EXprimere debet baptizans personam baptizandam; & quidem in actu signato per pronomen *Te*, aut æquivalens. Est communis Doctorum. Hoc autem ex Matth *Baptizantes eos*, adjuncta simul Ecclesiæ praxi & traditione, colligitur: unde Florent. in Decreto sæpiùs citato, ut indicaret necessariam esse signatam personæ baptizandæ expressionem, non habet simpliciter *Baptizetur servus Christi*; sed *Baptizetur talis servus Christi*.

Dixi *aut æquivalens*: undè non officeret Baptismatis valori, licet officeret Ecclesiæ praxi fortè graviter obliganti, qui diceret *Baptizo præsentem, baptizo Petrum, baptizo hunc. Tu baptizaris à me*. Similiter nec officeret, qui adulationis aut honoris causa

causa diceret: *Baptizo vos; Baptizo Dominationem vestram*, licèt expressiones illæ aulicæ sint à Sacramentis nostris relegandæ, saltem sub culpa veniali.

Dices: Stephanus II. c. 14. cujusdam Synodi Vellicæ, respondit valere hanc formam: *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus S. mergo*, ubi non exprimitur signatè persona abluenda.

Resp. Vel Pontificem illum errasse ut Doctorem privatum, reclamante totius Ecclesiæ praxi & consensu, vel quod verisimilius est, responsum illud esse fictitium.

CONCLUSIO IV.

ETiam exprimenda est in forma Persona baptizans saltem indirectè, aut tacitè. Est etiam communis. Patet tum ex cap. 1. de Baptismo, tum ex Florent. sup. ubi vult exprimendum esse actum, qui à ministro exercetur, quæ verba intelligenda sunt reduplicativè, ut sensus sit, debet exprimi actus, quatenus à Ministro exercetur, ut tacitè importetur persona Ministri.

Dixi *saltem indirectè*: quia in hac Græcorum forma à Florentino approbata, *Baptizetur talis servus Christi*, non ponitur directè persona baptizantis. Græci autem ideò personam baptizantem non exprimunt directè, ne baptizati crederent se baptizari in nomine & virtute baptizantis, sicque vitarent antiquum illum errorem, quo existimabant aliqui, eò melius & dignius se esse baptizatos, quò meliores & digniores essent Ministri, dicentes. *Ego sum Pauli, Ego verò Cephæ*. Ex dictis

Resol. 1. Invalidam esse hanc formam: *Baptiza Petrum*; quia nec directè, nec indirectè exprimitur persona baptizans, aut saltem actio, ut est Ministri.

Resol. 2. Probabiles esse (in praxi tamen vitandas) formas sequentes: *Baptizet te Christus*: *Baptizeris à Christo*, quia licèt videatur totus actus attribui Christo, tamen ex circumstantiis satis colligitur etiam ministerialiter attribui baptizanti.

QUÆSTIO VI.

An valuerit aliquando baptismus collatus in solo nomine Jesu, aut Christi.

CONCLUSIO I.

CErtum est jam invalidum esse Baptismum collatum in solo nomine JESU, aut CHRISTI. Est communis contra paucos.

Ratio est; quia nomen Christi aut JESU non significat nomen trium Personarum: sed præcepit Christus Apostolis, ut baptizarent in nomine trium Personarum, Patris scilicet, & Filii &c. ut patet ex Matth. ult. ergo. Unde Apostoli à Christo edocti hanc formam & practicarunt & promulgarunt, ita ut ab ipsis ad nos usque continua Traditione transierit cum expressa trium personarum invocatione. Et Zacharias Papa Dist 4. de consecrat. cap. In Synodo: *Si quis*, ait, *unam de Trinitate Personarum in Baptismo non nominaret, illud Baptisma verum esse non posset*.

Confirm. ex Doctore nostro Subtili 4. distinct. 3. quæst. a. n. 10. *Forma tradita communiter, semper manet forma, nisi per formæ Institutorem fiat dispensatio; sed forma non fuit dispensativè tradita, nisi pro tempore, quo fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi divulgaretur: ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quæ fuit forma ex institutione*.

Dices: Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum c. 104. respondit valere Baptismum in solo Christi nomine collatum; ergo.

Resp. Dist. Ant. Respondit ex professo. N. quia non interrogabatur, an valeret Baptismus collatus in nomine Christi, sed an valeret collatus à Judæo. Respondit incidenter indicans suam esse sententiam tanquam Doctoris particularis, sicut est Cajetani & aliorum: C.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est valuisse aliquando Baptismum in solo Christi nomine collatum. Ita Doctores nostri Irrefragabilis, Seraphicus, & Subtilis sup. ubi ait: *De quinto scilicet de nomine Christi, patet quòd aliquando licitum fuit baptizare*. Quibus conformis est Doctor Angel. q 66. art. 6. ad 1. *Ex speciali Christi revelatione*, inquit, *Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis & gentibus, honorabile redderetur*.

Prob. 1. Scriptura intelligenda est in sensu proprio, teste Augustino, ubi inde nullum sequitur inconveniens, aut contradictio: sed Scriptura asserit variis in locis Baptismum fuisse collatum *in nomine Christi*, & ex ea sic intellecta nullum sequitur inconveniens aut contradictio: ergo. Prob. 1. Pars Min. ex Actor. 2. *Baptizetur unusquisq; vestrum in nomine JESU CHRISTI*. Item c. 8. *baptizati tantùm erant in nomine Domini JESU*. Idem legitur c. 10. & tandem c. 19. baptizati Baptismo Joannis, jussi sunt baptizari *in nomine Domini JESU*. Prob. 2. Pars Minor. quia etsi contrarium insinuetur Matth. ultim. hoc tamen intelligitur ordinariè loquendo, id est, seclusa dispensatione.

Dices: Nullibi legitur data illa dispensatio: ergo est fictitia.

Resp. Dist. Ant. Nullibi legitur in actu signato: C. in actu exercito: N. eo enim ipso, quo legitur pluribi baptizasse Apostolos in nomine JESU, concludendum est, id fecisse ex superna dispensatione, cùm nullatenus possit præsumi violasse in re tanti momenti legem sibi à Christo latam.

Prob. 2. Conclusio ex PP. Ambrosio, lib. de Spiritu S. c. 3. *In Christi Nomine plenum esse legimus baptismatis Sacramentum*. Hilario lib de Synodis, in fine, ubi docet Apostolos in nomine Patris &c. baptizare jussos, tantùm in Christi nomine baptizasse Theophilacto in Cap. ult. Lucæ, ubi postquam petiit: *Quomodo baptisma in nomine solius Christi fieri intelligamus?* Respondet, *quia Christi nomen in se continet & Patrem ingenitum* &c. unde Nicolaus I. horum authoritate fretus, non solùm credidit valuisse initio nascentis Ecclesiæ, sed etiam postea.

Prob. 3. Quia fuit sufficiens ratio tunc dispensandi in forma postea usurpanda, ut nempe JESU nomen; in quo oportet nos salvos fieri, esset illis venerationi, quibus erat opprobrio.

Obji. 1. Paulus Act. 19. interrogat quosdam ignorantes Spiritum S. *In quo ergo baptizati estis?* Sed interrogatio illa fuisset inepta, si in nomine solius Christi poterant baptizari: ergo.

Resp. Neg. Min. Quia licèt in solo Christi nomine baptizarent, antea tamen Trinitatis mysterium baptizandis explicabant, docebantque Baptismum nonnisi in virtute Patris, & Filii, & Spiritus S. operari, & ideo interrogat: *in quo ergo*, id est, in cujus virtute Baptismum suscepistis?

Obj. 2. August. lib. 5. contra Maximum c. 17. *Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu S. in nomine IESU CHRISTI jussi sunt baptizari, non tamen intelliguntur baptizati nisi in nomine Patris* &c.

R. Mirum esse adversarios passum illum objicere, cum potius faveat nobis, quàm illis: agens enim S. Doct. contra Arianum illum volentem hæc verba: *Omnia per ipsum facta sunt*, dicta de Filio, non esse dicta de Spiritu S. adeoque non esse Creatorem, arguit; Si jussi baptizari in nomine Christi non nominatis Patre & Spiritu S. censeantur tamen baptizati in nomine seu virtute Patris, & Spiritus Sancti; quia nempè eadem est trium Personarum virtus: cur facta per Filium, non nominato Spiritu S. non censerentur etiam facta per Spiritum Sanctum, cum eadem sit & Filii & Spiritus S. potentia? Attentè legas Augustinum, & eris convictus nihil aliud velle, adeoque passum illum tibi in terminis adversari, sea supponere non esse tunc nominatas in Baptismo Personas Patris & Spiritus Sancti, aliàs comparatio nulla esset, imò ridicula.

Instabis: Idem Doctor lib. 6. contra Donat. c. 26 sic loquitur: *Deus adest verbis evangelicis, sine quibus Baptismus consecrari non potest*: sed per verba evangelica intelligit, *Ego te baptizo in nomine Patris* &c. ergo.

Resp. ipsum loqui de Baptismo, prout ordinariè confertur, & seclusa dispensatione, ut patebit legenti.

Obj. 3. S. Cyprianum variis locis, & præsertim Epist. 63. ubi hæc verba: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, sic explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque adjungeretur Filius*.

Resp. Non fuisse tunc omissum Patrem quoad virtutem, fuisse tamen omissum quoad vocem. Si plus velit, opponimus ipsi Patres citatos, imò & Augustinum.

Obj. 4. Præscribitur in can. 49. Apostolorum, ut Baptismus conferatur *in nomine Patris &c.* ergo nequidem tempore nascentis Ecclesiæ valebat Baptismus in nomine Christi.

Resp. Canonem seu Regulam non fieri ordinariè de citò transeuntibus, sed de perpetuò duraturis, & ideò fit ibi mentio formæ præfatæ. Reprobatur quidem can. 50. Baptismus collatus in morte Christi, sed consequentiam negabimus, si inferas etiam reprobari collatum in ejus nomine, accedente scilicet dispensatione.

Obj. 5.

Obj. 5. Dicitur fuisse collatus Baptismus in nomine Christi, quia fuit collatus in ejus merito, fide, Persona, vice non autem quia eum expressione ejus tantùm nominis.

Resp. Quòd sicut Matth. ult. hæc verba, *in nomine Patris &c.* Non sunt detorquenda ad significationem præfatam; ita nec verba, *in nomine Jesu*. Et certè si voluisset scriptura, ut Baptismus conferretur *in nomine Christi*, sicut confertur *in nomine Patris* &c. quibus aliis verbis usa fuisset?

Obj. 6. Non est credibile Christum, qui paulò antè præceperat Baptismum *in nomine Patris* &c. tam citò in lege universali dispensasse.

Resp. Non fore credibile, si nulla extitisset causa dispensandi, sicut de facto extitit sufficiens ut diximus. Non crediderim tamen, dispensationem illam fuisse universalem, sed tantùm in iis circumstantiis, in quibus id exigebat honor Christi.

Obj. 7. Solum est *unum Baptisma* in Ecclesia Dei: sed si valuisset Baptismus præfatus, fuissent duo; cùm diversificatis formis, diversificentur & composita: ergo.

Resp. Baptisma esse unum, tum quia initerabile, tum quia licèt varii baptizent, unus est tamen qui baptizat ut Minister principalis, nempe Christus; tum etiam quia, seclusa speciali dispensatione, aliud non admittit.

DISPUTATIO III.

De Ministro Baptismi.

Circa hanc materiam catholicè sensit *Lutherus*; sed hæreticè *Calvinus*; nam lib. 4. Institut. cap. 15. §. 20. & sequentibus docet in quolibet casu, etiam extremæ necessitatis, solos Ecclesiæ Ministros ad hoc vocatos & ordinatos posse baptizare; sed an de licito loquatur, an de valido, non potest ex ejus verbis colligi. Beza tamen quæst. 140. de Sacramentis, apertè asserit fabulosum esse Baptisma collatum à privato, & quæst. 144. postponit illud Baptisma Baptismati collato à Satana se gerente ut Ministro publico. Horum errores refutabimus infra.

QUÆSTIO I.

Quis sit Minister baptismi.

Adverte 1. duplicem esse Ministrum baptismi solemnitatis unum, necessitatis alterum. Minister solemnitatis est ille, qui cum cæremoniis ab Ecclesia adhiberi solitis baptizat. Necessitatis, qui omissis dictis cæremoniis, sola essentialia, aut quasi essentialia ponit.

Adverte 3. Aliud esse baptizare validè, & aliud baptizare licitè: primum enim tantùm importat positionem requisitorum ad substantiam Baptismatis, abstrahendo an quis peccet ponendo, necne; secundum verò importat dictam positionem sine peccato.

CONCLUSIO I.

Omnis homo ratione utens capax proferre formam, & adhibere materiam, sive sit vir, sive mulier, sive Catholicus, sive Hæreticus, sive fidelis, sive infidelis, validè semper, imò & licitè in necessitate baptizare potest.

Prob. 1. Pars ex voluntate Christi nobis manifestata tum in Patribus, tum in Conciliis, tùm in perpetua Ecclesiæ praxi; Ratio congruentiæ est, maxima hujus Sacramenti necessitas.

Prob. 2. Pars ex universali Ecclesiæ consensu praxim illam authorizante, imò & Pastoribus præcipiente, ut, propter casum necessitatis, Obstetrices instruant & interrogent de modo materiam adhibendi, & formam pronuntiandi: quod certè non faceret, nisi id ipsis in necessitate liceret. Unde Florentinum in decreto unionis: *In causa autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus baptizare potest.* Et inde patet nequidem peccare excommunicatum, imò graviter peccaturum, si baptizare recusaret, ob violatam in re gravi charitatem.

Obji. 1. Contra primam Partem: Christus non dixit privatis aut mulieribus: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*, sed tantùm Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non dixit privatis &c. Matth. ult. C. quia non instituit ibi Baptismi Ministros, sed institutis imponit baptizandi præceptum. Non dixi ante Passionem, quando nempe Baptismum instituit: N. quia tunc id dixit Apostolis adhuc laicis, (adeòque & aliis privatis) & ita dixit, ut ex tunc baptizarent Baptismo Christi, ut antea diximus.

Obji. 2. In Concilio Elibertino Can. 38. prohibetur non baptizatus qui sit bigamus, baptizare, etiam in necessitate: ergo.

Resp. Dist. Ant Prohibetur baptizare validè: N. licitè, Subdist. præsente baptizato: C. absente: N.

Obj. 3. Florentinum assignans quemlibet hominem pro Ministro Baptismi, loquitur in casu necessitatis: ergo supponit extra necessitatem non posse validè baptizare.

Resp. Dist. Ant. Loquitur in casu necessitatis ut possit licitè: C. ut possit validè: N. quia sicut necessitas non mutat essentias rerum, ita nec mutat potestatem Sacramenti ministerialem, ubi saltem nulla intervenit jurisdictio.

Obj. 4. Licèt Sacerdos validè possit absolvere in necessitate, non tamen extra: ergo similiter in nostro casu.

Resp. Disparitatem esse, quòd ad validam absolutionem requiratur jurisdictio, quam Ecclesia concedit cuilibet Sacerdoti in casu necessitatis, non extra, nulla autem requiratur in Baptismo.

Obj. 5. Dubitavit Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. Utrum ab iis, qui nunquam fuerunt Baptizati, possit Baptismus dari: ergo.

Resp. Dubitasse, quia tunc, ut ait ipsemet, nullum generale Concilium rem determinaverat; non dubitaret autem, si jam viveret post tam apertam Florentini declarationem.

Si autem quædam Concilia aut Patres videantur denegare mulieribus potestatem baptizandi, loquuntur de Baptismo solemni, vel præsente masculo, & quidem ad hoc, ut possint licitè.

CONCLUSIO II.

Minister solemnitatis, seu ex officio, est solus Sacerdos; & quidem habens jurisdictionem ordinariam, aut delegatam. Est certa.

Prob. 1. Pars tum ex Florentino supra: ubi legitur *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos*: tum ex cap. *Constat* de Consecratione Dist. 4. *Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum.* Tum ex Tertulliano lib. de Baptismo c. 7. ubi ait: *Dandi quidem Baptismum habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri.*

Prob. 2. Pars: quia solemniter baptizare, sicut & alia Sacramenta ministrare, est actus spiritualiter pascentis, adeòque Pastoris, idest, jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam habentis. Unde Tertullianus sup. postquam concessit Presbyteris jus baptizandi, subdit: *Non tamen sine Episcopi authoritate.* Deinde *per Baptismum* ut ait Scotus dist. 6. q. 1. n. 3. *recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis; receptio autem alicujus in collegium pertinet ad Præsidentem, & habentem authoritatem in collegio.*

Dices 1. Ecclesia non habet jurisdictionem in baptizandum; cùm tantùm subdatur Ecclesiæ ratione Baptismi realiter suscepti: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non habet jurisdictionem absolutam: C. aliàs posset ipsum cogere ad Baptismum. Conditionatam: N. quia jus habet ut, si velit Baptizari, non possit ab alio Baptismum recipere, & hoc ratione loci, aut familiæ in ejus Parochia situatæ.

Dices 2. Scotus sup. sic loquitur de potestate baptizandi: *Regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus*: ergo non requiritur jurisdictio.

Resp. Scotum ibi loqui de Sacerdotibus, non omnibus, sed propriis, qui veniunt nomine Pastorum, ut patet ex hoc Ecclesiæ præcepto: *Peccata Sacerdoti proprio aut alteri* &c. Ex dictis

Resol. 1. Reum esse gravis peccati Sacerdotem, qui extra casum necessitatis baptizat solemniter, aut privatim sine jurisdictione aut commissione; quia etsi vi ordinationis suæ baptizare possit, etiam solemniter, Ecclesia tamen id ipsi prohibuit ob justas rationes, ut patet ex cap. *Interdicimus* ....

Resol. 2. Æquè culpabilem esse Parochum, qui infantem alterius Parochiæ præsumit sine licentia baptizare; quia censetur in re gravi alterius jurisdictionem usurpare. Nulla tamen in hoc & præcedenti casu incurritur irregularitas; quia nullibi legitur statuta.

Resol. 3. Etiam lethaliter peccare Cathecumenum petentem Baptismum ab alio, quàm à loci Parocho; tum quia nititur modo inordinato Baptismum obtinere; tum præsertim quia inducit alium ad rem sibi illicitam.

Resol. 4. Eamdem culpam incurrere parentes parvuli baptizandi, si ipsum alieno Parocho offerant; quia tenentur ex directo Ecclesiæ præcepto proprium assumere.

CON-

CONCLUSIO III.

Extra speciali Parochi, aut Episcopi commissione, potest Diaconus solemniter baptizare, si adsit necessitas. Ita DD. communiter.

Prob. Dum ordinatur Diaconos eodem modo conceditor illi potestas baptizandi, sicut prædicandi: sed potest ex commissione Episcopi solemniter prædicare: ergo & solemniter baptizare.

Dixi *Si adsit necessitas*, quæ non debet esse extrema, sed rationabilis prudenti judicio Ordinarii determinanda, v.g. si Baptismus ob Sacerdotis infirmitatem, absentiam, aut justam occupationem, deberet ad octo aut novem dies differri: unde credibile est, Apostolos ob continuam prædicationem, & baptizandorum multitudinem ad id muneris commisisse Diaconos, cùm à Philippo Diacono baptizatus sit Eunuchus. Imò ad id videtur etiam sufficere magna Ecclesiæ utilitas.

Sed potestne Diaconus sine commissione baptizans in extrema necessitate, solemnitatem adhibere?

Negant aliqui, affirmant alii, & his assentior ob Glossam in Can. Diaconos dist. 93. dicentem: *ubi necessitas exigit, & Presbyter est absens, potest Diaconus jure suo baptizare*. Ubi ly *jure suo* denotat potestatem vi ordinationis, adeoq; respicientem Baptismum solemnem. Deindè tunc rationaliter præsumitur tacita Episcopi commissio.

Si dicas in illo Canone id concedi citra commissionem Diaconis in extrema necessitate, quod conceditur, non tamen quoad ritum baptizationis; cùm in hoc plus concedatur Diaconis, minùs laicis.

Dices 1. contra Conclusionem: Minùs potest Diaconus in hac materia, quàm Sacerdos non Curatus: sed hic tantùm ex commissione potest solemniter baptizare: ergo non ille.

Resp. Dist. Min. Sed hic tantùm ex commissione, quæ ipsi dari potest sine causa; C. quæ dari debet ex causa, sicut Diacono: N. Undè in ordinatione recipit ad id Sacerdos jus ordinarium, quod sopitur, Ecclesia præcipiente, ubi deest Curati consensus; Diaconus verò tantùm extraordinarium, & ideo dari potest commissio Sacerdoti in omni casu, Diacono autem tantùm in casu necessitatis.

Dices 2. Florentioum assignans hujus Sacramenti Ministrum, non meminit Diaconorum.

Resp. Dum ibi breviter instruere velit Armenos, solius Ministri ordinarii mentionem facit, non negans tamen Diaconos Ministros esse extraordinarios.

Dices 3. Etiam Subdiaconus, aut Minorista potest ex commissione Papæ solemniter baptizare: ergo nihil speciale concedimus Diacono.

Resp. Dist. Ant. Potest baptizare solemniter, id est, adhibere solemnitatem ab Ecclesia introductam: C. id est, baptizare ex officio & ex jure licèt extraordinario: N. unde verbum illud *solemniter* est æquivocum, ut enim importat præcisè solemnitatem cæremonialem, est quid merè Ecclesiasticum, adeoq; Clerico ab Ecclesia commissibile: ut autem sonat officium, est effectus Ordinis & consequenter à solo id ordinato potest exerceri. Ulterius, ut baptizet solemniter laicus, requiritur dispensatio, & quidem Papalis, ut autem sic baptizet Diaconus, sufficit mera commissio, & quidem Episcopalis, aut Parochialis.

QUÆSTIO II.

Quis ordo servandus in ministerio Baptismi, & quale sit peccatum ejus inversio?

CONCLUSIO I.

Dum in necessitare confertor Baptismus, hic est servandus ordo, cæteris paribus. 1. Præferri debet Parochus si adsit. 2. Sacerdos, 3. Diaconus, 4. Subdiaconus, 5. Clericus, 6. Laicus, 7. Fœmina.

Ratio est; quia videtur personarum jurisdictio, character aut præstantia id exigere. Unde Catechismus Pii V. de Baptismo sic loquitur: *Neque verò hoc munus ita omnibus promiscuè permissum esse fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem Ministrorum statuere maximè deceat; mulier enim si mares adsint, laicus item præsente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote Baptismi administrationem sibi sumere non debent.*

Dixi: *Cæteris paribus*, nam 1. si pro actu baptizandi puerum, exigeret sacerdos pretium, posset Diaconus aut alius inferior, etiam laicus, simoniam vitaturus baptizare. Imò id asserendum puto, ubi Sacerdos creditur baptizaturus in malo statu. Sed numquid etiam præferendus Diaconus aut alius Presbytero excommunicato? Minimè, si credatur pœnitentiam acturus ante collationem, aut egisse; quia præsumitur, Ecclesiam noluisse hunc casum comprehendere. 2. Etiam præferri debet mulier fidelis docta viro infideli, tùm propter majorem Sacramenti reverentiam, tum propter minus errandi periculum circa intentionem. 3. Anteponendæ sunt Obstetrices sufficienter de materia, forma, intentionem; & modo abluendi edoctæ & examinatæ, viris ignaris & minùs hac in re versatis. 4. Præferri debet Obstetrix, etiam Parocho, si infans non sit omninò editus, idque propter indecentiam.

CONCLUSIO II.

Diaconus præsumens baptizare coram Presbytero, reus est culpæ lethalis: & idem videtur dicendum, si Subdiaconus aut inferior baptizet coram Diacono: secus si laicus baptizet coram Subdiacono aut Minorista.

Prob. 1. Pars; quia censetur tunc Diaconus gravem injuriam facere Ordini sacerdotali, cui jus primarium baptizandi annexum est à Christo. Scio quidem non peccare, saltem graviter, Sacerdotem baptizantem in præsentia Episcopi, ubi neuter est pastor baptizandi; sed etiam scito utrique competere, vi ordinationis, jus baptizandi ex officio, Diacono autem tantum ex commissione, seu ex jure remoto & extraordinario.

Prob. 2. Pars; quia equidem Diacono vi Ordinis Diaconalis confertur jus quoddam speciale, licèt incompletum, ad Baptismi collationem: quod jus, cum non conferatur Subdiacono aut inferiori, si illud usurpant, non levem injuriam inferunt, & Diacono & Ordini, & Baptismo.

Prob. 3. Pars; quia Subdiaconus, à fortiori Minorista, nullum jus, nequidem inchoatum aut remotum accipit per suam Ordinationem ad baptizandum, & sic si quam injuriam ab inferioribus coram ipso baptizantibus accipit, reputatur levis.

QUÆSTIO III.

Seu variæ Quæstiunculæ Baptismi ministerium concernentes.

Petes 1. An Diaconus, Subdiaconus, aut laicus sine commissione, aut dispensatione baptizans solemniter fiat irregularis? Dico *solemniter*; quia cum Baptismus privatus non reputetur actus Ordini; licèt peccet graviter sic baptizans extra necessitatem, non fit tamen irregularis.

Respondet sententia communior, quoad Diacoum, affirmativè; sed verisimilior negativè; quia cap. 1. *de Clerico non ordinato*, irregularizatur ille tantum, qui non ordinatus, nempè ad baptizandum, baptizaverit: sed ordinatus est Diaconus ad baptizandum, cùm in ejus Ordinatione dicat Episcopus: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare*: ergo licèt id non possit sine commissione, non videtur tamen irregularitatem incurrere, præsertim cùm sit res odiosa, adeoque non amplianda, sed restringenda.

Quoad Subdiaconum certum est fieri irrregularem, cùm nullatenus sit ad baptizandum ordinatus. Quoad laicum verò, dubitatur; quia Titulus præfatæ Decretalis est *de Clerico non ordinato ministrante*, sub quo non comprehenditur laicus; sed quoniam substantia Decretalis præferenda est titulo; tum quia illo antiquior, tum quia circa mentem decernentis expressior; in Decretali autem absolutè ponatur: *Si quis non ordinatus baptizaverit*, probabilius est, laicum in nostro casu fieri irregolarem. Accedit, quòd titulus ille videatur corruptus, cùm in antiquis Codicibus sic habeatur: *De non ordinato ministrante*: imo in codicibus Gregorianis notatur ita haberi in 7. Manuscriptis.

Petes 2. An liceat extra Ecclesiam baptizare, ubi nulla urget necessitas?

Resp. Exceptis Regum & Principum liberis, quos domi, baptizare permittit Clem. *de Baptismo*, id non licere quia hoc expressè vetuit Concilium Viennenie sub Clem. V. undè legitur in Concilio Meldensi sub Sergio 2. anno Dom. 845. can. 48 *Nemo Presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis & Ecclesiis baptismalibus*. Et ideo graviter delinquunt Parochi, & alii, qui sub prætextu cujusdam honoris Toparcharum infantes baptizant domi: qood etiam verum est, licèt fieret in sacello domestico.

Petes 3. An baptizatos ab Obstetrice sit rebaptizaodus sub conditione, si supervivat?

Resp. Quia circa hoc diversa ordinarunt diversa Diœcesum Pastoralia, idque ob diversas locorum suorum experientias; ideo

ideo prudenter unusque conformabit se super hoc Episcopi sui ordinationi. Ubi autem nihil ordinatum est, rebaptizationem conditionatam adhibebit Parochus, ubi, post examen Obstetricis & mulierum tunc præsentium, dubitabit, aut tantum suspicabitur de aliquo defectu essentiali proveniente vel ex ignorantia, vel ex malitia, vel ex turbatione, vel ex præcipitantia, vel etiam ex pudore baptizantis, nolentis (ne obstetricare prohibeator) errorem suom detegere. Ad quæ omnia prudenter & cautè advertere Parochum impellit maxima Baptismi necessitas. Ubi verò, facto sufficienti examine, reperiet Baptisma validum, supplebit cæremonias, & nihil aliud.

Petes 4. An teneatur mulier, quæ obstetricandi munus exercet, nosse omnia ad Baptismi valorem reqoisita.

Resp. Teneri ex lege charitatis, propter periculum non ita rarum, ne proles moriator sine illo tantæ necessitatis Sacramento.

Petes 5. An pater aut mater in necessitate possit prolem suam baptizare, ubi alius deest?

Resp Posse; quia neminem Christus aut Ecclesia ab hoc charitatis officio exclusit, ot expressè declarat Joannes VIII. Ep. 58. ad Anselmum Episcopum Lemovicensem. Imò baptizans non privatur ideo à petendo, aut reddendo comparti debito, ut exprimitur ibidem.

Petes 6. An si Sacerdos ex quadam urbanitate indiscreta cederet in casu necessitatis jus suum laico præsenti, an hic posset licitè baptizare?

Resp. Neg. Quia non potest Sacerdos juri suo cedere cum injuria Ordinis sacerdotalis, & Baptismi irreverentia, saltem negativa.

Petes 7. An sit prohibitum Monachis baptizare?

R. Affirm. Ut patet ex C. *Placuit* 16. q. 1. hoc tamen intelligendum est seclusa commissione, ut patet tum ex Clem. 1. de Privilegiis, tum ex praxi recepta. Imò ex concessione Pauli III. & Pii V. teste Rodriquez, possunt sine commissione in partibus Indiarum baptizare noviter conversos modò id faciant in suis Ecclesiis, aut in locis sibi deputatis.

QUÆSTIO IV.

An possit aliquis seipsum baptizare, & an unus plures simul?

CONCLUSIO I.

NUllus potest seipsum baptizare. Est commonis & certa.

Prob. 1. Si liceret seipsum baptitare, hoc exprimeretur vel in Scriptura, vel in Patribus, vel in Conciliis, vel in Ritualibus, vel in Catechismis; cùm veritas adeò necessaria & otilis non debeat latere homines, aliquando propter defectum Ministri de salute periclitantes; atqui nullibi legitur: ergo nullibi admittitur.

Prob. 2. Ex determinatione Innocentii III. Cap. *Debitum*, de Baptismo & ejus effectu, jubentis, ut denoo baptizetur Judæus, qui se in articulo mortis constitutum baptizaverat, quia, ut ait, *inter baptizantem & baptizatum debet esse discretio.* Docet quidem ibi Judæum illum, si sic obiisset salvandum, sed ratione Baptismi flaminis, non fluminis.

,, Ad hujos rei confirmationem, *innuit Scotus dist. 6 q. 4. n. 2.*
,, *expendens Innocentii determinationem* profertur simul figura,
,, authoritas & ratio congroa: *figura* quidem; quia Christus ad
,, hoc signandum, non à se, sed à Joanne baptizari voluit: *Au-*
,, *thoritas* colligitur ex verbis... Ite baptizate omnes gentes &c.
,, Ubi Discipulos exprimit in secunda, & baptizatos in tertia.
,, *Ratio*; qoæ innuitur ... Joan. 3. Oporter vos nasci denuo. Si-
,, cut ergo in carnali generatione alius est qui gignit, & alius qui
,, gignitur; ita & in Sacramentali generatione, alios debet es-
,, se, qui spiritualiter generat, & alius qui spiritualiter gene-
,, ratur,,

Dices; Idem potest sibi Eucharistiam ministrare: ergo & Baptismum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Eucharistia habeat se per modom notrimenti; Baptismus verò per modum generationis: idem autem licèt non seipsum generet, sibi tamen notrimentum ministrat.

CONCLUSIO II.

POtest oous plores simul validè baptizare; non tamen licitè extra oecessitatem.

Prob. 1. Pars 1. authoritate DD. Angelici & Subtilis, qoorum primus sic habet q. 67. art. 6. ad 2. *In casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma: Ego vos baptizo... Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum.* Secundus verò dist. 6. q. 2. n. 6. *Plures simul aspergens, vel infundens, & simul proferens formam in plurali dicendo: Ego baptizo vos, baptizat simul omnes* 2. Ex facto Apostolorum, qui plura hominum millia uno die baptizabant. Ad quod non fuissent sufficientes, si singulos singulatim baptizassent. 3. Ratione; quia nihil deest ad valorem illorum Baptismatum (non quidem *materia*, cùm supponantur omnes sufficienter abluti: non *forma*, quia *baptizo vos* idem est ac *baptizo te, & te*. Non *subjecta*, cùm tot sint quot sint Baptismata. Deinde potest uous plures simul absolvere, ut fit in periculo naufragii, aut imminente conflictu, quidni & baptizare?

Prob. 2. Pars. tum ex Rituali Rom. Tit. de Baptismo, ubi præscribitur non esse adhibendam hanc formam, *Ego vos baptizo*, oisi aut urgeat mortis periculum, aut id exigat temporis angustia. Tum quia violatur mos Ecclesiæ, & quidem in re gravi: unde Scotus sup. de adhibente talem formam sic loquitur: *Peccat mortaliter, quia non servat formam impositam sibi ab Ecclesia.*

QUÆSTIO V.

An possint plures eumdem baptizare?

POsset id quadrupliciter accidere. 1. Si unus ponat materiam & alter proferat formam. Si uterque ponat materiam & formam, sed unus absolvat citius altero. 3. Si ambo omnia ponant, simulque absolvant, sed oon iotendant Sacramentum, nisi dependenter à conscio. 5. Si materiam & formam ponentes, simulque absolventes intendant Baptismum independenter ab alio.

CONCLUSIO I.

PLores eumdem baptizantes: 1. Modo, nihil efficiunt. Est communis contra paucos. Unde Scotus sup. n. 5. *Utroque seorsim aliquid faciente* (manco scilicet, ut dixerat, formam proferente, & muto abluente) *nihil fit. Nec est alia ratio, nisi institutio Dei, qui sicut voluit esse unum principale agens, ita voluit habere unum Ministrum in collatione integra.* Sacramenti. Idem habet S. Thomas q. 66. art. 5. ad 4.

Ratio est; quia tunc falsa est forma, cùm illam proferens dicat se abluere, & tamen non abluat, sed alter. Accedit, quod taliter ab Hæreticis baptizatos, absolutè rebaptizet Ecclesia.

Dices 1. Ad positionem Sacramenti Pœnitentiæ duo concurrunt, nempe Sacerdos ponens formam, & pœnitens adhibens materiam: ergo & hic duo concurrere possunt.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ sit quoddam judicium, ad quod concurrunt & confessio Rei, & absolutio judicis, non sic Baptismus.

Dices 2. Herus dicitur dare Eleemosynam, cùm illam dat mediante famulo: ergo & dicetur Sacerdos, proferens formam, baptizare, si ejus Clericus abluat baptizandum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd ut quis dicatur dare Eleemosynam, sufficiat quòd det per se, aut per alium, ut patet ex sensu communi, ut autem dicator Sacramentaliter baptizare, debeat physicè abluere, Christo (à quo Sacramentorum valor dependet) sic voluntatem suam per Ecclesiam manifestante: onde licèt fortè in ablutione naturali diceretur Herus abluere, ubi per famulam ablueret, oon tamen in ablutione Sacramentali, ob volontatem Christi contrariam.

Dices 3. Saltem valeret Baptismus, si proferens formam diceret: *Nos te baptizamus*, intelligendo quòd ipse & socius concurrant ad Baptismum per modum unius.

Resp. Neg. Assumpt. Quia etiam illo casu falsa esset forma, cùm eam proferens non ablueret, nequidem partialiter, adeoque non baptizaret.

Dices 4. Cum Cajetano: *Ego te baptizo*, idem sonat ac *confero tibi Baptismum*: sed uterque confert illum partialiter: ergo si dicatur, *Nos te baptizamus*, vera erit forma.

Resp. Dist. Ma. Idem sonat ac *confero* &c. ubi idem est proferens & abluens; Transeat. Dico *Transeat*; nam dicens, *Ego confero tibi Baptismum*, loco *Ego te baptizo*, invalidè baptizaret. Quando unus profert, & alter abluit: N. quia tunc neuter ponit aliquid Sacramenti, cum forma non sit formaliter pars Sacramenti, nisi conjungatur com materia, & idem est de materia, nisi conjungatur cum forma: in casu autem nostro, materia & forma non conferentur conjunctæ, sed separatæ.

CON-

CONCLUSIO II.

UBi plures baptizant eumdem secundo modo, prius totum absolvens baptizat, non alter.

Ratio est; quia etsi secundus totum ponat sicut primus, quia tamen illud applicat subjecto incapaci utpote jam baptizato, nihil efficit, cùm baptismus sit initerabilis: unde D. Thom q. 67. art. 6. *Manifestum est, quòd ille, qui prius verba proferret, daret Baptismi Sacramentum: alius verò, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret.*

CONCLUSIO III.

BAptizantes tertio modo nihil operantur.

Ratio est; quia neuter habet intentionem à Christo requisitam, quæ debet esse conficiendi Sacramentum ut causa totalis, & non ut partialis, & dependenter ab altero, cum agat in persona Christi, qui sicut unus est, ita & unicum requirit Ministrum. Si autem unus vellet independenter ab altero, & alter dependenter, primus validè baptizaret, non secundus.

CONCLUSIO IV.

BAptizantes 4. modo validè baptizant, totq; physicè efficiunt baptismata, quot sunt baptizantes.

Prob. 1. Pars ratione Scoti; quia non est verisimile, quòd unus faciens annullet factum alterius, cùm activa baptizatio Petri, non repugnet baptizationi Pauli; sed si uterque seorsim baptizaret, uterque validum baptisma conficeret: ergo idem efficiunt, cùm simul baptizant. Deindè ad validam baptismi positionem sufficit positio materiæ & formæ super subjectum capax, cum intentione: sed uterque id præstat respectu subjecti capacis: ergo. Accedit, quòd plures possint validè eamdem hostiam simul consecrare, ut patet in Neomystis cum Episcopo consecrantibus: quidni & plures eumdem baptizare?

Dices 1. Non potest idem effectus esse à duabus causis totalibus: ergo nequeunt duo eumdem baptizare.

Resp. Neg. Suppositum; quia tunc non esset unum physicè, sed duo baptismata, ut postea probavimus.

Replicabis: Saltem utriusque baptismatis esset idem effectus, nempe una gratia, unus character, & sic redit difficultas.

Resp. Dist. Assumpt. Esset idem effectus procedens physicè à baptizantibus: N. moraliter, in quantùm Deum movent ad illius productionem: C. licèt autem implicet; ut dicitur in physica, eumdem effectum esse à pluribus causis totalibus physicis, non tamen moralibus, ut patet de duobus consiliis in ordine ad eamdem actionem, dato quorum utrumque seorsim sufficienter moveret operantem.

Dices 2. Nullus potest bis baptizari: sed talis baptizaretur bis: ergo.

Resp. Neg. Min. Quia posset quidem dici baptizatus duplici baptismate, non tamen bis baptizatus; quia illud *bis* non sonat Baptismatum simultantem, sed successionem: & certè sicut non dicitur bis vulneratus, qui simul & semel recepit duo vulnera, ita nec diceretur bis baptizatus, qui simul duo recepisset Baptismata.

Dices 3. Homo non est capax duplicis baptismatis, ergo,

Resp. Dist. Ant. Non est capax duplicis baptismatis successivè recipiendi: C. simul recipiendi: N.

Prob. 2. Pars; quia duo essent Ministri, duæ intentiones, duæ materiæ & duæ formæ: ergo & physicè duo baptismata, cùm nihil aliud requiratur ad eorum multiplicationem. Præterea uterque baptizans efficit non partem Sacramenti, sed integrum Sacramentum; atqui aliud numero efficit hic, aliud ille, cùm alia sit ablutio & formæ prolatio hujus, & alia illius: ergo aliud Sacramentum efficit hic, aliud ille.

Dixi in Conclusione *physicè*; quia moraliter loquendo posset dici unum Baptisma propter unitatem agentis principalis, unitatem subjecti, & maximè propter unitatem effectus; quia non plus efficerent duo respectu gratiæ & Characteris, ac si esset unicus. Et fortè illo sensu voluerunt DD. Angelicus & Subtilis tunc esse unicum baptisma.

DISPUTATIO III.

De Subjecto Baptismi.

CIrca Baptismi subjectum turpiter errarunt Anabaptistæ volentes parvulos ante usum rationis esse baptismatis incapaces. Beza & Hunnius Lutheranus incapacitatem illam restringunt ad solos infantes Judæorum, Mahumetanorum, & Gentilium. Calvinus autem voluit quidem omnes parvulos esse baptismi capaces, sed negavit esse ipsis necessarium, si ex parentibus fidelibus descenderent, ut antea diximus.

QUÆSTIO I.

Quodnam sit Baptismi subjectum?

CONCLUSIO I.

BAptismi Subjectum est omnis homo viator nondum baptizatus, sivè parvulus, sivè adultus, sivè ex parente fideli, sive infideli, sivè amens, sive mentis compos, sivè natus ex semine virili, sivè non.

Ratio est; quia omnis ille est capax Regni cœlestis: sed non est illius capax, secluso Martirii casu, nisi mediante baptismo, juxta illud Joan 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. ergo.

Dices 1. Baptizandi, sunt priùs instruendi, juxta illud Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. sed parvuli & amentes sunt instructionis incapaces: ergo.

R. Tantùm ibi insinuari modum, quo procedere deberent Apostoli cum adultis convertendis, non autem assignari necessaria ad valorem baptismi; cùm & ipsimet adulti possint sine instructione validè baptizari, ubi consentiunt.

Dices 2. Deest parvulis Baptismi voluntas: ergo & capacitas

R. Quod sicut sine voluntate propria in primo Adam peccaverunt, ita & sine illa per secundum Adam vivificantur.

Dices 3. Plurimi Sancti adhærentes exemplo Christi, anno ætatis trigesimo baptizati, diu baptismi susceptionem distulerunt: ergo.

R. Dist. Ant. Diu distulerunt, quia credebant se illo incapaces: N. indignos: Transeat. Sed de his fusè egimus Disp. 1. ubi de baptismi obligatione. Ex dictis

Resol. 1. Contra Authorem modernum, B Virginem ab originali immunem, fuisse nostri baptismatis capacem, cùm nullibi excludatur. Vult quidem Author ille non potuisse verificari formam respectu ipsius, idque probat ex Augustino, qui lib. de prædest. SS. c. 13. docet, quòd *in eis, qui nullum habent omninò peccatum, falsus sit Baptismus*; sed advertere debuisset, quòd sicut ly *Absolvo* in Sacramento Pœnitentiæ, non significat: Ego confero tibi gratiam delentem peccatum; sed deletivam peccati, si nempè reperiatur, aliàs non possent absolvi peccata antea absoluta: ita & ly *Baptizo* in nostro casu. Ad Augustinum dico baptismum tunc fore falsum, si Minister tantùm intendatur remittere peccata existentia, aliàs non; & ideo S Doctor prioribus verbis immediatè subjungit. *Qui in remissionem traditur peccatorum.* Si inde inferas B. Virginem fuisse etiam Sacramenti Pœnitentiæ capacem, negabitur consequentia, quia fuit incapax confessionis, quam insupplebiliter requirit Pœnitentia ad sui valorem, non baptismus.

Resol. 2. Etiam baptismi fuisse capacem puerum ex femore viri natum prope Dixmudam, non quia originale contraxit, ut falsò supponit Author præfatus contra Augustinum, ut patet ex dictis de peccato originali; sed quia nullum exclusit Christus, potuitque de illo verificari forma, modo anteà dicto.

CONCLUSIO II.

PArvuli nullo modo nati, id est, secundùm omnes suas partes in utero materno clausi, non sunt subjecta baptismi capacia. Patet ex dictis Disp 1. hujus Tract Hic tamen pro praxi propter aliqualem sententiæ oppositæ probabilitatem.

Advertendum 1. Si Obstetrix aut Chirurgus expertus posset manu aut instrumento (quod Metrenchyten vocant) deducere aquam calidam ad puerum usque (nam frigida necaret matrem) baptizandus esset sub conditione, quia licèt non sit natus ex utero, est tamen natus in utero; & ideo fortè valeret Baptismus, etiamsi tantùm attingerentur secundinæ. Id quidem prohibuit Paulus V. in suo Rituali Romano, sed ex suppositione, vel quòd parvulus non posset ibi ablui, vel certè non sine occisione matris innocentis.

Advertendum 2. Ubi moritur mater gravida, statim aperiendam esse, ut inde extrahatur proles, & baptizetur, nisi constaret non vivere.

Advertendum 3. Ubi ad mortem condemnata est mulier prægnans, executionem esse suspendendam ad partum usque. Imò longè consultius est, ne quid mali ex desperatione aut tristitia matris puero contingat, etiam ipsam sententiam eo usque differre.

CON-

CONCLUSIO III.

MOnſtra ſunt ſubjecta capacia Baptiſmi, ſi ſpeciem hominis referant, aliàs non. Cenſentur autem ſpeciem hominis referre, quando caput & pectus formam humanam habent, licèt membra beſtialia appareant. In dubio autem utrum fœtus ſit homo vel beſtia v. g. quia caput eſt ferinum, & reliqua humana Baptiſmus differendus eſt; donec certiùs dignoſcatur. Quod ſi periculum mortis non det locum ulteriori examini, baptizandus eſt ſub conditione? *ſi ſis homo*. Si verò monſtrum habeat duo capita, & quædam alia membra duplicata, ita ut dubitetur, an ſit unus homo, vel plures, baptizandum eſt abſolutè in parte principali, quam conſtat informatam eſſe anima rationali; in alia autem parte, de qua dubitatur an informetur eadem vel diverſa anima, baptizandum eſt ſub conditione. *Si non es baptizatus, ego te baptizo* &c.

QUÆSTIO II.

An parvuli infidelium Principibus infidelibus ſubditorum, baptizari poſſint invitis parentibus?

SUppono 1. Contra Durandum, parvulos quorumlibet infidelium, invitis parentibus, validè baptizari, quia ſunt ſubjecta capacia Baptiſmi, & aliundè habetur materia, forma, & intentio Miniſtri. Deeſt quidem voluntas parentum; ſed hanc nec Scriptura, nec Concilia, nec Traditio requirunt ad valorem baptiſmi. *Non enim ſcriptum eſt*, inquit Auguſtinus Ep. 23. ad Bonifacium, *Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, ſed niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*.

Suppono 2. Filios infidelium adultos contra voluntatem parentum poſſe, & debere baptizari, ſi in Baptiſmum conſentiant; quia in iis, quæ ad ſalutem pertinent, ſunt ſui juris. In dubio autem de ſufficienti uſu rationis differendus eſt Baptiſmus donec de eo conſtet.

Suppono 3. Infidelium alios eſſe Hæreticos, qui poſt Baptiſmum fidem turpiter deſeruerunt, alios Paganos, Gentiles, Judæos, Mahumetanos, qui fidem Catholicam non fuerunt amplexati, ſeu qui nunquam in gremium Eccleſiæ per baptiſmum intraverunt. Et de utriſque procedit quæſtio.

CONCLUSIO I.

PArvuli Hæreticorum Principibus infidelibus ſubditorum, licitè poſſunt invitis parentibus baptizari. Eſt certa.

Ratio eſt, quia cum Hæretici Eccleſiæ ſubjiciantur ratione Baptiſmi, poteſt ipſis parvulorum Baptiſmum præcipere: ergo à fortiori ubi reluctantur eorum parvulos, ipſi invitis, baptizare.

CONCLUSIO II.

PArvuli aliorum infidelium memoratorum Principibus infidelibus ſubditorum, illicitè baptizantur invitis parentibus, ſi non ſint in evidenti mortis periculo. Eſt communis, ſed magis ſtabilita authoritate, quam ratione.

Prob. Quia ſi baptizati relinquantur parentibus, tanquam infideles educabuntur, ſicque profanabitur Baptiſmus: ſi auferantur à parentibus, injurioſè auferuntur, quia licèt jure, quod habent in filios educandos, abutantur, cùm tamen nec Eccleſiæ, nec Principi Chriſtiano ſubjiciantur non debent ab ipſis illo privari.

Dices 1. Data eſt Apoſtolis Matth. ult. generalis poteſtas baptizandi omnes gentes: ergo &c.

R. Hoc verum eſſe, ſed non eſt credibile Chriſtum voluiſſe, ut conferretur Baptiſmus, quando inde immineret periculum profanationis ejuſdem aut injuria parentum. Jam autem alterutrum ex illis eventurum eſſe, ſi baptizentur, moraliter certum eſt.

Dices 2. Poſt Evangelium ſufficienter promulgatum, obligantur parentes ſicut ſibi, ſic & prolibus de Baptiſmo providere: ergo ſi illum non procurent, poſſunt jure paterno privari, cùm eo abutantur in detrimentum filiorum.

Reſp. Privari poſſe à Superiore legitimo, ſed cum ille ſit infidelis, nec Eccleſiæ ſubdantur parentes, non apparet à quo poſſint privari, niſi à Deo.

Dixi 1. *Si non ſint in evidenti mortis periculo*, quia in tali caſu periculum Apoſtaſiæ ac profanationis Baptiſmi, ſi moribundus ſupervivat, cedere debet certitudini damnationis æternæ, ſi abſque Baptiſmo decedat. Nec violatur in aliquo jus parentum, cùm non injurientur per filii baptizationem, ſed tantum per violentam ereptionem, quæ ſupponitur hìc non facienda. Sed eſto jus haberent ne baptizaretur; non tamen illud habent in extrema pueri neceſſitate. Sicut; licèt jus habeam, ne quiſquam mea mihi eripiat, ceſſat tamen illud jus reſpectu illius, qui eſt in extrema neceſſitate.

Dixi 2. *Magis ſtabilita authoritate, quam ratione*; quia ſi poſſit baptizari proles ægrota in diſcrimine vitæ, ſeu quando dici poteſt: fortè morietur, fortè non morietur, ut conveniunt omnes, quidni baptizari poſſet proles ſana, quando non aderit deinceps occaſio Baptiſmi conferendi, defectu Miniſtri fidelis, cùm de illa prole dici poſſit cum fundamento: fortè morietur, fortè non morietur ante periculum Apoſtaſiæ, ſeu profanationis Baptiſmi. Quod facilè admittet, qui reflectet ad tantam humanæ vitæ, præſertim in parvulis, fragilitatem: unde compertum eſt, teſtibus Poncio Layman, ſecundam aut tertiam partem parvulorum in infantia mori: quod confirmat Regiſtrum mortalitatis Londinenſe, ex quo conſtat ex centum infantibus non niſi 40. poſt decem annos ſupereſſe.

Prætereà accedunt varii fructus Baptiſmi, ut liberatio à variis Dæmonum inſidiis, ſpecialis Angelorum tutela, gratia ſanctificans, gratiæ actuales, quibus facilius pervenient ad rectam fidem, quam in receptione Baptiſmi profeſſi ſunt. Deindè confertur Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentum, probabiliter, imò probabiliùs relapſuris, quidni & miniſtraretur Baptiſmus fortè innocenter morituris, licet fortè victuris in Apoſtaſia materiali, aut ſaltem non magis culpabili, quàm ſi non fuiſſent baptizati, cùm ſupponatur eodem modo educandi? Fateor tamen huic opinioni adverſari ſententiam communem.

QUÆSTIO III.

An liceat baptizare parvulos infidelium Principibus Chriſtianis ſubditorum, contra parentum voluntatem?

CONCLUSIO I.

POſſunt & debent Principes, aut Domini Chriſtiani, invitis parentibus, procurare Baptiſmum parvulis ſuorum mancipiorum infidelium, & idem eſt de parvulis captorum in juſto bello.

Prob. 1. Pars, nempe quòd *poſſint*, quia cùm partus ſequatur ventrem, parvuli naſcuntur mancipia, ſicut parentes, ſicq; cùm poſſit Dominus illos vendere, à parentibus eripere, ac aliis tradere educandos in fide Catholica, poſſunt conſequenter eos Baptiſmo offerre, ſine injuria parentum; aut periculo profanationis Baptiſmi.

Prob. 2. Pars, nempe quod *debeant*; quia cùm Dominus ſuccedat in locum patris, etiam debet illorum officio paterno fungi, adeoque ipſis miniſtrare neceſſaria, non ſolum ad vitam corporalem, ſed præſertim ad ſpiritualem, cujus eſt janua Baptiſmus, ſi tamen nimium gravaretur Dominus parvulis educandis, nec eſſent, qui illorum educationis curam & onus vellent ſuſcipere, poſſet, ſi ideo eſſent ad infidelium partes remittendi, ſine Baptiſmo dimittere, propter periculum profanationis.

Dices 1. Jus naturale prævalet juri Gentium: atqui parentes habent jus naturale in filios educandos, Dominus autem tantùm jus Gentium in eoſdem: ergo non poteſt illos à parentibus abſtrahere.

R. Diſt. Ma. Jus naturale integrum prævalet juri Gentium; C. jus naturale perditum juſto titulo: N. ſicut autem parentes eo ipſo, quo fiunt mancipia, aut capiuntur bello juſto, perdunt libertatem, ad quam habebant jus naturale, ita ut non ſint amplius ſui juris, ita & pergunt jus naturale educandi filios.

Dices 2. Jus Dominorum in mancipia ſolum eſt naturale, ergo non ſe extendit ad Baptiſmum, qui eſt ſupernaturalis.

R. Quod ſicut jus paternum in ſe naturale, ſe extendit ad ſupernaturale, ſuppoſita elevatione hominis ad finem ſupernaturalem, ita & jus Dominorum in mancipia,

Dices 3. Saltem non poteſt baptizari proles mancipii invitei, ſi nata ſit ante ſervilem patris conditionem.

R. N. Aſſumpt. Quia cùm mancipium non ſit amplius ſui juris, jus omne illius, adeoque & paternum, transfertur in Dominum, qui ideo poteſt & debet curare, ut proles, etſi libera baptizetur.

CONCLUSIO II.

PRincipes Chriſtiani licitè poſſunt, per ſe loquendo, procurare Baptiſmum infantibus infidelium ſibi tantùm politicè ſubditorum, etiam invitis parentibus. Ita Scotus 4. d. 4. q. 9. n. 1. cum omnibus ſuis, quos ſequuntur ſatis communiter Auguſtiniani. Monet tamen adhibendas eſſe certas cautelas, 1. ut Baptiſmus fiat ſecretò, ne parentes hoc timentes prius interimant parvulos ſuos. 2. ut Princeps curet baptizatos chriſtianè educari.

Pr. 1. Concluſio: Parentes nullum habent jus impediendi, quominus procuretur Baptiſmus eorum parvulis: ergo poteſt Princeps illis invitis, parvulis Baptiſmum procurare. Pr. Ant. Quia ſi quod jus haberent, eſſet naturale, ut per ſe patet. ſed non datur jus naturale contrarium juri divino, datur autem hic jus divinum præcipiens, ut omnes omninò recipiant Baptiſmum: ergo.

Prob. 2.

Prob. 2. Ratione Scoti: Princeps *Dei Minister est*, Rom. 13. ergo curare debet, ut serventur Dei mandata, inter quæ est illud: ut Baptismum recipiant omnes. Si dicas Principis ministerium respicere naturalia, non supernaturalia, qualis est Baptismus: Dicam ego, supposita sufficienti Christianæ fidei prædicatione (ut supponi debet apud Principes Catholicos) teneri parentes ex præcepto naturali prolibus suis Baptismum procurare: ergo ubi præceptum illud violant, Principis est illorum defectui supplere.

Confir. 2. Principis est impedire, quominus pater filium perdat temporaliter, ut conveniunt omnes: ergo à fortiori impedire, quominus perdat æternaliter: quod tamen faceret denegando filio Baptismum. Unde quamvis non teneretur parens ex jure naturæ Baptismum filio procurare, quatenus Baptismus est, seu quatenus supernaturalis, tenetur tamen ex illo jure ipsum procurare, quatenus est medium à Deo ordinatum ad impediendam æternalem filii perditionem; cùm autem sit Principis, ut concedunt adversarii, juris naturalis observantiam procurare, ipsius est consequenter (deficientibus parentibus) illi juri supplere.

Confirm. 2. Laudat Augustinus Epist. 98. Imperatores statuentes pœnam capitis contra impia Gentilium sacrificia: ergo à fortiori laudaret Principes impedientes subditos, quominus proles suas dæmonibus æternaliter sacrificent.

Confirm. 3. Ex eodem Augustino Homil. 6. de Verbis Domini, ubi ait: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: sed si quid jubet, quod non debes facere, hic sanè contemne potestatem minorem, timendo majorem:* sed vult pater, qui est inferior, ut non baptizetur parvulus, & vult Deus, qui est omnium superior, ut baptizetur: ergo debet Princeps contemnere potestatem patris, timendo & reverendo potestatem Dei Baptismum præcipientis; cùm jus paternum in filios subordinetur juri Dei.

Confirm. 4. Ex eodem S. Doctore, qui concedit indirectè Regibus Catholicis potestatem circa ea, quæ respiciunt Religionem; ait enim lib 3. cont. Crescen. cap 51. *In hoc Reges, sicut eis divinitùs præcipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam quæ ad divinam Religionem.*

Prob. 3. Conclusio: Potest & debet Princeps procurare tranquillitatem Reipublicæ per omne illud, quod non opponitur juri divino; sed nihil magis confert ad tranquillitatem Reipublicæ, quàm una & eadem omnium Religio, ut patet ex concordia Catholicorum, & discordia infidelium Catholicis permixtorum: ergo ubi permixtim vivunt infideles cum Catholicis, debet Princeps tranquillitatis ergo infidelium parvulis Baptismum procurare.

Prob. 4. Potuit Avus fidelis ut declaravit Greg XIII. procurare nepoti Baptismum, invita ipsius matre infideli; quia tanquam tutor successerat in locum patris: ergo potest Princeps (qui est tutor supremus, cùm alii tutores ab ipso dependeant in fieri & conservari) parvulo Baptismum procurare invita matre, & ipso tutore; si autem possit invita matre & tutore, quidni posset invitis patre & matre, cùm tutor teneat locum patris?

Prob. 5. Destruendo Adversariorum fundamentum: quia potest Baptismus ille conferri sine periculo profanationis Sacramenti, si nempè tollat Princeps baptizatum à parentibus, qui non habent jus educandi filios, nisi in disciplina, & correptione Domini: & certè si possit Princeps auferre filium à parentibus volentibus ipsi mortem temporalem inferre; quidni posset volentibus ipsi inferre mortem æternam, quam lex naturæ (supposita infernu fide) dictat magis esse vitandam, quàm temporalem?

Obj. 1. Non possunt auferri ab infidelibus invitis bona temporalia: ergo nec eorum proles, ut baptizentur, aut ut baptizatæ Christianè educentur.

R. Dist. Ant. Non possunt auferri &c. quamdiu iisdem benè utuntur, C. si malè utantur in suam, vel aliorum perniciem, N. hic autem utuntur jure educandi filios in damnum & perniciem tertii, seu ipsorum filiorum, cùm prohibendo, ne baptizentur, ipsos devoveant flammis æternis.

Obj. 2. Non potest invitus baptizari: sed filii infidelium censentur inviti, ubi sunt inviti parentes: ergo. Prob. Min. Voluntas patris censetur voluntas filii, quandiu caret usu rationis.

R. Neg. Min. Ad Prob. Dist. Assumpt. Voluntas patris censetur voluntas filii in certis effectibus, quæ spectant ad vitam civilem aut corporalem, C. in iis quæ spectant ad vitam spiritualem: subdistinguo. Si sit bona, Transeat. Si sit mala, & filio perniciosa, N. Deus enim, qui noluit ut filius in rebus salutis ab impia patris voluntate dependeret adultus, noluit ut ab eadem dependeret parvulus.

Obj. 3. Potestas Principis est merè naturalis: ergo non se extendit ad supernaturalia.

R. Dist. conseq Non se extendit ad supernaturalia, quæ non cadunt sub lumen naturæ, C. quæ cadunt, sicut cadit susceptio baptismi, supposita sufficienti fidei prædicatione, cum sit medium ad vitandam mortem æternam, N.

Obj. 4. Saltem non dictat lumen naturæ, separandas esse proles à parentibus, ubi se opponunt illarum baptismo: ergo &c.

Resp. N. Ant. Sicut enim dictat lumen naturæ, supposita sufficienti Eucharistiæ propositione, puniendos esse illos, qui illam irreverenter tractant, v.g. irridendo, conculcando &c. quia fit injuria tertio, nempè Christo; ità & dictat posita sufficienti fidei prædicatione, puniendos esse parentes, qui se opponunt suorum Baptismo: cùm injuriarum maximam faciant tertio, nempè prolibus ideò in æternum arsuris, nisi per earum abstractionem puniantur parentes.

Obj. 5. Nunquam Principes id practicarunt, licèt commodè possint pluribi respectu infantium Judæorum: ergo.

R. Neg. Ant. Quia id practicavit *Zizebutus* Rex, cujus factum approbat Concilium *Toletanum IV.* ac ideò c. 55. Principem vocat religiosissimum. Id etiam practicavit *Carolus Magnus* in Gallia, *Ferdinandus* in Hispania, aliique Reges plurimi, in hoc doctrina Scoti, ex Doctorum consilio, secuti, ut testatur Boterus in sua Hist. parte 3. lib. 2. Imò lex tertia Visigothorum Judæos obligabat sub gravibus pœnis, ut filios Baptismo offerrent.

Obj 6. Id expressè prohibuit dictum Concilium Tolet. sup. his verbis: *De Judæis autem præcipit S. Synodus nemini deinceps vim inferre:* & ideò inferunt Adversarii laudatum esse quidem à Concilio Zelum *Zizebuti*, sed factum improbatum.

Resp. 1. Ly *Deinceps* denotare evidenter non fuisse antea illicitum: quod sufficit ad verificationem nostræ Conclusionis, quæ, ut diximus, intelligi debet *per se loquendo*.

R. 2. Prohibitionem illam respicere Judæos adultos, non Judæorum parvulos, quibus nulla vis inferretur.

R. 3. Sic ordinatum fuisse illis temporibus, quia tunc quædam occurrebant, ob quæ non expediebat baptizari parvulos invitis parentibus: unde, mutatis posteà circumstantiis, præfatam Visigothorum legem renovarunt Reges plurimi, imò & Concil. Tolet. XVII. decrevit, ut pertinaces Judæi manciparentur, ac separatæ ab illis proles baptizarentur & Christianè educarentur. Ex quibus patet non fuisse improbatum factum Zizebuti ut illicitum, aliàs non fuisset posteà approbatum & ordinatum, si fuisset antea condemnatum.

Obj. 7. Non possunt puniri parentes per abstractionem prolium, nisi peccarint: sed ex eo quòd non procurent illis Baptismum, quamdiu bene se habent, non peccant: ergo.

R. Dist. Min. Non peccant, si tantùm velint Baptismum differri: transeat: Si velint nunquam conferri, N. & ideò potest Princeps, ne præveniatur infans per mortem, prævenire eius separationem.

Obj. 8. Probationes Conclusionis non tantùm probant posse baptizari filios infidelium Principibus Catholicis subditorum, sed etiam subditorum infidelibus: quod est contra Quæst. præced.

R. Neg. Assumpt. Quia in casu quæstionis præcedentis, nullus est, qui prolem baptizatam, aut baptizandam eripiat à parentibus: non quidem Ecclesia; cùm nullam jurisdictionem habeat in non baptizatos: non Princeps, cùm ipsemet, utpotè infidelis, Baptismum rejiciat: non etiam persona privata; quia non est alicujus particularis corrigere abusum paternum. Præterea etsi totum concederem, non magnum præjudicium adferrem priori resolutioni, quam dixi magis stabilitam esse authoritate, quàm ratione propter motiva ibi allegata.

Dixi in Concl. *per se loquendo*, quia per accidens sæpè non expedit, ut si inde timeatur occisio parvulorum, odium implacabile in Christianos, rebellio &c.

QUÆSTIO IV.

Seu variæ quæstiunculæ huc pertinentes.

PEtes 1. An sit baptizandus puer septem annorum, invitis parentibus?

Resp. Non posse, si ipsemet dissentiat, cum invitus non possit licite, imò nec validè baptizari; posse autem, si baptismum postulet; quia etsi fortè sit posteà à parentibus pervertendus ob ætatem teneram & adhuc flexibilem, quia tamen ex tunc factus est sui juris, absolutè baptizandus est. Sed quid si dubitetur, an usum rationis habeat? Judicandum est in favorem baptismi, si septennium compleverit, imò etiamsi non compleverit, si differendo non supersit spes posteà baptizandi

V defectu

defectu Ministri; quia cùm homines non sint propter Sacramenta, sed Sacramenta propter homines, melius est in tanta necessitate sacramentum aliquali periculo exponere.

Petes 2. An talis post baptismum perversus à parentibus, possit ab illis abstrahi?

Resp. affirm. Si affulgeat spes emendationis, quia Ecclesia per Baptismum acquisivit jus in illum. Excipe tamen, nisi timeretur rebellio, aut publica perturbatio.

Petes 3. An licitè baptizetur parvulus, cujus uterque parens est infidelis, si unus in id consentiat?

Resp. Affirm. Contra aliquos; quia baptizatus poterit à parentibus abstrahi authoritate Ecclesiæ, si remanens apud parentes credatur ethnicè educandus. Si tamen non sit spes abstractionis, non est baptizandus ob periculum evidens profanationis.

Petes 4. Quid dicendum de parvulo, qui, quia subditur Principi infideli, non potest abstrahi à parentibus, quorum unus est infidelis, & alter Christianus?

Respondent aliqui, non esse baptizandum; quia parens infidelis degens sub Principe infideli facilè impediet educationem Christianam; & ideò volunt, jura permittentia baptizationem pueri, cujus alter parens est Christianus, tantùm loqui de subditis Principi Catholico, sed crediderim tunc savendum esse innocenti; quia etsi jura casum hunc expressè non comprehendant, non tamen expressè excludunt, & aliundè ultra quòd fortè morietur ante periculum profanationis (cum, ut diximus, duo ex tribus moriantur ante decennium) magna est spes, quòd parens Christianus sit profanationem impediturus; hæc autem, attenta maxima hujus Sacramenti necessitate, præponderant aliquali profanationis periculo.

Petes 5. An expediat baptizare infantem, cujus uterque parens est iam infidelis, fuit autem aliquando fidelis?

Resp. Certum esse posse per se loquendo baptizari, cùm parentes, ratione baptismi subdantur Ecclesiæ sicut Hæretici. Utrum autem expediat? Distinguendum est: vel enim abstrahi potest parvulus à parentibus, & res per se patet; vel non potest abstrahi, nec aliundè spes est Christianæ educationis; & non est conferendus baptismus ob periculum Apostasiæ.

DISPUTATIO V.

De cæremoniis & effectibus Baptismi.

AGunt aliqui antea de dispositionibus ad Baptismum requisitis; sed quoniam de illis sufficienter egimus in tract. de Sacramentis in genere; illuc lectorem remittimus, sicut & pro aliorum Sacramentorum dispositionibus.

QUÆSTIO I.

Quænam sint cæremoniæ Baptismum præcedentes, concomitantes, & subsequentes?

EXprimuntur quidem omnes illæ cæremoniæ in Ritualibus; sed quia apparent insipidæ, ubi earum significatio ignoratur: quid per singulas intenderit Mater Ecclesia, breviter declarabimus.

CONCLUSIO I.

CÆremoniæ Baptismum præcedentes sunt 1. consecratio aquæ cum Chrismate; hæc antem consecratio solùm fit in pervigiliis Paschæ, & Pentecostes, eo quòd tunc solùm, seclusa necessitate, baptizarentur olim adulti, dicti *Catechumeni*, quorum illi, qui nedum baptismum petietant, dicebantur *Auditores*, eo quòd expositas sibi fidei Regulas audirent: qui autem petierant, vocabantur *Competentes*, quasi perentes cum aliis. Dixi *Adulti*; quia licèt alibi aliter fieret, Romæ tamen baptizabantur omni tempore parvuli. 2. Oblatio baptizandi ante fores Ecclesiæ; *quia indigni sunt*, inquit S. Borromæus in Instruct. Bapt. *Qui more fidelium, domum Dei, antequam Christo Domino se addixerint, ingrediantur.* 3. Impositio nominis alicujus Sancti, tum ut sciat baptizatus se adscriptum esse militiæ Christianæ; tum ut Sanctum, cujus nomen gerit, sequatur in moribus ut Prototypon, veneretur ut Patronum, deprecetur ut Advocatum. 4. Signum crucis applicatum fronti, pectori, oculis, auribus, humeris. *Fronti*, ut nunquam Christi crucem erubescat, Christumque crucifixum palam confiteatur. *Oculis*, ut significetur spiritualem primi parentis cæcitatem per Christi crucem esse tollendam. *Pectori*, ut credat in Christum non ore solùm, sed etiam corde: *Corde enim creditur ad justitiam*. Rom. 10. *Auribus*, ut ad fidei veritates aperiantur. *Humeris*, ut assuescat ab adolescentia ferre Christi crucem & jugum. 5. *Exorcismus* consistens in precibus & ex sufflatione, ut discedente spiritu maligno, succedat Spiritus Sanctus: unde Augustinus lib. 5. de Symbolo ad Catechum. c. 1. *Ideò, sicut nostis, & parvuli exsufflantur, & exorciscantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines.* 6. Impositio manuum à Sacerdote super caput baptizandi, tanquam victimæ, Deo per baptismum consecrandi. 7. Tactus narium & aurium cum saliva: *narium* quidem, ut accipiat odorem vitæ æternæ. *Aurium* verò, ut non sit surdus ad expositionem cœlestis doctrinæ. 8. Impositio salis benedicti in os baptizandi, *ut per sal typicum sapientiæ sale conditus, fætore careat iniquitatis, & nec à vermibus peccatorum putrefiat, sed magis illæsus servetur ad majorem gratiam percipiendam* Can. *Ex hinc* de consecrat. dist. 4.

CONCLUSIO II.

PEractis cæremoniis illis, ducitur baptizandus ad baptismatis fontem, ubi 1. Interrogatur trina vice, an abrenunciet diabolo, ejus operibus, ac pompis, & ad singulas interrogationes respondet per se, si sit adultus, aut per Patrinum, si sit parvulus, *Abrenuntio*. Et quidem *Satanæ*, quia *nemo potest duobus Dominis servire*, & ideò ut serviat Deo, renuntiare debet diabolo. *Ejus operibus*, ut relinquens iniquitatem, amplectatur sanctitatem, sicque juxta Apostolum, deponat veterem hominem cum actibus suis, & induat novum hominem ornatum virtutibus. Et *Pompis*, idest, ambitioni, arrogantiæ, vanæ gloriæ, luxui, omnique cujuslibet rei superfluitati tum in victu, tum in vestitu, tum in ædificiorum ornatu. Ad hæc attendant mundani, & videant, an non sint solemniter votifragi? 2. Confertur baptismus in loco ad id specialiter deputato, qui olim erat extra Ecclesiam, dicebaturque Baptisterium, nunc autem in Ecclesia. Ad hac tamen lege, ob suam postulationem, excipiuntur filii Regum, & magnorum Principum etiamsi non sint Supremi, seu ab aliis independentes, ut patet ex Rituali Romano. Debent tamen baptizari in suis Oratoriis, aut Sacellis, & quidem cum aqua baptismalis ordinaria. 3. Inunguntur oleo sacro per modum crucis pectus & scapulæ baptizandi: tanquam Athletæ Christi: *Pectus* quidem, ad fortiter credendum, & sanctè cogitandum *Scapulæ* verò, ad Christi Domini jugum suaviter ferendum: unde Innocentius III. cap. *Cùm venisset*, sic loquitur: *Per fidei Sacramentum fit munditia cogitationum in pectore & per operis exercitium fit fortitudo laborum in scapulis.* 4. Fit à baptizando, vel immediatè, si sit Adultus, vel mediante Patrino, si sit parvulus, fidei professio; quia videtur requirere Christus Marc. ult. dicens: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* 5. Petitur à baptizando, an velit baptizari? Cui annuenti illicò confertur Baptismus. Hujus autem petitionis ratio est; quia sicut homo sua voluntate obtemperans serpenti damnatus est, ità & sua, aut quasi sua voluntate Deo obediens salvandus est.

CONCLUSIO III.

ABsoluto baptismate dabatur olim baptizato à fidelibus osculum pacis, eo quod Neophytum tanquam fratrem agnoscerent, & reciperent. Induebatur etiam per octavam Paschæ, in signum innocentiæ acceptæ & conservandæ, veste candida, quæ Dominica in Albis, sic dicta à vestis albedine, deponebatur. Insuper inungitur Chrismate vertex baptizati, *ut intelligat*, inquit D. Borromæus sup. *se ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, & ea re Christianum à Christo, Christum verò à Chrismate appellari.* Denique traditur baptizato cereus accensus, qui indicat triplicem in se infusam esse per hoc Sacramentum virtutem Theologicam: designatur siquidem fides in lumine, Charitas in calore, spes in erecta cerei altitudine, quæ sursum ascendit, ut spes nostra ad cœlos usque exaltetur & erigatur.

Porrò cæremoniarum illarum omissionem esse graviter culpabilem conveniunt omnes, saltem ubi baptismus solemniter confertur, quod addo, quia vult Possevinus *de Officio Parochi* cap. 6. suppletionem cæremoniarum, secluso contemptu & scandalo, tantùm esse adhibendam sub veniali, ubi omissæ sunt propter casum necessitatis: cui non assentior; & certè mirum esset, quòd foret peccatum mortale cæremonias illas extra Ecclesiam habentem fontes, exercere, ut tenet sententia communis, & tamen foret solùm veniale omnes illas omittere. Sed quid de Baptismo ab Hæreticis validè collato?

Sup-

Supplendas eſſe cæremonias, ubi Hæreticus convertitur, affirmant aliqui, negant alii: Ego unumquemque ad ſequendam laudabilem Diœceſis ſuæ conſuetudinem obligari exiſtimo.

QUÆSTIO II.

An in Baptiſmo requirantur, & quinam poſſint eſſe Patrini?

CONCLUSIO I.

IN Baptiſmo ſolemni requiritur ſub peccato mortali Patrinus, ſaltem unus.

Prob. Ex uſu Eccleſiæ, & Apoſtolorum Traditione, quam inſinuat D. Dionyſius lib. de Eccleſiaſtica Hierarch. cap. 7. quamque ſupponit Trident. ſeſſ. 24 cap. de Reformatione Matrimonii cap. 2. Congruentiam autem adſert ex S. Thoma Catechiſmus ejuſdem Concilii, quòd ſicut in generatione carnali datur recenter nato nutrix, & Pædagogus, ità in generatione ſpirituali datur renato Patrinis, ſeu ſuſceptori, cujus munus eſt non tantùm levare de fonte parvulum, ſed etiam fide, Religione, & moribus Chriſtianis ipſum imbuere, ad quod etiam ſub gravi peccato tenetur, niſi propter curam parentum, Paſtorum exhortationes, & Præceptorum Catechiſmos frequentes ab illa obligatione liberentur: quod ordinariè in partibus Catholicorum ſupponitur, niſi contrarium appareat: unde D. Thomas 3. p. q. 67. art. 8. *Ubi nutriuntur inter Catholicos*, ſuppie baptizati, *ſatis poſſunt ab hac cura excuſari Patrini, præſumendo quod à ſuis parentibus diligenter inſtruantur: ſi tamen quocumque modo contrarium ſentirent, tenerentur ſecundùm ſuum modum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere.*

Dixi: *In Baptiſmo ſolemni*; quia in Baptiſmo privato, & quando baptizans tantùm eſt Miniſter neceſſitatis, non eſt adhibendus: vel enim morietur infans, & non indigebit Patrino, vel ſupervivet infirmitati, & tunc adhibebitur Patrinus in cæremoniarum ſuppletione. An autem ſi tunc adhibeatur, contrahat cognationem ſpiritualem? Diſputant Authores: ſed probabilior eſt ſententia negativa; quia tunc non eſt verè Patrinus, licèt id intendat: cum enim Patrinum eſſe vel non eſſe dependeat à voluntate Eccleſiæ ita inſtituentis vel non inſtituentis ubi Eccleſia Patrinum non requirit, ſicut in præſato baptiſmo, nec cenſetur Patrinum agnoſcere. Aliud eſt de taliter baptizante; quia cùm ſit verè baptizans, enim verò cognationem contrahit præſertim cum Eccleſia cognationem illam annectat indiſcriminatim baptizanti, non diſtinguendo, an ſit Miniſter ſolemnitatis, an neceſſitatis.

Sed quid de Patrino ſolùm in ſuppletione cæremoniarum adhibito; ſeu quando anteà præceſſit baptiſmus, ſive propter neceſſitatem, ſive proprer aliam rationem?

R. Teneri quidem officium ſuſceptoris adimplere, inſtruendo, docendo, monendo &c. ut antea diximus, cum pro ſuſcepto reſponderit, non contrahere tamen cognationem ſpiritualem, quia ut docet S. Thomas qu. 56. Supplem. a. 2. *Spiritualis cognatio non contrahitur, niſi per aliquod Sacramentum.*

Dixi etiam in Concluſione, *Saltem unus*, quia Trident. ſeſſ. 24. c. 2. de Reformat. *Statuit, ut unus tantùm ſive vir ſive mulier, juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una, idest Patrinus & Matrina baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant*: unde peccat graviter Parochus, ſi plures admittat, ut docent commoniter DD. Illi tamen plures admiſſi contrahunt etiam cognationem ſpiritualem, ſi fuerint à parentibus, aut à Parocho in eorum defectu, deſignati: & ita declararunt Cardinales ad locum Tridentini ſup. his verbis: *Quòd ſi plures ſint deſignati ad contrahendam Compaternitatem, contraxerunt cognationem ſpiritualem, qui tetigerunt, punito tamen Parocho.*

CONCLUSIO II.

NOn poteſt quilibet aſſumi ad officium Patrini.

Ratio eſt; quia non eſt quilibet aptus, ut curam gerat baptizati circa fidem & mores; imò quamvis foret aptus, interdum expedit aliunde non aſſumi. Hinc

Reſol. 1. Non admittendos eſſe ad hoc officium, rudes in materia fidei: undè D. Borromæus decreto. 10. a. Synodi: *Id curæ ſit Parochis, & reliquis animarum curatoribus, ut quos Compatres ita rudes eſſe animadverterint, qui fidei Symbolum, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ignorent, eos hoc munus obire, ne patiantur. Etenim ab omni ratione alienum, ut qui ſe Deo Fidejuſſores conſtituunt; ii res illas neſciant, quibus ſe alios inſtructuros eſſe ſanctè pollicentur.*

Reſol. 2. Nec paſſim admittendos eſſe impuberes, ideſt, Maſculos ante annum decimum quartum ætatis completum, & puellulas ante duodecimum: unde Rit. Romanum: *Hos autem Patrinos ſaltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis confirmatos eſſe maximè convenit. Dixi Paſſim*; quia ſi Parochus videat impuberem eſſe ſufficienter inſtructum, poterit illum admittere, ut declarat conſuetudo, & authorizat praxis, ſaltem in his locis.

Reſol 3. *Ad hoc munus non eſſe admittendos infideles, aut hæreticos, non publicè excommunicatos, aut interdictos; non publicè criminoſos, aut infames, nec prætereà, qui ſanamente non ſunt.* Ita Rit. Rom. Ratio eſt, quia vel ſunt vitandi, vel in rebus fidei indocti, vel moribus depravati.

Reſol. 4. ex eodem Rit. quòd *prætereà ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſcumque Ordinis Regulares à ſæculo ſegregati*, idque ad vitandam ſcandoloſam quandoque ſæcularium ſocietatem, & ideò S. Franciſcus ſuis prohibet cap. 11. Regulæ ut *non fiant Compatres virorum vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de fratribus ſcandalum oriatur*. Non comprehenditur tamen ſub hac prohibitione Religioſus factus Epiſcopus, ut declarat Gloſſa in Cap. *Statutum* 18. q. 1. ſicut nec in multis locis Abbas, conſuetudine juri contrario derogante.

Reſol. 5. Etiam excludendos eſſe, juxtà DD. communiter, non baptizatos, quia non decet ut ille, qui necdum ſpiritualiter natus eſt, ſit alteri pater ſpiritualis. Hæc autem inhibitio, non afficit ipſos non baptizatos, cum non ſubdantur Eccleſiæ præceptis, ſed parentes baptizandi, ne ipſos deſignent.

Reſol. 6. Etiam graviter prohibitum parentibus eſſe prolium ſuarum Patrinos. Patet ex c. *Pervenit ad nos* 30. q. 5. Ratio eſt, quia tantum adhibetur Patrinus, ut, pro inſtruendo baptizando, ſuppleat defectui parentum, & ideò nequidem alio deficiente, debent hoc munere ſungi parentes.

Qui autem prolem propriam, aut prolem ſuæ compartis ex alio conceptam ſuſcipit, aut etiam baptizat, fit comparti ſuæ cognatus ſpiritualis. Si autem quæras, an ex illa cognatione impediatur Matrimonii uſus? Reſp. Aut ſpiritualis cognatio inducitur cauſa neceſſitatis, ſicut cum pater baptizat filium in articulo mortis, & tunc ex neutra parte impedit actum Matrimonii: aut inducitur extra caſum neceſſitatis ex ignorantia, & eſt eadem ratio ſicut de primo: vel ex malitia, & tunc delinquens privatur jure debitum petendi, non tamen eximitur ab onere reddendi, quia, ut ajunt Alexander III. cap. *Si vir*, de cognatione, & S. Thomas q. 56. Supplem. art. 5. (Ex quibus hæc doctrina deſumpta eſt) non debet innocens ex alterius culpa incommodum reportare, nec debet nocenti ſua fraus aut dolus patrocinari.

QUÆSTIO III.

Inter quos contrahatur cognatio illa ſpiritualis, & quid requiratur ad ipſam contrahendam?

CONCLUSIO I.

HÆc cognatio ſpiritualis impediens Matrimonium contrahendum, & dirimens contractum longè extendebatur juxta jus antiquum, ſed nunc reſtricta eſt à Trid. ita ut tantum ſuſceptores, ſicut & baptizans, illam contrahant cùm baptizato, & patre ac matre baptizati & hi cùm illis. Hinc

Reſol. 1. Parochum fornicantem cum Matrina à ſe baptizati, non incurrere inceſtum ſpiritualem, quem incurrit, ſi fornicetur cum baptizata, aut cum matre baptizati vel baptizatæ, (intellige à ſe) quia com his habet cognationem ſpiritualem, non cum illa.

Reſol. 2. Propter cognationem illam, Patrinum & Matrinam reos eſſe præſati inceſtus, ſi copulentur proli à ſe ſuſceptæ, & idem eſt, ſi patri aut matri illius, & è contra.

CONCLUSIO II.

UT contrahatur cognatio illa, variæ requiruntur conditiones. 1. Ut adſit animus obeundi munus Suſceptoris, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum: non requiritur tamen animus illam contrahendi, quia qui vult principale, vult Acceſſorium, quod ex illo ſequitur undè ſicut baptizans, velit nolit, contrahit illam cognationem, ita & ſuſcipiens, quia huic actioni & illi eam annexuit Eccleſia, independenter à cujuſque voluntate 2. ut Suſceptores deſtinentur à parentibus, aut, ipſis deficientibus, ab ipſo Parocho, alias non, ita ordinante Trid. 3. Ut Suſceptor tangat baptizatum phyſicè, aut tempore Baptiſmi, aut dum levatur de fonte, ubi moris eſt

sic baptizate. Non est tamen necesse, ut tangat puerum immediatè, sed sufficit quod tangat mediis vestibus, linteo, disco &c. Ex dictis

Resol. 1. Ultrò se ingerentes ad officium Susceptoris, ubi alii sunt destinati, non contrahere præfatam cognationem defectu secundæ conditionis. Dixi *ubi alii sunt destinati*; quia si nulli sint, & se ingerentes non impediat Parochus, videntur illam contrahere, quia tunc illos admittit Parochus in actu exercito.

Resol. 2. Suscipientes per Procuratorem, cognationem illam similiter contrahere, cùm animum habeant suscipiendi, ad id sint destinati, & baptizatum tangant physicè per alium, illorum vices supplentem: & certè si possit quis per alium Matrimonium contrahere, quidni & Patrini munus exercere? Quandoquidem, ut habet Axioma juris: Quod quis per alium facit, per seipsum facere censendus est. Unde non sunt audiendi volentes illo casu nec mittentem, nec Procuratorem contrahere cognationem, sicut nec docentes cognationem afficere Procuratorem, & non mittentem. Non quidem primi, vel enim in tali Baptismo reperiuntur veri Patrini, vel non: si reperiantur, quidni contraherent cognationem? Si non: ergo tunc baptizans omitrit cæremoniam graviter obligantem: quod nemo somniavit. Non etiam secundi, cùm non Procurator, sed Mittens, ad officium Susceptoris sit destinatus. Accedit, quod talis sit communis Ecclesiæ sensus; quæ Reges, aut Principes sic per Procuratorem suscipientes, reputat veros Patrinos: Imò talis est declaratio Cardinalium ad locum Tridentini citatum relata.

Resol. 3. Hanc cognationem etiàm aliquo modo contrahi à non baptizatis, quia etsi Ecclesia directè non habeat jus in illos, nec possit propriè ipsos aliquo impedimento ligare, id tamen potest indirectè, in quantum ordinat, ut ab infideli baptizata non possit cum eo jam converso Matrimonium iniri, ratione cognationis contractæ, quæ ideò censetur aliquo modo infidelem afficere.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint obligationes Parochorum in hac materia?

ULtra obligationes jam hinc inde recensitas, restant adhuc aliquæ breviter exponendæ.

Primò inter populum instruendum doceat parentes Parochus, ut in Patrinorum delectu *non Nobilitatis, non divitiarum, non potentiæ, non authoritatis, non potestatis, non amicitiæ, non cujusque alterius commodi, emolumentive* (verba sunt D. Borromæi instruct. Bapt.) *rationem habeant, sed eo magis seligant, qui filiorum animæ magis consulere, quàm qui inopiæ subvenire possunt.*

Secundò Parochis prohibitum est, ne baptizandis ea nomina imponi sinant, quæ turpia, aut ridicula sunt, quæve impiorum & impurorum hominum memoriam referant, sed eorum, qui ob veræ pietatis, ac sanctæ Religionis, virtutisque Christianæ laudem, Sanctorum numero adscripti sunt.... Nomina quoque SS Patrum veteris Testamenti affectare, Hæreticorum est. Quocirca seriò moneant Parochi hujusmodi nominum cupidos, potiùs alicujus Apostoli, aut alterius Sancti novæ legis nomen eligere. Hæc desumpta sunt ex CC Rhemensi, Bituricen. & Burdigal.

Tertiò. Sedulò debent cavere, ne baptizent, aut baptizari permittant mortuos natos, sub prætextu quòd ante Imaginem beatæ Virginis, aut alicujus Sancti à mulierculis simplicibus, aut superstitiosis delati, vi carbonum ardentium, & cereorum accensorum fiant de frigidis calidi, de rigidis molles, de pallidis rubei, aut etiam è naribus sanguinem emittant, aut aliud æquivocum vitæ signum ediderint; quia manifesta fit injuria Sacramento, utpotè invalido. Aliud esset, si signum vitæ evidens appareret. Hunc abusum ità mortuos natos exponendi extirpavit à certo loco, ubi tunc degebam, Illustrissimus Guido Episcopus Attrebatensis.

Quartò diligenter debent inscribere in Registro baptismali nomen baptizati, ac ejus parentum, & Susceptorum, sicut & annum, mensem & diem, quo fuit baptizatus, sive solemniter in Templo, sive privatim alibi. Imò sedulò notare debent, an sit ex legitimo thoro necne; cùm ejus notitia possit esse posteà summe necessaria.

Quintò debent ex præcepto Tridentini, sive immediatè post baptismum, sive inter concionandum, monere parentes, Susceptores ac etiam baptizatos, ubi sunt instructionis capaces, de contracta spirituali cognatione, ne posteà Matrimonium invalidè contrahatur, & ne baptizans, aut suscipiens peccans tactu aut actu libidinoso, vel desiderio circa puellam, quam baptizavit aut suscepit, aut etiam circa matrem illius, hanc circumstantiam incestus omittat in Confessione.

Sextò fortiter inculcare debet Matribus & Nutricibus, aliisque quibuscumque personis, ne in eodem lecto decumbant cum infantulis ante annum completum, ob periculum suffocationis: quòd si de facto suffocaverint, licèt dormientes, coram Deo homicidas esse; si autem non suffocentur parvuli, nihilominus graviter delinquere, ob expositam discrimini infantulorum vitam: unde in variis Diœcesibus casus est Episcopo reservatus, ac nuperrimè in Diœcesi Attrebatensi.

Septimò abstinere omninò debent à compotationibus, & commessationibus, quæ nonnunquam post baptismata fieri solent in Tabernis, aut domi parentum: illa enim nimiùm familiarem (ne vilem dicam) reddunt Parochorum personam, & conditionem.

QUÆSTIO V.

Qui sint Baptismatis effectus?

INter effectus baptismi numerantur Character, gratia sanctificans, gratiæ Sacramentales; sed cùm de illis sufficienter dictum sit, hic de illis non agimus, sed de aliis.

CONCLUSIO I.

BAptismus, quantùm est de se, delet omne peccatum, sive originale, sive actuale antea commissum, modò non ponatur obex. Est de fide contra Originistas volentes per baptismum peccata quidem tegi, non tamen tolli: quorum errorem jam pridem sepultum excitarunt de novo Lutherus & Calvinus, quorum primus sic loquitur art. 2. ex condemnatis à Leone X. anno 1520. *Aliud est omnia peccata remitti, aliud tolli; Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere.* Secundus verò in Antidoto Concil. Trid. sess. 5. refellens decretum de peccato originali: *Manet*, inquit, *verè peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Contra quos

Prob. 1. Conclusio, ex Script. Ezechiel 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quo etiam referri potest illud Michææ 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata vestra:* sicut enim Deus verè demersit in mari rubro Pharaonem cum ipsius exercitu, ità peccata nostra, quæ sunt hostes animæ nostræ verè delet in aquis & per aquas Baptismi. Unde Gregor. Epist. 39. lib. 9. *Qui ergo dicit peccata in Baptismate non dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in Baptismate funditus mori.*

Prob. 2. Ex novo Testamento, Act. 22. *Baptizare & ablue peccata tua.* Et Cor. 6. vers. 21. postquam enumerasset Apostolus plura & graviora peccata, subdit: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Quomodo autem ablutus ille, quomodo mundus, quomodo sanctus, cujus conscientia adhuc scatet peccatorum fœtore & sanie?

Prob. 3. Ex definitione Florent. ubi in decreto Eugenii de Baptismo dicitur: *Effectus hujus Sacramenti, est remissio omnis culpæ originalis & actualis*; & Trid. sess. 5. can. 5. ubi anathematizantur illi, qui dicunt per gratiam baptismalem peccata non tolli, sed tantùm radi aut non imputari.

Ratio à priori est voluntas Christi nobis per Ecclesiam & Scripturam manifestata.

Ratio congruentiæ petitur ex eo, quòd sicut decet Principem generosum, illi, quem noviter in familiam suam admittit omnia delicta condonare; ità à fortiori Regem nostrum Christum, cujus misericordia & bonitas, etiam in peccatores, est infinita.

Hæreticorum Objectiones circa hanc materiam, vide in Tract. de Justificatione.

Dixi 1. in Conclus. *Quantum est de se*, idest, Baptismus sufficiens est delere omne peccatum ante ejus susceptionem commissum: nisi prius per contritionem, aut dilectionem Dei perfectam fuerit delectum.

Dixi 2. *Modò non ponatur obex*; quia, ut diximus, hic effectus impediri potest vel per affectum ad peccatum mortale, vel per defectum debitæ dispositionis.

CONCLUSIO II.

SEcundus Baptismi effectus est remittere omnem omninò pœnam peccatis debitam, sive æternam, sive temporalem.

Hanc fidei veritatem confirmant tum Ecclesiastica Traditio, tum Patrum consensus, ex quibus unicum Augustinum lubet audire lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. cap. 28. *Si continuò* com-

consequatur ab hac vita migratio, nempè post Baptismum, *non erit omninò, quòd obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quæ tenebant*. Tum Ecclesiæ praxis, nullam baptizatis satisfactionem imponentis, licèt maximè fuissent peccatores: tum Conciliorum definitio: nam Trid. sess. 5. can. 5. loquens de baptizatis, ait: *Innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt .... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur*, adeoque nec reatus pœnæ. Idem habet Florent. sup. Tum ratio congruentiæ; quia decebat Deum summè liberalem summam liberalitatem in prima condonatione ostendere, ac ideò summè plenariam omnium peccatorum, ac pœnarum peccatis debitarum indulgentiam concedere.

Dices: Exercebantur Catechumeni in primitiva Ecclesia, teste S. Justino Martyre, in orationibus, vigiliis, abstinentia, jejuniis, aliisque pietatis & humilitatis operibus: sed frustranea fuissent illa, si omnes peccatorum pœnæ essent per Baptismum remittendæ: ergo.

R. Dist. Maj. Exercebantur &c. ad satisfactionem propriè dictam, N. ad corrigendos mores, ad ponendum vitæ Christianæ tyrocinium, *& ad præstruenda*, ut loquitur Tertullianus, subsecuturis tentationibus munimenta, C.

CONCLUSIO III.

Licèt deleat Baptismus omnes peccatorum pœnas, non tamen delet peccatorum pœnalitates, ut sunt concupiscentiæ motus, corporis infirmitas, necessitas moriendi, miseriæ &c.

Hujus veritatis probatio est, pœnalitatum illarum experientia quotidiana: hic moritur, ille infirmatur, iste gravibus Passionum tempestatibus concutitur: hinc tentatio, illinc afflictio: hic dolor, illic calamitas. Sed non debet ideò desperare Christianus, sed è contra fortiter viriliter agere, de divino piè confidens adjutorio; nam qui dignatus est peccata nostra in baptismate submergere, dignabitur & nobis in tentationibus succurrere. *Quid ergo putas*, inquit August Homil 27. inter 50. *defuturum tibi auxiliatorem in via, eum qui te eruit de vetusta captivitate? novos inimicos tuos non compescet, qui te à vetustis hostibus liberavit? tantùm intrepidus transi, intrepidus ambula, obediens esto .... noli ergo timere; adest in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator.*

Porrò ob triplicem præsertim rationem remanent in baptizatis illæ pœnalitates. Primò ad virtutis exercitium, ac coronæ augmentum. Secundò ad majorem humiliationem, ac nostræ à divino auxilio indigentiæ recognitionem. Tertiò ut homo, inquit Herinx, considerando lapsus sui testimonium, magis agnosceret redemptionis suæ beneficium.

DISPUTATIO VI.

De Baptismo Flaminis & Sanguinis.

Tria esse Baptismata, initio hujus Tract. diximus; sed cùm sufficienter de Baptismo fluminis egerimus, de aliis duobus, flaminis scilicet & sanguinis, restat breviter agendum.

QUÆSTIO I.

Quid sit Baptismus Flaminis & Sanguinis, & an suppleant quandoque vices Baptismi Fluminis.

CONCLUSIO I.

Baptismus Flaminis est perfecta cordis contritio, aut perfecta in Deum charitas includens, saltem implicitè, votum Baptismi Fluminis. Rectè autem vocatur Baptismus *Flaminis*; quia perfecta illa conversio est à sacro Flamine, idest, à Spiritu S. animam sanctificante, & peccatorum remissionem tribuente, juxta illud Matth. 3. *Ipse baptizabit vos in Spiritu S.*

Baptismus autem Sanguinis est Martyrium ante susceptionem baptismi Fluminis susceptum, & de hoc utroque quæritur, an vices Baptismi suppleat quoad effectum primarium, nempè gratiam sanctificantem, nam quoad effectum secundarium, nempè Characterem, certum est non supplere; cùm juxta Tridentinum, tantùm illum imprimant Sacramenta initerabilia; neuter autem ex illis est verum Sacramentum.

CONCLUSIO II.

Baptismus Flaminis in necessitate supplet vices Baptismi aquæ quoad infusionem gratiæ, ac remissionem omnis culpæ sufficienter retractatæ. Est communis & certa. Dico *sufficienter retractatæ*; quia si quis retineat affectum ad peccatum aliquod veniale, licèt tunc justificetur, non tamen peccatum illud ipsi remittitur.

Prob. 1 Ex Script. Act. 10. ubi legitur Cornelium; antequam de facto baptizaretur, accepisse Spiritum S. seu fuisse justificatum, adeoque ratione Baptismi Flaminis cum voto Baptismi Fluminis; cùm non possit ex parte hominis alia justificationis causa assignari.

Prob. 2. Ex SS. PP. Ambrosio in Oratione de obitu Valentiniani Imperatoris ante Baptismum (quem quidem petierat, sed ex causa distulerat) defuncti: *Ventrem meum doleo, quoniam quem in Evangelio eram generaturus, amisi, sed ille non amisit gratiam, quam poposcit ..... quòd si Martyres suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas*. Augustino lib. 4. de Bapt contra Donatist. c 22. *Invenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem, conversionemque cordis si forte ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest*: quod exemplificat in bono Latrone justificato, non ob passionem, utpotè propter crimina inflictam, sed ob cordis contritionem Bernardo Epist ad Hugonem: *Si ante exitum resipuerit* (qui Baptismum neglexerat) *& voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo, fortè obtinere nequiverit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera .... nequaquam omninò possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantùm si aquam*, idest Baptismum, *non contemptus, sed sola prohibeat impossibilitas*.

Prob. 3. Ratione Theologica; quia, ut diximus, & fusius dicemus in Tract. de Pœnit. Perfecta Dei dilectio, aut perfecta cordis contritio justificat peccatorem: sed non fit justificatio peccatoris, sine infusione gratiæ expellentis omnem culpam mortalem, sive originalem, sive personalem: ergo.

Dices 1. August. videtur contrarium insinuare Tract. 13. in Joan. ante med. ubi ait: *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum.*

Resp. Ipsum loqui de Catechumeno, qui suis virtutibus moralibus innixus contemnat aut differat ultra modum baptizari, in quo, utpotè graviter Reo, non reperitur Baptismus Flaminis. Hanc esse Augustini mentem, evidenter ostendit contextus. Quando autem lib. 2. de Peccat. merit. & remiss. cap. 26. ait: *Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cælorum*, mentionem facit Catechumeni nolentis, eo quòd sit justificatus, baptizari, licèt possit, in quo non stat nostra Conclusio, casum impossibilitatis Baptismi supponens.

Dices 2. Cap *Catechumenum*, dist. 4. de consecratione legitur: *Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus, excepto Martyrio.*

Resp. Hæc verba, licèt dicat Gratianus esse Augustini, non esse ipsius, sed Gennadii lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 74 quam Doctrinam non admittit, sed rejicit Ecclesia; quandoquidem Innocentius III cap *Debitum*, Extra. de Bapt. dicat de Judæo non baptizato, sed Baptismum vehementer desiderante: *Quod si continuò decessisset, ad Patriam protinus evolasset propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum.*

CONCLUSIO II.

Supplet enim vices Baptismi Fluminis quoad præfatos effectus, Baptismus Sanguinis, seu Martyrium. Est certa, tum ex Script. Matth. 10 *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, & cap. 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Tum ex Ecclesiæ Traditione, tum ex communi fidelium sensu; tum etiam ex SS. PP. Cypriano Epist. 73. ad Jubajanum, ubi ait Catechumenos pro Christo occisos *nec privari Baptismi Sacramento, utpotè qui baptizentur gloriosissimo, & maximo sanguinis Baptismo*. Cyrillo Hierosolymit. Catechesi 3. *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres*. Augustino lib. 1 de Originæ animæ cap. 11 *Nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Dices 1. Dicitur universaliter in Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit* &c. ergo non prodest ad salutem Martyrium sine Baptismo.

Resp. Cum Augustino lib. 13. de Civit. Dei, cap. 7. quod ille, qui universaliter dixit: *Nisi quis &c.* etiam alibi universaliter dixerit: *Qui me confessus fuerit &c.*

Dices 2. Nemo justificatur, juxta Trid. sess. 6. c. 4. nisi per aquæ Baptismum, aut ejus votum: ergo.

Resp. In Tridentino tantùm fieri mentionem de via justificationis ordinaria, non autem extraordinaria, quale est Martyrium, cui ex speciali privilegio annexuit Deus gratiam, ut patet ex dictis.

QUÆSTIO II.

Quid sit Martyrium, & qui sint illius capaces?

CONCLUSIO I.

Martyrium, si vim vocis spectemus, idem sonat ac testimonium, & Martyr idem ac testis; ex usu tamen Ecclesiæ, est mors vera, aut cruciatus lethalis propter fidem Christi, aut veram virtutem toleratus, & in odium ejusdem illatus.

Dicitur 1. *Mors vera*, ut ostendatur Martyres solo desiderio, non esse propriè Martyres.

Dicitur 2. *Aut cruciatus*, non quòd Martyr debeat sentire dolorem, sed quòd causa sit doloris illativa, licèt Martyr, Deo sic volente, nihil omninò sentiret.

Dicitur 3. *Lethalis;* unde in rigore non sunt Martyres, qui quidem pro Christi fide passi sunt, sed vulnera lethalia, idest, sufficientia ad mortem causandam non receperunt: non est tamen necesse, ut ex vulnere lethali sequatur mors; sed quòd sequeretur, nisi à Deo impediretur: unde Joannes Euangelista in ferventis olei dolium missus, sicut & tres pueri in fornacem ignis ardentis injecti, sunt veri Martyres, licèt non fiot ideò mortui.

Dicitur 4. *Propter fidem Christi:* unde Hæreticus moriens pro tuendis falsis dogmatibus, non est Martyr; imò nec talis esset, quamvis moreretur pro assertione mysterii SS. Trinitatis, aut Incarnationis, aut alterius Articuli veræ fidei; quia illa omnia credit fide humana, jam autem causa, propter quam mortem patitur quis, credi debet fide supernaturali.

Dicitur 5. *Aut veram virtutem*, nempè practicandam, aut practicatam: unde qui moriuntur pro servanda castitate, pro defendenda Ecclesiastica libertate, vel quia jejunarunt, orarunt, Missam audierunt aut celebrarunt, Sacramenta ministrarunt, aut receperunt, denique quia legem Dei custodierunt, vel Ecclesiæ, sunt veri Martyres. hi omnes testimonium exhibent Deo seu Christo, quatenus, profuso sanguine, approbant legem Dei, & doctrinam Christi de virtutibus nobis traditam.

Dicitur 5. *Toleratus*, nempè sine resistentia; quia resistens occumbendo, censetur potiùs victus, quàm victor: unde occisi ab Hæreticis aut Infidelibus in bello fidei, licèt multum mereantur, non sunt in rigore Martyres ob resistentiam: quidquid dicat Ariaga. Non excludimus tamen illos, qui aliqualiter resistunt, non malum persecutori inferendo, sed præcisè ictum lethalem vel per fugam, vel per alicujus interpositionem declinando, ex naturali quadam mortis apprehensione, licèt sit perfectius ad exemplum Christi Martyrum capitis, sine ulla prorsus resistentia mortem tolerare.

Dicitur denique, *& in odium ejusdem illatus;* quia si inferatur ob aliud motivum, licèt injustum, non erit verum Martyrium, quia, ut docet Augustinus ser. 2. in Ps. 34. *Martyrem non pœna*, supple sola, *sed causa facit: pœna enim communis latroni & Martyri... sed causa dispar*. Ex dictis

Resol. 1. Martyrem esse puellam occisam, etiam à Catholico, quia noluit ejus passioni consentire; quia tali morti conveniunt omnes Martyrii conditiones; modò ex parte sua sit disposita, ut examinanti patebit.

Resol. 2. Martyribus annumerandum fore Judicem, qui necaretur ob sententiam justè latam, quia pateretur mortem illatam sibi in odium justitiæ, adeoque veræ virtutis.

Resol. 3. Hæreticum morientem ob aliquam virtutem, non esse Martyrem, quia virtus illa, qualiscumque sit, tantùm est philosophica, & non vera: *Veræ quippe virtutes*, inquit Augustinus, l. 4. contra Julianum c. 3. *Deo serviunt in hominibus:* Deo autem non servit, qui Deo non placet; sine fide autem impossibile est placere Deo.

Resol. 4. Nec Martyrii palmam obtinuisse bonum Latronem, cùm fuerit crucifixus non in odium fidei aut virtutis, sed ob crimina: unde Augustinus lib. 4. de Bapt. c. 21. *Nec quia credidit passus est, sed dum patitur propter scelera credidit*.

Resol. 5. Licèt sint maximè meritoriæ actiones ministrantium peste infectis tum corporalia, tùm spiritualia, nihilominùs eorum mortem inde provenientem non esse rigorosè Martyrium; quia patienter quidem & heroicè est tolerata, sed non in odium fidei, aut virtutis illata.

Resol. 6. S. P. Franciscum nec esse propriè Martyrem, licèt lethalia Martyrium Capitis vulnera fuerit perpessus; quia Christo ex odio, Francisco autem ex amore fuerunt inflicta.

CONCLUSIO II.

Omnis homo sive adultus, sive parvulus, sive natus, sive non, est capax Martyrii absolutè loquendo.

Prob. De Adultis; quia mortem in odium fidei aut veræ virtutis illatam, pro defensione ejusdem patienter tolerare possunt, assistente divinæ gratiæ auxilio, ut per se patet: sed nihil aliud ad Martyrium requiritur: ergo.

Prob. de Parvulis (idem est de amentibus) qui etsi non sint capaces Martyrii quoad actum internum virtutis; sunt tamen capaces quoad opus externum mortis, per quod realiter conformantur cum Passione & morte Christi. Hoc autem sufficit, ut patet de SS. Innocentibus, quos ut Martyres honorat Ecclesia: unde Christus malum parvulis illatum sui causa benignissimè compensat, supplendo defectu actualis voluntatis, sicut & facit in eorum Baptismo. At adulti debent actu interno subire Martyrium, eo quòd plus requiratur ab eo, qui est sui juris & libertatis, quàm ab eo, qui liberum usum non habet.

Prob. De non natis, seu in utero materno existentibus quia verè possunt perdere vitam corporalem sibi in odium Christi aut Religionis ablatam, adeoque esse veri Martyres. Hocque verum est, sive Tyrannus simul matrem cum fœtu occidat, sive non: imò quamvis occidendo matrem non intenderet occidere prolem, eo quòd ignoraret matrem esse gravidam; quia equidem semper occiditur propter Christum. Contrarium tamen quoad hoc ultimum, sustinetur non improbabiliter ab aliquibus: & certè si sufficiat allata ratio, etiam Martyr esset Paulus v. g. in quem explosisset casu fortuito Hæreticus, *volens in odium fidei explodere in Petrum;* cùm equidem moreretur propter Christum: unde res est incerta.

CONCLUSIO III.

Etiam ante Christi Adventum homines erant Martyrii capaces.

Prob. Quia etsi nullibi legeretur in veteri Testamento, sicut legitur in novo Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me & Euangelium, salvam faciet eam* credibile tamen est hoc fuisse ab initio mundi revelatum, & per Traditionem divulgatum: unde Machabæi celebrantur Martyres 1. Augusti. Deinde ante Christi passionem durante adhuc lege veteri, homines erant capaces Martyrii, ut patet in S. Joanne Baptista, & SS. Innocentibus. quidni & ante Christi Adventum? Adæquatam tamen certaminis lauream, idest claram Dei visionem non reportabant ante Christi Passionem, eo quòd his sicut & aliis clausa esset cœli janua.

QUÆSTIO III.

Quænam dispositiones requirantur ad Martyrium.

CONCLUSIO I.

Requiritur in Adultis consensus in mortem, saltem habitualis, aut interpretativus, idque ob motivum honestum & pium.

Prob. 1. Pars, primò. Qui creavit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis, idest sine nostro consensu, ut docet Augustinus. Secundò, quia nullus exercere potest actum virtutis, nisi in illum aliquo modo consentiat, cùm omnis virtutis actus debeat esse moralis, adeòque voluntarius: sed Martyrium in Adultis est actus virtutis nempè fortitudinis: ergo &c. Dico *in Adultis;* quia Martyrium in parvulis non est formaliter actus fortitudinis, sed tantùm materialiter, in quantùm exhibent passione, quòd alii exhibent professione.

Dixi *Saltem habitualis aut interpretativus;* quia non plus requirunt Doctores; & ideò si Petro v. g. verum Deum adoranti, aut alium virtutis actum exercenti minetur quis mortem, nisi desistat, & interim in eo perseveret Petrus, etiamsi de Martyrio nullatenus cogitans, imò dormiens occidatur, Martyr occumbit; quia qui vult id, ex quo prævidet effectum aliquem secuturum, censetur velle & effectum, nisi aliud obstet.

Sed foretnè verus Martyr, qui ex improviso in odium fidei lethaliter vulneratus, mortem acceptet pro Christi fide ubi resciret homicidam esse Hæreticum; Casus hic accidit temporibus

nostris

nostris Duaci R.P. Bartolomæo Noel Societatis JESU Alumno anno 1674. ac R.P. nostro Brunoni Lestoquart, in exercitu Regis Galliæ prope Tornacum Commissario 1708.

Resp. Probabilius affirm quia licet vulnus lethale infligendum non acceptet ob Christi fidem, cùm supponatur omninò imprævisum, ipsum tamen ut inflictum ac mortem ex eo sequutam pro fidei Christianæ testimonio acceptat, ac Deo offert: potestque mors illa dici aliquo modo ipsi voluntaria, non quidem ut mors est præcisè, cùm necessario sequatur ex vulnere, sed quatenus ordinata ad Christianæ fidei testimonium, cùm possit ad illud non ordinari: undè cum sine ulla violentia dici possit mors in odium fidei inflicta, & ob fidei testimonium tolerata, etiam dici potest Martyrium.

Imò sustinent aliqui sufficientem esse Martyrii volitionem, vitam Christianè peractam: quibus non adhæremus; quia licet Christianè vivens censeatur velle Christianè mori adeoque & salutis media Christianis ordinaria suscipere; non tamen extraordinaria, quale est martyrium.

Prob. 2. Pars quia non censetur quis per voluntatem malam aut indifferentem reddere testimonium fidei divinæ aut veræ virtutis, imò non sufficit ad Martyrium, quod quis patiatur pro virtute quatenus moralis est præcisè, sed requiritur juxta DD. quòd moriatur pro virtute cum respectu ad motivum supernaturale, v.g. quia eam præcipit aut commendat fides Christi, ne censeatur potius mori ut Stoicus, quam ut Catholicus.

CONCLUSIO II.

Ut peccator consequatur effectum Martyrii, debet habere dolorem supernaturalem de peccatis, sufficit tamen (speculativè loquendo) Attritio supernaturalis.

Prob. 1. Pars, quia docet Trid. Sess. 14 c. 4. Dolorem supernaturalem fuisse quovis tempore necessarium ad obtinendam peccatorum actualium remissionem: ergo etiam tempore Martyrii. Præterea convenit, ut qui Deum per peccatum voluntariè reliquit, voluntariè per ejusdem retractationem ad ipsum revertatur.

Prob. 2. Pars: primo quia Martyrium, juxta SS. Patres, est æqualis, imò majoris virtutis, quam baptismus: undè S. Cyprianus in Exhort. ad Martyres: *Hoc Baptisma*, nempè Sanguinis, *in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius*: sed Baptismus habet vim justificandi attritum: ergo & Martyrium. Secundo, quia Martyrium quandoque supplet locum Baptismi quoad effectus productionem ut antea diximus: ergo sicut sufficit peccatori baptizando Attritio supernaturalis ad peccatorum remissionem, ita & peccatori Martyrizando. Deinde tria distinguuntur Baptismata, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis: sed si Martyrium præerequireret ad justificationem contritionem perfectam, tantùm essent duo Baptismata nempè Fluminis & Flaminis, cùm tunc Martyrium non justificaret, sed contritio ipsum præcedens, sicque falsum esset annexam esse Martyrio quasi ex opere operato, seu ex speciali privilegio, collationem gratiæ.

Responderent tamen requirentes contritionem, Baptismum Flaminis esse contritionem intensam, seu in gradu justificativo, Martyrium verò tantùm præsupponere contritionem remissam, seu necdum in gradu justificativo, sicque remanebit Martyrio vis gratiam primam conferendi. Sed ne bis idem examinare teneamur, resolvemus in Tract. de Pœn. an requirantur certi gradus ad justificationem necne.

Dixi in Conclusione *Speculativè loquendo*, idest, spectata præcise Martyrii natura & privilegio; nam in praxi tenetur peccator elicere contritionem perfectam ante Martyrium, non quidem præcisè ut sit dispositus ad illud, sed quia tenetur in articulo mortis ex sui charitate viam ad salutem; quam potest tutissimam eligere: licèt autem sit valdè probabile, attritionem sufficere, non est tamen omninò certum, cum Doctor Seraphicus cum quibusdam aliis contrarium doceat. Imò tenetur quilibet ante Martyrium, sive justus, sive peccator, ad illa omnia, ad quæ tenetur moribundus, si tempus suppetat & occasio, adeoque debet Baptismum suscipere, si non sit baptizatus, peccata confiteri, vel, defectu Confessarii, de illis pœnitere, si habeat mortalia oecdum clavibus subjecta, elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis, &c.

Obj. 1. Joan. 15. dicitur: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo ad Martyrium requiritur charitas.

Resp. Neg. Conseq. Quia passus ille indicat quidem actum esse maximæ charitatis objectivè, pro Christo mori, non tamen indicat necessario procedere ex imperio charitatis actualis, cùm possit procedere ex motivo alterius virtutis, puta castitatis, justitiæ, &c.

Obj. 2. Illud Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo non justificatur Martyr sine charitate.

R. D. Conseq. Non justificatur sine charitate prævia ad Martyrium: N. sine Charitate aut prævia, aut Martyrium concomitante: C. quia antequam moriatur vi Martyrii, recipit gratiam, seu Charitatem habitualem. Vult ergo ibi Apostolus, quod etsi quis vivus combureretur, si tamen combustio illa nec supponat in comburendo charitatem, nec illius sit productiva ex Dei ordinatione, nullatenus sit profutura combusto, cùm sit moriturus sine gratia, adeoque in statu peccati.

Obj. 3. Authoritatem Augustini docentis lib. 3. cont. Donatist. c. 16. Martyrium sine charitate nihil ad salutem proficere.

Resp. S. Doctorem ibi loqui de Charitate, non prout est actus specialis tendens in Deum, sed prout est vinculum, quo Christi Ecclesiæ uniuntur fideles, quam quia non habent Hæretici & Schismatici, ideò non possunt esse Martyres.

Obj. 4. *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate: ex quo patet quod Baptismus sanguinis includat Baptismum flaminis*. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 52. ad 2.

Resp. Sic loqui D. Thomam, non quia putet, quod Martyrium necessariò præcedere debet actus Charitatis in Martyrizando; aliàs sibi contradiceret, cùm io 4. ad Annibalum dist 4. q. unica, art. 4. ad 3. expressè dicat: *Baptismus Sanguinis non habet supplere effectum Baptismi fluminis ex opere operante* seu operantis: quod & sæpius repetit alibi; sed quia ordinariè Martyr non est sine actu Charitatis, quo Deum, pro quo vitam effundit, super omnia diligit, cùm diligat plusquam seipsum: quod quia ordinarium est fieri, infert unum non esse sine alio; adeoque Martyrium sine charitate non habere, moraliter loquendo, rationem Martyrii, sed vanitatis, vel ostentationis; quamvis physicè loquendo, & in casu extraordinario contrarium accidere possit: quod sufficit ad Concl. nostræ veritatem.

Obj. 5. Martyrium non confert gratiam ex opere operato: ergo ex opere operantis: atqui opus operantis, quod est solùm attritio, non justificat: ergo. Prob. Ant. Vel enim Martyrium sumitur activè, & est actio Tyranni pessima; vel passivè, & est quidem bonum, sed non institutum ad gratiæ collationem.

R. Dist. Ant. Non confert gratiam ex opere operato formaliter, C. quia non continet in se Christi merita, nec sit Christi nomine & vice sicut Sacramentum. Non confert ex opere operato æquivalenter, N. Deus enim ex speciali benevolentia & privilegio voluit, ut qui perderet animam propter illum, inveniret illam, idest, gratiam.

Obj. 6. Scriptura tantùm promittit gratiam ponentibus animam propter Christum: sed ponere animam propter Christum, est ponere animam ex amore Christi: ergo.

Resp. Dist. Maj. Tantùm promittit gratiam ponentibus animam propter Christum explicitè, N. explicitè vel implicitè, C. Sic qui moritur propter fidem, aut castitatem, moritur implicitè propter Christum, cum moriatur propter rem nobis à Christo commendatam & præceptam. Ille tamen, ibi sistendo, non censetur propriè mori ex motivo charitatis erga Christum.

QUÆSTIO IV.

An liceat se offerre Martyrio, & an sit aliquando obligatio illud subeundi?

CONCLUSIO I.

Non licet, seclusa causa rationabili, aut divino instinctu, sese Martyrio offerre.

Ratio petitur tum ex Scriptura, quæ tantùm abest, ut ultroneam morti ingestionem consulat, quin è contra fugam præcipiat: *Cùm persequentur vos in civitate ista*, inquit Christus Matth. 10. *fugite in aliam*: hoc autem Christus & docuit & fecit: nam, ut ait Athanasius in Apolog. de fuga sua: *Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cùm quæreretur, quemadmodum & nos, abscondere se, & cùm persecutionem pateretur, fugere & insidias declinare*. Tum ex factis Sanctorum: tum etiam ratione; quia qui sine justa causa, aut divino instinctu mortem quærunt, de sua perseverantia incerti periculo fidei abnegandæ se exponunt; & consequenter Deum tentant: hinc Cyprianus Epist. 83. *Temeritate non caret, temerè procurare Martyrium*.

Accedit, quòd sic Martyrium quærentes, cùm nec expectent infidelium conversionem, nec sperent Dei gloriam, aut fidei exaltationem; aliàs causam rationabilem haberent; censentur Tyrannorum peccato cooperari, ipsosque ad sævitiam propellere: quod intrinsecè malum est; & ideò condemnamus illos, qui

Tyrannum ad mortem inferendam sollicitant dicendo: Trunca, ure, seca, aut aliis verbis furorem potiùs, quàm fidem excitaturis instigant. Quod si aliqui fecerint, ex ignorantia, aut bona fide fecisse credendum est.

Dices: Christus Joan. 13. dixit Judæ: *Quod facis, fac citiùs*: ergo.

Resp. Christum per hoc non provocasse Judam, sed tantùm ostendisse se esse paratum, seu ardenter desiderare passionem suam, quod licitum est, permittendo justa de causa actionem Tyranni: nam desiderans passionem, non desiderat actionem malam, sed supposita actione mala, ad quam se habet permissivè, gaudet de passione in se bona.

CONCLUSIO II.

IN certis casibus datur obligatio Martyrium subeundi: ut si tibi esset peccandum vel moriendum, fides neganda, aut mors eligenda. Item si id postulet fidei aut Religionis conservatio. Extra hos casus satis raros, saltem in his partibus, sufficit, quòd homo sit in animo paratus mortem subire, si vel Dei gloria, vel salus proximi aut nostra, id postularet. Imò non condemnarem illum, qui haberet se negativè, modò non esset periculum formandi animum contrarium.

QUÆSTIO V.

Quos effectus habeat Martyrium, & quandonam causet gratiam?

CONCLUSIO I.

MArtyrium ultra gratiæ infusionem remittit omnia peccata sufficienter retractata, omnemque pœnam peccatis debitam.

Prob. 1. Ex August. de verbis Apost. serm. 17 init. ubi ait: *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*: sed si Martyrium non remitteret omnem culpam & pœnam, possemus orare pro Martyre, cùm posset pro pœnarum solutione in purgatorio detineri: ergo.

Prob. 2. Juxta SS. Patres tanta inest, imò major efficacia Martyrio, quàm Baptismo: sed Baptismus omnem culpam & pœnam remittit, ut diximus: ergo & Martyrium: unde ubi constat aliquem mortuum esse Martyrem, etiamsi constaret fuisse antea sceleratissimum, non pro ipso preces, sed preces ad ipsum solet Ecclesia fundere, ac ei tanquam Beato honorem exhibere: adeòque supponit ab omnibus culpis & pœnis esse liberum vi Martyrii, cùm, illo secluso, hoc non supponeret, etiamsi sanctissimè obiisset.

Dixi: *peccata retractata*: quia si quis Martyrium subiret cum affectu ad peccatum veniale, nec culpa illa, nec pœna ipsi debita remitteretur per Martyrium; cùm nec talis remitteretur per Baptismus. Nihilominùs probabilius est 1. instanti post obitum, ubi affectum illum retractaret, esse dimittendum.

Alius Martyrii effectus est aureola, consistens tum in specialianimæ, corporisque post resurrectionem decore; tum in gaudio quodam accidentali. Dico *accidentali*; nam gaudium beatitudinis essentiale vocatur à Doctore Seraphico non *Aureola*, sed *Aurea*.

CONCLUSIO II.

MArtyrium non confert gratiam primo instanti post obitum, ut docet Cajetanus; sed paulò ante mortem, quando scilicet Martyr vi tormentorum non ratione, nec sensibus uti potest, adeòque nec peccare. Hoc intellige de Martyribus, qui post inflictum vulnus lethale divinitùs non restaurantur.

Prob. 1. pars; quia ut habet sensus communis, solus ille salvatur, qui moritur in gratia, seu sine peccato: sed in sententia Cajetani moriens quis in peccato & sine gratia, posset salvari, nempè ratione gratiæ post obitum conferendas: ergo.

Prob. 2. pars; quia non videtur ratio sufficiens, quòd ante aut post instans præfatum conferatur: non ante quidem cùm Martyr sit adhuc peccabilis, possitque non obstante tormentorum perpessione, æternaliter condemnari: quamvis, si conferetur post vulnus lethale inflictum, sit præsumendum Martyrem esse à Deo specialiter præservandum. Non etiam post; quia cùm tunc sit consummatum moraliter Martyrium, non est unde gratiæ collatio ulteriùs differatur.

TRACTATUS III.

De Confirmatione.

„ SEcundum Sacramentum est Confirmatio, inquit Florentinum in Decreto Eugenii, cujus materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & Balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ordinarius Minister est Episcopus, & cùm cæteras unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonnisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quòd per manus impositionem Spiritum S. dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: *Cum enim audissent Apostoli &c. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur Nomen. Ideòque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundùm Apost. propter quod signo crucis signatur.

Porrò hoc Sacramentum vocatur ab aliquibus *Manuum impositio*, ab aliis *consignatio*, ab aliis *Sacramentum Chrismatis*, ab aliis communius *Confirmatio*. Hoc ultimum nomen accepit à primario suo effectu, qui est confirmare, seu corroborare spiritualiter in ordine ad fidem fortiter profitendam. Unde S. Melchiades Papa. *In Baptismo regeneramur ad vitam; post Baptismum ad pugnam confirmamur: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur: regeneratio per se salvat in pace Baptismum recipientes: Confirmatio armat atque instruit ad agones.*

DISPUTATIO UNICA.

De omnibus ad hoc Sacramentum spectantibus.

SAcramentum hoc negarunt olim Novatiani, ut refert Theodoretus lib. 3. Hæreticarum fabularum, eo quòd Novatus noluisset confirmari: quos secuti sunt Donatistæ, teste Optato lib. 2. contra Parmenianum, qui & narrat vitream Chrismatis ampullam à Donatistis de fenestra projectam, fervatam fuisse miraculosè integram. Lutherus & Calvinus, quibus etiam Dux fuit Wicleffus lib. 4. Trialogi c. 14. non solùm Confirmationem rejecerunt, sed etiam impudentissimè dicteriis subsannarunt. *Mirum*, inquit Lutherus de Captivit. Babylon. *quod illis in mentem venerit, quòd Sacramentum Confirmationis fecerunt ex impositione manuum. Cur non ex Sacramento panis Confirmationem fecerunt, quando scriptum est. Act. 9. Et cum accepisset cibum, conforiatus est?* Calvinus autem postquam lib. 7. Institut. c. 19. n. 5. vocasset Confirmationem *Oleum diaboli mendacio pollutum*, sic invehitur in S. Melchiadem Papam (quem faciunt Heterodoxi hujus cæremoniæ inventorem anno 311.) *O sacrilegum, tunc pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam audes Christi Sacramento appenere, & conferre cum aqua Verbo Dei sanctificata?* Idest, cum Baptismo. Quorum errores & Sacrilegia ut confutemus, sit

QUÆSTIO I.

An Confirmatio sit Sacramentum?

CONCLUSIO I.

CÆremonia illa, quam Confirmationem vocant Catholici, est verè & propriè Sacramentum. Est de fide in Decreto Eugen. IV. & in Trid. sess. 7. can. 1. de *Confirmatione* dicente: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam*

care-

cæremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum .... Anathema sit.

Prob. 1. Ex Scriptura Act. 8 *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, & c. 19. *Cum imposuisset illis manus, venit Spiritus Sanctus super illos.* Ex quibus sic formabis Argumentum: Illa manuum impositio erat verum Sacramentum: non aliud, quàm confirmatio: ergo. Prob. Maj. 1. Signum erat sensibile, cùm fieret sensibiliter. 2. Collativum gratiæ, quia dabatur Spiritus Sanctus. 3. Divinitus institutum, cùm non potuerint Apostoli cæremoniam instituere gratiæ infallibiliter collativam: sed non requiritur aliud ad rationem Sacramenti: ergo. Prob. Min. Non erat Baptismus, cùm solum daretur baptizatis. Non Eucharistia, aut Matrimonium, ut per se patet. Non Pœnitentia; quia solebat conferri paulo post Baptismum, ubi non reperitur materia Pœnitentiæ. Non Extrema-unctio; quia nullibi legitur, quod daretur solis infirmis. Non denique Ordo, aliàs tot fuissent ordinati, quot fuissent Catholici, cùm omnibus, aut fere omnibus imponerentur manus, ut colligere est ex Scriptura: ergo restat, ut cæremonia illa sit Confirmatio, cùm sit de fide tantùm esse septem Sacramenta.

Prob. 2. Ex perpetua Ecclesiæ praxi & Traditione Apostolica, quam confirmat D. Dionysius lib. de Ecclesiast. Hierarch. c. 2. his verbis: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt: ille divino ac Deifico prorsus unguento virum signat.* Clemens I. Epist. 4. *Omnibus festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo.* Cyprianus Epist. 73. *Nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, ac signaculo dominico consummentur.* Quod & confirmant alii Patres cum antiquissimis Conciliis Laodiceno, Aurelianensi, Meldensi, Elibertino, Arelatensi: pro quibus vide Bellarminum lib. de Confirmatione cap. 5.

Prob. 3. Vel Apostoli, & Ecclesiæ nascentis Christiani Confirmationem habuerunt, ut Sacramentum, vel non: si primum, quidni & nos haberemus? Si secundum, ubi murmur in Ecclesia, cùm cœpit haberi, ut Sacramentum? Ubi Theologorum oppositio, Doctorum resistentia, Episcoporum reclamatio, Synodorum Conciliorum hac de re congregatio? Quæ tamen omnia evenissent, si id, quod non habebatur ut Sacramentum, fuisset declaratum ut tale, cùm sit communis Catholicorum sententia, non posse Ecclesiam Sacramentum instituere.

Obj. 1. Cum manus imponebant Apostoli, conferebant gratias gratis datas, ut donum linguarum &c. sed hæ gratiæ non dantur hoc tempore: ergo &c.

Resp. Concess. Min. & dissimulata Majore, quæ falsa est universaliter, cùm dicat Apostolus 1. Corinth. 12. *Nunquid omnes loquuntur linguis?* Nego Conseq. quia collatio gratiæ gratis datæ non est de ratione Sacramenti, sed gratiæ sanctificantis, quæ nunc confertur sicut tunc. Potius autem conferebantur gratiæ gratis datæ in primitiva Ecclesiæ, quia tunc congruebant ad fidelium confirmationem, & infidelium convictionem.

Obji. 2. Cum Hæreticis: Patres priorum sæculorum vocantes Confirmationem Sacramentum, locuti sunt de Sacramento impropriè dicto: ergo si tunc non erat verum Sacramentum, nec tale fuit ante, nec post.

Resp. Sed nunquid de Sacramento impropriè dicto loquitur Cyprianus Epist. 72. ad Stephanum: *Tum demum plenè sanctificare, & esse Filii Dei possunt, si Sacramento utroque*, Baptismo, & Confirmatione, *nascantur*. Nunquid eodem modo Augustinus lib. 2 contra litteras Petiliani c. 104. *Sacramentum Chrismatis .... quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut Baptismus?* Si id asseris, etiam Baptismum Sacramentum esse impropriè dictum fatearis necesse est, cùm de utroque eodem modo loquatur: sicut & loquitur Melchiades Papa Epist. ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait: *Scitote utrumque*, Baptismum & Confirmationem, *magnum esse Sacramentum.*

Obji. 3. Confirmatio nostra fit unctione Chrismatis: sed Apostoli tantùm manus imponebant: ergo &c.

Resp. Apostolos ordinariè usos esse Chrismate, ut apertè ostendunt verba S. Dionysii Apostolorum tempore viventis. Probabile tamen est, juxta Florentinum, & DD. Seraphicum, Angelicum, & Subtilem, hoc Sacramentum aliquando collatum fuisse ab Apostolis sola manuum impositione, hocque ex speciali Christi dispensatione, propter multitudinem confirmandorum, & paucitatem Confirmantium: & certè Lucas Act. 8. & 9. solius manuum impositionis meminit nulnulla facta mentione Chrismatis.

Obji. 4. Illa manuum impositio poterat iterari, non sic confirmatio; ergo non erat Sacramentum. Prob. Ant. ex August. lib. 3. de Bapt. c. 16. ubi ait: *Manus autem impositio non, sicut Baptismus, repeti non potest.*

Resp. Neg. Ant ad Augustinum dico, ipsum loqui de impositione manuum reconciliativa Hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium, ut patet ex his, quæ habet lib. 5. de Bap. c. 23. An autem illa fieret in Sacramento Pœnitentiæ, an extra? non satis constat.

Obji 5. Per manuum impositionem non dabant Apostoli Spiritum S. sed tantùm orabant, ut veniret. Unde Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 15. *Orabant, enim ut Spiritus Sanctus veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.*

R. Neg. Ant. ad Augustinum Dico, ipsum duplicem agnoscere dationem Spiritus Sancti, visibilem unam. l. 3. de Bapt. c. 16. quæ consistebat in gratiis gratis datis, & illam non dabant Apostoli, sed orabant, ut à Deo veniret in Confirmatos, quia tantùm erat effectus accidentalis Confirmationis: invisibilem alteram consistentem in gratia Sanctificante, & illam dabant ministerialiter. Et certè si tantùm orarent, ut hanc daret Deus, cur Petrus & Joannes properarunt ad Samaritanos à Philippo Diacono baptizatos, ut ipsis manus imponerent? Nunquid orare non poterant pro absentibus? An efficacior oratio Samariæ quàm Jerosolymis? Et indè patet solutio ad Calvinum volentem eos, quibus manus imponebantur, tantùm offerri Deo & commendari.

Obji. 6. Si qui Patres meminerint unctionis, ut Dionysius & alii, loquebantur de unctione, quæ est cæremonia Baptismi, cùm jungant illam cum Baptismo, quasi quid unum, & inferat Cyprianus ex invaliditate unctionis invaliditatem Baptismi.

Resp. Neg Assumpt. Quia non loquuntur de unctione baptizandi, quæ fit in vertice & scapulis, ante Baptismum, sed de unctione baptizati, nempè in fronte, ut patet ex eorum verbis supra: adjungunt autem Baptismo Confirmationem, quia solebat hæc illum immediatè subsequi. Cyprianus verò sic infert ex falso principio (de quo sufficienter de Sacramentis in genere) quod Sacramentum collatum ab Hæretico nullum esset, quasi diceret: Si nulla est Chrismatio ab Hæretico collata, etiam nullus est Baptismus ab eodem collatus, ob eandem rationem. Pro aliis Objectionibus

Adverte quadruplicem fuisse manuum impositionem, nempè curativam infirmorum, de qua Marc. ult. Ordinativam Ecclesiæ Ministrorum, ut 2. ad Timoth. 1. Confirmativam, ut suprà; & reconciliativam, de qua Patres & Concilia. Et hæc aliquando conferebat Spiritum S. quando nempè conferebatur Novatianis conversis, & aliis qui negaverant Confirmationem, quia adjungebatur Chrismatio, eratque & reconciliativa & confirmativa: aliquando non conferebat, ut quando erat merè reconciliativa quoad forum externum.

QUÆSTIO II.

Quid sit Confirmatio, & quando instituta?

CONCLUSIO I.

Confirmatio est Sacramentum, quo baptizatus inungitur in fronte per modum crucis ab idoneo Ministro, cum Chrismate, & præscripta verborum forma, ad fidem fortiter profitendam. Alii aliter definiunt; sed hæc utpotè clara & adæquata, videtur aliis præferenda.

CONCLUSIO II.

Probabilius est, hoc Sacramentum fuisse institutum in ultima cœna. Dico *probabilius*: quia *tempus & modus hujus institutionis in Scriptura non legitur*, inquit Scotus 4. dist. 7 q. 1. n. 3. & ideò circa hoc in varias admodum abierunt opiniones Scholastici, alii volentes fuisse institutum Matt. 19 cùm pueris manus imposuit Christus; sed obstat, quòd plurimi nondum essent baptizati: Alii Joan. 20 cum dixit *Accipite Spiritum S.* Nec meliùs, cum tunc Spiritum S acceperint non ad augendam gratiam, sicut ordinatur Confirmatio, sed ad conferendam primam, dimittendo peccata, ut indicant verba sequentia: *Quorum remiseritis peccata* &c. Alii volunt instituisse ante passionem inchoatè, illud promittendo, & completè in die Pentecostes illud exhibendo, hocque inferunt ex D. Thoma, 3. p. q. 72. art. 1. ubi ait *Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo*, sed hæc verba non refert ad Sacramentum, cùm Sacramentum promittere, non sit instituere; sed ad Sacramenti effectum, nempè Spiritum S. seu gratiam, ut evidenter declarant sequentia unde sensus

sus D. Thomæ est: Instituit hoc Sacramentum, non exhibendo Spiritum Sanctum, sed promittendo.

Prob. igitur Conclusio ex Fabiano Papa Epist. 2. ad Episcopos Orientales c. 1. *In illa die Dominus JESUS, postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à SS. Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit*, idest, modum conferendi Sacramentum Chrismatis seu Confirmationis, ut colligi potest ex iis, quæ subdit idem Pontifex: *Ipsa lavatio pedum*, inquit, *nostrum significat Baptisma: quod sancti Chrismatis unctione perficitur & confirmatur*.

Dices 1. Illud Sacramentum tunc fuit institutum quando creati sunt illius Ministri, nempè Episcopi: sed juxta Interpretes communiter Apostoli creati sunt Episcopi, cum dictum est illis Joan. 20. *Accipite Spiritum S.* &c. ergo

R. Neg. Ma. quia institutio Ministri alicujus Sacramenti nullatenus infert institutionem ejusdem Sacramenti eodem tempore factam; cum, juxta D. Thomam, prius dederit Christus Apostolis potestatem baptizandi, quàm baptismum instituerit. Accedit, quod tunc nulla facta fuerit mentio materiæ aut formæ Confirmationis; facta autem fuerit in ultima cœna expressa mentio Chrismatis, & modi illius confitendi, ut patet ex Fabiano suprà.

Dices 2. Cur in Epistola Fabiani non fieret potius mentio Chrismatis, quod unctioni Sacerdotali inservit, quàm Chrismati Confirmatorii, cùm tunc fuerit institutus Ordo sacerdotalis.

R. Mirum esse, quòd junior quidam illo Argumento utatur; cùm expressissimè loquatur Pontifex de Chrismate Confirmationis, ut convincunt verba citata; sed magis miror, quòd Epistolam illam, quam suo Argumento se nunquam legisse ostendit, habeat suspectam, nullo allegato fundamento.

Dices 3. Scotus expressè dixit 4. dist. 2. q. 1. n. 4. *De Confirmatione patet institutio Joan. 20. vel in die Pentecostes Act. 2.* ergo.

R. Per hoc solùm velle inde constare de Confirmationis institutione, non determinando, an tunc, vel alio tempore fuerit instituta: aliàs contradiceret à se dictis initio quæstionis. Vel dic Sacramentum Confirmationis fuisse institutum quoad materiam & formam in die cœnæ, quoad Ministrum Joan. 20. & quoad effectus collationem in die Pentecostes: & sic fortè varios varia sentientes conciliabis.

QUÆSTIO III.

Quid sit Materia Confirmationis remota?

DIco *remota*; quia de proxima agemus, quæst. seq. Hanc autem assignat Florentinum in Decreto unionis, nempè *Chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto*. Circa quam tria quæri possunt, an Chrisma sit materia necessaria? An Mixtio olei cum balsamo sit essentialis, & an benedictio Episcopi sit tantùm cæremonialis? Quæ tribus conclusionibus resolvemus.

CONCLUSIO I.

CHrisma est materia hujus Sacramenti necessaria, sicut panis & vinum in Eucharistia, aqua in Baptismo, oleum in Extrema-unctione. Est communis contra Syrmundum, qui cùm doceat unctionem Chrismaticam tantùm esse cæremonialem, & accidentalem huic Sacramento, etiam docet consequenter Chrisma non esse materiam necessariam.

Prob. 1. Conclusio; quia si Chrisma non esset de necessitate hujus Sacramenti, eo quòd sufficeret nuda manuum impositio, ut prætendit Syrmundus, aut legeretur sic aliquando factum, aut præscriberetur sic aliquando faciendum nempè in necessitate, cùm toties possit deesse Chrisma, & aliundè non sit omittendum Sacramentum propter cæremoniam mere accidentalem: sed neutrius reperitur aliquod vestigium: ergo.

Dices 1. Apostoli confirmarunt per solam manuum impositionem: ergo.

R. Si verum sit Ant. quod posteà examinabimus, id fecisse ex dispensatione divina, ut docet D. Th. q. 72. art. 2. ad 1. Si autem Chrismatio esset merè cæremonialis, ad ejus omissionem non requireretur dispensatio divina, cùm Sacramentorum cæremoniæ sint ab Ecclesia institutæ.

Dices 2. Cum Syrmundo, Can. 1. Concilii Arausicani sub Leone I. decernitur, ut non Chrismatus in Baptismate chrismetur in Confirmatione, chrismatus autem in Baptismo, non necessariò chrismetur in Confirmatione: undè legitur ibidem: *Non at præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio*.

Resp. Dist. Primam Partem Assumpti: Decernitur, ut non chrismatus &c. chrismetur in Confirmatione unica chrismatione: N. Duplici, seu, ut antequam chrismatio fiat in fronte, alia fiat in vertice omissa in Baptismo: C. & hunc esse sensum Canonis, fatebitur quisquis ipsum legerit.

Ad secundam Partem, Dico vitiatam esse Syrmundi editionem, & loco verborum à se citatorum, legendum est cum Aurelio, Sambovio, Gratiano, Merlino, Surio, Crabo, & Binio, *Non at præjudicans quidquam dico, sed ut necessaria habeatur chrismatio repetita*.

Prob. 2. Conclusio ex continua Ecclesiæ praxi à D. Dionysio & aliis priorum sæculorum Patribus ad nos usque inviolabiliter descendente, ac Chrismatis usum semper necessarium agnoscente: Toti autem antiquitati, totique Ecclesiæ praxi contradicere, sub prætextu cujusdam editionis verisimilius vitiatæ, non est satis cautum, ne dicam temerarium.

CONCLUSIO II.

ESsentialis est materiæ Confirmationis mixtio Balsami cum oleo. Est communis contra paucos, qui volunt, mixtionem illam esse quidem necessariam necessitate præcepti, non tamen necessitate Sacramenti: unde volunt sufficere ad Sacramentum, solum oleum.

Prob. 1. Illud est necessarium necessitate Sacramenti, quod est simpliciter materia Sacramenti, ut patet per omnia Sacramenta discurrendo: sed Chrisma confectum ex oleo & *Balsamo* dicitur à Florentino simpliciter materia Confirmationis, sicut aqua Baptismi, Oleum Extremæ-unctionis: ergo: undè D. Thomas 4. dist. 7. q. 1. art. 2. *Materia Confirmationis*, inquit, *est oleum Balsamatum*: quod & repetit alibi. Accedit, quòd sicut verba Scripturæ intelligenda sunt in proprio sensu, ubi nullum inde sequitur inconveniens aut contradictio; ita & verba Conciliorum; aliàs nihil certi haberemus ex illis.

Prob. 2. Quia qua ratione negatur de Balsamo esse de necessitate Sacramenti, negabitur & de oleo, cùm nec Patres, nec Florent. nec D. Thomas, nec D. Bonaventura, nec Scotus aliter loquantur de uno, ac de altero.

Obji. 1. Patres Græci & Latini sex priorum sæculorum non meminerunt Balsami: ergo non est credibile ejus mixtionem esse de necessitate Confirmationis.

Resp. 1. Neg. Ant. Quia illius meminit Epist. 2. Fabianus Papa, qui floruit sæculo tertio, cum enim allegarent Orientales Episcopi, non posse quotannis Balsamum reperiri, credens Pontifex futilem esse eorum excusationem, ut erat de facto, cùm Hieronymus quarto sæculo florens scripserit Balsamum abundantem esse in Palæstina, voluit nihilominus Chrisma singulis annis renovari. Scio Juenin tanquam suppositiam & adulterinam habere dictam Epistolam, eo quòd Eusebius Cæsariensis illius non meminit, sed cùm ostenderit mihi, Eusebium Cæsariensem, aut alium Scriptorem antiquum omnes veterum Pontificum Epistolas referre, & hanc omittere, ipsi credam, aliàs non: undè quo jure affirmat omnes Pontificum Epistolas ad Syricium usque, fabricatas esse sæculo octavo, eodem negatur, nisi aliter probetur. Præterea ad quid illa fabricatio, quæ utilitas, quod emolumentum fabricandi, quæ gloria, quæ satisfactio, quis spiritus novitatis, cùm nihil referrent tanquam suum.

Resp. 2. Dist. Ant. Non meminerunt explicitè Balsami: Transeat, implicitè: N. meminerunt enim Chrismatis, quod licèt cujuslibet unguenti nomine veniat apud Græcos, sumitur tamen apud Patres pro mixto ex oleo & Balsamo: unde Gregorius in 1. Cant. *In Engaddi Balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione, Chrisma efficitur*. Idem habet Gregorius Turonensis. Fateor quidem hos Pontifices non vixisse ante sextum sæculum, sed etiam fateri debet Juenin id accepisse ab aliis Pontificibus, & hos à prioribus per continuam Traditionem; cùm non possit assignare primum hujus nominis sic sumpti Authorem undè inferre Balsamum non esse de necessitate Sacramenti, quia Patres ante Gregorium loquentes de Chrismate non sunt locuti de Balsamo, argumentum est valdè debile & omninò insufficiens, ut proptereà recedatur à sententia communi, & doctrina Conciliorum.

Confir. Responsio: SS. Patres priorum sæculorum vocabant Confirmationem *Sacramentum Chrismatis*, ut patet ex Aug. lib. 2. contra Ep. Petil. cap. 104. non sic vocabant Extremam-unctionem: ergo aliud intelligebant Chrisma, quàm oleum; aliàs non esset ratio, cur sic potius vocassent Confirmationem, quam Extremam-unctionem.

Obji. 2. Ex eo quòd vino consacrando miscenda sit aqua, malè

maiè infertur, hanc esse de necessitate Sacramenti? ergo similiter de Balsamo.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quod Florentinum & alii non dicant, materiam calicis esse mixtum ex aqua & vino, sicut dicunt, confectum ex oleo & Balsamo esse materiam Confirmationis, sed vinum, cui admisceri debet aqua, non ut vinum sit materia, cùm dicatur tale ante mixtionem, sed propter mysterii significationem, ut insinuat Concilium.

Obj. 3. Innocentius III. interrogatus, an esset iterum confirmandus solo oleo inunctus? Respondet c. *Pastoralis* de Sacram. non iterand. *In talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum*: ergo censet valuisse Sacramentum.

Resp. Pontificem solùm velle, nihil esse supplendum quoad ritus & cæremonias, sed cautè, idest, secretè, & sine solemnitate, nempè ad vitandum scandalum, supplendum esse, quod defuit, nempè essentiale Sacramenti; quod non censetur iterari; quia ut habet Glossa, non dicitur iterari, quod fuit invalidè collatum.

Instabis 1. Vult Pontifex solùm esse supplendum, quod defuit: sed tantùm defuit Balsami unctio: ergo. Subsumo, atqui unctio solius Balsami non est Sacramentum: ergo supponit cum unctione solius olei valuisse Confirmationem.

Resp. Neg. Min. Quia defuit tota essentia Sacramenti: Materia quidem, quia unctio olei non est materia confirmationis, sed chrismatio: Forma verò, quia prolata super materiam indebitam, non habet rationem formæ.

Inst. 2. Eodem modo respondet ibi Pontifex ad duos casus, nempè ad memoratum, & ad alium de Subdiacono ordinato sine manus impositione: sed in hoc casu tantùm supplenda erat cæremonia accidentalis: ergo & in illo.

R. Neg. Conseq. Cum enim in casu Subdiaconi tantùm defuisset quid accidentale, tantùm accidentale supplendum erat? in nostro autem defuerat substantiale, & ideò substantiale supplendum erat.

Obj. 4. Materia Sacramentorum, utpotè communiter hominibus ministrandorum debet esse communis: atqui Balsamum non esse commune, sed rarissimum cùm dixerit Plinius solum in una aut altera mundi parte reperiri: ergo.

R. D. Maj. Debet esse communis hoc sensu, quod debeat in singulis mundi partibus crescere: N. hoc sensu, quòd possit ad singulas mundi partes deferri, ut de facto evenit de Balsamo: C.

Quod scribit Plinius, ad tempora anteriora refertùr, nam suo tempore, ut subdit, abundabant montes & colles Balsamo, sicut vitibus. Imò his temporibus magna copia est in India alterius quidem coloris à Palæstino sed ejusdem substantiæ ac virtutis, cujus usum ideò in hoc Sacramento permiserunt Summi Pontifices.

Obj. 5. Augustinus aliquando vocat materiam confirmationis *Chrisma*, aliquando *Oleum*, ut lib. 5. de Bapt. c. 20. Tract. 118. in Joan & alibi: quod & facit Innocentius I.

R. Sic nuncupare, non quia solum est oleum, sed quia Balsamo multùm prævalet oleum in quantitate; ità ut à majori parte sumat denominationem.

Petes: Ex quibus debeat esse expressum hujus Sacramenti oleum?

R. Ex solis Olivis; quia illud solùm venit communiter & simpliciter nomine olei; quodlibet autem aliud dicitur *oleum* cum addito, ut oleum rosarum; liliorum, amygdalorum, nucum &c.

CONCLUSIO III.

Etiam necessarium est necessitate Sacramenti (saltem de jure ordinario) ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum. Est communis contra Juenin, qui vult benedictionem Episcopalem tantùm requiri jure Ecclesiastico, & ideò concludit, si Presbyter benediceret Chrysma, peccaturum quidem contra Ecclesiæ prohibitionem, validè tamen benedicturam.

Prob. autem 1. Conclusio ex Florentino: Eo modo requirit Concilium ad materiam Confirmationis benedictionem Episcopi, sicut mixtionem Balsami: sed hæc necessaria est necessitate Sacramenti, ut diximus: ergo & illa.

Prob. 2. Ex continua Ecclesiæ praxi & sensu, quæ nunquam præsumpsit, aut alicui permisit confirmare cum Chrismate non benedicto ab Episcopo, saltem seclusa Papali dispensatione.

Ratio à priori est voluntas Christi. Ratio autem congruentiæ, quia decebat, ut hæc materia, quæ non fuerat per Christi carnis contactum consecrata, sicut aqua in Jordane, consecraretur ordinariè piis & religiosis præcipui Ministri cæremoniis.

Dices 1. Comparat Augustinus Tract. 118. in Joan. benedictionem Chrismatis cum benedictione aquæ Baptismatis: sed hæc non est de necessitate Sacramenti: ergo nec illa.

R. Dist. Ma. Comparat quantùm ad necessitatem præcisè, C. quantùm ad modum necessitatis, N. unde vult utramque esse necessariam, nihil determinando, unde proveniat illa necessitas, an ex præcepto Ecclesiastico, sicut benedictio aquæ Baptismatis, an ex Sacramenti necessitate, sicut benedictio Chrismatis.

Dices 2. Materia Sacramenti debet esse quid reale: sed benedictio illa non est quid reale: ergo.

Resp. Concedendo totum: Nec enim volumus benedictionem illam esse materiam Confirmationis, sed tantùm conditionem necessariò requisitam.

Dixi in Conclusione: *Saltem de jure ordinario*; quia disputatur, an benedictio illa non possit committi ex dispensatione Papæ Presbytero simplici; & ideò sit

QUÆSTIO V.

An benedictio Chrismatis nullo casu possit esse Presbyteralis?

CONCLUSIO UNICA.

Licèt ordinariè benedictio Chrismatis debeat esse Episcopalis; extraordinariè tamen, accedente Papali dispensatione, potest esse Presbyteralis. Et Scoti dist. 7. q. 1. n. 2. ubi docet materiam Confirmationis *esse Chrisma sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel alio, cui potest talis sanctificatio committi*. Et in Report dist. 7. q. 1. n. 1. *Dicitur Chrisma compositum esse ex oleo olivæ & Balsamo, sanctificatum sanctificatione Episcopali communiter*, idest ordinariè: ergo manifestè supponit extraordinariè posse esse Presbyteralem. Scotum secuti sunt Cajetanus, Victoria, Soto, Valentia, Suarez, Amicus, & alii præsertim Scotistæ.

Prob. 1. Qui potest dare majus, potest dare minus essentialiter ordinatum ad majus, tanquam medium ad finem: sed dispensarunt quandoque Summi Pontifices, ut simplex Sacerdos confirmaret: ergo dispensare possunt, ut materiam Confirmationis consecret, cùm hæc sit unicè propter illud, & aliunde potestas dispensandi circa finem, includat potestatem dispensandi circa media, ne sit inefficax.

Dices: Hoc stare ubi medium est absolutè necessarium ad finem, quale non est confectio Chrismatis à Presbytero, ubi ex dispensatione confirmat, cùm possit ab Episcopo confectum seu consecratum transferre. Sed

Contra est, quòd non sit rarum, ut Chrisma translatum, præsertim ad loca remotissima, & ob incolarum Idololatriam periculosa, aut pereat, aut capiatur, aut deficiat; quo casu, ut concessa potestas confirmandi sit efficax, debet & esse potestas materiam consecrandi: & certè mirum esset, quòd Christus, qui ut spiritualibus Ecclesiæ suæ necessitatibus provideret, permisit quandoque Presbytero confirmare accedente Vicarii sui licentia, non permisisset, eadem accedente, ut Chrisma conficeret, ubi tempore persecutionis maximè necessarium esset hoc Sacramentum, & benedictum ab Episcopo non posse obtineri.

Prob. 2. Valet Argumentum ab actu ad potentiam: sed in hac dispensarunt aliquando Pontifices: ergo possunt. Prob. Min. Nam Eugenius IV. Bulla, quæ incipit: *Sacræ Religionis* data anno 1444. IV. Kalendas Februarii, Pontificatus sui XIV. hanc dedit potestatem FF. Minoribus in Scythia, Moldavia &c. pro tempore commorantibus: Verba Bullæ sunt *Concedimus facultatem . . . ut omnes & singuli Fratres . . . . possint Eucharistiæ, Baptismatis, Chrismatis, seu Confirmationis, Extremæ Unctionis, & reliqua Sacramenta ministrare . . . . Capellas quoque, Altaria, nec non Calices, & Paramenta Ecclesiastica, Oleum sanctum & Chrisma conficere & benedicere* Hæc Bulla refertur à Wadingo Tom 5. Annal. Minorum ad annum 1444. pag. 454. testaturque se eam accepisse ex Archivio Vaticano Superiori lib. 19. Bullarum.

Nec dicas ibi fieri mentionem Chrismatis, non Confirmationis, sed Baptismi; quia cùm Bulla non distinguat, nec tu debes distinguere. Deinde imprudenter processisset Pontifex, dandu potestatem conficiendi & benedicendi Chrisma sine alia limitatione, si tantùm intellexisset Chrisma Baptismatis; quandoquidem exposuisset Missionarios illos periculo usurpandi ministerium sibi indebitum, ac posteà invalidè confirmandi. Accedit, quòd si debuissent in hoc Sacramento adhibere Chrisma ab Episcopo benedictum, frustra concessa fuisset illis licentia conficiendi chrisma pro Baptismo, & Ecclesiarum consecratione, cum potuissent uti altero.

Prob. 3.

Prob. 3. Ex Francisco Haroldo in Epit. Annal. Min ad annum 1342. n 46 ubi in terminis habet, quòd Guardianus Montis Sion inter varia alia privilegia, *Potest Confirmationis Sacratum Pontificalibus indutus conferre, & ipsum Chrisma conficere*. Quid clarius? Quid expressius? Cùm tamen non sit omninò certum, Summum Pontificem posse Chrismatis confectionem Presbytero committere ob communiorem contradicentium opinionem, & aliunde non liceat uti materia probabili, cùm agitur de valore Sacramentorum, peccaret Pontifex hoc committendo, sicut & Sacerdos commissione utendo, si non adesset justa necessitas: quæ censetur adesse tempore persecutionis, aut conversationis cum Hæreticis aut infidelibus ad fidei abnegationem sollicitantibus, ubi deest Episcopus, qui Chrisma benedicat, nec securè potest mitti benedictum.

Obj. 1. Florentinum exponens materiam Confirmationis, non dicit esse Chrisma *ordinariè* benedictum ab Episcopo, sicut referens Ministrum dicit *Ordinarium* esse Episcopum: ergo per hoc insinuat dari quidem posse Ministrum extraordinarium Confirmationis, non tamen confectionis Chrismatis.

Resp. Eugenium IV. ibi referre ea, quæ omninò certa erant, & de quibus nulla erat inter Catholicos controversia: licèt autem omninò certum esset, posse Presbyterum ex Papali dispensatione confirmare; dubitabant tamen plurimi, an posset Chrisma conficere; & ideò noluit id, quod incertum pluribus videbatur tanquam certum Armenis proponere: quamvis ipsemet quinquennio post ex justa causa (sequendo Scoti sententiam) dispensaverit, ut ante dictum est.

Obj. 2. Gregorius XIII. permisit Indiarum Missionariis, ut confirmarent, non ut Chrisma consecrarent: sed non est causa, cur in uno dispensaverit, non in alio, nisi quia unum poterat, non aliud: ergo.

Resp. Neg. Min. Ideò enim non dispensavit in secundo; quia ex tunc varii erant in India Episcopi, à quibus facilè poterat Chrisma episcopaliter benedictum obtineri. Idem dic ad similes objectiones.

Obji. 3. Si possit Sacerdos ex Papæ commissione licitè Chrisma conficere, poterit, illa seclusa, validè. Prob. Assump. quia potest Diaconus ex commissione licitè baptizare, potest sine illa validè.

Resp. Neg. Assumpt. & Probationem; quia ratio cur possit Diaconus validè Baptizare sine commissione, non oritur ex ratione præfata, sed ex eo, quòd quilibet homo ex institutione divina sit validus Minister Baptismi. Imò si ratio illa valeret, possat Sacerdus sine dispensatione validè confirmare: quod negant ipsimet adversarii.

Obji. 4. Can. *Presbyter* 26. q 6. legitur: *Presbyter .... nunquam Chrisma conficiat*. Idem alibi inhibetur.

Resp. Hoc intelligi de jure ordinario, non extraordinario, & accedente Summi Pontificis dispensatione.

QUÆSTIO V.

Quæ sit materia proxima Confirmationis?

ALiqui volunt esse solam manuum impositionem, ut Syrmundus & Sambovius. Alii solam Chrismationem, ut D. Thomas & cæteri communiter. Alii utramque. Sed inter hos ultimos alii distinguunt manuum impositionem à Chrismatione, alii confundunt, voluntque unam & eandem actionem dici manus impositionem, prout applicativam manus fronti confirmandi, & Chrismationem, prout applicativam Chrismatis. Ante resolutionem

Adverte duplicem, juxta Pontificale Clementis VIII. intervenire in hoc sacramento manus impositionem, cæremonialem unam, dum Episcopus manu extensa versus omnes confirmandos, orat, ut in eos descendat Spiritus S. Essentialem alteram, cùm Episcopus ungit pollice frontem confirmandi, ac reliquam manus partem super caput ejus extendit.

CONCLUSIO I.

MAteria Confirmationis proxima non est sicca manus impositio, sive sit præfata cæremonialis, sive altera. Est communis contra Syrmundum & Sambovium, quibus aliqualiter adhæret Joannes Morinus docens fuisse aliquando sufficientem, non solùm viventibus Apostolis, sed etiam posteà.

Prob. 1. Conclusio: Materia proxima sacramenti est materiæ remotæ applicatio, ut patet ex dictis de sacramentis in genere: sed materia confirmationis remota non est sola manus Episcopi, sed Chrisma, ut sufficienter probavimus q. 3. ergo. Illuc recurre & ibi dicta, hic applica.

Prob. 2. Ex continua Ecclesiæ praxi, quæ nunquam siccam illam manus impositionem adhibuit, sed semper chrismationem adjunxit, ut intelligere est ex primorum sæculorum Patribus: unde D. Dionysius Apostolis contemporaneus, q. 1. citatus, dicit baptizatum unguento Deifico signari. Tertullianus lib. de Bapt. c. 7. *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione*. Cyprianus Epist. 70. ad Januarium: *Necesse est ungi eum, qui baptizatus sit &c.* Optatus lib. 7. adversus Donatistas circa finem, quos reprehendit, quòd confirmatos à Catholicis iterum confirmarent, ubi ad ipsos deficiebant. *Sed unctos homines*, inquit, *rebaptizastis, iterum unxistis* Ambrosius lib. 2. de sacramentis cap. 7. *Qui te regeneravit ex aqua ... ipse te ungat in vitam æternam*. Augustinus citatus, qui Confirmationem vocat *Sacramentum Chrismatis*: quod confirmat Concilium Laodicenum celebratum anno 478. *oportet eos*, inquit can. 48. *qui illuminantur, post baptismum inungi*.

Prob. 3. Evertendo primarium adversæ opinionis fundamentum; quia longè probabilius est, nequidem Apostolos confirmasse cum sola manus impositione: ergo non est, unde dicatur, id posteà practicatum esse. Prob. Ant. quia primò Argumentum petitum ex Actibus Apostolorum, ubi fit tantùm mentio impositionis manuum, solùm est ab authoritate negata, adeoque parvi momenti. Secundò quia scriptura non agit ibi ex professo de materia hujus sacramenti, sed tantùm compendiosè more suo, referens collatam esse confirmationem, per actionem, quæ simul est manus impositio & Chrismatio, exprimit brevitatis causa solo nomine impositionis. Tertiò quia SS. Patres, ut Cyprianus, Tertullianus, Augustinus &c. licèt admittant hoc sacramentum constare Chrismate, ipsum tamen vocant quandoque manuum impositionem. Quid mirum si idem fecerint Apostoli? Quartò quia Fabianus Epist. cit. docet Apostolos quotannis Chrismatis renovationem docuisse & observasse, adeoque Chrismate confirmabant. Quintò quia nulla ratio solida adferri potest, cur tunc dispensasset Christus in chrismatione, cum Balsamum non deesset & aliundè facilè possent Apostoli ex iis, quæ quotidiè ad eorum pedes deferebantur, parum illius liquoris sibi comparare. Nec molritudinem confirmandorum objicias, cùm possit unicus, adhibitis solis essentialibus, *tria hominum millia* uno die confirmare. Sextò quia Concilium Nicænum cap. 8. agens de hoc Sacramento, non meminit chrismationis, sed solius manuum impositionis, & tamen Theodoretus non multùm distans à tempore dicti Concilii asserit lib. 3. Fabularum hæreticarum, Patres Nicænos ordinasse, ut Novatiani redeuntes chrismarentur. Septimò quia non legitur initium Chrismationis, nec apud Latinos, non apud Græcos: ergo signum est ab Apostolis incepisse, & sic semper ad nos usque perseverasse. Nam, ut ait Augustinus lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutus, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*. Unde concludendum est Scripturam, sicut & Concilia, & Patres confundere manuum impositionem cum chrismatione: unde Innocent. III. c. unic. de Sacr. unct. *Per frontis chrismationem designatur manus impositio*; ita & è contra per manus impositionem frontis chrismatio.

Obji. 1. Florentinum in decreto unionis, asserit, quòd loco *illius manus impositionis*, quam adhibebant Apostoli, *datur in Ecclesia confirmatio*: ergo supponit siccam manuum impositionem adhibuisse, aliàs si etiam chrismationem adhibuissent, non successisset confirmatio; cum idem non succedat sibi ipsi.

Respondet Bellarminus: *Non omnia, quæ habentur in Decretis aut Conciliis ad fidem pertinent, sed solùm ea, quæ definiuntur: hoc autem, de quo agimus, non definitur, sed tantùm obiter dicitur ad rem explicandam*. Sed

Resp. Concilium non velle rem successisse rei, aliàs ineptè probarent Catholici contra Hæreticos ex allatis scripturæ passibus, Confirmationem nostram esse Sacramentum, cùm aliud dedisent Apostoli, & aliud nos; sed tantùm vult nomen successisse nomini, seu, quod tunc vocabatur manus impositio, nunc vocetur confirmatio, quandoquidem non sit credibile, quòd aliud voluerit Eugenius IV. quàm ejus prædecessor Innocentius III. qui sup. asserit manus impositionem Apostolorum, & Confirmationem esse eandem rem diversis nominibus appellatam: *Per frontis chrismationem*, inquit, *manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*.

Obji. 2. DD. Angelicus, Seraphicus & Subtilis docent, Apostolos confirmasse per solam manus impositionem ex dispensatione: ergo.

Resp. Id non docere ex professo; sed tantùm velle, casu quo confirmaverint Apostoli per siccam manus impositionem,

quod

quod transire permittunt, id fecisse ex divina dispensatione: quod verissimum est.

Obji. 3. Concilium Moguntinum anno 1569. celebratum sic habet c. 18. *Hoc Sacramentum ab initio sola manus impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum, & ex eorundem traditione, adhibita Chrismatis unctione, cæpit conferri.*

Resp. Synodum illam, cui, utpotè Provinciali, non tenemur adhærere, secutam fuisse alicujus, aut aliquorum Scholasticorum ibi prævalentium opinionem.

CONCLUSIO II.

MAteria Confirmationis proxima est Chrismatio in fronte per modum crucis cum manus impositione à Chrismatione indistincta. Ita Mastrius & alii, quibus non contradicunt D. Thomas, Scotus, & eorum Discipuli; quandoquidem volentes esse solam chrismationem excludant quidem manus impositionem cæremonialem, & præambulam, non tamen illam, quæ est à chismatione indistincta.

Prob. Conclus. quia SS. Patres & Concilia vocant hoc Sacramentum quandoque manus impositionem, quandoque chrismationem: sed si non consisteret in utraque, non esset, cur diversis illis nominibus appellaretur.

Dices, manus impositionem esse quidem materiam, sed illam impositionem, quam vocamus cæremonialem; cùm Tertullianus de illa loquatur tanquam actione distincta à chrismatione: ait enim lib. de Bap. c. 8. *Perungimur benedicta unctione.... dehinc manus imponitur.*

R. Neg. Assumpt. Ad Tertullianum dico, illud *dehinc* non referri ad unctionem, ut insinuat Joenin, forsan ideò passum illum truncans; sed ad Baptismum; cùm dicat: *Ipsius Baptismi carnalis actus, quòd in aqua mergimur, spiritualis effectus, quòd delictis liberamur. Dehinc manus imponitur &c.* Deinde manus impositio, quam cæremonialem diximus, non fit post unctionem, sed ante.

Dixi in Conclus. *In fronte*; ut confirmandus Christi nomen non erubescat, & præcipuè crucem ejus; & ideò fieri debet etiam per modum crucis: unde Augustinus serm. 15. inter additos à Parisiensibus: *Noli erubescere de cruce Christi; ideò in fronte in sede pudoris signum accepisti.* Hæc omnia sunt de necessitate Sacramenti, perpetuus Ecclesiæ usus satis indicat. Quòd verò fiat pollice dextro, tantùm est de necessitate præcepti, leviter secundùm aliquos, graviter secundùm alios obligantis: unde sive fiat Indice, sive pollice, sive manu dextra, sive sinistra, perindè est ad valorem Sacramenti. Aliud est, si fiat virgula, aut instrumento; cùm tunc non censeatur adesse manus impositio, quam diximus essentialem.

QUÆSTIO VI.

Quæ sit forma Confirmationis, & qualis?

CONCLUSIO I.

HÆc est forma Latinorum ab Eugenio in Decreto unionis relata: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Circa hanc formam variæ & intricatæ admodum suscitantur quæstiones: ac primariò: An essentialia sint hæc verba: *Signo te signo crucis?* Negativa est plurimorum sententia; quia in antiquo Ordine Romano non reperiebantur; ibi enim tantùm leguntur sequentia: *Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex Chrismate in singulorum frontibus ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris &c.* Secundò, an etiam sine de necessitate Sacramenti verba subsequentia: *Confirmo te?* etiam negativè respondet Juenin, *eo quòd ante veterem illum Ordinem Romanum*, inquit, *altum sit ubique de indicativis illis verbis, confirmo te, silentium.* Hocque probat tum ex Amalario Episcopo Trevirensi sæculo IX. qui l. 1. de Officiis c. 27. hoc exponit ex Romano libello: *Oratione expleta facit crucem Episcopus cum pollice ex Chrismate in singulorum frontibus ita dicendo: in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem refert ex Alcuino de divinis Officiis cap. *de Sabbato Sancto*: qui asserit suo tempore, nempè 778. solam SS. Trinitatis invocationem adhibitam fuisse ab Episcopo, confirmaret. Tertiò, An sit essentialis invocatio SS. Trinitatis? adhuc negant plurimi; quia in forma Græcorum non reperitur. Ex quibus sequitur, ne verbum quidem ex tota forma à Florentino expressa esse de essentia formæ, adeoque esse formam & non esse? quod ingenuè fatetur Juenin, volens hujus Sacramenti formam fuisse 12. prioribus sæculis apud Latinos, & etiam nunc Orationem, quam ante Confirmationem profert Episcopus extendens manum super confirmandos; sed cum illa manus extensio non sit materia essentialis, sed tantùm cæremonialis, ut diximus, ita nec essentialis est illa forma. Et certè mirum esset, quòd Florentinum referens ex professo materias & formas Sacramentorum ad Armenorum instructionem, tacuisset hujus Sacramenti formam essentialem, & protulisset purè cæremonialem. Nunquid potiùs fuisset Armenos decipere, quàm instruere? Undè dicendum Florentini formam esse essentialem quoad omnes suas partes, non quòd non possent aliqua omitti, salvo Sacramento, si ita Ecclesia determinaret; sed quia, supposita Ecclesiæ determinatione specifica, cui hanc reliquit Christus, tantùm genericè formam instituens, omnia haberi debent, ut essentialia.

Reliquisse autem Christum Ecclesiæ suæ potestatem specificandi verba, quæ reliquerat ipse indeterminata, modò hujus Sacramenti effectum significarent, patet ex formarum diversitate: alia est enim Latinorum, alia Græcorum, alia Ambrosii, alia Sylvestri, alia fuit Francorum, alia Hispanorum, alia antiquitus, alia nunc; ita ut dixerit Noster Alexander de Ales 4. part. suæ summæ q. 9. membro 1. *Hujus Sacramenti secundùm diversas consuetudines diversarum Ecclesiarum diversæ sunt formæ verborum.* Sane si hæc forma fuisset à Christo specificata, sicut in Baptismo, Eucharistia &c. non haberetur tanta varietas, ut patet in illis Sacramentis.

Fatendum tamen hæc verba: *In nomine Patris &c.* non esse essentialia sub ratione invocationis SS. Trinitatis, quia si hanc requisivisset Christus, sicut in Baptismo, illam contineret forma Græcorum, sicut & Latinorum: unde essentialia sunt, inquit Mastrius, in quantùm denotant causam principalem hujus Sacramenti, sicut verba *Spiritus Sancti* in forma Græcorum. Quamvis non minus sit probabile, verba illa tantùm requiri ex præcepto; ne dicantur etiam essentialia ob eandem rationem, in Sacramento Pœnitentiæ.

CONCLUSIO II.

FOrma Græcorum est hæc? *Signaculum doni*, vel, *donationis Spiritus Sancti*, ubi supple, juxta proprietatem Græci sermonis, *Ecce*, vel, *Tibi datur*. Est bona & legitima, ut patet ex eo, tum quòd in Concilio Constantinop. I. can. 7. & in omnibus Euchologiis, seu Ritualibus Græcorum habeatur; tum quia in Concilio Florentino, ubi agitatæ sunt materiæ inter Latinos & Græcos controversæ, nulla facta de illa mentio: tum quia Cardinalium congregatio ad examinandum Græcorum Euchologiam ab Urbano VIII. erecta, nihil in ea immutandum decideri t. Tum denique, quia Græci Romæ in oculis Papæ & Cardinalium cùm forma illa confirmant in Templo S. Athanasii.

Dices: Alia Sacramenta sunt etiam signacula Spiritus S. ergo illa forma, utpotè communis, non est propria Confirmationis.

Resp. Dist. Ant. Sunt signacula effectivè: C. activè: N. quia non sunt signativa signo crucis seu constitutiva Christiani militis.

QUÆSTIO VII.

Quis sit Minister hujus Sacramenti.

CONCLUSIO I.

MInister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. Est de Fide in Trid. sess. 7. can. 3. de Confirmat. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, Anathema sit.* Huic veritati aliquando contradixerunt Photius Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus, Waldenses teste Reynerio, Wicleffus, cujus hunc articulum proscripsit Concilium Constantiense: *Confirmatio juvenum .... reservatur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalem*, & Joannes Hus. Porrò huic errori subscripserunt Waldenses, Wicleffistæ, ac Hussitæ, eo quòd (præcedente olim Aerio) Episcopum à Presbytero non distinguerent, quod & fecerunt Lutherus & Calvinus, ita ut dixerit. Hic lib. 4. inst. c. 19. §. 10. *Si quis ab illis suscitetur, unde tanta prærogativa Episcopis delata fuerit; Quam rationem afferent præter suam libidinem?*

Prob. autem Conclusio ex Scriptura Act. 18. & 19. ubi soli Apostoli (quia soli erant Episcopi) dicuntur manus imposuisse seu confirmasse. Hoc autem munus exercuisse, ut Episcopos, & non ut Presbyteros, testis est continua Ecclesiæ praxis & traditio, nobis ab omnium sæculorum Patribus, aut Scriptoribus manifestata: unde Concilium Elibertinum c. 38.

Si

Si supervixerit (baptizatos in necessitate) *ad Episcopum cum perducat, ut per manus impositionem perfici possit*.

Obj. 1. Ananias imposuit manus Paulo Act 9. v. 17. sed non erat Episcopus: ergo.

R. Impositionem illam non fuisse Confirmativam, cùm necdum baptizatus esset Paulus, sed curativam cæcitatis. Dixit quidem Ananias Paulo: *Misit me Jesus ut videas & impleatis Spiritu S.* sed non erat implendus per illam manuom impositionem, sed per Baptismum mox conferendum. Adde, non satis constare, an non esset Episcopus Ananias.

Obj. 2. D. Hieronymum docentem Dial. contra Luciferianos in med. potestatem confirmandi competere Episcopis, *potius ad honorem Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem*: ergò censet Presbyterum, illicitè quidem, sed validè posse confirmare.

Resp. Nihil aliud velle, quàm quòd Christus, qui potestatem suam non alligavit Sacramentis, potuisset, si voluisset potestatem illam simplici Presbytero, etiam ut Ministro ordinario conferre: non fecerit autem, ut dignitatem Episcopalem magis honoraret: in quo nihil contra nos. Dixit quidem Epist. 84. ad Evagrium: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Sed tantùm voluit, Diaconos sese Presbyteris comparantes humiliare: ostendens Presbyteros (excepta potestate conferendi Ordines) esse ferè Episcopis æquales, cùm possint consecrare, baptizare, absolvere &c. sicut Episcopi, imò & confirmare extraordinariè: quod Episcopi possunt ordinariè.

Obj. 3. Concilium Hispalense 2. c. 7. ubi legitur: *Novellis & Ecclesiasticis Regulis probibitum est simplicibus Sacerdotibus .... per impositionem manuum & Chrismate baptizatorum frontem signare*: ergo id possunt jure divino.

R. per *Novellis* intelligi *Divinis novi Testamenti*, quæ dicuntur Novellæ respectivè ad vetus testamentum, quasi diceret, Regulæ novi Testamenti & Ecclesiæ prohibent &c. Si quis plus velit, dic Presbyteris Hispanis aliquando concessum fuisse ex commissione confirmare, quod hic revocatur.

Obj. 4. S. Ambrosius in c. 4. ad Ephesios sic habet, *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus*. Idem habet Augustinus.

R. Si verus Ambrosius sit ille, quem Estius vocat supposititium, tantùm velle Presbyteros Aegyptios (quod & fecerunt Alexandrini, Græci, & Armeni, deficientibus Episcopis, ubi adesset aut Christianorum persecutio, aut fidei periculum) confirmasse ex legitima dispensatione, quod etiam nunc practicant Græci ex eadem totius Orientalis Ecclesiæ commissione, ut refert Gabriel Philadelphiæ Metropolita: *Ecclesia Orientalis*, inquit, *non tantum Pontificibus, sed etiam Presbyteris post sacram Baptismatis cæremoniam benignè annuit & concedit citra ullam culpam unctionem Chrismatis*.

Inst. Ambrosius lib 3 de Sacramentis cap 2. docet, ad invocationem Sacerdotis sine addito, dari Spiritum Sanctum, ergo supponit de jure ordinario id ipsi competere.

Resp. Per Sacerdotem ibi intelligere Episcopum, qui est Sacerdos Magnus, seu Sacerdos Antonomasticè, Pro aliis Objectionibus

Adverte, quod si aliqua Concilia, aut aliqui Patres dicant Presbyterum posse chrismare, absente Episcopo, vel loqui de chrismatione Baptismali in vertice, ut Concilium Tol. 1. c 20. vel de chrismatione Hæreticorum ad gremium Ecclesiæ redeuntium, in quorum Baptismate forsan non intervenit Chrisma Concilium Arausic. I. can. 2. vel certè de chrismatione Energumenorum, ut Innocentius I. Ep 1. cap. 6.

CONCLUSIO II.

Minister Confirmationis extraordinarius, saltem ex commissione Papali, est simplex Sacerdos. Dico. *saltem ex commissione Papali*; quia licèt videatur aliquibus id etiam posse committere Episcopus, cùm sit Ordinarius in sua Diœcesi, sicut Papa in toto Orbe, hanc tamen concessionem Summum Pontificem sibi reservasse, testis est praxis & consuetudo, saltem apud Latinos.

Prob. autem 1. Conclusio ex Conciliis Trid. sup. & Florentino in decreto unionis, ubi Episcopus dicitur hujus Sacramenti Minister ordinarius: ergo supponunt dari posse extraordinarium, nempè Sacerdotem, aliàs frustra adderent *Ordinarius*, & certè quia ex nulla commissione potest alius, quam Sacerdos à peccatis absolvere, assignans Florentinum Pœnitentiæ ministrum, dicit simpliciter, quòd sit *Sacerdos habens authoritatem &c.* nulla mentione facta *Ordinarii*, aut *extraordinarii*: ergo si credidisset Ministrum Confirmationis necessariò debere esse Episcopum in quolibet casu, non posuisset illam particulam *Ordinarius*.

Prob. 2. Quia cùm Eugenius IV. in Concilio Florent. undecim Quæstiones Græcis proposuisset, quarum sexta erat hæc: *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes inungant Sacro Chrismate, cum hoc Pontificibus sit datum?* Concilium subdit in fine hanc objectionem, sicut & octo alias fuisse à Mitylenensi Præsule canonicè & legitimè dissolutas: ergo supponit Concilium, id posse Presbyteros ex commissione.

Prob. 3. Dispensavit Eugenius IV. cum quibusdam FF. Minoribus, ut diximus Qu 4. quod & fecit Nicolaus IV. Item cum aliis dispensarunt Joannes XXII. Urbanus V. aliique Pontifices Romani, ut refert Leo X. in Bullario Rodriquez Bulla 3. in qua ipsemet hujusmodi privilegium confirmat. Similiter eandem potestatem variis Indiæ Presbyteris dederunt Gregorius XIII. Alexander VI. & Adrianus VI. licèt hic anteà sustinuisset sententiam oppositam. Accedit factum Gregorii Magni, non cùm uno tantùm, sed cum omnibus Sardiniæ Sacerdotibus in absentia Episcoporum dispensantis lib. 3. Epist. 26. Unde non est mirum, si Florentinum, postquam allegavit pro Ministro Confirmationis ordinario Episcopum, dicat simplicem Sacerdotem aliquando ex dispensatione *Sedis* Apostolicæ hoc Sacramentum contulisse.

Obj. 1. Si potestas illa committi posset simplici Sacerdoti, id maximè fecissent Apostoli, cùm tunc magna esset confirmandorum multitudo, & Episcoporum paucitas: sed hoc nullibi legitur factum: ergo.

R. Non omnia, quæ ab Apostolis facta sunt, reperiri scripta. Sed esto, quòd nulli Presbytero dictam potestatem commiserint; id inde oritur, quòd paucos admodum ordinaverint Sacerdotes, quos non ordinaverint Episcopos, & aliunde sufficeret, ut noviter conversos à Presbyteris aut Diaconis baptizatos, sine cæremoniis confirmarent; cùm, ut dixi, possent tria aut quatuor millia uno die confirmare. Præterea expediebat, ut suprà, praxi Episcoporum munia & jura stabilirent.

Obj. 2. Non potest committi Clerico inferiori actus ordinis Episcopalis, cap penult. de consecrat. Eccles.

R. Dist. Assumpt. Non potest committi &c. si ad id non habeat potestatem inchoatam, C. sic non potest actus confirmandi committi Diacono, aut Subdiacono. Si vi Ordinis habeat potestatem inchoatam, qualem habet Sacerdos in nostro casu, N. tunc enim potest compleri per commissionem.

Obj. 3. Actus confirmandi oritur ex charactere Episcopali: ergo ubi non reperitur ille character, nec reperitur potestas confirmandi, qualiscumque adveniat dispensatio.

R. Dist. Ant. Actus confirmandi de jure ordinario, oritur &c. C. de jure solùm extraordinario, N. quia pertinet ad Presbyteratum, cui (cùm sit quasi Episcopatus inchoatè, inquantùm hic dicitur complementum & consummatio ordinis Sacerdotalis) etiam inchoatè competit actus Episcopalis.

Obj. 4. Omnis potestas in Sacramenta conficienda est juris divini: ergo, seclusa ordinatione, non potest illam concedere Papa non habenti.

Resp. Dist. conseq. Non potest illam concedere ut Episcopus præcisè: Transeat. Dico *Transeat*, propter dicta initio Quæst. Ut Christi Vicarius, seu ut ille, cui hanc delegandi potestatem concessit Christus, N. quia tunc non agit suo, sed Christi nomine.

QUÆSTIO VIII.

Quodnam sit subjectum Confirmationis, cujus debeat esse ætatis & dispositionis?

CONCLUSIO I.

Subjectum Confirmationis est homo viator baptizatus, nondum confirmatus.

Dicitur 1. *Homo Viator*; quia solus ille, de lege ordinaria, capax est Sacramentorum; ut suo loco diximus.

Dicitur 2. *Baptizatus*; tum quia Baptismus est Janua Sacramentorum; tum quia sicut corporaliter nasci antea oportet, quàm corporaliter augeri & roborari; ità priùs in Christo per Baptismum nasci necesse est, quàm per confirmationem in fide roborari. Legitur quidem Act. 10. aliquos recepisse Spiritum S. antequam baptizarentur; sed non legitur recepisse per Confirmationem seu manuum impositionem. Præterea Deus, qui potentiam suam non alligavit Sacramentis, potuisset in hoc dispensare, si voluisset.

Dicitur 3. *Nondum confirmatus*; quia Confirmatio, ut docet Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere, can. 9. initerabilis est. Iterabilis est quidem morbus, ad cujus sanationem confertur, nempè tentatio, dubium, aut credulitas contra fidem; sed etiam ratione unius Confirmationis iterat identidem Deus gratiæ actualis auxilia, quibus, omnia contra fidem occur-

occurrentia superare valeamus. Unde quando statuit Concilium 2. generale reconciliandos esse Hæreticos redeuntes, per Confirmationem, loquitur de Hæreticis aut nondum, aut invalidè confirmatis. Si autem validè confirmati sunt, adhibetur quidem à Græcis, teste Methodio, quædam Confirmatio, sed purè cæremonialis.

CONCLUSIO II.

EXpedit, ut confirmandus sit septennis aut decennis, non est tamen absolutè necessarium, nisi obstet consuetudo, aut præceptum locale.

Prob. 1. Pars ex Catechismo Concil. Trid. parte 2. de Confirm. §. 14. *Illud observandum est, omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari; sed minùs tamen expedire, hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certè hoc Sacramentum differre maximè convenit.* Et hoc ut reverentiæ Sacramenti & periculo iterationis consulatur.

Prob. 2. pars; quia olim confirmabantur infantes, ut patet tum ex Sacramentario Gregor. Magni, tum ex Pontificali Romano, ubi jubentur Patrini, confirmandos infantes in brachiis dextris tenere. Tum ex D. Thoma 3. p q. 72. art. 8. ubi docet hoc Sacramentum, sine distinctione ætatis, omnibus esse conferendum. Imò Græci ità sunt in confirmandis infantibus baptizatis tenaces, ut plurimi damnent Latinos contrarium practicantes.

Dixi: *nisi obstet* &c. quia diversa Concilia particularia requirunt usum rationis, prohibentque antea conferri; Non crediderim tamen graviter obligare, nisi contrarium insinuent: imò crediderim consultum esse Sacramentum illud moribundis infantibus ministrare, ubi sese offerret occasio, quia, ut docet D. Thomas sup. ad 4. *Pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.*

CONCLUSIO III.

EXpedit, ut hoc Sacramentum suscipientes sint jejunii; necesse est, ut sint sanctificati.

Prob. 1. pars ex D. Thoma q. 72. art. 12. ad 2. *Ubi congruè observari potest;* inquit, *convenientius est, ut à jejunis detur & accipiatur*, nempè confirmatio. Dicit *convenientius*, quia declaraverat antea obligationem (quæ olim viguerat, ut patet ex Can. *jejuni* de consecrat. dist. 5. & etiam vigebat Sæculo XII. ut patet ex his Magistri Sententiarum verbis: *Hoc Sacramentum* confirmationis *tantùm à jejunis accipi, & jejunis tradi debet*) esse abrogatam: *propter multitudinem fidelium*, inquit, *& pericula imminentia sustinetur, ut hoc Sacramentum ... etiam à non jejunis detur vel accipiatur.*

Prob. 2. pars; quia, ut diximus de Sacram. in genere, omnia Sacramenta vivorum requirunt statum gratiæ, adeoque & Confirmatio.

QUÆSTIO IX.

An hoc Sacramentum sit necessarium?

CONCLUSIO I.

HOc Sacramentum non est necessarium necessitate medii ad salutem. Est communis & certa. Unde Catechismus Concilii Trident. de Confirm. §. 13. *Illud in primis docendum est, hoc Sacramentum ejusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit.*

Prob. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo nullo modo potest obtineri salus: sed & pueri & adulti obtinere possunt salutem, sine Confirmatione: *Pueri* quidem, cùm post Baptismum decedentes ab omnibus credantur Beati. *Adulti* verò, cùm Veritas ipsa dicat Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit:* ergo.

CONCLUSIO II.

NEcessaria est Confirmatio necessitate præcepti graviter obligantis, ubi instat persecutio, aut imminet fidei periculum, ob commemorationem inter Hæreticos vel aliunde. Est certa contra paucos Casuistas, qui volunt, dum effectus Confirmationis, nempè robur ad fidem profitendam, potest aliunde haberi, v. g. ex Eucharistia, nullam esse obligationem Confirmationis suscipiendæ. Quibus tamen formaliter adversatur D. Thomas insinuans eos falsum supponere, seu effectum Confirmationis non haberi, saltem sine ejus voto. *Sicut nullus*, inquit q. 72. art. 6. ad 1. *consequitur effectum Baptismi, sine Baptismi voto, ità nullus consequitur effectum Confirmationis sine ipsius voto.* Roborat quidem Eucharistia, & accendit contra salutis hostes, sed non confert effectum proprium Confirmationis, saltem ubi quis sine causa illam negligit aut contemnit.

Prob. igitur Conclusio: Ubi necessarius est effectus, necessaria est & causa, à qua dependet, ut subsistat: atqui imminente persecutione, aut fidei periculo necessarium est robur animi speciale, quod est effectus Confirmationis: ergo.

CONCLUSIO III.

SEclusis præfatis, ac contemptu & scandalo, non videtur Confirmatio necessaria necessitate præcepti graviter obligantis. Est communis.

Prob. 1. ex Synodo Senonensi celebrata an. 1524. ubi legitur: *Omnes Christiani tam viri, quàm mulieres usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere* Confirmationem, quæ verba ultima satis denotant Cyprianum, cùm sup. asserit necesse esse, ut baptizatus inungatur, intelligendum esse vel tempore persecutionis, vel de necessitate congruentiæ; vel certè si præceptum incidat, solum esse Ecclesiasticum, quod temperavit Ecclesia moderna, ut patet ex dicto Concilio, magisque patebit ex infra dicendis. Idem dic ad Melchiadem Papam, cùm dicit Epist. ad Episcopos Hispaniæ cap. 2. *Necessaria esse Confirmationis auxilia.*

Prob. 2. Authoritate DD. Angelici & Subtilis, quorum primus 4. dist. 7 q. 2. art. 2. Quæstiunc. 1. asserit Sacramentum confirmationis non esse necessitatis, sed utilitatis: Secundus verò 4. dist. 17. q. 1. n. 11. loquens de Sacramento Extremæ unctionis, & confirmationis: *Neutrum*, inquit, *est simpliciter necessarium: nec est præceptum, de isto, vel de illo recipiendo.*

Prob. 3. Si obligatur quilibet fidelis sub gravi peccato hoc Sacramentum ante mortem suscipere, obligatur & Episcopus moralem diligentiam adhibere, ut nullus, saltem Adultus, sine illo moriatur, quia quanta est obligatio in uno, tanta est & in altero, cum sit reciproca: sed hanc obligationem non agnoscunt Episcopi, ut satis declarat praxis: ergo.

Dices: Potiora sunt animæ jura, quàm corporis: sed tenemur per alimenta corpus tenellum fovere & augere: ergo & animam per confirmationem roborare.

Resp. Quòd sicut nos tenemur per hoc numero alimentum corpus augere; ita nec per hoc numero medium tenemur vitæ spiritualis augmentum quærere. Utiles sunt quidem confirmationis effectus, sed non ita necessarii, ut sine illis non possit vita spiritualis crescere

Dixi in Conclusione: *secluso contemptu*, non tantùm formali, qui semper est mortalis, licèt res contempta sit tantùm consilii; sed etiam virtuali, qui censetur adesse, quando res potest sine ullo incommodo obtineri, & tamen negligitur: unde Synodus Senonensis immediatè post verba ante citata, subdit: *Contemnî autem dicitur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit aut despicit suscipere.* Quod & formalissimè docuerat Scotus, qui postquam dixit 4. dist. 7. q. 2. de hoc Sacramento: *Est tamen necessarium adulto sic, ut non contemnat*, subdit paulò post: *Judicaretur enim contemptus, si omnimoda opportunitate oblata, non susciperetur.*

QUÆSTIO X.

Qui sint effectus & Cæremoniæ Confirmationis?

DUo sunt præcipui effectus hujus Sacramenti, nempè gratia sanctificans, & Character. De utroque quidem egimus in Tract. de Sacram. in genere; sed hìc pauca de gratia superaddemus.

CONCLUSIO I.

GRatia sanctificans Confirmationis est, gratia seconda, eaque in fide corroborativa.

Prob. 1. Pars; quam impugnarunt aliqui hoc innixi fundamento, quòd sicut Confirmatio perfectio est Baptismatis, ita eandem cum eo gratiam conferat, adeoque primam. Prob. inquam primò, quia hoc sacramentum dicitur vivorum: sed si gratiam primam conferret, esset mortuorum; cùm vitam spiritualem conferret non habentibus: ergo. Est quidem perfectio Baptismi, non tamen eo sensu, quòd unicum sit cum eo Sacramentum, aliàs non essent septem Sacramenta; sed eo sensu, quòd gratiam in Baptismo receptam perficiat

ficiat seu augeat, adeoque novam addat priori, seu primæ secundam.

Prob. 2. Quia juxta Trid. sess. 14. cap. 2. *Necessarium est lapsis post Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum, sicut nondum regeneratis Baptismus:* sed hoc non staret, si Confirmatio conferret gratiam primam, cùm posset lapsus per hanc justificari: ergo.

Dices: Concilia & Patres loquentes de Hæreticorum reconciliatione, solius Confirmationis meminerunt: ergo per hanc solam reconciliabantur tum Ecclesiæ, tum Deo, adeoque gratiam primam conferebat.

Resp. Fieri ibi mentionem reconciliationis publicæ, solemnis, & in foro externo, non autem reconciliationis internæ, & in foro conscientiæ, quam supponebant jam præcessisse in sacramento Pœnitentiæ, sicut supponunt multarum Diœcesum Ritualia, quæ, ubi agunt de suscipiendis Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus, meminerunt quidem abjurationis Hæreseos, publicæ absolutionis ab excommunicatione &c. non tamen absolutionis sacramentalis.

Prob. 2. Pars, tum ex ipso nomine Confirmationis; cum confirmare sit roborare. Tum ex Epist. Melchiadis Papæ ad Episc. Hispan. ubi ait: *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam: in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur. At si continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia:* quod & docent alii Patres. Tum ex D. Thoma q. 7. art. 7. *in Confirmatione datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes.* Quantum autem roboris acceperint illo die Apostoli, indè colligere est, quòd illi, qui ob metum Judæorum clausi latuerant, quorum caput ad unius muliercula vocem Christum Magistrum negaverat, Spiritus sancti gratia roborati, publicè & intrepidè Christum, Christique Religionem etiam ipsius crucifixoribus prædicaverint, ad omne certamen pro fidei confessione & defensione paratissimi. Tum denique ex definitione ipsiusmet Confirmationis, cujus causa finalis est robur ad fidem strenuè profitendam.

Ultra hanc gratiam etiam jus quoddam acquirit confirmatus ad auxilia specialia pro actu fidei constanter eliciendo necessaria, & suo tempore conferenda. Patet ex dictis de Sacramentis in genere.

CONCLUSIO II.

Præcipuæ hujus sacramenti cæremoniæ sunt sequentes.

Primò adhibitio susceptoris seu Patrini: Ille *qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur*, inquit D. Thomas hic art. 10. *quasi per alium in pugna spirituali erudiendus.* Ab hoc munere excluduntur omnes in Baptismate exclusi, sicut & Patrinus Baptismatis; à quo etiam excludit D. Thomas non confirmatum; quia non est justum, ut æquè imbecillis ac infirmus, alium teneat quasi ipsius imbecillitatem sustentaturus. Cognatio autem spiritualis, quæ in Baptismo contrahitur, hic etiam habet locum, ita ut confirmans fiat cognatus spiritualis confirmato, ejusque patri & matri, & hi vicissim confirmanti, sicut & susceptori, aut susceptoribus, si unus & una adhibeantur.

Secundò, Quandoque nomen confirmando imponitur, semperque est imponendum, ut monet D. Borromæus in Concilio V. Mediolanensi, ubi nomen Baptismatis turpe est aut ridiculum.

Tertiò, Olim alba veste induebantur confirmandi, sed inde illud oriebatur, quòd statim à Baptismate, quo recepto in albis vestiebantur baptizati, confirmarentur.

Quartò, Episcopus extendit manus versùs confirmandos, oratque ut in ipsos descendat Spiritus S. Hæc oratio autem, licèt forma chrismationis possit esse deprecatoria, non habet rationem formæ, ut antea diximus, sed tantùm est cæremonia, per quam confirmantes imitantur Apostolos, qui prius orabant, quàm manus imponerent.

Quintò, Chrismat frontem confirmandi per modum crucis, ut confirmatus, nec crucem, nec Crucifixum erubescat, ut ante dictum est.

Sextò, Percutit confirmatum levi alapa, ut sciat confirmatus, se militem esse creatum non ad percutiendum, sed ad patiendum; tum etiam ut recordetur se hoc sacramento initiatum esse, nec iterum ad illud audeat accedere.

Septimò, Pacem impertitur Episcopus, ut intelligat confirmatus *se gratiæ cœlestis plenitudinem*, inquit Catechismus Romanus, *& pacem, quæ exuperat omnem sensum, consecutum esse.*

Denique obvolvitur frons confirmandi fascia linea, post tres dies à Sacerdote deponenda, ac comburenda, & cineres in sacratium projici debent.

TRACTATUS IV.

De Almo Eucharistiæ Sacramento.

„ Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, inquit Florentinum, cujus Materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideò admiscetur, quoniam juxta testimonia SS. Patrum ac DD. Ecclesiæ, pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi. Inquit enim B. Alexander Papa Quintus à B. Petro: *In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnia Domino offeruntur, non debet in calicem Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque, idest, sanguis & aqua ex latere Christi profluxisse legitur.* Tum etiam, quia hoc convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat secundùm illud Apoc. *Aquæ multæ populi multi.* Et Julius Papa II. post B. Sylvestrum ait: *Calix Dominicus juxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri: quia vidimus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi Sanguinem Christi. Ergo cùm in calice vinum & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur.*

„ Cùm ergo tam S. Romana Ecclesia à Beatissimis Apostolis Petro & Paulo edocta, quàm reliquæ omnes Latinorum ac Græcorum Ecclesiæ in quibus omnis sanctitatis, & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, & modò servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis Regio ab hac universali & rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ (prout dictum est) admisceant vino.

„ Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem convertuntur: ità tamen, quòd totus Christus contineatur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.

„ Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur: consequens est, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, *in quo* (ut inquit Urbanus Papa) *gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Hæc Florentinum.

Hujus autem Sacramenti dignitatem & excellentiam commendant, tum varia nomina, quibus insignitur, tum varia signa, quibus adumbratur.

Dicitur enim primò *Eucharistia*, idest, bona gratia, sive gratiarum actio, tum quia Christus illud instituendo, gratias egit; tum quia debemus & nos in gratiarum actionem illud sumere.

Dicitur secundò *Communio*; quia per illud amoris Sacramentum, Christo intimè communicamus, illique tanquam arctissimo charitatis vinculo invicem adunamur: unde ut hanc unitatem inculcet Ecclesia Orientalis, omnem populum unica reficit hostia, in varias partes divisa.

Dicitur tertiò *Synaxis* seu congregatio; quia in hoc Sacramento, ut in centro, fidelium Religio colligitur: hinc Apostolus: *Unus panis, & unum corpus multi sumus, omnes quidem de uno pane, & de uno calice participamus* 1. Corinth. 10.

Dicitur quartò *Sacrum convivium*; quia in eo non corpus, sed anima, Christi corpore & Sanguine saginatur.

Dicitur quintò *Eulogia*: unde Cyrillus Alexandrinus Epist. 10. ad Nestorium: *Accedimus ad mysticas Eulogias, & Sanctificamur participes facti sacræ carnis, & pretiosi Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi.*

Fatendum tamen Eulogiam (quæ benedictionem significat) etiam usurpatam fuisse pro pane benedicto, qui fide-

libus

ibus ob caufam aliquam, fed inculpabilem, ab Euchariſtia abſtinentibus diſtribuebatur.

Dicitur ſextò *Panis vitæ, Panis Angelorum, Panis ſuperſubſtantialis, Panis, qui de cœlo deſcendit.*

Dicitur denique (alios omiſſis) *Viaticum*; quia ſpiritualis eſt cibus, quo in hujus vitæ peregrinatione ſuſtentamur, donec tandem in itineris exitu, illo confortari ad montem Dei perveniamus.

Variæ etiam hujus Sacramenti figuræ in Scriptura reperiuntur, ut Panis oblatus à Melchiſedech, Panis azymus, Panes propoſitionis, Panis Primitiarum, Panis Eliæ ſubcinericius, Manna, Agnus Paſchalis &c.

UÆSTIO PROŒMIALIS

De realitate Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

QUoniam omnia, quæ in hoc Tractatu diſcutiuntur, ſive per modum inſtitutionis; ſive per modum materiæ & formæ, ſive per modum diſpoſitionis, ſive per modum effectus, realem Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam in hoc Sacramento præſupponunt, bonus ordo poſtulare videtur, ut, antequam ſingula aggrediamur, realitatem illam tanquam unicum altiſſimi hujus Ædificii fundamentum, firmiter & ſolidè contra negantes ſtabiliamus.

ARTICULUS I.

Quinam corporalem Chriſti præſentiam in hoc Sacramento negaverint?

JUdas, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt JESUM, etiam fuit Dux eorum, qui eundem in Euchariſtia negaverunt. Audito ſiquidem eo, quod Chriſtus dixerat Joan. 6. *Caro mea verè eſt cibus &c.* durum habuit hunc ſermonem cum Capharnieis.

Judam in hoc ſecutus eſt Simon Magus, ejuſque Aſſeclæ, dicti Simoniaci, qui docentes, Chriſtum non veram, ſed phantaſticam carnem aſſumpſiſſe, docuerunt conſequenter, non fuiſſe realiter in Euchariſtia.

Præfatis adhæſerunt 2. ſæculo Gnoſtici, eo turpitudinis adducti, ut materiam Euchariſticam cum humano ſemine commutarent: unde ſatis mirari nequeo, inquit Noſter Le Grand in ſua Hæreſiarcharum Hiſtoria, qua fronte nonnulli noſtri ſæculi Scriptores, Gnoſticos faciant Tranſſubſtantiationis Authores. Eadem ætate Euchariſtiam negarunt *Archontici*, *Montaniſtæ* verò, ſeu *Cataphrigæ* non propriè, quidquid dicant aliqui, hoc myſterium negabant, ſed illud ex ſanguine infantis anniculi, teſte Epiphanio Hæreſi 28. impropriè & invalidè conficiebant.

Sæculo 3. Paulus Samoſatenus docens Chriſtum fuiſſe merum hominem, docuit in Euchariſtia Sanguinem eſſe corruptibilem inſtar aliorum liquorum, non tamen negavit ejus realitatem, ut volunt aliqui. Manichæus, quia ſomniabat panem, ſicut & alia alimenta eſſe à principio malo, ex pane confici poſſe Euchariſtiam inficiabatur.

4. Sæculo voluerunt *Donatiſtæ* Euchariſtiam, ſicut & alia Sacramenta à Catholicis confecta, nullius eſſe virtutis. Quidam vero Ægyptii non vinum, ſed lac conſecrabant.

5. Sæculo Neſtoriani duplicem ponentes in Chriſto Perſonam, agnoſcebant quidem veram carnem in Euchariſtia, ſed hominis puri, juſti, & ſanctificati, non Dei.

6. *Eutyches* & *Dioſcorus* ſuſtinuerunt non eſſe veram in hoc Sacramento carnem, quia opinabantur, carnem à Verbo aſſumptam, fuiſſe in momento Incarnationis in Divinitatem mutatam, ita ut unica eſſet carnis & Divinitatis ſubſtantia.

7. Idem ac Eutyches & Dioſcorus ſenſerunt Armeni circa Euchariſtiam, quam in ſolo fermento confici poſſet arbitrabantur, & ideò in Azimo conſecrantes *Azimitas* appellabant. Pauliciani, ſeu Pauliani vile reputabant hoc Sacramentum, imò veriſimiliùs negabant, teſte Prateolo. Quidam verò Hiſpani lac pro conſecratione adhibebant.

8. Sæculo *Iconomachi*, ſeu *Iconoclaſtæ*, nullam præter Euchariſtiam admittebant imaginem, quam non credebant vacuam, & merè repræſentativam, ut volunt aliqui, ſed verè Chriſti corpus & Sanguinem continentem, quam ideò cultu Latriæ dignam aſſerebant: quod denegabant aliis Chriſti imaginibus, quas falſas dicebant, eo quòd humanitatem à Divinitate ſeparatam exhiberent. Ipſorum quidem ſententiam circa hoc condemnarunt Nicæni Patres, non rem ſed modum loquendi carpentes, quia nempè contra uſitatum Eccleſiæ morem Euchariſtiam vocabant imaginem, & quidem ut ſic efficacius aliarum imaginum cultum obſcurarent & repudiarent.

9. Sæculo quaſi omnium primus cœpit negaret Euchariſtiæ veritatem Joannes Scotus Erigena. Dico *quaſi omnium primus*; quia alii præcedentes Hæretici potius errarunt ex ſuppoſito falſo circa Incarnationis myſterium malè intellectum, quàm ex profeſſo circa hoc ſacramentum. Ejus liber de Euchariſtia uſque ad Berengarii tempora delituit; ſed cùm hic inde virus ſuum deprompſiſſet ac ſparſiſſet, in Concilio Vercellenſi (non comparente Berengario vocato) lectus eſt præfatus liber, & condemnatus. Quis autem fuerit ille Joannes Scotus? An Bedæ Diſcipulus, an alius? An Martyr occubuerit, an verò in odium ſui erroris à pueris, quos edocebat, confoſſus? Res eſt valdè incerta, diverſis Authoribus diverſa referentibus. Hoc unum conſtat, non fuiſſe Doctorem noſtrum Subtilem, utpotè pluribus ſæculis poſteriorem, ac ne quidem de umbra alicujus hæreſis unquam ab aliquo ſuſpectum.

Sæculo 11. Eccleſia per 150. annos in pace compoſita, & à nullis Hæreticis ſaltem famoſis, laceſſita Berengarius S. Mauritii Andegavenſis Archidiaconus, Gallus natione, parum eruditus, ſed multùm captioſus, annuente Brunone ejuſdem urbis Epiſcopo, duos errores circa Euchariſtiam diſſeminavit, ac primò Euchariſtiam ſolùm figurativè, & non realiter Chriſti corpus & ſanguinem continere: quem errorem in Concilio Vercellenſi ſub Leone IX. ac poſteà in Concilio Turonenſi ſub Victore II. condemnatum abjuravit ipſemet. Secundò, Admiſſa jam realitate impanationem docuit, volens ſubſtantiam panis & vini remanere accidentaliter conjunctam cum Chriſti corpore & ſanguine, quam hæreſim iterum quidem abjuravit in Concilio Romano ſub Gregorio VII. ſed extinguere non potuit: unde Guilleimus Malmesberienſis lib. 3. de geſtis Anglorum: *Berengarius planè quamvis ſententiam ipſe correxerit, omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit.*

Sæculo 12. Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia realitatem ſubſannarunt Petro-Bruſiani, ac illud nihil omninò eſſe decernentes, Deo offerri debere negaverunt. Quam Hæreſim propinavit Tholoſanis anno 1146. Henricus Apoſtata Monachus.

Sæculo 13. Euchariſtiæ Sacramentum blaſphemabant Albigenſes: unde & vaſa & calices in ejus deſpectum enormiter dehoneſtabat. Cœperat autem illorum hæreſis ſæculo 12. anno 1176. & ità ſubitò invaluerat, ut ferre mille urbes in Gaſconia, Albigeſio, & Patribus Tholoſanis illa inficerentur.

Sæculo 14. Wicleffus Sacerdos Anglus inter 40. errores in Concilio Conſtantienſi condemnatos ſuſtinuit conſequentea: primò quòd panis maneat in Sacramento poſt conſecrationem. Secundò quod hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*, ſint locutio figurativa, ſicut hæc, *Joannes eſt Elias*. Tertio quòd accidentia non maneant ſine ſubjecto in Euchariſtia. Quarto non contineri ibidem realiter Chriſti corpus & ſanguinem.

Sæculo 15. Wicleffi errores recoxit *Joannes Hus*, natione Bohemus, qui inter 39. Articulos à Concilio Conſtantienſi proſcriptos, refert, condemnationem 45. Articulorum Joannis Wicleffi per Doctores factam, eſſe à ratione alienam, iniquam & malè factam. Brachio ſeculari relictos, pœnas luit igni traditus.

Tandem Sæculo 16. Orti ſunt Lutherus & Calvinus, quorum primus realitatem initio negavit ſed tandem illa admiſſa, propugnavit impanationem, à quo deficientes ejus Diſcipuli Carloſtadius & Zuinglius realitati bellum indixerunt: Secundus verò, quid circa Euchariſtiam tenuerit, vix ex ipſius ſcriptis conſtare poteſt. Nec mirum, cùm nec ſibi conſtiterit, modò realitatem affirmans, modò negans, modò volens Chriſtum eſſe in Euchariſtia per ſolam fidem, modò per præſentiam corporalem. Dixi *ex ipſius ſcriptis*: conſtat enim ex pernicioſis ejus reliquis etiam nunc graſſantibus, realitatem non admiſiſſe. Ex quibus

Patet, quot in hoc Sacramento, quod nobis reliquit Chriſtus tanquam ſymbolum unitatis, pacis & charitatis, quot, inquam, diviſiones, ſchiſmata, zizania ſuperſeminaverit inimicus homo, cujus impoſturas conabimur aperire Articulis ſequentibus.

ARTICULUS II.

Quomodo probari poſſit ex Scriptura Chriſti Euchariſtici realitas?

HAnc Fidei veritatem in variis Conciliis definitam ita apertè & clarè exponit Scriptura, ut ſolus voluntariè cœcus illam in ea non reperiat.

Prob. Primo. Figura eſt quid minus figurato, ſed hoc non

staret, si Eucharistia tantùm figuraret, & non realiter contineret Christi Corpus & Sanguinem: ergo Major certa est ex Apostolo ad Coloss. 2. ubi figuras veteris Testamenti comparat *umbræ*, & Hebræ. 10. *Imagini*, rem autem figuratam *corpori*. Prob. Min. quia tunc figuræ Eucharisticæ veteris Testamenti, ut Lignum vitæ, Panis subcinericius, Manna, Agnus Paschalis &c. æquivalerent, imò aliquæ prævalerent Sacramento Eucharistiæ, cùm Agnus Paschalis (ut alia taceam) perfectiùs repræsentet Christi carnem, quam Panis Eucharisticus, mors Agni, perfectius Christi mortem quam fractio panis, Agnus anniculus & immaculatus perfectius Christi innocentiam & mansuetudinem, quam panis albedo: sicque nobilius foret & præstantius figurans figurato: quod est expressissimè contra Apostolum.

Prob. Secundò: Non minus fidelis est Christus in promissis, quam verax in dictis: sed Joan. 6. promisit nobis carnem suam in cibum, & Sanguinem in potum: ergo verè & realiter illa dedit, alias si umbram dedisset pro veritate, si figuram pro figurato, si imaginem pro re, non stetisset promissis, fuissetque verè infidelis non minus ac ille, qui postquam promisisset domum aliquam solum exhiberet illius picturam.

Dices, solum promittere corporis & Sanguinis sui manducationem spiritualem, seu per fidem. Sed

Contra est primò, quòd Scriptura Sacra (fatentibus ipsismet Hæreticis) sit ad litteram intelligenda, quando inde nulla oritur contradictio aut inconvenientia: quæ autem implicantia, quod inconveniens, quòd hæc verba: *Panis quem dabo, caro mea est*: & *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* intelligantur de manducatione vera & reali?

2. Si intelligendus est Christus de manducatione per fidem, ad quid distinxit ibi carnem & Sanguinem? ad quid manducationem & potationem, cùm illo modo Christum sumere, sit præcisè in ipsum credere?

3. Cur dixerunt Judæi obmurmurantes: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et quidam Discipuli scandalizati: *Durus est hic sermo*; cùm nihil sit facilius, quàm Christum per fidem recipere?

4. Cur omnes audientes, inimici & amici, Judæi & Discipuli, intellexerunt per manducationem illam hactenus inauditam, manducationem realem; nisi quia Christus id ipsis sufficienter inculcabat sermone palpabili & evidenti, cujus solum appendicem, ut credibile est, refert Euangelista? Et certè cur antea non fuerant assistentes scandalizati, cùm dixit vers. 35. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet*, & nunc scandalizantur, quia dicit: *Nisi manducaveritis &c.* nisi quia videbant, primum dici in sensu metaphorico, & secundum in sensu litterali?

5. Vel intendebat Christus per hunc sermonem docere audientes, vel non: si non, ad quid concio illa? Si sic: ergo videns, quòd caperent manducationem corporalem pro spirituali, debebat ipsos de contrario instruere.

6 Quando Nicodemus Joan. 3. sumpsit renascentiam Baptismalem pro corporali, statim se explicavit de renascentia per aquam & Spiritum S. Item cum Discipuli Matth. 16. non intellexissent, quid vellet Christus per fermentum Pharisæorum, illicò insinuavit, se loqui de eorum doctrina. Similiter cùm dixisset Joan. 4. se vesci cibo Discipulis incognito, ipsis non intelligentibus aperuit, cibum illum esse adimpletionem voluntatis paternæ. Explicavit etiam Matth. 17. Parabolas Seminantis ac zizaniorum &c. quidni ergo circa hoc unicum legis novæ Sacrificium, ac præstantissimum Christianæ Religionis Sacramentum, mentem suam aperuisset errantibus? Tantùm autem abest, ut id faciat, ut è contra de sua propositione scandalizatis, etiam usque ad separationem idem sexies repetat, imò inculcet cum hac urgenti assertione: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis &c.*

7. Manducationem veram & corporalem confirmat ibidem vers. 63. *Hoc vos scandalizat*, inquit, *si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* Quasi diceret: Quantò magis eritis scandalizati, cùm per Ascensionem meam, carnem illam, quam ab omnibus sumendam præcipio, non amplius videbitis, nec visibiliter habebitis? Quod sanè pro manducatione spirituali nihil conferret, cùm tam absens, quàm præsens possit comedi spiritualiter.

8. Cur Discipulorum plurimi vers. 66. ab eo discessissent, etiam visis pluribus miraculis; nisi mysterium propositum fuisset incomprehensibile? Quis autem dicat incomprehensibilem solius fidei manducationem?

9. Mannæ ab Angelis fabricatæ, è cœlo descendenti, ac omnem habenti saporem, præfert panem Eucharisticum vers. 59. Ad quid illa prælatio, si panis ille sit naturalis, solaque operetur fides manducantis?

10. Reprehendit Christus vers. 63. quosdam Discipulos, quòd propositam sibi manducationem non crederent: sed manducatio, quam non credebant, non erat spiritualis, cùm, etiam fatentibus Calvinistis, de illa cogitarent: ergo erat corporalis; adeoque de corporali agebat Christus, aliàs ridiculus appareret, qui loquens de manducatione spirituali, redargueret non credentes corporalem

Petes: cur Christus videns Discipulorum incredulitatem, non manifestaverit ipsis mysterium, dicendo, quòd non deberent comedere Christi carnem; sicut comeduntur animalium carnes, quod erat causa scandali, sed sub speciebus panis &c. corpore quodammodo spiritualizato?

Resp. Id non manifestasse, ut exerceret eorum fidem, ipsosque assuefaceret ad credendum, propter solam dicentis authoritatem, captivato in obsequium fidei intellectu: & certè nunquid credere poterant illum, quem in testimonium suæ divinitatis tot miracula facientem viderant, imò & novissimè quinque hominum millia quinque panibus satiantem, reperturum & modum convenientem, quo corpus suum comedendum traderet? Prætereà si id credere nollent ob solam Christi authoritatem, credidissentne, posse corpus humanum poni integrum sub minima accidentium panis particula? unde necesse erat, ut addiscerent credere, non propter suam rationem; sed propter dicentis authoritatem.

Prob. 3. Quia quod Christus promisit Joan. 6. realiter exhibuit Matth. 26. his verbis: *Comedite: hoc est corpus meum....* *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus*; & ne diceres figuratè loqui, addit: *Qui pro multis effundetur*, sicut addit Paulus de corpore 1. Corinth. 11. *Quod pro vobis tradetur*. An ergo effusa est in Passione, Sanguinis Christi figura, an ejus Sanguis? An tradita est Judæis imago corporis, an corpus? certè si ità effusus esset sanguis tuus, O Calvinista, si ità traditum fuisset corpus tuum, non amplius contra hujus Sacramenti realitatem oblatrares.

Confirm. 1. Quia nulla est veritas in Scriptura sacra verbis magis explicitis & formalibus expressa. unde vel nihil certi & proprii desumi potest ex Scriptura; vel prædictas locutiones esse proprias & non figuratas, fatearis oportet: & certè ut realitatem corporis & Sanguinis exprimeret, quibus aliis verbis uti potuisset? nisi dicas, quod debuisset dicere: *Hoc est figura corporis mei*; quia, si, cùm dicit: *Hoc est corpus meum*, intelligas corporis figuram, fortè, si dixisset: *Hoc est figura corporis*, intellexisses corpus ipsum.

Confir. Quia si ibi tantùm exprimeretur figura, mirum esset, quòd quatuor Euangelistæ, & D. Paulus, qui diversis in locis & partibus de hoc Sacramento scripserunt, omnes realem corporis & Sanguinis præsentiam expressissent, & ne unus quidem dixisset: Hoc est figura, hoc est imago, hoc est repræsentatio, hoc est signum, hoc est Symbolum corporis mei, aut quid simile. Sanè cùm unus Euangelista non ità clarè rem aliquam, aut potiùs rei circumstantiam exprimit, alter obscuritatem tollit, ut videre est in mille locis.

Confirm. 3. Euangelistæ & D. Paulus loquentes de eo, qui Eucharistiam indignè sumit, ajunt: *Judicium sibi manducat & bibit*, 1. Corinth. 11. sed qui sumit indignè signum corporis Christi, judicium sibi non manducat, aliàs qui in peccato proferret hanc vocem *Christus*, judicium sibi manducaret, seu peccaret mortaliter, cùm illa vox non tantùm sit signum corporis, sed totius Christi. Ità subtiliter argumentatur D. Bonav. 4. dist. 10. q. 1.

Confir. 4. Vel potuit Christus ponere corpus suum sub speciebus, vel non potuit: si potuit, cur negas posuisse, cùm id in terminis dicat Veritas ipsa; nunquid si dixisset: *Hoc non est corpus meum*, crederes? cur ergo dicenti: *Hoc est corpus meum*, non credis? Si dicas non potuisse, dicas consequenter, nec aquam in vinum mutasse in Cana Galilææ; cùm hoc sit æque difficile, ac illud.

ARTICULUS III.

An hæc veritas possit aliunde probari?

CONCLUSIO I.

HÆc veritas probari potest ex Conciliis etiam ab ipso Calvino admissis lib. 4. Instit. cap. 9. §. 8 nempè Nicæno I. Ephesino, & Nicæno II. in primo enim legitur lib. 3. cap. de sacra Mensa: *Intelligamus situm in illa sacra Mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum, & pretiosum ejus corpus & Sanguinem verè sumentes, credamus, hæc esse nostræ redemptionis Symbola*. Secundum verò sic habet in Epist. Cyrilli ad Nestorium, quam approbavit: *Sacræ carnis & pretiosi Sanguinis*

Christi

Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Tertium autem postquam fusè ostendisset Act. 6. nullum Apostolorum aut illustrium Patrum vocasse Eucharistiam Imaginem corporis Christi, sic concludit: *Liquidò demonstratum est, quòd nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres, imaginem dixerunt sacrificium sine Sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum Sanguinem*: ubi vides adesse in Eucharistia verum corpus, verumque Sanguinem, etiam independenter à manducatione, cùm hic de ea nulla fiat mentio. His Conciliis addi possunt Vercellense, Turonense & Romanum contra Berengarium. Item Lateranense sub Innocentio III. Viennense, Florentinum, Tridentinum, & alia Provincialia, quibus ostenditur, perpetuam fuisse Ecclesiæ Catholicæ fidem.

CONCLUSIO II.

HÆc veritas etiam suaderi potest ex omnium sæculorum Patribus à Bellarmino citatis toto lib. 2. de Eucharistia, ex his autem aliquos hie breviter proferemus.

Primo Sæculo sic habet Martyr Ignatius Epist. ad Smirnenses. *Oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris D. N. J. C. quæ pro peccatis nostris passa est*. Idem habent Clemens Romanus, Dionysius Areopagita, & alii.

Secundo Justinus Martyr in Apolog. 2. ad Antoninum: *JESU Christi, ejus, qua homo factus est, & carnem & Sanguinem esse* in Eucharistia, *accepimus, Apostoli enim ita tradiderunt*. Idem tenet Irenæus.

Tertio Cyprianus serm. de cœna Domini: *Panis iste non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro*. Idem reperies apud Tertullianum, Origenem, & Gregorium Nazianzenum.

Quarto Hilarius lib. 8. de Trinitate: *De veritate carnis & Sanguinis, non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra, verè caro est, & verè Sanguis est*. Cyrillus Hierosolymit. Cathechesi 4. Mystagogiæ: *Cum Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: Hoc corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & 5. *Post consecrationem dico tibi, quòd jam est corpus Christi*. Vide alios apud Bellarminum.

Quinto Leo Magnus ser. 6. de Jejunio septimi Mensis: *Nihil prorsus de veritate corporis, & Sanguinis Christi ambigatis: hoc enim sumitur, quod fide creditur*. Chrysost. homil. 83. in Matt. *Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum, nulla dubitatione teneamur, sed credamus*. August. in Psal. 33. conc. 1. cujus titulum explicans nempè. *Et ferebatur in manibus suis*, scilicet David, ait. *Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus: in Christo autem invenimus. Ferebatur enim in manibus, quando commendans ipsum corpus suum, ait: hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis*.

Ridiculus es, ò Calvine, cùm Augustinum explicans, dicis Christum seipsum portasse impropriè, idest, in signo sui corporis: An seipsum portare in signo, in figura, in Symbolo intelligibile est? Et ecce tamen loquitur Augustinus de portatione, quæ superat caput humanum. Alia ex Augustino testimonia taceo, cùm hoc sit omninò convincens.

Sexto Remigius in 1. ad Corinth. ubi docet, quòd Eucharisticus panis transeat in corpus Christi. Idem docuerunt Fulgentius, Cæsarius, & Gregorius Turonensis.

Septimo Gregorius Magnus Homil. 22. in Evang de sanguine Christi loquitur: *Non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur*.

Octavo Damascenus lib. 4 de fide cap. 14. *Domino dicente: Hoc est meum: non figura corporis, sed corpus, & non figura Sanguinis, sed Sanguis* &c.

Nono Theophilactus in cap. 26. Matth. *Non enim dixit: hoc est figura, sed hoc est corpus meum .... Panis quidem apparet, sed caro est*. Idem habet Paschasius, & alii.

Decimo Fulbertus Carnotensis Epist. ad Deodatum: *Terrena materies panis & vini naturam & meritum generis sui transcendens, in Christi substantiam commutatur, cùm ipse dicat: Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*.

Undecimo Anselmus in cap. 11. ad Corinth. exponens illud: *Hoc est corpus meum*, ait, *sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum*.

Duodecimo Euthymius in cap. 26. Matth. *Non dixit: hæc sunt signa corporis mei, & Sanguinis mei, sed hæc sunt corpus & Sanguis meus*.

Denique sicut Bernardus claudit Agmen Patrum, ita & claudat hanc conclusionem: *Sciolus*, inquit de clerico in vita S. Malachiæ, *in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo Sacramentum, & non rem Sacramenti, idest solam sanctificationem, & non corporis veritatem*.

CONCLUSIO III.

COnfirmatur Corporis & Sanguinis Christi realitas ex præscriptione, seu ex continua possessione hujus veritatis ab Apostolis ad nos usque. Vel tenuerunt Apostoli Christum esse realiter in Eucharistia, vel non, si primum: ergo idem tenemus, quod illi ab ipsomet Christo & Spiritu sancto edocti tenuerunt. Si secundum, ut volunt Sacramentarii: Dic, quæso, quo anno, quo sæculo, quo Autore, qua in urbe, quo in Regno, aut mundi parte cœpit sententia realitatis? Dic quomodo fieri potuit, ut doctrina à sensibus adeò remota & carnali sapientiæ apparenter contraria, non modò Galliam, Hispaniam, Italiam, non modò Europam aut Africam, sed totam Dei Ecclesiam in omnibus mundi partibus diffusam, potuerit penetrare, ac omnes ibi contrarium sentientes immutare, nullo reclamante populo, nullo Episcopo, nulla Synodo, nullo Concilio, nullo summo Pontifice? cùm Nestorius, Donatus, Pelagius, & alii Hæresiarchæ famosi suos errores, etiam in parvulo orbis angulo spargunt, reclamant Episcopi, obmurmurant fideles, congregantur Concilia particularia & generalia, anathematizantur Hæreses, tota commovetur Dei Ecclesia: & ecce hic totus orbis fit Hæreticus, & tota nihilominus silet Ecclesia: Quis sanæ mentis hoc credat? imò quis non credat, insanire similia garrientes?

Dices 1. cum Claudio, apud Gallos non ita pridem sacramentariorum Ministro, Paschasium Monachum Corbejensem lib. *de Corpore & Sanguine Christi* circa annum 820. edito, introduxisse Christi in Eucharistia realitatem, antea Christianis inauditam, & posteà Sæculo XI. quod fuit sceleris & ignorantiæ sæculum, fuisse ab omnibus fidelibus creditam.

Resp. Si Claudius Paschasium illum legisset, fabulam illam posteritati non reliquisset: ait enim Paschasius lib. 12. in Matth. *Miror, quòd velit nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis, sed in Sacramento virtutem carnis & non carnem, virtutem sanguinis & non sanguinem, figuram & non veritatem, umbram & non Corpus*. An miraretur, quòd aliqui ita sentirent; si talis esset omnium sensus, si ipsemet ita sensisset, si esset communis Ecclesiæ doctrina? Aperi oculos, & vide confusionem tuam.

Dices 2. Cùm Blondello ejusdem farinæ Ministro, Anastasium Montis Sinai Monachum, cui adhæsit Epiphanius Diaconus, fuisse Authorem præsentiæ realis apud Orientales anno circiter 636.

Resp. 1. Saltem inde haberi, falsam esse vel Claudii, vel Blondelli doctrinam, cùm ille primum Authorem realitatis faciat Paschasium IX Sæculo, Hic Anastasium VII. sed quid mirum, si inter se non constent illi, cùm sibi ipsis non constent? & certè quid ridiculius Blondello, qui pro unico assertionis suæ fundamento, refert dictum Anastasium invexisse verbum *realitatis*, eùm Patres 3. & 4. Sæculi, ait, uterentur verbo, *Signi*, *Sacramenti*, *Imaginis*, *Figuræ* corporis Christi; nec tamen ullum Patrem citando nec ostendendo, quòd Patres sumpserunt *Signum Sacramentum &c.* in sensu realitatis exclusivo.

Resp. 2. Mirum esse, quòd omnes Orientales Ecclesiæ Doctores, Episcopi, Patriarchæ, Reges, Populi &c. unius Monachi sententiam hactenus à nemine cognitam, ac sensibus omninò repugnantem voluerint amplecti sine contradictione, sine Synodo, sine consultatione, sine Concilio: quod nullus Scriptor dicto Anastasio se opposuerit: quod ejus doctrina de Ecclesia Orientali ad Occidentalem transvolaverit sine legatione, sine conferentiis, sine Theologorum Patrum congregatione. Hæc de Anastasio applica Paschasio Ecclesiæ Occidentalis Monacho.

CONCLUSIO IV.

ETiam stabiliri potest hæc veritas 1. his rationibus gravis momenti: Verba Christi, quibus hanc veritatem probamus, continent testamentum, seu ultimam ejus voluntatem, ut patet ex illo Apostoli 1. Corinth. 11. *Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine*. Idem habet Lucas: ergo propriè & sine metaphoris aut amphibologiis intelligenda sunt. Nam ideò moribundus testamentum condit, ut pax servetur inter hæredes, & vitetur omnis discordia: quomodo

X 2 autem

autem id efficeret, si verbis impropriis & intricatis uteretur; & certè si Calvino fuisset legata testamento domus aliqua, aut pecuniæ summa, servassetnè pacem inter hæredes, si ipsi dedissent domum chartaceam, aut nummos pictos? credet, qui voluerit.

Prob. 2. Potuit Deus ponere Christi corpus & Sanguinem sub speciebus Eucharisticis: ergo de facto posuit, cum id indicent verba ab ipsa Veritate superiùs allata.

Prob. Ant. contra Hæreticos, qui volunt esse repugnantiam, Si id esset Deo impossibile; vel quia Christi corpus esset in cœlis & in terris; vel quia corpus divisibile existeret modo indivisibili non occupans locum; vel quia accidentia panis existerent sine subjecto: nullum autem ex illis repugnant: non primum; quia idem corpus posse esse in diversis locis per bilocationem, docetur communiter in Physica, illuc recurre. Non secundum; quia cùm occupare locum non sit de essentia corporis, cùm priùs sit esse corpus, quàm esse in loco, non implicat esse corpus, & non esse in loco. Deindè non occupavit locum Christi corpus, cùm exivit de utero Virginis clauso, cùm intravit januis clausis ad Discipulos, cùm pertransiit lapidem sepulchralem, cur non posset ita esse in Eucharistia? Adde Christum asserere Matth. 19. quod *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum*: ergo supponit camelum posse ita transire, adeoque locum non occupare. Non etiam tertium, quia non minus est de ratione naturæ per subsistentiam propriam subsistere, quàm accidentis alteri inhærere: sed natura humana aliter subsistit in Christo: ergo & aliter existere possunt accidentia in hoc Sacramento.

CONCLUSIO V.

Hunc fidei Articulum ulteriùs Confirmare possunt alia duo, nempè miracula, & ipsa Calvini testimonia.

Primò Miracula tam evidentia, tam aperta, adeò numerosa, & à personis omni exceptione majoribus tot in locis relata, ut solus obstinatæ mentis valeat dissentire: unde Richardus à S. Victore confidenter ait lib. 4. de Trinit. c. 2. *Domine, si error est, à te decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt & talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt*. Et ideò Lutherus licèt ad rejiciendam realitatem propenderet, non potuit tamen tam apertæ veritati contradicere, etiam ad id à diabolo sophisticis argumentis sollicitatus, ut fatetur ipsemet lib. de Abroganda Missa.

Secundò Calvini testimonia adeò clara sunt & expressa, ut non expressiùs loqueretur Catholicus: ait enim lib. 4. Instit. cap. 17. §. 32. *In sacra sua cœna jubet me sub Symbolis panis & vini corpus & Sanguinem suum sumere: nihil dubio, quin & ipse verè porrigit, & ego recipiam*. Item §. 10. dicit hoc Sacramentum esse *maximum arcanum Spiritus sancti, incomprehensibile*. Et §. 1. vocaverat *incredibile* & 7. *indicibile, inexcogitabile*. Ubi autem Arcanum, ubi incomprehensibilitas, ubi miraculum, si tantum ibi nobis communicetur Christus per fidem? certè si non sit difficile Catholico totam Trinitatem sibi per fidem communicare, cur incomprehensibilis esset talis Christi communicatio? unde ibi realitatem admittit, vel, si negat, absurdissimè loquitur.

ARTICULUS IV.

Objectiones Sacramentariorum ex Scriptura.

Obj. 1. Joan. 6. respondet Christus Capharnaitis in ejus verbo scandalizatis: *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam*: ergo satis insinuat, non esse ejus carnem premendam dentibus, sed fide sumendam, seu spiritualiter.

R. Christum velle, non prodesse carnem ad sensum Capharnaitarum, idest, carnem mortuam, ab anima & divinitate separatam; & quidem sub propria specie carnis, ut imaginabantur illi, quasi verò fuisset devoranda Christi caro, velut caro bubula aut ovina, sed prodest caro Spiritu & divinitate vivificata, quæ sic sub speciebus panis & vini erat communicanda: unde Augustinus Tract. 27. in Joan. *Caro non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt carnem quippè sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur .... Accedat spiritus ad carnem .... & prodest plurimum: nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret*. Subdit autem Christus: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, idest non sunt intelligenda carnaliter, sumendo carnem sub specie carnis, sed spiritualiter, sumendo carnem sub aliena specie quasi spiritualizatam, & nihilominus credendo adhuc esse carnem Christi veram.

Obj. 2. Secundùm Catholicos, *Hoc* in forma consecrationis non denotat panem, cùm sit falsum: Panis est corpus Christi, nec denotat ipsum corpus, cùm tantùm sit ibi in fine verborum: ergo illa forma intelligenda est in sensu metaphorico.

R. Ly *Hoc* tantum habere suam significationem in fine verborum, & tunc significare corpus confusè, sub communi conceptu edulii, aut comestibilis: quasi diceretur: Hoc edulium, quod est sub speciebus panis, in fine verborum est corpus Christi: hocque est commune omnibus propositionibus effectivis prædicati ut Subjectum non prius significet, quàm sit Prædicatum: & certè si Christus convertendo aquam in vinum dixisset, ut potuit, *Hoc est vinum*, ly *Hoc* non significasset aquam, sed in fine propositionis. *Hoc potabile*. Idem dic in nostro casu. Deinde ad quid cavillationes illæ; cùm ipsimet debeant similia in aliis Scripturæ locis admittere? Quando enim Christus dixit Joan. 11. *Lazare veni foras*, & Petrus Act 9. *Tabita surge*, an voluit, ut veniret foras, & surgeret id quod erat initio verborum, nempè cadaver, an verò quod erat in fine, nempè persona vivens?

Obj. 3. Ly *Est* in dicta Forma idem est, ac *Significat*, quasi diceret, *Hoc significat corpus meum*, seu est signum corporis mei, sicut quando dixit, *Ego sum vitis vera, Ego sum ostium, Joannes est Elias*.

Resp. 1. Si ita, nos nihil amplius certi posse ex Scriptura colligere, nam similiter dicam in his propositionibus, *Hi tres unum sunt. Pater & ego unum sumus*, copulam sumi impropriè seu in sensu figurativo, adeoque non esse in Divinis unitatem naturæ, & Personarum trinitatem, cum non sit major ratio, cur copula sumatur hic propriè, quam illic.

R. 2. Cùm panis non habeat de se esse signum corporis Christi, ut per se patet, debeat, ut id significaret, illius institutio antea (quod tamen non fecerat Christus) præcessisse, aliàs signum illud esset adstantibus inintelligibile.

Resp. 3. Licet instituisset Christus, ut panis esset signum corporis sui, tamen malè diceretur. Panis est corpus Christi, sicut malè diceretur, Manna est corpus Christi, Agnus Paschalis est corpus, licèt sint illius signa, seu figuræ.

R. 4. Aliud esse de propositionibus præfatis, idque ob duas rationes, primò quia aliquid aut præcedit, aut subsequitur, aut certè in iis tale Subjectum aut Prædicatum ponitur, ratione cujus apertè colligitur sensus Allegoricus, non sic in nostro casu; imò sensum proprium indicant hæc verba: *Quod pro vobis tradetur, Quod pro vobis effundetur*. Secundò, quia in illarum subjecto reperitur aliquid, ratione cujus convenit ipsi Prædicatum: sic Christus dicitur ostium, quia per illum intramus ad vitam, sicut per portam intramus domum: Joannes dicitur Elias, quia gerebat idem officium: in pane autem nihil reperitur, ratione cujus dicatur Christi corpus.

Obj. 4. Corinth 10. legitur Hebræos eandem escam spiritualem manducasse nobiscum: sed illi solùm manducarerunt corporis Christi figuram, nempè Manna: ergo similiter & nos.

R. In Bibliis legitimis non haberi *nobiscum*, sed præcisè *eandem* nempè inter se: id quidem habet Augustinus, sed tantùm vult, eandem esse significatione, non re, ut ejus scripta examinanti patebit.

Obj. 5. De illo dixit Christus: *Hoc est corpus meum*, quod accepit, benedixit, fregit, & dedit Discipulis suis; sed quod accepit, benedixit &c. erat panis: ergo.

Resp. Neg. Maj. Universaliter intellectam: nam de illo tantùm dixit: *Hoc est &c.* quod erat post consecrationem, nempè corpus, non de illo, quod erat ante, nempè panis: & sic duobus verbis totus Moulinei Achilles evanescit.

Obj. 6. Marc. 14. appellatur Eucharistia *Genimen vitis*, & e. 1. Corinth. 10. & 11. *Panis*: ergo &c.

R. Sic vocari primò, quia retinet accidentia panis & vini, sicut Angeli habentes exteriùs speciem hominis, dicuntur *viri* Gen. 18. Secundò quia in conversione aliquando terminus *ad quem* retinet nomen termini *à quo*, sic Gen. 2. Eva dicitur *Os*, quia ex osse prodierat. Tertiò quia Eucharistia datur loco panis ad comestionem, & loco vini ad potationem. Addi potest, Marcum vocasse *genimen vitis*, non potabile consecratum, sed vinum in cœna typica exhibitum, ut colligitur ex Luc. 22. vers. 15.

Obj. 7. Quando Luc. 22. dicitur: *Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine* ly *calix* & *testamentum* tropicè sumuntur, quidni & Sanguis.

Resp. Non esse necesse, ex eo quòd unum aut aliud verbum sumatur tropicè, ut tota oratio eodem modo sumatur. Deinde negari potest calicem, imò & testamentum sumi ibi tropicè: nam testamentum sumitur communiter non tantùm pro voluntate Testatoris, sed etiam pro Instrumento ipsius

ipsius voluntatis declarativo; & sic illa propositio facere potest hunc sensum: Hic calix est testamentum, seo instrumentum meæ voluntatis in meo Sanguine, seu ratione mei Sanguinis in eo contenti: quæ omnia sunt vera in sensu proprio.

Obj. 8. Dixit Christus Matth. 26. *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*: ergo falsum est, quòd sit in Eucharistia.

Resp. Tantùm velle, quòd non semper essent cum habituri conversantem modo familiari & visibili: seu eo modo, ut possent unguentum in ejus caput effundere, ratione cujus effusionis murmurabat Judas, non tamen negavit se remansurum præsentia Sacramentali; aliàs quomodo potuisset dicere Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi?*

Obj. 9. Cum Calvino lib. 4. Instit. cap. 17. *Scriptura testatur Christum ascendisse in cœlum, ibique mansurum usque ad diem judicii.... Non igitur verum est eum sæpe descendere, ut Papistæ volunt.*

R. Neg. conseq. Licet enim descendat ad verba Sacerdotis modo invisibili, semper tamen remanet in cœlo modo connaturali, secundùm quem non apparebit in terris ante diem judicii: unde, non relicta præsentia, quam habet in cœlis, fit præsens nova præsentia io terris.

Obj. 10. Christus instituens hoc Sacramentum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: atqui memoria non est rei præsentis, sed absentis: ergu.

R. Dist. Min. Memoria non est rei præsentis visibiliter: C. quia per seipsam excitat sui cogitationem. Non est rei præsentia invisibiliter, N. quia sic præsens (respectu sensus nostri, à quo nunc dependet intellectus noster) est quasi non esset. Deinde est etiam memoria Christi morientis, adeòque ur sic absentis. Dicitur enim 1. Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Obj. 11. Post hæc verba: *Hoc est corpus meum*, addidit Christus apud Lucam: *Quod pro vobis frangitur*: atqui quod frangitur in Eucharistia, non est corpus realiter, sed significativè: ergo.

Resp. Haberi quidem in Textu græco *frangitur*, & in vulgata nostra *datur*, quod ponitur pro *dabitur*, cùm Paulus dicat *tradetur*; & ideò etiam ponitur in Græco *frangitur* pro *frangetur*, usurpando præsens pro futuro, quod est satis usitatum in Scriptura: sed agitur ibi de fractione, oon in Sacramento, sed in Passione, ubi Christi caro (non ossa) fracta est & lacerata, præsertim in flagellatione. Accedit, quòd ly *frangitur* non possit intelligi de pane, cùm jam esset fractus ante distributionem, ut patet Luc. 22. & 1. Corinth. 11. & tamen dicit distribuendo. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Et sic patet, quòd hæc fractio referatur ad corpus in passione frangendum.

Obj. 12. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere*, Matth. 24. ergo non est credendum dicentibus, esse in Eucharistia.

R. Neg. conseq. quia, ut patet ex contextu, agitur ibi de Pseudo-Prophetis, qui se Christum jactarent.

Obj. 13. Circumcisio, quæ solùm erat signum pacti seu fœderis inter Deum, & Abraham, dicitur *pactum*, Gen. 17. ergo non est mirum, quòd Eucharistia dicatur Christi corpus, licèt solùm sit corporis signum.

Resp. Si Circumcisio dicatur alicubi pactum seu fœdus, alibi dicitur *signum fœderis*, ut vers. 11. & sic passos unus intelligitur per alium; nullibi autem dicit Christus Eucharistiam esse *signum corporis sui*, sed pluribi esse corpus suum, Sanguinem suum.

ARTICULUS V.

Solvuntur Objectiones à Patribus.

OBj. 1. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. *Corpus suum effecit*, inquit, *dicendo: Hoc est corpus meum, idest, figura corporis mei*. Et lib. 1. dixerat panem repræsentare Christi Corpus.

R. Eucharistiam esse figuram corporis Christi, sigoum, Sacramentum, antitypum, imaginem &c. non vacuam, non egenam, non exclusivam Christi corporis, ut fabulantur Hæretici, sed plenam suo significato aut figurato, unde vocant figuram &c. id quod exterius patet, non quod interius latet; aliàs apertè sibi contradieerent Patres, ut patet ex Conclus. 2. Articuli 3. & eodem modo responderi debet ad liturgiam Basilii, ad Ambrosium, Augustinum & Alios vocantes etiam hoc Sacramentum *configuralia* Corporis Christi, *signum, figuram, symbolum* &c. Quòd autem illæ explica-

Henno Tomas II.

tiones non sint contortæ, patet ex eò quòd ipsimet Patres illas admittant. Augustinus enim citatus à Gratiano cap. utrum de Consecrat. dist. 2. expressè ait: *Corpus Christi & veritas, & figura est. Est veritas, dum corpus Christi & Sanguis en panis & vini substantia efficitur: figura verò est id, quod exterius sumitur.* Similia habent Ambrosius, Damascenus, & Alii.

Porrò citati Patres, eorumque Coævi, cùm Hæresim Calvinisticam non timerent, utpotè quia nullus tunc, saltem publicè, de Christi io Eucharistia realitate dubitabat, non sumpleruot tantam in exponeudo hoc Mysterio præcautionem, & ideò nonnunquam sigoum pro significato, & figuram pro figurato usurparunt: unde Augustinus lib. 1. contra Julianum, cap. 6. loquens de Chrysostomo: *Disputans in Ecclesia Catholica, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullas pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.*

Obj. 2. Augustinus in Psal. 98. sic inducit Christum ad Capharnaitas loquentem: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent*: ergo

Resp. Ad Augustinum ex Augustino in Epist. ad Irenæum, ubi ad eadem prorsus Verba, ac ante, sic respondet: *Ipsum quidem, & non ipsum: ipsum invisibiliter, & non ipsum invisibiliter*, scilicet manducabitis & bibetis. Hæc satis patent Articulo 2.

Obj. 3. Eondem Doctorem Tract. 25. io Joan. *Quid paras dentes & ventrem*, inquit, *crede & manducasti*: ergo si non requiratur ad participationem hujus Sacramenti manducatio corporalis, sed spiritualis per fidem, Christus non est ibi corporaliter.

Resp. Augustinum ibi alloqui impios, qui ad hanc spiritualem refectionem tantùm parant dentes & ventrem, non solliciti adhibere præcipuum, nempè Fidem, quæ per charitatem operatur: unde sensus illius est: Quid tam sollicitus es solius manducationis externæ; cùm nuda illa comestio non sit ad salutem proficua? Potius sollicitus esto manducationis seu dispositionis internæ, & manducasti salutariter & vivificè; adeòque non reprehendit externè manducaotes, sed non curantes id facere in statu gratiæ. Idem dic ad alios PP. qui videntur extollere solam manducationem internam: non quòd externam rejiciant, sed quia externa sive interna nihil prodest, imò nocet adultis.

Obj. 4. lib. 3. de Doctr. Christiana cap. 16. docet Augustinus, quòd Christus flagitium juberet, si hæc verba: *Nisi manducaveritis &c.* essent præceptiva; & ideò concludit: *Figura est ergo præcipiens Passioni Domini esse communicandum.*

Resp. Solùm velle, quòd juberet flagitiom, si præciperet carnis suæ manducationem sensu Capharnaitico, nempè, quasi debuisset corpus suum scindere, & uni partem brachii, & alteri partem pedis porrigere.

Obj. 5. Varii interpretes hunc locum Joan. 6. *Nisi manducaveritis*, intellexeront de Incarnatione, quasi dixisset Christus: Nisi credideritis Verbum assumpsisse Carnem & Sanguinem, *non habebitis &c.* ergo

Resp. Neg. conseq. Quia etsi aliqui verba illa mysticè intellexerint de Incarnatione, imò aliqui de verbo Dei, aliqui de Doctr. Christi, aliqui de participatione ipsius Passionis; ne unus tamen negavit, verba illa ad litteram accipienda esse de Sacramentali manducatione; cùm enim sæpè, ut idem Scripturæ locus diversas habeat explicationes, diversosque sensus, potest quaodoque intelligi & explicari in uno sensu, absque eo quòd negetur alius.

Obj. 6. Rursus Augustinum lib. 3. de Trinit. cap. 10. ubi ait: *Corpus Christi verum non consumitur: igitur verus est panis, qui sumitur, cùm Eucharistia sumitur.*

Resp. Loqui de pane secundùm species exteriores, secundùm quas apparet Eucharistia verus paois, non tamen secundùm substantiam, secundùm quam est verum Christi Corpus: sed tantùm vult id, quod consumitur post Eucharistiæ sumptionem, non esse Christi corpus, cùm sit incorruptibile, & gloriosum; sed verum panem secundùm speciem externam; secundùm quam solùm Eucharistia consumitur, ut fusius postea.

ARTICULUS VI.

Satisfit Objectionibus à ratione.

OBjI. 1. Effectus Eucharistiæ est nutrire animam & non corpus: ergo non corpore, sed anima, seu fide sumenda est.

Resp. Dist. Ant. Effectus inadæquatus est nutrire ani-

mam: C. adæquatus: N. Ordinatur enim Eucharistia etiam ad conjunctionem membrorum cum capite, seu fidelium cum Christo: quod fit per manducationem corporalem. Præterea etsi ordinaretur ad solius gratiæ collationem, ordinatur tamen per medium divinitùs ad id ordinatum, quale est (Christo pluribi declarante) illius manducatio corporalis. Si inquiras, cur id ordinaverit Deus, cùm potuerit aliter fieri? inquiram ego, cur voluerit hominem salvare mediante Incarnatione, Passione &c. cùm potuerit sine illis?

Obj. 2. Idem corpus non potest esse in duobus locis: ergo nec Christus corporaliter in cœlo & in Eucharistia.

Resp. Dist. Ant. Non potest esse &c. naturaliter, C. Miraculosè, N. nam *alia sunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*, inquit August. lib. de cura Mort. & certè si duo corpora possint esse in eodem loco, ut dum Christi corpus penetravit clausum Virginis uterum, lapidem sepulchralem, portas clausas &c. cur non posset idem corpus esse in duobus locis, cùm non potiùs appareat repugnantia in uno, quàm in altero: sicut enim duo corpora in eodem loco non essent unum corpus, ità nec idem corpus in duobus locis esset duo corpora, sed unum cum diversis præsentiis. Plura circa hanc materiam vide in Physica.

Obj. 3. *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, Matth. 15. sed horribile est dicere, quòd verum Christi corpus emittatur in secessum: ergo.

Resp. Dist. Maj. Omne ordinatum ad nutritionem corporalem, de qua loquebatur Christus: Transeat. Dici *Transeat*, quia magna pars convertitur in substantiam aliti, & sic patet Christi propositionem sumendam esse accommodè. Omne, etiam ordinatum ratione sui ad nutritionem spiritualem, N. Vel dic cum August. à Beda citato in cap. 10. 1. Corinth. id esse verum de eo, quod reficit, non autem de eo, quod *quando manducatur reficit, sed non deficit*, ut est Christi corpus.

Obj. 4. Si Christus esset realiter in Eucharistia, seipsum manducasset, & sic seipsum habuisset in ore, in stomacho, imò habuisse caput in ore, & os in capite: quæ videntur ridicula. Sic argumentatur Molineus.

Resp. (Supposito, quòd seipsum communicaverit Christus, quod incertum est, cum ex Scriptura nihil certi hac super re colligatur) Hoc quod carnali sapientiæ fatuum sonat, nec fatuum, nec ridiculum sonare sapientiæ Christianæ: si enim, teste Augustino supra, potuit seipsum portare in manibus, adeoque & manus in manibus, quidni & os in ore &c. Si id captum tuum superat, quid mirum? *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere.* 1. Cor. 2. v. 14.

Obj. 5. Absurdum est dicere, Christum in stomachos putridos descendere, imò posse à muribus corrodi, aut à canibus devorari: sed hoc sequitur ex reali præsentia: ergo.

Resp. Sed nunquid absurdum est, Deum esse in sordidis animalibus, & in locis fœtidis? Si affirmas. Dei ubiquitatem tollis: si negas, cur affirmas de Christo? Nam sicut Deus est in locis illis sine sui corruptione & infectione, ita & Christus, utpotè jam gloriosus & impassibilis: unde tota corruptio & infectio, est penes accidentia panis & vini. Præterea quid mirum, quòd voluerit Christus in stomacho sordido recipi, qui voluit à membris diaboli blasphemari, sputis fœdari, flagellari, crucifigi?

Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas August. lib. 22. de Civit. cap. 11.

DISPUTATIO I.

De essentia, institutione, & necessitate Eucharistiæ.

QUamvis negent aliqui, Christum esse in Eucharistia, nullus tamen, etiam Hæreticus, negat dari Eucharistiam. Hujus autem institutionis duas adfert Scotus 4. dist. 8. q. 5. n. 3. congruentias: 1. ut major esset in Christum amor, devotio & pietas. 2. ut spiritualiter regeneratis adesset alimentum spirituale.

QUÆSTIO I.

Quid sit Eucharistia, & an sit Sacramentum?

CONCLUSIO I.

EUcharistiam definit Scotus sup. n. 2. *Sacramentum corporis Christi & Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis & vini post consecrationem &c.* Hæc definitio ferè convenit cum sequenti magis usitata & communi. Sacramentum corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini consecratis, ad spiritualem animarum refectionem institutum.

CONCLUSIO II.

EUcharistia est verè unum ex septem novæ legis Sacramentum. Et ita recepta & communis, ut nec Hæretici, imò nec Mahumetani id negent; cùm hi cap. 4. Alcorani doceant hoc Sacramentum esse veneratione dignum, licet Christianos reprehendant, quòd devotent eum, quem adorant ut Deum.

Probatur hæc Fidei veritas in variis Conciliis definita. Illud est novæ legis Sacramentum, quod est signum sensibile gratiæ, divinitus ad nostram salutem institutum: sed hoc competit Eucharistiæ: ergo. Hujus signi *sensibilitatem* declarant species panis & vini. *Gratiæ collationem* hæc Christi verba Joan 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* Ipsius *Institutionem divinam* hic textus Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Denique ipsius *Finis*, seu hominis sanctificatio evidenter patet ex eo, quòd ordinetur ad vitam, nempè spiritualem, homini conferendam.

Dices 1. Eucharistia non semper est signum gratiæ: ergo. Prob. Ant. quia quamdiu asservatur in Ciborio, nemini confert gratiam.

Resp. Dist. Ant. Non semper est signum gratiæ subsistentis: N. semper enim significat Corpus & Sanguinem Christi: quod sufficit ad rationem Sacramenti, ut patet ex ejus definitione à Scoto allata. Non semper est signum gratiæ accidentalis: Subdist. Actu: C. Potentia, quando nempè applicatur subjecto disposito: N. non plus autem requiritur ad Sacramentum, quod non definitur *conferens*, sed *collativum* gratiæ.

Instabis: Saltem non est causativum gratiæ subsistentis: ergo respectu illius non est Sacramentum.

Resp. Dist. Ant. Non est causativum physicè: C. moraliter: N. cùm enim rei conservatio sit continua ejusdem productio: Deus autem statuerit conservare Christi corpus in Eucharistia dependenter à speciebus, ita ut tamdiu ibi foret, quamdiu manerent integræ & incorruptæ; moraliter censentur species continuò Christi corpus efficere.

Dices 2. Eundem finem habent Confirmatio & Eucharistia, nempè roborare in gratia: ergo una vel altera superfluit, adeòque non est Sacramentum.

Resp. Habere quidem eundem effectum genericum, nempè gratiæ augmentum, non tamen specificum; cùm robur & Confirmatio ad fidem sustinendam; Eucharistia verò ad reparandas, aut conservandas animæ vires, ut sit in spiritualibus prompta & expedita.

Dices 3. Sacramentum constat materia & forma: sed subsistit Eucharistia, ubi desiit forma: ergo

Resp. Neg. Maj. universaliter intellectam; quia perficitur quidem materia & forma, ut loquitur Florentinum, quod convenit Eucharistiæ, ut patet; non tamen necessariò illis constat; nisi certè sit Sacramentum transiens, non permanens, qualis est Eucharistia.

QUÆSTIO II.

An Eucharistia sit tantùm Sacramentum in usu?

AFfirmant Lutherani, Zuingliani, & Calvinistæ. Hujus autem Hæresis Author fuit teste Cochlæo lib. 3. Miscellanorum Tract. 8. quidam Bucerus, qui, ut conciliaret Lutheranos & Zuinglianos, quorum illi affirmabant, hi negabant realem Christi præsentiam in Eucharistia, docuit esse præsentem in ipsa sumptione, quod favebat Lutheranis; sed non ante sumptionem, quod favebat Zuinglianis. Per hanc autem hæresim non solùm volebat hæreticorum errores fovere, sed etiam Catholicorum veritates destrue-

destruere: admisso enim, quòd Christus sit tantùm præsens in ipsa sumptione, sequebatur Christum non esse in Ciborio, adeòque Hostiam consecratam nec in altari, nec in Processionibus esse adorandam. Item cùm tantùm prosit sumentibus, non esse pro defunctis offerendam. Porrò licèt conveniant Calvinistæ & Zuingliani cum Lutheranis in hoc, quòd Christus sit tantùm præsens in usu, hi tamen volunt tunc esse præsentem realiter, illi tantùm spiritualiter.

CONCLUSIO UNICA.

NOn consistit in Eucharistia in solo usu, sed est verum Sacramentum ante sumptionem. Est de fide.

Prob. 1. ex Trident. sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit, peracta Consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento, non esse corpus & Sanguinem D. N. Jesu Christi, sed tantùm in usu, dum sumitur; non autem ante vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, Anathema sit.*

Prob. 2. Ex PP. Clemente lib. 8. Constit. c. 13. *Sumant Diaconi reliquias, & in tabernaculum inferant.* Cyrillo Alexandr. Epist. ad Calosyrium: *Insaniunt quidam, dicentes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione, si quæ ejus reliquiæ remanserint: non enim mutatur Sacramentum Corporis Christi.* Cyrillo Jerosolymit. Catech. 5. *Accede ad calicem Sanguinis illius pronus, adorationis in modum.* Chrysostomo Homil. 24. in 1. ad Corinth. *Illi,* nempè Magi, *eum in præsepe viderunt, tu verò non in præsepe, sed in altari.* Augustino in Psal. 98. *Nemo carnem illam manducat, nisi prius adoraverit:* sed non deberet præcedere adoratio sumptionem, si antea non esset ibi Corpus Christi, & Sanguis: ergo. Idem reperies apud Ambrosium, Hieron. Theodoret. Tertullian. & alios; ita ut fassus fuerit Calvinus, stare pro nobis antiquitatem; *sed in re tanta,* inquit, *satius est sequi veritatem,* quam nempè ipsi inspiravit mendacii pater.

Prob. 3. Non potest mentiri ipsa Veritas: sed ante comestionem dixit: *Hoc est corpus meum:* ergo tunc erat. Frustrà autem reponis, non protulisse verba Consecrationis ante distributionem; cùm semel tantùm pronuntiaverit formam Calicis, & tamen Apostoli omnes ex eo successivè biberint, ut habetur Mar. 14.

Dices, Matth. 26 legitur: *Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum:* ergo non ante distribuit, quàm consecraverit.

Resp. malè colligi factum Christi ex ordine verborum; aliàs diceremus prius sumpsisse Apostolos calicem, quàm formam pronuntiaverit, adeòque non sumpsisse Sanguinem; cùm Marc. 14. post hæc verba: *Biberunt ex illo omnes,* subdatur: *Hic est Sanguis meus:* unde magis attendi debet sensus & significatio. Præterea incitat Apostolos Christus ad spirituale hoc convivium, quia porrigitur Corpus & Sanguis ipsius: postquam enim dixit Matth. 6. *Bibite ex hoc omnes,* causam potationis addit: *Hic enim Sanguis meus:* prius autem debet esse incitamentum ad aliquam actionem, quàm sit ipsa actio.

Prob. 4. Non minoris sunt efficaciæ verba Christi prolata ante distributionem, quàm in distributione: ergo si in distributione sunt operatoria Sacramenti, sunt & antè. Prob. Ant. Quia dum Christus vim illam tribuit verbis consecratoriis, non distinxit inter tempus & tempus, inter distributionem, & non distributionem.

Prob. 5. Quia idipsum, quod negant verbis, admittunt in factis Hæretici, cùm non toties repetant formam quot sunt personæ Eucharistia reficiendæ; sed semel prolata forma super omnem materiam appositam, distribuunt per horam, aut per duas horas, juxta numerum communicantium.

Respondet Calvinus, verba proferri quidem ante sumptionem; sed in sumptione effectum sortiri: sed

Contra est, quòd, cùm verba sint præsentis temporis vel debeant effectum habere, dum proferuntur, vel sint falsa.

Replicat Kemnitius 2. p. examinis sess. 13. cap. 3. per *usum* hìc non intelligi solam manducationem, sed etiam acceptionem præ manibus, benedictionem, fractionem, imò & ipsam portationem ad infirmos, modò statim à cœna deferatur, & comedant, non autem reservent. Sed

Contra est: Vel consistit in illis omnibus distributivè, vel in omnibus collectivè: si primum, tot erunt Sacramenta, quot sunt actiones: quod ipsemet negat: si secundum; falsa erunt verba prolata ante manducationem: & sic non evitat aliorum inconveniens.

Obj. 1. Origenes Hom. 5. in cap. 7. Levit. asserit Christum nec distulisse, nec reservasse in crastinum hostias in cœna consecratas.

Resp. Nihil inde sequi, sicut nec ex eo, quòd S. Clemens, (& alii posteà) ordinaverit, ipso die communionis omnes particulas consumi, quia ita frequens erat tunc communio, ut rarò opus esset pro infirmis hostias reservare: unde nisi prævideretur aliquod periculum, quod non prævidit Christus in cœna, non reservabantur. Falsum est tamen, quod temerariè obtrudit Morinus lib. 8. de Pœnit. cap. 14. num. 2. nempè consuetudinem asservandi Eucharistiam pro fidelium communione, à Monachis mendicantibus ortum habuisse; cùm tempore D. Ambrosii asservaretur, & quidem in navi; eam enim ibi sumpsit ac collo appendit Satyrus Ambrosii frater, antequam sese in mare dejiceret tempestatem evasurus, ut refert idem Ambrosius lib. *de obitu Satyri fratris.* Idem reperies apud alios PP.

Obj. 2. Alia Sacramenta consistunt in usu: ergo & Eucharistia.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd alia non sint Sacramenta, nisi dum actualiter percipiuntur, & sic necesse est, ut consistant in usu: non sic Eucharistia, quæ cùm ante perceptionem sit signum gratiæ subsistentis, etiam ante illam sortitur rationem Sacramenti.

QUÆSTIO III.

In quo consistat essentialiter Eucharistia?

VArii varia opinati sunt de Eucharistiæ essentia, quorum opinionibus breviter refutatis, nostram stabiliemus.

CONCLUSIO I.

ESsentia Eucharistiæ non consistit in pane & vino.

Prob. Res non potest esse sine sua essentia: atqui, destructo pane & vino, remanet Eucharistia: ergo

Dices: Panis & vinum sunt materia Eucharistiæ: ergo sunt de ejus essentia.

Resp. Dist. Ant. Sunt materia Eucharistiæ extrinseca & transiens: C. intrinseca, & permanens: N.

CONCLUSIO II.

EUcharistia non consistit essentialiter in verbis consecrationis. Est Scoti 4. d. 8. q. 1, nu. 6. ubi ait: *Istud Sacramentum non habet aliqua verba pro forma, quia tunc non esset Sacramentum permanens; cùm verba non possint esse nisi in successione.* Est etiam aliorum communiter contra Cajetanum & Lugonem.

Prob. 1. Eucharistia adoratur, manducatur, ad ægrotos defertur: sed verba consecratoria nec manducantur, nec adorantur, nec ad ægrotos deferuntur. ergo.

Prob. 2. Eucharistia est quid permanens, ut postea dicemus: sed verba non sunt permanentia; quandoquidem, facta prolatione, evanescant: ergo

Obji. 1. Species non significant sensibiliter corpus & Sanguinem Christi, nisi dependenter à verbis consecratoriis: ergo verba illa sunt de essentia hujus Sacramenti. Prob. Ant. quia species de se potius significant panem & vinum, quàm corpus & Sanguinem Christi.

Resp. Dist. Ant. Species &c. nisi dependenter à verbis consecratoriis, tanquam à causa efficiente: C. tanquam à causa formali intrinseca: N. jam autem nulla causa efficiens est de ratione sui effectus.

Instabis 1. Species dicuntur consecratæ à verbis consecratoriis: ergo verba remanent in ipsis speciebus ut forma, non quidem inhærens, sed denominans.

Resp. Dissimulato Ant. Neg. Conseq. Effectus enim dicitur causatus à causa, & tamen non manet causa in effectu, ut causa.

Dixi *Dissimulato Ant.* quia licèt dicantur consecratæ à verbis efficienter, formaliter tamen dicuntur tales à corpore & Sanguine Christi.

Inst. 2. Consensus matrimonialis dicitur remanere in contrahente, etiam transacto contractu: ergo & verba in speciebus, absoluta consecratione.

Resp. Dist. Ant. Dicitur manere in se: N. in effectu seu vinculo: C. Similiter etiam aliquo modo manent in effectu verba consecrationis, sed remanentia illa cùm sit ad summum moralis, non potest constituere intrinsecè ens physicum, quale est Eucharistia.

Inst. 3. Valor tantùm est moraliter in moneta, & tamen intrinsecè constituit illam: ergo

Resp. Dist. Ant. Constituit illam in ratione entis physici,

sici, v.g. auri vel argenti: N. in ratione entis moralis, seu quatenus est quid tanti valoris: C. Eucharistia autem, cùm non sit ens morale, sed physicum, non potest per morale, sed per physicum constitui.

Obj. 2. Juxta Florent. verba consecrationis sunt forma hujus Sacramenti: ergo sunt de essentia.

Resp. Dist. Ant. Sunt forma, sicut panis & vinum sunt materia, nempè transiens & extrinseca: C. intrinseca: N. unde verba, ex mente Concilii, sunt forma, non qua constituitur, sed qua efficitur Eucharistia: Vel dic esse formam Eucharistiæ in fieri, non in facto esse, de qua hìc quærimus.

Replicabis: Quod est alterius effectivum, impropriissimè dicitur illius forma: ergo verba consecrationis dicuntur à Concilio forma Eucharistiæ, non quia illam efficiunt, sed quia constituunt.

Resp. Ant. Esse verum in effectivis physicis, non autem in moralibus, saltem universaliter, ut patet in illis contractibus, ad quorum valorem requiruntur certa verba, quæ, licèt sint effectiva contractus, tamen dicuntur illius forma.

Obj. 3. Verba consecrationis determinant species ad significandam gratiam subsistentem: sed, quia verba in aliis Sacramentis determinant materiam ad significandam gratiam accidentalem, dicuntur essentialia: ergo

Resp. Dist. Ma. Determinant efficienter: C. formaliter, constituendo unum cum speciebus: N. in aliis autem Sacramentis verba non dicuntur essentialia præcisè, quia determinant materiam, sed quia determinant constituendo unum cum ipsa.

Obj. 4 Sacramentum est signum practicum, seu efficiens suum significatum: sed sola verba sunt signa practica Eucharistiæ: ergo

Resp. Dist. Min. Sunt signa practica transeunter: C. permanenter: N. quia hoc competit speciebus, à quibus dependet Eucharistia (Deo sic ordinante) in conservari. Jam autem cùm hoc Sacramentum sit permanens, debet signum non transiens, sed permanens esse illius constitutivum.

CONCLUSIO III.

Nec consecratio sumpta pro actione transsubstantiativa constituit essentiam Eucharistiæ.

Prob. 1. Eucharistia efficitur per actionem consecrativam, seu controversiam panis & vini in corpus & Sanguinem Christi: sed res non efficitur per seipsam: ergo

Prob. 2. Idem non potest esse efficiens & constitutivum essentiale respectu ejusdem; aliàs esset efficiens constitutivi, adeoque sui ipsius.

Dices: Benedictio Sacerdotis efficit aquam benedictam, & simul ipsam formaliter constituit; cùm dicatur formaliter benedicta à benedictione: ergo

Resp. Causam effectivam aquæ benedictæ esse quidem benedictionem, sed activam; causam autem ejus formalem, seu constitutivam esse etiam benedictionem, sed passivam, quæ moraliter censetur remanere. Et sic patet, non esse idem effectivum, & constitutivum ejusdem, cùm actio & passio realiter distinguantur. Nec reponas saltem consecrationem passivam moraliter remanentem esse constitutivam Eucharistiæ; quia cùm hæc non sit ens morale, sicut aqua benedicta, nec etiam per morale constitui potest.

Prob. 3. Non potest quid permanens constitui per transiens; aliàs esset, quando non esset: sed Eucharistia est permanens, & actio illa transiens: ergo

Dices 1. Alia Sacramenta consistunt in actione: ergo & Eucharistia.

Resp. Disparitatem esse, quòd alia sint transeuntia, & ideò constitui possint per aliquod transiens, qualis est actio.

Dices 2. Unctio nectens albedinem cum pariete est essentialis albo: sed consecratio non tantùm est actio: sed etiam nexus accidentium panis & vini cum corpore & Sanguine Christi: ergo

Resp. 1. Neg. Maj. Quia, ut docetur in Physica, unio non est de essentia compositi sive substantialis, sive accidentalis, sed tantùm conditio ad constitutionem requisita.

Resp. 2. Neg. Suppositum, nempè esse unionem physicam inter accidentia & Christi corpus, quia, ut dicemus posteà ex Scoto, tantùm uniuntur moraliter, in quantum statuit Deus illa inseparabiliter conservare sibi præsentia, quamdiu conservarentur species. Deinde licèt gratis concederem, esse inter illa unionem physicam, unio illa non potest esse consecratio, cùm hæc sit transiens, illa verò permanens & tamdiu durans, quamdiu durant partes unitæ.

CONCLUSIO IV.

Sumptio Eucharistiæ, nec est ipsa Eucharistia, nec Sacramentum ab ea distinctum, nec pars ipsius integralis. Prima pars manet probata ex Q. 2. ubi ostendimus contra Hæreticos, Eucharistiam realiter subsistere ante omnem sumptionem.

Prob. 2. Pars, quia cujuslibet Sacramenti transeuntis, quale esset illud, assignatur materia & forma: sed nec materia, nec forma excogitari potest illius sumptionis: ergo. Deinde non est promissa gratia illi sumptioni, sed cibo sumpto: unde sicut non nutrit corporaliter manducatio, sed cibus sumptus, ita nec spiritualiter nutrit sumptio corporis Christi, sed ipsum corpus.

Prob. 3. Pars, quia instituta est Eucharistia per modum cibi & potus: sed sumptio non integrat cibum & potum: ergo nec Eucharistiam: & ideò dicendum est tantùm esse conditionem illius applicativam, seu sine qua Eucharistia non nutriret spiritualiter. Ex quo sequitur, Eucharistiam miraculosè in stomachum introductam sine manducatione, non fore collativam gratiæ; nisi Deus, qui virtutem suam non alligavit Sacramentis, aliter disponeret: sicut credibile est, disposuisse cum D. Bonaventura, quem à communione impediebat vomitus; quando posito, ut fertur, super ejus latus Ciborio, intromissa est divinitùs Hostia.

CONCLUSIO V.

Restat, ut Eucharistiæ essentia consistat in re permanenti. Est de fide in Trident. sess. 13 can 4.

Conclusio patet ex dictis: nam si hoc Sacramentum non consistat in aliquo transeunte, ut sunt verba consecrationis, actio conversiva, sumptio; superest, ut sit aliquid stabile, & permanens, qualecumque illud sit.

Dices: Sacramenta pendent à Christi institutione: sed Christus instituendo Eucharistiam, jussit quidem accipi, frangi, distribui, manducari, non tamen asservari, gestari, exponi, adorari: ergo ubi asservatur, desinit Sacramentum, & consequenter non est quid permanens.

Resp. Licèt non jusserit expressè asservari, jussit tamen implicitè, cùm voluit, ut ministraretur fidelibus, ac præsertim moribundis, qui (nisi hostiæ consecratæ servarentur) sæpè discederent absque salutari illo Viatico ob casus inopinatos. Prætereà, esto non jusserit, non tamen prohibuit, sed prudenti Ecclesiæ suæ dispositioni reliquit.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit res illa permanens, in qua consistit Eucharistia?

Volunt aliqui esse solùm Christi corpus & Sanguinem; alii solas species, alii utrumque. Sed ante resolutionem

Adverte 1. Hic tria esse distinguenda cum Innocentio *III.* cap. *Cum Marthæ* de Celebrat. Missar. nempè Sacramentum tantùm, rem Sacramenti tantùm, & utrumque simul. Sacramentum tantùm est, quod aliud significat, & non significatur ab alio, ut species, quæ licèt gratiam subsistentem & accidentalem significent, à nullo tamen significantur. Res Sacramenti est, quæ significatur, & non significat, ut gratia sanctificans. Utrumque simul, quod significat & significatur, ut Christi corpus significatum à speciebus, & significans gratiam habitualem.

Adverte 2. Eucharistiam posse considerari, vel quatenus est signum gratiæ subsistentis, seu corporis & Sanguinis Christi, vel quatenus est signum gratiæ sanctificantis. Hoc patet ex Notabili 1.

CONCLUSIO I.

Eucharistia, prout est signum gratiæ substantialis, seu subsistentis, adæquatè consistit in solis speciebus. Ita Scotus 4 dist 8 q. 1. n 8. estque communis & certa.

Prob. 1. Ex Trid. Sess. 13. can. 1. ubi dicit Corpus & Sanguinem Christi realiter contineri in Sacramento Eucharistiæ: atqui Corpus & Sanguis non dicuntur contineri in seipsis: ergo in speciebus; & consequenter species sunt Sacramentum Eucharistiæ sic sumptæ: unde Patres tam Græci, quàm Latini Eucharistiam appellant Sacramentum Corporis Christi. Quibus conformis est Catechismus Rom. Tit. de Euchar. num 8. ubi dicit species panis & vini veram & absolutam Sacramenti rationem habere, alia autem minus propriè.

Prob. 2.

Prob. 2. In Eucharistia duo reperiuntur permanentia, nempè species & Corpus Christi cum Sanguine: sed Corpus Christi non est signum Corporis Christi: ergo species sunt signum seu Sacramentum, corpus verò & Sanguis significatum.

Prob. 3. Frangitur Eucharistiæ Sacramentum, juxta illud: *Fracto demum Sacramento:* atqui non frangitur Corpus Christi, cùm maneat integrum in singulis partibus: ergo franguntur solæ species, adeòque illæ solæ sunt Sacramentum.

Dices 1. Consecratio efficit Eucharistiam: sed non efficit species: ergo

Resp. Dist. Min. Non efficit species secundùm esse physicum: C. secundùm esse sacramentale, ratione cujus ex continentibus substantiam panis, redduntur continentes Corpus Christi: N.

Dices 2. Trident. sess 13. cap. 5. definit, adorationem deberi Eucharistiæ Sacramento: sed adoratio non debetur solis speciebus: ergo.

R. Dist. Maj. Definit deberi Sacramento nudè sumpto: N. Sacramento prout importanti suum significatum: C. undè non vult Concilium, nec volumus nos, adorari posse species ratione sui præcisè, saltem cultu latriæ absoluto sed quatenus sumuntur per modum unius cum suo significato, ita tamen, ut res primò adorata sit Christus.

Dixi *Saltem cultu latriæ absoluto*, quia volunt aliqui speciebus, ut à corpore condistinctis, deberi cultum Hyperduliæ, alii cultum latriæ, sed respectivum, sed quidquid sit, non expedit in praxi, ut sine contento adorentur aut colantur, propter erroris periculum.

Dices 3. Sacramenta causant gratiam, quam significant, sed species non causant corpus Christi, quod significant: ergo non sunt Eucharistia.

R. Species continuo causare corpus Christi non physice, sed moraliter, quatenus Deus illud ponit & conservat sub speciebus dependenter ab illis, ut antea diximus.

Dices 4. Justinus Martyr Apolog ad Antonium vocat Eucharistiam *Carnem & Sanguinem Incarnati*. Irenæus lib 4. c. 34. *Carnem Filii Dei*. Ambrosius lib. de iis, qui initiantur c. 9. *Corpus Christi:* ergo in speciebus, sed in Christi corpore & Sanguine consistit Eucharistia.

R. Sanctos PP. si agant de Eucharistia, prout est signum gratiæ subsistentis, uti Metonimia, seu sumere significatum pro signo, sed credibilius est, agere de illa, ut est signum gratiæ sanctificantis, respectu cujus Christi corpus est Sacramentum, saltem partiale, ut jam dicemus.

CONCLUSIO II.

Eucharistia, prout est signum gratiæ sanctificantis, consistit essentialiter in Christi corpore & speciebus, ita ut sic sumpta definiri possit *Christi corpus contentum sub speciebus* vel *species continentes Christi corpus*. Conclusio sub his terminis est communissima, quia constituentes in solis speciebus Eucharistiæ essentiam, fere omnes loquuntur de illa, ut est signum gratiæ subsistentis, si bene inspiciantur eorum fundamenta.

Prob. 1. de corpore, ex PP. obj. ult. Concl. 1. relatis, qui vel dicendi sunt loqui impropriè, vel admittere Christi corpus esse Eucharistiæ Sacramentum, nempè cum speciebus. Unde Hugo Vict. lib 2. de Sac. §. 8. c. 7. docet *Speciem quidem visibilem Sacramentum esse veri corporis & veri Sanguinis, corpus autem & Sanguinem Sacramentum esse gratiæ spiritualis*. Quid pro nostra sententia expressius?

Prob. Ex cap *cum Marthæ*, de celebr. Miss. ubi Innocentius III. exponens expressè, distinctè, & ex professo signum & significatum hujus Sacramenti, dicit, Christi corpus esse rem Sacramenti, nempè respectu specierum & Sacramentum respectu gratiæ.

Nec replices, Pontificem tantum velle Christi corpus esse Sacramentum impropriè, seu signum gratiæ speculativum, non practicum: quia si Summus Pontifex tractans rem aliquam ex professo, dicatur loqui impropriè, quis dicendus erit loqui propriè: Deinde eodem modo dicit, corpus esse Sacramentum gratiæ, sicut dicit, species Sacramentum esse corporis: sed hæ, fatentibus Adversariis, sunt Christi corporis signum proprium & practicum, modo antea explicato: ergo.

Prob. 3. Authoritate DD. Angelici & Subtilis: quorum primus 4 d. 8. q. 1. art. 1. ad 2. asserit ex speciebus & corpore Christi fieri unum Sacramentum. Secundus autem in Reportatis, 4. d. 8. q 1. num. 9. sic loquitur: *Dignè se præparans ad susceptionem Eucharistiæ recepit gratiam accidentalem*, ETIAM AB ILLA GRATIA ESSENTIALI: ergo apertissimè supponit gratiam essentialem, seu Christi corpus esse etiam Sacramentum respectu gratiæ: undè cum in solis speciebus videtur reponere totam essentiam Eucharistiæ, loquitur de illa, ut est Sacramentum gratiæ subsistentis, ut satis declarant probationes.

Prob 4. Species Eucharisticæ causant moraliter gratiam sanctificantem, non ratione sui præcisè, ut fatentur Adversarii, sed ratione Christi corporis sub ipsis contenti: ergo à fortiori illam causat Christi corpus, quia propter quod unumquodque est tale, & illud magis. Et certè mirum esset, quod Deus potius voluisset moveri à speciebus ad conferendam gratiam, quàm à Christi corpore.

Prob. 5. *Caro mea verè est cibus*, inquit Christus Joan. 6. Quomodo autem est animæ cibus, si nullum animæ de se conferat alimentum, nempè gratiam?

Prob. 6 Illud est essentiale alicui, quod de eo prædicatur in recto, aliàs non esse identitas prædicati cum subjecto: sed de Eucharistia prædicatur Christi corpus in recto, cum sano sensu dicatur, Eucharistia est Christi corpus & Sanguis sub speciebus panis & vini, ergo.

Prob. De speciebus, quia de essentia Saeramenti est esse sensibile: sed Eucharistia redditur sensibilis per species ergo hæ, sicut illud, sunt de essentia Eucharistiæ.

Obj. 1. Idem non potest esse signum & significatum, sed Christi corpus est significatum, ergo.

R. Dist. Maj. Idem non potest esse signum & significatum respectu ejusdem, C. respectu diversorum, N. Christi corpus autem est quidem significatum respectu specierum, sed signum respectu gratiæ sanctificantis

Obj. 2. Saeramentum debet esse sensibile, sed Christi corpus in Eucharistia non est sensibile, ergo.

R. Dist. Ma. Debet esse sensibile vel per se, vel per aliud C. necessario per se, N.

Inst. Eo modo est aliquid Saeramentum, quo est sensibile, ergo si sit tantùm sensibile per aliud, adeoque extrinsecè, tantum erit extrinsecè Sacramentum, seu denominativè.

R. N. Ant. Quia contrarium patet in Matrimonio, ubi consensus est verè de essentia illius Sacramenti, licèt sit tantùm sensibilis per verba aut nutus. Et idem est de contritione in doctrina Thomistarum: unde ad veram & intrinsecam rationem Sacramenti sufficit sensibilitas, sive sit intrinseca, sive extrinseca, modò vel ex natura rei, vel ex institutione reddat aliud sensibile.

Obj 3. Trid. Sess. 21. cap. 1. ubi legitur: *Christus Dominus in ultima cœna Venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit:* ergo censet solas species esse illius constitutivas.

R. Nihil indè posse colligi pro essentia hujus Sacramenti, quandoquidem non sit ibi intentum Tridentini, Eucharistiæ essentiam exponere; sed præcisè ostendere, ut evidenter patet ex contextu, Christum non instituisse Eucharistiam sub sola specie panis, sed sub speciebus panis & vini, abstrahendo, an sint tota essentia, imò an sint de essentia hujus Sacramenti: sicut si diceret: Christus instituit Confirmationem in oleo & balsamo, volendo ostendere non instituisse in solo oleo: unde sicut illo casu malè colligeretur tantùm oleum & balsamum esse de essentia confirmationis, cùm nequidem in rigore sint de illius essentia, utpotè tantùm materia remota, ita & solas species esse de essentia Eucharistiæ.

Obj. 4. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem: sed species consecratæ sunt Sacramentum novæ legis: ergo ipsæ, & non Christi corpus, conferunt gratiam suscipienti.

R. D. Min. Sunt Sacramentum novæ legis, partiale: C. totale: Subdist. respectu corporis Christi: C. respectu gratiæ sanctificantis: N. quia respectu hujus non habent esse Sacramentum; nisi cum Christi corpore.

QUÆSTIO V.

An Eucharistia sit unum Sacramentum vel plura.

Orta est hæc difficultas ex pluralitate specierum: alia enim est hic species panis, alia vini, sed ut breviter expediamus hanc quæstionem de nomine, circa quam multi multa inutiliter congerunt, ad ejus decisionem sit

CONCLUSIO I.

Eucharistia materialiter, seu physicè spectata, non est unum, sed duplex specie Sacramentum.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 21. cap. 3. ubi docet sub una tantum

specie

specie sumi verum Saeramentum: atqui species panis & vini specie differunt: ergo qui sumit utramque speciem, sumit duplex specie Saeramentum.

Dices: Quamvis signa specie differant, non tamen significata, cùm utrobique significetur Christus, qui ponitur integer sub utraque specie.

Resp. Non esse necesse ad diversitatem specificam Sacramentorum diversitatem specificam significatorum saltem principalium: nam Baptismus, Confirmatio &c. habent pro suo significato principali eandem speciem gratiam habitualem & tamen specie differunt. Sufficit ergo ad diversitatem Sacramentorum, si idem specie significatum diversimodè significetur. Jam autem species panis significant Eucharistiam per modum cibi, species verò vini per modum potus: sicque cùm cibus & potus specie differant, & illa similiter differunt. Adde *vi verborum* poni sub speciebus panis corpus, non sanguinem, sub speciebus vini sanguinem, non corpus. Item aliam esse materiam & formam transeuntem corporis, aliam Sanguinis.

Prob. 2. Alia est definitio Eucharistiæ sub specie panis, & alia ejusdem sub specie vini: atqui ubi diversitas definitionis, ibi diversitas specifica definiti; ergo. Unde Ecclesia in suis Collectis vocat Eucharistiam sub utraque specie *Sacramenta*, & D. Thomas q. 73. art. 2. ad 1. *Hoc Sacramentum*, inquit, *est quodammodo multa*; quia tamen subdit: *Simpliciter tamen unum*; ideò sit

CONCLUSIO II.

EUcharistia moraliter spectata est simpliciter unum specie infima Saeramentum, sicut est unum specie infima convivium. Est communis inter DD. quibus adstipulatur Scotus dist. 8. q. 1. n. 4. dicens esse unum *unitate integritatis*, *non indivisibilitatis*.

Prob. 1. Ex Trid. Sess. 21. cap. 3. ubi Eucharistiam sub utraque specie vocat *Sacramentum*, non *Sacramenta*. *Hoc Sacramentum*, inquit, *in duabus speciebus instituit*. Quod confirmat Catechismus Rom. 2. p. 2. cap. 4. q. 10. ubi ait; *Licèt duo sint elementa, panis scilicet & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta &c.*

Prob. 2. Hoc Sacramentum institutum est per modum convivii spiritualis ad spiritualem animarum refectionem: ergo sicut cibus & potus materiales integrant unum convivium corporale, ita hic cibus & potus spirituales, unum convivium spirituale: & sicut cibus sine potu, aut potus sine cibo non dicitur completum convivium; ita nec sumptio unius speciei sine altera, dicitur integrum Sacramentum integritate significationis. Dico *integritate significationis*; quia certum est ex Trident. sup. esse integrum integritate rei contentæ, cum sub qualibet specie recipiatur totus & integer Christus; & ideò, ut fusiùs postea dicemus, non fraudantur fideles ulla gratia, sive subsistente, sive inhærente, cùm sub sola specie panis communicant: unde & Sacerdores & laici recipiunt integrum convivium, integramque animæ refectionem, sed illi expressius significatam.

Dices 1. Ibi sunt duo specie signa, ubi sunt duo significata: sed hic duplex est specie significatum, nempè Christi corpus sub speciebus panis, & ejusdem Sanguis sub speciebus vini: ergo.

Resp. Dist. Ma. Ubi sunt duo specie significata ultimata: C. non ultimata, sed ordinata ad unicum ultimatum: N. Sic licè in aliqua mensa sint omnis generis fercula, imò & pocula, quia ordinantur ad unicam corporis refectionem, dicuntur unum convivium; ita & proportionatè in nostro casu.

Dices 2. Dum asservantur species panis in Ciborio, asservatur integrum Eucharistiæ Sacramentum: ergo signum est non integrari ex speciebus panis & vini simul.

Resp. Dist. Ant. Asservatur integrum in ratione rei contentæ: C. in ratione signi: N.

Inst. Sacramenta significant, quod continent: sed species panis continent totum Christum: ergo totum significant; adeoque sunt Sacramentum integrum in ratione signi.

Resp. Dist. Mag. Significant directè vel indirectè, quod continent: C. semper directè: N. nam species panis directè tantùm significant Christi corpus, & indirectè seu concomitanter ejus sanguinem. Pro Conclus. seq.

Adverte Eucharistiam considerari posse dupliciter, primò in esse permanenti, seu quatenus est præcisè in ordinario continente, abstrahendo an sit sumenda, necne. Secundò in ratione edulii spiritualis, seu quatenus actualiter sumitur. Hoc notato

CONCLUSIO III.

TOt sunt numero Sacramenta Eucharistiæ in esse permanenti, quot sunt species consecratæ, tot verò in ratione edulii spiritualis, quot sunt moraliter refectiones.

Prob 1. pars; quia Eucharistia in esse permanenti jam explicato consistit in solis speciebus, ut satis deducitur ex dictis: ergo, multiplicatis numero speciebus consecratis, multiplicantur Eucharistiæ. Deinde quælibet species consecrata seorsum sumpta est Sacramentum (quis enim neget aliud esse numero Sacramentum, Hostiam consecratam, Insulis existentem & aliud Hostiam consecratam, existentem Jerosolymis?) ergo & quælibet cum aliis conjuncta; cùm per conjunctionem non desinat Sacramentum, utpotè non desinens esse signum corporis Christi.

Dices 1. Pluralitas signorum sumitur à pluralitate significatorum: sed omnes species consecratæ habent idem significatum, nempè Christi corpus: ergo.

Resp. Neg. Ma. Saltem universaliter loquendo, sed sumitur à pluralitate significationum. Nam 5. Labra rubra apposita ad eandem tabernam, sunt, & dicuntur quinque signa, licèt unicum habeant significatum, nempè vinum venale; quia nempè quodlibet habet suam significationem ab altera independentem, cum per desitionem alterius, non desinat significare. Idem applica in nostro casu.

Dices 2. Ex nostra sententia sequitur, posse fieri centum nova Sacramenta sine consecratione, si nempè una Hostia in centum partes dividatur.

Resp. Neg. Sequel. Quia tot erant Sacramenta ante divisionem ac post, sed quia dicebantur ordinem ad unum totale, dicebantur unum, à quo separata dicuntur centum.

Dices 3. Cap. 53. de Consecr. Dist. 2. legitur; *Sicut, quod ubique offertur, unum est corpus, ita & unum Sacrificium*: ergo & unum Sacramentum; cùm sit par ratio.

Resp. Dici unum sacrificium ratione unius offerentis principalis, ac unius rei oblatæ, non tamen ratione ritus seu oblationis, alias omnes Sacerdotes facerent eandem numero oblationem, quod nemo dixerit.

Prob. 2. pars; quia loquendum hic de Eucharistia in ratione edulii spiritualis, sicut de edulio corporali: sed hoc numero multiplicatur, ubi multiplicantur refectiones, alias non: ergo & illud. Prob. Min. quia si quis ex eodem pane bis aut ter reficiatur, dicetur duo aut tria numero sumpsisse edulia; si autem duos aut tres panes in eadem refectione manducet, & nihil aliud, dicetur moraliter unum numero sumpsisse edulium. Ita similiter; si quis simul comedat centum Hostias consecratas, dicetur unicum sumpsisse Eucharistiæ Sacramentum; dicetur autem sumpsisse centum Saeramenta, si ex eadem Hostia divisa centum vicibus reficiatur.

Confirm. Quia non prohibet Ecclesia, ut quis eodem die sumat centum hostias, si simul & semel moraliter illas sumat, ut patet in purificante ciborium, in quo sunt aliquando mille particulæ; prohibet autem, ut eodem die sed diverso tempore sumat duas particulas ejusdem Hostiæ: sed nulla alia afferri potest ratio, nisi quia in primo casu est unicum Sacramentum, quia unica refectio, & in secundo duplex, quia duplex refectio: ergo.

Dices: Eucharistia est constituta in suo esse specifico & individuali, antequam sumatur: ergo malè petitur ejus unitas aut pluralitas numerica ab una, aut à pluribus refectionibus.

Resp. Dist. Ant. Est constituta in suo esse individuali physico, antequam sumatur: C. in suo esse individuali morali: N.

QUÆSTIO VI.

Quandonam instituta fuerit Eucharistia.

NUllus Catholicorum, sive Græcus sive Latinus inficiatur, institutam fuisse Eucharistiam in ultima cœna, sed quo die celebrata fuerit hæc cœna, magna est inter Græcos & Latinos controversia: His docentibus factam esse 14. Lunæ Martialis sub vesperam secundam; Illis 13. Græcis autem favent aliqui Latini Interpretes, ut Stella, Oleaster &c. sed non eodem ac Græci innixi fundamento: Horum fundamentum est, quia putant anticipasse Christum uno die esum Agni Paschalis, seu comedisse Luna 13. quod secundum legem fieri debebat Luna 14. Illorum autem, quia opinantur Luna 13. ad vesperam secundam, incepisse primas vesperas Lunæ 14. & sic tunc potuisse Christum comedere Agnum sine legis anticipatione. Sed ad horum & illorum refutationem, ac majorem dicendorum posteà intelligentiam

Adver-

Adverte 1. Festum Paschatis, in quo Agnum comedebant Judæi in memoriam liberationis à servitute Ægyptiaca, unicam habuisse vesperam; adeoque non incepisse Luna 13. nam expresse legitur Exo. 12. debuisse Judæos comedere Agnum in ea vespera, in qua comedendi erant Azimi, adeòque tantùm in fine diei 14. in qua incipiebant primæ vesperæ Festi Azimorum, celebrandi 15. in recordationem ejus, quod tam festinanter fuerint ex Ægypto egressi, ut, cùm non suppeteret tempus ad fermentandum panem, coxerint azimos. *Immolabitque eum* (Agnum) *universa multitudo filiorum Israel ad vesperam .... Et edent carnes nocte illa*, idest, vespera illa, *& azimos panes*. Quid clarius? Et inde

Adverte 2. Licèt plurimæ & ferè omnes festivitates apud Judæos haberent duas Vesperas, ut patet ex Levit. 23. *à Vespera usque ad Vesperam celebrabitis Sabbatha vestra*; non tamen festivitas Paschalis. Porrò festivitates illæ cum duabus Vesperis, vocabantur dies *legales*, ad distinctionem *diei naturalis*, quæ computatur apud nos à media nocte, ad mediam noctem, & olim apud Judæos ab ortu solis ad ortum solis diei sequentis; & *Diei artificialis*, quæ durat tum apud nos, tum apud Judæos eo præcisè tempore, quo sol in horizonte nostro moratur.

Adverte 3. Primum Mensem apud Judæos (qui annos suos computabant per Menses Lunares) fuisse illum, cujus Luna 14. immediatius sequebatur Veris Æquinoctium, quem ipsi vocabant *Nizan*, nos autem Lunam Martii. In hujus ergo primi Mensis 14. ad Vesperam comedendus erat Agnus Paschalis, & in eadem Vespera, quæ erat prima Festi Azimorum, necessariò comedendi erant Azimi; ita ut ab illo tempore usque ad 21. inclusivè, idest, septem diebus continuis (quorum primus & ultimus erant festivi) non esset usus fermentati in toto Israel, His positis

CONCLUSIO UNICA.

CHristus celebravit cœnam ultimam (quæ fuit Agni Paschalis) adeoque & Eucharistiæ institutionem die 14. Lunæ ad vesperam, quæ erat 1. Vespera diei 15. seu festivitatis Azimorum. Ita communiter Latini contra Græcos.

Prob. 1. Ex Script. Marc. 14. *Primo die Azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: quo vis eamus & paremus tibi, ut manduces Pascha?* Idem habent Lucas c. 22. & Matt. 26. ergo necdum Christus tunc manducaverat Pascha; vel bis comedisse asseras necesse est cùm subdant præfati Euangelistæ, posteà sub Vesperam comedisse. Subsumo: atqui primus die Azimorum non erat dies 13. sed 15. aut 14. sub finem, ut patet Exo. 12. ergo.

Prob. 2. Ex Patre Græco (Latinos enim in hoc non recipiunt Græci) Theophilacto in c. 22. Luc. ubi ait: *Diem Azimorum nominat Feriam V. in cujus Vespera Pascha immolaturi erant*. Quid expressius?

Prob. 3. Quia non est credibile Christum, qui non venerat legem solvere, sed adimplere, famosum illud Paschatis præceptum violasse celebrando die 13. quod erat celebrandum 14. & certè si tempus anticipasset, ipsi hoc objecissent Judæi, qui etiam falsis testibus usi sunt ad ejus condemnationem.

Prob. 4. Quia nulla fuit Christo causa anticipationis. Scio Græcos prævisionem mortis (quæ secundùm ipsos accidit 14. sed secundùm nos 15.) allegare; sed etiam scio rationem illam nullius esse momenti. Nam primò licèt statuisset legem ad mortem usque servare, non tamen præcepta solùm post mortem urgentia prævenire. Secundò quia ex anticipatione potiùs fuissent scandalizati populi, quàm ædificati. Tertiò. Si voluit tempus quoad esum Agni Paschalis prævenire, quidni similiter quoad esum Azimorum, illos 7. diebus ante mortem comedendo, cùm sit par ratio? si id etiam fecisse concedas, etiam in Azimo consecrasse concede: quod tamen negas.

Prob. 5. Si Christus cœnam Paschalem celebrasset 13. cur illo Argumento non fuissent usi Patres, saltem Græci contra Quartadecimanos, seu Paschatitas, qui volebant semper celebrandum esse Pascha 14. sive interim fuisset dies Dominica, sive non, eo quòd, ut ajebant, Christus Judæos imitatus, illo die celebrasset: cur, inquam, non reposuisset ipsos non celebrasse 14. sed 13.

Obj. 1. Joan. 13. dicitur cœnasse cum Discipulis *Ante diem Festum Paschæ*: ergo ante Lunam 14. cùm 14. ad Vesperam inciperet Solemnitas Paschæ.

R. Ibi per diem non intelligi legalem, seu cæremonialem, qui incipiebat à primis Vesperis, sed artificialem, qui incipiebat ab ortu solis: sicut usitatum est apud nos, ut dicatur fieri ante diem Festum Paschæ, quod fit pridie, etiam post primas Vesperas Paschatis: & ideò non dixit Euangelista; *Ante Festum Paschæ*, quod incipiebat 14. hora 7. vespertina, ut docet noster Lyranus, *sed Ante diem Festum Paschæ*: qui incipiebat 15. dicebaturque Pascha, ab Agno Paschali pridiè vespere immolato.

Obj. 2. Die, qua crucifixus est Christus, Judæi noluerunt ingredi prætorium, ne contaminati impedirentur comedere Pascha, ut legitur Joan. 18. ergo necdum manducaverant, & consequenter Christus uno die anticipaverat.

Resp. Dist. Ant. Ne impedirentur comedere Pascha sumptum pro Agno Paschali: N. sumptum pro Azymis, qui 7. diebus Paschalibus comedebantur, quos sumere debebant mundi; vel etiam pro victimis ovium & bovum, qui illo tempore immolabantur, ut patet Deuter. 16 Con. Hoc modo sumit hic Pascha Augustinus q. 24. in Deuter. modo autem priori Innocentius III. lib. 4. de Sac. Miss. c. 4. unde non sunt audiendi illi, qui, ut solvant locum Joannis, dicunt populum manducasse Agnum Paschalem Luna 14. Sacerdotes vero, Levitas & Seniores 15. ob dissidium circa diem Paschatis; cùm hoc gratis & sine fundamento dicatur. Nec à fortiori audiendi sunt alii volentes transtulisse Judæos illo anno diem Azimorum in Sabbathum, seu in diem 16. ne haberent duas solemnitates contiguas, quia tunc omninò falsum esset dictum Euangelistarum, nempè Christum comedisse Agnum Paschalem primo die Azimorum.

Obj. 3. Si Christus sumpsisset cœnam ultimam Luna 14. idest, feria V. mortuus fuisset Feria VI. & sic non potuisset resurgere die Dominica, vel certè non fuisset 3. diebus, & 3. noctibus in corde terræ, ut prædixerat Scriptura.

R. Hujus difficultatis solutionem datam esse ad calcem Tomi de Incarnatione, in Appendice de vita Christi, ubi de ejus Resurrectione. Illuc recurre.

Obj. 4. Joannes c. 19. vocat diem Passionis Parasceven Paschæ, idest, præparationem seu vigiliam Paschæ: ergo Christus passus est Luna 14 & consequenter cœna instituit 13. cum Pascha incideret in Lunam 15.

R. D. Assumpt. Vocat *Parasceven Paschæ*, qui erat dies præparatoria ad ipsum Pascha: N quia festa non habebant præparationem illam, cùm liceret ipsismet festis cibos parare, quod non licebat in Sabbatis. Quia erat dies præparatoria ad Sabbathum, quod immediatè subsequebatur diem Paschatis: C. unde locutio Joannis est intransitiva, seu vult dicere, quod eodem die erat Parasceve Sabbathi, & simul Pascha. Quod apertè explicat Marcus cap. 15. dicens: *Erat Parasceve, quod est ante Sabbathum*.

Obj. 3. Judæi meditantes Christi mortem dixerunt Matt. 26. *Non in die festo, ne fortè tumultus &c.* ergo non in festo Paschæ; sed die præcedenti ipsum occiderunt, sicque cœnam instituit Luna 13.

R. Vel eos sententiam mutasse occasione Christi capturæ, vel certè hanc vocem fuisse minoris partis, cui prævaluit altera, quia forte prævalebat invidia, odio, & furore in Christum.

Inst. 1. Non est credibile, voluisse Principes Sacerdotum violari diem festum, propter Christi condemnationem & crucifixionem.

Resp. Qui potuerunt innocentem condemnare, potuerunt Sabbatum violare sub falso quodam gloriæ Dei prætextu: vel certe, si Sacrilegos illos, & *sexcentarum legum conculcatores*, ut ait Chrysostomus Hom. 84. in Joan. cupis defendere, dic non fuisse illis prohibitum in die festo ad mortem condemnare.

Instabis 2. Quomodo potuerunt Sacerdotum Principes illo die occupari in procuranda Christi morte, cùm Solemnitas præsentiam eorum requireret in Templo?

R. Credibile esse, unam partem fuisse occupatam officiis Paschalibus, cum altera tam execrando incumberet Deicidio Imò Chrysostomus Hom. 85. in Matth. & Theophilactus in c. 15. ejusdem, asserunt ita fuisse in promovenda Christi crucifixione detentos, ut legem paschalem violaverint.

Inst. 3. Saltem Joseph erat vir justus, & tamen illo die mercatus est Syndonem; imò & piæ mulieres emerunt aromata.

Resp. Etsi prohiberentur diebus illis opera servilia, non tamen opera charitatis, ut vacare mortuorum sepulturæ, ac necessaria procurare. Deinde urgente Sabbatho, opus erat cujusdam necessitatis.

Obj. 6. Si Christus fuisset crucifixus. Primo die Azimorum, nempè die Veneris, Pentecostes illo anno incidisset in Sabbathum, cùm, relicto Primo die Azimorum, qui tunc inter dies quinquagesimales non numerabatur, Sabbathum fuisset dies quinquagesimus.

R. Dist. Assumpt. Pentecostes Judæorum: C. Pentecostes Christianorum, quo descendit Spiritus sanctus: N. Christiani enim ex tunc sumpserunt diem Resurrectionis pro die Paschatis, & ab ipso inclusivè inceperunt tempus quinquagesimale, quod absolvitur in Dominica exclusivè. Prætereà hæc objectio

objectio magis nocet, quam faveat Adversariis, cùm secundùm ipsos Pentecostes incidisset in diem Veneris quia nempè uno die ante passus fuisset Christus.

Advertendum hic, quòd licet gratis concederetur Christum manducasse Agnum Paschalem Luna 13. non habituros propterea Græcos intentum suum, nempè Christum consecrasse in fermentato: quod hic unice prætendunt, nam si Christus esum Agni Paschalis anticipavit, credibile est etiam anticipasse esum panis Azimi, qui simul inchoabat.

QUÆSTIO VII.

Seu quædam quæstiunculæ huc pertinentes.

PEtes 1. An Eucharistia fuerit instituta in cœna legali?

Adverte Christum pridie passionis suæ triplicem, ut volunt plurimi DD. adhibuisse cœnam, *Cæremonialem* unam, in qua comedebant Agnum Paschalem: *Ordinariam* alteram, in qua inferebantur cibi communes, saltem in iis Familiis, quibus non sufficiebat agnus anniculus: & tertiam. *Sacramentalem*, in qua sumpta est Eucharistia. In fine autem cœnæ legalis, seu cæremonialis lavit Apostolorum pedes. Hoc notato

Resp. Probabilius institutam fuisse Eucharistiam in cœna usuali, aut immediatè post illam.

Ratio est, quia Eucharistiam instituit, cœnantibus Discipulis, ut habetur Matth. 26. sed comestio Agni Paschalis nunquam, aut certè raró dicitur simpliciter cœna in Scriptura, sed bene *Phase*, *Pascha*, &c. ergo. Alii etiam adferunt alias probationes, sed omninò inefficaces, ut fatebuntur ipsimet, si attentè velint illas cum textu Euangelistarum comparare, & nc in probanda supponere.

Petes 2. An Christus Eucharistiam sumpserit, cùm illam instituit?

Resp. Affirm. cum DD. communiter, quorum magis fulcior authoritate, quam ratione: quod enim dicunt aliqui sumpsisse Eucharistiam, ut impleret omnia præcepta, etiam euangelica, ridiculum est, cùm necdum lex euangelica obligaret. Volunt quidem aliqui probare ex hoc Luc 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; sed nullo pacto ostendent per *Pascha*, ibi intelligi Eucharistiam. Efficacius probaretur ex Matt. 26. ubi postquam dixit Christus: *Hic est enim Sanguis meus*, subdit *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque &c.* per quod videtur insinuare se bibisse suum Sanguinem: quod & facit Mar. 14 sed quod dixit hic post consecrationem calicis, dicit apud Lucam ante consecrationem ejusdem, sed quidquid sit, suffragor his Doctoris Angelici Versibus,

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Petes 3. An Judas communicaverit cum aliis? Videtur negate S. Clemens lib. 5. Const. c. 15. ubi ait: *Cum autem tradidisset nobis antitypa mysteria pretiosi corporis & Sanguinis sui absente Juda, egressus est*, sed dici debet ly *absente Juda*, referri ad *egressus est*, & non ad *tradidisset*. Si autem etiam alii in contrarium citentur à Barradio, vel intelligendi sunt, quod Judas non communicaverit quoad fructum, quod sensu etiam dicimus Christianum non fecisse Pascha, qui indignè accessit ad Eucharistiam, vel ipsis opponendæ sunt authoritates & rationes sequentes; & ideò.

Resp. Affirm. 1. quia S. Lucas cap. 22. relata Eucharistiæ institutione, quam illico secuta est distributio, ut patet ex Matthæo & Marco, subdit: *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa*: & ne diceres, Christum distribuisse quidem aliis, & non Judæ, ait Marcus. *Biberunt ex eo omnes*. Ubi nullum excipit. Similiter obviat Joannes dicturis Judam ex tunc fuisse peccatorem publicum, adeoque communione privatum, cùm cap. 13. dicit: *Hoc autem nemo scivit discumbentium*. Unde soli Joanni Judæ consilium secretò aperuerat Christus V. 26. Judæ quidem de Proditore interroganti. *Nunquid ego sum Rabbi?* dixerat Christus, *Tu dixisti*, sed ut patet ex Joanne, non adverterunt alii.

Secundò Sententiam nostram confirmant SS. PP. Cyprianus Tract. de cœna Domini, ubi de Juda ait: *Ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, sceleratum os panis sanctificatus intravit; parricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens .... præceps cucurrit ad proditionem.* Augustinus in Ps. 10. *Christus .... tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam sicut & cæteris Apostolis traderet*. Idem habet alibi Hieronymus in hæc verba Marci: *Biberunt ex eo omnes*, sic ait: *& Judas bibit &c.* Bernard serm. de ultima cœna: *De uno pane consecrato Petrus & Judas accepit, bonus in vitam, pessimus in pœnam.* Quos sequitur D. Thomas in cap. 13. Joan. *Judas*, inquit, *cum aliis Discipulis corpus Christi accepit*; & ideò 3. p. q. 8. art. 2. solvit authoritates oppositas.

Dices: *Cum ergo accepisset ille Buccellam, exivit continuò*: sed buccella ibi non sumitur pro Eucharistia, ut definit Concilium Braccharense, & docet August. Tract. 62. in Joan. his verbis: *Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas corpus Christi accepit*, nempè quando sumpsit buccellam: ergo.

R. Concessa Maj. & Min. neg. conseq. quia Eucharistiam receperat Judas ante sumptionem Buccellæ, ut apertissimè declarat ipsemet August. ibid. *Intelligendum est enim, quòd suum omnibus distribuerit Dominus Sacramentum corporis & Sanguinis sui. Ubi & ipse Judas erat sicut S. Lucas evidentissimè narrat, ac deinde ventum est, ubi, secundum narrationem Joannis, apertissimè Dominus per Buccellam tinctam suum exprimit traditorem.*

QUÆSTIO VIII.

An Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem?

DIco *Necessitate medii*; quia de necessitate præcepti dicemus infra.

CONCLUSIO I.

EUcharistia non est parvulis necessaria necessitate medii ad salutem.

Prob. 1. Ex Trident. sess. 21. Can. 4. *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, Anathema sit*. Monet tamen cap. 4. non esse condemnandam Antiquitatem, si aliquando in certis locis Eucharistia parvulis ministrata est; quia potuerunt habere facti sui probabilem causam, ut ait ibid. Concludit tamen: *Certè eos nulla salutis necessitate id fecisse credendum est*.

Prob. 2. Qui moritur in gratia, salvatur: sed qui moritur post susceptum Baptismum, moritur in gratia: ergo salvatur, & consequenter non est necessaria ad parvulorum salutem Eucharistiæ perceptio.

CONCLUSIO II.

SUmptio Eucharistiæ nec in re, nec in voto, est Adultis necessaria necessitate medii ad salutem.

Prob. 1. pars; quia Eucharistia realiter suscepta non causat effectum ad salutem necessarium, quandoquidem gratiam primam supponat, quæ sufficit (modò conservetur) ad salutis consecutionem. Scio, posse quandoque conferre gratiam primam, nempè in casibus antea mentionatis, ubi de Sacramentorum effectu primario; sed hoc fit raro, per accidens, & quidem ex secundaria solùm institutione: quod non competit medio ad salutem per se necessario.

Prob. 2. pars; quia nullius rei votum absolutè necessarium est ad salutem, nisi & res illa sit similiter necessaria, sed Eucharistia non est absolutè ad salutem necessaria, ut diximus: ergo nec illius votum.

Confirm. Utraque pars; quia nullus Catholicorum dubitat, salvum fore adolescentulum, qui antequam mortaliter peccaverit, aut quidquam de Eucharistiæ percipiendæ obligatione audiverit, moritur sine Eucharistia realiter suscepta, aut saltem desiderata.

Dices 1. Hæc verba Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, important absolutam necessitatem Baptismi: ergo & hæc: *Nisi manducaveritis &c.* Absolutam necessitatem Eucharistiæ.

Hujus objectionis solutionem dedimus agentes de necessitate Baptismi. Illuc recurre. Hic tamen addo illorum diversitatem colligi ex subjecta materia quòd nempè ordinetur Baptismus ad tollendum peccatum, & conferendam animæ vitam, sine qua nullus potest salvari: Eucharistia verò ordinetur, non ad vitam conferendam, sed ad ejus augmentum, sine quo potest obtineri salus.

Dices 2. Augustinus variis locis asserit, non tantùm Adultos sed nequidem parvulos vitam habituros sine participatione corporis & Sanguinis Domini: ergo &c.

Resp. S. Doctorem non loqui de participatione corporis veri in Eucharistia, sed de participatione corporis mystici in Ecclesia, in quam intrant, ejusque membra efficiuntur per Baptismum: unde Cap. 131. de consecr. Dist. 4. legitur: *Nulli est ambigendum tunc unumquemque fidelem corporis, Sanguinisque Domini participem fieri, quando in Baptismate membrum*

brum

brum Christi efficitur; nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Hæc verba non sunt Augustini ad Bonifacium, ut ajunt plurimi, sed Bedæ in cap. 10. 1. ad Corinth. Similia objici solent ex Innocentio I. ad quæ etiam similem adhibe solutionem.

Dices 3. Olim infantibus baptizatis ministrabatur Eucharistia, ut patet ex variis Patribus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Ministrabatur, quia absolutè necessaria: N. patet ex Trident. sup. Quia collativa majoris gratiæ: Transeat. Sed nunc propter irreverentias, quæ inde possent subsequi, judicavit Ecclesia ab infantibus & pueris communicandis abstinendum esse. Quando autem Gelasius Papa scribit, nullum parvulum posse sine hoc Sacramento salutem consequi, intelligendus est quoad fructum, idest, incorporationem cum Christo.

DISPUTATIO II.

De Materia Eucharistiæ.

AGimus hic de materia remota, ex qua tanquam termino *à quo* efficitur hoc Sacramentum. Est autem duplex, una pro consecrando corpore, & altera pro consecrando Sanguine. Et de utraque hic agendum.

Porrò variæ circa Eucharistiæ materiam referuntur Hæreses à nostro Frassen Tract. 2. Disp. 1. Sect. 2.

Gnostici turpissimi humanum semen pro Eucharistiæ materia turpissimè statuerunt. Epiphanius lib. 1. Hæresum, Hæres. 26. n. 4.

Ophitæ (sic nominati à verbo Græco *Ophis*, idest, coluber) nolebant panem & vinum esse materiam Eucharistiæ, nisi prius lamberentur & involverentur à serpente, quem Christum esse fingebant, à quo sub forma serpentis deceptos esse primus parentes arbitrabantur. August. Hæres. 17.

Artotyritæ (à verbo *Artos*, idest panis & caseus) panem & caseum offerebant. Augustinus Hæres. 28.

Cataphrygæ (sic dicti, eo quòd Phrygiam incolerent) adhibebant sanguinem è corpore infantis anniculi punctionibus expressum, cui pro conficiendo pane, farinam admiscebant. Puerum inde mortuum, inquit Frasen, habebant pro Martyre; superstitem pro Magno Sacerdote. Augustinus Hæresi 26. quibus adjungit Pepusianos, Hæresi 27.

Aquarii (qui & Encratitæ, idest, à vino abstinentes) ne à Decio Christianos persequente ex specierum vini odore proderentur, teste Cypriano Epist. 63. solam aquam consecrabant. Quod & fecerunt *Manichæi* fingentes vinum esse à Deo malo.

Armeni quidam mixtionem aquæ rejiciebant à calice, ut insinuat Quini-Sexta Synodus Can. 32. quorum errorem renovavit Lutherus lib. 1. contra Regem Angliæ, vocans aquæ mixtionem *Merum figmentum humanum*.

Hæreticis adjungendi sunt quidam *Græci recentiores* docentes irritam esse consecrationem in pane Azymo.

QUÆSTIO I.

Quæ sit materia convertenda in Christi corpus?

CONCLUSIO I.

SOlus panis triticeus est materia præfata. Est communis contra Argent: & Gabrielem, volentes, ut sicut omne vinum est materia calicis, ita & panis ex omni frumento materia corporis. Nomine autem *frumenti*, ut docet Isidorus lib. 17. cap. 3. Etymol. veniunt omnia semina, quæ surgunt in aristas ut triticum, spelta, siligo, hordeum, far, &c. Item contra Paludanum, Cajetanum & Sotum, qui (excepto hordeo) adstipulantur prioribus.

Prob. 1. Ex Florent. in Decr. unionis, ubi legitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus*, non solùm necessitate præcepti, ut vult Cajetanus, sed etiam necessitate Sacramenti, aliàs similiter dicam aquam naturalem non esse materiam Baptismi necessariam, cùm non aliter asserat Concilium aquam naturalem esse materiam Baptismi, quàm panem triticeum materiam hujus Sacramenti. Deinde si hoc esset, nihil certi haberemus ex Florentino circa materias & formas Sacramentorum.

Prob. 2. Ex perpetua traditione & praxi utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ in solo triticeo consecrantis, ac per hoc nobis Christi voluntatem declarantis: unde Missale Rom. *Si panis non sit triticeus, non conficitur &c.*

Prob. 3. Ratione; quia secundùm usum communem loquendi, nomen & ratio panis soli triticeo tribuitur simpliciter & sine addito: de aliis enim dicitur, quòd sit *panis hordaceus, panis ex Avena, ex fabis, pisis*, &c. unde sicut aqua Rosacea, aut vitiginea non dicitur simpliciter *aqua*; ita nec ille simpliciter panis.

Obj. 1. Quodlibet vinum est materia calicis: ergo quilibet panis materia corporis.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quòd vina solùm differant accidentaliter, & de quolibet sive rubro, sive albo, sive Gallico, sive Hispanico, dicatur simpliciter: *Est vinum*; non sic autem omnes panes; cùm multi substantialiter differant ob substantialem granorum, ex quibus conficiuntur, diversitatem.

Obj 2. In multis locis panis communis non est triticeus, sed vel castaneus, vel hordacus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non est triticeus per se, & attento usu generali: N. per accidens & defectu tritici: C. sed Nego conseq. Ex dictis

Resol. 1. Invalidam esse consecrationem in pane confecto ex leguminibus v.g. ex lente, milio, fabis, pisis &c. Sicut & ex arborum fructibus, puta, nucibus, amygdalis, glandibus, castaneis, &c. Item ex radicibus, qualis conficitur in Insulis Americanis, dictus *Casave*; quia nullum confectum ex illis venit nomine panis triticei.

Resol 2. Licèt quilibet panis ex quolibet frumento coagulatus repræsentet spiritualem alimoniam, adeoque etiam panis ex hordeo, aut avena compositus; hoc tamen non sufficere ad valorem Eucharistiæ; quia voluit Christus, ut alimonia illa repræsentaretur in pane triticeo, non in alio.

Resol. 3. Sufficere panem confectum ex siligine, de qua Plinius relatus à Soto 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quia Siligo illa est optimum genus frumenti. Sed quid de Siligine nostra? Res est dubia. Refert quidem Amicus consultos à se Agricolas expertos respondisse nasci quandoque ex tritico: quod signum est, inquit, specificæ identitatis; quia *generans generat semper sibi simile in specie*; sed ut bene advertit Noster Coen, etiam lolium, ac alia diversæ speciei nascuntur ex tritico, quæ tamen nullus dixerit esse triticum: & ideò Axioma præfatum non est universaliter verum, præsertim ubi alia concurrunt ad productionem, ut hic terra, influentiæ cœlestes &c.

Resol. 4. Licèt magis ad tritici naturam accedat spelta, idem tamen de illa esse judicandum propter diversas diversorum opiniones. Imò Albertus 4. dist. 12. art. 7. refert habitam fuisse à Sede Apostolica pro quadam specie hordei. Et ideò

Resol 5. Nunquam licere in pane ea nostra siligine, aut ex spelta confecto consecrare; quia Sacramentum hoc nunquam videtur esse extremæ necessitatis, extra quam licèt in Sacramentorum confectione materiam dubiam adhibere. Vult quidem Gonet licere, ubi vel populus deberet privari Missa in Festo, vel moribundus decedere sine Viatico; sed salva ejus pace, dicam tunc præceptum Missæ, aut Viatici non obligare; cùm non sit credibile voluisse Deum, aut Ecclesiam, ut exponerentur Sacramenta periculo irreverentiæ & nullitatis, præcisè ut servarentur eorum præcepta, quod à fortiori patebit Concl. 1. quæst. 2.

Resol. 6. Panem confectum ex tritico & quibusdam granis alterius speciei in tam parva quantitate, ut moraliter censeatur panis triticeus, esse materiam sufficientem; quia cùm Sacramenta sint entia moralia, etiam eorum valor dependet à morali hominum æstimatione. In praxi tamen curandum est, ut panis sit ex tritico puro.

Resol. 7. Panem confectum ex amylo non esse consecrabilem; quia amylum differt, si non physicè, saltem moraliter; à tritico, sicut acetum à vino; cùm fiat ex tritico corrupto.

CONCLUSIO II.

PAnis triticeus, qui est materia Eucharistiæ, debet esse usualis, idest, debet esse ex aqua naturali & farina triticea coagulatus, & igne coctus.

Ratio est; quia panis pro consecratione debet esse talis, qualem consecravit Christus; sed Christus consecravit usualem, qui modo præfato conficitur: ergo. Hinc

Resol. 1. Si farinæ aut aquæ naturali misceatur mel, saccharum, lac, butyrum, aqua rosacea, aut alius similis liquor, tale compositum fore materiam invalidam, nisi certè unius aut alterius mixti quantitas esset ita parva, ut pro nulla haberetur moraliter.

Resol. 2. Perinde esse, sive panis coquatur in furno sive

,sub

ſub cinere, ſive ferro calido &c. modo tamen per modum aſſationis decoquatur: quod neceſſarium eſt, & ideò paſta in ſartagine frixa, vel ſole torrida, aut etiam cruda, non eſt materia conſecrationis; quia non eſt panis uſualis, licèt fortè non differat ab eo phyſicè.

QUÆSTIO II.

An panis debeat eſſe Azymus, an fermentatus?

CONCLUSIO I.

PAnis, ſive ſit azymus, ſive fermentatus, materia eſt conſecrationis valida. Ita omnes Catholici poſt definitionem Florentini iu Decreto unionis Armenorum, ubi legitur: *Item definimus in Azymo, ſive fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici.*

Prob. 1. Quia uterque venit uomine panis ſimpliciter, uterque uſualis eſt. *Fermentatus* quidem, cùm illo quotidiè utamur: *Azymus* verò; cùm, etſi illo non utamur communiter, quia non ita ſapidus, nihilominus quamdiu durabant Feſta Paſchalia, quo tempore conſecravit Chriſtus, ſolo Azymo utebantur Judæi.

Prob. 2. Specialiter contra Græcos recentiores invalidantes Latinorum conſecrationem, quia Chriſtus, inquiunt, non conſecravit in Azymo: Prob. inquam: Valida eſt conſecratio calicis ſecundùm ipſos, in quolibet vino ſive rubro, ſive albo, cùm tamen Chriſtus ſulùm conſecraverit in alterutro: ergo & valida eſt conſecratio panis alterutrius, ſive in fermentato conſecraverit Chriſtus, ſive in Azymo, cùm ſit par ratio.

Quamvis autem congruentior ſit conſecratio in azymo, utpotè candore, ſinceritatem, & veritatem denotante, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 5 *Epulemur in Azymis ſinceritatis & veritatis;* Fermentum autem ſæpè denotet malitiam & hypocriſim; ut Luc. 12. Nihilominus ſuas etiam habet congruentias panis fermentatus, nam primò utpotè ſuavior, hujus Sacramenti deſignat ſuavitatem Secundò Fermentum (ſic dictum à fervore) maximam Chriſti in hoc Sacramento commendat charitatem. Tertiò figurat unionem divinitatis cum humanitate. Unde non errant Græci qui ſic conſecrant, ſed quia Latinos aliter conſecrantes condemnant.

Petes, Undè orta ſit diverſitas illa inter Græcos & Latinos?

Reſp. Cum Gonet p. 231. ex Hæreſi Ebionitarum volentium ſervanda eſſe legalia cum Euangelio: quorum Hæreſim deteſtatura voluit Eccleſia univerſa, quæ à Chriſti tempore in ſolis azymis conſecraverat, ut aliquandiu in fermentato conſecraretur. Quem morem retinuerunt poſteà Græci; non Latini, qui, extinctis Ebionitis, azymum reſumpſerunt, ita præcipiente Alexandro I. ut legitur in ejus vita apud Platinam, inquit Amicus hac Diſp. 16. Sect. 2.

CONCLUSIO II.

NOn obſtante validitate panis azymi & fermentati pro conficienda Euchariſtia, peccat tamen graviter Græcus, ſi conſecret azymum in Græcia, ſicut & Latinus, ſi conſecret fermentatum in Latinoa.

Ratio eſt; quia nulli privato licèt laudabilem Eccleſiæ ſuæ ritum & conſuetudinem pro libitu mutare. Dubitavit quidem Scotus, an non peccaret Græcus conſecrans in fermentato, ſed ſcripſit ante Florentinum; cum res non erat ita apertè declarata.

Dixi: *Græcus in Græcia & Latinus in Latinia;* quia Latinus ſi peregrinetur per Græciam, aut Græcus per Latiniam, poteſt vel Eccleſiæ, in qua verſatur, ſe conformare, juxta tritum illud Proloquium. *Cum fueris Romæ, Romano vivito more &c.* vel etiam Eccleſiæ propriæ morem retinere, ita conſentiente & conveniente utraque Eccleſia: unde videmus Sacerdotes Græcos, apud Latinos divertentes, in fermentato conſecrare, nullo contradicente.

CONCLUSIO III.

GRæcus (idem eſt de Latino cum proportione habens domicilium apud Latinos) tenetur ſervare ritus Eccleſiæ Latinæ.

Ratio eſt; quia cùm illius Eccleſiæ factus ſit membrum & ſubditus permanens, debet illius legibus ſeſe conformare. Unde etſi in contrarium diſpenſaverit utraq; Eccleſia pro peregrinis, non tamen pro incolis Excipe tamen, niſi in loco domicilii foret Eccleſia aut Sacellum Græcis appropriatũ: tunc enim deberet ibi Eccleſiæ ſuæ ritus ſervare: quod & facere debet peregrinus.

Petes An liceat Græcis in azymo, aut Latinis in fermentato conſecrare; ut populus audiat Sacrum in Feſto, moribundus recipiat Viaticum, aut ne mutilum fiat Sacrificium?

Reſp. Non licere in primo caſu; quia præſumitur noluiſſe Eccleſiam ad ſua præcepta obligare, ubi ad illorum obſervationem fieri deberet in Sacramentorum Sacramento tam extraordinaria, tamque inuſitata mutatio; & ideò idem præſumitur de divino Viatici præcepto, cum non legatur Latinum aliquando Conſecraſſe in fermentato Viatici miniſtrandi cauſa. Deinde ſi ob caſum præfatum non poſſet non jejunus, veſtibus ſacris deſtitutus conſecrare, cur poſſet Latinus in fermentato? Cum jejunium, & veſtes ſacræ tantùm requirantur ex præcepto Eccleſiæ, ſicut Conſecratio in azymo apud Latinos.

Reſp. In tertio caſu non tantùm licere, ſed etiam obligationem eſſe, non quia integritas Sacrificii obligat jure divino, & circumſtantia panis tantùm jure Eccleſiaſtico, ut volunt alii; aliàs etiam liceret pro miniſtrando Viatico, ſaltem illi, qui necdum Euchariſtiam recepiſset, cùm hic certò teneatur ex præcepto divino; ſed quia integritas Sacrificii longè prævalet circumſtantiæ merè accidentali. Hic autem caſus poſſet accidere, ſi quis in pago conſecrata utraque ſpecie, animadverteret ſpeciem panis eſſe corruptam, nec poſſet azymus obtineri.

QUÆSTIO III.

Quænam ſit materia convertenda in Chriſti Sanguinem?

CONCLUSIO UNICA.

MAteria præfata, eſt ſolum vinum de vite. Eſt de Fide contra Aquarios, Mellearios, & Lactearios, quorum primi Aquam, ſecundi Mel, ultimi Lac pro materia calicis adhibebant.

Prob. Tum ex inſtitutione & facto Chriſti; tum ex perpetuo uſu & traditione Eccleſiæ; tum ex definitione Con. Florentini in Decreto, ubi dicitur, quòd materia remota calicis ſit *vinum de vite*. Hinc

Reſol. 1. Quodlibet vinum de vite, cujuſcumque patriæ, cujuſcumque valoris, cujuſcumque ſaporis, eſſe materiam ſufficientem conſecrationis. Ratio eſt; quia etſi fortè ſpecie inter ſe differant, quodlibet tamen eſt verum vinum de vite, ejuſque eſſentiam participat. Non facilè tamen eſt conſecrandum in his locis in vino Hiſpanico, propter mixtionem non raram aquæ mellitæ.

Reſol. 2. Hoc competere cuilibet vino particulari, non ex determinatione Eccleſiæ (nam determinet Eccleſia, non determinet; velit, nolit; præcipiat, prohibeat, equidem ſemper eſt validè conſecrabile) ſed mera Chriſti inſtitutione: ex quo habes palpabilem differentiam inter materiam Ordinis & calicis, quòd illius determinationem reliquerit Chriſtus Eccleſiæ, non hujus: & ſic evidentiſſimè patet materiam calicis fuiſſe à Chriſto determinatam quoad ſpeciem infimam, hoc ſenſu, quòd nulla alia requiratur determinatio, ſicut requiritur in Ordine; ſi tamen velis non dixiſſe: & vinum Hiſpanicum, & vinum Gallicum &c. eſt materia calicis, & ſic non determinaſſe quodlibet immediatè; damus manus: ſed eſt luſus verborum, de quo nec hic, nec eſt mihi quæſtio.

Reſol. 3. Quòd licèt panis partim ex hordeo, partim ex Avena, partim ex tritico coagulatus non ſit conſecrabilis, ſit tamen conſecrabile vinum mixtum ex albo, rubro, Italico, Hiſpanico, Gallico &c. Quia cùm quodlibet illorum ſit vinum de vite, cenſentur & tale vinum componere: aliud eſt granis præfatis, quæ cùm non ſint triticum, nec panem componunt triticeum.

Reſol. 4. Succum, qui ex pomis, piris, aut ſimilibus exprimitur, non eſſe materiam conſecrabilem; quia etſi aliquando ſpeciem vini referant, nunquam tamen vini habent ſubſtantiã.

Reſol. 5. Liquorem in uvis incluſum non eſſe materiam calicis; tum quia non dicitur vinum, ſed botrus, aut racemus, tum quia non eſt ſub forma potabili, ſed comeſtibili; tum quia non eſt deſignabilis per pronomen *Hoc:* nam ſicut oſtenſa Olea non poteſt dici: *hoc eſt oleum*, ita nec oſtenſa uva, *hoc eſt vinum*. Poſſunt quidem conſecrari hoſtiæ in pixide, & vinum in dolio; at nec hoſtiæ nec vinum ſunt partes illorum, ſed aliqua tota in ſuis continentibus ordinariis, propter quod, demonſtratis continentibus, demonſtrantur & contenta: vinum autem (ſi ita vocare liceat, cùm in rigore non ſit vinum formaliter ante expreſſionem) non eſt in uva, ut aliquod totum in ſuo continente, cùm ſit pars uvæ ſubtilior, nec dicitur eſſe in illa, niſi impropriè, & per locutionem intranſitivam.

Reſol.

Resol. 6. Vinum adustum, Acetum, sicut & Omphacium, gallicè *Du Verjus*, non esse materias consecrabiles; quia vel non substantialiter vinum, vel non reputantur moraliter tale. Dicit quidem Innocentius III. lib. 4. de Sacrificio Missæ: *Sive vinum acidum, quod appellatur acetum, in Sacrificium offeratur Sacramentum conficitur* sed per *Acetum* intelligit ibi vinum acescens; idest, adhuc retinens substantiam vini licèt brevi in acetum convertendi: quod patet ex eo quòd immediatè ante dixerat: *Vitium vini non maculat munditiam Sacramenti*: ergo supponit adhuc esse vinum.

Resol. 7. Etiam vinum ex quocumque liquore miraculosè productum esse materiam consecrationis, quia Florentinum requirens vinum de vite, non exclusit vinum miraculosum, dummodò esset substantialiter vinum (cùm certum sit fuisse consecrabiles panes miraculosè à Christo multiplicatos) sed omne illud, quod propter approximitatem cum vino, diceretur vinum & non esset.

Resol. 8. Mustum, idest, vinum recenter expressum esse materiam calicis validam, ut declaravit Innocentius sup. quia est verè vinum, imò pinguius; non est tamen licita ob sordes & fæces adjunctas.

Resol. 9. Probabilius non esse validè consecrabile vinum totaliter congelatum, aliud est si sit tantùm congelatum in superficie. Ratio est, quia secundum usum communem loquendi, primum dicitur simpliciter *glacies*, & secundum *vinum congelatum*. Idem patet in aqua, quæ, ubi congelatio superficialis est, dicitur *aqua congelata*, ubi totalis, dicitur absolutè *glacies*, ita ut de illa negetur aqua, & dicatur simpliciter, *non est aqua*, ubi tantùm reperitur glacies. Si dicas fieri aquam (idem est de vino) per solam resolutionem: Dicam ego pastam fieri panem per solam concoctionem: undè hic non attenditur distinctio physica, sed moralis. Videntur quidem supponere Rubricæ Missalis sub speciebus congelatis remanere Christum, adeoque posse primò poni sub illis, quia ubi sufficit materia ad retinendum sufficit ad recipiendum: sed certum agere de speciebus superficialiter congelatis, cùm nunquam auditum sit tempore semiquadruntis fuisse totaliter in calice congelatas. Sed esto loqueretur de vera glacie; consultò præcipiunt, ut liquefiant & sumantur, cùm sit dubium, an non sit ibi Christus propter oppositam opinionem. Deinde quidquid sit quoad speculationem, certum est in praxi nullo casu esse consecrandum tale vinum ob dubietatem materiæ.

Resol. Denique idem probabiliter esse dicendum de vino pani totaliter imbibito, quia etsi physicè maneat adhuc vinum, possitque inde exprimi, moraliter tamen censetur offa.

QUÆSTIO IV.

An sit necesse aquam vino consecrando misceri, & unde necessitas illa.

CONCLUSIO I.

Necesse est aquam vino consecrando misceri. Est contra Hæreticos modernos, qui suum errorem ex antiquis Armenis deprompserunt. Hi enim Eutichiana Hæresi infecti, ne viderentur admittere in Christo naturarum distinctionem, negarunt faciendam esse in calice vini & aquæ mixtionem: quos condemnavit Trullana seu 6. Synodus anno 692. Can. 32. ubi legitur: *Si quis ergo Episcopus vel Presbyter non secundùm traditum ab Apostolis ordinem, & aquam vino non miscens, sic immaculatum offert Sacrificium, deponatur.*

Prob. Tum ex praxi universalis Ecclesiæ, non solum Latinæ, sed etiam Græcæ modernæ, cum Arcudius Græcus de Græcis dicat lib. 3. de Eucharistia, *Præter vinum & aquam frigidam, quæ à principio Sacrificii in calice miscent.* Dico *frigidam*; quia ante communionem calici consecrato immittunt calidam, teste Balsamone R. 18. ad Quæst. Marci Patriarchæ Alexandrini. Tum ex Traditione ab Apostolis ad nos usque constanter descendente, ut ex Pontificibus, Conciliis, & Patribus tum Græcis, tum Latinis fusè probat Bellarminus. Hic unum ex singulis profero: Concilium Carthaginense tertium, cui adfuit Augustinus, sic habet Can. 24. *In Sacramento corporis & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum*: Cui præluxerat Alexander I. sextus à S. Petro Pontifex, Epist. ad omnes Orthodoxos: *Non debet, ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum.* Idem in terminis docet Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap 5. *Vinum cum aqua in calice mixtum, fit Sanguis consecratione verbi cœlesti.*

Hujus autem mixtionis congruentias profert Trid. Sess. 22. ubi legitur: *Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere ejus aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & cum aquæ in Apocalypsi Joannis populi dicuntur, ipsius populi fidelis cum Christo unio repræsentatur.*

Porrò non sufficit mixtionem illam factam esse à ministro; aut caupone, sed fieri debet ab ipso Sacerdote in Missa privata, aut à Subdiacono in Missa solemni, & quidem in ipso calice in ordine ad Sacrificium.

CONCLUSIO II.

Mixtio illa fieri debet non necessitate Sacramenti, sed præcepti solum Ecclesiastici. Est Doctorum Angelici Seraphici, Subtilis, & aliorum communiter.

Prob. 1. Pars, quia Concilia præscribentia ex professo materias & formas Sacramentorum, aliter loquuntur de aqua, aliter de vino: ergo supponunt aquam non esse eodem modo ad Sacramentum necessariam, sicut vinum. Prob. Ant. quia Florentinum non dicit aquam esse materiam calicis, aut mixtum ex aqua & vino, sicut dicit confectum ex oleo & Balsamo esse materiam Confirmationis, sed vinum, cui admisceri debet aqua. Tridentinum verò sup. docet mixtionem aquæ fieri debere ex præcepto Ecclesiastico.

Confirm. Ex Rubricis Missalis Tit. de defectibus c. 4. n. 8. ubi expresè dicitur non esse ponendam aquam post consecrationem, quando antea omissa est, quia non de necessitate Sacramenti.

Dices 2. Cyprianus Epist. ad Cæcilium docet, eodem modo requiri aquam ad consecrationem calicis sicut vinum: sed hoc requiritur ex necessitate Sacramenti: ergo & illa.

R. Dist. Maj. Docet eodem modo requiri ad significationem mysterii per eorum mixtionem repræsentati: C. ad validitatem Sacramenti: N. Hanc autem esse illius mentem patet ex his, quæ habet in eadem Epistola: *Si tantum vinum quis offerat*, inquit, *Sanguis Christi incipit esse sine nobis*, quasi diceret: erit quidem Sanguis, sed non significabit unionem nostri ad Christum.

Inst. *Calix Domini*, ut ait ibid. *non est aqua sola, aut vinum solùm, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit*, atqui farina & aqua sunt de necessitate Sacramenti corporis in fieri: ergo & vinum & aqua de necessitate Sanguinis.

R. Comparationem illam non fieri in ordine ad corpus Christi naturale, sed mysticum, quasi diceret, sicut non sufficit ad repræsentandam unionem membrorum cum capite, idest, fidelium cum Christo, sola farina, aut sola aqua, ita nec solum vinum aut sola aqua. Si plura velis, dic facere comparationem in ordine ad consecrationem licitam, non validam.

Dices 2. Cap. 7. de consecrat. Dist. 2. legitur: *Conjunctio non aquæ & vini sic misceeur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari.*

Resp. vere non posse separari, cum separans peccet mortaliter, licèt solum vinum offerens validè consecret.

Prob. 2. Pars, nempè quod mixtio illa sit tantùm juris Ecclesiastici, quia non Christus, sed Ecclesia illam præcepit: *Monet S. Synodus*, inquit Trid. sup. *præceptum esse ab Ecclesia* &c. Si autem esset præceptum divinum, certe illud non tacuisset, sicut non tacuit esse præceptum divinum peccatori injunctum præmittendæ confessionis ante Communionem. In lymphato quidem consecravit Christus; sed non omnia, quæ fecit, nobis ideò præcepit; aliàs cùm secundùm nos consecraverit in azymo, peccarent Græci consecrantes in fermentato: unde cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, præcepit omnia essentialia Sacramenti & Sacrificii, non tamen omnia accidentalia, cùm, ut fatentur omnes, non præceperit elevationem oculorum, quam tamen adhibuit.

Obj. 1. Cyprianum Epist. citata: *Id nos obaudire & facere oportet*, inquit, *quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit.*

R. Hoc esse verum; sed licèt Christus mixtionem illum fecerit, non tamen FACIENDAM ESSE MANDAVIT. Nolle autem Cyprianum omnia à Christo adhibita, etiam esse à nobis adhibenda, satis insinuat ibid. his verbis: *Non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus, nunquid ergo Sacrificium Dominicum post cœnam celebrare debemus.*

Obj. 2. Non legitur Traditionem illam ab Ecclesia originem habere: ergo supponendum à Christo descendere juxta Regulam Augustini lib. 2. de Bapt. cap. 7. unde Cyprianus

sup.

sup. de mixtione præfata sic loquitur: *Lex Euangelica*, & *Traditio Domini servetur*.

R. Dist. Ant. Non legitur originem habere, idest, non scimus præcisè tempus & personam, quo, & per quam id præceperit Ecclesia: C. idest, non potest ostendi esse ab Ecclesia, N. cùm enim Ecclesia sit Judex Traditionis, ipsiusque sit discernere: An aliqua sit divina aut Apostolica, seu Ecclesiastica, ubi Ecclesiasticam esse asserit, ut fecit in Tridentino, & Florentino, ipsi credendum est. Vocat autem illam Euangelicam & Dominicam Cyprianus, non quia est talis, sed quia occasionem accepit à Christo, id in ultima cœna practicante.

Obj. 3. Nihil movere potuit Ecclesiam, ut mixtionem illam præciperet: ergo vel est à Christo præcipiente, vel non est præcepta. Prob. Ant. Non quidem ut esset signum Sanguinis & aquæ fluentium è Christi latere, cùm fluxerint impermixta: Non etiam ut repræsentaret unionem fidelium cum Christo, cùm sit institutum hoc Sacrificium ad repræsentationem Dominicæ Passionis: Non denique quia id fecit Christus, nam vinum temperavit sobrietatis ergo: quod hic nihil facit ad rem, cùm una tantùm aut altera guttula adhibeatur.

Resp. Neg. Ant. Ad probationem primam Dico, quòd sicut fluxerunt impermixta Sanguis & aqua, ità impermixtim funduntur vinum & aqua in calicem; sicut autem illa mixta fuerunt in terra, ità hæc miscentur in calice.

Ad secundam Resp. repræsentari quidem primariò Christi Passionem, sed nihil obest quominus & secundariò unionem præfatam repræsentet, cùm sit quidam passionis effectus.

Ad tertiam Resp. falsum esse, adhibitum fuisse à Christo lymphatum ad sobrietatem; cùm Apostoli omnes biberint ex eodem calice, adeoque valdè parum sumpserint.

CONCLUSIO III.

AQua miscenda debet esse modicissima, & tamen graviter obligat mixtio illa.

Prob. 1. Pars; tum ex cap. *Perniciosus*, de celebr. Miss. *Perniciosus*, inquit Honorius III. *inolevit abusus*, *videlicet*, *quod in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio*, *quàm de vino*, *cum &c.* Tum ex Florent. in Decr. ubi ait: *Cui*, nempè vino, *ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*. Tum ratione Physica; quia si multùm aquæ adhiberetur, periculum esset, ne vinum corrumperetur. Tum ex Congruentia, quia excessus vini Christum figurantis, denotat excellentiam Capitis super modicitatem populi per aquam figurati.

Porrò non satis constat, quænam aquæ quantitas reputetur modicissima. Aliqui talem reputant 6. aut 7. guttas: Alii 12. Alii quintam aut sextam partem toti vino correspondentem, quod facilè crediderim, ubi generosum est vinum; aliàs non, & ideò de vino valdè generoso loquebatur Concil. Triburiense præscribens, ut saltem *duæ sint partes vini*, *tertia aquæ*. Unde in praxi curetur, quantum fieri potest, ut tantùm duæ aut tres guttulæ immisceantur.

Prob. 2. Pars; quia etsi videatur in se res levis, gravem tamen habet significationem, ut patet ex dictis: Hinc cap. *Litteras* de Celebr. Missar. omittens ex malitia aquæ mixtionem, decernitur privandus officio & Beneficio.

QUÆSTIO V.

An aqua vino mixta transsubstantietur in Sanguinem, ubi non est prius in vinum conversa?

NOn est dubium, quin aqua, si in vinum conversa sit, per consecrationem convertatur in sanguinem: sicut etiam non dubitatur, quin, si ex vino & aqua commixtis fiat unum tertium, consecratio nulla sit; quia deest materia. Quæstio igitur est, an aqua, quando non est in vinum conversa ante consecrationem, in sanguinem convertatur, an verò remaneat aqua?

CONCLUSIO UNICA.

NOn transubstantiatur aqua in Sanguinem, nisi sit prius transubstantiata in vinum. Est D. Thomæ 3. p. q. 74. art. 8. ubi ait: *Aliorum opinio probabilior est*, *qui dicunt aquam converti in vinum*, *& vinum in Sanguinem*. Scoti 4. dist. 11. q. 7. nu. 2. *Aqua apposita*, inquit, *non convertitur in Sanguinem*, *nisi prius conversa sit in vinum*. Est etiam D. Bonaventuræ, Alensis, & celebriorum Theologorum, contra quosdam recentiores volentes aquam immediatè converti in sanguinem, nec posse converti in vinum.

Prob. 1. ex Cap. *Cum Marthæ*, de Celebrat. Miss. ubi Innocentius III. expositis tribus opinionibus, quarum prima volebat vinum & aquam converti in sanguinem & aquam, quæ fluit de Christi latere. Secunda aquam immediatè transire in vinum, & hoc mediante, in Sanguinem. Tertia aquam remanere in propria specie, circumfusam tamen vini accidentibus: his, inquam, relatis, asserit mediam, quæ nostra est, probabiliorem.

Dices: Non dixit Pontifex, *Aquam conversam in vinum*, sed aquam cum vino transire in Sanguinem, ubi abstrahit à conversione mediata aut immediata. Sed

Contra est, quòd dicat aquam converti in Sanguinem, *cùm in vinum transeat*; & licèt hanc Causalem quasi ab aliis allatam referat, nihilominus sententiam hac causali fundatam, super alias approbat. Deinde Causalem illam etiam suam facere satis ostendit lib. 4. de Altaris Mysterio cap. 31. ubi ait: *Aqua transit in Sanguinem, ea scilicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum*. Quid clarius? Quid expressius? Et licèt videatur similiter præfata verba ex alieno proferre, ut indicant præcedentia: *Quibusdam videtur*, tamen, etiam ex suo loqui evidenter demonstrat ex his, quæ immediatè subdit: *Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum aquæ infunditur?*

Inst. 1. Glossa in cap. *Cum Marthæ*, intelligit textum Pontificis de conversione immediata aquæ in Sanguinem.

Resp. Glossam in hoc non fuisse assecutam mentem Pontificis, ut patet ex prædictis.

Inst. 2. Innocentium solùm intendere conversionem moralem aquæ in vinum, quæ accidit ubi vinum notabiliter prædominatur.

Contra est, quòd rejiciat tertiam opinionem, ubi dicitur aqua vini accidentibus circumfusa.

Inst. 3. Pontifex lib. 4. de Myst. Altar. cap. 30. docet validè consecrari calicem, si tantùm vini ibi ponatur, ut aqua commixtum saporem vini retineat: ergo tantùm requirit conversionem moralem.

Resp. Dist. conseq. Tantùm requirit conversionem moralem ad validam consecrationem, quia nempè denotat vinum non esse corruptum, C. ut aqua convertatur in Sanguinem, N. tunc enim supposito, quòd non esset ante consecrationem conversa in vinum propter nimietatem, nec converteretur in Sanguinem per verba consecrationis.

Inst. 4. Cap. 11. sic habet: *In Sacramento corporis est trinitas specierum, videlicet panis, vinum, & aqua*: censet non fieri physicam aquæ conversionem in vinum.

Resp. Non loqui tempore consecrationis, sed infusionis, cùm falsum sit esse panem, vinum & aquam post consecrationem: unde si de hoc tempore fuisset locutus, non dixisset, *videlicet panis, vinum, & aqua*, sed *panis, vini, & aquæ*, sicque patet per *species* intelligere illorum substantiam, non accidentia, quæ sola restant post consecrationem.

Prob. 2. Conclusio tum ex Pontificali Rom. p. 1. tract. 10. cap. 2. *Aqua*, inquit, *quæ in calice vino admiscetur*, *debet esse in modica quantitate*, *quia tam in vinum converti oportet*. Tum ex Catechismo Rom. jussu Pii V. edito, ubi legitur cap. 16 de Eucharistia: *Ecclesiasticorum scriptorum sententia & judicio aqua illa in vinum convertitur*.

Prob. 3. Illud est immediatè convertibile in sanguinem, quod est materiam calicis, ut fatentur etiam adversarii: sed solum vinum est talis materia: ergo. Prob. Min. ex Florent. sup. dicente materiam calicis esse *vinum de vite*. Addit quidem: *Cui aqua admisceri debet*; sed per hoc ostendit, aquam non esse materiam, sed aliquid, quod ad cæremoniam admiscetur materiæ, aliàs dixisset, esse vinum & aquam, sicut dixit in Confirmatione esse Oleum & Balsamum, & non, Oleum, cui admisceri debet Balsamum.

Dices, Sic fuisse locutum Concilium, quia aqua non est materia calicis necessaria, sicut Balsamum in Confirmatione, sed libera, quæ adhiberi potest, vel omitti, salva Sacramenti essentia. Sed

Contra est, quòd Concilium per ly *Debet*, non indicet aquæ miscendæ libertatem, sed necessitatem, nempè ad mysterii significationem. Præterea nunquid ridiculum esset, quòd Concilium dogmaticè & instructoriè procedens adhibuisset verba ad significandam aquam esse materiam liberam, cùm ne umbram quidem illius significationis præferant.

Confirmatur eadem Minor ex Tridenr. Sess. 13. agens ex professo de Eucharistia, assignansque materiam calicis, ne vel semel loquitur de aqua in tota sessione: imò definit Can. 2. esse vinum, nulla facta mentione aquæ. Quod magis est, definit ibid. remanere tantùm post consecrationem species panis & vini: quod falsum esset, si aqua immediatè

diatè converteretur in sanguinem, quia etiam remanerent species aquæ.

Dices: Moraliter loquens Concilium, sub speciebus vini comprehendit species aquæ, quæ moraliter à speciebus vini admixtis non distinguitur, sicut nec distinguitur moraliter aqua à vino, cui admiscetur. Sed

Contra est, quòd gutta lactis, aut aquæ rosaceæ immixta vino faciat unum moraliter cum illo, & tamen nec ponatur, nec conservetur sub illius speciebus Christi Sanguis, nisi prius convertatur in vinum.

Replicabis, Christum admiscuisse calici aquam, non lac, aut aliud.

Res. Ergo saltem sequitur non esse Christi sanguinem sub speciebus aquæ propter unitatem moralem cum vino. Quantùm ad Christi factum, nihil inde potest colligi; quandoquidem non omnia, quæ adhibuit, sint essentialia Sacramento, ut satis patet ex dictis.

Prob. 4. Vel Christi sanguis existens sub speciebus aquæ adhuc remaneret sub illis, si per instrumentum à speciebus vini separarentur, ut fieri posse concedunt Adversarii, vel non remaneret: si non, ut vult Platel: ergo non erat antea sub illis, cùm tamdiu maneat sub singulis speciebus consecratis, quamdiu manent incorruptæ. Deinde si hoc esset, remanerent species illæ extra sacramentaliter (quod est inauditum) sine ullo subjecto; cum separatio illa non sit productiva novæ substantiæ. Si remaneret, ut tenet Conink; ergo sola aqua est consecrabilis, cum illud omne sensibile sit consecrabile sub cujus speciebus potest Christi corpus aut sanguis remanere, nec sit ulla ratio, cur non possit sub illis speciebus sensibilibus poni, sub quibus potest conservari.

Objì. 1. Sanctos PP. Justinum Martyrem Apolog. 2. pro Christianis: *Diaconi dant unicuique percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt*. Ambrosium lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ubi ait: *Unum cum aqua in calicem missum fit Sanguis consecratione*. Damascenum l. 4. de fide cap. 14. *Vinum & aqua transmutatur in corpus & Sanguinem Christi*. Idem docetur à quibusdam aliis.

Resp. SS. PP. tantùm loqui de consecratione & conversione mediata, seu velle aquam, jam in vinum conversam consecrari, & in Christi sanguinem converti: quæ locutio non est impropria, cùm dicamus alimentum converti in substantiam aliti, licèt prius convertatur in Chylum & sanguinem: unde utuntur ampliatione, & dicentes, aqua consecratur, & in sanguinem convertitur, intelligunt id quod fuit aqua, sicut quando Scriptura dicit: Cœci vident, intelligit eos qui fuerunt Cœci.

Inst. 1. Ambr. supra c. 5. asserit: *Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi Sanguis efficitur*: ergo saltem ille loquitur de conversione immediata.

Resp. S. Doctorem non dicere: Immediatè ante verba, sed ante verba, quod patitur latitudinem; nam in infusione aut paulò post, cùm necdum in vinum conversa est aqua, calix continet vinum & aquam. Si autem plura velis, dic ut ante, nempe vocasse aquam, quod fuit aqua: sicut Patres, imò & Scriptura vocant interdum Eucharistiam Frumentum, Panem, Vinum &c.

Inst. 2. Nullus Patrum meminit conversionis mediatæ; ergo.

Res. Nec meminisse immediatæ: unde verisimilius est abstraxisse ab illa quæstione speculativa & scholastica, & dixisse præcisè, vinum & aquam converti in Christi sanguinem, nihil determinantes an id immediatè fieret, aut mediatè.

Obj. 2. Triticum non dicitur converti in Christi corpus, quia debet prius converti in panem consecrandum: ergo nec aqua dici debet converti in Christi sanguinem, si prius debeat converti in vinum: consequens autem adversatur Patribus citatis.

Res. Triticum non dici in Christi corpus converti propter rationem allatam, sed quia non ponitur in Altari sicut aqua: unde si aqua poneretur in dolio, & non in calice consecrando, nec diceretur in Christi sanguinem converti.

Obj. 3. Pronomen Hic designat totum contentum in calice: ergo si aqua non sit tempore consecrationis in vinum conversa, utpote quia immediatè ante posita, convertetur in Sanguinem.

Res. Dist. Ant. Designat totum contentum consecrabile: C. Non consecrabile: N. alias etiam designaret cerevisiam, si fuisset apposita.

Obj. 4. Sententia nostra exponit populos periculo Idololatriæ, nempe adorandi aquam, si in consecratione non sit in vinum conversa.

Res. Neg. Assumpt. Quia fideles non adorant indifferenter totum, quod est in calice, sed adorant Christi sanguinem in calice existentem, ita ut objectum illorum adorationis sit præcisè Christi sanguis.

Obj. 5. Cum pauca grana hordei immiscentur tritico, totus panis inde confectus est consecrabilis, quia triticeus usualis; ergo cum aqua modica immiscetur vino, totum consecrabile est, cum sit potus usualis.

Resp. Dist. Ant. Totus panis est consecrabilis, si farina hordeacea sit per mixtionem in triticeam conversa: C. secus: N. Idem in nostro casu.

Obj. 6. Cùm Christus consecraverit immediatè post aquæ mixtionem, non est credibile fuisse tunc conversam in vinum: ergo etiam consecravit aquam, vel certè dedit aquam Discipulis cum sanguine.

Resp. Cùm vinum illius Regionis sit valdè generosum, potuit aqua brevi tempore in vinum transubstantiari, præsertim cùm fuerit modica, utpote cùm hic lymphatum non sumpserit ad sobrietatem, ut in cœna usuali, sed ad mysterii significationem, ut colligitur ex Cypriano & aliis. Deindè nullum reperimus inconveniens, quòd post consecrationem aqua manserit, & data fuerit Discipulis cum Sanguine, cùm nec reperiat Ecclesia, quæ jubet, ut etiam immediatè ante consecrationem misceatur aqua, si antea non fuerit posita; imò si in sumptione reperiatur non esse vinum in calice, sed acetum, aut aliud, præcipit, ut vinum & aqua ponantur consecrentur, ac statim sumantur.

Objì. 7. Vinum consecrabile, est vinum de vite: sed esto aqua converteretur in vinum, hoc vinum non esset de vite: ergo.

Res. dist. Maj. Est vinum de vite, vel in substantia æquivalens: C. necessariò de vite: N. aliàs vinum miraculosum non esset consecrabile: quod antea negavimus.

Obj. 8. Secundùm nos, Sacerdos qui ob defectum aliquem debuisset immediatè ante sumptionem consecrare, non posset in Natali Domini aliam Missam celebrare; quia ob sumptionem aquæ cum Sanguine non esset jejunus;

Res. Neg. Assump. & dico talem fore jejunum, non quidem jejunio naturali physico, sed naturali canonico, eo quòd Ecclesia talem reputet jejunum, cùm nullibi prohibeat eum secundò consecrare. Quod certè fecisset, si judicasset aquam illam jejunium à se impositum solvere. Nec inde inferas posse etiam secundò consecrare, qui sumpsit muscam cum Sanguine, quia id etiam nullibi prohibet; musca enim non est in calice ex præcepto Ecclesiæ, sicut aqua; & sic faciliùs præsumimus primum haberi jejunum, quàm secundum. Et certè si Ecclesia reputet Sacerdotem jejunè sumere particulam corporis adhærentem calici, cum modico vino, licèt aliquid vini hauriat ante particulam; quid & in nostro casu.

Obj. 9. Aqua non potest in vinum converti: ergo vel nunquam consecratur, vel consecratur immediatè. Prob. Ant. quia potest artis chymicæ auxilio à vino separari, licèt jam dudum fuerit immixta, ut tradunt quidam physici.

Res. Neg. Ant. & ejus probationem; quia quod separatur à Chymicis non est aqua, ut docet D. Thom. 4. dist. 10. sed humor apparenter aqueus, entitativè tamen vinalis licèt non ita decoctus: quod inde evidenter patet, quia liquor omninò similis etiam extrahitur è vino purissimo.

Quærunt hic aliqui, quomodo possit vinum aquam in se convertere? Qua actione id faciat? Sed hanc materiam utpotè physicam, ad Physicos remittimus. Non possumus tamen non admirari Argumentum Juenin, quod vocat lepidum nempè quòd si aqua esset in vinum convertibilis, posset Vinitor sine culpa ex duobus vini doliis, quæ tenetur locatori reddere, tertium efficere cum aquæ mixtione, illudque tuta conscientia sibi retinere. Quasi verò vinum dilutum (licet adhuc vinum) sit æquè generosum ac non dilutum. Sed si dicas solùm teneri reddere vinum, Dicam ego juxta communem hominum existimationem, teneri reddere vinum talequale generatur à vite, & non quale minuitur à diluente.

Obj. 1. Ex Sententia nostra sequitur fieri posse Christi Sanguinem sine consecratione, si nempè convertatur aqua post consecrationem.

Resp. N. Sequelam, & dico aquam tunc conversam non fore Sanguinem, sed vinum in quod transubstantiatur vi specierum, quibus eamdem vini activitatem, imo & eumdem concursum præbet Deus, ac si ibi esset substancia vini, ut fusiùs postea.

Ob. 2. Si aqua non convertatur in Sanguinem, nisi quia prius convertitur in vinum, magis certum dependet à minus certo, cum certius sit aquam cum vino converti in Sanguinem (cum id afferant SS. Patres suprà) quam quòd aqua convertatur in vinum, cùm huic opinioni contradicant plurimi.

R. Dist. Assump. Magis certum vi consequentiæ dependet à minùs certo N. Magis certum aliundè dependet &c. C. In quo nulla implicantia quia magis certum est Christum non habere personalitatem humanam, quàm certum sit personalita-

tem hominis ab ejus natura distingui, cùm primum sit de fide non secundum, & tamen prima veritas dependet à secunda.

QUÆSTIO VI.

An materia consecranda debeat esse præsens, an discernibilis, an determinata, an certæ quantitatis?

CONCLUSIO I.

REquiritur ad validam consecrationem præsentia moralis & perceptibilis materiæ consecrandæ. Est communis & certa.

Ratio est, quia juxta communem hominum existimationem, talem præsentiam requirunt pronomina *Hoc* & *Hic* in formis contenta, cum nullus demonstret per illa pronomina, quod vel est absens, vel imperceptibile: sufficit tamen materiæ perceptibilitas vel ratione sui, vel ratione ordinarii continentis: sicut enim sano sensu dicitur *hoc aurum* demonstrata bursa clausa, *est meum*, ita & demonstrata clausa pixide, *Hoc est corpus meum*, licèt in praxi sit aperienda, non solum in consecratione, sed & in oblatione.

Requiritur insuper ad præsentiam hic sufficientem ut materia sit perceptibilis independenter ab ostensione per digitum, aut aliud, quia licet hoc non requiratur in aliis rebus, cùm tangens pecuniam à tergo positam, sufficienter ipsam demonstret per pronomen *Hæc*, ut censeatur illam dare, mutuare, &c. hic tamen requiritur, & ideo non consecraret tangens hostiam taliter positam. Cujus ratio est voluntas Christi, nobis per universalem & perpetuam Ecclesiæ praxim manifestata, quæ nunquam aut discursu, aut signis, aut nutibus, aut digito, aut alio simili usa est in consecratione. Ex dictis

Resol. 1. Non posse consecrari Hostiam existentem sub Corporali, sub pede calicis, sub mappa, aut sub alio corpore opaco, quod non sit ordinarium continens, quia non est ullo sensu perceptibilis ratione sui, aut ratione dicti continentis.

Resol. 2. Probabiliter validam esse consecrationem hostiæ, quæ non percipitur, modò sit de se perceptibilis, quia non aliud requirit præsentia moralis, & ideo crederem cœcum validè consecraturum hostiam, quam non tangeret.

Resol. 3. Non sufficere si materia sit præsens initio consecrationis, & non in fine, quia cùm forma tantum operetur conversionem in fine, etiam in fine debet esse præsens.

Res. 4 Hostiam debere esse consecranti propinquam, cùm remotum non censeatur præsens, quanta autem requiratur propinquitas non potest physicè determinari, & ideo in tot opiniones diversas circa hoc abierunt Casuistæ, ita ut velint aliqui non posse consecrari, si distet centum passibus, alii si distet 40. alii si 30. alii è contra posse consecrari, si solum distet 20. Sed putem relinquendum esse Prudentum judicio, attentis materiæ situ, magnitudine, parvitate &c.

Dices 1. Contra hactenus allata. Non potest baptizari puer in utero: ergo nec hostia in Ciborio.

R. Neg. Conseq Disparitas est, quòd abluto Matris utero non dicatur infans ablui, sicut demonstrato Ciborio, dicitur hostia contenta demonstrari.

Dices 2. Dicitur sano sensu: *Hæc stella est magna*, licèt innumeris leucis distet à nobis: ergo non requiritur præfata hostiæ præsentia.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quod stella non demonstretur ut fiat, sed ut cognoscatur: hic verò materia demonstretur, ut fiat aliud. Major autem requiritur præsentia ad objecti demonstrati productionem, quam ad solam ejusdem speculationem. Deindè meliùs diceretur: *Stella ista*, quàm *stella hæc*.

Dices 3. Non requiritur in aliis Sacramentis, ut materia sit physicè præsens tempore formæ: ergo nec hic.

R. Disparitatem esse, quòd in aliis non debeat materia per formam in aliud converti, sicut in Eucharistia.

Dices 4. Sufficit in hoc Sacramento præsentia moralis quoad locum, v. g. quòd materia sit in Ordinario continente: ergo etiam sufficit præsentia moralis quoad tempus.

Resp. Discrimen esse, quòd pronomen *Hoc*, ex usu communi, demonstret contentum, demonstrato ordinario continente, non tamen demonstret rem physicè absentem; unde si quandoque de absente, de quo est sermo, dicatur: *Hic Theologus est profundus*, non demonstratur propriè per pronomen *Hic*, sed per alias circumstantias.

Dices 5. Si aqua in fine consecrationis convertatur in vinum, convertetur in Sanguinem: ergo non requiritur, quòd materia sit præsens toto tempore consecrationis.

Resp. Neg. Ant. Quia cùm pronomen *Hic* in forma calicis solùm designet materiam consecrabilem, aqua autem non sit immediatè consecrabilis, ut diximus; hinc est, quòd illo casu convertatur in Sanguinem.

CONCLUSIO II.

LIcèt materia consecranda debeat esse perceptibilis, non est tamen necesse ut sit exterius ab alia discernibilis. Ità noster Bosco & alii contra Lugonem, Platel, & alios, qui volunt hostiam non consecratam mixtam indiscernibiliter consecratis, non posse validè consecrari.

Prob. 1. Quia pronomen *Hoc* non requirit objecti demonstrati discernibilitatem; sed præsentiam de se perceptibilem; abstrahendo, an possit ab aliis præsentibus discerni necne: sed talem habet hostia non consecrata consecratis permixta; cùm si Deus aut Angelus separet, statim perciperetur: ergo. Prob. Ma. quia pronomen *Hoc* prolatum super centum Hostias tam demonstrat materiam discernibilem quàm indiscernibilem; cùm demonstret quamlibet, nisi restrictio fiat à proferente.

Prob. 2. Ex praxi Sacerdotum universali, qui in die *Natalis* Domini consecrant in 2. & 3. Missa vinum mixtum *reliquiis* Sanguinis prioris Missæ, cùm tamen non possit discerni quænam guttæ sint consecratæ, quænam non.

In praxi tamen curandum est, ut nunquam (quantum fieri potest) misceatur vinum cum Sanguine, aut hostiæ non consecratæ cum consecratis; tum propter aliqualem alterius sententiæ probabilitatem; tum quia mixtio illa non congruit, saltem ubi nulla subest ratio; & ideo non approbamus consuetudinem illorum Sacristarum, qui non purificato Ciborio, imponunt super restantes particulas consecratas, hostias non consecratas.

Sed quid in praxi faciendum, si formula non consecrata caderet fortuitò inter consecratas?

R. Si non possit discerni, adeòque nec ab aliis separari, tutius est duas singulis distribuere, quàm eam ibi consecrare; quia licèt validam credamus ipsius consecrationem; tamen non est omnino certum: & ideo duas distribuendo, cavetur periculum irreverentiæ, & simul periculum Idololatriæ, quod subesset, si una tantùm singulis distribueretur, cum posset adorari non consecrata.

Dices 1. Contra Conclusionem: Nesciunt adstantes illo casu; quam hostiam consecret Sacerdos: ergo.

R. Neg. conseq. Quia sufficit, saltem hic, ad veram demonstrationem, quod sit aliquis qui possit rem demonstratam ostendere, si velit: posset autem Deus, aut Angelus. Præterea ly *Hoc* non ordinatur hic, ut adstantes sciant quænam formula consecretur, sed ut ille, qui novit non consecratam, eam convertat in Christi corpus.

Dices 2. Si quis demonstrans viginti Sacerdotes, diceret: *Hic est Episcopus*, ridiculam faceret demonstrationem: ergo similiter.

R. Dissimulato Ant. Neg. conseq. Disparitas est, quòd cùm non sint omnes Episcopi, non censetur ly *Hic* omnes afficere, & cùm non sit ratio, cur afficiat potiùs unum quàm alium, quantùm est de se, nullum afficit illo casu. In nostro autem, cùm ly *Hoc* de se afficiat omnes formulas, afficit etiam non consecratam. Dico *de se*; quia potest restringi à proferente, & de facto ità hic restringitur ad solam non consecratam.

Dixi: *Dissimulato Ant.* quia non improbabile est sufficere, quòd possit aliquis demonstratum ostendere. Lata est tamen disparitas inter hunc, & nostrum casum; quia demonstratio illa ordinatur ad meram cognitionem adstantium, quam non ingerit pronomen *Hic* illo casu. Hæc verò ad conversionem, non faciendam ab adstantibus, sed ab eo, qui novit non consecratam.

CONCLUSIO III.

DEbet materia consecranda esse determinata per intentionem consecrantis; sufficit tamen si determinatio paulò ante præcesserit, licèt inter consecrandum ad solam formulam ante se positam advertat.

Prob. 1. pars; quia cùm Sacerdos non consecret, nisi intendat consecrare; ità nec certam materiam consecrat, nisi intendat determinatè ipsam consecrare.

Prob. 2. pars; quia videtur ità loquendum de materiæ determinatione, ac de intentione, cùm prior sit limitatio posterioris: sed sufficit, ut diximus, intentio virtualis remanens ex actuali: ergo & determinatio talis; Hinc

Resol. 1. Si Sacerdos voluit ante Missam consecrare omnes hostias à se, aut à Sacrista in corporali ponendas, omnes

esse

esse consecratas, licèt ad eas non reflexerit consecrando.

Resol. 2. è contra non esse consecratas, si, inscio celebrante, fuerint appositæ; quia nullatenus fuerunt determinatæ, quidquid dicant aliqui. Consecrat quidem duas hostias, si ignoranter duas sibi adhærentes loco unius attulerit; sed inde oritur, quòd censeatur velle consecrare omnem materiam, quam habet præ manibus, cùm intentio non feratur ad illam ut unam, sed ut materiam: non solet autem ferri ad aliam materiam, nisi determinetur.

Resol. 3. Probabilius non esse consecratas formulas extra Aram à Sacrista positas, idque defectu determinationis, quia non censetur velle Sacerdos consecrare in loco ab Ecclesia prohibito, licèt determinaverit consecrare formulas ponendas.

Dixi: *à Sacrista positas*; quia si ipsemet volens illas consecrare, extra Aram posuerit, valida est consecratio, modò sint moraliter præsentes. Non desunt qui volunt etiam esse validam in priori casu; & ideo in praxi debet haberi dubia.

Petes An guttæ vini Calici adhærentes sint consecratæ?

R. Non esse consecratas, si exteriùs adhæreant, cùm non soleat consecrari nisi contentum in Calice: si autem interiùs, volunt aliqui esse consecratas, nisi celebrans illas excluserit; alii è contra docent non esse consecratas, nisi illas voluerit consecrare. Res est dubia. In praxi, si advertantur ante oblationem aut consecrationem, sunt abstergendæ, si sint à fundo remotæ; aliàs cum reliquo vino jungendæ, inclinato parum Calice.

CONCLUSIO IV.

CONsecrari potest materia quantumcumque magna, modò secundùm omnes suas partes reputetur moraliter præsens consecranti. Item quantumcumque parva, modò sit sensibilis. Est communis quoad utramque partem.

Prob. 1. pars; quia constat Christum dedisse Sacerdotibus potestatem consecrandi; nullibi autem constat limitasse potentiam illam ad certam materiam: ubi autem Christus non limitat, nec nos limitare debemus. Unde miror quosdam restrinxisse Sacerdotum potestatem ad materiam usui communicantium proportionatam; cum inde sequatur; ubi hostiæ forent sufficientes, ne unam, quidem, extra Missam posse validè consecrari. Deinde Eucharistia est Sacramentum independenter ab usu: ergo nec debet illius materia ab usu proportionari. Accedit, quòd Christus non abstulerit à Sacerdotibus potestatem consecrandi ad usum pravum, v. g. ad veneficium: ergo nec ad superfluitatem; cum pejus sit Sacramento abuti, quàm eo non uti.

Dices 1. Sacerdoti inest facultas consecrandi, juxta Christi institutionem, & Ecclesiæ intentionem, sed intentio Christi & Ecclesiæ est, ut communicentur fideles: ergo.

Resp. Dist. Min. Christi intentio est, ut communicentur fideles præcisè, ita ut abstulerit facultatem aliter consecrandi validè: N. aliàs invalida esset consecratio ad lucrum, ad sortilegium, ad hypocrysim quod non admittitur. Ita ut abstulerit facultatem aliter consecrandi licitè: transeat.

Dices 2. Si hoc esset, posset consecrari panis viginti leucarum in circumferentia, imò mare integrum repletum vino: quod est absurdum.

Resp. Neg. Assump. Quia panis ille, sicut & mare, non esset consecranti præsens secundùm omnes suas partes: quod tamen in conclusione requisivimus.

Prob. 2. Pars; quia nulla est pars materiæ, sub cujus speciebus non possit contineri totus Christus; quandoquidem sub illis existat modo indivisibili.

Dixi tamen: *Modo sit sensibilis*; quia licèt possit conservari Christus sub particula adeò exigua, ut sit insensibilis; invalidè tamen particula illa consecraretur; quia ut consecretur, debet per pronomen demonstrari, adeoque posse percipi, seu esse sensibilis: ut autem sub illius speciebus remaneat Christus, sufficit, quòd sit capax continere substantiam panis aut vini; quia Christus est sub omni particula, sub qua esset substantia panis & vini.

QUÆSTIO VII.

An necessario consecranda sit utraque species, & an Ecclesia possit in hoc dispensare.

CONCLUSIO I.

NOn est necessaria ad Sacramenti validitatem & veritatem utriusque speciei consecratio. Est certa.

Ratio est: quia utrique speciei separatæ convenit tota Sacramenti definitio, ut consideranti patebit: unde Tridentin. sess. 21. capit. 3. *Fatendum etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi*. Et ideò hac de veritate persuasi fideles Christi corpus adorant sub speciebus panis, ante calicis consecrationem.

CONCLUSIO II.

NEcessaria est utriusque speciei consecratio ex jure tum Divino, tum Ecclesiastico.

Prob. 1. Pars: quia Christus, postquam in ultima cæna utramque speciem consecrasset tanquam duas ejusdem convivii partes integrales, dixit Apostolis & eorum in Sacerdotio Successoribus: *Hoc facite in meam commemorationem*, ita ut idem ipse præcipiat hujus Sacramenti convivalis integritatem, qui fecit ejusdem institutionem: unde Trident. Sess. 22. capit. 1. postquam dicit Christum obtulisse Patri corpus & Sanguinem sub speciebus panis & vini, subdit: *Sub earumdem rerum Symbolis Apostolis ... eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite, &c.*

Dices 1. Cum dixit Christus *Manducate: bibite*, non imposuit præceptum communicandi sub utraque specie, ergo nec imposuit præceptum consecrandi utramque speciem quando dixit: *hoc facite in meam &c.*

Resp. Neg. Ant quia ibi alloquitur celebrantes, qui sicut tenentur utramque speciem consecrare, ita & utramque sumere: quod & declarat Tridentinum supra.

Dices 2. Christus consecravit in solo pane in Emmaus: ergo.

R. Si de facto consecravit, de quo variant Interpretes, vel etiam consecrasse vinum, licèt Evangelium non meminerit vini: vel certè hoc fecisse ex potestate, quam nullibi legitur communicasse Ecclesiæ.

Prob. 2. Pars de præcepto Ecclesiastico ex c. *Comperimus* dist. 2. de Consecrat. ubi injungitur Sacerdotibus; ut integra Sacramenta percipiant, adeoque ut integra consecrent; *quia divisio unius ejusdemque Mysterium sine grandi sacrilegio non potest provenire*.

Confirm. ex Rubricis Missalis; quæ præcipiunt Tit. *de defectibus*, ut Sacerdos, qui aquam loco vini sumpsit vinum accipiat, offerat, consecret, & sumat, licèt non sit jejunus, ubi præfert præceptum de integritate Sacramenti & Sacrificii, præcepto jejunii.

CONCLUSIO III.

NEquit Ecclesia dispensare, ut consecretur unica species. Est communis contra paucos.

Prob. 1. Consecratio utriusque speciei est juris divini, secundùm nos; sed non potest Ecclesia dispensare in iis, quæ sunt juris divini, independenter à voluntate divina: ergo. Prob. Min. Tum ex cap. *Sunt quidam*; tùm quia non est Inferioris dispensare in lege Superioris sine commissione generali, aut speciali qualis nullibi legitur.

Obj. 1. Legitur apud Volaterranum l. 7. c. 4. ab Innocentio VIII. dispensatum fuisse cum Norvegiis anno 1490. ut non consecrarent calicem: ergo.

R. Historiam illam non esse Fidedignum, tùm propter rationem illi allatam, nempè quòd vinum, ob frigus nimium, non asservabile, cùm jam asservetur & in eo consecretur, tùm quia asserit concessum esse, ut sacrificetur calix vacuus: quòd est magis incredibile.

Obj. 2. Si Sacerdos deprehendat post consecrationem panis, vinum esse venenatum, aut justè sibi timeat ob ruinam templi, incendium, incursum Hæreticorum &c. potest, imò debet, à consecratione vini abstinere: nisi certè id cogeretur facere in contemptum Religionis: ergo etiam accidere potest casus, ubi Papa posset dispensare.

Resp. Neg. Cons. Quod enim in dictis casibus posset Sacerdos Sacrificium mutilare, oritur ex eo quod tunc præceptum integritatis non obliget: cum præceptum de vita conservanda prævaleat isti, nullus autem casus potest accidere, in quo, manente respectu aliorum obligatione, in simili casu, censeatur posse rationabiliter respectu alicujus tolli; nam si hoc esset jam à 17. sæculis evenisset: quod tamen necdum vidimus.

Obj. 3. Potest Ecclesia dispensare in Matrimonio rato, votis, & juramentis, quæ sunt de jure divino: ergo & hic similiter.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quod priora sint de jure divino dependenter à fidelium voluntate, in quam cùm jus habeat Pontifex tanquam illorum caput, tollit obligationem quam sibi imposuerunt, qua sublata cessat jus divinum, sicque tantùm indirectè dispensari in jure divino. Posterius au-

ejus autem cùm sit de jure divino ex sola Dei voluntate, & independenter ab omni humana, etiam requiritur (ut in eo dispenſetur) divina commiſsio.

Obj. 4. Dispensavit Ecclesia cum laicis, ut sumerent unicam speciem, licet Christus utramque præcepiſſet Joan. 6. ubi ait: *Nisi manducaveritis & biberitis &c.*; ergo etiam dispensare potest, ut Presbyteri consecrent unicam.

Res. Neg. suppositum Ant. Quia cùm Christus sub qualibet specie totus contineatur, sumendo speciem panis, manducant Christi corpus & bibunt ejus Sanguinem, sicque nulla intercedit Ecclesiæ dispensatio.

Inst. 1. Saltem præcepit Christus Sacerdotibus, ut sumerent utramque speciem, ut patet ex Trident. supra: sed in die Parasceves permittit ut sumant unicam: ergo & permittere potest, ut unicam consecrent.

Res. Dist. Min. Permittit ut sumant unicam sine Sacrificio C. sacrificando: N.

Inst. 2. Noviter Ordinati sacrificant cum Episcopo, & tamen unicam sumunt speciem.

Res. Principalem sacrificatorem, & verius unicum, esse Episcopum; cum alii in verborum prolatione semper ipsum sequantur, ita ut factum sit sacrificium, cum verbum ultimum proferunt.

Obj. 5. Potest Eucharistia sub unica specie conservari: ergo & consecrari.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd in conservari non habeat rationem sacrificii, saltem completi, sicut in fieri.

Obj. 6. Si consecraretur unica species, salva maneret Eucharistia: sed potest Ecclesia statuere, vel mutare, salva Sacramentorum substantia, ut patet ex Trident. sess. 21. c. 20. ergo.

Res. Dist. Mai. Salva maneret in ratione Sacramenti C. in ratione sacrificii: N. quia foret mutilum.

Obj. 7. Mutilatio sacrificii non est intrinsecè mala & aliunde potest esse proficua animarum saluti, v. g. ut, deficiente vino, populus audiat Missam, communicetur moribundus &c. ergo.

Res. Non esse quidem intrinsecè malam, sed quia nocet integritati Sacrificii cultum divinum immediatè respicientis potius negligenda est animæ utilitas non absolutè necessaria, quàm dimidiare Sacrificium.

Obj. 8. Aliquando unica unctione ungitur moribundus, licèt quinque unctiones sint de integritate Sacramenti: ergo &c.

Res. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd multùm probabile sit, Christum sic unctionem pro materia extremæ unctionis proxima instituisse, ut numericam illius determinationem potestati Ecclesiæ reliquerit: in extrema autem necessitate licitum est uti materia probabili, imo dubia; at verò constat, Christum utriusque speciei consecrationem instituisse: Ecclesia autem nihil potest immutare in eo, quod Christus ad integritatem essentialem sive Sacramenti, sive Sacrificii certò requisivit.

DISPUTATIO III.

De forma Eucharistiæ.

CIrca formam Eucharistiæ errasse Waldenses, ipsosque loco verborum Evangelicorum septies Orationem Dominicam recitasse, refert Guido Carmelita c. 9 sed quo fundamento, non satis apparet; cùm illi, qui ex professo Waldensium Hæreses refutarunt, ut Reymerius, Æneas Sylvius, & alii hujus erroris non meminerint.

Nicolaus Cabasilas Græcus Schismaticus, cui post Florentinum adhæsit *Marcus* Præsul Ephesinus, docuit verba consecrationis operatoria, non esse verba ordinaria à Sacerdotibus prolata, sed eadem numero, quæ Christus protulit; ità ut Sacerdotes solùm deprecentur, ut hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum* (quæ ipsi tantùm narrativè proferunt) vim suam exerceant in præsentem materiam: unde adhibebant ideo hæc verba in Liturgia D. Chrysostomi contenta: *Fac panem istum quidem pretiosum Corpus Christi tui, & quod est in calice isto, pretiosum Sanguinem Christi tui.*

Lutherus lib. de abroganda Missa voluit ad consecrationem requiri non sola verba ordinaria, sed & præcedentia & subsequentia, cujus errorem amplexus est Kemnitius.

Martinus Bucerus apertè sustinuit verba evangelica non esse consecratoria, etiam ut à Christo prolata: *Dominus enim*, ut ait in c. 26. Matth. *jussit panem frangere & manducare, sed non jussit dici super panem: Hoc est corpus meum.*

Calvinus lib. 4. Instit. c. 17. n. 19. requirit quidem ut verba ordinaria proferantur, non tamen assertivè, sed tantùm historicè per modum cujusdam instructionis, & ideo præscribit hic & alibi, ut in cœna enarretur Eucharistiæ institutio ex cap. 11. Epist. 1. ad Corinth. addatque Minister exhortationem, quæ Fidem excitet in cordibus audientium: unde supra non minus blasphemè, quàm sacrilegè: *Non hic magicam aliquam incantationem imaginari nos decet, ut satis sit verba demurmurasse, quasi ab elementis exaudiantur, sed verba illa vivam prædicationem esse intelligamus, quæ Auditores ædificet &c.*

QUÆSTIO I.

An verbis usus fuerit Christus, ut consecraret?

NArrat Salmeron Tract. 13. Tom. 9. litigium fuisse, saltem privatum, inter Patres Concilii Tridentini, an sententia DD. Angelici & Subtilis, eorumque sequacium, volentium verbis ordinariis Christum consecrasse, esset declaranda de Fide, necne. Urgebant Thomistæ & Scotistæ pro definitione. Alii è contra adhærentes opinioni Archidiaconi, Cathatini, Mayronii, & præsertim Innocentii III. lib. 4. de Mysterio Missæ cap. 6. asserentium per actum internum absque ullis verbis Christum consecrasse, formamque ordinariam, expressisse, ut sic posteri consecrarent, volebant sententiam suam esse catholicam, nullaque dignam censura; imò admissa sola consecratione interiori, facilè esse intelligere hæc verba posterius prolata, *Hoc est Corpus meum.* Nihil tamen decidit Concilium. Nihilominus

CONCLUSIO UNICA.

TEnendum est tanquam certum Theologicè Christum consecrasse his verbis: *Hoc est corpus meum, Hic est Sanguis meus.* Ita Scholastici ferè omnes: unde Scotus dist. 8. q. 2. n. 11. *Non est probabile, quòd alia forma utatur Author & Ministri, quibus committit formam.*

Prob. 1. ex Florentino in Decreto unionis, ubi ait: *Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum;* Quomodo autem loqueretur in persona Christi, si alio sensu verba illa proferret, quàm protulerit Christus? id est, si Sacerdos proferret, illa assertivè, & Christus protulisset solùm narrativè? Si in ore Sacerdotis essent practica & operativa, in ore autem Christi merè speculativa.

Prob. 2. ex PP. Tertulliano l. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem*, inquit, *& distributum Discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo.* Damasceno lib. 14 de Fide cap. 15. *Sicut Deus dicendo: Fiat lux fecit lucem; ita dicendo: Hoc est corpus meum, & Hic est Sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum.* Huic præluxerat Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ubi sic loquitur: *Ipse dixit & factum est, ipse mandavit & creatum est*, nempe corpus ipsius, ubi non soli voluntati, sed dicto seu verbo tribuitur Sacramentalis Christi præsentia.

Prob. 3. Ratione congrua; qui licèt potuerit Christus solo voluntatis suæ arbitrio corpus suum præsens facere per potestatem excellentiæ; congruebat tamen, ut Ministris suis præiret & exemplo & verbo, cum nulla esset ratio potius consecrandi actu interno, quàm verbo externo.

Obj. 1. Authoritatem Innocentii III. supra.

Resp. Innocentium hæc scripsisse, antequam esset summus Pontifex, sicque non esse tantæ authoritatis. Vel dic cum D. Thoma fuisse locutum opinativè, non determinativè.

Obj. 2. Non est credibile Christum consecrasse post sumptionem: sed Marc. 14. dixit: *Hic est sanguis meus*, postquàm biberunt ex illo omnes; ergo antea interius consecraverat.

Res. Neg. Min. Licèt enim sumptio prius referatur à Marco, quàm consecratio, non sequitur ita factum esse: cùm potiùs Evangelistæ spectent rei veritatem, quàm Historiæ ordinem; & ideo quod unus refert priùs, alter refert posteriùs.

Obj. 3. Trident. sess. 13. cap. 1. *Post panis*, inquit, *vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, disertis verbis testatus est*: sed benedixit, sine ullis verbis, cum nulla referant Evangelistæ; ergo.

Res. cum D. Thoma hic benedictionem confundi cum consecratione, ita ut benedicere, secundum ipsum idem sit ac verba con-

consecrationis proferre. Dici etiam potest non minùs probabiliter cum D. Bonaventura & aliis, benedictionem quidem distingui à consecratione, sed inter benedictionem & sumptionem mediasse verba consecrationis: unde non dicit concilium *statim post benedictionem* sed præcisè *post benedictionem*, ita ut potuerit aliquid mediare.

Si autem quæras, ad quid illa benedictio, si non sit consecrativa? Dicam adhibitam fuisse ad majorem solemnitatem, tamquam quid præambulum ad superexcellentem consecrationis actionem, sicut etiam modò adhibetur à Sacerdotibus.

QUÆSTIO II.

Quæ sint verba essentialia consecrationis?

FOrma consecrationis est duplex, sicut materia, una panis consecrandi, altera consecrandi calicis; & de utraque procedit quæstio.

CONCLUSIO I.

FOrma essentialis corporis in fieri sunt præcisè hæc verba, aut æquivalentia: *Hoc est corpus meum*. Ita DD. communiter contra quosdam Græcos Schismaticos volentes verba sequentia; *Quod pro vobis tradetur*, esse etiam essentialia, eò quòd illa usurpaverit Christus.

Prob. Illa omnia & sola verba sunt essentialia consecrationi corporis, quæ sunt conversiva panis in Christi corpus; cum ad hoc unice adhibeantur: sed talia sunt verba allata, cum omnia & sola requirantur ad significandam Sacramentalem corporis Christi præsentiam in Eucharistia: ergo. addidit quidem Christus; *Quod pro vobis tradetur*, sed quid tum? Numquid etiam addere potuit, ut advertit Scotus dist. 8. quæst. 2. num. 8. *conceptum de Spiritu S. Assumptum de Virgine; suspendendum in cruce*? Quis tamen dixisset, esse formæ essentialia? Sola igitur verba importantia implicitè absentiam panis, & explicitè præsentiam corporis, sunt essentialia.

Dices 1. Post formam à nobis allatam; addunt Græci verba sequentia, etiam in Liturgiis Jacobi, Marci, Chrysostomi &c. contenta *Rogamus te sancte Pater .... fac panem istum pretiosum corpus Filii tui*, ergo supponunt necdum esse præsens per verba præfata, adeòque etiam hæc esse essentialia.

Resp. Græcos per illam orationem non petere, ut fiat corpus Christi simpliciter, sed ut fiat in salutem suscipientibus, ut ipsimet explicaverunt in Concilio Florentino.

Dices 2. Asserunt Patres communiter, Eucharistiam confici per *Orationem, Precem, Invocationem Spiritus S. deprecationem* &c. ergo aliud requirunt, quàm quatuor illa verba.

R. Patres non ibi referre præcisè necessaria ad confectionem Sacramenti, sed etiam ea quæ ipsam confectionem præcedunt & subsequuntur: quæ omnia cùm ad ipsam Sacramenti confectionem ordinentur aut præparatoriè, aut consummativè, dicitur Sacramentum per illa omnia confici, licèt in rigore conficiatur per sola verba præfata. Vel dic consecrationem esse virtualiter orationem. & invocationem divinæ assistentiæ ad hanc transubstantiationem præmissæ: quo sensu Augustinus omnes Sacramentorum formas vocat *deprecationes*, lib. 5. de Bapt. cap. 3.

Dices 3. Scotus supra num. 5. docet ad validam consecrationem præmittendum esse, *Qui pridiè quam pateretur* &c. ergo

Resp. Dist. Ant. Docet &c. quia censet verba illa esse essentialiter consecrativa: N. quia censet necessariò prærequiri ad validè consecrandum, sicut requiritur intentio. C. unde vult necessarium esse (ut consecret Sacerdos) ipsum loqui in persona Christi: quam personam non induit, nisi præmittat: *Qui pridiè quàm pateretur, accepit panem .... dicens*, aut alia quæ determinent, ipsum loqui in persona Christi; quia aliàs videretur loqui de suo, non de Christi corpore. Quod certè non est improbabile, præsertim cùm Ecclesia verba illa ad hanc determinationem assumpserit. Non apparet tamen minus probabile, sufficere ad hoc solam celebrantis intentionem, saltem ubi consecrat in circumstantiis ordinariis.

CONCLUSIO II.

FOrma essentialis consecrationis Calicis, sunt hæc sola verba: *Hic est Sanguis meus, vel, Hic est calix Sanguinis mei*. Ita DD. nostri Alensis, Bonaventura, Scotus & alii satis communiter contra quosdam Thomistas, quorum aliqui volunt, verba in Canone sequentia usque ad: *Hæc quotiescumque feceritis*, esse de substantia seu integritate formæ, sicut brachium est de integritate hominis, non tamen de essentia: Alii è contra, ut Paludanus, Soto, Toletus, Gonet &c. esse verè de essentia, ita, ut illis omissis non ponatur Christi Sanguis sub speciebus vini. Quibus favere videtur D. Angelicus non solùm 3. p. q. 78. art. 3. ubi dicit omnia præfata, esse de substantia formæ calicis, sed etiam & præsertim 4. dist. 8. q. 2. art. 2. q. 1. ad 3. ubi in terminis ait: *Illa, quæ sequuntur sunt essentialia Sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur, & ideo oportet, quòd sint de substantia formæ*.

Prob. 1. Quia non est credibile, quòd omnes Evangelistæ & D. Paulus hujus Sacramenti institutionem ad amussim referentes, imò materiam & formam, quibus usus est Christus, exprimentes, formam illam tacuissent, si fuisset necessaria & essentialis: & tamen ne unus quidem totam refert, ut legenti patebit.

Dices, Evangelistas non retulisse formas Sacramentorum, quia initio Ecclesiæ expediebat esse occultas, ne ab infidelibus exploderentur. Sed

Contra est, quòd hæc verba; *Hic est Sanguis meus*, prolata super vinum, & hæc: *Hoc est corpus meum*, prolata super panem, magis forent exposita infidelium derisioni, quàm alia: ergo cùm hæc non tacuerint, nec tacuissent illa.

Prob 2. Sacerdotes Græci validè consecrant calicem sine his verbis: *Mysterium fidei*; cum in Liturgiis; quibus utuntur à pluribus sæculis, ut Basilii, Chrysostomi &c. non reperiantur: ergo non sunt essentialia. Antecedens negat Paludanus, asserens ipsos non consecrare, sed mirum esset, quòd tota Ecclesia Florentiæ congregata, ipsis in re tanti momenti deficientibus, non se opposuisset. Modestius loquitur Capreolus volens, Deum cum illis dispensasse; sed cum testimonium authenticum divinæ dispensationis attulerit, ipsi credemus, aliàs non. Gonet vult nostram, & eorum formam essentialem esse quoad omnia; quia ejus determinationem reliquit Christus Ecclesiæ, sicut in confirmatione; sed mirum esset, quòd Christus, qui secundùm ipsum determinavit specificè formam corporis, non determinasset specificè formam calicis. Præterea alia est ratio in confirmatione, quòd omnes ibi varient in verbis principaliter significativis, non hic, cùm omnes conveniant in his aut æquivalentibus: *Hic est Sanguis meus*.

Prob. 3. Iisdem prorsus verbis, quibus Gonet nobis contrarius probat hæc sola verba: *Hoc est Corpus meum*, esse formam essentialem corporis in fieri. Illa sola verba sunt de essentia formæ, qua consecratur calix, quæ significant præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus: sed hanc significant sola verba: *Hic est Calix Sanguinis mei*: ergo in illis solis forma essentialis consecrationis vini consistit. Major patet. Prob. Min. quia illa verba, *Novi & æterni Testamenti*, nullo modo id significant, ut constat: ista verò *Mysterium fidei*, denotant rem esse absconditam. Denique quamvis non adderetur: *Qui pro vobis effundetur* &c. significaretur præsentia Sanguinis Christi sub speciebus: ergo &c. Jam autem vel illa probatio bona est vel mala: si bona, seipsum propriis armis confodit Gonet. Si mala, malè probat sola verba: *Hoc est corpus meum*, esse formam essentialem panis consecrandi.

Respondet Gonet, verba in Conclusione allata significare Christi Sanguinem præcisè, non autem ut effusum; Eucharistiam verò, cum sit Sacramentum simul & Sacrificium, debere significari per verba importantia Sanguinis effusionem. Sed

Contra est, quòd, ut importent Sanguinis effusionem, sufficiat quòd vi verborum Sanguinem significent sine corpore; adeoque ut separatum ab illo.

Replicat, significationem illam mysticæ separationis esse indifferentem, ut significet Sanguinem à corpore separatum per modum potus, an verò per modum Sacrificii, & ideo ad tollendam hanc indifferentiam; addendum esse: *Qui pro vobis effundetur*. Sed

Contra est, quòd ad Sacrificium sufficiat separatio realis, aut mystica in actu exercito, ubi fit victimæ oblatio in recognitionem supremi Dei Dominii, ut patet ex definitione sacrificii: & sic non est opus, ut sacrificans significet in actu signato se velle sacrificare.

Prob. 4. Verba sacramentalia perficiunt, quod significant: sed hæc verba. *Hic est Sanguis meus*, significant perfectè & completè præsentiam Christi Sanguinis sub speciebus vini, independenter ab his verbis: *Novi & æterni* &c. ut per se patet: ergo independenter ab iisdem illam efficiunt.

Obj. 1. Missale Romanum, & Catechismus Pii V. referunt hæc verba *Novi & æterni* &c. majusculis litteris, sicut præcedentia;

cedentia; & ideo Sacerdos eodem ritu & modo hæc illa profert, imò non prius adorat Sanguinem, quàm omnia protulerit: ergo signum est, verba posteriora, sicut & priora esse formæ essentialia.

Res. Ibidem referri formam solitam, non determinando, quænam sint de necessitate Sacramenti, quænam de necessitate solius præcepti: referunt autem iisdem litteris, quia eadem est oratio, quam ne interrumpat Sacerdos, non adorat Sacramenrum, nisi protulerit integram, unde sicut non legitimè infertur, ly *enim* esse de essentia formæ, quia ab iisdem refertur, & iisdem litteris scribitur, ita nec verba præfata.

Ob. 2. Luc. 22. interponitur ly *novum testamentum* aliis verbis essentialibus: ait enim: *Hic calix novum testamentum est in eo Sanguine*: ergo sunt de essentia.

Res. Neg. Conseq. Quia etiam interponitur *enim*, quod, secundùm omnes, non est de essentia: unde nihil ad essentiam facit interpositio, ubi interposita non significant essentialia.

Obj. 3. Licèt hæc verba in Baptismo: *Ego te baptizo*, significent ablutionem, illam tamen non efficiunt, nisi post hæc verba: *In nomine Patris*, &c. ergo licèt hic priora verba significent præsentiam Sanguinis, non tamen ponitur, nisi addatur: *Novi & æterni testamenti* &c.

Res. Dist. Ant. *Baptizo* significat ablutionem externam & materialem: C. internam, & spiritualem: N. & sic non est mirum, superaddenda esse verba sequentia, à quibus voluit Deus, significationem Sacramentalem dependere. Aliud est hic, cùm enim eadem sit significatio naturalis, & Sacramentalis; ubi proferuntur præcisè verba præsentiam sanguinis significantia, etiam ponitur Sanguis præsens.

Obj. 4. Sententia nostra expuncta est ex operibus Cajetani jussu Pii V. ergo &c.

Res. Dist. Ant. Expuncta est tanquam contraria doctrinæ Thomisticæ, quam profitebatur: C. tanquam falsa: N. quia exinde semper mansit communior, imò & communissima.

Obj. 5. Ubi unum ex præfatis verbis omissum est, ordinat Ecclesia formæ repetitionem: ergo censet omnia esse essentialia.

Res. Dist. Ant. Ordinat repetitionem, quia absolutè credit, verba illa esse essentialia: N. ad majorem securitatem, ob probabilem D. Thomæ opinionem: C.

Obj. 6. Si verba illa non sint de essentia formæ, saltem sunt de illius substantia, & integritate, sicut brachium respectu hominis; & ideo licèt possit esse Sanguis sub speciebus vini sine illis dum omittuntur, ad ejus tamen positionem concurrunt, ubi exprimuntur.

Res. Distinctionem illam inter essentiam & substantiam esse merum figmentum quorumdam Thomistarum: cùm eam nunquam agnoverit Ecclesia nec in suis Conciliis, nec in suis Patribus; imò illam expresè rejiciat D. Thomas, ut patet ex dictis initio Conclusionis, ubi confundit in forma calicis substantialia cum essentialibus.

QUÆSTIO III.

An Sacerdos proferre debeat verba consecrationis historicè, an assertivè?

PRofertur aliquid historicè seu recitativè tantùm, quando proferens intendit præcisè referre alterius verba, absque ulla intentione asserendi id, quod ipsa significant; & ita loquitur David Ps. 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*. Profertur autem assertivè, quando loquens id affirmat aut negat, quod verba affirmant aut negant.

CONCLUSIO I.

SAcerdos non profert verba solùm recitativè. Est communis contra quosdam veteres Innocentium III. secutos.

Prob. 1. *Sacerdos*, inquit Florentinum in Decreto unionis, *in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum*; sed si formam tantùm recitativè, & non assertivè pronuntiaret, non loqueretur in persona Christi: ergo. Prob. Min. Ut quis censeatur in persona alterius loqui, debet personam illius induere & repræsentare; jam autem qui recitat tantùm verba alterius, non personam alienam, sed suam repræsentat: quis enim unquam cogitavit. Concionatorem induere personam Augustini, eò quòd Augustini passum referret?

Prob. 2. Præcepit Christus Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut idem facerent, quod ipse fecerat: sed Christus assertivè dixit de eo, quod præ manibus gerebat: *Hoc est Corpus meum*: ergo idem eodem modo dicere debent de eo, quod præ manibus gerunt.

Prob. 3. Quia si tantùm recitativè verba proferret Sacerdos ex illis malè inferretur præsentia Christi sub speciebus, cùm sive ibi esset Christus, sive non, equidem verum diceret celebrans, nempe illa verba protulisse Christum.

Obj. 1. Christus dedit potestatem Sacerdotibus conficiendi Eucharistiam, ubi ejus verba recitarent; ergo ex illis solùm recitatis potest inferri Christi præsentia.

Res. Neg. Ant. Quia mera recitatio verborum illorum non afficit materiam præsentem, seu eam, quam præ manibus gerit Sacerdos; sed absentem, seu illam quam gerebat Christus; quandoquidem de hac & non de illa dixerit: *Hoc est Corpus meum*.

Obj. 2. Si assertivè loqueretur Sacerdos dicendo: *Hoc est corpus meum*; mentiretur; cùm non sit ibi corpus Sacerdotis: ergo

Res. Dist. Ant. Mentiretur, si loqueretur in propria persona assertivè: C. si in persona Christi: N.

Objic. 3. Verba præcedentia, & subsequentia formam calicis dicuntur recitativè solùm: ergo & verba intermedia; cùm non sit credibile, debere Sacerdotem tempore orationis tam brevis, tertiò personam mutare, loquendo, 1. in persona propria, 2. in persona Christi, 3. iterum in propria.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd verba præcedentia & subsequentia nihil debeant efficere, debeant autem intermedia: & sic non est mirum, quòd hæc assertivè proferantur, illa recitativè. Tertiò autem vel potius bis mutatur persona; quia id requirit subjecta materia, in quo nullum inconveniens. Non desunt tamen, qui asserant Sacerdotem verba præcedentia & subsequentia, quæ sunt Christi, etiam assertivè proferre, induendo nempe personam Christi Discipulos in ultima cœna alloquentis.

Dixi *quæ sunt Christi*, quia hæc: *Simili modo postquam* &c. usque ad *Accipite*, cùm sint verba Ecclesiæ, clarum est tantùm recitativè proferri, sicut & *qui pridie quàm pateretur*, in forma corporis.

Obj. 4. Ly *dicens* positum ante ly *Accipite & manducate* insinuat Sacerdotem tantùm loqui, ut Christi referendarium; ergo solùm recitativè & historicè.

Res. Dist. Ant. Ly *dicens* solitariè consideratum, insinuat tantùm loqui &c. C. ly *dicens* ut implicitè involvit *& ego dico*: N. unde sicut si Recollectus, à quo peteret mendicus eleemosynam, responderet: D. Petrus olim dixit mendicanti: *Argentum & Aurum non est mihi*, censeretur apud adstantes, qui norunt, Recollectos non habere pecuniam, idem dicere ac D. Petrus; ita hic Sacerdos, quem sciunt adstantes in hoc Sacrificio gerere personam Christi, saltem ubi agitur de immolatione mystica, censetur ut Christus loqui, adeoque etiam assertivè.

CONCLUSIO II.

SAcerdos non profert etiam formam merè assertivè. Ita torrens DD. contra Marsilium, Vasquez, & Amicum.

Ratio est; quia verba præcedentia formam essentialem Corporis & Sanguinis, apertissimè indicant formam referri tanquam à Christo prolatam adeoque recitativè.

CONCLUSIO III.

SAcerdos profert verba consecrationis recitativè simul & assertivè: recitativè, ut refert historiam institutionis; assertivè autem, in quantùm affirmat, quod affirmavit Christus, cujus personam gerit. Evidenter sequitur ex dictis.

Objic. 1. Non potest quis idem loqui simul recitativè & assertivè, nisi gerat simul personam propriam, & alienam: sed hoc implicat: ergo & illud. Prob. Min. quia non potest induere personam alienam, nisi exuat propriam, aliàs loqueretur in persona aliena, & non aliena, sed propria.

Resp. 1. Neg. Maj. Quia potest quis & recitativè & assertivè loqui in sola persona propria: sic fuisset locutus D. Antonius, si respondisset diabolo tentanti: dixit tibi Christus, quod & ego facio: *Vade Satana*: non enim ibi induisset personam Christi; cùm referens alterius verba, non censeatur illicò ejus personam induere, ut dixi antea.

Resp. 2. dissimulata Mai. Neg. Min. Et ejus probationem;

quia

quia licèt sit implicantia loqui in persona aliena, & non alie-na sed propria, sub eodem respectu; non tamen sub diverso: quod fieri potest, quando quis est alterius referendarius, & simul ejus legatus, aut Minister, ut in nostro casu.

Inst. 1. Eo ipso, quo aliquis est alterius referendarius, non est ejus legatus aut Minister authoritativus: ergo.

Resp. Dist. Ant. Respectu ejusdem oumero actionis: C. quia impossibile est, ut referat alterius actionem, & ipsemet eamdem numero exequatur. Respectu diversæ. N. hic autem Sacerdos referendarius est Christi, ut refert actionem, quam io ultima cœna exercuit; ejus autem Minister authoritativus, in quantum in ejus persona, aliam numero hic & nunc exercet: unde hæc verba, *Hoc est corpus meum*, respiciunt & actionem, quam fecit olim Christus, & actionem, quam etlam nunc facit, per mioisterium Sacerdotis.

Inst. 2. D. Ambrosius l. 4. de Sacramentis cap. 4. asserit, quòd ad conficiendum Sacramentum, *non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi*: ergo tantùm loquitur ot Minister, non ut referendarius.

Resp. Dist. Ant. Non suis sermonibus utitor, ot conficiat Sacramentum: C. ot referat a Christo confectum in ultima cœna: N.

QUÆSTIO IV.

Quid demonstrent Hoc, & Hic *in forma consecrationis & an sumantur substantivè?*

CONCLUSIO I.

PRæfata pronomina non demonstrant panem & vinum. Est communis contra Alensem, & D. Bonaventuram, quorum tamen opinio est planè Catholica; cùm per ly *est*, non intelligant identitatem prædicati cum subjecto, aliàs sensus esset, quòd panis esset Christi corpus, & vinum ejusdem Sanguis, quod apertè falsum est; sed intelligunt *convertitur*, quasi diceretur: *Hoc convertitur in corpus meum*, quia tamen modus ille loquendi non est simplex, ideo non admittitur communiter; cùm, secundùm Patres, dicatur Christus hìc propriè locutus.

Dices: Forma consecrationis significar conversionem panis in Christi corpus; ergo ly *est* sumitur per *convertitur*, *transit* &c.

Ref. dist. Ant. Significat conversionem in actu exercito, in quantùm illam operatur: C. io actu siguato: N. quia ut sic, tantùm significat identitatem illius, quod est sub speciebus cum Christi eorpore, quod non potest esse panis.

CONCLUSIO II.

PRonomina *Hic* & *Hoc* non demonstrant panis & vini accidentia; imò nec ipsum Christi corpus ex parte subjecti.

Prob. 1. Pars; quia vel copula sumitur ibi propriè, & tunc significat speciem panis esse Christi corpus, quod falsissimum est: vel sumitur impropriè, ita ut idem sit ac continet, & tunc vera quidem est propositio, cùm Christi corpus contineatur sub specie panis, sed corrumpitur notio verbi *est*, & dicendum est, Christum fuisse impropriissimè locutum, quod absit.

Prob. 2. Pars; quia si ly *Hoc* demonstraret distinctè corpus ex parte subjecti, forma faceret hunc sensum: *Corpus meum est corpus meum*, quod est ougatoriom & Christo indignum.

CONCLUSIO III.

PRonomen *Hoc* io forma corporis demonstrat confosè Christi corpus sub ratione edulii, sicut & pronomen *Hic* in forma calicis, Christi sanguinem sub ratione potus ita ut sensus sit, *Hoc edulium est Corpus meum*, *Hic potus est Sanguis meus*, scilicet in fine prolationis formæ. Est verior & plausibilior, cui non contradicunt D. Thomas & Scotus, quorum primus docet demonstrare substantiam, & secundus ens, quasi diceretur: hæc substantia, vel hoc ens, io fine verborum est Christi corpus; quia ut patet, in idem, aut ferè in idem redit.

Prob. autem Conclusio; quia pronomina illa sumuntur substantivè, ut postea dicemus; id est, sub illis aliquid subintelligitur ex parte subjecti; sed nihil convenientius subintelligi potest, quàm edulium & potus: ergo. Prob Min. quia licèt dicta pronomina de se non potius demonstrent edulium & potum, quàm aliam rem: ad hoc tamen demonstrandum determinantur per verba formam præcedentia, quibus Christus Apostolos invitat ad sumptionem corporis & sanguinis sui dicens: *Comedite, Hoc est Corpus meum: Bibite, Hic est Sanguis meus*: quod enim comeditur, est edulium, & quod bibitur, est potus.

Nec refert quòd Scotus 4 dist. 8. q. 2. n. 17. dicat ly *Hoc* non significare aliquid singulare minus universale, quàm ens quia sic intelligo, ait Bosco, quasi diceret: Pronomen illud per se non videtur plus significare, quàm hoc ens; attamen propter rationes allatas determinatur ad significationem alicujus minus universalis.

Dixi in Conclusione: *Scilicet in fine prolationis*; quia etsi propositiones speculativæ ordinariè demonstrent id quod est præsens initio propositionis, cùm non efficiant, sed supponant objectum suum; practicæ tamen, utpotè objectum suum non præsupponentes, sed efficientes, totam suam significationem & demonstrationem referunt ad id quod est præsens in fine locutionis; quod præsertim verum est in propositionibus conversivis; quia nemo intendit demonstrare id quod desinit esse, sed quod accipit esse per propositionem, cujus pronomen est pars. Ità si Christus convertens aquam in vinum dixisset; hoc est vinum, non demonstrasset aquam, quæ desiisset existere, sed vinum, quod fuisset factum.

CONCLUSIO IV.

DIcta pronomina sumuntur substantivè. Ita Scotus 4. dist. 8. q. 2. n. 7. contra Vasquez, & quosdam alios. Pro quo

Adverte pronomen sumi substantivè, quando sub illo intelligitur ex parte subjecti propositionis aliqua sobstantia, de qua dicatur Prædicatum: Adjectivè verò, quando nihil substantiale intelligitur, sed proximè demonstrat Prædicatum in fine propositionis.

Prob. 1. Conclusio ex Trid. sess. 13. cap. 4. ubi legitur: *Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*: sed ly *id* sumitur substantivè, cùm significet contentum sub speciebus panis; ergo.

Prob 2. Evidentissimè ex versione gallica, ubi dicitur *Cecy est mon corps*, *cecy est mon Sang*: quasi diceretur: *Cette viande est mon corps*, *cette boisson est mon Sang*. Ubi subjecta sunt substantiva.

Dices 1. *Hic* in Forma calicis non sumitur substantivè, aliàs debuisset dicere: *Hoc est Sanguis meus*: ergo nec substantivè sumitur *Hoc* in Forma corporis.

Ref. Neg. Ant. Et ejus probationem; cùm enim *Hic* supponat immediatè pro potu, ut diximus, qui est masculini generis, debuit dici *Hic*, & non *Hoc*. Plura circa hanc difficultatem vide apud Nostrum Bosco disp. 4. Sect. 3. Concl. 4. de Forma Eucharistiæ.

Dices 2. Cum Vasquez: Somendo pronomen adjectivè faciliùs occurritur Hæreticorum objectionibus, eo quod difficile sit assignare subjectum propositionis substantivum.

Resp. Neg. Assumpt. Et ejus probationem; quia nos facilè conformiter ad verba præcedentia consecrationem per ly *Hoc* intelligimus Edulium, seu comestibile, sub ratione quidem indeterminata initio propositionis, sob ratione verò determinata corporis Christi, in fine ejusdem. Idem dic proportionate ad ad Formam calicis. Ex dictis

Resol. 1. Validam esse hanc Formam (quamvis non osurpandam) *Hoc est Sanguis meus*; quia idem valet ac si diceretur: *Hoc ens*, vel *Hoc contentum sub speciebus vini*, *est Sanguis meus*: unde etiam Vasquez, aliàs nobis contrarius, admittit hujus Formæ validitatem.

Resol. 2. Irritas esse has Formas: *Hic est corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, si *Hic* sumatur adverbialiter; quia tunc non significatur conversio, sed existentia in locu, valeret tamen prior Forma; si quis poneret pronomen *Hic*, loco *Hoc*, ex errore grammaticali; sicut valeret, si diceret ex eodem errore: *Hoc est corpus meus*.

Resol. 3. Probabilius invalidas esse has Formas: *Meum est hoc corpus*, vel, *Hoc corpus est meum*; quia in rigore sermonis tantùm significatur corpus pertinere ad loquentem, suppresso conversionis mysterio.

QUÆSTIO V.

Quid importent reliquæ consecrationis particulæ?

CONCLUSIO I.

PArticula *est* significat identitatem inter demonstratum, per Pronomen *Hoc*, & Prædicatum, seu *Corpus meum* adeoque propriè, & sine tropo sumi debet, ut fusius infrà. Hinc

Resol. 1. Nullam esse Formam, si ly *est* omittatur, quia licèt in Syriaco & Græco, non legatur apud Lucam eò quòd idem sonet oratio apud ipsos, sive copula *Est* ponatur, sive non; non esset tamen apud Latinos sensus perfectus, si omitteretur.

Resol. 2. Invalidè consecrare ponentem *Fit* loco *est*; quia non indicatur identitas prædicati cum subjecto.

CONCLUSIO II.

VOx *enim* (quæ nullatenus est de essentia Formæ) conjungit præcedentia cum subsequentibus, denotatque causam impulsivam ad sumptionem Christi corporis & sanguinis; quasi diceret: Audacter manducate, quia hoc est corpus meum, audacter bibite, quia hic est sanguis meus. Hanc autem particulam omittere, secluso omni contemptu, non videtur mortale.

CONCLUSIO III.

COrpus importat compositum ex materia prima, & forma corporeitatis, ut loquuntur Scotistæ, vel, ut volunt alii materiam primam cum certis formis partialibus nempe carnis, ossis, nervi. Est autem indifferens ad veritatem Formæ, sive corpus vivat, sive non, sive sit cum sanguine, sive absque; quia vi verborum præcisè, abstrahitur à vita & sanguine, & ideo consecrans in triduo mortis, verè posuisset Christi corpus sub speciebus panis. Non consecraret tamen dicens: *hæc est caro mea*; quia *caro* non significat idem quod *corpus*, cùm hoc significet totum, illa partem: unde si qui Patres Formam illam referant & approbent, loquuntur ibi per Synecdochen, sumendo partem corporis pro toto corpore quo sensu videtur Christus locutus, quando dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* &c.

CONCLUSIO IV.

SAnguis significat unum ex quatuor humoribus, qui vulgo hoc nomine intelligitur. Parum refert autem sive ponatur *Sanguis*, sive *calix sanguinis*: hoc enim fit vel per Metonymiam, qua continens ponitur pro contento, vel per Hypallagen, qua unum verbum ponitur pro alio, ita ut *calix Sanguinis* sumatur pro *Sanguine* calicis, sicut vas aquæ dicitur effundi quando aqua vasis effunditur. Porro non sine ratione meminit scriptura calicis; tùm quia per hoc adumbratur Christi Passio, nonnunquam nomine calicis significata; tum quia Christi sanguis non satis intelligitur esse fidelium potus, nisi calice receptus. Quando autem Sacerdos consecraturus dicit de Christo: *Accipiens & hunc præclarum calicem*, non est sensus, quòd hunc numero calicem, aut liquorem acceperit, sed hunc specie, aut nomine.

CONCLUSIO V.

LY *Meum* est Adjectivum relatum ad corpus, sicut ly *Meus* ad sanguinem, ostenduntque necessario debere Sacerdotem in hoc Sacrificio Christi personam sustinere, nullamque fore consecrationem, si loco *Meum*, poneret *Christi*: quia tunc non Christi, sed propriam sustineret personam.

Additur post Formam essentialem sanguinis: *Novi & æterni testamenti*; quia per Christi sanguinem stabilitur & roboratur novum Testamentum, quod dicitur *æternum*; quia ab æterno de æterna hæreditate ordinatum.

Sequitur: *Mysterium Fidei*; quia in eo proponitur res valdè arcana, quam nec sensus, nec intellectus potest naturaliter ullo modo comprehendere, & ideo sola fide debemus eam credere.

Denique ponitur: *Qui pro vobis*, nempe sumentibus, & *pro multis* &c. id est pro omnibus omnino hominibus cùm pro illis omnibus mortuus sit Christus, suumque sanguinem effuderit sufficienter; pro Electis verò, etiam efficaciter.

QUÆSTIO VI.

An forma consecrationis operentur ut veræ, an ut significativæ?

QUæstio est purè speculativa, cùm non agatur de operatione, quam admittunt omnes Catholici, sed de modo operandi; & ideo breviter expedienda

CONCLUSIO I.

FOrmæ consecrationis non operantur ut veræ. Est Scoti 4. dist. 8. q. 2. n. 23. contra quosdam Thomistas.

Prob. 1. Priùs est Formas consecrationis habere suum objectum, quàm esse veras; cùm, teste Philosopho, ex eo quòd res est, vel non est, propositio dicatur vera aut falsa: sed implicat ut prius sit à posteriori; ergo ut Christi Corporis & Sanguinis præsentia sit à Formarum veritate.

Prob. 2. Quia vera est hæc causalis à priori: Ideò verba consecrationis sunt vera, quia convertunt: ergo priùs est conversio, quàm sit verborum veritas. Prob. Ant. Quia vera sunt ex eo, quòd enuntient conformiter ad objectum præsens; ubi objectum præsupponitur veritati, non veritas objecto.

Dicer 1. Tridentinum infert præsentiam Christi in Eucharistia ex Formarum veritate: ergo.

Res. Dist. Ant. Infert à priori, sicut inferimus risibile ex rationali: N. à posteriori, sicut inferimus rationale ex risibili: C. undè non vult, quòd veritas sit causa conversionis, sed conversio causa veritatis.

Dices 2. Priusquam Sacerdos consecret, credit Formam esse veram: ergo prior est veritas operatione.

Res. dist. Ant. Credit Formam esse veram post operationem objecti, quod enuntiat. C. ante operationem: N.

Inst. Dum actualiter loquitur, affirmat esse Christi corpus ergo.

Res. dist. Ant. Affirmant esse Christi corpus in facto esse: N in fieri, seu in fine propositionis: C.

Dices 3. Cum Amico: Ex eo quòd futurus est effectus per Formam causandus, Formam antequam causet intelligitur vera per conformitatem ad effectum futurum; ergo dici potest, quòd causet ut vera.

Resp. Neg. Ant. Quia propositio de præsenti, qualis, est Forma consecrationis, non dicitur vera ab objecto futuro sed ab objecto præsenti: undè considerata prout est habitura objectum suum, potest quidem dici futura vera, non tamen vera actualiter.

CONCLUSIO II.

FOrmæ consecrationis operantur, ut significativæ. Est Scoti supra, omniumque ejus Discipulorum, cum multis alijs recentioribus.

Prob. 1. Quia nihil aliud occurrit in propositione, præter significationem & veritatem, aut falsitatem: sed propositiones consecratoriæ non operantur ut veræ aut falsæ, ut dictum est: ergo restat, ut operentur quatenus significativæ.

Prob. 2. Quia, ut loquuntur communiter Theologi, Sacramenta causant quod significant: ergo eorum causalitas tribuitur significationi, non quidem naturali, sed Sacramentali, seu ei, quam Formis annexuit Christus.

Dices 1. Formæ non operantur præcisè, quia significant sed quia verè significant: ergo earum operatio magis tribuitur veritati, quàm significationi.

Resp. Dist. Ant. Non operantur præcisè, quia significant id est, non operantur propter significationem speculativam C. propter significationem practicam, seu quia verè efficiunt quod significant: N.

Prob. 2. Si forma causaret, quia significat, priùs natura esset significatio, quàm objectum: ergo pro illo priori significaret falsum.

Resp. Neg. Conseq. Quia veritas aut falsitas propositionis non petitur ab instanti naturæ, sed temporis; jam autem licèt sit prior natura significatio, est tamen simul tempore cum veritate.

DIS-

DISPUTATIO IV.

De Tranſubſtantiatione.

TRanſubſtantiationis nomen & rem rejiciunt Lutherani & Calviniſtæ. Nomenquidem, quod tanquam vocabulum barbarum & portentoſum calumniantur voluntque eſſe inventum D. Thomæ, aut Concilii Lateranenſis. Rem verò, quia Lutherus nullam ibi admittit ſubſtantiæ mutationem, ſed ſolam ſubſtantiæ panis remanentis cum ſubſtantia Chriſti corporis advenientis conjunctionem, undè ipſe & ejus Aſſeclæ dicti ſunt *Impanatores*, ſeu *Paniſtæ*. Calvinus, ut ante diximus, cùm neget in Euchariſtia realem Chriſti præſentiam, negat etiam ſubſtantiæ panis & vini deſtructionem. Quorum errores ut refutemus, ſit.

QUÆSTIO I.

Qua actione ponatur Chriſti corpus in Euchariſtia, & in quo conſiſtat actio illa?

ADvertendum hìc converſionem dividi in accidentalem, & ſubſtantialem. Accidentalis eſt cùm Accidens mutatur in aliud accidens, ut album in nigrum, frigidum in calidum, &c. Subſtantialis, cùm ſubſtantia mutatur in aliam ſubſtantiam: quod poteſt accidere, dupliciter nempè incompletè, & completè: *Incompletè* quidem, cùm pars ſubſtantiæ mutatur in aliam ſubſtantiæ partem, ut cùm forma ligni tranſit in formam ignis, remanente utriuſque ſubjecto communi, nempè materia prima. Nec aliam converſionem ſubſtantialem reperire eſt apud agentia naturalia, quàm propriè *transformationem* poſſumus nuncupare. *Completè* verò, cùm tota ſubſtantia, id eſt, materia & forma, in totam ſubſtantiam convertitur quod accidit in hoc mirabili Sacramento, ubi tota panis & vini ſubſtantia, in totam Chriſti corporis & Sanguinis ſubſtantiam tranſmutatur, quæ converſio dici poteſt ſano ſenſu *Tranſubſtantiatio*; & certè ſi tranſitum ab una forma ad aliam, *transformationem* nuncupant Philoſophi, quidni tranſitum à totali ſubſtantia, ad aliam totalem, *Tranſubſtantiationem* vocarent Theologi.

CONCLUSIO I.

COrpus & Sanguis Chriſti ponuntur in Euchariſtia per veram & realem converſionem ſubſtantialem, quæ à Conciliis & Theologis Tranſubſtantiatio dicitur. Eſt de fide non ſolùm in Conc. Tridentino, ubi anathematizantur illi, qui negaverint totam ſubſtantiam panis & vini converti in corpus & Sanguinem Chriſti, ſed etiam in Florentino his verbis; *Subſtantia panis in corpus, & ſubſtantia vini in Sanguinem convertuntur.*

Prob. Autem concluſio: Actio, qua ponuntur corpus & Sanguis Chriſti in Euchariſtia, habet omnes conditiones, requiſitas ad converſionem ſubſtantialem: ergo &c. Primo eſt inter duo entia poſitiva, nempè inter panem & vinum ex una parte, & corpus ac Sanguinem Chriſti ex altera parte. Secundo deſinunt panis & vinum tanquam termini *à quibus*, & incipiunt eſſe ſub ſpeciebus, Chriſti corpus, & Sanguis tanquam termini *ad quos*. Tertiò eſt deſitio unius propter inceptionem alterius, ſaltem in tali loco, ita ut quædam connexio moralis inter terminum deſinentem, & alterum incipientem: nam panis & vinum ita deſinunt vi poſitionis corporis & Sanguinis Domini, ut niſi hæc ponerentur, illa non deſinerent, & è contrà corpus & Sanguis ita ponuntur vi deſitionis panis & vini, ut niſi hæc deſinerent, illa non ponerentur. Quartò adeſt aliquid commune utrique termino, nempè ſpecies, ſub quibus priùs erat ſubſtantia panis & vini, & poſtea ponitur ſubſtantia Chriſti corporis & Sanguinis; atqui ad veram converſionem ſubſtantialem nihil aliud requiritur: ergo.

Dixi in tertia conditione: *Ita ut ſi quædam connexio moralis inter* &c. nam cum Chriſti corpus ponatur modo ſpirituali ſub ſpecie panis (idem eſt de Sanguine ſub ſpecie vini) ita ut non repugnet ei eſſe ſimul cum pane attenta rerum natura, non videtur quomodo phyſicè poſſit expellere ſubſtantiam panis, & ideo illa connexio non eſt phyſica, ſed ex voluntate & decreto Dei; qui voluit, ut ad poſitionem Chriſti corporis neceſſariò ſequeretur diſtructio panis.

CONCLUSIO II.

ILla actio, ſeu tranſubſtantiatio formaliter & præciſè conſiſtit in tranſitu ſubſtantiæ panis & vini in ſubſtantiam corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus. Prob. quia ſicut transformatio conſiſtit in tranſitu unius formæ in aliam ſub aliquo communi, nempe materia prima; ita etiam conſiſtere debet tranſubſtantiatio in tranſitu unius ſubſtantiæ in aliam ſub aliquo communi. Ex dictis

Reſol. 1. Non remanere in Euchariſtia ſubſtantiam panis & vini cum corpore & Sanguine Chriſti; nam ſi remaneret non poſſet dici converſa in Corpus & Sanguinem Chriſti cum terminus *à quo* converſionis debeat deſinere eſſe ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam dicitur converti in aliud: undè hæc veritas eſt etiam de fide, ſicut & ipſa converſio. Quin imo in terminis definita eſt in Concilio Romano ſub Gregorio VII. contra Berengarium, in Concilio Conſtantienſi contra Wicleffum, & noviſſimè in Trident. ſeſſ. 13. c. 2. contra Lutherum & ejus Aſſeclas, qui volunt Chriſtum impanari, ut diximus.

Reſol. 2. Si panis in Euchariſtia maneret, falſam fore formam conſecrationis, quia pronomen *Hoc*, demonſtratis Accidentibus panis, demonſtraret illius ſubſtantiam, ſi ibi foret, cum ſit naturalis inter ipſa connexio.

Reſol. 3. Falſam eſſe hanc conſequentiam: *Ubi vinum eſt in dolio, dici poteſt*, HOC EST VINUM: *ergo ſi Chriſti corpus eſſet ſub pane, dicere potuiſſet Chriſtus*: HOC EST CORPUS MEUM: quia licèt pronomen *Hoc* demonſtrare poſſit continens & contentum ordinarium, non tamen omne contentum: unde ſicut demonſtrato auro, in quo eſſet Angelus cum ſubſtantia ipſius auri, male dicetur: *Hoc eſt Angelus*, ita etiam in noſtro caſu, quia panis ex natura ſua aut ex uſu communi hominum non eſt magis contentivus corporis Chriſti, quàm aurum Angeli.

Reſol. 4. Si Gelaſius Papa dicat remanere in Euchariſtia *ſubſtantiam*, aut *naturam* panis, ſic loqui, non quia putat remanere ſubſtantiam ad ſenſum hic intentum, ſed quia remanet virtus nativa ſubſtantiæ, ſeu vult ab Accidentibus panis & vini certos produci effectus, qui producerentur à ſubſtantia panis, ſi ibi adeſſet. Idem dic ad alios. Deinde Gelaſius expreſſè docet negligi vocum proprietatem, ubi de eis non agitur principaliter, ſicut hic, ubi agit de Incarnatione non de Euchariſtia: quod ſatis ipſemet oſtendit in Epiſt. ad Epiſcopos Picæni Provinciæ, ubi aſſerit vitiatam eſſe per peccatum originale hominis ſubſtantiam, cum ſolum fuerit homo in accidentalibus vitiatus.

Reſol. 5. Non rectè ſentire Lutheranos, cum: *Tranſubſtantiationis* inventorem faciunt Innocentium III. in Concilio Lateran. IV. quia licèt tunc primò uſurpata fuerit vox *Tranſubſtantiatio*, res tamen per eam ſignificata ſemper fuit in Eccleſia credita, vel ſub nomine *Converſionis*, vel *mutationis*, vel *tranſmutationis* &c. ut legere eſt apud Patres ab Authoribus citatos: undè ſicut male diceretur *Conſubſtantialitas* Verbi cum Patre initium habuiſſe in Concilio Nicæno, eo quòd vox *Conſubſtantialis* non uſurparetur antea vulgariter, ita & *Tranſubſtantiatio* in Concilio Lateranenſi. *Nominis offenderis novitate*, ajebat olim D. Athanaſius alloquens Arium, *an etiam rei ipſius veritate, quæ hoc eſt ſortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novæ rei veritas acceſſit.*

Reſol 6. Non manere poſt conſecrationem materiam primam ipſius panis, adeoque nec à fortiori informari anima Chriſti, ut voluit Durandus, quia ſi corpus Chriſti, quod eſt in Euchariſtia, foret diverſum ab eo, quod fuit pro nobis traditum, quandoquidem conſtaret diverſa materia Præterea Tridentinum ſupra dicit totam ſubſtantiam panis converti in corpus Chriſti: ergo convertitur & ipſa materia prima, cùm ſit pars ſubſtantiæ panis.

Reſol. 7. Nec remanere exiſtentiam panis in Euchariſtia, quidquid dicat Bannez; nam cùm juxta Scotum, exiſtentia panis ſit identificata ſubſtantiæ panis, ſi remaneret exiſtentia remaneret & ſubſtantia: quod eſt hæreticum. Deindè cùm ſecundùm nos Accidentia exiſtant exiſtentia propria, & non ſubjecti, ad quid ibi exiſtentia panis?

Reſol. 8. Etiam partem panis aut vini ſumendam à peccatoribus, converſam eſſe per conſecrationem in Chriſti corpus & Sanguinem, quidquid in contrarium ſomniarint aliqui quos apertè condemnat Apoſtolus 1. Cor. 11. *Qui manducat & bibit indignè*, inquit, *judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An ad Transubstantiationem Eucharisticam requiratur reproductio, an autem sufficiat adductio?

SEnsus quæstionis est, an Christi corporis & Sanguinis substantia reproducatur in Eucharistia, an verò adducatur è cœlo per productionem novæ præsentiæ ad species Eucharisticas?

CONCLUSIO I.

AD Transubstantiationem Eucharisticam sufficit sola adductio. Ita D. Bonaventura, Alensis, Mayronius, Richardus, Scotus cum suis 4. dist. 11. q. 3. n. 23. quos secuti sunt Bellarminus, Aversa, Turrianus, Lugo, Vasquez &c. quorum ultimus citatus in suam sententiam D. Thomam arripere videtur, dicitque S. Doctorem nunquam docuisse hanc conversionem esse productionem termini *ad quem*, licet id asserant ejus sequaces.

Prob. 1. ex Trid. sess. 13. cap. 4. ubi infert mirabilem illam conversionem, ex eo quòd Christus id quod sub specie panis offerebat, verè dixerit esse corpus suum: atqui id, quod sub specie panis offerebat, verè dixisset esse corpus suum, licèt non fuisset reproductum, sed tantum ad species panis adductum: ergo ad illam conversionem, etiam in sensu Tridentini non requiritur corporis reproductio.

Confirm. Vera est conversio juxta Concilium, quia verba sunt verba consecrationis; atqui seclusa reproductione, & posita sola adductione, vera sunt verba consecrationis, ut patet: ergo & vera conversio.

Prob. 2. Transubstantiatio Eucharistica est transitus totius substantiæ panis in Christi corpus: atqui haberetur talis transitus, licèt corpus Christi tantum adduceratur; ergo. Prob. Min. ideo panis dicitur transire, seu converti in corpus Christi, quia desinit vi positionis corporis Christi: atqui sive reproducatur, sive tantùm adducatur corpus Christi, equidem verè & propriè ponitur sub speciebus Eucharisticis: ergo. Imò vi solius reproductionis non ponitur sufficienter ad conversionem, quandoquidem posset esse reproductum & non succedere in locum panis: unde non quia reproducitur, sed quia adducitur in locum panis per novam præsentiam, est vera conversio: ex quo patet ulterius reproductionem esse merè accidentariam conversioni, cùm illa posita, non necessariò habeatur conversio, & illa seclusa haberi possit.

Prob. 3. Paries verè diceretur conversus de albo in nigrum, si nigredo alibi producta succederet in locum albedinis: ergo similiter in nostro casu.

Prob. 4. Sacramenta id causant, quod significant: sed Forma consecrationis significat præcisè Christi præsentiam sub speciebus, ergo illam præcisè causat: unde si alicubi dicant Patres verba consecrationis esse productiva Christi corporis, non volunt esse de novo productiva, sed talis efficaciæ, ut si Christi corpus non præhaberet esse illi conferrent.

Prob. 5. Quia ex opposita sententia sequuntur varia absurda, non solùm in Physica, sed etiam in Theologia. 1. Quod Christus in Eucharistia, non sit Filius Virginis, cùm nullatenùs concurrat ad ipsius reproductionem. 2. Quòd infinities quotidie renovetur Christi Incarnatio. 3. Quòd toties destruatur Christi substantia corporalis, quoties destruuntur species Eucharisticæ. 4. Quòd Deus singulis momentis creet, & annihilet Christi corpus.

Prob. 6. Quia nihil intellectu facilius, ac captui humano magis proportionatum, quàm sententia nostra, cùm facilè quisque intelligat desinere panem esse, & Christi corpus alibi præexistens: incipere hic esse loco panis, ac corruptis speciebus, desinere hic esse, perdendo solam præsentiam, non substantiam. In quot autem, & in quantas abeant difficultates, asserentes quotidianam Christi corporis reproductionem & destructionem? vix potest explicari. Aliqui enim volunt, verè produci Christi corporis substantiam: Alii solam unionem corporis ad species: Alii Christi corpus, quatenus supplet vicem panis & vini, sustentando eorum accidentia: inter quos volunt illi sustentare in genere causæ efficientis, hi in genere causæ materialis. Alii volunt esse reproductionem, non quia Christi corpus reproducitur, sed quia reproduceretur, nisi alibi præexisteret: Alii denique, ut alios omittam, sustinent verba influere in Christi corpus, non producendo aut reproducendo, sed conservando. Quæ diversitas opinandi valdè suspectam reddit opinionem contrariam.

Objic. 1. SS. Patres nullibi meminerunt in hoc Sacramento actionis adductivæ: ergo dici potest gratis conficta.

Res. Nec meminisse actionis reproductivæ; & consequenter qua ratione negabitur inde prima, negabitur & secunda: unde ad difficultatem illam siccam & speculativam minimè attendentes dixerunt præcisè vi consecrationis poni sub speciebus Christi corpus. An autem poneretur reproductum an solùm adductum, nihil determinarunt.

Inst. Frequenter asserunt Christi corpus in Eucharistia confici, creari, fieri &c. & ideo cantat Ecclesia de Christo: *Verbo carnem efficit*; quæ omnia important productionem, non primam, ut patet: ergo reproductionem.

Res. Dist. Assumpt. Asserunt confici, fieri &c. secundùm esse simpliciter, N. secundùm esse Sacramentale, seu præsentiale sub speciebus Eucharisticis: C.

Quòd si videantur aliqui productionem simpliciter insinuare, solùm intendunt verba consecrationis esse de se productiva Christi corporis, & quod de facto producerent nisi præexisteret, hoc enim requiritur ad formæ veritatem.

Obj. 2. Adductio non importat conversionem: sed hic reperitur vera conversio: ergo.

Resp. Dist. Mai. Adductio ut sic non importat &c. C. Adductio Eucharistia, ubi ità desinit, panis vi corporis Christi adducti, ut nisi hoc adduceretur, ille non desineret, N.

Inst. 1. Non datur vera conversio, nisi producatur terminus *ad quem*; ergo vel producitur Christi corpus, vel non est hic conversio.

Resp. Dist. Ant. Non datur vera conversio productiva, nisi &c. C. conversio adductiva, N. Hanc autem esse veram conversionem, inde patet, quòd esset vera & propriè dicta conversio formalis, ubi forma ignis antea alibi producta, introduceretur in locum formæ ignis, ideo desinentis.

Inst. 2. Non minùs debet incipere esse terminus, introductus, quàm desineret terminus expulsus: ergo.

Res. Dist. Ant. Non minùs debet incipere esse simpliciter, N. Non minùs debet incipere esse hic, Conc.

Inst. 3. Terminus expulsus debet desinere esse simpliciter: ergo & simpliciter incipere, esse terminus introductus.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd terminus expulsus dicatur conversus: nihil autem secundùm ideam communem dicatur converti in aliud, si adhuc existat, licèt alibi; terminus verò introductus dicitur succedens: nihil autem refert, an terminus succedens tunc solùm existat, cùm succedit, an verò extiterit antea; cùm hoc sit impertinens ad successionem.

Inst. 4. Inde sequitur hic tantùm intervenire translationem, cùm sit tantùm successio unius loco alterius.

Resp. Neg. Sequelam, & ejus probationem; quia licèt Christi corpus succedat in locum panis, non tamen nudè & simpliciter; quia ità succedit, ut vi illius successionis desinat panis in ipsum conversus; & ità desinit panis, ut nisi corpus succederet, non desineret panis; ubi reperitur vera conversio.

Obj. 3. Transubstantiatio, qualis est Eucharistica, debet esse inter duas substantias, adeoque & terminus *ad quem*, & terminus *à quo* debent esse substantiales, sed terminus adductionis non est substantia, sed merum accidens, nempe Christi præsentia sub speciebus Eucharisticis: ergo.

Resp. Dist. Min. Terminus adductionis productus non est substantia, sed accidens, C. terminus introductus, N. est enim ipsum Christi corpus: conversio autem nec specificatur, nec dicitur substantialis à termino, qui producitur, sed ab illo, qui introducitur; adeò ut omnis illa conversio sit substantialis, cujus terminus *à quo*, & *ad quem* introductus, est substantia, sive terminus productus sit substantia, sive non: unde hic præsentia Christi corporis non est terminus transubstantiationis, sed ipsum corpus, cùm panis non in præsentiam corporis, sed in corpus convertatur. Pro majori intelligentia

Adverte hic in rigore duplicem intervenire actionem, adductionem nempe, & transubstantiationem: Prioris terminus *ad quem* est accidens, nempe Christi corporis præsentia: posterioris est substantia, nempe Christi corpus, unde quando adductio dicitur transubstantiatio, aut è contra, sumuntur impropriè, seu pro aliquo concomitanti. Imò etiam duplicem actionem ponere debent Adversarii, scilicet reproductionem, & transubstantiationem; cùm per hoc præcisè, quod per hoc reproducatur Christi corpus, non ideo transubstantietur in eum panis, cùm pos-

fet

ſet reproduci corpus, & non tranſubſtantiari panis, ut per ſe patet.

Obj. 4. Deus non confert fruſtra virtutem Sacramentis, atqui contulit verbis Conſecrationis virtutem efficiendi Chriſti corpus: ergo de facto illud efficiunt. Prob. Min. Quia ſi non præexiſteret corpus, neceſſariò deberent verba, ad formæ veritatem, illud efficere: ergo ſignum eſt ipſis ineſſe virtutem efficiendi.

Reſ. Diſt. Min. Contulit virtutem efficiendi Chriſti corpus præſens ſpeciebus Euchariſticis, C. quia hoc requiritur ad formæ veritatem. Efficiendi ſimpliciter, N. cùm enim, ut præfert objectio, Deus non conſerat fruſtra virtutem, non debuit dare virtutem efficiendi, quod jam factum eſt. Dediſſet autem, ſi non præeatitiſſet Chriſti corpus; quia hoc requiſiiſſet formæ veritas.

Obj. 5. Si tantùm produceretur præſentia ſine corpore non eſſet aſſignabile, ubi illa produceretur: ergo. Prob. Ant. Non quidem in corpore exiſtente in cœlo, quia per illam fieret præſens cœlo, non Sacramento: non etiam in corpore, exiſtente ſub ſpeciebus, quia priùs eſſet præſens ſacramentaliter, quàm haberet præſentiam ſacramentalem.

Reſp. Produci quidem in Chriſti corpore exiſtente in cœlo, non tamen ut exiſtente in cœlo, ſed prout abſtrahente ab omni loco, ſeu in corpore præciſè, ſicut autem per ubi cœleſte determinatur ad eſſe in cœlo, licèt antea ibi non foret, ità per ubi ſacramentale determinatur ad eſſe in Sacramento, etſi antea abeſſet.

QUÆSTIO IV.

Quænam ponantur in hoc Sacramento vi verborum quænam per concomitantiam?

TOtum Chriſtum ſecundùm corpus, Sanguinem, animam, & divinitatem poni ſub qualibet ſpecie ſive panis, ſive vini, fide certum eſt ex Conciliis Conſtantienſi, Florentino, & Tridentino Seſſ. 13. can. 1. & 3. ubi habetur: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.*

Sed Quæritur, quænam præciſè habeantur vi verborum, quænam per concomitantiam? Ante reſolutionem.

Adverte 1. Illud poni *vi verborum*, quod præciſè per verba ſignificatur, ſeu cujus præſentia præciſè requiritur, *ut* verba Formæ verificentur: illud autem poni *per concomitantiam* quod ponitur vel propter realem unionem, vel propter naturalem connexionem, quam habet cum eo, quod ponitur vi verborum.

Adverte 2. Non eſſe idem poni vi verborum, ac poni vi conſecrationis; nam etiam illud, quod ponitur per concomitantiam, ponitur vi conſecrationis. His notatis

CONCLUSIO I.

VI verborum ponitur ſub ſpecie panis corpus Chriſti præciſè, & ſub ſpecie vini tantùm ejus ſanguis. Prob. Quia verba conſecratoria hoc præciſè ſignificant, nec plus requiritur ad eorum verificationem.

Corpus autem, quod per verba Formæ ſignificatur, non eſt corpus humanum, prout abſtrahit à vivo & mortuo, ut volunt aliqui: nam cùm, juxta Scotiſtas & plures alios, ſit idem corpus mortuum ac vivum ſecundùm omnia eſſentialia, fruſtra recurritur ad illam abſtractionem; unde corpus quod ſignificatur & ponitur vi verborum, eſt compoſitum ex materia prima & forma corporeitatis, quæ exurgit ex formis partialibus carnis, oſſis, &c. ut diximus antea.

Et ſi à me quæratur, inquit Noſter Boſco, an omnes, & quænam partes corporis Chriſti ponantur ex vi verborum ſub ſpecie panis? Reſp. Citò, omnes illæ, quæ de facto, ſunt & exiſtunt in ejus corpore glorioſo; non autem quæ aliquando fuerunt, & quas per activitatem caloris naturalis Chriſtus deperdidit vel ante, vel etiam poſt ultimam cœnam; quia ſolæ partes, quas hic & nunc habet, & non illæ, quas perdidit, dicuntur Chriſti corpus. Verùm fateor quòd licèt verba conſecrationis præciſè ſignificent corpus non quòd Chriſtus olim habuit, ſed quod jam habet, quia tamen cenſetur moraliter idem, etiam nunc verificantur verba pro corpore, quod tunc habebat. Idem dic cum proportione de ſanguine.

Porro per *Sanguinem*, qui ponitur *vi verborum*, videtur intelligenda maſſa illa ſanguinea, ex quatuor humoribus conflata, non autem humor ille tantùm, qui ab aliis tribus diſtinguitur: nam communiter per ſanguinem intelligitur liquor ille rubeus contentus in venis, qui revera conſtat ex quatuor humoribus, & de tali ſanguine dicitur: *Qui pro vobis effundetur*; quandoquidem talis ex venis Chriſti fluxerit.

Petes: An unio hypoſtatica ponatur *vi verborum*? Aſſerit Averſa hoc nixus fundamento, quòd ly *meum* ſit idem quòd hypoſtaticè unitum; ſed cùm nullum ſit fundamentum etiam, nulla eſt aſſertio: nullum autem eſſe fundamentum, inde patet, quòd ſi Chriſtus diceret, aut alius ejus nomine: *Hic eſt ſudor meus*, ly *meus* non ſignificaret ſudorem eſſe hypoſtaticè unitum, cùm de facto non ſit: unde *meum* tantùm denotat, corpus eſſe Chriſti, nihil determinans, an Verbo hypoſtaticè uniatur, necne.

CONCLUSIO II.

PEr concomitantiam ſub ſpecie vini ponitur corpus, ſub ſpecie panis, ponitur ſanguis, & ſub utraque ponitur anima, ſicut & divinitas cum unione hypoſtatica, & perſonalitate Verbi: imò, quidquid reclament aliqui, ponuntur etiam Pater & Spiritus S. adeoque adeſt in hoc mirabili Sacramento tota Trinitas modo quodam ſpeciali.

Prob. ex Catechiſmo Romano parte 2. cap. 4. qu. 28. *Si duo aliqua inter ſe reipſa conjungantur, ubi unum ſit, ibi etiam alterum eſſe neceſſe eſt*: atqui inter illa omnia vel eſt connexio naturalis, ut animæ cum corpore, vel unio hypoſtatica, ut perſonalitatis Verbi cum corpore & anima, vel identitatis, ut dictæ perſonalitatis cum divinitate, & Hujus cum Patre & Spiritu S. ergo, & ideo ſi per impoſſibile Pater & Spiritus Sanctus non eſſent ubique, hic adeſſent propter præſentiam humanitatis unitæ Verbo, cujus eſſentiæ identificantur: unde D. Thomas Opuſc. 63. cap. 2. p. 2. *Quocumque tempore, quocumque loco, à quocumque Sacerdote fideli bono, vel malo ſalutare illud Sacrificium in forma Eccleſiæ oblatum fuerit; toties Deus Pater cum Filio, & Spiritu Sancto ſe totam ſingulis animabus ad fruendum exhibet.*

Petes. Quid poſitum fuiſſet ſub ſpeciebus, ſi in triduo mortis Chriſti facta fuiſſet conſecratio?

Reſp. Admiſſa hac ſuppoſitione, quam multi negant poſſibilem, ponendum fuiſſe vi verborum corpus Chriſti ſine anima, quæ nequidem fuiſſet ibi per concomitantiam: non fuiſſet etiam poſitus ſub ſpecie panis aliquis ſanguis, poſito quod fuerit totus effuſus in paſſione; ſi autem, ut eſt longè probabilius, aliquis remanſerit in venis & arteriis minutioribus, ille fuiſſet poſitus ſub ſpecie panis propter connexionem naturalem cum corpore. Deinde ſub utraque ſpecie fuiſſet divinitas, quia hypoſtaticè unita ſaltem mediatè corpori & animæ.

QUÆSTIO V.

An ſub ſingulis partibus ſpecierum ſit totus & integer Chriſtus?

CONCLUSIO I.

FActa ſpecierum diviſione, perſeverat totus & integer Chriſtus ſub ſingulis earum partibus. Hæc veritas definita eſt in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. can. 3. his verbis: *Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ .... ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, Anathema ſit.* Hanc antea docuerat Eugenius IV. in Conc. Florentino, ubi legitur: *Sub qualibet parte Hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus.*

Prob. 1. ex Scriptura Luc. 22. ubi Chriſtus tradens Diſcipulis calicem, ait: *accipite & dividite inter vos*, ubi ſinguli tantùm partem calicis hauſerunt, & tamen ſinguli Chriſtum integrum receperunt.

Prob. ex Patribus, Auguſtino ſerm. de Verbis Domini relato Diſt. 2. de Conſecr. cap. 75. *Per Partes manducatur, & manet integer totus.* Hieronymo ibidem relato cap. 77. *Singuli accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt.* Hilario ibidem cap. 78. *Ubi pars eſt corporis, eſt & totum*, & ſic neceſſe eſt, Chriſtum ita eſſe totum ſub integra ſpecie, ut ſit etiam totus ſub qualibet ſpeciei particula: unde canit Eccleſia: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.*

Prob. 3. Ratione: vel nihil remanet corporis Chriſti ſub partibus diviſis, vel remanet aliquid: non primum, quia illa diviſio non videtur ullo modo proportionata ut deſtruat Chriſti corpus, quatenus ibi exiſtens: ergo ſecundum; atqui non

poteſt

potest remanere aliquid Corporis Christi, nisi remaneat totum corpus, imo & totus Christus, quandoquidem jam sit impassibilis adeoque indivisibilis: ergo.

CONCLUSIO II.

SImiliter ante omnem separationem est totus Christus sub qualibet specierum particula. Hæc sententia adeocerta est, ut contraria dicatur à nonnullis erronea, vel errori proxima; quia Tridentinum sess. 13. c. 3. asserit, totum Christum esse sub quavis parte specierum, nulla facta mentione separationis, licet in Canone 3. huic Capiti correspondente separationis meminerit. Refert tamen Palavicinus ex industria adjectum esse, *facta separatione*, ne sententia opposita condemnaretur ut hæretica, sed quidquid sit

Prob. 1. Conclusio: Post divisionem est totus Christus sub qualibet utriusque speciei parte: ergo & ante divisionem. Prob. Conseq. Quia sola divisio specierum nec ex se, nec ex institutione Christi nobis manifestata habet vim ponendi totum Christum sub illis partibus, sub quibus antea non erat totus; aliàs Sacerdos, imò & laicus posset pro suo libitu absque ulla consecratione, toties Christum replicare, quot faceret divisiones.

Prob. 2. Quia si solùm totus esset Christus in tota specie, & non totus in singulis partibus, sequeretur, ubi duo calices consecrati miscerentur, Christum fore semel destruendum, cùm duæ illæ species vini ratione mixtionis in unam coalescerent.

Prob. Non existit ibi Christus modo quantitativo, sed indivisibili; atqui quod indivisibiliter existit, totum est in toto, & totum in singulis partibus, cùm taliter sit Angelus in loco, & anima in corpore humano: ergo. Prob. Mai Quia si ibi esset modo quantitativo, cùm Hostiæ quantitas notabiliter excedatur à quantitate corporis, deberet caput esse in stomacho, oculus in ore, aut deberent aliæ partes se penetrare modo absurdo: undè totus est Christus in minima parte sine partium confusione, & toties totus, quot sunt partes, idque per replicationem.

Dices 1. Nullus solet dicere Christum esse centies aut millies in Hostia, sed semel: ergo.

Res. Hoc esse verum moraliter loquendo; quia solent homines loqui de Christo in Hostia, sicut de anima rationali in corpore, quæ cùm ordinariè dicatur semel in illo, ita & Christus semel in Hostia, quamvis Hic & illa, physicè loquendo, sint toties, quot sunt in Hostia & corpore partes. Malè tamen inferretur esse infinities actu, cum nequidem infinitæ partes reperiantur: posset tamen dici, esse infinities syncategorematicè: pro quo consule Physicam.

Dices 2. Non potest Christus esse totus sub singulis partibus, nisi sit ibi modo indivisibili: sed hic modus repugnat corpori: ergo. Prob. Min. Modus existendi indivisibiliter repugnat spiritui: ergo & modus existendi indivisibiliter repugnat corpori.

Resp. Neg. Min. Ad probationem Neg. conseq. Disparitas est, quòd modus existendi divisibiliter necessariò includat partes, ut per se patet; partium autem incapax est spiritus; ut modus existendi indivisibiliter, licèt non exigat partes, illas tamen non excludit; cùm nulla sit contradictio, quòd corpus redigatur divinitus in puncto, saltem morali.

Dices 3. Christus non existit sub indivisibilibus specierum continuativis, aut terminativis: ergo nec sub singulis partibus.

Resp. Negari posse consequentiam; cùm indivisibilia non sint partes, sed remissa ad Physicos difficultate, breviter dicam: Vel indivisibilia illa erant panis ante consecrationem vel non: si primum, sub illorum speciebus ponitur Christus; si secundum, non ponitur, quia sub omni & sola specie panis ponitur Christi corpus in Eucharistia vi verborum.

QUÆSTIO V.

Quid sit præsentia Christi sacramentalis, & qualis inter corpus & species?

SUppono primò corpus Christi non esse sub speciebus, ut in loco; nam cùm locus sit superficies corporis extrinsecè ambientis; corpus autem Christi non ambiatur à speciebus sed illas intimè penetret, sicut ante consecrationem penetrabantur à substantia panis, non potest esse sub illis, ut in loco. Posset dici, esse in loco mediatè, nempe ratione specierum, inquantùm hæ ambiuntur superficie alicujus corporis, v. g. aeris.

Suppono secundò. Nec ibi esse circumscriptivè, nec definitivè: non circumscriptivè; quia partes corporis Christi non commensurantur partibus specierum, cùm sit totus in singulis partibus: nec in rigore definitivè; quia præsentia definitiva, puta Angelica: ultra quòd sit determinata ad certum spatium, excludit præsentiam alibi: Christus autem existens in Sacramento, etiam existit in cælo; nec determinato definitur spatio, cum possit majus & majus occupare, si nempe major & major consecretur materia: unde hic existit modo speciali & penitus miraculoso, tanquam signatum in signo, & contentum in continente, sumendo *continere* pro *occultare*, non pro *ambire*. His suppositis

CONCLUSIO I.

PRæsentia Christi Sacramentalis non est propriè relatio ubi respectu specierum, licèt sit talis respectu corporis species ambientis.

Prob. 1. Pars; quia ubi propriè dictum tantùm competit rebus in loco propriè existentibus: atqui Christi corpus, ut diximus, non est sub speciebus ut in loco; ergo. Est tamen quid reducibile ad Prædicamentum ubi.

2. Pars patet ex Supposito 1. ubi diximus Christi corpus posse dici in loco mediantibus speciebus. Hinc

Resol. 1. Corpus Christi non fieri formaliter præsens speciebus Eucharisticis per conversionem, panis in ipsum: cum posset divinitùs taliter esse præsens, non conversa in ipsum panis substantia; undè conversio concomitatur quidem ex Dei voluntate ipsam præsentiam, quia tamen non est formaliter præsentia, nec constituit corpus formaliter præsens.

Resol. 2. Nec fieri formaliter præsens per suam substantiam quia etsi substantia constituat præsens materialiter & ut quod non tamen formaliter & ut quo, & ideò requiritur aliquis respectus realis superadditus, ut cum D. Angelico docet D. Subtilis.

Resol. 3. Licèt non fiat præsens in Eucaristia sine mutatione reali, cùm ipsi adveniat novus respectus; fiat tamen sine mutatione locali, cùm strictè loquendo, non fiat illa mutatio absq; perditione præsentiæ prioris: Christus autem acquirat ubi sacramentale, retinens ubi cæleste.

CONCLUSIO II.

INter corpus Christi & species non requiritur unio physica, sed sufficit moralis in eo consistens, quòd statuerit Deus tamdiu fore præsens Christi corpus speciebus, quamdiu species ipsæ manerent incorruptæ. Ita Scotus 4. dist. 10. q. 6. cum omnibus suis.

Ratio est; Quia id tantùm requiritur, ut Christus fiat inseparabiliter præsens speciebus; quandoquidem, seclusa omni alia unione, & posito solo Dei decreto conservandæ Christi præsentiæ, quamdiu species conservarentur integræ, statim intelligatur præsentia illa indissolubilis, cum qua hujus mysterii veritas (alii per unionem miraculosam aut quasi hypostaticam obscurant) facilè intelligitur.

Dices 1. Tridentin Sess. 13. c. 1. vocat hanc Christi præsentiam *ineffabilem*: sed juxta modum explicatum nullatenus apparet ineffabilis: ergo.

Res. Nec à Concilio, nec à Patribus vocari *ineffabilem*, quasi verò non posset verbis explicari, sed *mirabilem*, & meritò; quid enim mirabilius, quàm extensum esse præsens modo inextenso? materiale modo spirituali? corpus quinque aut sex pedum altitudinis existere in minima Hostiæ particula sine ulla partium confusione.

Dices 2. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. asserit, Deum conjunxisse divinitatem panis & vini speciebus.

Res. Intelligendum esse de conjunctione morali; cùm hæc sit sufficiens ad hujus mysterii veritatem; malè autem inde inferres, unionem hypostaticam etiam solùm esse moralem; quia divinitas non tantùm dicitur præsens humanitati sicut speciebus, sed etiam assumpsisse humanitatem, saltem mediatè: quod plus importat.

Dices 3. Christi corpus succedit loco panis: ergo unitur speciebus sicut uniebatur panis, adeoque physicè.

Res. Dist. Ant. Succedit quoad substantiam, C. quoad omnem modum: N. nec id requirit hoc mysterium, aliàs corpus Christi esset subjectum specierum, sicut erat panis, sicque diceretur rotundum, divisibile, &c.

Dices

Dices 4. Motis ſpeciebus, movetur corpus: ſed nihil movetur ad motum alterius, niſi ipſi phyſicè uniatur? ergo.

Reſ. Neg. Min. Nam moto curru aut navi, movetur homo, licet ipſis exiſtat, ſine ulla unione: unde ut moveatur corpus ad motum ſpecierum, ſufficit quòd ſint ſibi invicem indiſſolubiliter præſentia ex Dei decreto efficaci.

Inſt. 1. Moto corpore, non moveretur Angelus ipſi intimè præſens: ergo.

Reſ. Diſt. Ant. Non moveretur Angelus, ſi ſtatuiſſet Deus, ut eſſet indiſſolubiliter præſens corpori, quamdiu perſeveraret corpus: N. aliàs tranſeat.

Inſt. 2. Etiam in illo ſuppoſito movens corpus, non moveret Angelum: ergo.

Reſ. Diſt. Ant. Non moveret Angelum phyſicè: C. Deus enim, qui voluiſſet, ut inſeparabiliter coexiſterent, ad motum corporis, vel moveret phyſicè Angelum, vel certè ſeipſum moveret Angelus. Non moveret Angelum moraliter: N. quia poneret id, ex quo ſequeretur infallibiliter, Deo aſſiſtente, motus Angeli.

Inſt. 3. Inde ſequitur, Sacerdotem moventem ſpecies, tantum moraliter movere Chriſti corpus.

Reſp. Hoc eſſe verum, nec tamen impropria eſt locutio, cùm ſimpliciter dicatur movere: ſicut enim ſimpliciter dicitur conſecrare, licèt id ſolum faciat moraliter, ita & ſimpliciter Chriſti corpus movere, levare, exponere, deferre &c. Sed de hoc fuſius poſtea.

Dices 5. Si non eſſet vera unio inter ſpecies & corpus, non poſſet dici, demonſtratis ſpeciebus: *Hoc eſt corpus meum*. Prob. Aſſumpt. Quia ſi Angelus eſſet ſub ſpeciebus ſine unione, non poſſet dici, illis demonſtratis: *Hic eſt Angelus*.

Reſp. Hic unionem ad veritatem demonſtrationis eſſe omnino impertinentem; nam licèt anima uniatur corpori, non poteſt tamen dici, demonſtrato corpore: *Hæc eſt anima*: undè ad hoc requiritur, & ſufficit continentia demonſtrati, ſive interim continens uniatur phyſice contento, ſive non & ideò ſi ſtatuiſſet Deus ut contineretur permanenter Angelus ſub ſpeciebus, ſicut ſtatuit de Chriſti corpore, illis demonſtratis poſſet dici: *Hic eſt Angelus*, ſicut dicitur: *Hoc eſt Corpus meum*.

Dices 6. Species & corpus conſtituunt unum Sacramentum ergo verè uniuntur.

Reſ. Diſt. Conſeq. Vere uniuntur phyſicè. N. Moraliter C. & hæc unio ad unitatem Sacramenti ſufficit, cùm in Baptiſmo, Confirmatione &c. non ſit alia inter materiam & formam.

QUÆSTIO VI.

An Chriſti corpus ſit cum ſua quantitate in Euchariſtia, quomodo, & quænam ibi prædicata ipſi conveniant?

CONCLUSIO I.

CHriſtus in Euchariſtia habet totam ſuam quantitatem, quam habet in Cœlo.

Prob. Vel quantitas non diſtinguitur à ſubſtantia corporea, vel diſtinguitur: ſi primum, res clara eſt, cùm enim ibi ponatur tota ſubſtantia corporis Chriſti, neceſſe eſt & poni totam ejus quantitatem; ſi ſecundum, ponetur per realem concomitantiam cum corpore.

Dices: Partes corporis Chriſti in Euchariſtia ſeſe penetrant in ordine ad locum, cùm ſint in qualibet parte minima Hoſtiæ: ergo non eſt ibi quantitas.

Reſ. Neg. Conſeq. Quia eſſentia quantitatis non conſiſtit in actuali impenetrabilitate in ordine ad locum, ſed in principio exigitivo talis impenetrabilitatis, corpus autem Chriſti in Euchariſtia licèt non habeat partes extra partes in ordine ad locum, exigit tamen illas habere.

Replicabis: Inde ſequitur Chriſti corporis partes eſſe ibi confuſim, adeoque caput in pectore, &c.

Reſ. Neg. Sequelam, quia etſi concedamus partes non eſſe extra partes in ordine ad locum, ſunt tamen extra ſe invicem in ordine ad totum, ſeu in ordine ad ſe, unde caput immediatè unitur collo, collum humeris, humeri brachiis &c. ſine ulla confuſione. Hæc facile, & tamen cùm veritate dicuntur; ſed cùm præſumimus concipere, aut explicare, quomodo id fiat, hæret animus & calamus. Decem ſententias circa hoc, aut potiùs dicendi modos refert Amicus, ex quibus nè uno quidem approbato, proprium exponit, quem nec ſatis approbat; nihilominus, ut hanc inextricabilem intellectui humano adhuc ſenſibus obvelato difficultatem aliqualiter tangamus, ſit

CONCLUSIO II.

NOn videtur faciliùs & clariùs explicari poſſe modus quo corpus Chriſti exiſtit in hoc Sacramento indiviſibiliter, quàm per oppoſitum ad modum, quo res incorporea, ſeu ſpiritus exiſtit in loco diviſibili. Ita Scotus 4. diſt. 10. q. 4. quem non ſui ſolum, ſed & alii innumeri ſequuntur. Sicut ergo ſpiritus occupat locum diviſibilem per multiplicationem tot præſentiarum, quot ſunt loci partes, ad quas præſentiæ illæ terminantur, ita Chriſti corpus exiſtit in aliquo ſpatio indiviſibiliter per hoc, quòd tot præſentiæ, quot ſunt corporis partes, terminentur ad idem ſpatium, etiam minimum: ſicque cum præſentia cujuslibet partis non ſolùm terminetur ad totam hoſtiam; ſed etiam ad quamlibet Hoſtiæ particulam, hinc fit, ut totum Chriſti corpus ſit ſub qualibet particula, etiam ab aliis diviſa.

CONCLUSIO III.

ILla Prædicata conveniunt corpori Chriſti in Euchariſtia, quæ non ſupponunt præſentiam circumſcriptivam, aut etiam ſtrictè definitivam: unde dici poteſt occultari ſpeciebus, contineri ſub illis, non tamen frangi, videri, miſceri, & ſimilia, cùm hæc præſentiam circumſcriptivam ſupponant.

DISPUTATIO V.

De Chriſti actionibus & paſſionibus in Euchariſtia.

CUm Chriſti corpus in hoc Sacramento exiſtat modo quodam mortuo, ſeu inepto ad functiones naturales; occaſionem ſumpſerunt Theologi inſtituendi hanc Diſputationem, quam, utpote magis curioſam, quàm utilem breviter expediemus.

QUÆSTIO I.

An Chriſtus Euchariſticus poſſit agere & pati?

QUoniam Chriſtus, ut homo, corpore conſtat & anima, de utroque movetur quæſtio.

CONCLUSIO I.

ANima Chriſti Euchariſtici poteſt primò elicere naturaliter actus immanentes voluntatis & intellectus, imò & aliquos tranſeuntes; non tamen ſenſationes externas aut internas.

Dixi: *Primò elicere*; quia intellectiones & volitiones, imò & ſenſationes, quas habet Chriſtus in cœlo, etiam concomitanter habet in Sacramento, idque ob connexionem naturalem accidentium à loco independentium cum ſuo ſubjecto, ubicumque ſit.

Dixi etiam: *Naturaliter*; quia concedunt omnes poſſe divinitus elicere quoſcumque actus, etiam ab organis dependentes; cùm in hoc nulla ſit implicantia.

Prob. igitur 1. Pars Concluſionis: Chriſtus eſt æquè Beatus in Sacramento, ac in cœlo, & conſequenter poteſt ibi, ſicut alibi, independenter à ſenſibus, organis, & phantaſmatibus, intelligere, adeoque & velle omnia objecta ſibi proportionaliter præſentia: exiſtit quidem ibi corpus ſine extenſione locali; ſed, licèt illa extenſione indigeat anima in ſuis operationibus organicis, ut poſtea dicemus, non tamen in merè ſpiritualibus, quales ſunt præcedentes.

Prob. 2. pars; quia ſi poſſit Angelus alterum Angelum illuminare, & in eo locutionem ſuam imprimere, ut dicitur in Tract. de Angelis; quidni idem poſſet Chriſtus Euchariſticus reſpectu Angeli ſibi ſufficienter præſentis? hæ autem actiones, nempe illuminatio, & locutio dicuntur tranſeuntes; quia non recipiuntur in ſubjecto, à quo procedunt, ſed in aliud tranſeunt: & ideo diſtinguuntur ab intellectione, & volitione, quæ recipiuntur in ſubjecto, à quo eliciuntur,

tur, nempe intellectu & voluntate, & ideo dicuntur immanentes.

Prob. 3. pars; quia non potest anima sensationes, sive externas sive internas exercere, nisi dependenter ab organorum ministerio, quæ cùm sint materialia, naturaliter exigunt in suis ministeriis extensionem, qua caret Christi corpus in Eucharistia.

Dico naturaliter; quia quòd, actiones illæ supernaturaliter ab anima Christi exerceantur, nulla videtur implicantia; imò piè existimant aliqui, Christum de facto ibi audire & videre, quæ à circumstantibus aguntur, ut qui voluit nobiscum corporaliter manere, etiam nobiscum corporale habeat commercium; sed hoc est omninò incertum, & aliunde nullatenus necessarium, cùm per intellectum omnia illa cognoscat.

CONCLUSIO II.

Corpus Christi etiam consideratum sub statu passibilitatis, sub quo erat in ultima Cœna, non potest, ut existens in Eucharistia, à corporibus vicinis naturaliter alterari, aut eadem alterare.

Dixi: Etiam consideratum sub statu passibilitatis; quia certum est sub eo statu, quem nunc habet in cœlo gloriosum, nullatenus posse alterari, cùm sit impassibilis.

Prob. 1. Pars Conclusionis; quia si Christi corpus alteraretur, deberet qualitas in eo recipienda habere modum existendi indivisibilem, sicut ipsum corpus; quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: sed nullum agens naturale talem modum existendi, utpote supernaturalem, communicare potest qualitati corporeæ: ergo. Unde non potuit Christus Eucharisticus in ultima cœna calefieri, lædi, occidi, &c.

Prob. 2. Pars; quia modus operandi sequitur modum essendi: ergo sicut exigit corpus modum divisibilem, ut naturaliter existat, ità & modum divisibilem, ut naturaliter operetur. Hæc tamen sententia non est ità certa, ut contraria Nominalium opinio careat probabilitate: & certè, ut benè notat Amicus, licèt requiratur modus existendi divisibilis, seu extensus in subjecto corporeo ad patiendum, non sequitur requiri modum extensum in subjecto corporeo ad agendum: præsertim cùm Deus indivisibilis producat res divisibiles.

Si dicas Christi corpus nunquam species calefacere, aut frigefacere: quod sanè aliquando faceret, si naturaliter posset. Dicam ego Deum, qui voluit, ut Christus esset ibi perpetuò, modo quodam mortuo, voluisse etiam, ut ibi perpetuo foret modo quodam inactivo. Interim altera sententia, quæ est Doctoris nostri, est communior.

QUÆSTIO II.

An Christus Eucharisticus moveri possit, & à quibus?

CONCLUSIO I.

Non potest Christus Eucharisticus moveri propriè localiter ratione sui, bene tamen ratione specierum.

Prob. 1. Pars; quia cùm Christus ratione sui non sit propriè in loco, ut antea diximus, nec etiam potest propriè moveri localiter, cùm localiter moveri sit de loco in locum transmeare. Nihilominus si locus latè sumatur pro spatio potest dici moveri localiter ratione sui, cùm delatus in Processionibus sit verè hic per seipsum, & non sit ampliùs, ubi erat ante, idque successivè, & transeundo per medium.

Prob. 2. Pars; quia cùm species sint propriè in loco, ut patet ex dictis, nihil obest, quominus localiter moveantur, & ipsis mediantibus, Christi corpus.

CONCLUSIO II.

Non potest Christus Eucharisticus movere se virtute propria, motu progressivo; potest tamen motu simplici, sicut gravia feruntur deorsum.

Prob. 1. Pars; quia motus progressivus necessariò exigit localem membrorum extensionem, eùm debeat una pars corporis alteram præcedere, & sic una esse, ubi necdum est altera: quod sine corporis extensione est inconceptibile. Ex quo sequitur non posse Christum in Eucharistia manducare, respirare &c. quia cum illa important motum localem, non possunt sine extensione locali exerceri, ut per se patet consideranti.

Prob. 2. Pars Argumento nostri Bosco; quia vel motus ille à potentia organica independens impediretur à speciebus, vel à defectu dimensionis: non primum; quia, ut diximus, non est eis physicè unitus, sed voluntariè; & ideo seclusò decreto de continua speciebus assistentia, posset illas relinquere, & aliò se transferre. Præterea esto eis physicè uniretur; seipsum movendo, & ipsas moveret. Non etiam secundum, quia virtus inorganica, qualis est anima, non requirit dimensionem, seu extensionem in mobili: aliàs nec anima, nec Angelus, imò nec Deus movere posset incorporeum: unde si alicubi legatur, Hostias consecratas quandoque fuisse invisibiliter motas, nemine eas tangente, hoc immediatè à Christo factum esse credibile est.

CONCLUSIO III.

Licèt verè moveatur Christi corpus in Eucharistia, non tamen physicè moveri potest aut per se, aut per accidens ratione specierum à creatura corporali.

Prob. 1. Pars; quia nulla creatura corporalis, ut per se patet, potest ipsum immediatè attingere, aut aliquid immediatè producere, quo ipsum impellat, aut ad se trahat.

Prob. 2. Pars; quia Christi corpus, quod est ratione sui improportionatum, ut moveatur physicè à creatura corporali, non redditur proportionatum ratione specierum; cùm species nullam conferant agenti virtutem in Christi corpus movendum, quam antea non haberet: ergo &c. Prob. Ant. quia nihil ratione sui improportionatum ad moveri, redditur mobile per aliud proportionatum, nisi illius proportionari sit vel forma, vel pars, vel nisi ei necessitate quadam naturali conjungatur: sed Christi corpus nullum est ex illis respectu specierum, ut satis patet: ergo.

Dices 1. Pondus mille librarum non est proportionatum virtuti motivæ unius hominis, & tamen illud movere potest physicè mediante navi: ergo similiter in nostro casu.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd pondus, ratione suæ gravitatis, naturali quadam necessitate conjungatur navi, & sic non est mirum, quòd, hac mota, moveatur illud, sicut non est mirum, quòd ab homine, moto Petri corpore, moveatur illius anima, aliàs ratione sui ab illo moveri improportionata, cùm anima sit corporis forma; Christus autem ex solo Dei beneplacito subest speciebus. Unde sicut, moto lapide, non moveretur physicè Angelus, voluntariè præsens lapidi; ità nec motis speciebus, movetur physicè Christus, ipsis voluntariè inexistens.

Replicabis: Mota navi, movetur homo ipsi voluntariè præsens: ergo similiter.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd homo non tantùm conjungatur navi per voluntatem, sed etiam ratione gravitatis, per quam fit quasi unum cum navi in ratione mobilis: quod non accidit Christo respectu specierum.

Dices 2. Trident. Sess. 13. can. 8. docet communicantes verè realiter, & propriè manducare Christi corpus: ergo & eodem modo movere; cùm vera manducatio fiat per traductionem cibi ex ore per guttur in stomachum: quod includit motum rei comestæ.

Resp. Dist. Ant. Docet manducare verè & realiter, prout opponitur spiritualiter, C. quia non per solam fidem, sed per realem præsentiam descendit in stomachum communicantis. Prout opponitur moraliter, N. unde communicans trajicit Christi corpus in stomachum, eo modo quo Sacerdos illud defert in Processionibus: quod cùm hic tantùm faciat moraliter, ut dictum est Conclus. 2. q. 5. Disp. 4. ità & ille: & tamen sicut primus dicitur verè & propriè deferre; ità & secundus verè & propriè manducare.

Dices 3. Indè sequi toties fieri novum miraculum, quoties movetur Hostia, cùm toties debeat Deus ad motum physicum concurrere.

Resp. Neg. Sequelam; quia ea voluntate (ita ferè loquitur Scotus 4. dist. 10. q. 6. n. 6.) qua Deus Eucharistiam instituit, determinavit facere corpus Christi semper præsens speciebus post consecrationem, quocumque transferrentur, & sic non est novum miraculum, sed antiqua determinatio voluntatis divinæ. Sicuti si Angelus determinasset semper esse præsens lapidi, non diceretur miraculum, quia transferretur translato lapide. Non tamen transferens lapidem per actionem suam transferret Angelum, sed Angelus voluntate propria se moveret, sicut Deus movet physicè Christum in Eucharistia.

QUÆSTIO III.

An Christus Eucharisticus intelligi possit ab intellectu creato?

NOn loquimur de intelligibilitate abstractiva: nam certum est, divulgata Eucharistiæ institutione, posse hominem mortalem Mysterium illud apprehendere, & fide tam naturali, quàm supernaturali credere; sed de intuitiva, seu quærimus, an intellectus sive Angeli, sive animæ separatæ, sive hominis Beati, possit naturaliter Christi existentiam in in Eucharistia clarè & distinctè cognoscere?

CONCLUSIO I.

NOn potest intellectus sensibus alligatus clarè intueri existentiam Christi Eucharistici. Est communis & certa.

Ratio est; quia intellectus in illo statu nihil potest immediatè cognoscere, nisi dependenter à sensibus: sed nullus sensus intueri potest existentiam Christi in Sacramento, ut convincit experientia: ergo. Præterea nihil aliud exhibent sensibus accidentia Eucharistica post consecrationem, quàm ante, sed ante non exhibent Christi existentiam Eucharisticam: ergo nec post.

CONCLUSIO II.

POtest intellectus creatus à sensibus independens per solas naturæ vires intuitivè cognoscere existentiam corporis Christi Eucharisticam. Ita post Ducem suum Scotistæ communiter cum Nominalibus, quibus contradicunt nonnulli Thomistæ.

Prob. Potest intellectus naturaliter ferri in omne illud, quod est intra limites sui objecti: sed Christi corpus continetur intra limites talis objecti, cùm sit ens finitum, & limitatum, non habens pro termino ens infinitum, in quod solum non se extendit potentia intellectus naturalis: ergo.

Dixi: Existentiam Corporis Christi, & non Christi simpliciter; quia cum Christus adæquatè sumptus importet Suppositum Divinum, imò & Divinitatem, clarum est intellectum sibi relictum (cujus ut sibi relicti objectum tantùm est quid limitatum, seu finitum) non posse illum intuitivè cognoscere.

Obj. 1. Existentia corporis Christi in Eucharistia est supernaturalis, & quidem quoad substantiam: ergo non potest naturaliter cognosci.

Resp. Neg. Conseq. Quia non obstante, quòd sit supernaturalis, semper est quid finitum, adeoque intra limites objecti intellectus; unde non dicitur ens aliquod supernaturale respectu cognoscentis, quia non potest naturaliter cognosci, sed respectu agentis, quia non potest naturaliter produci, ex naturali autem improducibilitate malè inferretur naturalis incognoscibilitas: nam licèt non possit res aliqua naturaliter bilocari, supposito tamen quòd à Deo bilocetur, potest Angelus, & etiam homo ejus existentiam hic & alibi naturaliter cognoscere.

Objic. 2. Existentia Christi in Eucharistia est merè contingens & dependens à Divina voluntate: sed non potest intellectus creatus contingentia cognoscere: ergo.

Resp. Dist. Min. Non potest contingentia futura, seu adhuc in suis causis, cognoscere; C. contingentia existentia, seu posita in esse: N.

Obj. 3 Quod est per fidem cognoscibile, non est naturaliter cognoscibile; sed talis est existentia Christi Sacramentalis: ergo.

Resp. Dist. Ma. Non est naturaliter cognoscibile pro eodem statu; C. pro diverso statu: N. quod enim anima sensibus immersa cognoscit in via per fidem, separata cognoscit in Patria per potentiam naturalem, modò sit ens finitum nec ordinem dicat ad infinitum.

QUÆSTIO IV.

An Christus Eucharisticus videri possit oculo corporeo?

CONCLUSIO I.

NOn potest oculus corporeus naturaliter videre corpus Christi in Eucharistia. Est communis contra Nominales, qui tenent, nisi Deus illius visionem cohiberet ob fidei meritum, naturaliter videndum.

Prob. Oculus corporeus nequit videre objectum, nisi illuminatum: sed agens illuminativum non potest producere lumen in corpore Christi Eucharistico, cùm hoc sit ibi inextensum, illud extensum; ergo.

Confirm. 1. Oculus corporeus nequit aerem subtilem percipere, ut constat experientia: sed corpus Christi existit in Sacramento modo longè subtiliori, cùm etiam existat in indivisibili, saltem morali: ergo.

Confirm. 2. Saltem pro iis, qui species admittunt. Inconceptibile est quomodo indivisibiliter existens possit species indivisibiles, & materiales emittere. Idem videtur dicendum de oculo glorificato, qui etiam ad naturalem objecti materialis visionem, illius extensionem requirit.

CONCLUSIO II.

POtest oculus corporeus supernaturaliter videre Christi corpus in Eucharistia; non tamen modum indivisibilem, quo ibi existit. Utraque pars est Scoti variis locis.

Prob. 1. Pars, quæ communis est Thomistas inter & Scotistas: quia ut docet Doctor noster 4. dist. 10. q. 2. n 11. *Deo est possibile omne, quod non includit evidenter contradictionem, & ad quod non sequitur necessariò contradictio*: sed ex eo quòd oculo corporeo videatur corpus Christi in Eucharistia, nulla est, aut sequitur contradictio assignabilis: ergo.

Prob. 2. Quia omne, quod est primò sensibile & per se, videri potest ab oculo corporeo: sed Christi corpus in Eucharistia potest esse divinitus primò sensibile & per se, cùm sit coloratum, possitque à Deo illuminari: ergo.

Dices. Conditio objecti visibilis est, ut sit localiter extensum: sed non est tale corpus Christi in Eucharistia: ergo.

Resp. Dist. Ant. Est conditio primaria & intrinseca, quales sunt coloratio & illuminatio: N. conditio secundaria & extrinseca: C. sed hanc supplere potest Deus sine contradictione. Deinde longè probabilius est, quòd Christus non sit ibi præsens alicui indivisibili, sed minimo sensibili: *Minimum autem sensibile*, ut ait Scotus ibid. q. 9. num. 3. *potest percipi a sensu perfectissimo*, saltem de potentia absoluta.

Prob. 2. Pars. Quia modus, quo Christus existit Eucharisticè, habet se instar modi spiritualis, cùm per illum existat totus in toto, & totus in qualibet parte: sed non potest oculus corporeus, etiam per potentiam Dei absolutam, ferri in objectum spirituale: ergo nec in modum illum.

Dices: Non potest videri res sine sua existentia: ergo nec sine modo, quo existit.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd res nequidem formaliter, secundùm nos, distinguatur à sua existentia; modus autem distinguatur ab ea realiter: undè cum possit Christi corpus existere, & non existere modo indivisibili, ità videri potest existens, & non videri existens indivisibiliter. Et certè mirum esset Deum, qui in Scoti principiis, potest exhibere Divinitatem intelligendam, non exhibitis personalitatibus, ab ea solùm formaliter distinctis, non posse exhibere videndum Christi corpus Eucharisticum non exhibito modo existendi, ab eo realiter distincto, & separabili.

QUÆSTIO V.

An Christus apparens in Eucharistia sub forma pueri, Judicis &c. sit ibi verè, & an Sacramentaliter?

TAlem apparitionem Duaci in Ecclesia S. Amati factam anno 1254. refert Thomas Cantipratanus Suffraganeus Cameracensis lib. 2. de Apibus cap. 40. hancque confirmat constans populi Duaceni rtaditio, & anniversaria ejusdem appa-

apparitionis solemnitas. Alii alias referunt, quas videre potes apud Paschasium Corbeiensem &c. Has autem exhibuit Deus, ut consolaretur pios, terreret impios, incredulos confunderet, solidaret infirmos.

CONCLUSIO I.

QUamvis pium sit & probabile Christum credere præsentem in hujusmodi apparitionibus, saltem quando non fiunt uni & transeunter, sed omnibus & permanenter cum reali specierum immutatione, contrarium tamen probabilius est & communius inter Doctores.

Ratio est; tum quia rarò aut nunquam apparuit Christus in terris post suam in cœlum Ascensionem; tum quia nulla apparet realis Christi præsentiæ necessitas, ut obtineatur finis per apparitionem intentus: cùm sivè sit ibi Christus, sivè Angelus sub specie Christi, sivè corpus aereum, sive aliud, equidem non possit discerni, an Christus sit ibi verè, vel solùm apparenter.

Dices 1. Si non sit ibi realiter Christus, committitur deceptio.

Resp. Neg. Assumpt. Non enim fiunt apparitiones illæ, ut denotent Christum esse præsentem sub figura apparenti; sed ut significent esse verè & realiter in Sacramento: sicut quando apponitur effigies Regis ad portam Palatii, effigies non significat Regem sub ipsa contineri, sed commorari in Palatio.

Dices 2. Christo ibi non existente; exponerentur populi idolatriæ periculo.

Resp. Neg. Assump. Quia non intendunt Christum ibi aliter adorare quàm sit adorabilis; & consequenter cultu latriæ absoluto, si ibi verè sit, aliàs tantum cultu respectivo, sicut adoratur crux, & alia signa Christi repræsentativa. Ex dictis

Resol. Idem esse dicendum: si appareat sola caro, aut solus Sanguis; quia non est verisimile, Christi carnem aut Sanguinem existere separatim à corpore quandoquidem corpus ejus, utpotè gloriosum, jam sit indivisibile: unde in illis casibus est alia substantia ibi divinitus producta. Pro intelligenda 2. quæstionis parte, an tunc Christus remaneat in Sacramento.

Notandum est, apparitiones illas contingere posse vel ex parte solius oculi, vel ex parte specierum. Ex parte oculi verisimiliter eveniunt, quando non omnibus idem exhibent, vel subitò disparent: ex parte specierum, dum omnes idem vident, idque per tempus notabile.

CONCLUSIO II.

QUando apparitiones illæ fiunt ex parte oculi, aut in aere, Christus remanet in Sacramento.

Ratio est; quia tunc species Sacramentales eædem prorsus manent, ac si nihil appareret, quandoquidem tota mutatio teneat se ex parte organi, in quo producitur species impressa repræsentans carnem, sanguinem, aut aliud corpus; integris autem manentibus speciebus, non est, cur desinat esse sub illis Christus.

CONCLUSIO III.

QUando apparationes illæ fiunt cùm tanta specierum immutatione, quanta sufficeret, ut sub illis desineret esse substantia panis aut vini, si ibi foret, sub speciebus desinit esse Christus.

Ratio est; quia statuit Deus non diutiùs sub speciebus Eucharisticis Christum conservare, quàm conservarentur integræ: ergo ubi hæ desinunt, desinit & ille ubi esse.

Undè autem colligi possit realem factam esse specierum mutationem? non satis conveniunt DD. Alii volunt colligendum ex specierum odore & sapore: alii ex colore & figura sed quis colliget, ubi loco specierum apparet forma crucifixi, pueri, carnis aut Sanguinis, & ideo crediderim præferendas esse has Regulas, quas refert Coninck de Sacramentis q. 76. art. 8. Dub. 2.

Prima, dum Apparitio fit ad tacitam reprehensionem indignè communicantis, aut Hostiam indignè tractare volentis, credibile est, mutatas esse species, si earum loco constanter appareat caro, sanguis, serpens, aut quid simile; quia præsumitur Christum id facere, ut se eripiat ab ore aut ex manibus Sacrilegi.

Secunda, quando contingit Apparitio vel ut in fide roborentur adstantes, vel ut intenta consolatione recreentur communicantes, vel ob quid simile, videtur remanere Christus, sub quacumque forma appareat, saltem ubi transitoria est apparitio. Ratio est; quia cùm illa fiant ad confirmandum hujus Sacramenti veritatem, non est credibile tunc Christum à Sacramento se substrahere.

Dixi: *Saltem ubi transitoria est Apparitio*, quia si ob finem Deo cognitum restaret perpetuò, non restaret ibi Christus; quia nec integræ restarent species & ideò carni aut Sanguini sic apparenti, non esset exhibendus cultus latriæ absolutus, sicut Christo in Eucharistia, sed respectivus tanquam miraculoso vestigio Christi, qui ibi praeextitit.

Cæterum ut tollatur omne periculum idololatriæ, saltem materialis, apponi solet speciebus miraculosis adorationi expositis Hostia consecrata.

Petes 1. An quando Bruxellis ex Hostia à Judæis confossa, manavit cruor, fuerit verus & realis Christi Sanguis?

Res. Probabilius Neg. Quia cùm jam Christus tùm in cœlo, tùm in Sacramento existens, sit omninò impassibilis, non est verisimile Sanguinem ex ejus venis erumpere; & ideò credimus fuisse humorem sanguinolentum vel subito à Deo creatum, vel aliunde adductum.

Petes 2. Quomodo deberet se gerere celebrans, cui talis apparitio contingeret.

Res. Cum Suarez, Bosco, Hetinx, & aliis, si species mutatæ sic perseverent, consultum esse, illis reservatis, aliam Hostiam consecrare; quia Rubricæ Missalis novæ Hostiæ consecrationem ordinant in casu Hostiæ disparentis, cui similis est casus noster, cùm in ordine ad Sacrificii consummationem, eodem modo se habeat, ac si non adesset. Non est tamen obligatorium juxtà præfatos; quia tunc videtur Deus dispensare in præcepto utriusque speciei sumendæ. Quòd si species mutatæ ad priorem statum redeant, eodem modo sumendæ sunt, ac si nihil accidisset.

DISPUTATIO VI.

De speciebus Eucharisticis.

QUoniam non ex solo Christi corpore & Sanguinè, sed etiam ex panis & vini accidentibus constat Eucharistiæ Sacramentum, ratio materiæ postulat, ut pauca de accidentibus illis, seu speciebus expediamus.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo post consecrationem remaneant panis & vini Accidentia?

CONCLUSIO I.

VEritas est Catholica, Accidentia panis & vini manere post consecrationem. Definita est in CC. Lateranensi cap. Firmiter, Constantiensi Sess. 8. Florentino in Decreto S. unionis, & Tridentino Sess. 13. can. 2. Hanc veritatem cognoscit experientia, sustinet omnium Theologorum palæstra, fatetur communis catholicorum sensus. An huic Ecclesiæ definitioni satis se conforment Novatores quidam Philosophi volentes, remanere quidem species intentionales panis & vini, non tamen eorum Accidentia? judicent Oculatiores, Nos illorum doctrinam tanquam in fide periculosam in Philosophia rejecimus, quia etsi aliquando Tridentinum in hac materia utatur voce species, per illas tamen non intelligit species intentionales, sed intelligit, sicut intellexerunt Patres Concilii, accidentia vera & sensibilia panis & vini, quæ ideo species vocantur à D. Thoma (à quo nomen species mutuati sunt dicti Patres) quia sunt naturaliter repræsentativa propriarum substantiarum.

Author quidam modernus (cui Accidentia displicent Peripatetica, id est, entitates tenues à Substantia realiter distinctæ) docet, quod species panis remanens post consecrationem sit *panis imago globulis cœlestibus, seu materiæ subtili panem ambienti impressa*, ita ut nihil omninò panis intrinsecum remaneat, sed sola materia subtilis extrinseca, cui suam imaginem impressit panis, sed quomodo remanet imago illa, cùm non remaneat materia subtilis, cui est impressa, utpotè singulis momentis ab aere vicino expulsa.

Respondet: *Si panis remaneret, alia continuè materia subtilis ad panem allaberetur, & ab ipso modificaretur. Quid igitur incommodi, si peracta consecratione, idem fieri dicamus?* Sed à

qua

quo post consecrationem modificabitur materia subtilis: à quo recipiet panis imaginem? à pane? non existit. Ab aere vicino? cum non habeat in se figuram panis, nec potest alteri imprimere. A Deo? cùm singulis instantibus mutetur materia subtilis, debebit Deus singulis horæ quadrantibus plusquam centena miracula patrare: unde relinquentes hanc doctrinam Doctoribus examinandam, sit

CONCLUSIO II.

ACcidentia Eucharistica remanent post consecrationem sine subjecto substantiali, non tamen sine accidentali, si quantitatem exceperis. Ante probationem

Adverte duplex esse subjectum accidentium, substantiale unum & mediatum: accidentale alterum & immediatum. Primum est substantia rei, cujus sunt accidentia. Secundum est ipsius quantitas.

Prob. 1. Pars ex Conciliis Concl. præced. citatis, definientibus remanere post consecrationem accidentia, & tamen non remanere substantiam panis, aut vini, adeoque ibi esse accidentia absque ullo subjecto substantiali. Adsunt quidem sub speciebus Christi corpus & Sanguis, sed cùm ibi existant modo inextenso & indivisibili, non possunt accidentia extensa & divisibilia in illis subjectari.

Prob. 2. Pars; quia cùm ante consecrationem subjectarentur color, sapor & aliæ panis ac vini qualitates, in quantitate; quantitas autem, utpote accidens (in principiis Scoti) à substantia distinctum remanet post consecrationem, non est cur desinerent subjectari in illa. Alias rationes philosophicas vide in Logica.

CONCLUSIO III.

ACcidentia Eucharistica existunt existentia propria, adeoque nec existentia panis destructi, nec modo aliquo superaddito.

Prob. 1. Pars:,quia, ut docent communiter Scotistæ, & plurimi cum illis, existentia rei non distinguitur ab ejus essentia actuali: sed accidentia Eucharistica retinent actualiter suam essentiam: ergo & existentiam, & consequenter illa existunt.

Prob. 2. Pars; quia nequidem existebant existentia panis, sed propria, cùm ante consecrationem essent in pane: ergo à fortiori cùm sunt extrà panem. Deinde gratis dato, quòd accidentia in pane subjectata existerent existentia panis non sequitur quòd à pane separata adhuc existant illius existentia, cum desinens panis esse actualiter, desinat existere, adeoque & perdat existentiam, per quam habebat esse actualiter.

Prob. 3. Pars: quia modus ille est omnino superfluus cùm Deus possit se solo conservare species extra subjectum, absque eo quòd addatur ille modus. Deinde supposito quod adderetur, adhuc esset insufficiens, ut conservaret illa accidentia extra subjectum: nam cùm accidentia non postulent existere modo substantiali, ille modus debebit esse accidentalis, & consequenter nec poterit ipse existere extra subjectum sine novo modo, & sic semper in infinitum. Unde Scotus 4. dist. 12. q. 6. nu. 14. *Quantitas separata non habet aliquem modum positivum substantiæ, sed tantum negativum, istum scilicet, non inesse actu subjecto.*

Fateor tamen cum sententia communi, requiri concursum Dei uberiorem, qui suppleat quidquid conferebat substantia panis & vini ad conservationem illorum accidentium. Non potest quidem Deus concurrere in genere causæ materialis, sicut concurrebat substantia panis & vini, cùm nec possit aliquod accidens in se recipere, nec instar compartis materialis aliquod totum componere, potest tamen concursum subjecti supplere per verum influxum causæ efficientis, majorem vim adhibendo ad specierum conservationem, quàm ante subjecti desitionem adhiberet. Nam sicut potest agens aliquod per intensiorem virtutem supplere defectum approximationis subjecti in genere causæ efficientis, cùm tamen approximatio ad genus causæ materialis communiter revocetur, ita & Deus in nostro casu.

QUÆSTIO II.

An Accidentia sacramentalia eodem modo agere & pati possint post consecrationem, ac ante?

CONCLUSIO I.

ACcidentia Eucharistica eodem modo agere possunt post desitionem panis & vini, ac ante.

Prob. Tum experientia, qua nihil videmus fieri ab illis accidentibus in subjecto existentibus, quod non fiat, quando sunt extra subjectum, tum etiam ratione, quia nullam virtutem recipiunt à subjecto, ut exerceant operationes sibi proprias, & consequenter sivè sint extra subjectum sivè intra eodem modo operantur.

Confirm. Quia inhærentia subjecto non est ipsis aliter necessaria ad operandum, quàm ad existendum: atqui hic & nunc existunt sine subjecto: ergo possunt sine illo exercere actiones sibi proprias.

Dico: Actiones sibi proprias, quia sicut, juxta Scotum, non possunt producere substantiam in subjecto existentes, ita nec existentes, separatim ab illo: unde quando immediatè disponunt ad productionem alicujus substantiæ (v. g. quando modicum aquæ immixtum speciebus vini in vinum transmutandum est) Deus se solo producit substantiam, quam produceret cùm substantia panis, aut vini, si ibi foret.

CONCLUSIO II.

ACcidentia panis & vini possunt recipere easdem mutationes, sicut dum erant in subjecto, sic possunt moveri, calefieri, frigefieri, dividi, uniri, condensari, rarefieri &c. ut convincit sensus & experientia.

Ratio est, quia sicut non est illis necessaria inhærentia, ut operentur; ita nec ut patiantur, præsertim cum sint quanta & extensa vel ratione sui, ut quantitas ipsa, vel ratione alterius, ut albedo, sapor, & aliæ qualitates ratione quantitatis, in qua subjectantur.

Quantùm ad rarefactionem & condensationem, difficultatem patiuntur aliqui, eò quòd non videant à quo augeatur quantitas in rarefactione, & à quo minuatur in condensatione; sed facilè difficultatem evacuant, qui tenent rarefactionem fieri per corpusculorum intromissionem in poros, condensationem verò, per corpusculorum emissionem absque ullo quantitatis accremento aut decremento: sed cùm hæc sint Philosophica potiùs quàm Theologica, Philosophis examinanda relinquimus.

QUÆSTIO III.

An accidentia Eucharistica possint corrumpi, & an possit aliquid ex illis generari?

CONCLUSIO I.

EXcepta saltem quantitate, Accidentia Eucharistica eodem modo corrumpi possunt post consecrationem, ac ante. Ità tenent DD. communiter cum D. Thoma & Scoto.

Dixi: excepta saltem quantitate; quia cùm non possit corrumpi destructione subjecti, utpote ibi amplius non existentis, & aliunde contrarium propriè non admittat, non videtur corruptibilis ab agente creato: & ideo in sententia DD. Angelici & Subtilis docentium aliam esse quantitatem in genito, ac fuerat in corrupto, dicendum est, quotiescumque ex speciebus Sacramentalibus substantia aliqua generatur, Deum annihilare quantitatem Eucharisticam.

Prob. autem Conclusio; quia accidentia illa sunt ejusdem omnino naturæ & conditionis post consecrationem, ac ante: & consequenter si poterant ante à contrariis corrumpi, possunt & post, unde videmus species veteres tandem saporem, odorem, imò & albedinem perdere.

Porrò quamvis hanc Conclusionem esse veram ad sensum videamus; quomodo tamen explicari possit ab iis, qui quantitatem à substantia non distinguunt, non satis videmus; cùm enim in eorum sententia non remaneat post consecrationem panis quantitas, in quo recipientur qualitates corruptivæ? An in qualitatibus corrumpendis? Non est qualitas subjectum qualitatis. Deinde nulla est ratio; cur potiùs corruptivæ subjectarentur in corrumpendis, quàm corrumpendæ in corruptivis. Si dicas existoras sine ullo subjecto sicut aliæ, ultra quòd recurris ad novum miraculum, inconceptibile est, quomodo qualitas possit qualitatem

corrumpere, in qua nec mediatè nec immediatè recipitur. Unde dicendum esset in illa sententia annihilari à Deo qualitates Eucharisticas, eo ipso quo agens naturale produceret qualitates sufficientes ad illarum destructionem, si ibi esset substantia panis, aut ejus quantitas. Quod est iterum superfluus ad Deum recursus.

CONCLUSIO II.

GEnerari potest aliquid ex speciebus Eucharisticis. Est communis & certa. Hujus veritatis testis est experientia: si enim comedantur, generatur chylus; si comburantur, fiunt cineres; si putrefiant, nascuntur vermes.

Hujus tamen generationis experimentalis difficilis est explicatio, cùm hic nulla sit materia; generatio autem qualibet supponat materiam, in qua recipiatur forma rei genitæ: & ideo pro enodanda hujus rei difficultate in varias sententias abierunt DD. Vult Cajetanus quantitatem panis tunc fieri materiam primam, ità ut eadem res pro diverso tempore sit quantitas & materia; quod est inconceptibile. Sotus asserit quantitatem converti in materiam quantam; sed ad quid conversio quantitatis, cùm materia non sit quanta nisi per quantitatem? Melius sanè dixisset, ut Nos postea produci à Deo solam materiam primam, quæ unita quantitati præexistenti, reddatur quanta.

D. Thomas hic q. 77. art. 5. relatis & refutatis tribus aliorum sententiis, suam proponit, asserens quantitatem panis esse instar materiæ, ac ideo tanquam subjectum generationis recipere formam rei genitæ; quæ sententia, si ad litteram intelligatur varia involvit absurda. Primò quòd debilius sustentaret fortius, nempe accidens formam substantialem. Secundò quòd quantitas illa deberet existere sine subjecto usque ad finem, transeundo scilicet, sicut transit materia prima, cujus vicem gerit, de una forma ad aliam per successivas generationes. Tertiò quòd homo vivens ex solis speciebus Eucharisticis tandem esset sine materia prima, adeoque homo sine parte hominis essentiali. Quartò quòd vermes geniti ex speciebus putridis essent alterius naturæ, quàm geniti ex pane putrido. Unde benigniùs est intelligenda hæc D. Angelici doctrina, dicendo nempe, quòd quantitas panis subeat quidem locum materiæ, ac recipiat formas genitas, sed accidentales, non substantiales, quæ recipiuntur in materia de novo divinitùs producta, ut apertè docet 4. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad 4. & ideo

Dicendum ubi ex alteratis speciebus generanda est aliqua substantia, sive chylus, sive aliud, Deum illicò creare materiam primam, quæ unita quantati panis omnia munia obeat, quæ obiret materia panis, si ibi adesset. Hæc est vetior, facilior, & apud Modernos communior, & ideo tenenda. Nec propriè recurritur ad novum miraculum, cùm sit quid consequens ipsam institutionem, imò consentaneum exigentiæ naturæ, quæ postulat (ne immutetur ordinarius generationum modus) ut perdita per consecrationem materia, restituatur per creationem.

QUÆSTIO IV.

Quandonam desinat esse Christus sub speciebus, quamdiu perseverent species in stomacho integræ, & an liceat spuere post Communionem?

SEcunda pars quæstionis magis videtur tangere Medicos, quàm Theologos; attamen cùm ejus resolutio non parum conferat, ut servetur cautela in provocando, vel admittendo vomitu; ideò quid sit in praxi securius, ex relatis ab Authoribus Medicorum opinionibus subjiciemus.

CONCLUSIO I.

EOdem instanti quo species sunt ità alteratæ, ut non posset sub illis ulterius naturaliter conservari substantia panis & vini, si adesset, desinit esse ibi Christus, seu perdit ibi præsentiam Sacramentalem, absque tamen ulla substantiali annihilatione aut desitione; cùm fuerit ibi per solam adductionem, seu novæ præsentiæ productionem, ut antea diximus.

Prob. autem Conclusio; quia nulla est ratio, cur desinat ante aut post: ergo tunc. Prob. Ant. Non ante: quia vel antecedenter ad sumptionem specierum, vel consequenter: si antecedenter, ergo communicans non manducat realiter Christi corpus: si consequenter, scilicet immediatè, cur timet Ecclesia Hostiæ vomitum? Non etiam post; quia vel remaneret cum substantia de novo producta, vel remaneret extra; non primum; quia non solet Ecclesia adorare Christum sub vermibus, aut cineribus, cùm ex speciebus Eucharisticis producuntur. Non etiam secundum; quia non esset ibi modo Sacramentali, cùm nihil esset, per quod redderetur Eucharistia sensibilis.

Confir. quia cum Christus succedat in locum panis, velitque moraliter ab ejus speciebus conservari, sicut ab illis physicè dispositivè conservabatur panis; videtur tamdiu voluisse remanere sub illis, quamdiu remansisset substantia panis, & tunc desinere, quando ipsa desiisset. Ex dictis

Resol. 1. Dum Hostia in locum turpem cadit, aut projicitur, dum à mure corroditur, aut à bruto sumitur, dum à sumentium dentibus species teruntur, non desinere esse Christum sub speciebus, nec redire sub illis substantiam panis, ut voluerunt aliqui Veteres, quorum tres Articulos publicè prædicari sub excommunicationis pœna inhibuit Gregorius XI. non tamen aliqua censura notavit, ut falso refert Vasq.

Resol. 2. Tamdiu remanere Christum sub speciebus quamdiu non succedit alia substantia à pane & vino distincta; *quia* cùm non corrumpatur substantia, nisi generetur alia, *non* fuisset corruptus panis, si ibi fuisset, nisi succedente *alterius* substantiæ generatione.

Resol. 3. Guttam sanguinis immissam in dolium vini permansuram in ratione Sanguinis, si vinum non sit diversæ naturæ ab illo, sub cujus speciebus est gutta Sanguinis.

Ratio est; quia nihil esset, à quo corrumperentur species illius guttæ, cùm species vini non sint contrariæ vino ejusdem rationis. Quare totum illud vinum fieret aliquo modo sacrum, & usibus sacris esset applicandum.

Resol. 4. E contra, si vinum alterius naturæ aut alius liquor, v.g. cerevisia, imponatur calici consecrato, & à speciebus consecratis substantialiter transmutetur, illud de novo productum nullo modo fore consecratum: quia non existeret ibi sub speciebus consecratis, sed sub non consecratis simul cum vini substantia; quia nihil consecratur, nisi sit præsens tempore consecrationis.

CONCLUSIO II.

VIdetur extra omne dubium Hostiam parvam spatio semiquadrantis consumi à stomacho benè constituto; Hostiam verò majorem spatio unius circiter semihoræ: & quamvis Doctores aliqui, qui se Medicus consuluisse asserunt minus temporis requirant: ad majorem tamen certitudinem, & Sacramenti reverentiam consultum est, ut nullus vomitum provocet ante præfatum tempus: imò cùm etiam robustiores sibi nonnunquam falso adulentur de valente stomacho, *prudenter* aget qui etiam diutius expectaverit.

Si autem Hostia sive parva, sive magna recipiatur in stomacho senili, pituitoso, aut ægritudine languenti, vix potest determinari tempus, post quod consumatur. Et ideo talibus infirmis prudenter suadet Fromundus lib. 2. de Anima cap. 3. art. 4. per horam integram ad minimum à communione, vomitum retinere.

CONCLUSIO III.

UBi non satis constat, an non adhuc restet aliqua Hostiæ particula in ore, omninò à sputis cavendum est propter irreverentiæ periculum, ubi autem certus est communicans nihil amplius remanere, congruenter quidem aliquamdiu sputum continebit, non tamen obligatoriè; imò nec tenebitur ab iis, quæ sputum provocant, abstinere: nam esto adhuc indigesta esset Hostia, provocando sputum, nullatenus provocatur ejectio specierum; cùm sputum sicut saliva, diffluat ex capite; aut saltem ejiciatur ex pulmonibus; species autem sint in ventriculo, ubi concoquitur cibus.

DISPUTATIO VII.

De Ministro Eucharistiæ.

DUplex distingui potest Eucharistiæ Minister, unus ipsam conficiens, alter confectam distribuens, & de utroque hic agemus. Lutherani malè intelligentes Scripturam, quæ variis locis Christianos omnes vocat Sacerdotes, non quia Eucharistiam valeant conficere, sed quia Deo offerunt

ferunt Sacrificium orationis, eleemosynæ, aliorumque bonorum operum, contendunt quemlibet Christianum non tantùm posse Eucharistiam distribuere, sed & conficere, licèt non debeat huic officio se ingerere, nisi à communitate deputatus. Imò in casu necessitatis concedunt cuilibet Patri-familias Eucharistiæ confectionem, & suis distributionem, quorum errorem jam refutavimus.

QUÆSTIO I.

Quis possit Eucharistiam conficere?

CONCLUSIO UNICA.

OMnis & solus Sacerdos ritè ordinatus, sive sit peccator, sive Schismaticus, sive Hæreticus, sive excommunicatus, sive quocumque alio impedimento ligatus, potest validè Eucharistiam conficere.

Prob. Ad Eucharistiam conficiendam requiritur & sufficit character Sacerdotalis: atqui omnis & solus Sacerdos qualiscumque sit, habet characterem sacerdotalem: omnis quidem quia cùm character sit signum indelebile, semel in Ordine receptus, nunquam amittitur: solus verò, quia solis habentibus characterem sacerdotalem, id est, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dixit Christus Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*.

Confirm. 1. Quòd competat soli Sacerdoti; quia cùm potestas conficiendi Eucharistiam sit omnino supernaturalis, utpotè respiciens effectum supra omnem naturæ exigentiam, nulli concedenda est, nisi legatur ipsi concessa: sed solis Sacerdotibus legitur concessa: ergo. Prob. Min. quia cùm illud *Hoc facite* à Magistro prolatum importet præceptum, ut indicant ipsi termini, illis solis data est potestas conficiendi, quibus datum est præceptum: sed non omnibus datum est præceptum Eucharistiam conficiendi, ut fatentur ipsimet Hæretici: ergo nec omnibus data est potestas, adeoque soli Sacerdoti.

Confirm. 2. Non solùm ex Concillis Nicæno I. can. 14. Lateranensi sub Innocentio III. & Tridentino sess. 22. cap. 1. & can. 2. ubi hæc veritas definita est; sed etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ nunquam, etiam in extrema necessitate, alium adhibuit ad Eucharistiæ confectionem, nisi Sacerdotem. Quod sanè legeretur factum, saltem primis Ecclesiæ sæculis, ubi pauciores erant Sacerdotes.

Confirm. 3. Quia mirum esset, quòd in lege veteri munus sacrificandi non omnibus; sed solis de tribu Levi legitimè vocatis & ordinatis competeret, ita ut nequidem in casu necessitatis, aliis concederetur, cùm id tunc præsumens, Ozias lepra percutiatur 2. Paralip. 26. & Saul dicatur stultè egisse 1. Reg. 13. in lege autem Evangelica, ubi hoc munus est infinities nobilius, cùm non animalium carnes, sed ipsemet Dei Filius offeratur, omnibus promiscuè concederetur.

Dices 1. Hæc verba: *Hoc facite &c.* diriguntur ad communicantes, non ad conficientes: ergo nihil probant. Prob. Ant. ex Apostolo 1. Corinth. 11. ubi ait: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*: ubi facite afficit bibentes, seu hoc Sacramentum sumentes.

Resp. Quòd licèt illud facite ibi afficiat bibentes, sicut & paulò ante afficit manducantes, etiam tamen, & præsertim afficit corpus & Sanguinem conficientes: cùm hoc præcedens facite referatur ad totum, quod Christus fecit in Eucharistiæ institutione; & sic facite sumptum pro mandacate aut bibite afficit omnes, sumptum autem pro conficite, tantùm afficit Sacerdotes, ut semper intellexerunt Concilia, Patres & tota Ecclesiæ traditio.

Dices 2. Legitur in Actis S. Petronillæ, mortuam esse postquam celebraverat Dominicæ oblationis Mysteria.

Res. Dist. Assumpt. Postquam celebraverat, id est, solemnizaverat cum Sacerdote conficiente: C. id est, postquam confecerat: N. erat quidem in carcere, sed potuit ad eam Sacerdos accessisse visitationis ergo, & videns eam moribundam, Eucharistiam confecisse, ipsam communicaturus; cùm ibi legatur hoc Sacramentum recepisse.

Dices 3. Narratur in Prato spirituali Angelum visibiliter apparentem verificasse consecrationem à Monacho laico factam.

Resp. Supposita Historiæ veritate, quam multi ut apocrypham reiiciunt, hoc factum esse potentia divinitus accepta de qua hic non loquimur.

Dices 4. Frumentius adhuc juvenis, teste Theodoreto lib. 4. Histor. Ecclesiast. c. 23. invitavit mercatores Romanos ad Liturgias, cùm tamen esset laicus.

Res. Vel invitasse mercatores illos navigio in Indiam appulsos ad Liturgias siccas, seu nauticas, id est, sine consecratione; vel, si ad ordinarias, per Sacerdotem celebrandas; vel, quod verisimilius est, solùm invitasse ad Psalmos, orationes, hymnos, preces &c. Et ita loquuntur Nicephorus, Sozomenus, & Rufinus hanc historiam referentes.

Dices 5. In concilio Ancyrano can. 2. præcipitur Diaconis qui Diis immolarunt, ut deinceps à pane & calice offerendis abstineant: ergo supponitur id posse.

Res. Ibi prohiberi oblationem non consecratoriam, sed ceremonialem, qua juxtà munus suum, Sacerdoti offerenti assistunt.

Dices 6. Plus est juxta Scotum, Eucharistiam sumere, quàm conficere; sed qui potest plus, potest minus: ergo omnes sumentes possunt conficere.

Res. Dist. Maj. Plus est attenta utilitate de qua intelligendus est Scotus: C. attenta potestate. N.

QUÆSTIO II.

An Neomystæ cum Episcopo consecrent.

SUppono 1. Posse plures Sacerdotes eamdem numero hostiam consecrare; quia unus & idem effectus potest esse à pluribus causis moralibus, Sacerdotes autem non consecrant physicè, sed moraliter, in quantùm Deum movent ut physicè consecret.

Suppono 2. Consuetudinem illam, qua Neomystæ cum Episcopo consecrant, non posse à particulari Episcopo prætermitti, quidquid dicant Durandus & alii judicantes esse reprobandam & abrogandam; quia quamdiu praxim illam servat Romana Ecclesia, servandamque ordinat in Pontificialibus, debemus illam ut bonam & rationabilem revereri, & interim inconvenientia, quæ indè ex Ordinatorum inconsideratione evenire possent, præcavere; ipsos sufficienter instruendo.

CONCLUSIO UNICA.

PRobabilius est noviter ordinatos cum Episcopo non consecrare, verbaque consecrationis solum materialiter proferre. Est communior.

Prob. 1. Quia sic tolluntur omnia inconvenientia contra hanc consecrationem objici solita; potestque dici Ecclesiam consecrationis prolationem à Neomystis requirere, tum ut denotetur tradita ipsis consecrandi potestas; tum ut formam consecrationis, qua deinceps usuri sunt, solemniter recipiant.

Prob. 2. Quia si novelli Sacerdotes consecrarent formaliter seu deberent habere intentionem consecrandi cum Episcopo; periculum esset, ne pluribi verba proferrent super materiam jam consecratam, sicque nihil efficerent, cùm sit moraliter impossibile, ut omnes simul formam absolvant. Imò periculum esset, ne Episcopus ipse non sacrificaret ob inconsideratam aliquorum præcipitantiam.

Prob. 3. Neomystæ non communicant, ut celebrantes cùm Eucharistiam recipiant sub sola specie panis: ergo nec ut celebrantes formam pronuntiant: unde antiquum Pontificale Romanum: Ordinati omnia dicant, ac si celebrarent: ergo supponit non celebrare, adeoque nec sacrificare. Deindè sæpè accidit materiam consecrandam non esse sufficienter præsentem ordinatis, saltem remotioribus.

Dices 1. In Rituali Romano jubetur Episcopus altè & tractim consecrare, ut Ordinati simul cum Episcopo formam absolventes, ei concelebrent: ergo &c.

Resp. Hanc cautelam præscribi; quia non obstante sententiæ nostræ probabilioritate; non est satis certum, an Formam proferre debeant materialiter, an formaliter. Præterea dici potest insinuari concelebratio materialis ad majorem ritus conformitatem.

Dices 2. Evitabitur omne inconveniens, si novelli Sacerdotes referant intentionem consecrandi ad illud tempus quo Episcopus Formam absolvet, licèt ipsi priùs absolverint.

Res. Rationem illam nihil profuturam, cùm positis materia, forma & intentione Sacramenti conficiendi, non sit liberam Ministro ejus effectum differre.

Nihilominus in praxi instruendi sunt Neomystæ, ut id intendant, quod Ecclesia vult ab illis fieri, adeoque proferre verba formaliter, si talis sit mens Ecclesiæ; sin minus, materialiter; semper tamen cavendo, ne ante Episcopum absolvant.

QUÆSTIO III.

Quinam possint Eucharistiam distribuere?

QUæstio est de distributione licita, cùm possit validè à qualibet persona etiam alterius sexus, licèt Hæretica aut Pagana distribui; cùm tamen solus Sacerdos conficiat. Ex quo patet discrimen inter hoc & alia Sacramenta quæ utpote in solo usu consistentia, eumdem habent Ministrum validum & confessionis & administrationis.

CONCLUSIO I.

ILli soli possunt Eucharistiam de jure Divino propria authoritate distribuere, qui possunt illam conficere. Patet ex Trident. Sess. 13. c. 8. ubi asserit semper fuisse in Ecclesia consuetudinem ex Apostolica Traditione descendentem, ut laici à Sacerdotibus communionem reciperent unde D. Thomas in Officio V. Sacram. sic loquitur: *Cujus Officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit ut sumantur, & dent cæteris.*

Ratio est, quia conveniebat, ut illis solis authoritativè competeret distribuere, quibus ex Officio competebat conficere.

Dices: In primitiva Ecclesia omnes seipsos communicabant: unde Augustinus Serm. 52. de Tempore: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant;* ergo non semper fuit mos in Ecclesia, ut Sacerdotes laicos communicarent.

Res. Quod licèt hoc immediatè fieret à laicis; tamen Christi corpus recipiebant de manu Sacerdotis, qui censebatur principalis dispensans.

CONCLUSIO II.

ETiam ex jure Divino competit Diaconis Eucharistiam ministrare, sed ex commissione Pontificali, aut Sacerdotali: & in hoc differunt à Sacerdotibus, qui id possunt ex propria authoritate.

Prob. 1. Quia ab initio Ecclesiæ hoc ministerium committebatur Diaconis, non tamen Subdiaconis, aut aliis: ergo signum est; quòd ex sua Ordinatione, adeoque ex jure Divino competeret ipsis, ad id committi. Prob. Ant. ex S. Clemente l. 8. Constit. Apost. c. 28. ubi ait: *Oblatione ab Episcopo aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquàm Sacerdos, sed tanquàm qui ministrat Presbyteris.* Quod confirmant verba S. Laurentii ad S. Xistum Papam .... *Cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Si autem Sanguinis, quidni & corporis? Quia inquis, Christi Sanguis continetur in calice: sicque potest dispensari absque eò, quòd tangatur, non ita Christi corpus: sed ratio illa non subsistit, cùm etiam viri laici seipsos communicaturi, ipsum tangerent manibus nudis, ut diximus ex Augustino. Crederem tamen, ubi consuetudo illa seipsum communicandi abrogata est, Ecclesiam facilius commisisse Diaconis Sanguinis dispensationem ob rationem præfatam, quàm corporis: & sic explicari potest D. Thomas distinguens q. 82. art. 3. ad 1. inter unam & alteram dispensationem.

Prob. 2. Quia cùm Diaconus sit propinquus Ordini sacerdotali, atque ex jure Divino specialiter assistat offerenti, congruum videtur, ut etiam possit ex eodem jure oblationes distribuere saltem ubi accedit præfata commissio; unde scribit S. Justinus Apolog. 2. pro Christianis, quod Diaconi *darent singulis præsentibus partem panis & Calicis diluti, super quos facta est gratiarum actio, quod alimentum apud nos vocatur Eucharistia.*

Dices 1. Diaconus solùm id potest ex commissione: ergo non ex jure Divino.

Res. Dist. Cons. Non ex jure Divino, ut propria authoritata dispenset: C. ex alterius commissione: N. undè habet ex jure Divino, ut possit sibi committi illa distributio: quod non competit Subdiaconn, nec aliis.

Dices 2. Non dixit Christus Diaconis, sed Presbyteris: *Hoc facite* &c. ergo id non habeot ex jure Divino.

Res. Dist. Cons. Id non habent ex jure Divino præcipiente; C. permittente; N.

Dices 3. Christus officium illud committi voluit solis presbyteris: ergo

Resp. Dist. Ant. Ut distribuerent sine commissione: C. cùm illa: N.

Dices 4. Saltem hoc tempore non est in usu illa commissio.

Res. Dist. Assumpt. Non est in usu, quia deest committendi facultas: N. quia deest committendi ratio ob Sacerdotum multitudinem. C.

Porrò etsi in Ecclesiæ exordio hæc commissio facile concederetur, ut videntur insinuare passus Clementis & Justini nullam causam allegantium, postea tamen inhibitum fuit id extra necessitatem committere, ut patet ex Concilio Carthagin. IV. can. 36. ubi legitur; *Diaconus præsente presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Non debet tamen necessitas illa esse adeo gravis: unde si infirmus foret Sacerdos, & interim urgeret præceptum annuæ communionis, aut Jubilæum lucrandum posset Diaconus commissus Eucharistiam ministrare.

CONCLUSIO III.

DIaconi etiam sine commissione possunt in articulo mortis Viaticum ministrare, si absit Sacerdos, aut irrationabiliter recuset id facere.

Ratio est, quia in illo casu Diaconus (ut ait Author quidam modernus) rationabiliter præsumere potest voluntatem Episcopi aut Papæ; sicut enim famulus rationabiliter præsumit voluntatem Domini, ad apponendum cibum & potum iis, quos tenetur dominus alere, quando sunt in necessitate, sic Diaconus rationabiliter præsumit voluntatem Pontificis ad ministrandam in necessitate Eucharistiam filiis S. Matris Ecclesiæ, quos ipsa hoc convivio tenetur alere: undè non est verisimile, velle Ecclesiam in tali casu filios suos sine Viatico decedere.

CONCLUSIO IV.

LIcèt non sit omninò probabile id etiam posse Clericos Diacono inferiores, imò laicos in casu præfato, contrarium tamen probabilius est, & Ecclesiæ praxi conformius.

Prob. 1. authotitate D. Thomæ 4. dist. 13. q. 1. art. 3. questiunc. 1. ad 3. ubi postquàm dixit licere laico, etiam peccatori, Christi corpus tangere, in casu necessitatis, v. gr. ut extrahatur ex loco immundo, subdit: *Sed non est simile de dispensatione Sacramenti, quia receptio hujus Sacramenti non est necessitatis: unde ei, qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est: Crede & manducasti.*

Prob. 2. Quia hoc Sacramentum: utpote ad salutem quidem utile, sed non necessarium, non est dispensandum, nisi cum circumstantiis ejus reverentiæ debitis, & ideo sicut non licet Sacerdoti non jejuno, aut vestibus sacris non induto consecrare, ut ministretur viaticum infirmo, ita nec licet in hunc finem Subdiacono aut laico Eucharistiam dispensare.

Prob. 3. Quia nunquàm legitur factum, ut Subdiaconus aut laicus Eucharistiam principaliter dispensaverit, imò nec minus principaliter à pluribus sæculis, id est, accipiendo de manu Sacerdotis aliis distribuendam, dicere autem non esse defectu potestatis, sed occurrentiæ casus, est merum figmentum, cùm casus ille non sit ita rarus in locis, ubi unicus habetur Sacerdos, ac præsertim tempore pestis. Si ad ignorantiam laicorum recurris, Dicam ego debuisse de illa potestate instrui, si vera sit.

Dices 1. Maria Stuarta Martyrium subitura seipsam communicavit: ergo & potuit alium in simili necessitate constitutum.

R. Id fecisse ex dispensatione Summi Pontificis, qua seclusa factum illud non esset approbandum sed reprobandum.

Dices 2. Juxta Augustinum supra, initio Ecclesiæ seipsos etiam sanos communicabant laici, saltem minus principaliter ergo id etiam possunt nunc respectu infirmi, aliàs sine Viatico morituri.

Resp. Neg. Conseq. Quia tunc nulla erat prohibitio, sicut nunc: undè sicut Apostoli initio Ecclesiæ celebrabant sine vestibus sacris, saltem omnibus, cum quibus celebramus nunc ut omninò credibile est, & tamen non licet nunc sine illis, etiam ad ministrandum infirmo Viaticum, idque ob Ecclesiæ prohibitionem, ita proportionatè ratiocinandum est in nostro casu.

Dixi in Conclusione: In præfato casu; id est, pro ministrando Viatico quia si non tantum esset Viatici utilitas, sed etiam probabiliter gratię necessitas, ut si peccatori de suæ contritionis perfectione satis anxio deesset copia Confessarii posset secundum Gonet & plurimos alios, à laico communicari, quia posset, per Eucharistiæ sumptionem, primam gratiam recipere ut diximus ante Hinc casum illum non comprehendit S. Thomas sup. cùm tunc receptio non sit solius utilitatis sed necessitatis

tatis

ſatis. Dicitur quidem c. *Pervenit* de Consecrat. Diſt. 2. horrendum eſſe & deteſtabile quod quidam Presbyteri per laicum aut fœminam ad ægros Euchariſtiam mitterent, ſed exaggeratio illa reſpicit Sacerdotes pigros, qui faciebant per laicos, quod poterant per ſe. Fatemur tamen hujus rei uſum in Eccleſia non vigere, an autem defectu poteſtatis, an occurrentiæ caſus, an aliundè, non ſatis conſtat; undè in locis, ubi caſus illi poſſent evenire conſulendi eſſent Ordinarii.

CONCLUSIO V.

EXtrà neceſſitatem nec Sacerdos, nec Diaconus poteſt ſe ipſum laicaliter communicare. Hoc inſinuat Eccleſiæ praxis. In extrema autem neceſſitate, quando alias eſſet ſine viatico decedendum, id concedit Diacono, & conſequenter à fortiori Presbytero Concilium Nicæn. can. 14. An autem id etiam poſſit Sacerdos, celebrare impotens, ut ſatisfaciat ſuæ devotioni? Affirmat Suarez, ſed contradicit praxis. Sed quid de laico? id non poteſt, ut ſibi Viaticum miniſtret, cùm nequidem id poſſit reſpectu alterius, ut diximus, in caſu autem in fine Concluſionis præcedentis allegato, reſpondendum eſt, ut ibi.

QUÆSTIO IV.

An ad Euchariſtiæ diſpenſationem requiratur juriſdictio.

CONCLUSIO I.

NEceſſaria eſt Sacerdoti, ad licitam Euchariſtiæ diſpenſationem, juriſdictio ordinaria, aut delegata ab iis, qui habent ordinariam. Patet ex Conciliis Carthag. 1. c. 2. Milevit. c. 18. Lateran. cap. *Omnis utriuſque*.

Ratio clara eſt, quia Paſtoris eſt paſcere: inter autem actus paſcendi ſpirituales, hic videtur Primarius aut ſere primarius, & ideo præſumens hunc actum exercere ſine debita juriſdictione, incurrit peccatum grave, imo excommunicationem Papæ reſervatam, ſi ſit Religioſus, & miniſtret ſæcularibus, etiam Clericis, non tamen ſi ſit Presbyter ſæcularis, aut ſi Religioſus miniſtret Religioſis, ut patet ex verbis Bullæ, ſeu Clement. 1. quæ incipit Religioſi. Liberabuntur tamen ab hac excommunicatione, ii vel illam ignorent, vel ſi rationabiliter præſumant paſtoris voluntatem quæ præſumptio etiam ad vitandum omne peccatum ſufficit. Ubi autem concedit Paſtor alicui Presbytero in Eccleſia ſua celebrationem, cenſetur (niſi contradicat) & Euchariſtiæ diſpenſationem concedere.

CONCLUSIO II.

JUriſdictionem delegatam habent Religioſi Mendicantes ad miniſtrandam toto anni tempore Euchariſtiam omnibus utriuſque ſexus fidelibus, ſi excipiatur Communio Paſchalis, & data per modum Viatici.

Patet ex Bullis Summor. Pontificum Julii II. Pauli III. & Pauli IV. quorum primus expreſſè hanc licentiam conceſſit PP. Minimis, Secundus PP. Societatis Jeſu, & Tertius FF. Minoribus. Hujus Bullam, quæ incipit, *cum ſicut*, refert Rodriguez in Bullario ſuo his verbis tertio loco, *Quòd de cætero per totum orbem omnium utriuſque ſexus fidelium, dicti Ordinis FF. à ſuis Superioribus, ut moris eſt, deputati Confeſſores, confeſſiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem FF. audire ..... ac omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, Sacramentum Euchariſtiæ tam illis, quàm aliis quibuſvis perſonis licitè miniſtrare poſſint, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium indulgemus* &c. per quæ privilegia abunde derogatum eſt Clement. præfatæ: nam *Romanus Pontifex (qui jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) Conſtitutionem condendo poſteriorem priorem, quamvis de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcitur*. Cap. 1. de Conſtitut. in VI.

Circa Bullam hanc duo notanda ſunt, 1. Diem Reſurrectionis ibi exceptam non ſumi materialiter pro ipſa die, ſed pro Communione Paſchali quatenus præcepta, adeoque poſſe Religioſos mendicantes etiam ipſo die Reſurrectionis Euchariſtiam diſpenſare illis, quos conſtat præcepto aut ſatisfeciſſe, aut poſtea ſatisfacturos in ſua Parochia. 2. Quamvis in Bulla Pauli IV. non excipiatur expreſſè Viaticum: illud tamen eſſe exceptum probat non tantùm conſuetudo, & ſenſus communis, ſed etiam finis, propter quem illa Bulla data eſt: finis enim illius Bullæ fuit, pacificare Parochos cum Religioſis, qui non prætendebant ſibi licere ratione privilegiorum Viaticum miniſtrare infirmis quandoquidem hoc expreſſè fuiſſet illis prohibitum à Paulo III. ſed tantùm dare Communionem devotionis cauſa factam ſive ſanis, ſive infirmis.

QUÆSTIO V.

Quo tempore diſtribui poſſit Communio, & quoties ad id teneantur Parochi?

CONCLUSIO I.

SI tempus interdicti localis exceperis, poteſt, per ſe loquendo, diſpenſari Communio omni tempore, adeoque diurno & nocturno, matutino & pomeridiano, etiam bene habentibus, modò aliunde ſint diſpoſiti.

Ratio eſt; quia etſi pro Euchariſtiæ confectione ſeu Sacrificio ſit aliquod tempus determinatum, ut dicemus poſtea, nullum tamen legitur pro ejuſdem diſtributione. Uſus tamen invaluit, ut non miniſtretur ſanis in die Paraſceves, ſicut nec aliis diebus poſt meridiem. Non condemnarem tamen gravis peccati ſecùs facientem, modò id faceret ſecretò ad vitandam populi admirationem.

Dixi: Si tempus Interdicti &c. quia tunc (ſecluſa Viatici neceſſitate) interdicitur illius diſpenſatio cap. Quod in te de Pœnitentia & Remiſſione.

CONCLUSIO II.

TEnentur Parochi Parochianis toties Euchariſtiam miniſtrare, quoties rationabiliter illam poſtulant, etiamſi ſolius devotionis ergo.

Ratio eſt; quia ſicut Pater corporalis tenetur prolibus ſuis cibos miniſtrare non ſolùm in extrema aut gravi neceſſitate, ſed etiam quando rationabiliter exigunt; ità Parochus, qui eſt Pater Spiritualis tenetur filiis ſuis cibum ſpiritualem præbere, non ſolùm quando abſolutè neceſſarius eſt, ſed etiam quando multùm prodeſſe poteſt ad ſpiritualem animarum refectionem: ad hoc enim ſtipendium accipit.

Dixi: Quoties rationabiliter illam poſtulant; quia ſi frequentiùs petant, quàm exigit eorum conditio, aut quando Parochus morbo, vel aliis impedimentis juſtè detinetur, poteſt Communionem liberam negare aut differre: honeſtè tamen, ne Parochianos à frequentandis Sacramentis retrahat.

CONCLUSIO III.

TEnetur Parochus Viaticum miniſtrare ſubditis ſuis peſte infectis, ſi deſint alii, qui ſe ultrò offerant, ſaltem in iis circumſtantiis, in quibus indigent pœnitentiæ Sacramento. Eſt certa.

Ratio eſt; quia cùm periculum peſtis contrahendæ ipſum non eximat à miniſtrando Pœnitentiæ Sacramento, nec eximit à miniſtranda eodem tempore Euchariſtia, cùm per hoc non incurrat novum periculum, ſaltem notabile.

Dixi: Saltem in iis circumſtantiis &c. quia an etiam teneatur, quando Parochianus præſumitur in ſtatu gratiæ ob confeſſionem factam, controvertitur. Ratio Negantium eſt, quòd hoc Sacramentum non ſit abſolutè neceſſarium, & utilitati inde provenienti ſit præponenda Paſtoris vita. Affirmantium verò (quibus adſtipulatur Sylvius cum pleriſque aliis) quia videtur eſſe moralis neceſſitas hujus Sacramenti, ut poſſit infirmus gratiam conſervare, & dæmoni tunc præſertim inſidianti reſiſtere: & ideo hanc ſententiam ſequuntur ordinariè Paſtores timorati ac zeloſi, ſaltem in defectu Religioſorum aut aliorum ſupplere volentium.

Advertendum, quòd in illo caſu poſſet porrigi Hoſtia mediante inſtrumento Corporali cooperto, ſi abeſſet periculum ſcandali, & lapſus Hoſtiæ; quia tunc videtur ſervari debita Sacramento reverentia: quidquid in contrarium dicat Bonacina.

QUÆSTIO VI.

Quo loco & ritu ministranda sit Eucharistia?

CONCLUSIO I.

Ministranda est ſanis Euchariſtia in templo, ſacello aut ſaltem in loco per Epiſcopum approbato; infirmis autem, ubicumque repeniuntur, ſi urgeat neceſſitas, nec poſſint ad locum honeſtiorem transferri.

Prima pars patet ex ordinatione Ritualis. Non condemnarem tamen Parochum peccati gravis, ſi id faceret in loco profano, ſed honeſto, ſaltem ubi adeſſet ſcandalum & contemptus, quia nec Sacramentum videtur graviter inhonorari nec Eccleſiæ mandatum in re gravi violari.

Prob. 2. Pars; quia cùm Sacramenta ſint propter homines maluit Chriſtus aliquid ſibi de honore extrinſeco imminui, quàm Chriſtiano indigenti non ſubveniri.

CONCLUSIO II.

Quando communicandus eſt infirmus intra civitatem, debet Sacerdos Alba, aut Superpelliceo indutus cum ſtola, præcedentibus facibus, aut cereis accenſis, vel ſaltem lucerna, ſi ex vento timeatur lumen extinguendum, recitare in via Pſalmos pœnitentiales, aut Graduales, vel alios proportionatè ad viæ longitudinem, aut brevitatem. Interim, ſi fieri poteſt, debet Sacerdos ad majorem Sacramenti reverentiam, eſſe ſub umbella, debetque deferri tintinnabulum, cujus ſonitu moneantur fideles Creatorem ſuum adorare. Ut autem in reditu continuetur fidelium adoratio non debet unicam Hoſtiam, ſed duas aut plures deferre. Congruit ut Parochus ſuis exhortationibus, imò & Epiſcopus propoſitis certis Indulgentiis excitet populum, ut Venerabile Sacramentum comitetur, etiam cum facibus. Curandum erit, ut ægroti cubiculum mundetur, imò & honeſto apparatu, quantùm fieri poteſt, inſtruatur, appoſito ſuper menſam linteo mundo, & binis ſaltem candelabris cum Crucifixi imagine, quod apud pauperes ſupplebunt parentes, aut vicini.

Cùm ad infirmum acceſſerit Parochus, videbit an ſit ſibi præſens, & an non ſit periculum tuſſis aut vomitus, ne irreverentiæ periculo exponatur Sacramentum, interrogabitque ſuaviter communicare deſiderantem, an non adhuc alicujus peccati remordeat conſcientia. Tandem excitato ad devotam ſuſceptionem, ac gratiarum actionem infirmo, redit ad Eccleſiam eodem, quo venerat, ritu & ſolemnitate. Hinc

Reſolve, quàm intolerabilis ſit abuſus aliquorum ſive Sæcularium, ſive Regularium, qui promiſcuè Sacroſanctam Euchariſtiam in argentea theca, aut corporali incluſam, ſecretò, & ſine ulla ſolemnitate deferunt ad infirmos; contra quos extat noviſſimè Decretum Congregationis Cardinalium, Sacri Concilii Tridentini Interpretum ex commiſſione Innocentii XI. Romæ emanatum 2. Febr. anno 1679.

CONCLUSIO III.

Cum in Pagis deferendum eſt infirmo Viaticum per vias longas, lutoſas, aut præruptas, debet Parochus incedens pedibus ad collum appendere burſam, in qua ſit pixis, unicam continens Hoſtiam, ut ſi fortè ceciderit, nulla fiat Sacramento irreverentia: & hæc praxis à S. Carolo Borromæo dicitur deſcendere.

Dixi: Incedens pedibus; quia non debet ferre equitando, niſi pediti inacceſſibilis eſſet domus infirmi: aut niſi Loci Ordinarius id ex juſta cauſa permiſiſſet.

Quærunt hic aliqui, an carenti uſu pollicis & Indicis liceat aliis digitis hoc Sacramentum diſpenſare? Negat Bonacina, affirmat Toletus, & utrique aſſentior, Illi extra neceſſitatem, Huic in neceſſitate.

DISPUTATIO VIII.

De recipientibus Euchariſtiam, & diſpoſitionibus ad receptionem requiſitis.

Triplex eſt Euchariſtiæ ſumptio, ſacramentalis tantùm, & hæc eſt peccatorum, ſpiritualis tantùm eorum ſcilicet, *qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide vive, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem ſentiunt.* Sacramentalis & ſpiritualis ſimul, eſtque eorum, *qui ita ſe prius probant & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant.* Ita loquitur Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. ex quo triplex hæc ſumptio originatur.

QUÆSTIO I.

Qui ſint capaces Euchariſtiæ recipiendæ?

CONCLUSIO I.

Omnis homo baptizatus, rationis compos eſt capax recipiendi Euchariſtiam ſacramentaliter & ſpiritualiter.

Ratio eſt; quia Euchariſtia inſtituta eſt primario, ut conferat gratiæ augmentum: atqui omnis homo baptizatus, ratione utens, eſt capax augmenti gratiæ: ergo &c. Hinc

Reſol. Cùm Chriſtus dicat Joan. 6. omnibus ratione utentibus: Niſi manducaveritis &c. graviter peccare parentes, qui, ne ſolvant jura funeralium pro communicantibus debita non procurant pueris ſuis Euchariſtiam in articulo mortis, licèt ratione utantur, ſub prætextu quòd necdum fecerint primam communionem. Qui abuſus ſerio eſt per Concionatores corrigendus.

CONCLUSIO II.

Etiam pueri & amentes, qui nunquam ratione uſi ſunt, poſſent, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, Euchariſtiam ſacramentaliter & ſpiritualiter ſumere. Eſt ſatis communis contra Cajetanum.

Prob. 1. Illicitum eſt dare Sacramentum incapaci illius effectus, cùm Sacramenta ſint præcisè propter effectum: atqui, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, licitè miniſtraretur communio pueris & amentibus, quandoquidem Trident. ſeſſ. 21. cap 4. dicat rationabilem fuiſſe aliquorum populorum conſuetudinem, apud quos hoc Sacramentum dabatur parvulis, ergo ſunt capaces effectus illius, nempe augmenti gratiæ: & certè ſi augeri poſſint in gratia per Confirmationem, quidni poſſent per Euchariſtiam?

Reſpondet Amicus pueros & amentes eſſe quidem capaces fructus ſacramentalis, non tamen ſacramentalis manducationis, eo quòd non habeant actualem Sacramenti notitiam. Sed

Contra eſt quod notitia illa actualis gratis requiratur, cùm pueri ſint capaces recipiendi ſacramentaliter Baptiſmum, & Confirmationem, imò & fortè Ordinem, & tamen Sacramenta illa non norunt actualiter. Præterea ſicut Euchariſtia, non dependet à notitia recipientis, ut ſit Sacramentum; ita nec ab ea dependet, ut in receptione perſeveret eſſe tale.

Prob. 2. Quia Euchariſtia reſpectu puerorum eſt verum Sacramentum, nullumque ponunt obicem ad illius effectum: ergo poſſunt Euchariſtiam ſumere & ſacramentaliter, & ſpiritualiter. Prob. 1. pars Antecedentis: quia ſi Euchariſtia eſſet Sacramentum reſpectu aliorum, & non puerorum, inde oriretur, quòd hi non poſſent actum elicere, poſſent illi: ſed non conſiſtit intrinſecè in actu recipientis, ut concedunt omnes: ergo. Prob. 2. Pars; quia ſufficit ad recipiendum gratiæ augmentum in Sacramento ſolus gratiæ ſtatus, qui reperitur in pueris, & amentibus baptizatis.

Dices 1. Chriſtus non dixit pueris: Niſi manducaveritis &c. ergo reſpectu illorum nec eſt Sacramentum, nec Sacramenti fructum operatur.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ex illis verbis tantùm ſequitur, Communionem reſpectu illorum non eſſe præceptam, non debet autem eſſe præcepta, ut ſit Sacramentum, aut Sacramenti effectum habeat, cùm præceptum ſit merè Sacramento extrinſecum.

Dices 2. Trident. ſup. referens modos, quibus ſumi poteſt Euchariſtia, non meminit hujus: ergo.

Reſ.

Ref. Concilium ibi referre modos suo tempore magis ordinarios qualis non erat præfatus jam pridem inusitatus.

Dices 3. D. Thomas 3. p. q. 80. a. 9. ad 3. docet nihil detrimenti obvenire parvulis, si frustrentur Eucharistia: ergo saltem non participant effectum Sacramenti.

Ref. Dist. Ant. Docet nihil obvenire detrimenti, id est peccati; C. id est, non privari ulla gratia: N. Agebat enim S. Doctor contra eos, qui volebant hæc Christi verba; Nisi manducaveritis, comprehendere parvulos, adeoque, nisi communicarent, obnoxios esse peccato.

Dixi in Conclusione: Seclusa Ecclesiæ prohibitione, quia Ecclesia magis prospiciens reverentiæ Sacramenti, quam puerorum utilitati, non solet illis Eucharistiam ministrare & licèt fortè hac de re non sit aliquod præceptum positivum, est tamen consuetudo introducta habens vim legis, & ideo dicit Catechismus Romanus pueros non esse Eucharistiæ recipiendæ idoneos: & certè non videtur congruere, ut tantum Sacramentum cum irreverentiæ periculo, & aliunde sine recipientis devotione & adoratione conferatur.

CONCLUSIO III.

SEmifatuis, seu debilem habentibus usum rationis, porrigi potest & debet Eucharistia in articulo mortis, si nullum inconveniens timeatur; imò & in Paschate, si aliquo pietatis & reverentiæ sensu erga istud Sacramentum afficiantur.

Ratio est; quia licèt non habeant actualem devotionem, aut certè tantam, quantam requirit hujus Sacramenti majestas (& ideo non sint frequenter comunicandi) non sunt tamen actualiter indispositi, cùm illa devotio non sit absolutè necessaria..

CONCLUSIO IV.

A Mentibus & phreneticis, qui ab omni pietatis sensu sunt alieni, non est ministranda communio, nequidem in articulo mortis per modum Viatici, si timeatur vomitus, exspuitio, aut alia indignitas, licèt antea usi sint ratione; imò & voluntatem illius sumendæ ostenderint.

Ratio est; quia reverentia Sacramento debita præferri debet utilitati, quæ ipsis inde obvenire posset. Præterea si in periculo vomitus denegetur Viaticum mente sanis, quidni denegaretur ratione privatis?

Dixi: Si timeatur vomitus &c. quia si absit omne periculum irreverentiæ, poterit ipsis dari, juxta Concilium Carthagin. IV. can. 76. & Arausicanum 1. Can. 13. in articulo mortis tantùm, si præsumantur esse in bono statu; quod ordinariè præsumendum est, nisi constaret peccasse moraliter ante amentiam & phrenesim, nec constaret de pœnitentia.

CONCLUSIO V.

ENergumenis, sive possessis à Dæmone sine sua culpa ministrari potest Eucharistia aliquoties in anno, idque magis vel minus frequenter, prout expedire judicaverit prudens Confessarius, ad cohibendam possidentis audaciam, & obtinendam possesso patientiam.

Ratio est; quia nulla apparet ratio, cur eis interdicatur communio saltem eo temporis intervallo, quo non vexantur à Dæmone: unde Serenus Abbas apud Cassianum Collat. 7. cap. 30. *Eis, qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.*

Dixi: Sine sua culpa; Qui enim possidentur à Dæmone propter gravia crimina, debent pœnitentiam egisse.

CONCLUSIO VI.

MUti & surdi à nativitate, in quibus deprehenditur ex signis aliqualis hujus Sacramenti cognitio, admitti possunt ad communionem paschalem, modo præsumantur in bono statu, aut certè peccata sua nutibus exprimant, ut faciunt nonnulli.

Ratio est; quia etsi non possint perfectè grande hujus Sacramenti mysterium penetrare, possunt tamen cibum hunc spiritualem à profano distinguere, & ad illum ut talem accedere: quod videtur sufficiens. Imò sufficit, ut sæpius in anno Eucharistia reficiantur, si in rebus ad salutem pertinentibus appareant instructi.

QUÆSTIO II.

Quænam dispositiones requirantur ex parte corporis ad licitam Eucharistiæ sumptionem.

QUoniam varia hic occurrunt examinanda circa corporis dispositiones, ad faciliorem illorum intellectionem, Quæstionem hanc in aliquot Articulos dividemus.

ARTICULUS I.

An, & quale jejunium requiratur ante communionem?

CONCLUSIO I.

REquiritur ex præcepto Ecclesiæ jejunium ante communionem. Colligitur ex perpetua Ecclesiæ praxi, quam verisimile est ab Apostolis descendere; undè Concilium Constantiense Sess. 13. *Sacrorum Canonum authoritas*, inquit, *& approbata Ecclesiæ consuetudo servavit, & servat, quòd hujusmodi Sacramentum nec post cænam conficiatur, nec sumatur à non jejunis*. Idem in terminis docent Ecclesiæ Patres, Tertullianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes*. Chrysostomus Homil. 27. in 1. ad Corinth. *Tu prius, quam communices, jejunas, ut quomodocumque dignus appareas*. Augustinus Epistola 18. ad Januarium: *Placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur*.

Dices 1. Olim anniversario die cœnæ Domini Eucharistia sumebatur à cœnatis, ut patet ex Concilio Carthag. III. can. 29. ergo &c.

Resp. Morem illum nec universalem fuisse, nec diuturnum ut patet ex Concilio Constantiensi sup. ubi eximens casum infirmitatis, & alios ab Ecclesia admissos, hujus non meminit.

Dices 2. post cænam Communicaverunt Apostoli: ergo &c.

Resp. Neg. Conseq. Quia licèt Christus cœnatos Communicaverit Apostolos, reliquit tamen Ecclesiæ suæ potestatem immutandi circa Sacramenta, quidquid secundùm temporum exigentias judicaret expedire; modo salva maneret eorum substantia. Judicavit autem (ut major esset Communicantium devotio, majorque exhiberetur Sacramento reverentia) ut fideles accederent jejuni. Porrò voluit Christus post cœnam ultimam illud Sacramentum instituere & distribuere, ut memoriale Passionis quasi cùm ipsius Passione conjungeretur.

CONCLUSIO II.

JEjunium ad Communionem prærequisitum debet esse naturale, ita ut post mediam noctem nihil omninò sumptum sit per modum cibi aut potus, aut etiam medicinæ idque sub gravi peccato. Colligitur ex universali Ecclesiæ usu & communi fidelium consensu.

Dixi 1. Jejunium naturale, ut distinguatur ab Ecclesiastico quod admittit integram refectionem, & plus, ut suo loco diximus: hoc autem nihil prorsus, & ideò

Dixi 2. Ita ut nihil omninò sumptum sit &c. undè qui vel tenuem micam panis, aut guttulam vini, vel alterius liquoris sumpsisset, reus esset gravis peccati, si illo die ad Eucharistiam accederet.

Levis est, inquis, materia, undè peccatum grave. Sed advertere debes, quòd non petatur gravitas ex eo, quod sumptum est, sicut in jejunio Ecclesiastico, sed ex eo quod post sumptionem alicujus sivè magni sivè parvi Eucharistia sumatur: quod, ut materiam gravem, semper graviter inhibuit Ecclesia.

Dixi: Post mediam noctem: unde cibus aut potus anteà sumptus, licèt necdum digestus; imò recens in stomachum trajectus, non impedit absolutè Eucharistiæ sumptionem: quamvis sit indecens sine ulla necessitate cibo corporali cibum illum spiritualem immiscere. Ubi autem dubitat quis, an post mediam noctem comederit, aut biberit, tutius est sequendum, abstinendo illo die à communione. Et idem dicendum: quando dubium oritur ex diversitate Horologiorum priùs & posteriùs sonantium: nisi certè posterius sonans haberetur communiter, ut regula certa: aliud verò ut incerta: quia tunc præsumptio veritatis staret pro primo. Hæc omnia sequuntur ex principiis nostris in Tract. de conscientia stabilitis.

Dixi 4. Per modum cibi aut potus, aut etiam medicinæ; ad quod requiritur & sufficit, ut aliquid ab extrinseco ori imponatur à stomacho alterabile, & per veram comestionem aut potationem in stomachum trajiciatur. Non sufficit tamen si sumatur per modum respirationis, aut salivæ. Ex dictis

Resol. 1. Argentum, stannum, ferrum & alia, quæ per potentiam expulsivam indigesta & inalterata emittuntur quamvis in stomachum validum fuerint trajecta, & non nocere jejunio naturali.

Sed quid de charta? Jejunium solvere negat Marchantius, affirmant alii, & melius: quia etsi non dicatur communiter cibus, est tamen per stomachum digestibilis & aliqualiter nutritiva, non minus ac multæ medicinæ, quas non compatitur jejunium naturale. Similiter terra, creta, crusta parietis & similia quacunque intentione sumantur, solvunt hoc jejunium, si sint vere à stomacho digestibilia, aliàs non.

Resol. 2. Mulierem sugentem lac de mamillis propriis solvere jejunium: sicut & qui urinam suam, sanguinem &c. biberet: Aliud esset, si sanguis, aut alius humor ex cerebro aut gengiva deflueret in os, aut stomachum. Ratio horum est, quod in primo casu aliquid digestibile sumeretur ab extrinseco instar cibi aut potus, non in secundo.

Resol. 3. Si existens in culina præter intentionem devoret fumum caponum, perdicum &c. aut etiam fortuito pluviam, muscam, pulverem &c. deglutiat cum aere, qui inspiratur, non frangere jejunium, quia deglutiuntur per modum respirationis, non comestionis.

Resol. 4. Si ex lotione oris, aut gustatione jusculi &c. aliquid præter intentionem trajiciatur in stomachum, non solvi propterea jejunium, modo quantitas sit valdè modica, & ita salivæ permisceatur, ut separari non possit, quia tunc censetur sumi per modum unius cum saliva.

Resol. 5. Imponentem ori Saccharum paulatim deglutiendum, non posse ad Eucharistiam accedere, si etiam dormiens aliquid trajiciat in stomachum post duodecimam nocturnam.

Ratio est, quia moraliter tamdiu censetur durare comestio, quamdiu saccharum est in ore cum fuerit sumptum ut sensim deglutiretur. Aliter sentiendum est de frustulis carnis ex comestione vespertina, inter dentes manentibus, quia cum moraliter loquendo censeatur absoluta comestio ante duodecimam nocturnam, non censentur illa comedi, sed cum saliva deglutiri, saltem si fiat ex inadvertentia, id-est ut loquitur D. Thomas, si causaliter transglutiantur, quia si advertantur, expuendæ sunt, ut habet communior sententia.

Resol. 6. Folia, aut pulveres tabaci, Aquam, quam vulgò Reginæ Hungariæ dicunt, & similia sumpta per nares, non nocere jejunio, licèt aliquid dilabatur in stomachum, quia non sumuntur per modum comestionis aut potationis, cum hæc fiant ore, non naribus. Aliud est sanè de tabaco masticato, quidquid dicant aliqui, quia fieri non potest, quin plurimæ tabaci particulæ succulentiores descendant in stomachum. Per modum salivæ trajiciuntur, inquis: Sed si plurimus sacchari succus (quod posuisses in ore sugendum, non intendens deglutire, sed expuere succum, sicut in tabaco masticato) descenderet in stomachum tuum, an communicare auderes? Cur auderes in hoc casu, cùm sit omninò par ratio?

Resol. 7. Ordinariè tabacum fumigatum non solvere jejunium naturale, quia fumigantes totum fumum per os vel per nares emittunt, aut non nisi parum per modum respirationis.

Advertendum tamen hic valdè esse indecens & Christianis indignum sumere Christum eodem die, quo tabacum fumigarunt, aut masticarunt, (si cum Diana & aliis opinentur masticationem illam jejunio non nocere) cum sit ponere munditiem ipsam in ore sordido & fœtenti: unde deberent Confessarii, etiam Dianæ adhærentes, interdicere similibus communionem, saltem illo die. Meminerint in Concilio Limensi interdictam esse Sacerdotibus sub peccato gravi, & in Mexicano III. quibusvis personis sumptionem tabaci quovis modo ante communionem: quod & approbavit sacra Cardinalium Congregatio, ut refert noster Coen & quamvis Concilia illa Provincialia hic non obligent, insinuant tamen indecentiam ab omnibus vitandam.

ARTICULUS II.

Quibus casibus liceat non jejunis, sumptio Eucharistiæ?

CONCLUSIO I.

Licet sequentibus casibus, jejunio naturali soluto, communionem sumere 1. in articulo mortis sive naturalis ex infirmitate, sive violentæ ex sententia Judicis. Tenetur tamen morti adjudicatus nihil ante communionem, sumere, si sententiam jejunus receperit, aut credebat se brevi recepturum, licèt non teneatur Judex executionem differre, ut reus communicet jejunus. Similiter debet infirmus, si mortis periculum sit adhuc remotum, expectare, donec sit jejunus, si id possit absque gravi suo, aut Parochi incommodo; non est tamen hic scrupulosè agendum, & ideo nec est differenda medicina necessaria, nec cogendus Parochus, ut veniat de nocte, ut insinuat usus communis.

Sed poterit ne iterum communicare infirmus non jejunus, si diutius duret infirmitas?

Distinguendum existimo: vel enim post sumptionem Viatici cessat mortis periculum, vel non, si cessat, certum est non posse: si durat, aut illo cessante, superveniat alia periculosa infirmitas, poterit iterùm non jejunus communicare, modò saltem inter unam & alteram communionem intercedant 6. aut 7. dies, ut habet communior sententia, quia Sacramentum illud magnum est ægritudini levamen, magnumque Dæmonum tentationibus agitato præsidium. Contrarium quidem insinuare videre Rit. Rom. sup. præcipiens, ut infirmi ex devotione communicantes sint jejuni, non minùs ac cæteri, sed intelligi debet de iis, qui non infirmantur ad mortem.

2. Si post consecrationem meminerit Sacerdos se non esse jejunum, quia tunc prosecutionem exigit Sacrificii perfectio, aut consummatio. Dico: Post consecrationem, quia si ante, desistere debet, si privatim celebret, ac possit sine infamia aut scandalo Altare relinquere, si autem celebret publicè, debet prosequi, sicut & laicus existens in scamno communionis.

3. Quando subest periculum, ne Hostia pereat, comburatur, aut indignè tractetur ab Hæreticis, aut aliis.

4. Si post consecrationem, licèt unius speciei, moriatur Sacerdos, aut fiat incapax ulterius procedendi; tunc enim debet Sacerdos non jejunus, deficiente jejunio Missam absolvere, ut ordinavit Concilium Toletanum VII. can 1. ob Sacrificii integritatem: ob quam etiam tenetur celebrans, qui pro speciebus vini sumpsit aquam, novum vinum consecrare & sumere.

Notat hic noster Herinx, advertentem, materiam calicis esse aquam, non debere ob decentiam expuere, quod habet in ore, sed deglutire.

5. Si post sumptam ablutionem reperiat in patena, Corporali, aut mappa aliquas Hostiæ particulas à se consecratas; quia illarum sumptio pertinet ad complementum ejusdem Sacrificii, in cujus principio erat jejunus. Debet tamen adhuc esse in Altari; nam si ab illo absolutè recessit, licèt necdum vestes sacras exuisset, serius est; quia tunc censetur actio Sacrificii omnino completa.

Dixi: à se consecratas; quia si ab alio sint consecratæ aut etiam ab illo, sed non in eadem Missa, reservandæ sunt (si absit periculum irreverentiæ) donec in alia Missa sumantur à Jejuno.

ARTICULUS III.

An Sacerdoti non jejuno licet consecrare, ut ministret Viaticum?

Quæstio intelligitur, quando aliàs moribundus esset sine Viatico discessurus.

CONCLUSIO I.

Non potest Sacerdos jentatus aut pransus celebrare, ut Viaticum ministret ei, qui aliàs esset sine illo moriturus. Ità docetur communiter, sed non probatur sufficienter, cùm probetur per casus similes, v. gr. quòd non liceat ad hunc finem in fermentato consecrare, sine vestibus sacris, & similia, quæ non minùs egent probatione, quàm illud: quandoquidem in omnibus illis casibus omittatur præceptum Divinum, nempe Viatici sumendi, ut

servetur

servetur Ecclesiasticum. Nihilominus cùm talis sit Ecclesiæ sensus, sic

Prob. Conclusio; quia præsumi potest præceptum sumendi Viaticum in tali circumstantia, nec ægrum obligare, ut recipiat, nec Sacerdotem, ut porrigat: ergo nec potest jentatus ad illum finem consecrare. Prob. Ant. quia Ecclesia à Spiritu S. edocta nullibi sive scripto, sive dicto, sive facto celebrantes pro infirmis excipit, licèt in terminis excipiat ipsos infirmos, quibus non jejunis permittit Viatici sumptionem in Concilio Constantiensi, ac quotidie, quod permisit, ad praxim reducit: ergo verisimile est, talem esse Christi intentionem, nobis per constantem & perpetuam Ecclesiæ praxim manifestatam.

Dices 1. Præceptum Divinum prævalet Ecclesiastico: sed præceptum consecrandi jejunè, est Ecclesiasticum & aliud Divinum: ergo

Resp. Dist. Maj. Præceptum Divinum obligans, prævalet Ecclesiastico, C. ubi obligare desinit, sicut in præfata circumstantia, N.

Dices 2. Potest Sacerdos contritus celebrare sine prævia confessione peccati mortalis, ubi deest Confessarius, ut communicet moribundum: ergo à fortiori soluto jejunio; cùm hæc dispositio sit exterior, illa interior; hæc solo jure Ecclesiastico requiratur, illa Divino.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd universa Ecclesiæ praxis recepta & approbata nobis insinuet talem esse Christi intentionem in primo casu, non in secundo.

Dices 3. Non censetur Ecclesia præcipiens jejunium ante celebrationem, velle hunc casum comprehendere, cùm materia legis moralis debeat esse obvia, casus autem ille sit rarissimus.

Resp. Neg. Assumpt. Et dico legem moralem etiam comprehendere casus rarissimos, ubi Legislator id insinuat: sicut hic insinuat Ecclesiam: tam strictè enim & sollicitè præcipiens servari Hostias pro infirmis, satis ostendit se nolle, ut Sacerdos non jejunus celebret communicaturus infirmum.

Petes 1. An pro communicando infirmo liceat Sacerdoti secundam Missam incipere, si ante ablutionem monitus, illam non sumpserit?

Resp. Affirm. Si nulla sit Hostia consecrata. Ratio est quia cùm Ecclesia permittat secundum Sacrificium jejuno, ut populus audiat Missam, etiam præsumendum est, illud permittere jejuno, ut ministret Viaticum, cùm hujus sumptio fortiùs obliget, quàm Missæ auditio.

Petes 2. An Sacerdos possit notabiliter prævenire tempus ordinarium celebrandi ob Viaticum ministrandum?

Resp. Affirm. Quia etsi circumstantiam illam etiam prohibeat Ecclesia, quia tamen longè minùs confert ad reverentiam Sacramenti hora celebrandi ordinaria, quàm jejunium, faciliùs præsumimus primum, quàm secundum.

ARTICULUS IV.

An requiratur etiam ad Eucharistiæ sumptionem munditia corporalis.

HUic quæstioni, inter alia, occasionem dedit, quòd filii Israel juberentur comedere Agnum Paschalem renibus accinctis, & Achimelech Sacerdos Panes propositionis dare noluerit Davidi, ejusque comitatui, nisi priùs eorum continentiam novisset: si ergo munditia illa requirebatur propter Christi corporis figuram, quanta opus est propter veritatem? Imò si populo Deum in persona Angeli in monte expectanti dixit Moyses Exod. 19. *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris*; quid dixisset Deum ipsum in pectore recepturis?

CONCLUSIO I.

FLuxus sanguinis, lepra, mulierum menstrua, & similia, quæ sine culpa patientis, eveniunt, non excludunt ab Eucharistiæ convivio.

Ratio est; quia tales corporis defectus non impediunt per se animi devotionem, potiusque merentur commiserationem, quàm punitionem. Deinde si Christus invitavit ad convivium nuptiale cæcos, debiles, & claudos, cur ab Eucharistico excluderemus præfatos? Mulieres quidem tempore menstrui aut puerperii non admittunt Græci, sed hanc Græcorum consuetudinem non agnoscit Ecclesia Latina, saltem hoc tempore, quo antiquata est lex contraria, de qua cap. 21. de Consecrat. Dist. 2.

CONCLUSIO II.

POllutio nocturna omnino inculpabilis non impedit de necessitate Communionem, imò nec culpabilis sufficienter retractata, & sacramentaliter absoluta, impedit tamen utraque ex congruitate & decoro, nisi aliud obstet.

Prob. 1. Pars; quia solùm tenetur justus devotè & reverenter accedere: sed potest, non obstante infirmitate illa inculpabili, sicut culpabili remissa, taliter accedere, si nempe mentis evagationem, carnalesque imaginationes prævia meditatione coerceat: ergo.

Prob. 2. Pars; quia congruitatem illam insinuat ex una parte corporis fœditas, ex alia tanti Sacramenti Majestas.

Addidi tamen: Nisi aliud obstet, ut si Sacerdos vel ex justitia, vel ex obedientia teneatur celebrare: tunc enim potest incongruitatem illam intensiori devotione compensare. Imò expedit contemnere Dæmonis illusiones, si advertatur sæpius pridie Communionis corpus involuntariè pollui. Dicit quidem D. Bonaventura 4. dist. 12. p. 2. art. 2. qu. 3. pollutionem privare fructu Sacramenti, sed loquitur de fructu ampliori, quem impedit, dum propter relictas imaginationes mentem distrahit: & de hac pollutione loquitur Augustinus serm. 224. de Tempore (si sermo illius sit) cùm dicit non licere post pollutionem involuntariam communicare.

CONCLUSIO III.

ACtus conjugalis innocenter exercitus, sive interim sit petitus, sive redditus, non impedit absolutè Communionem; congruit tamen in diem sequentem differre, nisi ratio Festi solemnis id exigeret, & tunc debet devotio æquivalens illam indecentiam supplere. Hæc omnia sequuntur ex dictis.

Dices 1. Præcipit Apostolus conjugibus abstinentiam, ut vacent Orationi 1. Corinth. 7. ergo à fortiori, ut communicent Christi corpori.

Resp. Neg. Ant. Non enim dat ibi præceptum, sed consilium: Nolite fraudare invicem, inquit, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi, ubi priora quidem verba important præceptum, non tamen posteriora, ut per se patet. Nec contrarium docet Hieronymus Epist. 1. ubi licèt videatur oppositæ sententiæ favere, satis tamen ostendit, se nihil decidere; cùm dicat ibidem loquens de conjugibus: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant; quod nec reprehendo, nec probo.*

Dices 2. Cap. Sciatis 33. q. 4. legitur: *Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest Orationi, nec de carnibus Agni comedere.*

Resp. Cum Glossa, vel ibi esse consilium, vel mentionem fieri de redditione libidinosa, quæ post se relinquit mentis evagationem.

Quantùm ad id, quod dicitur in præludio Quæstionis, respondendum est legem Mosaicam, quæ ferè tota in exterioribus occupabatur, varias cæremonias, ac observantias exteriores requisiisse, quas lex Evangelica, magis interioribus quàm exterioribus regulandis occupata non requirit: unde illarum loco exigit in nostro casu cultum interiorem, ac animi devotionem.

QUÆSTIO III.

Quænam dispositio requiratur ex parte animæ ad sumptionem Eucharistiæ?

CONCLUSIO I.

EXistentibus in peccato mortali præmittenda est confessio Sacramentalis, antequam communicent; & quidem probabilius jure Divino.

Prob. 1. Pars ex illo 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane ille edat & de calice bibat*: quæ probatio, juxta unanimem DD. consensum, & Ecclesiæ declarationem ac traditionem, intelligitur de confessione sacramentali; unde Trident. Sess. 13. Can. 11. docet, *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se contritos existiment, habita copia Confessarii, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem*: quod & docuerat Cap. 7. Hinc

Resol. 1. Meritò expunctam esse jussu Pii V. sententiam Cajetani volentis ad evitandam communionem indignam, sufficere

sufficere solam sui discussionem absque ulla confessione, licèt confessionem requireret ad communionem dignam, quamvis videatur esse idem accedere digné, & accedere non indigné.

Resol. 2. Licèt obligatio confitendi ponatur in Canone à Tridentino, non esse tamen condemnatam ut hæreticam opinionem contrariam, unde non dicit ibi Anathema oppositum tenenti, ut solet in aliis Canonibus, sed excommunicat contrarium docentem, prædicantem &c.

Resol. 3. Dum Chrysostomus Homil. 28. in Epist. ad Corinth. ait: *Neque jussit alteri alterum probare, sed sibi seipsum*, quòd non excludat confessionem privatam & sacramentalem, sed publicam, quæ (ut subdit) requirit populi & testium approbationem.

Petes, An dupliciter peccet communicans sine prævia confessione, & simul jentatus?

Res. Affirm. Quia licèt sit idem motivum genericum præcipiendæ confessionis & jejunii, nempe Religionis, non est tamen idem specificum; cùm unum respiciat dispositionem animæ saltem certiorem, aliud corporis.

Prob. 2. Pars Conclusionis (quæ est contra Coninck, & quosdam alios putantes tantùm esse Apostolicum ab Ecclesia receptum & approbatum) quia Apostolus loco citato dicit se accepisse à Domino, quod tradidit Corinthiis; inter alia autem, tradidit hoc præceptum, Scio Adversarios velle Apostolum, inter accepta à Domino tantùm ponere institutionem, & usum hujus Sacramenti, non verò præceptum illud, quod ipsemet ferebat, sed si tunc ipsemet tulit, cur reprehendit ibi Corinthios communicantes sine confessione sacramentali? Præterea ex modo scribendi non potest colligi, quòd potius institutionem à Domino acceperit, quàm præceptum illud; cùm ibi non distinguat: quod tamen facit alibi, ne sua, & Domini præcepta confundat, ut c. 7. ejusdem Epist. *Præcipio ego*, inquit, *non Dominus, uxorem à viro non discedere*.

Dices 1. Saltem ante Florentinum in Ecclesia græca *neque Pontifices, neque Presbyteri celebraturi peccata sua confiteri solebant*, ut ipsis objecit Eugenius IV. in eodem Concilio: ergo non agnoscebant ibi præceptum Divinum, in quo non potest Ecclesia dispensare.

Resp. Cùm in fine Concilii dicatur, Episcopum Mytilenensem huic objectioni & quibusdam aliis satisfecisse, verisimilius respondisse præceptum illud non esse Divinum, cùm non posset alia via evadere; sed inde nihil contra nos, qui non tenemus sententiam nostram, ut omnino certam, sed ut probabiliorem.

Dices 2. Ad alia Sacramenta vivorum non requiritur absolutè Confessio Sacramentalis: ergo nec ad Eucharistiæ sumptionem.

Resp. Cùm Eucharistia non tantùm contineat moraliter gratiam, sicut alia Sacramenta, sed etiam physicè ipsum gratiæ fontem realiter præsentem, non est mirum majorem ad hoc Sacramentum requiri præparationem quàm ad alia.

Dices 3. Scotus 4. dist. 9. q. unica nu. 5. docet peccatorem teneri ad confessionem, antequam communicet, ex lege Apostoli.

Res. Non intelligere legem ab Apostolo latam, sed legem Domini ab ipso promulgatam, quæ promulgatio sufficit, ut lex dicatur esse ipsius, sicut lex vetus dicitur Moysis licèt non sit illius Author, sed promulgator.

CONCLUSIO II.

SI Sacerdos conscius peccati mortalis teneatur non confessus celebrare, ob defectum Confessarii, & urgentem celebrandi necessitatem, debet quamprimum post Missam confiteri. Ita statuit & præcepit Trident. Sess. cit. Cap. 7. his verbis: *Si urgente necessitate Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Unde hoc non est consilii tantùm, ut voluerunt aliqui, sed præcepti graviter obligantis, ut recepit & semper intellexit Ecclesia, & ideo hunc corruptæ Moralis articulum proscripsit Alexander VII. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium non præceptum*.

Dixi 1. Si Sacerdos conscius peccati mortalis; quia non comprehenditur hac lege, qui bona fide putans se in bono statu, recordatur post Missam peccati gravis, si id fieri possit. Dico post Missam; quia si memor fiat tempore Missæ sive ante, sive post consecrationem, nec sine scandalo confiteri possit, dicunt nonnulli teneri ad præceptum Tridentini, quia pergit celebrare urgente necessitate, scilicet ne se diffamet, & in defectu Confessarii, si non physico, saltem morali, in quantum non potest vocari sine celebrantis infamia.

Nihilominus si benè inspiciatur mens Concilii, probabilius est contrarium, cùm loquatur de eo, qui conscius est peccati præviè ad celebrationem, ut indicant hæc verba: absque prævia confessione celebraverit, nempe prævia ad ipsum actum celebrandi, adeoque supponit esse præviè conscium peccati. Tutior est tamen opposita, adeoque consulenda.

Dixi 2. Teneatur celebrare; quia præceptum illud, attenta expressa & formali verborum proprietate, solùm se extendit ad Sacerdotes celebrantes, quidquid dicat Navarrus, & ideo si laicus aut Sacerdos extra Missam in præfato casu communicasset, non teneretur ad confessionem, ideo statim instituendam. Si Concilium, inquit Navarrus, de laicis aut de Sacerdotibus laicaliter communicantibus in casu Conclusionis fuisset interrogatum, idem sanè statuisset: Sed quid tum An spectandum, quid Legislator statuisset? an verò quid statuerit? Certè si hoc esset, leges non essent Regulæ, sed confusiones; cum unusquisque deberet quasi divinare, quid intendisset Legislator.

Dixi 3. Ob defectum Confessarii: censetur autem deesse Confessarius juxta DD. communiter, quando propter infirmitatem, viarum difficultatem, itineris longitudinem, temporis brevitatem, aut negotiorum legitimorum, saltem spiritualium, occurrentiam, non potest hic & nunc adiri, aut advocari sine gravi incommodo; imò quamvis facilè posset conveniri, si ex peccatis confessis immineat grave damnum animæ, vitæ, famæ &c. pro nullo habendus est. Si tamen essent peccata alia, ex quibus nihil simile timeretur, essent clavibus subjicienda.

Dixi 4. Debet quamprimum confiteri, ubi ly quamprimum non debet ita strictè intelligi, ut statim finita Missa teneatur quærere Confessarium, ut voluerunt aliqui: neque ita latè; ut possit confessionem differre usque ad novam celebrationem, licèt intra mensem, aut plus faciendam; ut dixerunt alii, quorum sententiam evertit Alexand. VII. in hujus propositionis condemnatione: Illa particula quamprimum intelligitur, cùm Sacerdos suos tempore confitebitur: sed intelligi debet moraliter, ita ut non differatur confessio ultra duos aut tres dies. Si tamen prævideret quis quòd intra biduum aut triduum non posset confiteri, quia v. gr. transiturus est per terras Hæreticorum, teneretur confiteri ipso die, quo ita celebravit, si tunc haberi posset Confessarius.

Petes, An Officians in die Parasceves, comprehendatur Tridentini præcepto?

Res. Affirm. Quia ejus actio dicitur communiter & moraliter celebratio.

QUÆSTIO IV.

Quandonam communicare possit peccator, non præmissa confessione, & an memor peccati obliti in confessione teneatur ante communionem iterum confiteri?

CONCLUSIO I.

REus peccati mortalis perfectè contritus potest sine confessione ad Eucharistiam accedere, si sit vera necessitas communicandi, & penuria Confessarii.

Ratio est; quia licèt præceptum ante communionem confitendi sit Divinum, ut diximus, non obligat tamen in omni casu; cùm nec integritas confessionis, quæ est etiam juris Divini, taliter obliget. Undè non credimus obligare in sequentibus casibus 1. in articulo mortis, ubi deest Sacerdos, qui absolvere valeat & adest Diaconus, qui possit Eucharistiam ministrare: tunc enim sufficiet moribundo sivè Sacerdoti, sivè laico, prævia contritio.

2. Quando ex omissione Sacri aut communionis sequeretur infamia omittentis, ut si sacerdos publicè Missam incepisset, aut se vestibus sacris induisset: si laicus esset in scamno Communicantium, à quo non posset sine nota recedere. Non est infamia, inquis, peccata confiteri ante celebrationem aut communionem: ergo nec erit infamia, si quis in altari vocet confessarium, aut à scamno communionis ipsum adeat. Sed latum discrimen statim occurrit; quòd confitens ante, nesciatur an mortalia habeat, an sola venialia: confitens autem in præfatis circumstantiis ingerat suspicionem peccati mortalis, quod solum celebrationem impedit & communionem.

3. Si

3. Si deſit Hoſtia pro Viatico de vita periclitanti miniſtrando: Hunc caſum à Gonet relatum refert & noſter Boſco dicens, eſſe ſententiam communiorem, & in praxi tutam.

4. Quando Sacerdoti ex juſtitia, non ſola charitate celebrandum eſt, ne populus privetur Miſſa die Dominico aut Feſto: cur autem Primo caſu, non Secundo inde oritur, quòd non ſit tunc celebrandum præcisè, ut populus audiat Miſſam, ſed ne privetur jure habendi illo die Miſſam; jus autem habet à primo, non à ſecundo; & ideo non poteſt Sacerdos celebrare, ut ipſemet audiat Miſſam; aut præceptum communionis annuæ exequatur, quia præceptum Divinum de præmittenda communioni confeſſione, prævalet Eccleſiaſtico de Miſſa audienda, aut communione tunc ſumenda.

Petes, quid agendum pœnitenti habenti caſum reſervatum, ſi deſit confeſſarius habens juriſdictionem in tale peccatum.

Reſp. Si adſit celebrandi neceſſitas: poſſe declaratis non reſervatis, reſervatum tacere, poſteà confeſſario competenti exprimendum; quia equidem fruſtra manifeſtaretur tali confeſſario, cum illius abſolvendi careat poteſtate, peccata autem declarentur in ordine ad abſolutionem. Non erit quidem confeſſio illa integra materialiter, ſed talis eſſe non poteſt in illo caſu, etiamſi reſervatum expreſſeris, quia illius declaratio non erit Sacramentalis, eò quòd non fiet coram judice competenti, & ſic habebitur pro nulla, unde ſicut in variis aliis caſibus ſufficit integritas formalis, ita & in hoc caſu. Præterea grave eſt onus obligare pœnitentem ad idem bis confitendum.

CONCLUSIO II.

MEmor peccati in confeſſione obliti tenetur illud confiteri ante communionem. Ita communiter Theologi uno aut altero contradicente.

Prob. Ex communi fidelium ſenſu, ac perpetua Eccleſiæ conſuetudine legem ita interpretante, cui non parum favet Tridentinum, dum vult habentem conſcientiam peccati mortalis debere confiteri, quantumvis ſit contritus; quibus verbis oſtendit, non ſufficere peccati remiſſionem, niſi per claves remittatur; peccatum autem oblitum licèt fuerit in confeſſione indirectè remiſſum, nempè ratione gratiæ collatæ cum quolibet mortali incompoſſibilis, non tamen vi abſolutionis directè. Prætereà inſiſtendo oppoſitæ ſententiæ principiis, poſſet talis per annum integrum quotidie ad Euchariſtiam accedere ſine peccati obliti confeſſione, ſi nempè illo tempore non peccaſſet graviter, quod non videtur admittendum, nec ita facilè à communi intelligentia, & expoſitione præcepti recedendum.

Dices: Talis eſt in gratia, & probavit ſe per confeſſionem, ſed nihil aliud requirit Tridentinum: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Probavit ſe ſufficienter: N. inſufficienter. C. nam probatio illa requirit confeſſionem omnium peccatorum, quorum habetur memoria ante communionem, niſi aliunde excuſetur quis ab integritate confeſſionis.

DISPUTATIO IX.

De obligatione, & facultate communicandi.

OBligationem eſſe Adultis aliquando communicandi: ſenſus eſt fidelium communis, & unanimis DD. conſenſus & ideo non quærimus hic, an ſit Euchariſtiæ ſumendæ præceptum, ſed, illo ſuppoſito, an ſit Divinum, an humanum?

QUÆSTIO I.

An ſit Divinum præceptum communicandi, quos obliget & quandonam?

CONCLUSIO I.

DAtur præceptum Divinum Euchariſtiæ ſumendæ. Hæc Concluſio eſt communis, non tamen de fide; unde quidam Theologi, præſertim veteres, illam negaverunt, voluerunt que Euchariſtiæ ſumptionem tantùm eſſe juris humani, quia nullus eſſet Scripturæ locus, unde præceptum Divinum erueretur. Imo ſic docuit D. Thom. 4. diſt. 9. qu. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. quod in ſua Summa retractavit.

Prob. 1. Concluſio ex illo Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis non habebitis vitam in vobis*; atqui ſi non eſſet præcepta Chriſti carnis comeſtio, poſſemus ſine illa vitam ſeu gloriam aſſequi: ergo.

Prob. 2. Ex eo quòd Chriſtus dixerit Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit &c.* & Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis &c.* colligimus eſſe præceptum Divinum Baptiſmi, & pœnitentiæ: ergo ex eo quòd dixerit: Niſi manducaveritis &c. colligere debemus eſſe præceptum Divinum Euchariſtiæ ſumendæ. Scio aliquos paſſum hunc intelligere de manducatione ſpirituali; ſed cum Scriptura ſit ad litteram intelligenda, ubi indè nulla contradictio aut inconvenientia ſequitur, intelligendus eſt de manducatione Sacramentali, aut ſaltem de utraque, ut volunt alii.

Prob. 3. ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, quod refertur ad totum actum, adeoque etiam ad ſumptionem: unde Trident Seſſ. 13. cap. 2. *in illius ſumptionem colere nos ſui memoriam præcepit*: quod & antea dixerat D. Thomas qu. 80. art. 11. *Manifeſtum eſt, quòd homo tenetur hoc Sacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis Luc 22. Hoc facite in meam commemorationem.*

Prob. 4. Ratione: Præcepit Chriſtus Baptiſmum & pœnitentiam: Cur ergo non præcepiſſet Euchariſtiam, quæ eſt omnium Sacramentorum maximum? Quia non eſt ad ſalutem neceſſaria, inquis; ſed unde neceſſitas Baptiſmi & pœnitentiæ, niſi quia Chriſtus illa præcipiendo fecit neceſſaria; Unde neceſſitatem illam non habent ex ſe, ſed ex Divino præcepto.

CONCLUSIO II.

HOc præceptum obligat omnes rationis uſum adeptos, etiam non baptizatos.

Prob. Quia præceptum illud eſt univerſale: ergo obligat omnes illius capaces: atqui etiam non baptizati ſunt illius capaces, cum poſſint ſuſcepto Baptiſmo, illud adimplere: ergo. Præterea Chriſtus præceptum illud promulgando alloquebatur Capharnaitas, quorum plurimi non erant baptizati: undè quamvis non poſſint infideles Euchariſtiam ſuſcipere ante Baptiſmum, obligantur tamen ante Baptiſmum illam ſuſcipere ſuſcepto Baptiſmo; poteſt enim quis obligari ad finem, quem non poteſt ponere, niſi poſito medio, ſic reus peccati mortalis tenetur in Paſchate communicare, licèt non poſſit, niſi prius pœnitentiam egerit. Duplicis ergo peccati reus erit, qui ob neglectum Baptiſmum, negligit Euchariſtiæ ſumptionem.

Dices 1. Non poteſt infidelis ante Baptiſmum communicare, quia *ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt*, inquit Innocentius III. c. 3. *de Presbytero non baptizato*: ergo ante Baptiſmum non tenetur, quia obligatio ſequitur poſſe, adeoque ſi ante Baptiſmum non ſit poſſe, nec eſt ante illum obligatio.

Reſp. Diſt. Maj. Non poteſt ante Baptiſmum potentia Immediata: C. potentia mediata, dependente ab aliquo ſibi libero, nempè Baptiſmi ſuſceptione, ut ſit immediata: N.

Dices 2. Nemo tenetur ad leges Chriſtianorum, niſi ſit Chriſtianus, adeoque niſi ſit baptizatus.

Reſ. Diſt. Aſſump. Ad leges Chriſtianorum Eccleſiaſticas: C. quia Eccleſia tantum eſt ſuperior reſpectu baptizatorum. Ad leges Chriſtianorum Divinas: N. quia cùm Chriſtus ſit ſuperior omnium hominum, adeoque & non baptizatorum, poteſt illos obligare.

CON-

CONCLUSIO III.

HOc præceptum obligat rationis capaces in articulo mortis, si tempore vitæ nunquàm communicarunt; imo quamvis sæpius communicassent.

Prob. 1. Pars, qoia nisi tunc adimpleatur, nunquam poterit adimpleri: unde Concilium Nicænum c. 13. *Si fortè quis recedat à corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur.* Dicit necessario, non ratione effectus, cùm supponat gratiam primam: ergo necessario ratione præcepti Divini.

Prob. 2. Pars: Communio præcepta est, ut homo uniat se Deo, incorporetur Christo, ac fortiter resistat Diabolo, aliisque salutis hostibus. atqoi si unquam homo teneatur unire se Deo & Christo, ac contra hostium tentationes generosè dimicare, maximè in tali periculo: ergo etiamsi aliquoties in vita communicasset, adhuc tunc obligaretur. Accedit, quòd Nicænum supra non distinguat, an moribundi aliquando communicarit, necnè. Et certè si unquam salutis Viaticum sumendum est, nonnè præsertim in periculoso æternitatis bivio?

Dices 1. Ex nullo Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum loco ostendi potest præceptam esse à Christo commonionem in mortis articulo: ergo. Prob. Ant. Quia Scriptura nullum tempus determinat; Concilia autem & Patres intelligi possunt de præcepto Ecclesiastico.

Ref. Dist. Ant. Non potest ostendi, explicitè: Transeat, implicitè: N. cùm enim certum sit hoc Sacramentum maximæ esse ad salutem utilitatis, ubi scitur esse à Christo præceptum, prudenter colligitur tunc maximè obligare, ubi maximo exposita est salus periculo.

Dices 2. Non obligat præceptum confessionis (ubi nulla occurrunt mortalia) in articulo mortis: ergo nec præceptum communionis, cùm videatur par ratio.

Resp. Dissimulato Ant. N. Cons. Disparitas est, quòd ex traditione, habeamus institutam esse Eucharistiam in Viaticum, non confessionem, & ideò potius ad primam recurrendum est in illo itinere periculoso; quam ad secundam: quamvis nec hoc salutis suæ curioso sit omittendum: unde nec ab uno fideli videmus in tali periculo confessionem omitti.

Dices 3. Aliquandn denegat Ecclesia Viaticum damnatis ad mortem, idque in pœnam criminis: sed hoc non posset, si esset præceptum Divinum: ergo.

Ref. Dist. Min. Si esset præceptum Divinum absolutum: C. si conditionatum & dependens à judicio Ecclesiæ, cui commisit Christus liberam seu prudentem Sacramentorum administrationem, saltem eorum, quæ non sunt absolutè ad salutem necessaria: N.

Dixi in Conclusione: In articulo mortis, per quem intellige etiam ejusdem periculum: undè tenentur se munire hoc Viatico inituri pugnam, aut navigationem periculosam, mulieres prægnantes, quæ solent cùm magna difficultate parere condemnati ad mortem violentam, qoibus tenetur Judex tempus ad id requisitum concedere, licèt eo tempore timeat fugituros, quia pluris facienda sunt bona animæ quàm punitio temporalis per se loquendo.

CONCLUSIO IV

PRobabilius est, & in praxi tenendum, etiam aliquoties in vita obligare præceptum Divinum de sumenda communione.

Prob. 1. Quia Eucharistia fovet, nutrit, auget, roborat animam in gratia: atqui homo sæpè indiget hujusmodi viribus ut resistere valeat Dæmoni & ejus tentationibus: ergo sæpius debet ad illud vitæ spiritualis propugnaculum recurrere.

Confirm. Quia sicut vires corporis per actionem caloris naturalis infirmatæ, restaurari debent cibo corporali, ita vires animæ per concupiscentiæ calorem debilitatæ, cibo spirituali, seu Eucharistiæ sumptione.

Prob. 2. Quia alia præcepta Dei affirmativa indefinitè lata v. g. præceptum Fidei, Spei & Charitatis sæpius obligant, ergo & præceptum communionis, licet non ita sæpe ac præfata ob rationes suo loco dictas: unde peccat contra hoc præceptum juxta Doctores plurimos, qui ad tres aut quatuor annos differt communionem, quia tamen nihil certi hac in re statui potest, ideo prudenter Ecclesia præcepit hujus Sacramenti sumptionem singulis annis.

CONCLUSIO V.

QUi manè refectus Eucharistia, subito incedit in morbum lethalem, non tenetur eodem die iterum illam sumere per modum Viatici: quod idem esse videtur, etiamsi à quatuor aut quinque diebus communicasset, secus si à longiori tempore.

Prob. 1. Pars; quia commonio eodem die facta, aut paulò ante, potest habere rationem Viatici, quandoquidem ad hujus vitæ exitum præpararet, qui est finis Viatici. Tunc quidem non cogitavit de Viatico, sed nunquid impleri potest præceptum, quod ignoratur? nunquid jejunans in Vigilia S. Laurentii, ignorans esse jejunium, satisfacit præcepto? Consultum est tamen imò & fortè obligatorium in iis locis, in quibus talis consuetudo introducta est, iterum communicare, saltem die sequenti.

Dico die sequenti, quia Wiggers & plerique alii existimant id non licere eodem die, quia non videtur sufficiens necessitas secundæ communionis, extra quam non licet bis in die communicare; quod etiam verum est, juxta Coninck etsi moribundus post primam communionem peccaverit mortaliter, quia potest gratiam sanctificantem per pœnitentiam recuperare. Non desunt tamen aliqui inter quos novissimè P. Mauritius in resolutione duplicis casus impressa Ipris anno 1682. qui dicunt non tantùm licere, sed moribundum ad id teneri, sed quidquid sit, in his standum est locorum consuetudini.

Prob. 2. Pars, quia communio diu ante facta non habet rationem Viatici, ut declarat communis fidelium sensus, & Ecclesiæ praxis.

QUÆSTIO II.

An sit præceptum Ecclesiasticum communionis, quando obliget, & ubi?

CONCLUSIO I.

DAtur præceptum Ecclesiasticum obligans omnes baptizatos, ubi ad annos discretionis pervenerint, ad recipiendum Eucharistiæ Sacramentum singulis annis, idquè circa Festum Paschæ.

Prob. Ex Trident. Sess. 13. can 9. *Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Ecclesiæ, Anathema sit.* Hoc autem præceptum latum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur Cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnitentiis & remiss. iisdem fermè verbis ac ante.

Dixi 1. Ubi ad annos discretionis pervenerint. Quandonam autem pueri censeantur sufficienter discreti, ut hoc præcepto ligentur? non potest per ætatem definiri; cùm aliqui sint magis capaces anno XI. quàm alii XIII unde totum negotium dependet à prudenti Parochorum, aut Confessariorum judicio, qui attenta puerorum ingenii maturitate, & circa fidei mysteria instructione, setiùs aut citius eos ad Communionem admittent.

Advette tamen plus discretionis requiri, ut quis obligetur præcepto Communionis, quàm ut obligetur præcepto confessionis: nam eo ipso, quo quis habet usum rationis sufficientem, ut peccet mortaliter, videtur & habere sufficientem, ut obligetur ad confessionem; non tamen semper, ut obligetur ad Communionem: quia difficilior Eucharistiæ intellectio, & magis necessaria confessio.

Dixi 2. Circa Festum Paschæ, per quod intelliguntur ordinariè duæ Septimanæ, quæ incipiunt à Dominica Palmarum inclusivè, & terminantur per Dominicam in Albis. Possunt tamen Episcopi ob causas rationabiles illud tempus extendere, sive ante, sive post quindenam ordinariam. Imò possunt & Confessarii communionem Paschalem differre, ubi id exigit frequens relapsus, aut alia pœnitentis indispositio.

Dixi etiam: Singulis annis, idque circa Festum Paschæ: unde advertendum est duplex hic intervenire præceptum, unum communicandi in Paschate, & aliud non differendi Communionem ultra annum, ità tamen ut qui communicat in Paschate, satisfaciat utrique præcepto, non tamen qui communicat ante aut post Pascha; quia satisfacit quidem præcepto annuæ Communionis, sed non præcepto Communionis Paschalis. Hinc

Resol. 1. Eum qui prævidet, se non posse communicare in Pascha-

Paschate, non teneri prævenire, quia præceptum Communionis Paschalis affixum est illi tempori, sicut præceptum legendi horas affixum est diei. Si tamen initio temporis Paschalis prævideret postea impedimentum pro Communione, teneretur prævenire, sicut qui manè prævidet impedimentum audiendi postea Missam, tenetur illam audire manè. Tenetur similiter prævenire, qui prævidet impedimentum pro communione annua reliquo anni tempore.

Resol. 2. Ob eamdem rationem, eum qui prævenit tempus Paschale, licèt ex justa causa, iterum debere communicare in Paschate, si illo tempore cesset legitimum impedimentum. E contra verò eum, qui ex malitia, vel ex rationabili causa non sumpsit Communionem Paschalem, non teneri communicare statim moraliter post Pascha; quia non potest amplius præcepto Communionis Paschalis satisfacere: debet tamen communicare ante finem anni, si ante Pascha non communicaverit, & hoc, ut impleat præceptum Communionis annuæ.

Resol. 3. Illum, qui toto anni tempore non communicavit, teneri quamprimùm commodè potest, communicare, tantoque ejus peccatum augeri, quanto magis differt.

Ratio est; quia terminus annuus non conceditur, ut finiat obligationem, sed ut sollicitet executionem, simulque insinuet non posse sine peccato ulterius differri. Sicut in contractibus, quando statuitur tempus, ultra quod non potest differri solutio, si tunc non fiat, obligatio non extinguitur, sed perseverat, & magis urget.

CONCLUSIO II.

COmmunio Paschalis fieri debet in propria Parochia.

Prob. Administratio Eucharistiæ est actus jurisdictionis, ut diximus ante: ergo fieri debet à proprio Parocho, & consequenter in propria Parochia, nisi velit ille alibi ministrare, vel permittat alibi ministrari.

Ab hac tamen lege eximuntur, Primò Sacerdotes sæculares, qui ubicumque celebrent, huic præcepto satisfaciunt, consuetudine id authorizante. Secundò Religiosi, sive sint Sacerdotes, sive Clerici, sive Laici, quibus sufficit in suis Monasteriis communicare. Tertiò Religiosorum Mendicantium famuli, & commensales ex Summorum Pontificum privilegiis. Id enim concessit Fratribus Min. Clemens IV. Bulla *Virtute conspicuos*. Dominicanis Gregorius XI. Bulla VII. apud Cherubinum. Eremitis Augustinianis Innocentius VI. Bulla *Religionis favor*. Et omnibus Mendicantibus Leo X. Bulla *dum intra mentis arcana*, quod & concessit Jesuitis Paulus III. Bulla *Licèt debitum*. Authores has Bullas referentes vide apud nostrum Coen. Tract. de Sacramentis, pag. 294.

An autem possint sæculares in Ecclesiis Mendicantium sine licentia Parochi huic præcepto satisfacere? Videtur quòd non, quidquid dixerint aliqui: nam præterquam quòd hoc esset valde odiosum Parochis, qui nequidem semel in anno possent oves suas spiritualiter pascere, Privilegium quod dicitur toti Hieronymitarum Ordini à Pio IV. concessum, ab aliquibus revocatur in dubium. Imò sacra Cardinalium Congregatio nomine & authoritate Urbani VIII. declaravit secunda Martii anno 1638. communicandum esse in propria Parochia, licèt Theatini & Jesuitæ contradicerent.

QUÆSTIO III.

An satisfiat præcepto Divino & Ecclesiastico per Communionem sacrilegam?

CONCLUSIO I.

NOn satisfit præcepto Divino per Communionem sacrilegam, seu factam in statu peccati mortalis. Ità Amicus, Sylvius, Gonet & plures alii.

Prob. ex Trident. Sess. 13. cap. 2. dicitur: *Sumi autem voluit*, scilicet Christus, *hoc Sacramentum tanquàm spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me*, Joan. 6. Sed qui communicat sacrilegè non sumit Eucharistiam, ut cibum animæ, sed ut venenum, juxta illud Apostoli 1. Cor. 11. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*: ergo. Unde sicut non impletur præceptum de conservanda vita per sumptionem cibi venenati, ità nec præceptum hoc Divinum per communionem venenatam.

Dices 1. Duplex hic intervenit præceptum, positivum unum sumendi Eucharistiam, negativum alterum non sumendi indignè: ergo licèt violetur secundum, tamen impletur primum.

Resp. Dist. Ant. Duplex intervenit præceptum, ità tamen, ut negativum inculcetur in positivo, C. secùs, N. quia non præcipitur sumptio Eucharistiæ præcisè, sed ut cibi animæ, ut dictum est supra, non est autem animæ cibus, ubi sacrilegè sumitur. Ex quo patet modum rei præceptæ aliquando cadere sub præcepto, quando nempe vel in præcepto exprimitur, vel necessarius est ad finem præcepti. Quod utrumque hic verificatur de statu gratiæ, qui est modus Communionis præceptæ.

Dices 2. Licèt sit institutus Baptismus ad animarum regenerationem, ipsa tamen regeneratio, non cadit sub præcepto Baptismi recipiendi: ergo similiter in nostro casu.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Baptismus sacrilegè susceptus possit effectus suos obtinere, si nempe per pœnitentiam reviviscat, non sic Eucharistia sacrilegè suscepta, cum nunquam reviviscat, ut suo loco diximus. Imò etiam Baptismus sacrilegè recepturus aliquos habet effectus (nam subjectum suum facit Ecclesiæ membrum, ipsique characterem imprimit) nullos autem habet Eucharistia taliter sumpta. Deinde cùm non possit Baptismus iterari, debet indignè suscipiens vel tunc præcepto satisfacere, vel nunquam poterit: aliud est de Eucharistiæ sumptione sæpius iterabili.

CONCLUSIO II.

NOn satisfit etiam præcepto Ecclesiastico per communionem sacrilegam. Est jam certa, & in praxi tenenda, cùm hanc propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, damnaverit Innocent. XI. ut scandalosam, & in praxi perniciosam.

Prob. 1. Præceptum Ecclesiasticum hic solùm est determinativum præcepti Divini, nullum tempus expressè determinantis: sed per communionem sacrilegam non satisfit præcepto Divino: ergo nec Ecclesiastico.

Prob. 2. Quia per ipsum Ecclesiæ præceptum jubetur hoc Sacramentum reverenter suscipi: quis autem dicat accedentem cum anima polluta reverenter agere? Reverentia externa exigitur, inquis: sed si devotionem internam exigat Ecclesia in Horis canonicis, ut suo loco diximus quidni reverentiam internam exigeret in tanti Sacramenti susceptione.

Dices 1. Ecclesia non præcipit actus internos: ergo nec statum gratiæ, qui est merè internus.

Resp. Neg. Ant. Patet ex dictis de Legibus. Deinde Alexander VII. condemnando hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfaciat præcepto Ecclesiæ*, satis ostendit posse Ecclesiam actuum peccaminosorum, etiam maximè internorum, confessionem præcipere, ut examinanti patebit. Præterea esto, non posset Ecclesia actus merè internos præcipere, cùm de suo legem condit; posset tamen cùm solùm legis à Christo conditæ executionis tempus determinat, ut hic facit; quia tunc magis Christi quàm suo agit nomine.

Dices 2. Alia Ecclesiæ præcepta impleri possunt per actum peccaminosum; ergo & præfatum.

Resp. Dist. Ant. Impleri possunt, ubi actus peccaminosus non impedit finem præcepti: Transeat. Sic jejunans ex avaritia satisfacit præcepto jejunii, cùm illius finis sit corporis maceratio, quam non impedit avaritia. Ubi impedit; sicut animæ nutritionem, quæ est finis hujus præcepti, impedit communio sacrilega: N.

Dices 3. Hæc resolutio maximè vim habet ex condemnatione propositionis oppositæ: sed illa condemnatio nullius est vigoris in Belgio, cùm non fuerit à Parlamentis approbata: ergo.

Res. Dist. Maj. Vim habet ex condemnatione rem antea licitam, illicitam faciente: N. rem antea de se illicitam, talem declarante: C. Jam autem etsi fortè aliquid conferat in primo casu Parlamentorum approbatio; nihil tamen confert in secundo; cùm res ibi non sit mala, quia condemnata, sed condemnata, quia mala. Unde sicut temerariè ageret, qui comederet herbam declaratam ab expertissimis totius orbis Medicis ut nocivam, licèt eorum resolutio non esset hic publicata, ita & in nostro casu. Ex dictis

Resol. 1. Eum, qui sacrilegè communicavit in Paschate, teneri iterum communicare, si adhuc duret tempus Paschale

imò

imò & tenebitor post Pascha pro adimplendo communionis annuæ præcepto, si ante Pascha non communicaverit, aut adhuc indigne.

Ratio est; quia communio sacrilega in ordine ad præcepti executionem reputatur nulla.

Resol. 2. Ob eamdem rationem incurrere censuras & pœnas Ecclesiasticas non communicantibus impositas.

Resol. 3. Posse moribundum, imò & teneri, per se loquendo, eodem die & eadem hora iterum Viaticum sumere, si antea sacrilega sumpserit, & nunc facti pœnitens resipuerit; quia nec præcepto satisfecit, nec videtur Ecclesia prohibens duplicem in die communionem, hunc casum tantæ necessitatis comprehendere, & moribundum salutis Viatico (quo necdum est refectus) velle privare; cùm possit occulte ministrari, omissis tantùm quibusdam cæremoniis minoribus.

QUÆSTIO IV.

An Jure Divino sit præcepta communio sub utraque specie & quid circa hoc possit Ecclesia?

Necessariam esse jure Divino fidelibus utriusque speciei sumptionem docueruut nonnulli, quorum Antesignanos faciunt aliqui Waldenses, alii Wicleffistas, quod tamen potius supponendo, quam probando asserunt. Unde non improbabiliter asserunt alii, hujus erroris Authorem fuisse Petrum Dresdensem Pragæ in Bohemia Ludimagistrum, qui ad hanc Hæresim propalandam incitavit Jacobum Misnensem ibidem Concionatorem.

His successit Joannes Hus, qui initio quidem non est ausus asserere utriusque speciei sumptionem esse fidelibus necessariam, sed tantùm utilem & proficuam, postea tamen docuit Christum præcepisse Ministris, ut speciem utramque fidelibus distribuerent.

Defuncto Joanne Hus, non est defunctus hic error; sed surrexit quidam Zisca tyrannus, qui ædificata in quodam monte civitate, quam Thabor nuncupavit, trecentas mensas ibidem erexit ad communionem sub specie duplici destinatas, ad quas una die 30. millia hominum accesserunt, qui ideo Thaboritæ dicti sunt. Alii, etiam Bohemi, aliam Sectam suscitarunt, quam Calixtinorum dixerunt ab usu calicis.

Carlostadius nascente Lutheranismo sustinuit Vitembergis anno 1521. iniquos esse Ministros, qui fidelibus communionem sub utraque specie denegarent; & ideo usum calicis ibi restituit tanquam saluti necessarium.

Lutherus circa hoc varia vero tempore asseruit. Primò siquidem docuit, sufficere alterutrius speciei sumptionem. Secundò non posse Episcopum, sed tantùm Ecclesiam in Concilio generali congregatam, concedere laicis usum calicis. Tertiò voluit id posse quemlibet Episcopum, etiam invito Papa. Quartò sustinuit obligari Sacerdotes ad speciem utramque distribuendam, ubi id exigerent Laici, licèt his liberum esset petere vel non petere. Quintò docuit Laicos, qui usum calicis à Pastoribus obtinere non possunt, teneri illud efficaciter desiderare. Tandem lib. de Captiv. Babylon. Asseruit communionem sub unica specie esse juri Divino contrariam, & impiè utramque speciem denegari.

Calvinus l. 4. Institut. c. 17. §. 47. sic loquitur: *Edictum Æterni Dei est, ut omnes bibant, quod homo nova & contraria lege antiquare & abrogare audet, dicens, ne omnes bibant:* unde ibidem scribit diabolicam esse constitutionam, quæ fidelibus symbolum Sanguinis eripuit.

CONCLUSIO I.

Nullo Divino præcepto laici & Clerici non conficientes obligantur ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum. Ita Trident. Sess. 21. Cap. 1. quod & repetit Can. 1. *Si quis dixerit, imò Dei præcepto.... omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; Anathema sit.* Hoc ipsum antea definierat Concilium Constantiense contra Hussitas.

Prob. Si quod foret Divinum præceptum id injungens, vel colligeretur ex Scriptura, vel ex antiqua Ecclesiæ praxi, vel ex Patribus, vel ex facto Christi, vel ex natura ipsius Sacramenti: sed inde non potest colligi: ergo.

Non *ex Scriptura*; quia dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem*, etiam ibi dixit; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* quod foret falsum, si Sanguis necessariò sumendus esset sub specie vini. Deinde qui sumit Corpus, sumit & Sanguinem, cùm sub qualibet specie sit totus & integer Christus; & ideo manducans carnem Filii hominis, etiam bibit ejus sanguinem quoad rem; sicque implet præceptum Christi, qui, ut ostenderet se ibi magis ad rem sumptam attendere, quàm ad modum sumendi, Eucharistiam in illo Capite expressit undecies per speciem *panis*, & tantùm quater sub nomine *carnis & Sanguinis*, juxta annotationem Joannis Ragosii.

Non etiam *ex antiqua Ecclesiæ praxi*, quia ex ea potius contrarium colligitur: nam Primò etiam priores Christiani sub sola specie panis communicabant, ut patet ex Act. 2. ubi legitur: *Erant autem perseverantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, nulla facta mentione speciei vini, cùm tamen illic, fatentibus Lutheranis, & Calvinistis, agatur de Eucharistia. Secundò etiam primis sæculis servabatur & tradebatur infirmis Eucharistia sub sola specie panis, ut testantur Eusebius lib. 6. Histor. Paulinus, Amphilochius, & alii ex Bellarmino citati: quod confirmat Concilium Toletanum XI. anno 675. & colligitur ex Concilio Nicæno Can. 13. Tertiò Si Tertulliano, Clementi Alexandrino, Cypriano, Basilio, & aliis credimus, fervente persecutione, dabatur fidelibus Eucharistia sub specie panis domum deferenda, ut eam opportuno tempore sumerent: quòd autem non daretur etiam sub specie vini inde patet, quod Laicus non posset manu propria, sed tantùm manu Sacerdotis, aut Diaconi Sanguinem sumere, ut refert Cyrillus Catechesi 5. Mystagogica. Quarto Lege Baronium ad annum Christi 57. nu. 47. & videbis datum esse itinerantibus hoc Sacramentum sub sola specie panis, ut in vitæ discrimine, si accederet, Viatico munirentur. Quinto ex antiquissimo Ecclesiæ Latinæ usu, Sacerdos in die Parasceves sub unica tantùm specie communicat, ut constat ex vetustissimo Ordine Romano ante 800. annos edito.; imò ante annos 1200. id practicabant Græci per rotam Quadragesimam, exceptis diebus Dominicis & Sabbathinis, in quibus consecrabant Sacerdotes, ut patet ex Concilio Laodiceno c. 49.

Non etiam ex patribus, ut patet tum ex dictis, tum ex dicendis in objectionum solutione.

Neque ex facto Christi, quia non omne, quod Christus fecit, aliis faciendum tradidit, aliàs non viri tantùm Laici, sed etiam mulieres deberent consecrare, ac nonnisi post cœnam communicare.

Non denique ex natura hujus Sacramenti: quandoquidem totus & integer Christus, verumque Sacramentum sub unica specie recipitur, nullaque gratia ad salutem necessaria defraudentur sic communicantes, ut docent Trident. Sess. 21. c. 3. & fusè probabitur infra.

Obj. 1. Matth. 26. legitur: *Bibite ex hoc omnes:* ergo omnibus præcipitur usus calicis.

Resp. Dist. Conseq. Omnibus Apostolis: C. omnibus omnino hominibus: N. nam ly *Omnes* ibi tantùm afficit præsentes, ut patet tum ex eo, quòd Syrus vertat: *Bibite ex hoc vos omnes*; tum ex eo quòd Marci 14. dicatur: *Et biberant ex eo omnes*; quod de solis Apostolis potest intelligi. Cur autem potiùs dixerit Christus: *Bibite ex eo omnes*, quàm *Manducate ex eo omnes*, indè oritur, quòd speciem panis fregerit, & cuique suam partem dederit; speciem autem vini porrexerit in calice unico, quem primus potuisset rotaliter sumere, nisi monuisset esse inter omnes dividendum.

Obj. 2. Illud Apost. 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* quidquid autem ibi præcipit, ut à Domino traditum præcipit.

Resp. Paulum ibi non præcipere communionem sub utraque specie, sed communionem in gratia, sivè fiat sub una, sive sub bina specie: unde intentum ejus erat corrigere abusum Corinthiorum, quorum aliqui non abhorrebant indignè communicare: quod satis insinuat particula *Sic*, & hæc verba subsequentia: *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*, ubi particula enim efficaciter demonstrat non sumptionem, sed dispositionem ad illam intendere.

Ob. 3. Non tantùm post distributionem corporis dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem*; sed etiam post distributionem calicis, ut patet ex 1. Corinth. 11. ergo præcepit Sacerdotibus utriusque speciei distributionem, adeoque & aliis sumptionem.

Resp. Verba illa Christi dirigi ad Apostolos, eorumque in Sacerdotio Successores, ut id facerent in Missæ Sacrificio, quod ipse fecerat in cœna, panem scilicet & vinum consecrando, ac utriusque speciem sumendo.

Inst.

Inſt. Chriſtus tunc utramque ſpeciem diſtribuit : ergo præcipiendo , ut facerent quod fecit , præcepit , ut etiam utramque diſtribuerent .

Reſp. Non omnia , quæ tunc fecit , præcepiſſe ; aliàs præcepiſſet Apoſtolis, ut quoslibet in Sacerdotes conſecrarent , ſicut ipſi tunc fuerunt à Chriſto ordinati : undè ex ſenſu , & traditione Eccleſiæ colligendum eſt , quid in ultima cœna præceperit , & quid permiſerit , prout temporum & perſonarum circumſtantiæ requirerent .

Obj. 4. S. Juſtinum Apolog. 2. pro Chriſtianis , ubi ait : *Apoſtoli in Evangeliis ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt* , nempè communicandi ſub ſpecie panis , & vini , ut præmiſerat .

Reſp. Præceptum illud afficere Sacerdotes , ut ipſi teneantur utramque ſpeciem ſumere , non Laicis diſtribuere : nec aliud voluit Juſtinus ; cum ibidem aſſerat delatam fuiſſe Euchariſtiam ad eos , qui legitimè impediti , Sacrificio non interfuerant , utique ſub ſola ſpecie panis ; cum ob effuſionis periculum , non deferretur ad diſtantes ſub ſpecie vini .

Objic. 5. Cyprianum Serm. de cœna Domini : *Lex uſum Sanguinis prohibet* , inquit , *Evangelium præcipit , ut bibatur* .

Reſp. Evangelium præcipere , ut bibatur à Sacerdotibus , non ab aliis , niſi certè quoad rem , in quantùm tenentur ſumere Chriſti corpus , ſub ſpecie panis , ſub qua continetur & Sanguinis realiter : & hoc ſenſu venit explicandus Aug. (idem dic ad alios PP.) quando lib. Quæſt. in Levit. qu 57. aſſerit : *Ad bibendum Sanguinem omnes exhortantur , qui volunt habere vitam* : undè cum Cyprianus lib Epiſt. 2. hortatur Martyres ad communicandum , etiam ſub ſpecie vini , non hoc facit , quia præceperat Dominus , ſed quia tunc præcipiebat uſus Eccleſiæ Carthaginenſis .

Obj. 6. D. Leonem & Gelaſium , quorum primus Serm. 4. de Quadrag. arguit communicantes tantùm ſub ſpecie panis , & ſecundus , de Conſecrat. Diſt. 2. Cap. *Comperimus* docet non poſſe dividi hoc Myſterium , id eſt , ſumi unam ſpeciem ſine alia , abſque ſacrilegio .

Reſp. Ita loqui ; quia tunc præceperat Eccleſia fidelibus utriuſque ſpeciei ſumptionem , ut ſic ſecerneret Catholicos à Manichæis uſum calicis refugientibus , eò quòd crederent vinum à Dæmone factum .

Obj. 7. In primitiva Eccleſia recipiebatur Euchariſtia ſub utraque ſpecie , ut patet ex Concilio Conſtantienſi Seſſ. 13. aſſerente : *Licèt in primitiva Eccleſia hujuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie :* ſed hoc non habuit originem niſi ex Chriſti præcepto : quod etiam tunc ſervatur à Græcis : ergo .

Reſp. Id practicatum fuiſſe in Eccleſia primitiva ex Chriſti exemplo , non præcepto ; aliàs uſus calicis fuiſſet univerſalis , cujus tamen contrarium oſtendimus in probationibus .

Obj. 8. Qui non bibit Sanguinem , non ſumit totum Sacramentum : ergo .

Reſp. Diſt. Ant. Non ſumit totum ex parte ſigni : C. ex parte rei ſignificatæ : N.

Obj. 9. Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum tanquam memoriale ſuæ Paſſionis : ſed non adumbratur Chriſti paſſio niſi ſumatur Sanguis ſeparatus à corpore : ergo .

Reſ. Licèt in ſumptione Chriſti ſub ſola ſpecie panis non adumbretur ità propriè ejus paſſio , nihil obeſt tamen , quominùs fideles ſumentes corpus ſub ſpecie panis , meminerint idem corpus fuiſſe pro ipſis cruci affixum . Deindè magis eſt Euchariſtia Memoriale Chriſti paſſionis , ut eſt Sacrificium , quam ut eſt Sacramentum .

CONCLUSIO II.

Licèt, ut diximus , communio ſub utraque ſpecie non ſit ad ſalutem neceſſaria ; poteſt tamen Eccleſia ob juſtas rationes , illam præcipere , ſicut potuit prohibere .

Prob 1. Pars ; quia multa ſunt , ſine quibus poſſet obtineri ſalus , quæ tamen ſuam habent utilitatem , attenta temporum , locorum & perſonarum conditione , ac ideo poſſunt eſſe materia legis , Inter illa autem , poteſt eſſe communio ſub utraque ſpecie , quia licet non conferat majorem gratiam , quàm ſumpta ſub unica ſpecie , ut infra dicemus , ſervire tamen poteſt ad confundendam Hæreſim , & Hæreticos à Catholicis diſcernendos , ut accidit tempore Manichæorum .

Prob. 2. Pars ; quia non minoris eſt poteſtatis Eccleſia , ut in Sacramentorum adminiſtratione aliqua prohibeat quàm ut præcipiat cum circa illam , teſte Trident. ſeſſ. 21. c. 2. poteſtatem habeat ea mutandi vel ſtatuendi , quæ utilitati ſuſcipientium , vel Sacramentorum venerationi magis expedire judicaverit , modo ſalva maneat Sacramentorum ſubſtantia ; & conſequenter ſicut potuit ob juſtas rationes uſum calicis præcipere , ita prohibere : unde hanc veritatem definiit idem Concilium can. 2. his verbis : *Si quis dixerit Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe , ut Laicos , atque etiam Clericos non conficientes , ſub panis tantummodò ſpecie communicarent aut in eo erraſſe Anathema ſit .*

Porrò cauſæ hujus inhibitionis ſunt : Prima ut vitaretur periculum irreverentiæ & effuſionis , quod natum erat ſequi , præſertim dum ex calice biberent homines valde agreſtes , aut corpore tremuli . Secunda quia ſpecies vini facile corrumpuntur , nec commode transferuntur. Tertia ut ſervatur in Eccleſia uniformitas : non enim poſſunt omnes uti vino , & aliundè certis in locis , ubi non naſcitur , vix haberi poteſt ſolum Sacrificium . Quarta ut confunderentur Hæretici aſſerentes corpus Chriſti eſſe ſub ſpecie panis ſine Sanguine .

Dices 1. Chriſtus Superior conceſſit fidelibus uſum calicis : ergo Papa Inferior non poteſt prohibere .

Reſ. Diſt. Ant. Conceſſit abſolutè : N. dependenter ab Eccleſiæ voluntate , prout ſecundum temporum circumſtantias judicaret expedire . C.

Dices 2. Quia Chriſtus conceſſit fidelibus Matrimonium & Ordinem , non poteſt Eccleſia legitimè poſtulantes repellere , ergo ſimiliter .

Reſ. Diſt. Ant. Quia conceſſit præcisè : N. quia conceſſit abſolutè & independenter ab Eccleſia ; C. ſed non ita uſum calicis conceſſit .

Dices 3. Non poteſt Eccleſia prohibere Euchariſtiæ ſumptionem ſub ſpecie panis : ergo nec ſub ſpecie vini .

Reſ. Diſt. Ant. Non poteſt ſine cauſa : Tranſeat ſi cauſa ſubeſſet ſicut adfuit pro interdicendo uſu calicis : N Non poteſt tamen utriuſque ſpeciei uſum interdicere ; aliàs contraveniret voluntati Chriſti , ſui communionem abſolutè præcipientis .

Dices 4. Chriſtus reliquit Sanguinem ſuum tanquam hæreditatem : ergo non poſſunt eo fraudari fideles .

Reſp. Diſt. Conſeq. Non poſſunt eo fraudari ſimpliciter : C. ſub ſpecie vini : N. cum illum equidem recipiant ſub ſpecie panis ,

CONCLUSIO III.

Poteſt aliquandò eſſe licitus uſus calicis laicaliter communicantibus . Primò ſi aliàs calix eſſet ab Hæreticis profanandus , aut , defuncto poſt conſecrationem Sacerdore , corrumpendus. Secundo ſi Sanguinem in terram effuſum nollet Sacerdos lambere . Tertiò , ſi moribundus habens conſcientiam peccati gravis , non haberet Sacerdotem , cui confiteretur , ſed Diaconum , à quo Sanguinem reciperet , quia cùm non poſſit eſſe certus de ſufficientia ſuæ contritionis poteſt ei Sanguis , eſſe ad ſalutem neceſſarius . Aliud eſſet , ſi haberet copiam Confeſſarii propter rationem oppoſitam , & ideò nec poteſt conſeſſo Hoſtiam deglutire incapaci miniſtrari Sanguis : undè illo caſu miſcenda eſſet particula Hoſtiæ vino . Quartò , ſi adſit diſpenſatio Papalis , ob quam à Clemente VI. factam , poteſt Rex Chriſtianiſſimus ſub utraque ſpecie communicare ; ſic etiam ex privilegio ita communicat Imperator , dum coronatur . Item Diaconus & Subdiaconus , dum aſſiſtunt Papæ ſolemniter celebranti . Quod etiam dicitur conceſſum à Paulo III. Bohemis , modo deteſtentur Hæreſim Petri Dreſdenſis .

QUÆSTIO V.

An expediat Laicos quotidiè communicare .

CONCLUSIO I.

Attenta Sacramenti natura , ejuſque utilitate , expedit Laicos quotidiè communicare .

Ratio eſt , quia Euchariſtia Sacramentum eſt , in quo Chriſtus hominibus , & homines Chriſto per amorem reciprocum uniuntur ; in quo vires per carnis concupiſcentiam debilitatæ reparantur ; per quod , ut ait Trident. Seſſ. 13. cap. 2. *Liberamur à culpis quotidianis , & à peccatis mortalibus præſervamur :* ergo conſultum eſt ipſum quotidiè ſumere iis omnibus , qui ita vivunt , ut cum debita reverentia & de-

& devotione, ipsum quotidiè possint recipere: undè Ambrosius lib. 5. de Sacram. c. 4. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quotidiè accipe, ut quotidiè tibi prosit; sic vive ut quotidie merearis accipere.* Basilius Ep. ad Cæsaream Patriciam. *Singulis certè diebus communicare, & participem esse S. Corporis & Sanguinis Christi, bonum & fructuosum est.* Et Trid. sess. 22. cap. 6. *Optaret S. Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.*

CONCLUSIO II.

ATtenta præsenti facie Ecclesiæ, in qua adeò refriguit charitas, & abundavit iniquitas, non expedit communiter & ordinariè loquendo Laicos quotidiè communicare. Ita DD. Angelicus & Seraphicus quorum primus 3. p. q. 80. art. 10. sic loquitur: *Circa hujus Sacramenti usum duo possunt considerari, unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, & ideò utile est quotidie ipsum sumere... Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione & Reverentia ad hoc Sacramentum accedat... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter indispositionem corporis vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidiè ad hoc Sacramentum accedere.* Secundus verò 4. Dist. 12. p. 2. qu. 3. sic habet: *Si ergo quæritur utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui? Dicendum quòd si viderit se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidiè communicare, si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum & tardum laudandum est quod raro, si autem in medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore.*

Ratio conclusionis est, maxima hujus Sacramenti dignitas, & aliundè quasi continua Laicorum hujus temporis in negotiis terrenis implicantia, ratione cujus à devotione, & reverentia tantæ Eucharistiæ Majestati debita impediuntur.

Quam frequenter autem expediat Laicum communicare, nihil certi universaliter statui potest, & ideo standum est prudentis Directoris judicio, qui, attenta personarum conditione, conscientiæ puritate, fructuum abundantia, devotione, & ardenti hujus Sacramenti desiderio, frequentiorem aut rariorem injunget communionem. Nihilominus pro juvandis tum Confessariis, tum Pœnitentibus, ponimus sequentes Regulas.

REGULA I.

UT quis accedere possit ad Sacram Synaxim, non requiritur, ut sit ab omni amore terreno defæcatus, & quasi in solo Deo absorptus. Ratio est; quia vix ulli, etiam maximè Religioso, permitti posset communio, cùm rara sit admodum tanta puritas, ac vitæ innocentia: undè hanc propositionem meritò condemnavit Alexander VIII. *Similiter arcendi sunt à Sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

REGULA II.

NOn requiritur etiam ad dignam communionem, ut peccator, jam plenè contritus & confessus, ac ab omni peccandi occasione proxima separatus, prius pro peccatis condignè satisfecerit. Ratio est, quia contrarium insinuat tùm Ecclesiæ praxis, tum munditia à reatu culpæ tùm etiam hujus propositionis condemnatio ab eodem Pontifice: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Præterea si quis varia crimina patrasset, vix posset 20. annis à recepta absolutione, communicare; cùm etiam tunc non auderet de condigna satisfactione præsumere. Arcebantur quidem à Communione in primitiva Ecclesia per certum tempus Homicidæ, Adulteri &c. Sed publici, non privati, idque ad scandali reparationem, aliorumque terrorem.

Dices: Contrarium colligitur ex Augustino Epist. 118. ad Januarium c. 3. ubi ait: *Hoc est indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam.*

Resp. Loqui de pœnitentia, per quam tollitur reatus culpæ, non solus reatus pœnæ: unde vult indignè communicare illum, qui antequam absolvatur à peccato, præsumit ad Eucharistiam accedere. Hoc totum evidentissimè patet ex S. Isidoro Hispalensi, sic ipsius mentem lib. 1. de Offic. Eccl. cap. 18. exponente: *Si talia sunt peccata, quæ quasi mortuum* (nota) *removeant ab Altari, priùs agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam.* Vel certè loquitur Augustinus de eo, qui ob peccatum publicum tenetur ante Communionem ex præcepto pœnitentiam publicam agere.

REGULA III.

NOn est frequenter permittenda Communio iis, qui frequenter in mortalia labuntur, licèt de illis pœniteant, nec in occasione proxima versentur, dum ex frequenti usu hujus Sacramenti nulla apparet vitæ emendatio. Huic Regulæ contradixerunt molliores quidam Casuistæ, quorum hanc propositionem condemnavit Innoc. XI. *Frequens Confessio & Communio, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.*

Ratio Conclusionis est, quòd Sacramentum, utpote sanctissimum, ac omnis sanctitatis fontem continens, etiam vitæ sanctitatem & innocentiam requirat in suscipientibus, & ideo inclamabant olim Diaconi ad communicaturos: *Sancta Sanctis.* Quod sic exponit Chrysostomus Hom. 17. in Epist. ad Hebræos: *Si quis non est Sanctus, non accedat: non solùm,* inquit, *à peccatis purus, sed etiam Sanctus: Sanctum enim non facit solùm liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritus & bonorum operum copia. Non solùm,* inquit, *volo vos à tam esse liberatos, sed albos esse & speciosos. Nam si Rex Babylonius juvenes eligens ex captivitate, elegit pulchros specie, & vultu decoros, multò magis eos, qui adstant mensæ Regiæ pulchros esse oportet specie animæ, Mundum habentes Aureum, mundum vestimentum, regales calceos, formosum animæ vultum, cingulum veritatis;* & ideo Innocentius XI. in iis, quæ ordinavit circa frequentem Communionem 12. Febr. anno 1679. monuit Christi Ministros, non solùm attendant ad gratiæ statum, sed etiam, & præsertim, ad conscientiæ puritatem.

REGULA IV.

COnjugatis timoratè viventibus, nec ità negotiis aut distractionibus terrenis implicatis, permitti potest communio singulis diebus Dominicis, non pluries, nisi id exigat specialis ratio, aut Festi solemnitas.

Ratio est; quòd accessum septimanum indulgeat vitæ innocentia, saltem ubi præcessit nocturna continentia: frequentiorem autem inhibeat opus conjugale, quo non debent se invicem fraudare, nisi ad tempus, & quidem ex mutuo consensu, ut monet Apostolus.

REGULA V.

PErsonis liberis orationi ac aliis pietatis operibus intentis, permitti potest bis, aut ter ad arbitrium prudentis Directoris communio in Septimana, modò sint ordinariè à peccatis mortalibus, ac venialium affectu immunes.

Ratio est: quia talium vita est quasi continua ad communionem præparatio. Cur autem, potiùs permittatur Sacerdotibus quotidie celebrare, quàm aliis quotidie communicare? Inde oritur, quòd Sacerdoti incumbat ex officio interpellare pro populo, quasi Mediatori inter Deum & homines, & aliunde bonum notabile obveniat Ecclesiæ, ejusque membris ex Sacrificio. Fatendum tamen Sacerdotibus tepidis non congruere quotidianam celebrationem sicut nec iis, qui potiùs ex stipendii aviditate, quàm ex devotione celebrant.

Dixi 1. Modo ordinariè sint à mortalibus &c. quia si rarissimè in aliquod mortale labantur, præsertim sola cogitatione, non sunt propterea à communionibus præfatis arcendi.

Dixi 2. Ac venialium affectu immunes; quia licèt homo, etiam sanctissimus, non vivat sine peccato veniali, potest tamen vivere sine affectu ad illud: quod accidit, dum veniale quodlibet commissum, aut fortè committendum, verè detestatur, ac proponit fugere, licèt ex fragilitate illud quandoque committat.

DIS-

DISPUTATIO X.

De mirabilibus Eucharistiæ effectibus.

QUÆSTIO I.

Quinam sit effectus hujus Sacramenti?

CONCLUSIO I.

SIcut effectus primarius cibi corporalis est comedentem nutrire, roborare & augere in vita corporali: ità effectus principalis Divinæ Eucharistiæ est dignè comedentem nutrire, confortare & augere in vita spirituali. Patet ex Florentino in Decreto Eugenii, ubi docet, quòd *omnem effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem*, sustentando, augendo, reparando, & delectando, *Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem*. Censetur autem Eucharistia nutrire, & roborare spiritualiter, tum per augmentum gratiæ sanctificantis, tum per gratias actuales, & præsertim per excitationem quamdam charitatis cum delectatione spirituali, qua inebriamur quodammodo dulcedine bonitatis divinæ: unde Clement. unica de Reliquiis &c. dicitur Eucharistia *Panis habens omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem; impinguans non corpus, sed cor: non carnem, sed animam, non ventrem, sed mentem.* Quod & SS Patres variis locis exprimunt, ex quibus lubet audire Ambrosium lib. 5. in Luc. *Qui domicilio*, inquit, *Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.*

Hanc tamen Charitatis excitationem & delectationem sæpiùs impediunt communicantium tepiditas & indevotio; imò & dulcedinem illam, etiam in Sanctis, quandoque suspendit Deus ob rationes sibi notas.

CONCLUSIO II.

EUcharistia est etiam Antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Ità Trident. Sess. 13. cap. 2. Porrò liberat à venialibus, non tantùm ex opere operantis, in quantùm excitat communicantem ad actus pœnitentiæ & Charitatis, quibus venialia remittuntur, sed etiam, juxta D. Thomam, ex opere operato; quia sicut alimentum naturale restaurat id quod vi caloris innati quotidie deperditur, ità alimentum hoc spirituale delens culpas veniales, Charitatis fervorem, quem offensæ illæ minuunt, restituit.

Suboritur tamen scrupulus: vel enim venialia illa retractantur, vel non: si primum, remittuntur per retractationem illam, utique factam ab homine justo. Si secundum non possunt remitti; cùm, secundùm nos, nullum peccatum remittatur, nisi retractatum. Sed evanescet scrupulus, si dicatur retractationem quandoque valde remissam, non semper sufficere saltem ad omnium venialium deletionem.

Præservat autem à peccatis mortalibus; quia, ut legitur Joan. 6. *Hic est panis de Cœlo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, utique morte animæ, quæ per peccatum mortale incurritur. Id autem præstat dupliciter, Primò in quantùm recipiens interius munitur, & roboratur contra corruptionis principia, quod fit Charitatis subsidio. Secundò in quantùm munitur contra externas hostium impugnationes, quod fit gratiarum actualium auxilio.

CONCLUSIO III.

ALii alios referunt Eucharistiæ fructus, sed præcipuos omnes breviter his versibus complexus est Richardus Noster 4. dist. 9. art. 1. q. 2.

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia, spem reficit, purgat, vitam dat, & unit:
Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.

Porro inflammat Charitatem; memorat suscipienti Salvatoris mortem; sustentat contra peccata ex humana infirmitate accidentia: roborat ad exercitium virtutis: auget spem: purgat culpas veniales: reficit communicantem gaudio spirituali: dat vitam, id est, augmentum vitæ spiritualis: unit manducantem Christo, & quodammodo unum cum eo efficit: confirmat in fide: munit contra diabolicas tentationes: denique remittit fomitem concupiscentiæ carnalis, saltem indirectè, ut ex Augustino docet D. Thomas hic art. 6 ad 3. in quantùm nempe auget Charitatem, augmentum autem Charitatis est diminutio cupiditatis.

CONCLUSIO IV.

EUcharistia quatenus Sacramentum non tollit directè & vi Sacramenti pœnas peccatis remissis debitas. Dico quatenus Sacramentum, id est, in quantùm sumitur; nam in quantùm offertur, habet rationem Sacrificii.

Ratio Conclusionis est; quia hoc Sacramentum, ut ait S. Thomas qu. 79. art. 5. *Non est institutum ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per unionem ad Christum, & ad membra ejus.* Unde nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres hujus remissionis meminerunt. Si autem alicubi id videantur Eucharistiæ tribuere, agunt de illa, ut Sacrificium est, quod per se ad remissionem illam ordinatur, ut patebit infrà.

Dixi: Non tollit directè: nam ex consequenti, inquit D. Thomas supra, *per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundùm modum suæ devotionis & fervoris*, id est, indirectè, seu ex opere operantis:

CONCLUSIO V.

CErtos etiam effectus habet Eucharistia in Corpus nostrum: nam præterquàm quòd ejus concupiscentiam temperat, ut diximus, illud quodammodo suo contactu sanctificat, in ejusque gloriosam resurrectionem suo modo influit in quantùm Deus movetur ad illud vivificandum propter conjunctionem, quam habuit cum vivificatrice Christi carne; & ideo fortè dixit Christus Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Dixi: Propter conjunctionem; quia Christi caro non unitur physicè cùm carne nostra, ut fingere videntur aliqui existimantes hanc unionem perseverare, etiam corruptis speciebus, sed tantùm moraliter, in quantum verè & realiter constituitur nobis intimè præsens.

CONCLUSIO VI.

EUcharistiæ sumptio non prodest aliis ex opere operato. Ita D. Thomas hic art. 7. ubi ait: ex hoc quòd aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit aliis aliquod juvamen.

Prob. 1. Hoc Sacramentum instituit Christus per modum cibi & potus, sed cibus & potus non prosunt aliis, quàm sumentibus, nec ullus manducat aut bibit pro alio: ergo.

Prob. 2. Quia si aliis prodesset; vel remittendo pœnam, vel conferendo gratiam sanctificantem, vel tribuendo gratias actuales: Non remittendo pœnam; quia nequidem illam remittit ipsismet sumentibus: Non conferendo gratiam sanctificantem; aliàs dormiens posset fieri magnus Sanctus, si plures pro eo communicarent: Non etiam tribuendo gratias actuales; quia hoc reservatur Eucharistiæ, ut Sacrificium est: ergo &c.

Dixi: Ex opere operato; nam aliis prodesse potest per modum meriti de congruo, aut impetrationis, si sint vivi, & per modum suffragii, si sint defuncti, in quantùm nempe excitat fervorem Charitatis, ratione cujus orationes communicantis pro aliis Deo oblatæ illis impensius suffragantur. Ex dictis

Resol. Justissimè damnatum esse librum Theophili Raynaudi communionem pro mortuis refellentis; quia licèt non prosit illis ex opere operato, seu quatenus est Sacramentum præcisè, & ideo ut sic non sit pro illis, nec pro vivis applicandum, sicut nec applicantur alia Sacramenta, prodest tamen ex opere operantis, seu ratione precum communionem antecedentium, concomitantium, & subsequentium, ac ejus occasione magis ferventium. Præterea potuit etiam condemnari propter comparationem, quam ibi adfert, purissimo Eucharistiæ Sacramento injuriosam, nempe consensus connubiales mortuis magis Eucharistia prodesse; Eucharistiam nihil habere peculiare præter Matrimonium, & mirari se Adversarios non inviare fideles ad illud pro mortuis ineundum.

QUÆSTIO II

Quandonam gratiam conferat Eucharistia?

CONCLUSIO I.

EUcharistia confert gratiam in instanti completæ manducationis, id est, quando species attingunt initium stomachi, seu ventriculi. Est contra quosdam, quorum alii volunt conferre, ubi sumpta est in ore; alii, ut incipit per guttur transire.

Prob. 1. Eucharistia confert gratiam adinstar aliorum Sacramentorum: sed alia Sacramenta non conferunt gratiam, quando suscipiuntur, sed quando sunt suscepta: ergo nec Eucharistia, quando comeditur, sed quando est comesta; quod fit in præfato instanti; & ideo si quis reddat cibum, quem posuerat in ore, imò quem habebat in gutture, non dicitur manducasse.

Prob. 2. Hoc Sacramentum institutum est per modum cibi: atqui cibus corporalis non nutrit corporaliter, antequam sit in stomacho: ergo nec cibus spiritualis nutrit spiritualiter, antequam ibidem recipiatur.

Dices 1. Qui manducat me, vivet propter me, Joan. 6. sed qui cibum masticat in ore dicitur secundùm sensum communem manducare: ergo.

Resp. Dist. Min. Dicitur manducare incompletè, sicut dicitur loqui, qui profert primam syllabam: C. Dicitur manducare completè, & ad sensum Scripturæ. N. aliàs diceretur Eucharistiam manducasse, licèt masticatas Species ab ore extraheret, quòd nemo dixerit.

Dices 2. Aliter loquendum est de cibo Eucharistico, ac de cibo corporali, ergo licèt habentis cibum corporalem in ore aut gutture, non dicatur manducatio completa, potest tamen dici respectu Eucharistiæ. Prob. Ant. quia alias Species Eucharistiæ non nutrirent spiritualiter, nisi corruptæ, cùm non aliter nutriat cibus corporalis.

Resp. Dist. Ant. Aliter loquendum est &c. Quoad applicationem, seu comestionem: N. quia nullum occurrit discrimen quoad nutritionem; C. cujus ratio est, quod alimentum corporale non nutriat, nisi convertatur in substantiam aliti; Eucharistia vero nutriat per conversionem aliti in ipsam ad quod debet agere, adeoque & existere. Ex dictis

Resol. 1. Si Angelus poneret Eucharistiam in stomacho Petri, non collaturam esse gratiam, defectu manducationis nisi certè ex gratia speciali.

Resol. 2. Morientem cum Hostia adhuc in ore, aut gutture, non recipere effectum Eucharistiæ: idem est, si Species in ore corrumpantur; quia non fuit comestio completa: aliud esset ob rationem contrariam, si è stomacho ejicerentur.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est, post instans completæ manducationis, adhuc augeri effectum hujus Sacramenti, quamdiu incorruptæ manent Species, si augeatur devotio & fervor suscipientis. Est contra Sotum, Vasquez, & quosdam recentiores.

Prob. 1. quia Eucharistia non operatur ratione comestionis, cùm sit tantùm conditio, sine qua non, sed ratione rei comestæ: ergo ubi Eucharistia comesta novam reperit dispositionem in subjecto, novum producit effectum, cùm agat adinstar causatum naturalium, quæ semper auget effectum suum proportionatè ad augmentum dispositionis, ut patet in igne.

Prob. 2. Si instanti completæ manducationis reperisset totam dispositionem in subjecto, quam reperit posteà, intensiorem produxisset gratiam v. g. ad tria: ergo etiam postea, posita illa dispositione, gratiam ad talem gradum producit, cùm non sit tunc minùs activa, quàm anteà.

Prob. 3. quia licèt potuerit Christus determinare totum Eucharistiæ effectum ad instans completæ manducationis, aliud tamen insinuare videntur tum hujus Sacramenti permanentia, tum specialis ejus super alia dignitas, tum etiam fidelium sollicitus ad devotionem tunc augendam conatus.

Dices 1. Alia Sacramenta dignè suscepta omnem suum effectum habent in instanti sui completivo: ergo & Eucharistia in instanti præfato.

Resp. Neg. Cons. Disparitas est, quòd alia Sacramenta utpotè transeuntia, post instans illud non ampliùs existant, sicque non possunt ulteriùs operari; existat autem Eucharistia, utpotè permanens.

Dices 2. Indè sequitur peccantem graviter tempore, quo Species sunt in stomacho, duplex committere peccatum cùm impediat effectum ulteriorem

Resp. Dist. Sequel. Sequitur duplex committere peccatum, ob injuriam quam facit Christi Corpori; C. præcisè quia posuit obicem effectui ulteriori: N. aliàs qui ab initio non sese disposuisset, quantùm possibile est, ad effectum perfectissimum, etiam peccaret graviter ob eamdem rationem: quod tamen nemo apprehendit: undè impediens quidem omnem effectum peccat graviter, non tamen impediens tantùm perfectiorem.

Dices 3. Juxta Sententiam nostram, qui communicavit indignè, tenetur conteri, antequam Species corrumpantur ut non fraudetur Sacramentum suo effectu.

Res. Sic esse; si tamen non fecerit; non committet peccatum distinctum ab indigna sumptione, sed continuabitur & aggravabitur ex hac circumstantia.

Dices 4. Si hoc sit verum, semper augebitur effectus Eucharistiæ à Sumptione Specierum, ad corruptionem usque, licèt non augeatur fervor, aut devotio suscipientis. Prob. Assumpt. Quia cum gratia sanctificans sit dispositio ad effectum Eucharisticum, gratiæ gradus, quem producet Eucharistia ab initio sumptionis, erit dispositio ad alium gradum, & hic ad ulteriorem, & sic semper.

Res. Neg. Assumpt. & probationem; quia licèt gratia ad Sacramentum præsupposita censeatur dispositio ad illius effectum, non tamen ab ipso Sacramento producta; aliàs daretur processus in infinitum.

Inst. Si quis evomat Species non corruptas, & posteà resumat, gratia producta per primam sumptionem, erit dispositio ad secundam.

Resp. Neg. Assumpt. Quia censebitur unica comestio: & non erit ibi novum Sacramentum, adeoque nec novus Sacramenti effectus, nisi sit nova dispositio.

Dices 5. Ergo ad gratiæ augmentum confert Hostia major aut multiplex, utpotè diutius perseverans in stomacho.

Res. Dist. Sequel Confert per accidens: sicut confert stomachus debilis diutius retinens Species? C. Per se N unde sicut tarditas Ministri non dicitur conferre ad gratiæ augmentum, sed dispositio major, quam habet suscipiens occasione illius tarditatis; ita similiter.

Inst. Saltem recipiens Hostiam minorem privatur per accidens aliquo fructu: Cujus tamen contrarium insinuat Innocentius in suo decreto Cum ad aures, ubi prohibet dari communicantibus Hostias plures aut majores: quod ante prohibuerant Inquisitores Hispani.

Res. Privationem illam esse voluntariam; cùm omnem dispositionem, quam habet post Specierum sumptionem, possit habere ante, & sic tantam gratiam recipere, quantam recepisset occasione Hostiæ majoris. Id autem prohibuerunt Innocentius, & Inquisitores tùm ad reprimendam superstitionem eorum, qui credebant majori Hostiæ majorem annexam esse gratiam, tùm etiam ut servata uniformitate, non daretur occasio fidelibus conquerendi, quòd alii majores, alii minores, alii plures, alii pauciores reciperent Hostias.

QUÆSTIO III.

An majorem gratiam conferat Eucharistia sub duplici specie, quàm sub unica.

CONCLUSIO I.

NOn plus gratiæ confert Eucharistia sub gemina specie, quàm sub unica. Est communis inter DD. contra Alensem, cui adhæserunt quidam recentiores. Colligitur ex Concilio Provinciali Moguntino Cap. 32. ubi docetur *morem communicandi sub una specie, ad salutem sumentium æquè utilem ac efficacem esse quam sub utraque*. Imo idem videtur insinuare Tridentinum Sess. 21. cap. 3. dicens *nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam solam speciem accipiunt*, ubi cùm non loquatur de gratia absolutè necessaria, seu de gratia prima, (cùm hæc non sit Eucharistiæ effectus ordinarius, & nequidem illa priventur abstinentes à communione si sint legitimè confessi, nec urgeat communionis præceptum) concludendum est loqui de necessaria secundùm quid, seu de gratiæ augmento.

Prob. 1. Quia non sumptio confert hìc gratiam (aliàs duplex esset Sacramentum Eucharistiæ, unum permanens, aliud transiens) sed res sumpta: atqui sivè communicetur sub unica specie, sivè sub gemina, eadem est res sumpta, nempè totus & integer Christus, ut definit Tridentinum: ego eamdem confert gratiam.

Prob. 2. Si communio sub gemina Specie majorem confer-

ferret gratiam; vel ratione rei ſignificantis, vel ratione rei ſignificatæ, vel ratione ſignificationis: vel ratione modi ſignificandi: Non ratione rei ſignificantis, ſeu Specierum: vel enim conſiderantur, ut abſtrahunt à contento, & non ſunt collativæ gratiæ; vel ut illud continent, & cùm non plus contineant duæ ſpecies, quàm una, non plus etiam operantur. Non etiam ratione rei ſignificatæ; quia eadem eſt ſub unica; ac ſub gemina Specie, nempè Chriſtus integer. Non item ratione ſignificationis; quia cùm quælibet Species ſignificet, ſaltem implicitè, Chriſtum integrum, etiam integrum ſignificat convivium, in quo de facto, & quoad rem ejus corpus manducatur, & Sanguis bibitur. Non denique ratione modi ſignificandi; quia etſi Euchariſtia in ratione convivii expreſſiùs ſignificetur per utriuſque ſpeciei ſumptionem, illa tamen expreſſio major nihil facit ad majorem gratiam; aliàs Baptiſmus per immerſionem plus gratiæ conferret, quàm per aſperſionem; cùm hæc non ita perfectè ac illa, ſignificet baptizati cùm Chriſto conſepulturam.

Objicl. 1. Chriſti corpus non eſt cibus (adeoque nec manducatur) niſi ratione ſpeciei panis, & Sanguis non eſt potus, (adeoque nec bibitur) niſi ratione ſpeciei vini: ergo qui tantum alterutram ſpeciem recipit, non recipit ſimul gratiam cibantem & potantem, quàm recipit communicans ſub utraque Specie.

Reſp. Diſt. Ant. Chriſti corpus non eſt cibus &c. quoad ſignificationem directam: C. quoad ſignificationem indirectam, concomitantiam, & realitatem: N. quia quòd Chriſti corpus ſit cibus & manducetur, ejuſque Sanguis ſit potus & bibatur, nempè ſpiritualiter, habetur à voluntate Chriſti qui voluit, ut quotieſcumque corpus ejus dignè ſumeretur, cibaretur anima, & dum ſumeretur Sanguis, potaretur eadem, & conſequenter cùm ſumens unicam ſpeciem, ſumat realiter Chriſti corpus & Sanguinem, etiam realiter recipit gratiam cibantem & potantem.

Inſt. Contrarium inſinuat Inn. III. lib. 4. de Sacrificio Miſſ. C. 21. his verbis: *Quamvis ſub ſpecie panis ſanguis ſumatur cum corpore, & ſub ſpecie vini corpus ſumatur cum Sanguine; tamen nec ſanguis ſub ſpecie panis, nec corpus ſub ſpecie vini bibitur aut comeditur, quia ſicut nec ſanguis comeditur nec corpus bibitur, ita neutrum ſub ſpecie panis bibitur, aut ſub ſpecie vini comeditur.*

Reſp. Ipſum velle nec manducationem Specierum panis eſſe formaliter potationem, nec potationem ſpecierum vini eſſe formaliter manducationem, nempè quoad modum edendi & bibendi, eo quòd manducatum ſumatur per modum ſolidi, & potatum per modum liquidi, non negat tamen eſſe realiter & quoad rem ſumptam, ac effectum ſumptionis: undè ſicut ſumens panem intinctum vino, licèt non bibat formaliter vinum, bibit tamen materialiter, ſeu quoad rem & effectum, ita ſimiliter in noſtro caſu.

Ob. 2. Permiſit Clemens VI. ann. 1341. cuidam Regi Galliæ (quem Vaſquez dicit eſſe Angliæ) ut ſub utraque ſpecie communicaret ad augmentum gratiæ: ergo &c.

Reſp. Clementem intelligendum eſſe de gratiæ augmento ex opere operantis, in quantùm ex uſu calicis, utpote magis expreſſivi Chriſti Paſſionis, natus erat ſequi majoris Charitatis affectus: quod prudenter præſumere poterat Pontifex in Rege, qui ex ſingulari devotionis affectu ſingulare illud privilegium poſtulaverat.

Obj. 3. Ut refert Lugo ex Blancho Archiepiſcopo Compoſtellano; contrarium tenuerunt unanimiter Patres Concilii Tridentini: quod tamen non definierunt, ne contra Eccleſiam fidelibus uſum calicis prohibentem oblatrarent Hæretici.

Reſp. Hoc mirum videri, cùm, teſte Dicaſtillo, Hoſius ejuſdem Concilii Præſes, & Petrus Soto, Alphonſus à Caſtro, Heſſelanus, Claudius, Salmeron &c. qui ibi tanquam Theologi interfuerunt, ſententiæ noſtræ adhæreant: undè, etiam fatentibus quibuſdam adverſariis, argumentum hoc nullius eſt momenti.

Obj. 4. Species vini, prout continent Sanguinem Chriſti ſunt verum Sacramentum: ergo qui illas ſumit ſumpto corpore, recipit novam gratiam.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia gratia Euchariſtica confertur tota in ſumptione corporis, cùm tunc ſubjectum ſit ad omnem illam gratiam diſpoſitum: Nec propterea Species Sanguinem continentes deſinunt eſſe Sacramentum, cùm ratio Sacramenti non ſit conferre gratiam, ſed eſſe collativum gratiæ in ſubjecto diſpoſito: quod hic ob receptum omnem Euchariſtiæ effectum, non cenſetur diſpoſitum. Idem ſanè accideret, ſi quis, ſumpta prima parte Hoſtiæ in duas diviſæ, ſumeret ſecundam.

Inſt. 1. In extrema unctione confertur gratia per quatuor ultimas unctiones, ſicut per primam: & in Ordinatione Sacerdotali apud Latinos, per manuum impoſitionem, ſicut per calicis traditionem: ergo ſimiliter.

Reſpondent aliqui gratiam in illis Sacramentis dari per partes, & ſic non eſſe mirum conferri in ſecunda actione, ſicut in prima, ſed hoc admiſſo, etiam conſequenter dicendum eſt gratiam Euchariſticam dari partim in ſumptione corporis, partim in ſumptione Sanguinis: quod non videtur admittendum, cùm non ſit veriſimile, Chriſtum minorem annexuiſſe gratiam ſumptioni corporis factæ à Presbytero quàm factæ à Laico, aliàs eſſet pejoris conditionis, cùm ante Sanguis ſumptionem poſſit mori: & ideo.

Reſ. Etiam in Extrema unctione, & Ordinatione Sacerdotis ſtatim conferri totam gratiam, quia Sacramenta adinſtar cauſarum naturalium operantur, juxta ſubjecti diſpoſitionem quod tunc ad omnem effectum ſupponitur diſpoſitum.

Inſt. 2. Ergo fruſtra ſumuntur ſpecies Sanguinis. Reſ. N. illat. Quia conferunt ad complementum Sacrificii, & aliundè ſicut harum occaſione creſcere poteſt devotio, creſcere poteſt & gratia.

DISPUTATIO XI.

De Euchariſtia, prout eſt Sacrificium.

LIcèt dixerimus Euchariſtiam eſſe verum novæ legis Sacramentum, eſt tamen etiam verum ejuſdem legis Sacrificium, ut poſtea probabitur, & ideo, poſitis de ea ut Sacramento quibuſdam Diſputationibus, operæ pretium judicavi de eadem ut Sacrificio quædam ſubnectere. Ut autem faciliori methodo procedamus, unicam de Sacrificio in genere, ejuſque ſpeciebus Quæſtionem præmittemus.

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

Quid & quotuplex Sacrificium?

CONCLUSIO I.

SAcrificium propriè dictum eſt oblatio externa rei ſenſibilis legitimè inſtituta, & à Miniſtro legitimo facta Deo per realem ejus immutationem ad teſtandum ejus ſupremum dominium in omnia, ac præſertim in vitam & mortem.

Dicitur 1. Oblatio externa, ut excludatur oblatio ſui interna, licèt talis oblatio, ſicut & omne opus bonum ſive externum, ſive internum, dici poſſit Sacrificium impropriè, in quantum Deum placare poteſt inſtar ſacrificii.

Dicitur 2. Rei ſenſibilis; quia Sacrificium eſt cultus Dei exterior, proteſtativus ſupremi ejus Dominii, etiam coram hominibus, qui nonniſi ſenſibilibus inter ſe communicant.

Dicitur 3. Legitimè inſtituta, quia cùm Sacrificium ſit in ſua eſſentia ſignum humanum publicum, & in ordine ad commercium humanum inſtitutum, ſicut voces, habere debet ex inſtitutione publica, ſeu legitima, vim ſignificandi. Poteſtatem autem inſtituendi Sacrificia reſervavit ſibi Dominus tùm in novo, tùm in veteri Teſtamento, quamvis, hac ſecluſa reſervatione, poſſit Reſpublica ſacrificia inſtituere.

Dicitur 4. Et à Miniſtro legitimo, quo deficiente, etiam deficit Sacrificium, licèt alia omnia reperiantur, ut evidentiſſimè patet in Miſſa à non Sacerdote celebrata. Si dicas in veteri lege omnes Patres Familias Sacrificium Agni Paſchalis obtuliſſe, Dicam ego omnes ante Aaronis Sacerdotium ad hoc Inſtitutos, etiam poſito Aaronia Sacerdotio, legitimos remanſiſſe, inter illos autem erant Patres Familias, ſicut & fortè primogeniti, qui dicebantur Familiarum Principes. Quòd ſi alii legantur Sacrificium obtuliſſe, vel id fecerunt ex inſpiratione Divina, ut Abel, vel certè non erat ſacrificium propriè dictum.

Dicitur 5. Facta Deo, ſcilicet vero, aut falſo: nam ſicut adoratio exhibita Idolo, eſt vera adoratio, licèt ſacrilega, ita ſacrificium exhibitum falſo Deo, eſt verum Sacrificium, quamvis impium, eò quòd falſò apprehendatur Divinitas in objecto, in quo non eſt.

Dicitur 6. Per realem ejus immutationem, quia per ſacrificatorum immutationem, ſaltem moralem, melius ſignificatur hoſtiam offerri Deo, ut primo cujuſlibet entis principio & Domino, qui ſicut potuit res omnes creare, ita & poteſt omnes deſtruere.

Dices 7. Ad teſtandum &c. Ut declaretur finis proprius, & intrinſecus Sacrificii: unde oblatio Cereorum in Templo, crematio thuris, Candelarum accenſio, &c.

cùm non fiant in protestationem supremi Dominii, sed ad decorandum cultum Divinum, vel ad Officii celebritatem, non sunt Sacrificia.

CONCLUSIO II.

Dividitur 1. Sacrificium ratione materiæ in Victimam sive Hostiam, Immolationem, & Libamen: quando enim fiebat ex animalibus occisis, aut consumptis v. g. columbis, ovibus &c. dicebatur Victima, seu Hostia: quando ex rebus inanimatis solidis, ut frugibus, panibus &c. Immolatio: quando autem ex liquidis, putà, sanguine, vino &c. dicebatur Libamen.

Dividitur 2. Ratione formæ, seu modi, quo fiebat, in Holocaustum, in quo tota res comburebatur, ut in fumum resoluta ad Deum ascenderet: in Hostiam pacificam, cujus pars comburebatur in honorem Dei, altera cedebat in usum Sacerdotum, tertia in usum ipsorum offerentium, & in Sacrificium pro peccato, quòd partim cremabatur, partim cedebat in usum Sacerdotum tantùm.

Dividitur 3. Ratione finis in Latreuticum, quod per se in Dei cultum & honorem exhibetur: Propitiatorium, quòd pro peccatis præteritis offerebatur: Eucharisticum, quòd fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis in communi: nam pro beneficiis in particulari, dicebatur Hostia pacifica, ut Agnus Paschalis in memoriam Ægyptiacæ liberationis: & impetratorium, quod erat pro bonis futuris obtinendis vel malis evertendis.

Cæterùm hæc omnia Sacrificia in lege gratiæ cessaverunt, essetque superstitiosum aliquo ex illis uti; quia adest Hostia perfectissima, & Sacrificium corporis & Sanguinis Christi Jesu, quod in tot illis legalibus Sacrificiis figurabatur, atque ità cessare debent figuræ, existente veritate: unde S. Leo Serm. 8. de Pass. *Carnalium Sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias Hostiarum una corporis & Sanguinis implet oblatio.*

QUÆSTIO I.

Quid Sacrificium Missæ, & an sit propriè dictum Sacrificium?

Advertendum 1. Vocem Missa (quam aliqui Hebraicam volunt à Missas, quod erat fructuum oblatio in gratiarum actionem) probabilius esse Latinam, derivatam à Mitto; quia in illa preces, vota, supplicationes, imò & ipsum Christi corpus & Sanguis quasi mittuntur ad Deum: unde S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58. *Dicitur Missa, quasi transmissio, eò quòd populus fidelis, per ministerium Sacerdotis, qui fungitur vice Mediatoris inter Deum & homines, preces, & supplicationes, & vota transmittat Altissimo. Ipsum verò Sacrificium, id est, Hostia, Missa vocatur, quasi transmissa*: & ideo cùm in fine dicit Celebrans aut Diaconus: *Ite Missa est*, insinuat assistentibus Missam esse pro ipsis ad Deum oblationem.

Advertendum 2. Negatum esse sacrosanctum Missæ Sacrificium à variis Hæreticis, quorum aliqui tamen realem Christi in hoc Sacramento præsentiam admittebant. Primi, rationem Sacrificii Missæ denegarunt Petro-Brussiani, ut testatur Petrus Cluniacensis Epist. 2. lib. 1. Deinde *Arnoldistæ* apud S. Bernardum Epist. 24. Lutheros lib. *de abroganda Missa privata*, & alibi. Calvinus lib. 1. Institut. cap. 18. §. 2. Bernardinus Ochim lib. contra Missam, volentes Missam esse nudam Christi mortis & Passionis commemorationem: unde Lutherus sup. *Christus seipsum semel obtulit, non voluit denuò ab ullis offerri, sed memoriam sui Sacrificii voluit fieri*, His notatis

CONCLUSIO I.

Sacrificium Missæ est Sacrificium incruentum corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Dicitur incruentum ob distinctionem cruenti, quo se in cruce Patri obtulit Christus Jesus.

CONCLUSIO II.

Sacrificium Missæ est verum & propriè dictum legis novæ Sacrificium. Est de fide in Concilio Trid. Sess. 22. Can. 1. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium. Anathema sit.*

Prob. 1. Ex Scriptura Malach. 1. Ubi cùm Dominus Sacerdotes Mosaicos reprehendisset, quòd Sacrificia immunda offerrent, subdit: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, id est, Eucharistica, quæ ut ait Trident. Sess. 22. cap. 1. *Nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*; & certè quid aliud intelligeretur per ly oblatio munda? Non Judæorum Sacrificia, cùm illa fierent in sola Judæa, & non in omni loco. Non etiam Sacrificia Gentilium; quia cùm fermè omnes essent Idololatræ, Dæmonis, & non Deo sacrificabant: Fideles autem ex illis, cùm essent paucissimi, non poterant dici in omni loco sacrificare: ergo intelligitur Sacrificium Eucharistiæ, quod Christiani Sacerdotes erant oblaturi in lege gratiæ; nam ibi Prophetarum more ponitur præsens pro futuro, scilicet sacrificatur pro sacrificabitur.

Prob. 2. Ex perpetua Ecclesiæ Traditione, quæ à tempore Apostolorum usque nunc, semper protestata est verum Sacrificium in Missa offerri, ut constat ex Liturgiis Græcis, Hebræis, Syris, Chaldæis, Latinis, & omnibus aliis, in quibus nihil magis obvium, quàm actio Sacrificii, oblatio Sacrificii, applicatio Sacrificii &c.

Prob. 3. Ex Conciliis, Toletano 12. c. 5. Antissiodorensi cap. 8 Braccharensi III. can. 1. Lateranensi relato cap. *Firmiter*, Constantiensi in Bulla Martini V. Et Tridentino sup. Quibus accedunt Patres ab initio Ecclesiæ id testantes, quorum verba, & loca vide apud Bellarminum. Unde hanc veritatem omnium consensu firmatam esse, agnoverunt ipsimet Calvinus & Lutherus; & ideo ingenuè fatentur contra sensum, & authoritatem omnium reluctari. Hic non moramur, inquit ultimus lib. de Missa privata, *Si clamitent Papistæ; Ecclesia, Ecclesia: Patres, Patres; quia, ut dixi, hominum dicta, aut facta, nihil in tam magnis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos; Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.*

Prob. 4. Ex Augustino lib. 19. contra Faustum; *In nullum nomen Religionis sive verum sive falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo Sacrificiorum & Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Quare: ergo dilecta Dei Ecclesia privaretur Sacrificio? Privaretur autem, si in Missa non fieret verum Sacrificium; cùm præter illud, nullum aliud in lege nova reperiatur, ut patet ex Tridentino in Proœmio Sess. 22.

Obj. 1. Cum Hæreticis: In passu Malachiæ, per oblationem mundam, intelliguntur opera bona, quæ Augustinus l. 10. de Civit. cap. 6. vocat Sacrificia vera.

Res. Hoc esse apertè falsum, Primò: quia fit ibi mentio de oblatione nova, veteribus abrogatis: jam autem, nec Judæorum bona opera fuerunt abrogata, nec Christianorum de novo instituta, cùm ferè omnia sint de jure naturæ. Secundò; quia omnia opera nostra, juxta Sectarios sunt immunda, præfata autem oblatio munda. Tertiò quia expressè distinguit Scriptura Sacrificium ab aliis bonis operibus ut Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Ex 1. Regum 15. *Melior est obedientia, quàm victima.* Quartò: quia nullibi vocat Scriptura opus bonum, Sacrificium absolutè, sed, ut ait Amicus, *Sacrificium laudis*, *Sacrificium justitiæ*, *Vociferationis*, *Labiorum* &c. Augustinus autem vocat Sacrificia vera, quia verè placant Deum instar Sacrificii. Similiter lib. 2. contra litteras Petiliani, cap. 86. Oblationem, de qua Malachias, appellat Sacrificium laudis, non quia excludit ab illa rationem Sacrificii proprii, sed quia exercetur in Missa cum laude.

Obj. 2. Christus est unicus Sacerdos Hebr. 7. ergo unicus offerens Sacrificium.

Resp. Dist. Ant. Est unicus cum exclusione æqualium: C. cum exclusione minùs principalium, qui ejus vices gerant tanquam Ministri: N. Sic etiam dicitur unicus Magister, unicus Pastor, licèt plures vice ipsius doceant, & gregem spiritualiter pascant.

Obj. 3. Per Eucharistiam recipimus à Deo Christi corpus & Sanguinem, ut hæredes: ergo per eamdem non offerimus illa Deo, ut Sacrificatores: aliàs per id, per quod Testator dat nobis, daremus Testatori.

Res. Eucharistiam dupliciter posse considerari, primò ut præcisè continet Christi corpus & Sanguinem, ut nobis proficua. Secundò ut per eamdem illa Deo offerimus. Priori modo, habet rationem testamenti, per quod Christi corpus & Sanguis nobis legantur. Posteriori, habet rationem Sacrificii, per quod legata Deo offerimus in quo nulla est repugnantia, etsi enim in bonis temporalibus Legatarius non reddat Legatum Legatori, ne inutilis fiat hæreditas, hic tamen Legatarius fit ditior, Legatum reddendo, seu offerendo Legatori, quàm illud retinendo, cùm per oblationem nihil perdat sed novum meritum acquirat.

Obj.

Obj. 4. Eucharistia est Sacramentum: ergo non est Sacrificium.

Resp. Dist. Conseq. Ergo non est Sacrificium sub eo respectu, quo est Sacramentum, seu quatenus est signum efficax gratiæ: C. quia ut sic ordinatur ad salutem nostram. Sub alio respectu, seu quatenus est res Deo oblata: N. Sic enim ordinatur ad recognitionem supremi ejus Dominii.

Obiic. 5. Eucharistia est imago Sacrificii: ergo non est Sacrificium.

Resp. Neg. Conseq. Quid enim repugnat idem esse Sacrificium, & Sacrificii imaginem? Sic Sacrificium Agni Paschalis erit imago Sacrificii crucis, & tamen erat in se verè Sacrificium.

Objic. 5. Qui Sacrificium Missæ admittit, facit injuriam Sacrificio crucis, cùm, utpotè infiniti valoris, abundè sufficiat pro delendis omnibus peccatis patratis, & patrandis; licèt infinities plura forent, imò & pro omnibus gratiis obtinendis.

Resp. Dist. Ant. Qui Sacrificium Missæ admittit, ut suppletivum insufficientiæ Sacrificii crucis, facit injuriam, &c. C. Qui admittit ut rememorativum illius, ac ejusdem valoris applicativum, Deo sic ordinante: N.

Inst. Christus exclamans, Consummatum est, ostendit, omnia pro salute hominum requisita, unico crucis Sacrificio esse peracta: ergo.

Resp. Dist. Ant. Ostendit omnia esse peracta, quantùm erat ex parte sua: C. quantùm erat ex parte hominum. N. Debebant enim per Sacramenta, per bona opera, ac præsertim per Missæ Sacrificium Christi merita sibi applicare. Si dicas, nobis sufficienter applicari per verbi Divini prædicationem, in quantùm fidei nostræ excitativam. Ergo superfluit Baptismus, superfluit & sumptio Cœnæ Domini, quæ tamen etiam requirunt ipsimet Hæretici. Si addas, illa etiam esse necessaria: quidni etiam alia Sacramenta? Quidni etiam Missæ Sacrificium?

Obj. 7. Christus consecrans in ultima cœna, non obtulit Sacrificium: ergo nec offerunt Sacerdotes. Prob. Ant. Quia si obtulisset, fuisset infiniti valoris, adeoque inutile Sacrificium Crucis.

Resp. Neg. Ant. Ad probationem Dico, indè sequi Christum, ne unicam tota vita fecisse actionem bonam, cùm quælibet deberet esse infiniti valoris, adeoque impedire Sacrificium crucis: undè se obtulit in cruce, quia oblationem illam decreverat Deus, tanquam omnium Christi operum consummativam in ordine ad generis humani redemptionem.

Obj. 8 Hebr. 10. legitur: Jam non relinquetur pro peccatis Hostia: ergo nullum est apud nos sacrificium.

Resp. Non ibi fieri mentionem de quolibet peccato, sed de Apostasia à vera Religione ad Judaismum, ut patet ex contextu: taliter autem Apostatantibus non relinquitur Hostia, Non quidem Judaica, cùm quælibet sit abrogata, Non etiam Eucharistica, quia Christum non agnoscunt.

Obj. 9. Samaritanæ postulanti, an esset adorandum, id est, ut insinuat contextus, sacrificandum in monte Garizim? an Jerosolymis? Respondit Christus neque in illo monte, neque Jerosolymis, sed in spiritu & veritate: ergo innuit omnem cultum externum, adeoque & omne Sacrificium, brevi abrogandum.

Resp. Dist. Conseq. Innuit omne Sacrificium carnale Judaicum (de quo interrogabat mulier) brevi abrogandum, nempè per legem novam: C. Sic ut in lege Evangelica nullum esset futurum. N. Futurum enim erat Sacrificium Missæ, per quod Deum adoramus in veritate, offerendo ipsi Christum, qui est Veritas ipsa; & etiam in Spiritu, in quantùm hic maximè captivamus intellectum nostrum in obsequium fidei.

QUÆSTIO II.

Quidnam sit Hostia Sacrificii Missæ?

HOstiam duplicem distinguere possumus in hoc sacrificio, unam per modum termini à quo, ut panem, & vinum: Aliam per modum termini ad quem, ut Christi corpus & Sanguinem. Porrò disparitas est quoad Hostiam inter Sacrificium missæ, & Sacrificia antiqua, quòd in illo terminus à quo, nempè panis & vinum, non sit principaliter intentus, sed terminus ad quem, nempè Christi corpus & Sanguis: In his autem terminus à quo, seu materia Sacrificio præsupposita, fuerit ordinariè (non tamen

semper) hostia principalis, & principaliter intenta ad cultum Dei. Hoc posito.

CONCLUSIO I.

HOstia principalis, & principaliter intenta in Missæ Sacrificio, sunt Christi corpus, & Sanguis; non tamen ut distincta ab anima & toto.

Prob. 1. Pars tum ex verbis consecrationis, tum ex sensu fidelium communi, tum etiam ex Trid. sess. 22. cap. 1. ubi ait; *Corpus & Sanguinem suum*, scilicet Christus, *sub speciebus panis & vini obtulit*.

Prob. 2. Pars; quia hic offertur totus Christus, adeoque ejus anima, totaque ejus humanitas, quod evidenter declarat Trident. sup. cap. 2. *In Divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in Ara crucis semel seipsam cruentè obtulit*: Atqui totus Christus immolatus est in cruce: ergo & hic. Deinde id totum sacrificabile in Sacrificium offertur, quod in Altari ponitur, sive per se, sive per concomitantiam. Sed totus Christus in Altari ponitur: ergo totus immolatur. Malè tamen inferres, etiam immolari Suppositum Divinum (nisi certè per communicationem Idiomatum) cum defectu subjectionis ad Deum, non sit materia Sacrificii.

Dices 1. Christus ibi non occiditur: ergo non est hostia Sacrificii.

Resp. Dist. Ant. Non occiditur physicè: C. Mysticè & moraliter: N. quia Sanguis ejus ponitur vi verborum tanquam fusus & separatus à corpore. Accedit, quòd ponatur sub Speciebus Eucharisticis modo quodam mortuo, & ad sensuum functiones inepto.

Dices 2. Trident. sup. docet Christum in ultima cœna obtulisse corpus & Sanguinem, nulla facta mentione animæ, aut totius humanitatis.

Resp. Ibi agere de oblatis vi verborum præcisè, non autem de oblatis absolutè; aliàs sibi contradiceret, cùm dicat cap. 2. eumdem Christum hic immolari, qui fuit in cruce immolatus.

Dices 3. A triduo mortis Christi non crevit Sacerdotum potestas: sed tunc consecrans non obtulisset animam: ergo nec jam offert.

Res. Dist. Min. Tunc non obtulisset animam defectu potestatis; N. defectu unionis ipsius animæ ad corpus, ratione cujus, jam posito corpore, ponitur & anima: C.

CONCLUSIO II.

PAnis & vinum dici possunt Hostia minùs principalis, & secundaria Sacrificii Missæ.

Prob. Quia, cùm destruantur, ut in testimonium Divinæ excellentiæ Christi corpus & Sanguis ponantur sub Speciebus verè possunt dici destrui in honorem Dei, & in testimonium Excellentiæ Divinæ, saltem mediatè.

Confir. Quia Ecclesia loquens de pane in Offertorio, vocat illum immaculatam Hostiam: & in prima Antiphona Vesperarum Festi Corporis Christi, dicitur Christus panem & vinum obtulisse, undè Cyprianus, Ambrosius & alii PP. dicunt panem & vinum offerri sacrificari, &c.

Dices 1. Ergo cùm hic sit duplex Hostia, duplex intervenit Sacrificium.

Resp. Neg. Illationem; quia cùm panis non sit hic Hostia principaliter intenta, sed ordinata ad Hostiam principalem, tanquam terminus à quo ad terminum ad quem, censetur ad idem Sacrificium concurrere, ad quod concurrit Christi corpus; præsertim cùm eadem actione destruatur, qua offertur Christus; undè sicut in lege veteri, quando offerebatur Thus, non dicebatur duplex Sacrificium, licèt foret duplex Hostia, thus nempè destruendum, & fumus indè resultans; ita & in nostro casu; quia illa duo concurrunt ad eamdem sacrificii actionem, velut terminus à quo & ad quem.

Dices 2. Juxta Scotum 4. dist. 13. q. 2. §. *Ad Quæstionem*, Oblatio panis & vini ante consecrationem, est Sacrificium: ergo hic intervenit duplex.

Resp. Dist. Ant. Est sacrificium inchoatè: C. Completè: N. Nec aliud vult Scotus.

CONCLUSIO III.

SPecies panis & vini non tantùm sunt medium sub quo offertur Hostia principalis, sed etiam pars intrinseca Hostiæ, saltem si considerentur, ut sensibiles.

Prob. 1. Pars; quia nec Christus seipsum, nec ejus Ministri ipsum offerunt sub propria specie, sed sub speciebus panis, & vini, ut constat experientia, & in terminis declarat Trident. Sess. 22. cap. 1. *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum Symbolis, Apostolis .... eorumque in Sacerdotio Successoribus ut offerrent, præcepit*: & consequenter species sacramentales sunt id, sub quo offertur Hostia principalis.

Dices: Hostia debet præsupponi sacrificio: sed Christus sub Speciebus Eucharisticis non præsupponitur sacrificio Missæ; ergo Species illæ non sunt medium, sub quo offertur.

Resp. Dist. Maj. Hostia principalis, aut minùs principalis debet, &c. C. semper Hostia principalis: N. Contrarium patet in sacrificio thuris, ubi fumus principaliter intentus non præsupponebatur ad sacrificium.

Prob. 2. Pars, quam negant aliqui, primò ex Can. *Hoc est*, de Consecrat. Dist. 2. ubi legitur, *Hoc Sacrificium duobus constare, visibili Elementorum specie, & invisibili Domini Nostri Jesu Christi carne & Sanguine*; Sacrificium autem ibi, ut patet, sumitur pro re sacrificata. Secundò, quia sacrificium est essentialiter oblatio rei sensibilis, cùm sit nota visibilis protestativa cultus Divini: ergo quod reddit sacrificium sensibile, ut hìc Species, pertinet ad rationem sacrificii; sed non pertinet ad rationem sacrificii, nisi quia pertinet ad rationem victimæ in sacrificio requisitæ: ergo.

Dices 1. Eadem est Hostia sacrificii Missæ, ac sacrificii crucis, *Sola offerendi ratione diversa*, ut ait Trident. sup. Sed si species Eucharisticæ essent de ratione Hostiæ, alia esset Hostia nunc, quàm tunc: ergo.

Resp. Neg. Min. Quia etsi species Eucharisticæ differant specificè à colore & aliis accidentibus, per quæ Hostia crucis reddebatur sensibilis, non tamen differunt genericè; seu in ratione sensibilis; jam autem accidentia externa concurrunt ad rationem Hostiæ; non ut sunt talia sensibilia sed ut sensibilia præcisè.

Dices 2. Color & alia Christi accidentia sensibilia non erant pars Hostiæ crucis: ergo nec species panis & vini sunt pars hostiæ Missæ.

Resp. Dist. Ant. Non erant pars Hostiæ formaliter sumptæ N. quia sine illis non fuisset res sensibilis. Materialiter & individualiter consideratæ: C. quia individuatio non desumitur ab accidentibus, sed à substantia; & ideò fortè dixit Tridentinum eamdem esse Hostiam utriusque sacrificii, quia idem est Individuum, nempè Christus.

Dices 3. Species non offeruntur: ergo non sunt pars Hostiæ.

Resp. Neg. Ant. Quia, cùm offeratur res sensibilis, etiam offertur (licèt minùs principaliter) id quod ipsam reddit sensibilem.

QUÆSTIO III.

In quanam actione essentialiter consistat essentia hujus Sacrificii?

VAriæ actiones interveniunt in Missæ sacrificio, ut oblatio panis, & vini, consecratio, Oblatio corporis Christi post Consecrationem, quando Sacerdos dicit: Unde & memores; Specierum mixtio, Fractio, Distributio, Sacerdotis Communio, de quibus omnibus Quæstio procedit.

CONCLUSIO I.

NOn consistit essentia hujus sacrificii in oblatione, sive panis ante consecrationem, sive corporis post eamdem.

Ratio est; quia neutra est Hostiæ immutativa: neutra à Christo, qui tamen hoc sacrificium obtulit, adhibita; & consequenter utraque ab Ecclesia, quæ sacrificium hoc non instituit, instituta. Idem propter eamdem rationem, dicendum est de elevatione Hostiæ, ac positione ejusdem super corporale.

CONCLUSIO II.

NEque specierum mixtio, fractio, aut distributio sunt de essentia hujus sacrificii

Prob. Quia legimus Christum sacrificium instituisse & obtulisse; non legimus tamen Specierum mixtionem aut instituisse, aut usurpasse: Fractionem autem usurpavit, sed non cæremonialem illam, quam usurpamus, verùm aliam præcisè factam in ordine ad distributionem. Deindè nostram adhibemus post consecrationem, suam verò Christus adhibuit, antequam consecraret, ut patet ex Evangelio. Accedit quòd Hostia integra in Calicem lapsa, peragatur Sacrificium sine ulla fractione, ut ordinant Rubricæ. Distributione quidem usus est Christus, sed illam non esse Sacrificio essentialem, declarat praxis Sacerdotum quotidiana; cùm sæpiùs se solos communicent, quàm Laicos: quorum tamen Missam licitam esse definit Trident. Sess. 22. cap. 8.

CONCLUSIO III.

COmmunio Sacerdotis non est etiam de essentia hujus Sacrificii, est tamen aliquo modo de ejus integritate.

Prob. 1. Pars; primo. Certum est ex Trident. Sess. 22. Cap. 1. Christum sacrificasse, & tamen incertum est, an communicaverit: ergo certum est ex mente Concilii, communionem Sacerdotis non esse de essentia hujus Sacrificii; quandoquidem aliquid incertum non possit esse de fide.

Prob. 2. Ex Cap. Relatum de Consecrat. Dist. 2. ubi ex Concilio Toletano XII. arguuntur Presbyteri sæpius sacrificantes, quàm communicantes; adeoque supponitur aliud esse Sacrificium, aliud communionem: undè quando dicitur ibidem: *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse cognoscitur?* non insinuatur Sacrificium sine communione non esse verum Sacrificium (aliàs quomodo conficiens vocaretur ibi Sacrificans?) sed tantùm non habere complementum ultimatum, ad quod res sacrificata ordinatur.

Prob. 3. Quia Sacerdos seipsum communicans, vel consideratur ut dispensans, vel ut suscipiens: quocumque modo consideretur, non est sacrificans: ergo. Prob. Min. Non quidem ut dispensans; aliàs quoties Laicis communionem dispensaret, sacrificaret, quod nemo somniavit: Non etiam ut suscipiens; quia ut sic non agit Christi nomine, sed proprio: nihil offert, sed recipit.

Dices 1. In illa actione consistit Sacrificium nostrum, per quam immutatur Hostia: sed hoc fit per communionem, cùm illa sola destruat illius esse sacramentale: ergo.

Resp. Distin. Maj. Per quam immutatur Hostia primariò ad cultum Dei, quod fit in consecratione: C. Primario ad utilitatem sumentium, quod fit in communione: N.

Dices 2. Sacerdos Feria VI. Majoris Hebdomadæ sacrificat, cum dicat, *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat*, &c. sed tantùm se communicat ergo.

Resp. Dist. Maj. Sacrificat propriè, sicut aliis diebus: N. impropriè, in quantùm usurpat certas actiones in sacrificio adhiberi solitas: C.

Prob. 2. Pars; quia cùm Christus ordinaverit, ut sacrificans rem sacrificatam consumeret, dici potest illius sumptionem aliqualiter Sacrificium integrare, tanquam extrinsecum illius complementum.

CONCLUSIO IV.

SOla Consecratio est adæquata hujus Sacrificii essentia. Est communior cum D. Thoma q. 82. art. 4. ad 1. dicentis: *Consecratio Chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ non est Sacrificium, sicut Consecratio Eucharistiæ*. Et art. 10. ad 1. *Hoc Sacramentum perficitur in Consecratione Eucharistiæ, in qua offertur Sacrificium*.

Prob. 1. ex D. Ambrosio lib. 4. de Sacram. cap. 4. ubi ait: *Sermo Christi*, id est, Consecratio, *hoc conficit Sacramentum*: ergo & Sacrificium sumptum pro re sacrificata, cum hìc sit idem Sacramentum & Sacrificium sic sumptum: Subsumo: Atqui actio, qua res sacrificatur, est Sacrificium: ergo. Idem docent alii PP à Lugone citati, quorum aliqui Consecrationem vocant Immolationem, alii Sacrificationem, alii volunt esse Sacrificium perfectum ante manducationem.

Prob. 2. Quia soli consecrationi independenter ab aliis Missæ actionibus, competit tota definitio Sacrificii: ergo. Probat. Ant. Primò est Oblatio, non quidem in actu signato, & explicita, sed in actu exercito, & implicita, sicut erat jugulatio aut crematio animalium in le-

ge ve-

ge veteri, quæ tamen erant vera sacrificia. Secundò est Rei sensibilis, nempe Christi per species Eucharisticas sensibiliter exhibiti. Tertiò Facta Deo, cùm nulla actio magis ad Dei cultum & honorem ordinetur quàm consecratio. Quartò Per legitimum Ministrum, nempe Sacerdotem, cujus potestas primariò & principaliter ordinatur ad consecrationem; cùm sumptio (de qua magis controvertitur) sit laicis & sacerdotibus communis. Quintò Per realem immutationem, ad quam non sufficit, quòd sanguis vi verborum ponatur separatim à corpore, ut volunt aliqui: cùm illa mactatio aut immutatio, utpotè solùm mystica, & non realis, sufficiat quidem ad repræsentationem sacrificii Crucis, non tamen ad rationem sacrificii, & ideo dicimus, Christum realiter immutari, in quantùm per consecrationem redactus ad punctum, ponitur in Altari modo quodam mortuo, & inepto ad functiones sensuum naturales, & quidem in ordine ad destructionem per communionem consumandam: quod videtur sufficere: & certè si vinum effusum in terram per sacrificium libaminis, dicebatur sufficienter immutari, licèt non corrumperetur physicè, sed tantum moraliter, in quantùm ineptum erat ad humanos usus: quidni Christus taliter positus diceretur sufficienter immutari? Sextò Ad testificandum Deum esse vitæ & mortis Authorem. Vitæ quidem cùm Christus accipiat per consecrationem esse, quod antea non habebat, nempè sacramentale: Mortis verò, in quantùm ibi existit modo quodam mortuo, & ad destructionem ordinato, ut diximus.

Ex hac probatione solvi possunt ferè omnes Objectiones contra Conclusionem adferri solitæ; & ideò pauca admodùm restant dicenda.

Dices 1. Trident. Sess. 23. cap. 5. distinguit hic inter potestatem consecrandi & offerendi: ergo aliud est consecratio, & aliud oblatio seu sacrificium.

Res. Distinguere consecrationem ab oblatione, quæ fit signatè immediatè post consecrationem calicis: non autem ab illa, quæ fit exercitè in ipsa consecratione.

Dices 2. In consecratione non reperitur sensibilis mutatio Hostiæ; cùm tunc idem appareat, ac ante:

Resp. Dist. Assumpt. Non reperitur mutatio sensibilis quoad visum: C. quoad auditum: N. cùm enim sciamus verba à Christo prolata esse vera: audiendo illa verba: *Hoc est corpus meum*, audimus substantiam panis conversam esse in Christi corpus.

Dices 3. Sacrificium incruentum consistit in actione repræsentativa sacrificii cruenti: sed actio illa juxta Apostolum 1. Corinth. 11. non est consecratio, sed sumptio: *Quotiescumque manducabitis panem hunc*, inquit, *& calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis*.

Resp. Dist. Maj. Consistit in actione repræsentativa sacrificii cruenti, ut oblationis: C. & ut sic repræsentatur per consecrationem. Ut Christi mortis, quam repræsentat sumptio: N.

CONCLUSIO V.

Consecratio utriusque speciei non est de essentia hujus sacrificii, ut sacrificium est præcisè.

Ratio est; quia sicut quælibet species est verum Sacramentum; ita consecratio cujuslibet speciei, verum sacrificium; cùm huic competat definitio sacrificii, sicut illi definitio Sacramenti, ut examinanti patebit.

QUÆSTIO IV.

A quibus, & pro quibus offerri possit hoc Sacrificium?

CONCLUSIO I.

Christus omnia Missæ Sacrificia offert mediatè, sed principaliter: quilibet Sacerdos offert suum immediatè sed minùs principaliter: Fideles autem non Sacerdotes etiam suo modo illud offerunt.

Prob. 1. Pars: Qui dat eleemosynam per famulum, censetur per se propriè, & principaliter illam dare, licet tantùm mediatè: sed Christus offert omnia Missæ sacrificia per Sacerdotes, tanquam per suos Ministros, & Vicarios, qui in ejus persona loquuntur, cùm dicunt: *Hoc est corpus meum*. ergo illa offert per se propriè, & principaliter, quamvis mediatè: unde Tridentinum sess. 22. cap. 2. dicit nunc eumdem esse offerentem Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.

Prob. 2. Pars; quia quilibet Sacerdos per Ordinationem accepit potestatem à Christo, ut in ejus persona hoc sacrificium offerret, & consequenter ut id faceret, immediatè quidem; sed minùs principalites, tanquam ejus Vicarius.

Dixi: Quilibet Sacerdos: parum enim refert ad valorem Sacrificii (aliud est vitandum peccatum) sivè sit degradatus, sivè excommunicatus, sivè Hæreticus: nam cùm Character Sacerdotalis sit indelebilis; ita potestas offerendi hoc Sacrificium est inauferibilis, ut declarat Trident. sess. 23. cap. 4.

Dices: Sacerdos offert in persona Ecclesiæ, cujus est Minister: sed Hæreticus non offert in persona Ecclesiæ; cùm sit ab ea præcisus: ergo.

Resp. Neg. Min. Quia licèt prohibeat Ecclesia Hæretico sacrificare, casu quo tamen sacrificet, sacrificat cum ipso, non quidem approbando actionem quatenus Hæretici, sed quatenus à Christo institutam, quæ ut sic munda est, ac *nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*, ut ait Trident. sess. 22. cap. 1. Et certè si Ecclesia, non obstante prohibitione, baptizet cum Hæretico baptizante (ut hic faciat, quod facit Ecclesia) quidni sacrificaret cum Hæretico sacrificante? Undè Magister docens 4. dist. 13. Sacerdotem excommunicatum, aut Hæreticum non posse Eucharistiam conficere, vel loquitur de confectione licita, vel, si de valida, non est audiendus.

Prob. 3. Pars: Sacerdotes offerunt sacrificium in persona totius Ecclesiæ; sed omnes fideles sunt membra Ecclesiæ: ergo illud offerunt per Sacerdotes, saltem mediatè: undè sivè Ecclesia sumatur pro corpore mystico composito ex omnibus fidelibus sub uno Summo Pontifice, &c sivè pro singulis fidelibus in particulari, dicitur offerre Sacrificium per Sacerdotes. Et ideò Innocent. III. lib. 3. de Myster. Miss. cap. 6. *Non solùm offerunt Sacerdotes, sed & universi fideles: nam quod specialiter adimpletur ministerio Sacerdotum hoc universaliter agitur voto fidelium*. Specialiùs tamen dicuntur offerentes, qui Sacrificio assistunt, inserviunt, necessaria suppeditant, honorarium tribuunt, &c.

CONCLUSIO II.

Hoc Sacrificium offerri potest, saltem aliquo sensu posteà explicando, pro omnibus omnino hominibus, si damnatos exceperis.

Ratio est; quia illis omnibus potest aliqualiter prodesse: undè quamvis Trident. sess. 22. can. 2. definiens Missam posse offerri pro vivis & defunctis, non dicat pro omnibus, tamen id fieri posse non negat. Hinc

Resol. 1. Offerri posse pro peccatoribus & infidelibus, ut eis prosit per modum impetrationis. Ratio est; quia hoc Sacrificium, ut est impetratorium, potest offerri pro quacumque re à Deo justè obtinenda, sivè sit animata, ut sunt pecora, sivè inanimata, ut aeris serenitas, pluvia, &c. ergo à fortiori pro præfatis: & certè mirum esset, quòd posset offerri pro impetranda sanitate pecoris, & non posset pro impetranda salute amici peccatoris, aut infidelis. Præterea jussit Apostolus 3. ad Timoth. 2. orationes fieri pro Regibus, qui tunc erant infideles. Si autem licet orare, quidni & sacrificare: cùm Sacrificium sit efficacissimum orationis genus ad impetrandum.

Dixi: Per modum impetrationis; quia cùm in statu peccati remanentibus nulla remittatur pœna, non potest illis prodesse per modum satisfactionis.

Resol. 2. Etiam à fortiori posse impetratoriè offerri pro Catechumenis vivis. Ratio est: quia si orat Ecclesia in Die Parasceves pro illis, ut Baptismi gratiam impetrent, quidni posset ad hunc finem consecrare? Nullam quidem Missam specialem habemus nunc pro illis, sed nec habemus pro peccatoribus, pro quibus tamen licet sacrificare, ut diximus. Hujus autem Ratio est, quòd sint incapaces primarii fructus Sacrificii, scilicet propitiationis, & satisfactionis.

Si dicas: Olim dicebat Diaconus (ut refertur in Ordine Romano) Catechumeni recedant, nempè à sacrificio: ergo non potest pro illis sacrificium offerri: Dicam ego: Non decet equum assistere sacrificio: ergo non potest offerri sacrificium pro impetranda sanitate equi, si Consequentiam meam rideas, ride & tuam. Quando autem dixit August. lib. 1. de Anima & ejus origine cap. 9. *Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro iis, qui membra sunt Christi*, loquitur de parvulis sine Baptismo defunctis, qui nec actu, nec potentia sunt Christi membra, qualia sunt potentia Cathecumeni, & alii non baptizati.

Nota hoc esse discrimen inter Catechumenos, & Iofideles quòd his utpotè in peccato existentibus, nec ex opere operato nec ex opere operantis prodesse possit sacrificium per modum satisfactionis; aliis autem, si sint in gratia, possit prodesse saltem ex opere operantis.

Resol. 3. Posse etiam offerri pro Excommunicatis non toleratis, dummodò Celebrans hoc facit privatim & proprio nomine, sicut potest etiam tanquam persona privata, pro illis orare in *memento*, imò & preces, quæ dicuntur in Missa, illis applicare quatenus sunt opus meritorium ipsius celebrantis; quia Ecclesia solùm inhibet preces publicas, quæ funduntur Ecclesiæ nomine, ut patet ex cap. 38. *de sententia excommunicationis*. Et ideò ut Minister Ecclesiæ aut Christi, non potest pro illis hoc sacrificium offerre; cùm hoc tamen discrimine, quòd si velit Ecclesiæ nomine offerre, illicitè & invalidè hoc faciat; quia Ecclesia non habet intentionem offerendi pro excommunicato, sed potiùs contrariam: si autem offerat ut Christi Minister, & ejus nomine, illicitè quidem id faciat, quia contra Ecclesiæ prohibitionem, sed tamen validè; quia hoc dependet à sola Christi voluntate; undè sicut potest independenter ab Ecclesia validè sacrificare, ita & validè sacrificii fructum applicare, quem proindè excommunicatus perciperet si esset in gratia.

Resol. 4. Similiter posse applicari pro defunctis in gratia, seu pro Aoimabus Purgatorii. Patet tum ex antiquissima Ecclesiæ praxi, quam Apostolorum Traditionem vocat Trident. sess 22. cap. 2. tum ex lege veteri 2. Machab 12. ubi legitur curasse Judam, ut pro mortuis sacrificium offerretur: de quo ibidem laudatur; tùm ex Forma Ordinationis Sacerdotum; tùm ex PP. Tertulliano *de corona militis* cap. 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus* Cyrillo Hierosolymit. Catechesi 5. Mystagogica: *Hæc Sacrificium tibi offerimus, at memineris etiam eorum, qui ante nos obdormierunt*. Chrysostomo Homil. 69. ad Populum Antioch. *Ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio*. Idem reperies apud Augustinum, Isidorum & alios; tùm denique ex definitione Trid. Sup. can. 3. quod & repetit sess. 25. in Decreto de Purgatorio.

Resol. 5. Nos à præfatis non excludere Catechumenos; nam cùm dicat Augustin. lib. 3. de Origine Animæ cap. 12. *Noli credere nec docere, nec dicere Sacrificium Christianorum pro his, qui non baptizati, de corpore exierunt offerendum, si vis esse Catholicas*, loquitur de illis, qui nec in re, oec in voto Baptismum susceperunt. Concilium autem Braccharense I. prohibens, sacrificium offerri pro Catechumenis defunctis, agit de illis, qui sua culpa sine Baptismo defuncti sunt: undè Innocent. III. cap. 2. *de Presbytero non baptizato*, jubet preces & sacrificia offerri pro Sacerdote, qui sine Baptismo, in Christi fide obierat.

Resol. 6. Etiam pro Beatis offerri posse hoc Sacrificium, quatenus est laudis & gratiarum actionis pro beneficiis ipsis à Deo collatis; imò etiam quatenus impetratorium est novi honoris, & venerationis in terra, & consequenter novi gaudii accidentalis, ipsis inde provenientis.

Ratio est; quia oblatio illa est Deo grata, illis honorifica, & nobis proficua; cùm indè moveantur, ut pro nobis ad Deum intercedant.

Dixi: Pro Beatis, & non Beatis; quia Sacrificium, utpotè cultus Latriæ, soli Deo offertur, sicut ipsi soli Templa & Altaria eriguntur in honorem talis vel talis Sancti.

Resol. 7. Meritò à Conclusione exclusos esse damnatos; quia cùm in inferno nulla sit redemptio, etiam nullius remissionis sunt capaces, nequidem pœnæ temporalis peccatis venialibus in inferno debitæ, quam aliqoando finiendam propter satispassionem docet Scotus 4. Dist. 21. qu 1. num. 6 quia Matth. 18. traduntur tortoribus, quoadusque reddant universum debitum: undè cùm ibi exerceatur Judicium sine misericordia, qui pro ipsis oraret aut sacrificaret, graviter delinqueret. Proindè cùm dicitur Trajanus liberatus à S. Gregorio, filius Sempronii à S. Agnete, Falconilla à S. Thecla, Dinocrates à S. Perpetua (si Historiæ illæ veræ sint) non oraverunt, ut ab inferno eruerentur, sed ex speciali Dei instinctu, ne in infernum mitterentur, suspensa damnationis sententia: & ideò Augustinus lib. 21. de Civit. Cap. ult. sub fin. *ista liberatio .... id agit, ut in ignem quisque non mittatur æternum: non ut cùm missus fuerit, post quantumcumque tempus inde eruatur.*

Dices; Orat Ecclesia defunctos liberari *de pœnis inferni, de profundo lacu, de ore Leonis, ne absorbeat eas tartarus, &c* ergo.

Resp. Per illa intelligere Purgatorium, quod, ob pœnarum similitudinem, vocat infernum; sicut Patrum Lymbus ob visionis beatificæ privationem, vocatur in Symbolo Apostolorum inferus: vel certè si ibi intelligatur infernus, precatur Ecclesia considerans animas in actuali corporis egressu, quando necdum ipsis decretus est mansionis æternæ locus; & ideò dùm voces illas profert in Missa, non intendit ipsas liberare ab inferno, à quo sunt liberæ, sed tantùm commemorare liberationem ob Christi merita factam in egressu corporis: quod est pium & satisfactorium pro animabus. Idem accidit in Adventu, quando cantat: *Veni Domine & noli tardare*, ubi non petit, ut veniat Dominus, cùm jam venerit, sed repræsentando sibi tempus præcedens adventum, commemorat & approbat, quod factum est.

QUÆSTIO V.

Qui sint effectus hujus Sacrificii?

SUppono ex Scoto Quodlib. 20. num. 2. hoc sacrificium valere ex opere operatn, aut quasi operato, adeoque independenter à bonitate, & devotione Ministri, quatenus scilicet offertur nomine Christi & Ecclesiæ. Rationem adfert Scotus; quia *alioquin Missa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia*, quod est contra sensum communem.

CONCLUSIO I.

SAcrificium hoc non justificat peccatorem immediatè, justificat tamen mediatè; & quidem infallibiliter sensu posteà explicando.

Prob. 1. Pars; quia si immediatè justificaret; Sacramentum Pœnitentiæ nec in re, nec in voto esset relapsis necessarium; imò posset justificari peccator dormiens, pro quo offerretur, si saltem esset attritus: quod videtur absurdum, repugnatque Tridentino expressè declaranti sess. 14. cap 4. non posse Attritionem sine Sacramento pœnitentiæ peccatorem ad justificationem perducere.

Prob. 2. Pars; quia impetrat homini certa auxilia, quibus pœnitentiam, si velit, consequatur, adeoque, illa mediante, justificationem: quod in terminis declarat Trident. sess. 22. cap. 2. *Hujus oblatione*, inquit, *placatur Dominus, gratia, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit*. Ex quo patet, quòd licèt peccatorum remissio habeatur immediatè ex opere operantis, scilicet pœnitentis, mediatè tamen habeatur ex opere operato, mediantibus nempè opportunis gratiæ auxiliis, quæ intuitu sacrificii conceduotur, etiam ubi ab impio Ministro offertur, ut diximus.

Prob. 3. Pars, quem negant nonnulli; quia nulla apparet ratio dicendi, inquit Amicus, sacrificium hoc minùs esse propitiatorium, quàm satisfactorium; cùm legatur institutum ad remittenda peccata, sicut ad condonandas pœnas; sed ut satisfactorium, infallibiliter remittit pœnas, ut posteà dicemus: ergo ut propitiatorium infallibilirer impetrat auxilium ad remissionem culpæ. Sed si Argumentum hoc vim haberet, formare possem illud: sacrificium Missæ non minùs propitiatorium est, quàm satisfactorium: sed ut satisfactorium immediatè remittit pœnas: ergo ut propitiarorium immediatè remittit peccata: quod tamen falsum est ex eodem Authore.

Probatur ergo aliter: Tridentinum sup. asserit *Sacrificium istud verè propitiatorium esse*: sed si tantùm fallibiliter conferret auxilia ad justificationem, non posset dici indiscriminatim *verè propitiatorium*: ergo. Prob Min. Quia aliquando auxilia illa conferret, aliquando non; quando autem non conferret non verè propitiaretur.

Dices 1. Non semper justificatur peccator, pro quo sacrificium offertur: ergo non operatur infallibiliter.

Resp. Dist. Conseq. Non operatur infallibiliter justificationem: C. non operatur infallibiliter, gratiam proximè aut remotè sufficientem ad justificationem: N. & hoc tantùm volumus in Conclusione, ubi infallibiliter non efficit justificationem, sed media ad illam, quæ sunt aliquando efficacia, & nunc sequitur justificatio, aliquando tantum sufficientia, & non sequitur, defectu cooperationis ex parte creaturæ.

Dices 2. Plus confert Deus peccatori, de quo offertur sacrifi-

ſacrificium, quàm alteri: ergo cùm alteri ſemper conſerat gratiam ſufficientem ad pœnitendum, confert huic efficacem; adeoque infallibiliter ſemper juſtificatur: quod eſt falſum.

Reſp. Deum gratiarum ſuarum eſſe Dominum, adeoque poſſe gratiam minorem conferre illi, pro quo offertur ſacrificium, quàm ei, pro quo non offertur; ſed eſto, ordinariè majorem conferat, non ſequitur eſſe efficacem, ſed vel efficacem, vel uberiorem in genere gratiæ ſufficientis. Præterea eſto, ſemper conferat gratiam peccatoribus, ut pœniteant, nonnunquam tamen dependenter à ſacrificio pro ipſis oblato.

CONCLUSIO II.

SIcut hoc ſacrificium non confert immediatè peccatoribus gratiam juſtificativam, ita nec immediatè confert juſtis ejuſdem augmentum.

Ratio eſt; tùm quia circa hoc nulla legitur promiſſio Divina; tùm quia augmentum illud eſt effectus Eucharistiæ, ut Sacramentum eſt; tùm quia parvulus baptizatus, pro quo plura offerrentur ſacrificia poſſet fieri magnus Sanctus, imò maior illo, qui per centum annos continua exercuiſſet virtutum exempla: quod eſt contra communionem Eccleſiæ ſenſum. Certum eſt tamen conferre adultis auxilia ad gratiæ augmentum conducentia.

CONCLUSIO III.

PRobabilius eſt nec peccata venialia per hoc ſacrificium immediatè deleri, ſed tantùm mediante auxilio ad actum, per quem remittuntur. Eſt probabilior & verior.

Prob. 1. Quia licèt abſolutè loquendo remitti poſſint venialia per extrinſecam condonationem, ordinariè tamen non remittuntur ſine infuſione gratiæ ſanctificantis: ſed hæc, ut diximus, non confertur immediatè per hoc ſacrificium: ergo nec immediatè remittuntur venialia.

Dices: Quanquàm hoc ſacrificium non conferat per ſe & directè gratiam ſanctificantem, illam tamen confert indirectè ad venialium remiſſionem. Sed

Contrà eſt, quòd etiam tunc ſequeretur inconveniens, propter quod negavimus gratiam per illud immediatè augeri. Nam ponamus, quòd juſtus dives peccans quotidiè venialiter tantùm, curet etiam quotidiè pro ſe offerri ſacrificium, quotidiè recipiet, licèt indirectè augmentum gratiæ, & ſic in fine vitæ ingentes gratiæ cumulos aggregaſſet ſine ullo labore.

Prob. 2. Quia non ſolet Deus remittere culpas propria culpa contractas ſine prævia peccantis diſpoſitione ſeu retractatione. Si autem aliquam requiras, ſed inſufficientem de ſe ad venialium deletionem, nihil propterea evinces; vel enim illa diſpoſitio erit de ſe ſufficiens ad gratiæ augmentum: vel non: ſi primum, erit & ſufficiens ad venialium remiſſionem & ſic nihil circa hoc operabitur ſacrificium: Si ſecundum cùm ſacrificium non conferat immediatè gratiam, nec tunc immediatè remittet venialia, quæ ſine gratiæ infuſione non remittuntur.

Dices 1. Hoc ſacrificium inſtitutum eſt ad remiſſionem peccatorum, ut patet tum ex Patribus, tum ex Forma Calicis, ubi habetur: *Qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*: tum etiam ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. aſſerente peccata noſtra quotidiana per illud remitti: ſed præfata non poſſunt intelligi de peccatis mortalibus, ut patet ex dictis; ergo de venialibus.

Reſ. Majorem poſſe ſano ſenſu intelligi de remiſſione mediata, mediante ſcilicet motu Attritionis aut Contritionis, qui cùm deleat venialia ratione auxilii per ſacrificium conceſſi dicitur & ſacrificium illa delere.

Dices 2. Tridentinum loquens de mortalibus, dicit remitti per ſacrificium mediante gratiæ auxilio, loquens autem de venialibus ſeu quotidianis non facit mentionem auxilii mediantis: ergo &c.

Reſp. Neg. Conſeq. Non enim tacuit auxilium medium, quia ſuperfluum, ſed quia inter Doctores controverſum: vel potiùs quia ſuperiùs agens de mortalibus, ad quorum remiſſionem requirit auxilium medium, etiam egerat de venialibus, quod indicant hæc verba: Peccata, etiam ingentia dimittit, ſupponens, mediante gratia & dono pœnitentiæ etiam venialia deleri, aliàs fruſtra adderet: etiam ingentia, ſeu mortalia.

CONCLUSIO IV.

SAcrificium Miſſæ remittit ex opere operato juſtis tam vivis quàm defunctis pœnas temporales, peccatis remiſſis debitas, idque immediatè.

Dixi: Juſtis; quia injuſtis, utpote inimicis, nulla fit pœnarum remiſſio.

Dixi etiam: Pœnas temporales; quia ſemper remittitur pœna æterna, ubi remittitur culpa, nempè mortalis, qui veniali tantùm debetur temporanea.

Prob. 1. Pars; Concluſ. Hoc ſacrificium, ſicut & ſacrificium Crucis eſt ex ſe maximè ſatisfactorium, cùm hoc habeat independenter à bonitate & devotione ſacrificantis, ut patet ex principio Quæſtionis; ergo ex ſe, ſeu ex opere operato ſatisfacit pro iis, pro quibus inſtitutum eſt: atqui inſtitutum eſt pro vivis & defunctis (nam *Si quis dixerit*, inquit Trident. ſeſſ. 22. can. 3. *Miſſæ Sacrificium ...... neque pro vivis & defunctis ...... offerri debere; Anathema ſit*) ergo ex opere operato prò illis ſatisfacit, quando eis applicatur, & conſequenter eodem modò pœnas eorum remittit; cùm non poſſit pro illis ſatisfacere, niſi pœnas delendo.

Prob. 2. Pars: Jejunia, eleemoſynæ, orationes, &c. delent immediatè dictas pœnas, ut docet Catechiſmus Rom. p. 2. cap. 5. qu. 6. in quantùm per illa ſatisfactio operi correſpondens applicatur juſtis tam vivis quam defunctis per modum ſolutionis, ſicut ſatisfactiones Sanctorum, quæ ſunt in theſauro Eccleſiæ, applicantur per Indulgentias: ergo à fortiori id facit immediatè ſacrificium, cùm, ut diximus, ſit præſtantiſſimum & efficaciſſimum orationis genus: undè Trident. in principio ſeſſ 25. aſſerens animas Purgatorii fidelium ſuffragiis adjuvari, addit: *Potiſſimum verò acceptabili Altari ſacrificio.*

Prob. Specialiter pro defunctis: Animæ in Purgatorio exiſtentes non poſſunt per actus ſuos pro pœnis ſuis ſatisfacere; aliàs poſſent ſeipſas inde liberare: ergo cùm per ſacrificium juventur, id eſt, earum pœnæ minuantur, aut tollantur, debet id immediatè præſtare: ſi autem id immediatè præſtet defunctis, quidni & vivis, cùm Trident. ſeſſ. 22. cap. 3. non diſtinguat inter hos & alios?

An autem hic affectus ſit infallibilis? Affirmant DD. reſpectu vivorum: ſed idem dici debet reſpectu defunctorum, cùm ad utroſque æqualiter ſe extendat poteſtas Chriſti, qui ſacrificium hoc inſtituit tam pro defunctis, quàm pro vivis.

CONCLUSIO V.

POteſt ſacrificium Miſſæ impetrare nobis bona, non tantùm ſpiritualia, ut temperantiam, humilitatem, &c. ſed etiam temporalia, ſed ad ſalutem relata, ut pacem inter Principes, fructus terræ, &c.

Prob. ex Trident. ſeſſ. 22. can. 3. ubi definitur hoc ſacrificium, *pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus* nota, *offerri debere*. Verum quidem eſt, quòd Concilium non loquatur ibi expreſſè de neceſſitatibus temporaneis, ſed ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Præterea licet id omne per ſacrificium petere, quod licèt per orationes ab Eccleſia inſtitutas: ſed per illas, imò & per orationes privatas, poſſumus petere pluviam, ſerenitatem, ceſſationem peſtis, morbi, & famis, & alia hujuſmodi bona temporalia: ergo & per ſacrificium: undè Chryſoſtomus Homil. 77. in Joan. *Pro terræ, mariſque, & univerſi orbis fructibus ſacrificamus.*

Dixi: Bona temporalia ad ſalutem relata; quia ſicut Chriſtus non eſt mortuus pro rebus temporalibus ſine reſpectu ad ſpiritualia; nec videtur pro illis offerendum Sacrificium, ut docet Vaſquez, cui tamen contradicit Lugo; nec improbabiliter, cùm illius reſtrictionis non meminerit Concilium ſuprà.

Notandum tamen 1. Cùm ſæpè in petitionibus noſtris cœcutiamus, poſtulantes aut ſaluti noxia, aut Divinæ Providentiæ ordini contraria, non ſemper impetrari nobis per Sacrificium id præcisè, quod petimus, non defectu ſacrificii, cùm ſit ex ſe ſufficientiſſimum independenter ab omni ſacrificantis diſpoſitione, ut Deum ad cujuſlibet conceſſionem moveat; ſed quia non expedit, imò aliquando implicat, ut cùm duo ſacrificantes petunt oppoſita. Crediderim tamen debitè petentem ſemper aliquid impetrare, prout Deus judicaverit expedire.

Notandum 2. Melius eſſe ad petita impetranda Sacrificium

cium Sacerdotis boni, quàm mali; quia hic unico, ille duplici titulo potest impetrare, nempè ut Christi Minister, sicut malus, & ut Dei amicus. Etsi autem Theologi passim eximant à restitutione stipendii indignè celebrantem, eo quòd applicet fructum illum, seu portionem satisfactionis, quam tenetur applicare ut Christi Minister, est tamen ingratus admodum & Christo, & hominibus, qui ejus opera utuntur.

QUÆSTIO VI.

An fructus Sacrificii sit applicandus, & quinam ex illa applicatione participent?

ADverte 1. Triplicem assignari fructum Sacrificii: Meritorium, Impetratorium, & Satisfactorium. Meritorius est ille, quo justus sacrificans, aut Sacrificio cooperans, meretur augmentum gratiæ sanctificantis, eò quòd ponat actionem virtuosam & honestam. Hic fructus, ut potè personalis, non est alteri applicabilis, cùm solus Christus potuerit aliis de condigno mereri gratiæ augmentum. Impetratorius est, quo bona salutaria impetrantur. Et Satisfactorius, quo remittitur pœna peccatis quoad culpam remissis debita. Hunc duplicem fructum potest Sacerdos sibi & alteri applicare.

Addunt aliqui fructum expiatorium, quo nempè venialia remittuntur; sed cùm, secundùm nos, Sacrificium id non præstet immediatè, sed mediante gratia impetrata, fructus ille ad impetratorium reducitur.

Adverte 2. Juxta Scotum Quodlib. 20. tres esse fructus Impetratorii, & satisfactorii portiones, nempè Generalissimam, Specialem, & Specialissimam: quas Alii vocant Generalem, Mediam, & Specialem. Prima est, quæ obvenit toti Ecclesiæ, & principaliter Papæ, Episcopo, & aliis, quorum meminit Sacerdos, sive absentes sint, sive præsentes. Secunda est illa, quæ competit iis, pro quibus Sacerdos intendit specialiter sacrificare: illam tamen potest sibi applicare, dum pro nullo Missam celebrat. Tertia est ità propria sacrificanti, ut putent aliqui non posse alteri applicari. Verùm licèt sit illi propria hoc sensu, quòd ipsi semper obveniat in ordinaria Missæ applicatione, etiam ubi pro altero, & quidem ex stipendio, celebrat; potest tamen, si velit, illam aliis applicare; cùm sit æqualiter hujus portionis Dominus, sicut aliarum, & certe ratio, cur Sacerdoti, etiam pro alio celebranti, concedatur aliquis fructus, est quia non videtur rationabile privari sacrificantem omni sacrificii effectu: si ergo pro suo libitu velit illo carere, & amico applicare, validè & licitè applicabitur. His notatis

CONCLUSIO I.

UT fructus Sacrificii prosit iis, pro quibus Sacrificium offertur, requiritur applicatio celebrantis, non quidem actualis, sed vel virtualis, vel habitualis non retractata.

Prob. 1. Pars ex praxi Ecclesiæ, communi fidelium sensu, & Sacerdotum hac in re sollicitudine. Ratio à priori est voluntas Christi, qui voluit, ut sicut Sacerdos in ejus nomine hoc Sacrificium offert, ità in ejus nomine hujus Sacrificii fructus applicaret.

Prob. 2. Pars; quia applicatio illa non est Sacrificii confectio, sed illius fructus donatio sub conditione quòd Sacerdos sit sacrificaturus; donatio autem conditionata, licèt tantùm habitualis, sed non retractata, transit in absolutam, impleta conditione. Ex dictis

Resol. 1. Si contingat fructum nulli applicari, vel incapaci, aut non indigenti, remansurum in thesauro Ecclesiæ, undè extrahitur, quando applicatur. Hinc consultum esset Sacerdoti habere hanc intentionem conditionatam, nempè sibi aut alteri, cui magis obligatur, fructum applicandi, casu quo sit incapax, aut non indigeat ille, pro quo applicatur.

Resol. 2. Etsi fortè sit speculativè probabilis sententia eorum, qui volunt Sacerdotem ex inadvertentia fructum nemini applicantem, censeri tacitè ei, cui obligatur, applicare, non esse tamen ad praxim reducendam; quia non satisfit debito certo per resolutionem incertam.

Resol. 3. Quòd obligatus ratione stipendii, beneficii, aut superioris mandati applicare Missam Petro, possit validè (non tamen licitè) illam applicare Paulo. Ratio est; quia nec Ecclesia, nec superiores possunt irritare illa, quæ jure Divino sunt annexa Ordini sacerdotali. Quandonam autem fieri debeat illa applicatio? Quot capita, tot opiniones. Conveniunt quidem omnes faciendam esse ante finem sacrificii, adeoque illo peracto, invalidam esse; sed disconveniunt quandonam in Missa fieri debeat. Aliqui volunt satis esse, si fiat in Consecratione, aut paulò ante: Alii, si ante Memento defunctorum: Alii, si ante Communionem; sed cùm dixerimus essentiam sacrificii consistere in Consecratione, omninò tenendum est fieri debere ante illam. Imò in praxi curandum est, ut fiat initio Missæ, ut preces & orationes etiam prosint iis, pro quibus Missa offertur.

Poterit autem applicatio Sacrificii fieri in hunc modum: *Ego intendo celebrare hanc Missam pro iis, pro quibus teneor specialiter offerre ex postulatione N.* Superiores autem, generatim Missas suorum inferiorum applicantes, poterunt hoc modo; *Ego omnes Missas ad meam intentionem celebrandas applico illis, pro quibus teneor applicare, & quidem eo modo gradu, & ordine, quo secundùm D. am obligor.*

Petes: An liceat applicare Missam pro eo, quem *Deus* novit primò petiturum?

Resp. Neg. Quia fieri potest, quòd primò petiturus non indigeat nunc missa, qua tunc indigebit; imò quod nunc sit incapax fructus satisfactorii ratione peccati, cujus tunc capax erit: undè hunc abusum tanquam periculosum, scandalosum, ac antiquissimæ Ecclesiæ praxi contrarium condemnavit S. Cardinalium Congregatio anno 1605. sub Clemente VIII.

CONCLUSIO II.

OMnes & singuli, pro quibus Sacrificium offertur, participant de illius fructu, si non ponant obicem.

Prob. Quia pluribus applicatum, non est ratio cur secundùm se potiùs prosit uni, quàm alteri: ergo prodest omnibus: unde sicut Christus profuit omnibus, pro quibus illud obtulit; ità & Sacerdos, qui gerit personam illius; alio modo tamen Christus, & alio modo Sacerdos. Ex dictis.

Resol. 1. Ex fructu cujuslibet Sacrificii participare ipsum Ecclesiæ corpus per modum impetrationis v. gr. obtinendo Præsules dignos, pacem inter Christianos, Religionis augmentum, Hæresis extirpationem, aut quid simile.

Resol. 2. Etiam participare omnia & singula Ecclesiæ membra, fructus recipiendi capacia: quidquid contradicant aliqui. Patet ex Trid. sess. 22. cap. 6. ubi dicit Sacerdotem celebrare, *non tantùm pro se, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Christi corpus pertinent:* undè membra viva participant de fructu impetratorio & satisfactorio; mortua autem, id est, peccatores, de impetratorio solùm.

Resol. 3. Sacrificium procurantes, illi inservientes, assistentes, &c fructum majorem vel minorem ex eo percipere, idque infallibiliter, ut conceditur passim, prout magis vel minùs ad illud concurrunt.

Resol. 4. Ex Scoto Quodlib. 20. art. 1. & ex sententia communiori, Sacrificii fructus etiam obvenire singulis Ecclesiæ membris ex opere operato, & infallibiliter; cùm nulla sit ratio cur potiùs his fallibiliter obveniant, quàm Sacrificium procurantibus: & certè si non obvenirent infallibiliter vel defectu ipsius sacrificii, vel defectu applicationis ex parte sacrificantis: Non primum: quia contrarium insinuat Hostia oblata, quæ est infiniti valoris. Non etiam Secundum; quia non minùs applicat Sacrificium suum pro singulis Ecclesiæ membris, ac pro specialiter postulantibus, cùm in Offertorio dicat: *Suscipe, &c. Sed pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis.* His quidem applicat per intentionem generalem, illis per specialem: sed hoc facit, ut major fructus obveniat aliquibus, aliis minor, non autem ut aliquibus infallibiliter, aliis fallibiliter.

Dices cum Bosco & Herinx. Si hoc esset, obvenirent quotidie cuilibet fideli innumera gratiarum auxilia, ac innumeræ detraherentur pœnæ temporalis partes, cùm innumera quotidiè offerantur sacrificia: Hoc autem non apparet verisimile. Sed

Contra est, quòd nullibi legatur per unum Sacrificium unum impetrari auxilium: & licèt hoc fieret respectu celebrantis, procurantis, aut assistentis; potuit tamen Deus respectu aliorum determinasse unicum pro mille Sacrificiis, plùs minusve. Quantùm ad pœnas temporales, dici potest tot partes dimitti, quot offeruntur Sacrificia, sed ita exiguas, ut fortè centum millia non æquivaleant parti, quam recipit sacrificans, aut sacrificium procurans: & sic vitantur inconvenientia illa apparentia.

Resol.

Resol. 5. Sacerdotem excludentem vel unicum Ecclesiæ membrum in sua applicatione, sive ex odio, sive ex inimicitia, sive ex alio prætextu, graviter peccare contra Charitatem, & obedientiam Christo, & Ecclesiæ, debitam, qui volunt ut sacrificij, fructus omnibus applicentur.

QUÆSTIO VII.

An fructus hujus Sacrificii sit infinitus?

Loquimur hic de fructu sacrificii independenter ab offerentium, aut eorum pro quibus offertur, devotione majori aut minori, dummodò sint ad illum dispositi: id est, pro obtinendo fructu satisfactorio, sint in gratia; quia de fructu, qui crescit crescente devotione, dicemus Quæst. seq. Sed aute resolutionem

Adverte 1. Fructum hujus sacrificii posse dici infinitum dupliciter. Primò intensivè, ut si remittatur alicui pœna infinita, aut conferatur infinita gratia. Secundò extensivè, ut si remittatur pœna finita infinitis hominibus, vel actu, & fructus diceretur infinitus categorematicè; vel potentia, id est, pluribus & pluribus in infinitum, & dicetur infinitus sincategorematicè. De fructu extensivè infinito sub hac duplici consideratione hic quærimus.

Adverte 2. Considerari posse fructum sacrificii vel per respectum ad offerentes, vel per respectum ad eos, pro quibus offertur. His notatis

CONCLUSIO I.

Fructus Sacrificii per respectum ad offerentes, sive primarios, ut Sacerdotes, sive secundarios, ut assistentes, potest dici infinitus sincategorematicè, id est, major & major, si plures & plures fuerint offerentes.

Ratio est; quia fructus proportionatur offerentium concursui: ergo quò magis augetur, vel multiplicatur ille concursus, eò magis augetur & multiplicatur fructus: undè singuli tantum fructum obtinent, quantum obtinerent, si soli in suo ordine offerrent; & ideò non minorem fructum recipiunt Neo-mystæ consecrantes cum Episcopo (si verè consecrent) ac si singuli consecrarent seorsim, sicut nec minorem habent mille Assistentes Sacrificio, quàm si quilibet assisteret solus. Cujus ratio ulterior est, quòd multiplicatis offerentibus multiplicentur & oblationes.

Dices: Procurantes celebrationem Sacrificij dicuntur offerentes: sed viginti procurantes unum Sacrificium, non tantum fructum recipiunt, quantum reciperent, si quilibet solus sacrificium procuraret: ergo non augetur fructus, ubi augentur offerentes.

Res. Dist. Conf. Non augetur fructus, ubi augentur offerentes æquè concurrentes ac si essent soli: N. secus: C. sed de prioribus intelligitur Conclusio.

CONCLUSIO II.

Fructus Sacrificii per respectum ad eos, pro quibus offertur, nec categorematicè, nec syncategorematicè est infinitus, sed simpliciter finitus & determinatus; adeoque si pro multis offeratur, minuitur in singulis. Ita Scotus Quodlib. 20. estque communior inter DD.

Ratio à priori est Christi institutio, quæ videtur ita facta, ut uni oblationi respondeat determinatus effectus v. gr. decem gradus satisfactionis, decem gratiæ auxilia, qui omnes effectus applicari possunt vel uni, vel pluribus; ita tamen ut si pluribus applicentur, inter illos dividantur. Hanc autem esse Christi voluntatem declarat D. Thom. 4. Dist. 45. art. 4. Quæstiun. 3. ad 2. docens, quòd quamvis hoc Sacrificium infinitam contineat virtutem, illam tamen limitari ad determinatum effectum. Confirmat praxis Ecclesiæ plura Sacrificia non solùm pro diversis, sed etiam pro eodem sive vivo, sive defuncto offerentis. Insinuat anxia Sacerdotum sollicitudo tot Missas exonerantium, quot personis, etiam sine stipendio se obligarunt. Arguit universalis fidelium consensus, qui putant majorem sibi fructum provenire, si plures Missas sibi applicari procurent, quàm si unicam. Deindè vel Sacerdos applicat suum sacrificium pro omnibus omnino fidelibus vivis & defunctis, vel non: si non, peccat contra Charitatem ipsos privando fructu infiniti valoris, quem facilè potest ipsis obtinere: si sic, decipiuntur procurantes pro se offerri; quandoquidem omnibus applicatum, prosit omnibus æqualiter.

Accedit, quòd immeritò hanc propositionem condemnasset Alexander VII. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre*: quòd antea prohibuerat S. Cardinalium Congregatio, & Urbanus VIII. anno 1625. quia æquè prodest unicum ac plura.

Dices 1. Fraudari justitiam; quia plures orationes leguntur in duabus Missis, quàm in una. Sed

Contra est, quòd propositio condemnata expressè innuat fieri contrà justitiam; quia non offeruntur plura Sacrificia, quæ præsertim, intenduntur à ministrantibus stipendium.

Dices 2. Cum Vasquez tunc violari justitiam, quia justitia non patitur, ut Sacerdos, qui sustentationem diurnam accepit ab uno, accipiat & ab altero. Sed

Contra est, quòd his celebrans in die ex justa causa, accepto pro prima Missa stipendio, licite aliud accipiat pro secunda, imò & pro tertia in die Natalis Domini. Deindè si ideò tantùm peccaret contra justitiam, posset saltem pro Missa quam Deo vovit, aut amico liberaliter promisit, stipendium accipere; quod est contra sensum communem.

Prob. specialiter Conclusio de fructu impetratorio; quia etsi dignitas rei oblatæ, utpotè infinita, sit de se sufficiens ad impetrandum quodlibet beneficium, ejus tamen efficaciam limitavit Deus ad normam orationis: quod colligimus ex eo, quòd toties in tot locis, & à tot personis voluerit repeti; orationem autem minùs prodesse pluribus, quàm uni sententia est communis; quia, ut ait Scotus Quodlib. 20. n. 4. *Actio impetrantis debet esse proportionata rei, quæ petitur: non est autem æque proportionata multis ac uni: quia hoc ipso ipsa res petita major est, & sic variatur proportio.* Deindè talis est mens fidelium, qui pro pluribus beneficiis impetrandis plura curant fieri Sacrificia.

Objic. 1. Multiplicantur fructus, ubi multiplicantur offerentes; ergo etiam ubi multiplicantur ii, pro quibus offertur.

Res. Neg. Conf. Disparitas est quòd in primo casu multiplicentur oblationes non in secundo.

Objic. 2. Legitur ex Hieronymo Cap. 24. de Consecr. Dist. 5. *Dum igitur pro cunctis animabus Psalmus vel Missa dicitur, nihil minus quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.*

Resp. Verba illa (quæ utuntur sola authoritate Gratiani, cùm teste ipso Vasquez, nec apud Hieronymum, nec apud alium Authorem probatum inveniantur) intelligenda esse respectu legentis, non autem respectu eorum, pro quibus legitur Psalmus aut Missa; cùm falsum sit lectionem Psalmi æquè prodesse multis ac uni.

Objic. 3. Sacrificium infinitis hominibus (si darentur) applicatum, prodesset singulis; ergo ejus fructus est infinitus.

Res. Neg Ant. Tunc enim nulli prodesset, sed ejus fructus in thesauro Ecclesiæ poneretur: nam cùm ratione suæ finitudinis, non possit esse omnibus proficuus, nec sit ratio, cur uni potiùs prosit, quàm alteri, proderit nulli.

Obj. 4. Res oblata est infiniti valoris: ergo & oblatio.

Res. Neg. Conseq. Aliàs etiam oblatio B. Virginis Filium suum in Templo offerentis, fuisset infiniti valoris: igitur non tam ex re oblata, quàm ex offerente sumitur valor oblationis: hic autem offerens immediatus est Sacerdos; offert quidem in persona Christi, sed cùm à Christi persona non Deificetur ejus oblatio, ita nec infinita redditur.

Nec replices Christum esse offerentem principalem; quia oblatio hujus Sacrificii, prout nunc à Christo procedit, nec est meritoria, nec satisfactoria; cùm Christus nunc, quia extra statum viatoris, nec mereatur, nec satisfaciat: undè hujus Sacrificii fructus habetur ex Christi meritis præteritis, quæ ipsi limitatè applicuit, ut satis declarat Ecclesiæ praxis, & patet ex dictis.

Obj. 5. Si unica aspersione baptizarentur plures, quilibet tantam reciperet gratiam, quantam si baptizaretur solus: ergo similiter.

Resp. Disparitatem esse, quòd, multiplicatis baptizatis, multiplicentur & Baptismata; non multiplicetur autem sacrificium ob multiplicationem eorum, pro quibus offertur.

Obj. 6. Sacrificium crucis est infiniti valoris: ergo & sacrificium Missæ.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Christus, qui voluit tantùm semel mori, etiam unico crucis sacrificio voluerit omnia impetrare: è contrà quia voluit Missæ sacrificium multiplicari, etiam voluit per illud merita suæ Passionis per partes applicari.

Adver-

Advertendum tamen primò ex Herinx, quòd licèt fructus applicatio fit alicui debita ratione stipendii v. g. possit tamen ratione probabilitatis sententiæ appositæ idem Sacrificium offerri pro obtinendo aliis fructu impetratorio, imò & satisfactorio per secundam applicationem conditionatam, si id fieri possit sine præjudicio prioris obligationis. hocque est in praxi consulendum, cùm possit aliquibus prodesse, & nulli nocere.

Advertendum secundò, quando constat dantes stipendium, tantùm fructum satisfactorium intendere, quod accidit, quando quis per testamentum reliquit Missas pro animæ suæ requie exonerandas, posse Sacerdotem tuta conscientia fructum impetratorium sibi aut alteri applicare, sine tamen novo stipendio, cùm hoc non detur pro fructus applicatione, ut dicemus infra.

Advertendum tertiò, etiam tenentes sententiam nostræ Conclusioni contrariam, non posse licitè pro pluribus stipendiis unicum Sacrificium offerre, tum propter Ecclesiæ prohibitionem, tum quia non satisfit debito certo per solutionem incertam.

QUÆSTIO VIII.

An crescat hujus Sacrificii fructus; crescente Offerentium, aut eorum, pro quibus offertur devotione?

CONCLUSIO UNICA.

UBi crescit offerentium, aut eorum, pro quibus offertur, devotio, probabile est etiam crescere in ipsis fructum Sacrificii, sive satisfactorium, sive impetratorium.

Prob. 1. authoritate D. Thomæ 3. p. qu. 79. art. 5. ubi ait: *Quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendam pro omni pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundùm quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna*: quod confirmat Conclusionem præcedentem.

Prob. 2. Ratione; quia omninò credibile est Deum, qui pro conferendo Sacramentorum effectu respicit ad suscipientium devotionem, ut suo loco diximus, hic etiam idem facere conferendo fructum majorem magis disposito, minorem minùs disposito.

Confirm. Ideò auget Deus gratiam in Sacramentis proportionatè ad augmentum devotionis, ut augeatur veneratio & reverentia erga Sacramenta: sed non minorem, imò majorem requirit erga Missæ Sacrificium venerationem: ergo ad hunc finem auget etiam fructum Sacrificii.

Dices: Fructus satisfactorius, seu pœnæ remissio, fit per modum puræ condonationis, sine collatione alicujus positivi; sed ad talem condonationem non dantur dispositiones, quarum una sit melior altera; cùm nulla forma sit introducenda: ergo.

Resp. dist. Min. Non dantur dispositiones in ordine ad alicujus introductionem: C. in ordine ad movendum Deum: N. Et certè si hic partim moveatur à dispositione hominis ad remittendam pœnam, cùm illam non remittat peccatori, ut diximus: quidni moveretur ad majorem pœnæ remissionem à majori offerentis, aut ejus, pro quo offertur, dispositione? Ex hac Conclusione.

Resol. Hoc esse discrimen inter pœnæ remissionem provenientem ex thesauro Ecclesiæ per Indulgentias, & illam, quæ obtinetur per Sacrificium, quòd prima determinetur per solam intentionem Pontificis applicantis; ita ut si concesserit 20. annos Indulgentiarum, 20. annos recipiat & magis & minùs dispositus: Secunda verò commensuretur recipientium devotioni; & ideò Sacerdos applicans Sacrificium, non determinat hujus fructum.

QUÆSTIO IX.

Quandonam sit licentia celebrandi, & quandonam obligatio?

CONCLUSIO I.

LIcitum est celebrare quotidiè, excepto die Parasceves: & Sabbatho Sancto. Patet ex cap. *Consuluisti* de celebrat. Miss. & ex universa Ecclesiæ praxi.

Dixi 1. Excepto die Parasceves; quia: juxta communem, & receptum Ecclesiæ sensum, grave est peccatum illo die sivè publicè, sivè secretò celebrare: & patet ex Can. Sabbatho 13. de Consecrat. Distinct. 3. Imò dicitur hæc Traditio descendere ab Apostolis, qui ob mortis Christi memoriam, prohibuerunt illo die sacrificare, & ideò illius diei Cæremonia non est Sacrificium, sed Sacrificii diei præcedentis consummatio. An autem ipso die etiam prohibeatur Laicalis communio? Non est ita certum; cùm verba Canonis sonent celebrationem, & non communionem: undè debet unusquisque Ecclesiæ suæ morem servare.

Dixi 2. Et Sabbatho Sancto; quia in eodem Can. eadem est prohibitio pro Sabbatho Sancto, ac pro die Parasceves: & licèt consuetudo videatur ei aliquamdiu derogasse; nihilominùs emanavit anno 1690. 11. Febr. decretum Sacrorum Rituum Congregationis ab Alexandro VIII. approbatum, dictam consuetudinem evertens his verbis: *Celebrationem quoque Missarum dicta die Sabbathi S. omninò prohibendam in quibuscumque Ecclesiis & Oratoriis privatis, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, & unicam Missam Conventualem, una cum officio ejusdem Sabbathi celebrandam fore præcepit.*

Quoad Feriam V. in Cœna Domini, certum est licitam esse celebrationem, sivè solemnem, sivè privatam; cùm nullum sit Decretum hoc prohibens, saltem usu receptum. Imò id fieri posse expressè declaravit S. Rituum Congregatio anno 1692. 13. Sept. ubi statuit Festum S. Joseph incidens in illud diem, quoad Officium quidem esse transferendum, non tamen quoad obligationem Missam audiendi, & ab operibus servilibus vacandi; & ideò subdit: *Per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Missæ privatæ ante celebrationem solitæ Missæ Conventualis celebrandæ, pro præcepti adimplemento non desint.*

CONCLUSIO II.

OMnes & singuli Sacerdotes tenentur aliquandò in vita celebrare, idque sub peccatu mortali, nisi eos impedimentum excuset. Ita DD. passim contra Alensem, Palatium, & alios, maximè Antiquiores.

Prob. 1. Ex illis verbis Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, non tantùm dedit potestatem sacrificandi, sed etiam obligationem imposuit, ut testatur Trident. sess. 22. cap. 1. dicens Christum præfatis verbis *ut offerrent præcepisse*.

Dices 1. Hoc præceptum pertinere ad solam communitatem, & non ad singulos Sacerdotes. Sed

Contra est, quòd non dicat Tridentinum referens Christi præceptum: *Eorumque in Episcopatu, aut munere Apostolico*, sed *Eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse*, ut insinuet hoc præceptum omnes & singulos Sacerdotes afficere, & non tantùm eos, quibus incumbit cura communitatis: & certè si afficiebat omnes Apostolos, ut certum est, quidni afficeret omnes eorum in sacerdotio successores; cum Trident. eodem modo loquatur de his, ac de illis? Unde sicut quando præcipiebat Christus Apostolis sacrificare, non tantùm præcipiebat, ut id fieret in communitate, cui præessent, sed ut ipsimet facerent; ita & similiter respectu sacerdotum.

Dices 2. Loquitur Trident. de præcepto in Ecclesia manifesto; nam subdit: *Uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit*, sed non erat manifestum hanc inesse obligationem singulis sacerdotibus, cùm Theologi, etiam celeberrimi contradicerent: ergo. Accedit quòd non soleat Concilium controversia inter Catholicos definire.

Resp. Neg Min. Quia pauci Theologi antiquiores in contrarium citati, negabant quidem hanc obligationem *vi institutionis Eucharistiæ*, ut D. Thomas, aut *vi Officii sacerdotalis*, ut alii, non tamen *vi præcepti Divini*. Imò Richard. contra nos citatus nobis adhæret 4. dist. 13. art. 2. q. 2. teste Amicu. Alensis verò ventilat quidem utramque partem, sed de suo resolvit. *Dicendum igitur, quòd nec omninò est desistendum ab immolatione neque* &c.

Prob. 2. Conclusio ex eodem Trident. sess. 23. de Reform. cap. 14. *Caret Episcopus, ut Sacerdotes, saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus . . . . . . Missas celebrent:* Certè mirum esset, si nunquam tenerentur, quòd hanc curam Episcopis imponeret Concilium. Ad fidelium, inquis, commoditatem. Sed nunquid etiam tenentur ad Missam fideles Festis non ita solemnibus? Scio, ut praxis declarat, non toties obligari ad celebrationem, sed etiam scio Concilii circa hoc sollicitudinem innuere aliquam obligationem.

Prob. 3. Ex eo quòd Pius V. immediatus Tridentini exe-

executor, opinionem Cajetani tenentis trausgressionem hujus obligationis, tantùm esse venialem, jusserit ex ipsius Commentariis expungi quasi indignam, quæ doceretur. Nec replices fuisse abrasam quia contrariam D. Thomæ, cujus Commentatorem agebat ille; quia an obligatio illa sit gravis aut levis, non determinat expressè S. Doctor, verba illius suut p. 3. qu. 82. art. 10. *Undè Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licèt omninò à celebratione cessare.*

Dices 1. S. Hieronymus ex obedientia sacerdos factus, nunquam ausus est celebrare, sicut nec quidem pii sacerdotes in Eremo commorantes.

Resp. Vel ex iuspiratione Dei in lege sua dispensantis hoc fecisse; vel bona fide credidisse, præceptum illud non respicere indignos, quales se ex humilitate existimabant.

Dices 2. Non peccat Diaconus, si nunquam cantet Evangelium, ergo nec sacerdos, si nunquam sacrificet.

Resp. Quidquid sit de Diacono, de quo suo loco, aliud esse de sacerdote, propter positivum Christi præceptum.

Dices 3. Quia tenentur aliquando fideles ex Christi præcepto indeterminato commuuicare, determinavit illud Ecclesia ad singulos annos: ergo si ex simili præcepto tenerentur aliquando sacrificare sacerdotes, etiam tempus determinasset.

Res. Dist. Ant. Ideò præcisè: N. aliàs actus Fidei, Spei, & Charitatis indeterminatè à Deo præceptos, etiam ad certum tempus determinasset. Ideò & quia congruebat ad majorem Festi Paschalis solemnitatem, ut quia iu illo comedebant Judæi aguum anniculum, in eo comederent Christiani Agnum immaculatum: C.

Quoties autem teneatur simplex sacerdos celebrare, ut vitet peccatum mortale? incertum est. Alii volunt semel in anno: alii ter, alii quater, alii pluries. Crediderim ego teneri ad minimum quinies aut sexies, aut fortè etiam singulis mensibus, cùm sit Mediator inter Deum, & populum, & aliundè *Sacerdos legitimè non impeditus*, inquit V. Beda in cap. 2. Act. Apost. *celebrare prætermittens, privat, quantùm in se est, B. Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, Peccatores venia, Justos subsidio & gratia, in purgatorio existentes subsidio & refrigerio, Ecclesiam speciali Dei beneficio, & seipsum medicinæ remedio.* Decebit autem id fieri in Festis solemuioribus, ad majorem populi ædificationem. Imò quamcumque sententiam teneat Sacerdos, debet semper vitare scandalum, quod ex ejus pigritia posset evenire.

QUÆSTIO X.

Quid dicendum de obligatione Pastorum, Prælatorum, & Beneficiatorum?

CONCLUSIO I.

PAstores & alii curam animarum gerentes obligantur sub gravi peccato toties per se vel per alios Missam celebrare in loco ordinario, quoties obligantur subditi illam audire. Hoc indicat Tridentinum sess. 23. cap. 14. dicens illos tam frequenter debere Missas celebrare, ut muneri suo satisfaciant.

Prob. Quia illa sunt correlativa: Tenentur subditi ex præcepto sacrum audire: ergo tenetur aliquis illud facere. Quis autem tenebitur nisi ille, qui ad hoc stipendium & sustentationem accipit? Sed nunquid etiam aliquando tenetur diebus feriatis? Affirmat Vasquez, quia, ut ait, si teneantur Parochi confessiones suorum ex sola devotione factas audire, quidni, ut eorum devotioni satisfaciant, aliquando celebrare? Undè D. Borromæus in Conc. Mediol. I. de frequenti Sacrif. oblat: *Tridentini etiam Concilii authoritatem secuti, præcipimus Sacerdotibus*, &c. *Curatis verò ut præterea ter in Hebdomada, aut eò etiam sæpius, quò vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorem Divini Sacrificii usum postulabit.*

An autem teneantur aliquando Missas pro subditis specialiter applicare, etiam secluso fundationis, eleemosynæ, consuetudinis, aut statuti titulo? Negat Tamburinus, negat & Diana; quia, ut ajunt, non apparet sufficiens fundamentum illius obligationis imponendæ; sed nunquid sufficiens præbet Trident. sess. 23. cap. 1. his verbis: *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro iis Sacrificium afferre?* Intelligi potest Concilium, inquis, de applicatione generali, sicut offertur pro omnibus circumstantibus. Sed contorta est Responsio tua; cum plus debeat ovibus propriis, quàm alienis: undè concludendum est quandoque pro illis ad applicationem specialem teneri: non tamen omnibus diebus Dominicis & Festis, ut volunt aliqui, hoc fundamento nixi, quòd tunc teneatur celebrare ratione Officii; quasi verò non posset quandoque obligare Officium ad celebrandum, propter solam assistentium commoditatem: & certè tenetur Pastor infirmum communicaturus, Sponsos benedicturus, aut mortuos inhumaturus, celebrare, an propterea Missam applicare sine stipendio?

CONCLUSIO II.

IN Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Regularibus tenentur Superiores curare, ut singulis diebus celebretur Missa Conventualis. De Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis patet tum ex praxi ubique recepta, tum ex Cap cum creatura de Celeb. Miss. ex quibus idem colligitur de Regularibus. Ita Portel. in Dubiis Regularium V. Missa, num. 7. illa autem obligatio est gravis, semperque obligat juxta Scoto & Suarez, nisi justa causa excuset. Et ideò curare debent Superiores, ut quando Missa votiva de Sancto, aut de Requiem, cantatur, Conventualis propterea non omittatur. Parum autem refert, sive in Altari majori, sive in minori celebretur, quamvis melius sit in majori.

CONCLUSIO III.

BEneficiatus, seu Capellanus obligatus ex fundatione quotidiè Missam celebrare, nunquam potest illam omittere, si fundatio sit annexa capellæ: secùs si sit annexa soli personæ. Censetur autem annexa Capellæ, seu Ecclesiæ, si fundator dixerit: *Volo ut in tali loco quotidiè celebretur, vel instituatur Capellanus, qui quotidiè per se, vel per alium celebret.* Censetur verò annexa personæ, ubi principaliter iutenditur, sustentatio pauperis Sacerdotis.

Prob. 1. Pars Conclus. Quia tunc absolutè intenditur Missa quotidiana, & ideò impeditus Cappellanus sive morbo, sive absentia, sive aliundè, tenetur per alium supplere.

Prob. 2. Pars; quia cùm Fundatores præsertim in favorem Capellani Capellaniam instituerint, non censetur voluisse cum ipso ita rigorosè agere; & ideò ipsum non condemnarem, si semel in mense aut quindena ex reverentia, aut ex alia rationabili causa non celebraret. Sed quid si ægrotaret? Distinguendum puto: vel enim longus est morbus, aut frequens, & tenetur per alium, ne Fundator privetur sua intentione: vel brevis & rarus, & non tenetur; quia præsumitur talem fuisse Fundatoris mentem, qui noluisset aliter cum famulo suo agere. Imò permittunt ipsi aliqui ex benignè interpretata Fundatoris voluntate ter aut quater in anno, pro se & parentibus defunctis celebrare; nunquam tamen pro stipendio.

Petes, An si Fundator addixerit Missas certo loco, aut certis diebus, teneatur Capellanus præcisè illo loco, vel illo die celebrare?

Resp. Teneri, si propter causam specialem id fecerit, aliàs non: mutatio tamen diei, secluso præjudicio tertii, non videtur quid notabile; secùs mutatio loci; quamvis si raró fiat, possit etiam excusari à mortali, imò & à veniali, si accedat causa rationabilis, v. gr. si Altare designatum jam sit occupatum, nec possit Sacerdos ob urgens negotium expectare; quia rationabiliter præsumi potest, quòd id permitteret Fundator, si viveret, præsertim cùm mutatur solum Altare, non Ecclesia.

An autem sit mortale celebrare alibi, quando petitur Missa in Altari Privilegiato? Nihil resolvunt Authores: multùm tamen inclinor ad affirmandum; quia videtur fieri injuria non modica tum petenti, tùm illis, pro quibus petitur.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Quandonam incipiat, & finiatur tempus celebrandi, & an id sæpius liceat in die?

CONCLUSIO I.

INcipit regulariter tempus celebrationis ab Aurora, usque ad meridiem. Ita Rubricæ Missalis.

Dixi 1. Ab Aurora, id est, quando in Hemisphærio nostro apparet aliquid lucis, quod fit in diebus longioribus duabus horis cum dimidia ante ortum solis; in brevioribus, hora cum dimidia, vel circiter, sed hac in re non tam Mathematicis quàm Theologis standum est, quorum plurimi sustinent (ad id accedente consuetudine) Sacrum inchoari posse duabus horis ante ortum Solis. Cæterum tempus ordinarium una hora prævenientem, aut subsequentem, non accusarem peccati gravis; quia non videtur circumstantia illa esse tanti momenti.

Dixi 2. Usque ad Meridiem; id est usque ad horam duodecimam. Sufficit tamen, inquit Bassæus, ad servandam Rubricam, si Missa in Meridie inchoetur.

Excipiuntur ab illa Regula generali 1. Episcopi itinerantes, vel justè impediti, qui ex jure, vel consuetudine, citiùs vel seriùs possunt, vel Missam celebrare, vel permittere, ut alius pro ipsis celebret.

Excipiuntur 2. Religiosi Mendicantes, ac eorum Privilegiis communicantes, quibus permissum est duabus horis post mediam noctem celebrare; sed concessiones illæ factæ sunt vivæ vocis oraculo: una quidem legitur bullata, nempè Alexandri VI. facta Monasterio Benedictinorum de Monte Sarrato, ac postea ad totam illorum Congregationem à Clemente VIII extensa, & consequenter à Mendicantibus per communicationem participata: sed & hanc à Tridentino esse revocatam sess. 22. in Decreto *de observandis*, &c. ubi prohibetur *ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent ...... non obstantibus Privilegiis ..... quibuscumque*, tenet Sententia communior. Sed esto, adhuc vigeret, tantùm possent illa uti in suis Monasteriis, non alibi, ut patet ex Bulla Alexandri VI. Alia legitur concessa post Trident. Jesuitis à Gregorio XIII. ut possint causa itineris, aut alterius impedimenti, una hora ante Auroram, & una post Meridiem, celebrare, modò adsit licentia Præpositi generalis, aut alterius ab eo deputati.

Excipiuntur 3. Sacerdotes Belgæ, & eorum vicini, qui ex consuetudine ordinationi communi derogante, satis diu ante Auroram celebrant in hyeme.

Excipitur 4. Dies Natalis Domini, in qua post mediam noctem possunt tres Missæ, saltem privatæ, celebrari.

Excipitur 5. Casus necessitatis, quæ, ut ait Herinx, non debet esse tanta, saltem quando celebrans non excedit horam integram: undè propter Confessiones audiendas, communionem ministrandam, Exequias solemnes, Concionem celebrem, iter peragendum in die Festo, &c. potest sacrificium una hora anticipari, aut postponi, si aliter commodè fieri non possit. Imò ad dandum Viaticum moribundo, licitum est celebrare post mediam noctem.

CONCLUSIO II.

JUre ordinario semel tantùm in die licitum est Sacerdoti celebrare, si Natale Domini excipiatur (in quo est licentia, non tamen obligatio, ter celebrandi) Patet ex Cap. *Consuluisti*, de Celebr. Miss. ubi tamen excipitur casus necessitatis, qui prudenter existimari debet, attenta loci consuetudine, & praxi: undè varii casus admittebantur ab Authoribus, qui jam ob Sacerdotum abundantiam, abierunt in desuetudinem. Et certè ille solus jam videtur in usu, quando quis nempè præest duabus Ecclesiis, & alterutra privari deberet Missa die obligatorio, nisi ipse bis sacrificaret.

Crediderim tamen hoc licitum esse cuilibet Sacerdoti, dùm totus populus, aut pars notabilis, privaretur sacrificio. Qui casus frequentior esse posset in illis partibus, ubi ob hæresim non tolerantur publicè Sacerdotes, qui ideò sunt rariores. Si tamen pars populi non esset ita notabilis, non esset bis celebrandum: licèt inter illos foret Princeps, aut Episcopus: quòd enim illi non assistant Sacrificio, videtur minoris momenti, quàm sit violatio ipsius consuetudinis, quæ jam tam strictè servari jubetur ab Episcopis, qui malunt ut aliqui in pagis careant Missa, quàm quod curati bis eodem diem celebrent.

Advertendum hic 1. quòd quando tempus patitur, petenda sit licentia Ordinarii pro secunda Missa; quia licèt fortè sufficeret necessitas; varii tamen Episcopi rem sibi reservarunt examinandam. Quando autem necessitas videtur dubia, causæ insufficientiam supplere potest Episcopus per dispensationem.

Advertendum 2. In dictis casibus Sacerdotem debere esse jejunum; & ideò si in prima Missa ablutionem sumpsisset, non liceret dicere secundam, nequidem ad communicandum infirmum.

QUÆSTIO XII.

In quo loco liceat celebrare?

CONCLUSIO I.

LIcitum est celebrare in Ecclesia ab Episcopo consecrata aut benedicta, imò & in Oratorio per *ipsum Episcopum* ad hoc deputato, quamvis non benedicto. *Patet* ex Trid. sess. 22. cap. 1. Extra autem illa loca celebrare, est grave peccatum, nisi justa necessitas, dispensatio, aut privilegium excuset. Ita communiter Theologi.

Ratio est, tùm quia Materia videtur gravis; tum quia cap. *Nullus* de Consecrat. Dist. 1. sub gravi pœna prohibetur.

Dixi 1. Nisi justa necessitas excuset, qualis esset, *si Ecclesiæ fuerint incensæ & combustæ* Can. *Concedimus* de Consec. Dist. 1. Si aliqui ob justam peregrinationem, aut similem occasionem deberent privari sacrificio. Si ad parvum Sacellum tot confluerent peregrini, ut non possent in eo Sacrum audire. Si milites tantùm possint in castris, aut navigantes tantùm in littore sacrificio interesse; tunc enim sub dio, seu in tentoriis, aut alio loco honesto licitum est sacrificare dummodo adsint omnia ad sacrificandum requisita. Ubi tamen res non urget, petenda est Episcopi licentia, quam non debet, imò non potest sine necessitate permittere, ut declarat Tridentinum supra.

Dubitari posset, an etiam liceat in mari celebrare, saltem ubi longa est navigatio? Sed non videtur ratio dubitandi, ubi abest omne periculum effusionis: hoc enim solum impedimentum assignatur à Doctoribus: undè navigantibus in Indiam permissum est à Clemente VIII. & Paulo V. ut sereno cœlo, & mari tranquillo celebrent.

Sed ubi cessat omnimodè periculum effusionis, hocque exigit diu navigantium consolatio, non videtur opus privilegio, inquit Noster Marchantius; jam autem si hoc sit licitum, videtur obligatorium, ut quisque suo satisfaciat muneri: Hoc tamen sic intellige, ut non potuerit ante navigationem adiri Episcopus.

Dixi 2. Aut dispensatio; quia possunt Episcopi in domibus privatis locum aliquem determinare, qui maneat cultui Divino & sacrificio deputatus, ut patet ex Can. *Missarum* de Consecr. Dist. 1. ubi legitur *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus*. Nihilominùs ut monet D. Borromæus in Concil. Mediolan. I. *Oratoriorum ædificationem, aut usum ne facile, sed magna de causa permittant iidem Episcopi*.

Refert Gavantus in Rub. Missal. P. 1. tit. 20. ex Scortia Paulum V. hanc facultatem sibi reservasse per litteras ejus jussu ab Horatio Cardinali Lancelloto, ad Episcopos directas: sed videant Episcopi an illas perceperint, aut potiùs eorum Prædecessores.

Dixi 3. Vel privilegium, quali gaudent Episcopi itinerantes, qui possunt vel Missam celebrare, vel pro se celebrari permittere, etiam sub dio. Ex simili Privilegio à Sixto IV & Alex. VI. concesso, poterant FF. Minores in quocumque loco honesto cum Altari portatili celebrare, saltem ubi non contradicerent Episcopi; sed legatur Tridentinum sess. 22. in Decreto de Observandis, &c. ubi habetur: *Nevè patiantur* (Episcopi) *privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi ..... non obstantibus Privilegiis ...... quibuscumque*, & videbitur revocatum.

Scio aliquos contrarium opinari; quia nempe insertum est corpori Juris; sed cùm revocentur quoad hoc Privilegia quæcunque, & illud, licèt taliter insertum, non sit aliud quam Privilegium, apparet revocatum; sed quidquid sit,

propter

propter incertitudinem, non est practicandum. Potest tamen Provincialis Mendicantium Oratorium privatum adhoc deputare in conventibus sibi subjectis, si tale privilegium PP. Jesuitis à Gregorio XIII. post Trid. concessum, sit bullatum. Legatur Suarez.

CONCLUSIO II.

Illicitum est, seclusa necessitate, celebrare in Ecclesia polluta, aut execrata, estque, juxta DD. communiter, grave peccatum.

Ratio est; quia est agere contra justam Ecclesiæ prohibitionem in re gravi, quam gravitatem nobis innuunt Rubricæ Missalis, dum præcipiunt, ut, si Sacerdote celebrante, Ecclesia violaretur, statim ipse desistat, si necdum Canonem inceperit; secus, si inceperit.

Dixi; *Seclusa necessitate*; quia illa stante, licitè in ea celebratur de licentia Episcopi, imò sine illa, si non possit facilè adiri, & aliudè privandus esset Sacrificio populus in Festo solemni, defectu alterius Altaris. Quo casu tamen non censetur Ecclesia reconciliata, sicut nec quando quis in ea bona fide celebraret, quidquid dicant aliqui; quia Ecclesia (cujus est Templum violatum reconciliare) non ordinavit ad ejus reconciliationem celebrationem Missæ.

Petes quibus casibus polluatur Ecclesia?

Resp. 1. Per copiosam & injuriosam Sanguinis effusionem, sive effundatur in strophiolo, sive in pavimento, sive intra Ecclesiam, sive extra, modo causa effusionis data sit in ea; nam si data sit extra, ipsam non polluet sanguis in ea effusus. Parum autem refert, sive vulnerans sit in Ecclesia, sive non, modò sit in ea vulneratus: non sufficeret tamen, si læsus esset in Sacristia, in Cameris adjacentibus, in Campanili, suprà tectum Ecclesiæ, in locis subterraneis, modò non esset Sepultura; quia in odiosis illa non veniunt nomine Ecclesiæ, sed sola fabrica interior à fornice, aut à tecto interiori usque ad pavimentum. Item nec sufficeret, si esset in Cæmeterio; quia licèt, polluta Ecclesia, polluatur & Cæmeterium indistans (non tamen distans cap. unic. de Consecr. Ecclesiæ in 6.) quia Accessorium sequitur suum principale; non tamen polluto Cæmeterio, polluitur Ecclesia.

Porro læsio aut percussio, ex qua sequitur sanguinis effusio, debet esse mortalis in ratione læsiva corporis: unde si pueri rixando eliciant sibi sanguinem è naribus, non polluitur Ecclesia; quia hoc ordinariè non est peccatum mortale. Idem est, si quis fortuitò in amentia, in somno, aut ad justam sui defensionem, alterius sanguinem effundat. Item si ex gravi læsione duæ tantùm aut tres guttæ sanguinis eliciantur, & à fortiori si nec sanguinis effusio, nec mors sequatur. Non assentior tamen illis, qui volunt copiosam sanguinis effusionem è naribus, etiam cùm percussione gravi, non polluere Ecclesiam, eò quòd indè facilè eliciatur; quia cùm Jus inter corporis partem & partem non distinguat, nec nos distinguere debemus.

2. Per Homicidium injuriosum sivè occiso, ut si innocens occidatur, sivè sanctitati loci, ut si Judex culpabilem vel quis seipsum occidat. Perindè est autem sivè mors immediatè, sive diu post læsionem sequatur, si ex ea sequatur.

Advertendum hic, quòd omnia, quæ diximus de homicidio, & sanguinis effusione, sint sibi invicem cum proportione applicanda.

3. Per voluntariam humani seminis effusionem in vigilia, etiam conjugalem.

Dixi 1. *in vigilia*; quia si effusio accidat in somno, licèt data sit causa in vigilia, non polluit Ecclesiam; sicut nec polluit, quando tantùm est unius aut alterius guttæ

Dixi 2. *Etiam conjugalem*; quia ubi non urget incontinentiæ periculum, non possunt conjuges, sine Ecclesiæ violatione illam in ea exercere, secùs si urgeat, & ibi remanere cogantur.

4. Per Sepulturam excommunicati vitandi, publici Percussoris Clerici, Pagani, & pueri ante Baptismum defuncti, nisi in utero matris existat, cum qua censetur quid unum; non tamen per sepulturam Cathecumeni, qui reputatur fidelis.

5. Ecclesia consecrata execratur (non tamen polluitur) quando ejus parietes vel omnes, vel ex majori parte simul destruuntur: secùs si parietibus integris manentibus, tectum & alia opera lignea corruerent, aut comburerentur. Patet ex Cap. *Ligneis*, de Consecr. Eccles.

Ratio est; quia consecratio maximè inhæret parietibus; & ideò hic casus non habet locum ubi Ecclesia solùm est benedicta, cùm benedictio inhæreat pavimento, quam ideò non aufert combustio.

Dixi 1. *Non tamen polluitur*; quia in hoc differt pollutio ab execratione, quòd pollutio respiciat Ecclesiam, ut facit quid unum cum suis Altaribus fixis, & ideò polluta Ecclesia, polluuntur & Altaria fixa (non tamen portatilia, eo quòd non videantur Ecclesiæ annexa) è contrà polluto vel unico Altari fixo polluatur & Ecclesia. Execratio autem, seu perditio consecrationis respiciat, sicut ipsa consecratio, Ecclesiam seorsim ab Altaribus, & hæc seorsim ab illa; & ideò execrato Altari, v. g per enormem fractionem, non execratur Ecclesia, sicut nec execratur Altare, ubi execratur Ecclesia per destructionem.

Dixi 2. *Simul destruuntur*; quia si parietes destruantur successivè, & successivè reparentur, ita ut nonquam partes valdè notabiles sint simul destructæ, probabile est Ecclesiam non esse reconsecrandam, sed sufficere aspersionem aquæ benedictæ; quia censetur moraliter eadem Ecclesia.

Advertendum hic 1. Per actus præfatos non pollui loca pia, quæ nec consecrata sunt, nec benedicta; quia non censentur specialiter sancta.

Advertendum 2. Ut Ecclesia censeatur polluta, causas memoratas debere esse publicas, vel per evidentiam rei, vel per probationem juridicam, vel per confessionem authoris (qui tamen non obligatur ad sui criminis manifestationem extrà judicium) undè quamdiu est ita secretum, ut non nisi à paucis sciatur, Ecclesia non censetur violata, censebitur tamen, ubi causa fiet publica.

Petes a quo reconciliari debeat Ecclesia polluta?

Resp. Ecclesiam solùm benedictam reconciliari posse à simplici Sacerdote, per aspersionem aquæ à se benedictæ, & alias cæremonias in Rituali positas; consecratam verò, reconciliari debere ab Episcopo, vel ab aliis privilegio fruentibus, quali fruuntur ex concessione bullata Leonis X. Prælati Fratrum Minorum: debent tamen adhibere aquam ab Episcopo benedictam, si non distet ultra 14. leucas, aliàs quam ipsimet benedixerunt. Iisdem concessit idem Pontifex Ecclesias suas, & Cæmeteria benedicere.

QUÆSTIO XIII.

An & quale requiratur Altare ad sacrificium, & qualis debeat esse ejus ornatus?

CONCLUSIO I.

Ad ritè sacrificandum necessarium est Altare, non ligneum, non terreum, sed lapideum, & quidem per Episcopum, aut ex commissione solius Papæ per Sacerdotem, consecratum. Ita unanimiter DD. praxim Ecclesiæ confirmantes.

Dices D. Petrus in Altari ligneo, etiam nunc Romæ asservato celebravit: ergo.

Resp. Ante S. Sylvestrum adhibita fuisse Altaria lignea, ad faciliorem tempore persecutionis transportationem, sed, reddita Ecclesiæ pace, sancitum est à præfato Pontifice, ut omnia essent lapidea, ut patet ex ejus Actis.

Porro duplex est Altare, fixum & mobile. Fixum est aggregatum quoddam ex base lapidea & lapide superiori ipsi affixo: totum simul consecratur, & ideò execratur per solam amotionem lapidis superioris à base; sicut quando lapis superior enormiter frangitur, aut ita ejus basis, ut non possit ampliùs lapidem superiorem sustinere. Aliud esset, si totum aggregatum sine fractione & separatione partis inferioris à parte superiori, de loco in locum transferretur; quia cùm tunc retineat suam formam, retinet & consecrationem. Similiter non execratur per amotionem partis superioris, quando consecrata est separatim à base, ac postea ipsi imposita, sicut nec dùm basis est lignea; quia tunc solus lapis superior habet rationem Altaris, sed tunc potiùs est mobile, quàm fixum.

Altare mobile (quod etiam portatile, Viaticum & Ara dicitur) est quod ordinariè de loco in locum transfertur: debet esse tantæ magnitudinis, ut majorem calicis & Hostiæ partem capiat sine lapsus periculo: unde perdit consecrationem, cùm ità frangitur, ut non valeat amplius illa capere; non perdit tamen, cùm separatur à ligno, cui infigitur, licèt in hoc sint Reliquiæ, cùm probabiliùs tantùm requirantur ad licitam, non ad validam, consecrationem, saltem Altaris portatilis.

CON-

CONCLUSIO II.

ALtare, juxta Rubricas, debet esse ornatum triplici tobalea seu mappa linea, una longiori, quæ totum lapidem superiorem cooperiat, & duabus brevioribus, seu una duplicata: quod in Templis bene ordinatis observatur. Ex consuetudine tamen sufficienter introducta, jam sufficit duplex, aut una duplicata. Imo si ex necessitate sit tantùm una, inquit Jacobus Marchantius, & cum eo plures alii, non videtur esse quid grave, sed tunc consulenda esset duplicatio corporalis, si esset sufficiens. Prædictæ Tobaleæ debent esse benedictæ, ut patet tum ex consuetudine, tum ex Formula in Ritualibus & Missali apposita. Harum benedictio competit Episcopo, sicut & certis Abbatibus, ac Mendicantium Prælatis ex Privilegio.

CONCLUSIO III.

NEcessarium est insuper Corporale lineum, & benedictum, quod benedictionem non amittit per lotionem, benè tamen per fractionem notabilem. Accedere debet Palla etiam linea saltem a parte calicis, & benedicta eadem benedictione qua Corporale; quia olim pars Corporalis, sicut nunc Palla cooperiebat calicem. Non esset tamen à celebratione abstinendum, si palla nec esset linea, nec benedicta; quia videtur quid leve, cùm non tangat immediatè Christi corpus sicut Corporale. Requiritur insuper Purificatorium, quod potest non esse benedictum, ut declarat Ecclesiæ praxis cum Doctoribus: undè loco Purificatorii posset quis uti strophiolo mundo, non ampliùs tamen usibus profanis applicando.

Advertendum tamen Tobaleas, Corporalia, Pallas, Purificatoria, sicut & Albas, posse esse ex canabe, aut ex gossipio; quia licèt differant physicè à lino, talæ tamen ex eis confectæ, censentur moraliter lineæ.

CONCLUSIO IV.

AD Sacrificium congruit lumen geminum, ut innuunt Rubricæ; sed sufficit unicum, juxta DD. quod debet esse ex cera, aut sebo in necessitate, in qua etiam sufficit lucerna ex oleo. Non auderem tamen condemnare peccati gravis, inquit Bosco, celebrantem, etiam sine necessitate, cum candela ex sebo, aut e lucerna ex oleo. Imò censet Discastillo melius esse celebrare cum lumine olei, quàm non celebrare defectu ceræ. Hæc tamen intellige secluso scandalo

Porrò tanta est luminis necessitas, ut, si extinguatur ante consecrationem sine spe reaccendendi, non sit absolvenda Missa ad comunicandum infirmum, ut ait Bosco, quod inde colligit, quia nunquam dispensavit Ecclesia in ullo casu, ut sacrificaretur sine lumine, & Sacerdotem, qui sine igne sacrificaverat, decernit graviter esse puniendum, Cap. ult. de Celebr. Miss.

CONCLUSIO V.

REquiri præterea Crucem docent Rubricæ Missalis: illa tamen deficiente, non esset omittenda Missa, cùm non videatur res ita gravis: imò non est opus Cruce, quando expositum est V Sacramentum. Similiter requirunt Rubricæ Antipendium, quod est decentiæ, non obligationis, saltem gravis. Sed quid de Missali? Requiri sub gravi peccato, saltem continens Canonem, communis est DD. sententia, idque ob humanæ memoriæ fallibilitatem, & materiæ gravitatem: imò nec excusant illum, qui totum memoriter perfectissimè possideret: quia equidem facilè potest in uno aut altero loco vel distrahi, vel turbari, vel decipi. Aliqui tamen volunt in illo casu tantùm esse veniale: sed quidquid sit, nunquam vir prudens id practicabit.

QUÆSTIO XIV.

Quænam præterea requirantur ad Sacrificium?

CONCLUSIO I.

HUjus Sacrificii *vasa propinqua sunt Calix & Patena*, inquit Scotus 4. dist. 12. qu. 2. nu. 14. Præcipitur autem Cap. 45 de Consecr. dist. 1. *Ut Calix Domini cum Patena, si non ex auro, omninò ex argento fiat*. Et inferiùs: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem ærugINem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo*, ob liquoris imbibitionem, *aut vitreo calice*, ob fragilitatem, *præsumat Missam cantare*. Si autem alicubi publicè contrarium practicetur, credibile est, quòd ibi consuetudo tali præcepto derogaverit. Non est tamen necesse, ut totus calix sit ex præfata materia, sed sola cuppa: pes enim potest esse ex chalybe, ferro, ære, aut alia quacumque materia non fragili.

Advertant hic Sacerdotes, quòd sicut aurum aut argentum denotat summam hujus sacrificii Majestatem, ita requirat magnam sacrificantis charitatem, ne dicatur nobis sicut in Concilio Tribur. cap. 18. legitur: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; jam è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus*.

Calix & Patena, debent esse consecrata ab Episcopo, aut alio potestatem habente: unde non sufficit, quòd quis bona fide cum eis celebraverit; quia celebratio, licèt actio maximè sacra, non est ordinata ad illorum consecrationem. Consecrationem amittunt per fractionem, quæ ipsa reddat inepta Sacrificio, ut si pes calicis fixi (non tornatilis) separetur à Cuppa. Sed quid de illorum modica refectione, aut nova inauratione? Non videntur vasa illa execrare, quidquid dicant aliqui, cum hæc maneant eadem moraliter: & certè si non execretur Ecclesia per dealbationem, aut modicam refectionem, cur execraretur calix per inaurationem, aut modicum laborem?

Ciborii, & Lunulæ in Remonstrantia benedictio consulitur juxta Antiquiores communiter; præcipitur juxta varios Recentiores, eò quòd in Rubricis Missalis reformati P. 2. §. 1. statuatur Particulas consecrandas, esse ponendas in vase mundo benedicto, ubi non ponuntur in Corporali, aut calice consecrato. Sed quidquid sit, in praxi adhibenda est benedictio, quæ sufficit facta ab eo, qui potest ea benedicere, in quibus non intervenit unctio. Quod competit ex Privilegio Guardianis nostris, & in eorum absentia Vicariis.

CONCLUSIO II.

REquiruntur præterea vestes sacræ, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta, seu Casula, omnes benedictæ ab Episcopo, vel ab eo, cui concessa est licentia Papalis, quam habent Prælati nostri, etiam locales, imò, ipsis absentibus, eorum Vicarii tum pro suis, tum pro alienis Ecclesiis, ut declarat in his locis praxis quotidiana.

Porro amittitur harum Vestium benedictio, quoties ita dissolvuntur aut minuuntur, ut non sint ampliùs idoneæ sine novo artificio, v. g. si pars anterior casulæ separetur à posteriori, Manicæ ab Alba, si Cingulum frangatur in duas partes, quarum neutra possit cingere celebrantem.

Juxta DD communiter, omittere vel unicum ex illis Paramentis, est culpa mortalis, & idem est si vel unicum adhibeatur non benedictum: Quod non dixerim de Cingulo, ob materiæ levitatem. Imò volunt aliqui non esse graviter illicitum in necessitate celebrare sine Manipulo, aut Stola, aut Cingulo. Item si adhibeatur Stola pro Cingulo, vel Manipulo, aut Manipulus oblongus pro Stola. Secundum facilè admiserim, eo quòd sit ferè eadem Stolæ & Manipuli benedictio & forma; non tamen primum, nisi populus esset privandus Sacrificio.

Advertat hic diligenter Sacrista, quòd teneatur instruere conficientes, aut reficientes prælata Ornamenta, ut quoties dissolvuntur, sint monendi Superiores pro nova benedictione.

CONCLUSIO III.

SAcrificii vasa & Ornamenta debent esse munda, nec ad usus profanos transferenda, nec à Laicis tangenda, si Christi corpus aut sanguinem immediatè tangant.

Prob. 1 pars; quia illorum munditiem clamat ratio, postulat rei sanctitas, confirmat Innocentii III. præceptum, Cap. *Relinqui noluimus*, de custodia Eucharistiæ: unde graviter peccant Sacerdotes & Sacristæ, si in Corporali enormiter sordido celebretur, licèt excusari posset Sacerdos, non tamen Sacrista, si ob gravem necessitatem id fecerit.

Prob. 2. pars; quia ubi præfata retinent formam suam, censetur fieri rebus sacris gravis injuria: undè peccarent mortaliter, qui inter prandendum uterentur Patena pro disco, Ca-

lice

lice pro vitro, Corporali pro mantili, &c. Item qui in Tragœdia profana (ſecus in ſacra) veſtes ſacerdotales adhiberent. Admittitur tamen materiæ parvitas, & ideò non peccaret graviter qui ſudorem, aut modicum ſalivæ ex ore fluentis abſtergeret Tobalea, aut Mappa. Ubi autem præfata perdunt formam ſuam, adeoque & conſecrationem aut benedictionem, non videtur grave peccatum, illorum uſus profanus decens & honeſtus, ſi abſit omne ſcandalum & contemptus, imò fortè nullum erit, ſi adſit neceſſitas, aut in uſus pauperum convertantur, modò interveniat licentia Epiſcopi. Semper tamen decentius eſt, & Canonibus conformius, illa comburere, aut aliter conſumere.

Prob. 3. pars; quia immediatè tangentia Chriſti corpus aut Sanguinem, ut ſunt Calix, Patena, Palla, Corporale, Purificatorium, &c. Videntur ſpecialem reverentiam exigere: undè Cap. 41. de Conſecr. Diſt. 1. legitur: *In Sancta hac Apoſtolica Sede ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab aliis, quàm à ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus*: undè peccant venialiter Laici & fœminæ, ſi illa tangant, ſive in Sacrificio, ſive extra: & ideò Corporalia & Purificatoria ſordida priùs lavantur à Diaconis, aut ſaltem Subdiaconis, quàm à fœminis. Datur tamen cauſa facilè excuſans, præſertim Sacriſtiæ, Altaribus, aut Miſsæ inſervientes. Imò tangi poſsunt à quolibet ſine ſcrupulo Purificatoria, Corporalia, Ciboria, Lunulæ, etiam benedictæ, antequam uſui applicentur; non tamen Calices & Patenæ, ob conſecrationem. Hæc patent ex praxi. Ab iis autem, qui ſunt majoribus initiati, aut Acolythis tangi poſsunt licitè tam in miniſterio, quàm extra: quod & facere poſsunt initiati Ordinibus Minoribus (non tamen Tonſurati) extra Sacrificium. Hæc omnia intellige, quando illa vaſa aut Ornamenta non continent actu Chriſti corpus & Sanguinem: tunc enim à ſolo Sacerdote, vel ad ſummum, à Diacono tangi poſſunt; & contrarium facere ſine cauſa, eſſet peccatum mortale; quia eſt res gravis, niſi excuſaret vera neceſſitas, aut inadvertentia.

Datum eſt à Sixto IV. Privilegium FF. noſtris Clericis & Laicis, ut poſſint tangere (cum reverentia tamen) Calices, Corporalia, &c. ſed eſt vivæ vocis oraculum.

CONCLUSIO IV.

Requiritur denique ſub gravi peccato Miniſter unus, Maſculus, non fœmina; quia jure cautum eſt, ne fœmina ad Altaris miniſterium adhibeatur: undè in neceſſitate celebrandi, v. g. pro communicando infirmo, ſi populus in die Feſto, aut ipſe Sacerdos in Feſto ſolemni, non poſſet audire Sacrum, vel ſi Miniſter poſt inchoatum Sacrum receſſiſſet ſine ſpe reditus, melius eſſet celebrare ſine Miniſtro, quàm adhibere fœminam. Poſſet tamen fœmina à longè reſpondere, ut faciunt Moniales in Choro, dummodò Maſculus, licèt Reſponſorum ignarus, porrigenda miniſtret Sacerdoti, non autem ipſe Sacerdos ſibi ipſi, ſaltem ſub veniali; niſi certè in iis locis, in quibus conſuetudo contraria eſt ſufficienter introducta ob penuriam Miniſtrorum.

CONCLUSIO V.

Celebrandum eſt detecto capite, ſed tectis pedibus.

Prob. 1. pars; ex Miſſali reformato juſſu Urbani VIII. ubi legitur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Miſſarum ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacunque contraria conſuetudine*: quod antea prohibuerat Zacharias Papa ſub pœna excommunicationis ferendæ ſententiæ cap 57 de Conſecr. Diſt. 1. Ratione tamen infirmitatis poſſet quis celebrare tecto capite, ſaltem uſque ad conſecrationem, modò abeſſet ſcandalum & contemptus, nec pateret pro diſpenſatione Papali recurſus.

Prob. 2 Pars; ex Rubricis pedes calceatos expreſsè requirentibus; ſed hoc magis eſt decentiæ, quàm obligationis; cùm Religioſi diſcalceati paſſim celebrent in Pagis ſine calceis.

QUÆSTIO XV.

An Rubricæ Miſſalis ſint obligatoriæ?

Advertendum, quòd Rubrica ut talis, nihil ſit aliud, quàm mera quædam manuductio circa ea, quæ dicenda ſunt vel facienda, rubro colore ſcribi ſolita. Hoc poſito.

CONCLUSIO I.

Rubricæ Miſſalis quatenus tales, non ſunt obligatoriæ, ſed tantùm directivæ. Patet ex earum definitione: unde ſi aliundè habeatur vel ex jure naturæ, vel Divino poſitivo, vel Eccleſiaſtico, vel certè ex conſuetudine, quòd ea, quæ ſic ſcribuntur; ſint præceptiva, non fiunt propterea obligatoria: ſicut è contrario ſi aliunde habeatur, quòd ea, quæ ſic ſcribuntur, ſint de præcepto, non deſinunt propterea eſſe obligatoria: undè Rubrica præcisè nullam obligationem ponit aut tollit.

CONCLUSIO II.

Non omnia in Rubricis obligatoria imponunt obligationem gravem; ſed aliqua gravem, aliqua levem, prout materia dictaverit, præceptum ſonuerit, aut conſuetudo introduxerit. Hinc

Reſol. 1. Aliquid addere aut omittere in Miſſa animo inducendi novum ritum, ſemper eſſe peccatum mortale. Patet ex eo quòd Pius V. in Bulla initio Miſſalis appoſita præcipiat in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut omnes celebrent juxta normam Miſsalis à ſe traditi, nec ullus præſumat alias cæremonias, aut preces addere, vel recitare, præſertim animo inducendi novam formulam. Ex quo ſequitur non eſſe hic admittendam materiæ parvitatem: & certè ſi admitteretur, deſtrueretur finis præcepti; nam, cùm intendat Pontifex graviter interdicere novos ritus, ut in tota Eccleſia ſervetur uniformitas, ſi addens, aut omittens etiam minimum quid eo animo, tantùm peccet venialiter, poterit brevi tempore fieri novus modus celebrandi ſine gravi peccato.

Reſol. 2. Aliquid addere vel omittere ex ſola devotione indiſcreta, aut ex pigritia, eſſe peccatum veniale, aut mortale juxta materiæ capacitatem, & rei ſignificationem: unde tantùm peccaret venialiter Sacerdos, ſi abſque animo introducendi novum ritum adderet in Miſsa tamquam perſona privata: *Adoramus te Chriſte*, &c. ſi diceret in Canone nomen ſui Patroni, aut, omiſso nomine ſui Epiſcopi, poneret nomen Primatis. Item ſi præteriret unum aut alterum Sanctum, aut tempore Paſchali, ea quæ interponuntur in *Communicantes*, vel in Actione. *Hanc igitur oblationem*. Similiter ſi omitteret *Gloria in Excelſis*, *Credo*, Evangelium S. Joannis in fine, unam aut alteram Orationem, quando ſunt plures dicendæ; quia illa, & ſimilia, ſecundùm ſenſum communem DD. non cenſentur ab Eccleſia præcipi aut prohiberi ſub gravi peccato, eò quòd ſint partes Miſſæ merè accidentales, & ſæpiùs in ea omittantur.

Reſol. 3. E contrà peccaturum graviter omittentem vel unicum ex ſequentibus, nempè Oblationem panis aut vini, fractionem Hoſtiæ, ejuſdem elevationem, mixtionem particulæ cum Sanguine, aquæ cum vino, Epiſtolam aut Evangelium in Miſſa privata; quia illa omnia cenſentur partes Miſſæ quaſi ſubſtantiales, eò quòd nunquam omittantur in Miſſa, & aliundè ſatis gravem habeant ſignificationem. Sed quid ſi Sacerdos non legeret Evangelium aut Epiſtolam, aut Prophetiam aliquam in Miſsa ſolemni. Non auderem condemnare peccati gravis, quia cantantur illa à Miniſtris.

Reſol. 4. Quòd licèt omnis Sacerdos deberet vacare orationi ante tremendum Miſsæ Sacrificium, ac recitare Pſalmos & Orationes, quæ in Miſsali præſcribuntur ante, & poſt Miſsam, non peccet tamen ſi illa omittat, dummodò aliundè ſit ſufficienter præparatus; quia Rubricæ illæ ſunt tantùm directivæ. Peccat tamen venialiter, ſi omittat Orationes dici ſolitas in veſtitione, aut etiam ſi abſque cauſa, quæ facilè ſubeſt, præponat Sacrum Matutino & Laudibus; quia videtur eſse talis ſenſus Timoratorum.

Reſol. 5. Celebrare Miſsas votivas, aut de Requiem in Dominica, in Feſto duplici, aut etiam in diebus prohibitis, ut in Hebdomade Majori, in Octava Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, in die Cinerum, in Vigilia Nativitatis Domini, & Pentecoſtes, ſecluſo ſcandalo, contemptu, ac animo inducendi novum ritum, probabiliùs non eſse peccatum mortale; quia nulla videtur lex graviter obligans: eſt tamen peccatum veniale, niſi juſta ratio excuſet; cùm ſit boni ordinis perturbatio.

Dixi: *Secluſo ſcandalo*, quod facilè ſubeſset, ſi quis in Dominica publicè diceret Miſsam de *Requiem*, ſaltem nullo præſente corpore ſepeliendo. Pro Coronide

Adverte 1. Si Sacerdos inter celebrandum reminiſcatur ſe aliquid certò omiſiſse, non debet poſtquam aliquantulum

processit, repetere, nisi esset de substantia, aut integritate Sacrificii, aut aliquid necessariò requisitum ad subsequentes Cæremonias, ut est fractio Hostiæ; quia omnes Missæ partes ita sunt inter se dispositæ, ut, variato ordine, inter se cohæreant; & ideò si quis per oblivionem, aut inadvertentiam omitteret *Gloria*, *Credo*, aliquam Collectam, aut legit Epistolam indebitam, aut Evangelium, non debet illa repetere, sed prosequi. Si autem dubitet, an quædam omiserit, necne, debet sub conditione ea, quæ sunt de necessitate Sacrificii repetere, non alia: debet tamen dubium esse positivum, seu debet habere rationes cur dubitet: aliàs si sit tantùm immemor, an aliquid, etiam essentiale, omiserit, nihil debet repetere, quia præsumitur dixisse, aut fecisse.

Adverte 2. Si post absolutam Missam, licèt sit adhuc in Altari, recordetur se non consecrasse, vel consecrasse materiam indebitam, non debet supplere defectum; quia esset actio omninò distincta, adeoque non censeretur consecratio nova complere prius Sacrificium.

QUÆSTIO XIV.

Quo titulo liceat Sacerdoti stipendium pro Missa accipere, & quantum?

POsse Sacerdotem accipere, imò & exigere stipendium sui ministerii ab iis, quibus spiritualia ministrat, jam pridem definivit Concilium Agathense: sed quo titulo possit illud accipi absque Simonia, non satis apparet: sicut enim nequit accipi pecunia pro collatione Ordinum præcisè, ita nec videtur posse recipi pro oblatione Sacrificii. Ut totum negotium dissolvatur

Adverte quatuor in Sacrificio spectari posse, de quibus dubitari potest, nempè *Fructum Sacrificii*, *sustentationem Sacrificantis*, *Laborem intrinsecum*, ut onus se vestiendi, standi, genuflectendi, Missam legendi: quod est ab ipso Sacrificio inseparabile; & *Laborem extrinsecum*, qui per accidens annectitur Sacrificio ob devotionem, aut commoditatem Missam petentis, v.g. quòd sit celebrandum tali loco, tali hora, &c.

CONCLUSIO I.

NIhil accipi potest per modum pretii pro applicatione fructus Sacrificii, aut pro ejus labore intrinseco.

Prob. 1. pars; quia Simoniacum est accipere pretium temporale pro re spirituali: sed fructus ille est merè spiritualis: ergo.

Prob. 2. pars; quia labor ille non est æstimabilis, nisi per ordinem ad fructum Sacrificii, ut per se patet: ergo sicut fructus non est pretio æstimabilis; ita nec labor ille.

CONCLUSIO II.

LIcitum est aliquid recipere & exigere pro labore extrinseco, etiam per modum pretii.

Ratio est; quia labor ille est quid merè temporale: ubi enim spiritualitas in eo, quòd quis debeat cum incommodo surgere summo manè, expectare usque ad meridiem, aut conficere longum iter ad celebrandum? Et ideò sicut potest alius pro servili labore aliquid exigere, ita & Sacerdos. Item plus exigi potest pro Missa cantata, quàm pro alia, cùm cantus pretio æstimetur, ut patet in Musicis.

CONCLUSIO III.

LIcitum est aliquid exigere pro Missa, non quidem per modum pretii, quasi verò commensuraretur valor operis cum pecunia, sed per modum stipendii, seu sustentationis, in quantùm Celebrans sustentari debet: nam ut ait Christus Matth. 10. v. 10. *Dignus est operarius cibo suo*: & *Qui Altari deserviunt, cum Altari participant* 1. Corinth. 9. v. 13. & certè ratio postulat, ut qui pro aliis occupantur, spiritualia ministrando, ab eis sustententur, temporalia recipiendo. Hoc autem verum est, sive Sacerdos sit dives, sive pauper, ut sentiunt communiter DD. quia cùm dives & pauper æqualiter Altari deserviant, justum est, ut æqualiter de Altari vivant. Quod confirmat Apostolus 1. Corinth. 9. ubi variis argumentis probat se potuisse à Corinth. quibus concionabatur, victum accipere, licèt aliundè haberet suam sustentationem.

Nec indè inferas illud ministerium non exhiberi gratis; quia censetur ille exhibere gratis alicui ministerium, qui tantùm necessaria ad illud exequendum postulat, ut patet in eo, qui veniret Roma Parisios ad sanandum Regem, à quo tantum peteret expensas itineris & medicamenti. Inter autem necessaria ad Sacrificium, unum & potissimum, est ipse Sacerdos, qui sicut non potest sine Ministro, sine cera, sine vino, &c. celebrare, ita nec potest sine seipso sustentato, & benè disposito. Unde sicut exigi potest cera ad alimentum ignis in Sacrificio requisiti, ita exigi potest cibus necessarius ad alimentum Sacerdotis celebraturi.

CONCLUSIO IV.

POtest Sacerdos tantum stipendium accipere, quantum vir prudens attenta locorum consuetudine, Episcopi taxatione, & circumstantiis laboris extrinseci, judicaverit expedire. Notari tamen debet quòd, cum actio Missæ non impediat Sacerdotem ab aliis operibus & studiis, quibus posset sibi de victu providere non debeat stipendium esse tale, quod se solo sufficiat ad ejus victum, vestitum, habitationem, famulum, &c. quidquid dicant aliqui; quia hoc videtur adversari menti Tridentini, juxta quòd nullus admitti debet ad Sacerdotium, nisi vel ex Patrimonio, vel ex Beneficio possit honestè vivere: ergo signum est, quòd nolit, ut Sacerdos totam suam sustentationem ratione Missæ accipiat. Et certè si Parochus toto fermè tempore impeditus in concionibus parandis, confessionibus audiendis, Sacramentis ministrandis, &c. vix integram sustentationem habeat, potestnè simplex Sacerdos tuta conscientia pro sola Missa totam suam sustentationem exigere? Dixerit quisquis voluerit, dicam ego esse contra jus naturæ.

QUÆSTIO ULTIMA.

Seu variæ quæstiunculæ materiam stipendii concernentes.

PEtes 1. An teneatur Sacerdos tot Missas exonerare, quot stipendia recepit, licèt minora taxatione Episcopi?

Resp. Affirm. Ità expressè statuit S. Cardinalium Congregatio anno 1625. authorizante, & approbante Urbano VIII. quod & nuper confirmavit Innocentius XII. per Bullam, quæ incipit *Nuper à Congregatione* datam Romæ anno 1697. X Kal. Jan. & Ratio est; quia eo ipso, quo Sacerdos stipendium (licèt incongruum) acceptavit, ad Missam integram se obligavit: & ideò hanc propositionem condemnavit Alexander VII. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre*. Aliud esset, si duo dimidiatum stipendium ministrantes, Missam unicam pro duobus exegissent. Similiter ubi stipendia incongrua deposita fuissent inscio Sacerdote, posset hic se indemnitare, si deponens non possit moneri, nisi certè nosceret alios Sacerdotes, qui pro tali stipendio essent celebraturi; tunc enim teneretur ad illos & stipendia, & Missarum onera transferre; cùm præsumendum sit talem esse dantis voluntatem.

Petes 2. An obligati ratione solius Beneficii, aut Capellæ, non possint stipendium accipere?

Resp. Neg. Quia militat eadem ratio, ut per se patet, hocque expressè decrevit præfata Cardinalium Congregatio dicens: *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere*.

Petes 3. An Papa possit in præfatis dispensare?

Resp. Neg. Quia cùm non possit in jure naturæ dispensare, ut suo loco diximus, nec potest in obligationibus justitiæ, cùm sint juris naturalis: undè sicut non potest facere, ut quis per solutionem 100. florenorum; satisfaciat duobus debitis 100. florenorum, ita nec ut obligatus ad duas Missas satisfaciat per unicam: & ideò si quæ concessiones similes legantur, vel sunt fictæ, vel certè tantùm respiciunt Missas præteritas, quarum impletio facta est aliquibus impossibilis; ubi non est dispensatio, sed interpretatio voluntatis eorum, qui stipendia dederunt; & ideò ad compensationem jubet Pontifex, ut plures recitentur in Missa Orationes, applicentur suffragia, preces, jejunia, mortificationes eorum, quibus facta est concessio; imò & ipse supplet applicando aliquid de thesauro Ecclesiæ.

Petes 4. An possit Sacerdos satisfacere duobus stipendiis per unicam Missam, applicando uni partem solitam, & alteri partem, quæ sibi obvenire debet?

Resp. Neg. Etiam seclusa Urbani VIII. prohibitione; quia dubium

dubium eſt an fructus Sacerdoti ſpecialiter obveniens, ſit alteri applicabilis; per ſolutionem autem incertam non ſatisfit obligationi certæ: eſtque contra voluntatem ſtipendia Miniſtrantium, qui nolunt incertitudinibus illis exponi: undè hanc propoſitionem condemnavit Alexan. VII. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſsa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti reſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.* Sic etiam non ſatisfit duobus ſtipendiis, applicando uni fructum ſatisfactorium, & alteri impetratorium; quia cenſentur petentes, fructum integrum velle, niſi aliter mentem ſuam exprimant; Imò nec poſſunt ex juſtitia celebrantes pro Petro, fructum operis operantis applicare Paulo; aliàs fruſtranea eſſet ſollicitudo ſeligentium Sacerdotes meliores.

Petes 5. Quando data eſt pecunia pro Miſſis indeterminatè, quantum pro ſingulis accipi poſſit?

Reſp Accipi poſſe juxta Epiſcopi taxationem, aut loci conſuetudinem, & non ad libitum celebrantis. Ita decrevit præfata Congregatio, Ordinans *ſi tribuens eleemoſynas numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quos præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem Civitatis, aut Provinciæ.*

Petes 6. An qui ſtipendium accepit, ut celebret præcisè pro commoditate populi, aut alicujus particularis, poſſit pro applicatione ſtipendium aliquid recipere?

Reſp. Probabiliùs affirm contra Gavantium, Barboſam & quoſdam alios; quia primum ſtipendium non accepit in ſuſtentationem, ut ſupponunt Adverſarii, ſed in pretium laboris extrinſeci, ſeu obligationis, qua tenetur eſſe paratus ad celebrandum tali hora, tali loco; quod eſt onus pretio æſtimabile; quandoquidem poſſit idem ſtipendium accipere præcisè propter onus veniendi ad talem locum tali hora ſine obligatione celebrandi. Quando autem S. Congregatio ſupra prohibet obligatis ex fundatione, Capella, legato, &c. aliud ſtipendium accipere, loquitur de obligatis ad Miſſam applicandam.

Petes 7. An qui pingue ſtipendium recepit pro Miſſa celebranda, poſſit eam alteri dare exonerandam, dato illi ſtipendio juſto, ſed inferiori, quàm receperit?

Reſp Neg. Patet tum ex Bulla Urbani VIII quæ incipit, *Cùm ſæpè contingat:* tum ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexan. VII. *Poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Et certè ſi hoc liceret, poſſet quis etiam non celebrando diteſcere: quod procul dubio pertinet ad turpe lucrum.

Petes 8. An Beneficiatus curans Miſſas ſuas ab alio exonerari, debeat dare ſtipendium proportionatum fructibus ſui Beneficii?

Reſp. Neg. Sed ſufficit, ſi det ſtipendium juxta moris Civitatis aut Provinciæ, niſi aliud ſonaret fundatio, & ita declaravit præfata Congregatio: nec immeritò; cùm Beneficiarius ultra onus Miſſarum, habeat etiam onus Breviarii recitandi.

Petes 9. An obligatus legere Miſſam de *Requiem*, de Spiritu S. &c. poſſit legere Miſſam diei occurrentis?


Reſp. Neg. Si Officium ſit de Feria; quia tunc nulla videtur ratio excuſans: licèt non ſit graviter culpandus legens de Feria. Si autem fiat de Sancto, etiam ſub ritu ſimplici, poteſt dici Miſſa Feſti occurrentis quia interceſſio illius Sancti, & ſpecialis devotio celebrantis ſupplere poterunt defectum Orationum in Miſſis votivis propriarum. Hoc tamen limitandum eſt, niſi Miſſa de *Requiem* dicenda ſit in Altari privilegiato: tunc enim nullo modo poteſt mutari, niſi ſit Feſtum Duplex, Dies Dominica, aut Dies prohibitus: aliàs Indulgentiæ non ſuffragarentur defunctis.

Petes denique, An qui ſtipendium accepit pro Miſſis, peccet mortaliter, ſi illas omittat, vel differat ultra duos menſes?

Reſp. Affirm. Quia eſt obligatio gravis; unde non hic penſanda gravitas ex quantitate ſtipendii, ſed ex quantitate damni ſpiritualis, quod ex omiſſione, vel dilatione nimia vel unius Miſſæ cenſetur notabile.

Dixi: *Ultra duos menſes*; quia ſi dilatio non excedat illud tempus, non videtur grave peccatum: niſi certè pro re gravi fuiſſet petita Miſſa, ut ſi quis petat Sacrum mane pro lite eadem die decidenda, vel pro aliquo periclitante, aut agonizante: tunc illius dilatio ad alium diem eſſet grave peccatum, & teneretur Sacerdos ad reſtitutionem ſtipendii, ſicut quando Miſſam omiſit.

Tractant hic aliqui de obligatione audiendi Miſſam, & de cauſis ab ea excuſantibus, ſed cùm de illis ſufficienter actum ſit in Tract. ſuper Decalogum Diſp 3. ad Sacramentum Pœnitentiæ procedimus.





TRACTATUS V.

DE POENITENTIA.



POENITENTIA à pœnadicta eſt, ita ut juxta Scotum 4 diſt. 14. qu. 1. num. 15. *Pęnitere ſit pęnam tenere*, & pœnitentia ſit quaſi pœnæ tenentia; ſed hanc nominis Etymologiam abhorrent quidam delicatuli, ſolo nomine Chriſtiani, inter quos primatum tenent noſtri temporis Hæretici, qui ſola mollia ſapientes, & auſtera ſugientes dolorem & pœnam procul à pœoitentia removent, eamque tantùm eſſe reſipiſcentiam ac melioris vitæ amorem pertinaeiter eum ſuo præcurſore Eraſmo ſuſtinent. Sed quid dicit Scriptura? *Convertimini ad me ia toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & in planct*a Joel. 2. Quid Ezechias pœnitens? *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudiae animæ meæ*. Iſa. 38. Quid Job? *Ago pœnitentiam in favilla & ciaere* cap. ult. Quid Eccleſia? Quid Patres? Quid Tertullianus? Quid Chryſoſtomus? Quid Ambroſius? Quid Auguſtinus? Quid omnes alii? Omnes pœnam, omnes dolotem, omnes triſtitiam, omnes cordis contritionem, ae eorporis mortificationem in pœnitentibus requirunt, & io ſeipſis excitant. Sed quid vos ad hæc Pœniteotiæ inimici?

Varia autem lo laudem pœnitentiæ referuntur à SS. Patribus, ex quibus lubet audire unicum Chryſoſtomum Serm. de Pœnit. *O Pęaitcatia .... omnia ligata ta ſolvis, omaia ſoluta tu reſeras, omnia adverſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas. Per te ò Pęnitentia David afflictus vel contritus factas eſt ſanctus. Per te Filius prodigus pateraum amplexum meruit. Per te Petro Apoſtolo, poſtquam ter aegavit, data eſt indulgentiæ dextera: Per te ò pœnitentia, Latronem ſubitò Chriſtus ad regnum æternum rapuit*. Hæc ille.

Porrò dupliciter accipi poteſt Pœnitentia, vel pro aliqua Virtute, vel pro Sacramento: Hic Tractatus utramque complectetur, ac 1. breviter Pœoitentiam Virtutem, deindè fuſiùs Pęnitentiam Sacramentum cum ejus effectibus, partibus, & Miniſtro, cui pauca de Sigillo confeſſionis, Indulgentiis, &c. ſubnectemus.

DISPUTATIO I.

De Pœnitentia Virtute.

POenitentiam Virtutem præponimus Pęnitentiæ Sacramento, utpote univerſaliorem, ac neceſſariò præſuppoſitam; cùm non poſſit intelligi Pęnitentia ſub ratione Sacramenti, niſi præceſſerit ſub ratione Virtutis actualis.

QUÆSTIO I.

An Pęnitentia ſit virtus, aa iaſuſa, an ſupernaturalis?

CONCLUSIO I.

POenitentia eſt vera virtus. Ita communiter Theologi contra Sectarios modernos.

Prob. 1. ex SS. Patribus, Gregorio Magno C. *pœnitentiam agere*, de pœnit. diſt. 3. *Magna eſt contra peccatum virtus pęnitentiæ*. Chryſoſtomo Hom. 23. in Matth. *Non eſt aliquod omninò peccatum, quod non ſedat pęnitentiæ virtuti*.

Prob. 2. Habitus declinans à malo, & inclinans ad bonum, eſt vera virtus: ſed hoc eompetit Pęnitentiæ: ergo. Pro Min. quia declinat à peccato, quod deteſtatur & inclinat ad ſumendam in ſeipſo juſtam peccati vindictam: quod bonum eſt, & rationi conforme.

Dices 1. Virtus inclinat ad optimum: ſed Pœnitentia tantùm inclinat ad velleitatem: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Ad velleitatem reſpectu peccati ut præteriti, in quantùm vellet pęnitens non fuiſſe commiſſum: C. reſpectu peccati ut moraliter perſeverantis & delendi: N, inclinat enim ad efficacem illius deteſtationem.

Dices 2. Objectum virtutis eſt bonum: ſed objectum Pęnitentiæ eſt malum, ſeu peccatum: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Objectum virtutis proſecutivæ: C. averſativæ: N. Vel dic: licèt ſit malum peccatum, ut commiſſum, non tamen ut delendum, in quod tendit Pęnitentia.

Dices 3. Nulla virtus præſupponit neceſſariò peecatum; ergo &c.

Reſp. Neg. Ant. Quia illud præſupponit juſtitia vindicativa, ad quam pertinet Pęnitentia. Deindè poſſet dari habitus Pęniteotiæ nullum præſupponens peccatum, ſi Deus illum infunderet homini, antequam peccaret.

Dices 4. Juxta D. Thomam 2. 2. qu. 144. art. 1. verecundia non eſt virtus, quia eſt de turpi facto: atqui etiam eſt pęnitentia: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Quia eſt de turpi facto præterito, ut Pęnitentia, N. quia eſt de turpi facto præſenti, quod includit affectum ad peccatum: C.

Dices 5. Pœnitentia non appetitur propter ſe, id eſt, propter finem ſibi proprium: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Appetitur enim propter peccatum delendum, quod eſt finis pœnitentiæ proprius.

CONCLUSIO II.

POenitentia non eſt virtus infuſa per ſe. Ita Scotus 4. diſt. 14. q. 2. n. 20. contra quoſdam Thomiſtas.

Prob. Illa virtus eſt infuſa per ſe, quæ nullo modo poteſt acquiri per actus: ſed pœniteotia, ſuppoſito gratiæ auxilio, acquiri poteſt per actus ſæpius repetitos; quandoquidem majorem ſentiat facilitatem ad pœnitendum, qui ſæpiùs pœnituit, quàm ille qui nunquam: ergo. Non diffiteor tamen, quòd poſſit eſſe virtus infuſa per accidens; quia licet poſſit per actus acquiri, poteſt etiam à Deo infundi, & quidem ante omne peccatum, ut diximus: quo caſu non eſſet inutilis, ſicut non eſt inutilis habitus miſericordiæ, quando nullæ ſunt miſeriæ; cùm equidem ſemper ſit in ſe quid bonum, & ad bonum inclinans, licèt non habeat hic & nunc objectum, in quod exerceatur.

Dices 1. Virtutes immediatè in Deum tendentes, ſont per ſe infuſę, ut patet in virtutibus Theologieis: ſed Pœnitentia immediatè tendit in Deum offenſum, quem pœnitens vult placare: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Immediatè tendit in Deum offenſum, id eſt, immediatè attingit offenſam Dei, & Deum illa mediante: C. è contra: N. undè fertur in Deum offenſum, ſicut fertur Religio in Deum colendum; conſtat autem Religionem tantùm attingere Deum mediante cultu.

Dices

Dices 2. Refertur in Concilio Viennensi tanquam probabilius infundi in Baptismo gratiam & virtutes: ergo & pœnitentiam.

Resp. Concilium loqui de Virtutibus Theologicis, quia etsi videatur loqui de virtutibus indefinitè, ex circumstantiis tamen aliud colligitur. Deinde esto, infunderetur in Baptismo Pœnitentia, non propterea esset infusa per se; cùm equidem esset ex natura sua acquisibilis per actus, non minùs, quàm Temperantia.

CONCLUSIO III.

POenitentia, ut hic sumitur, non est supernaturalis: ejus tamen actus dici possunt supernaturales.

Prob. 1. pars; Quia omnis virtus aut est Theologica, aut moralis: sed Penitentia non est virtus Theologica, cùm non tendat immediatè in Deum, ut diximus: ergo est moralis: omnem autem moralem esse naturalem, & acquisitam, docent contra Thomistas Scotistæ in Tract. de Virtutibus.

Prob. 2. pars; Quia ut actus aliquis dicatur supernaturalis, non est necesse, quod procedat ab habitu supernaturali, sed sufficit si procedat ab habitu naturali cum auxilio gratiæ supernaturali tamquam concausa; nam visio beatifica est supernaturalis, quamquàm procedat à potentia naturali, quia procedit etiam à lumine gloriæ, quod est supernaturale.

QUÆSTIO II.

In quo consistat formaliter Pœnitentia?

QUæstio resolvenda est de Pænitentia actuali, seu de actu Pœnitentiæ; quia hoc resoluto, facilè erit deducere, in quo consistat formaliter Pœnitentia habitualis, seu habitus pœnitentiæ.

CONCLUSIO I.

POenitentia consistit formaliter in vindicta, seu punitione peccati, sive interiori per dolorem, sive exteriori per jejunia & alias mortificationes, ex motivo ponendi certam proportionem moralem inter pœnam & culpam. Ita Scotus 4. dist. 14. q. 2. n. 4. & licèt ibidem videatur ponere rationem formalem Pœnitentiæ in volitione vindictæ; non est tamen intelligendus de volitione simplici, sed de volitione *efficaci conjungente causas proximas ipsius punitionis*, seu vindictæ, ut ipsemet se explicat qu. 1. ou. 14. & ideò quod expresserat initio numeri per *velle vindicare*, paulò inferiùs exprimit per *vindicare*, & n. seq. *Pœnitere*, inquit, *est vindicare peccatum à se commissum*.

Prob. 1. Ex Authore lib. de vera & falsa Pœn. apud Augustinum, ubi dicit cap 8. quòd Pœnitentia sit *dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse*. Cui consonat Isidorus Hispal. lib. 6. Etymol cap. 7. *Pœnitentia appellata est*, inquit, *quasi punientia, eò quòd ipsemet homo in se puniat pænitendo, quod malè admisit*.

Prob. 2. Ratione, quia penitere ex etymologia nominis est pœnam in se tenere: sed in se, & à se pœnam tenere ob commissum peccatum, est peccatum vindicare: ergo.

Dixi 1. In conclusione: *Ex motivo ponendi* &c. quia si quis puniat in se peccatum ex alio motivo, non erit propriè actus pœnitentiæ, ut est virtus specialis, sed vel alterius virtutis, vel nullius, juxta motivum, propter quod operabitur: undè si vindicet in se peccatum præcisè, quia causa fuit certi damni temporalis, non est virtus, sed actus vel amoris proprii, vel avaritiæ; si autem vindicet peccatum præcisè, quia repugnat castitati, temperantiæ aut humilitati, erit actus castitatis, temperantiæ &c. *Quæcunque enim virtus*, inquit Scotus qu. 2. n. 11. *quæ inclinat ad complacendum in bono honesto* (sibi proprio) *inclinat etiam ad detestandum & ad displicendum de malo inhonesto opposito*:

Dixi 2. *Certam proportionem* &c. quia constat non posse hominem ponere correspondentiam adæquatam inter pœnam & culpam mortalem; cum hæc sit summæ malitiæ, illa de se virtutis exiguæ.

Dices contra Conclusionem: Posset quis vindicare seu punire peccatum etiam ex motivo superiùs allato, nec tamen habere dolorem de præteritis, imò nec propositum de futuris: ergo Pœnitentia non consistit in vindicta peccati.

Resp. Dist. Ant. Posset quis punire peccatum &c. infructuosè: Transeat fructuosè: N. hic autem agitur de Pœnitentia fructuosa, quæ juxta leges justitiæ vindicativæ à Deo præscriptas, supponit dolorem de peccatis præteritis, & propositum futura vitandi, licèt illa præcisè ut sic non sint fortè de ratione formali Pœnitentiæ, abstrahendo à fructuosa & infructuosa. Dico *Fortè*; quia vix concipi potest quomodo possit quis de facto punire peccatum commissum, & de illo non dolere, imò & velle adhuc committere.

CONCLUSIO II.

POenitentia, ut est virtus specialis, pertinet ad virtutem justitiæ, non quidem commutativæ aut distributivæ, sed vindicativæ, licèt imperfectæ. Ita Scotus suprà n. 8.

Prob. 1. Pars 1. Quia sicut justitia distributiva est Superioris ad inferiorem; Legalis, Inferioris ad superiorem; ita commutativa æqualis ad æqualem: sed Pœnitentia non versatur inter æquales, cùm sit inter hominem offendentem, & Deum offensum: ergo.

2. Quia justitia commutativa habet pro objecto formali strictam æqualitatem rei ad rem; Pœnitentia verò certam quidem correspondentiam inter pœnam & culpam, sed non strictam; cùm quælibet pœna non sufficeret ad deletionem unius venialis, nisi interveniret clementia Dei gratuitò condonantis.

3. Quia in justitia commutativa debitor satisfacit de suo, & non de bonis creditoris, peccator autem penitens Deo satisfacit per actus, qui magis sunt Dei, quàm sui.

Dices 1. Magis pensanda est virtus ex affectu, quàm ex effectu: atqui licèt penitens non ponat proportionem strictam inter penam & culpam, illam tamen affectat ponere, quantùm in se est: ergo.

Resp. Dist. Min. Affectat efficaciter illam ponere N. nemo enim fertur efficaciter in impossibile, qualis est puro homini dicta proportio. Inefficaciter: Transeat. Sed illa velleitas, licèt fortè sufficiat ad virtutem, quando rei exhibendæ impossibilitas oritur ex subjecto, cui hic & nunc per accidens desunt media, non tamen quando oritur ex objecto, id est, quando res ponenda est secundùm se impossibilis, ut in nostro casu.

Dices 2. Tantùm placet Deo actus contritionis, quantùm displicet peccatum: ergo potest peccator satisfacere ad æqualitatem.

Resp. Dissimulato Ant. Neg. Conseq. Quia satisfactio adequata non tantùm petitur ex bonitate actus satisfactorii, sed etiam ex persona satisfaciente, quæ cùm hic sit finita, & persona læsa infinita, nunquam potest esse stricta proportio inter satisfactionem & debitum.

Prob. 2. Pars 2. Quia justitia distributiva est superioris ad inferiorem, Pœnitentia verò, saltem hic inferioris ad superiorem, nempè hominis ad Deum. 2. Pœnitens debet, quia alterum læsit, non sic distribuens. 3. In justitia distributiva attenditur respectus inter illos, quibus fit distributio; in Pœnitentia verò non attenditur respectus inter unum & alterum pœnitentem, sed inter pœnitentem & personam læsam.

Prob. 3. Pars; quia Deus instituit Sacramentum Penitentiæ tamquam tribunal justitiæ vindicativæ, ut per actus pœnitentiales ibidem injunctos aliqualiter reparetur jus Divinum per culpam læsum: unde Tridentinum sess. 14. cap. 2. asserit, quòd ad plenam peccatorum remissionem pervenire non possimus *per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia*, nempè vindicativa; & ideò cap. 8. monet Confessarios, *ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem*: ergo pœnitentes pœnas illas in se exequentes tanquam divinæ justitiæ ministri, exercent actus justitiæ vindicativæ, si ordinatè procedant, id est, si illas ex eodem motivo sibi infligant, quo à Deo judice præscribuntur, nempe ad reparandam læsionem juri Divino factam.

Dices 1. Actus justitiæ vindicativæ est superioris ad inferiorem: ergo penitens non potest illum in seipsum exercere; cùm non possit esse sibi superior & inferior.

Resp. Quòd sicut penitens in Sacramento penitentiæ est reus & accusator, ita potest esse aliquo sensu inferior & superior: inferior, in quantùm ut reus pœnam recipit: superior in quantùm ut Minister Dei Judicis, illam in seipsum exequitur.

Dices 2. Omnis justitia est ad alterum: sed Pœnitentia est ad Pœnitentem, cùm ipsum inclinet ad sui castigationem: ergo.

Resp. Dist. Min. Est ad penitentem ut sibi satisfaciat: N ut satisfaciat offenso: C. & sic dici potest ad alterum.

Dices 3. Satisfacit pœnitens Deo per actum temperantiæ,

v. g. per jejunium: sed temperantia non ordinatur ad alterum: ergo.

Resp. Dist. Ma. Satisfacit per actùm temperantiæ imperatùm à Pęnitentia: C. secùs N. actus autem temperantiæ licèt ut sic non ordinetur ad alterum; in quantùm tamen à virtute Pęnitentiæ imperatur, ordinatur ad satisfactionem offensi, adeoque ad alterum.

Dices 4. Pęna, quam respicit justitia vindicativa, est involuntaria pęnitenti: sed pęna, quam insligit sibi pęnitens, est voluntaria: ergo.

Resp. Ma. Videri falsam, cùm eodem, imò nobiliori modo satisfiat per pęnam voluntariè assumptam, quàm per involuntariè receptam: undè sufficit, quòd pœna sit involuntaria hoc sensu, quòd repugnet sensui aut naturæ commoditati, licèt non repugnet voluntati.

Dices 5. Justitia vindicativa exigit proportionem inter pœnam & culpam: sed hæc non reperitur in Pęnitentia, ut patet ex dictis: ergo.

Resp. Dist. Ma. Exigit proportionem omnimodè adæquatam: N. adæquatam, quantùm moraliter fieri potest; C. & hoc reperiri potest in pęnitente.

Advertendum hìc ad conciliationem DD. sibi hac in re adversantium, quod illi, qui negant Pęnitentiam esse virtutem specialem, illam respiciant, prout est punitio peccati præcisè, abstrahendo à motivo, propter quod illa fiat: qui autem asserunt eam esse speciem Religionis, peccatum considerant, ut quemdam Dei contemptum, & Pęnitentiam ut reparationem illius: Qui verò affirmant eam pertinere ad charitatem, loquuntur de Pęnitentia sufficienti ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit objectum Pœnitentiæ?

ADverte objectum virtutis esse duplex, materiale unum, formale alterum. Materiale est illud, quod est indifferens ad varias virtutes constituendas. Formale autem, est id quod objectum materiale determinat ad certam speciem virtutis. Sic datio pecuniæ, prout est indifferens ad eleemosynam, liberalitatem, justitiam restitutivam &c. dicitur objectum materiale virtutis: sublevatio autem miseriæ v. g. per quam determinatur ad eleemosynam, dicitur objectum formale.

Porro objectum materiale dividitur in proximum, circa quod immediatè versatur virtus; & in remotum, circa quod versatur mediante objecto proximo. Hoc notato

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale proximum Pœnitentiæ, est omnis actus pęnalis in vindictam peccati assumptus, sive sit internus, sive externus.

Prob. Pœnitentiæ objectum materiale proximum est pęna insligenda in vindictam peccati (à pęna enim & nominis sui originem tragit, & rationem suam obtinet) sed omnis actus pęnalis, sive internus, sive externus, potest esse pęna peccati; si nempe ad peccati punitionem ordinetur à pœnitente: ergo & objectum materiale proximum pœnitentiæ: unde non solùm detestatio peccati, dolor de peccato, jejunium, corporis mortificatio &c. possunt esse illius objectum, sed etiam oratio, actus Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum; cùm illa omnia sint ordinabilia ad vindictam peccati, sintque apta ponere quamdam proportionem inter culpam & pęnam.

Confirm. Quia sicut omne illud, quod natum est ponere æqualitatem inter datum & acceptum, potest esse objectum justitiæ commutativæ; ita & omnes natum ponere quamdam æqualitatem inter culpam & pœnam, potest esse objectum pęnitentiæ.

Nec refert, quòd pœna sit effectus Pœnitentiæ, quia idem potest esse objectum & effectus: nam objectum artis calceatoriæ est calceus, & tamen est illius effectus. Similiter sanitas potest esse objectum ambulationis, & etiam illius effectus.

CONCLUSIO II.

OBjectum materiale remotum Pœnitentiæ est malum vindicabile à pœnitente commissum. Ita Scotus sup q. a. n. 4. & 9. estque communis quoad rem, licèt videatur diversa quoad expressionem.

Prob. Quia pęnitentia, mediante actu pęnali, fertur in malum, non sub alia ratione imaginabili, quàm prout vindicabile seu expiabile per satisfactionem: Hinc

Resol. 1. Omne peccatum sive actuale, sive habituale, sive veniale, sive mortale, esse objectum pœnitentiæ; quia cùm quodlibet sit malum à Deo punibile, etiam est ab homine, ne à Deo puniatur, vindicabile.

Resol. 2. Peccatum alienum non esse illius objectum; quia soli Christo concessum fuit pro culpa aliena satisfacere: potest quidem satisfacere purus homo pro alterius pœna temporali per modum cujusdam solutionis externæ, sed jam supponitur remissa culpa, necessariò per ipsiusmet offendentis subjectionem delenda.

Resol. 3. Peccatum originale posse esse hujus virtutis objectum; quia licèt non sit retractabile, cùm non sit actio nostra physica, est tamen vindicabile, cùm sit moraliter nostrum: unde multi Catechumeni illud vindicarunt per contritionem perfectam. Fatendum tamen Originale, sicut & peccata actualia per Baptismum deleta, utpotè quoad culpam & pœnam plenè remissa, ad pęnitentiam non pertinere; quia ubi non est debitum, nec potest esse satisfactio: posset tamen voluntas ex superabundanti charitate, aut ex alia virtute illa detestari, de illis dolere, pro illis jejunare &c.

Resol. 4. Nec actus indifferentes, nec peccata solùm materialia, nec vitiosas inclinationes esse objectum pęnitentiæ, cùm non sit illis debita pœna. Possunt tamen esse objectum displicentiæ; cùm etiam possit nobis displicere actus remissè bonus, in quantum est privatus majori bonitate.

CONCLUSIO III.

OBjectum formale Pœnitentiæ est correspondentia moralis inter pœnam & culpam secundùm legem. Ita Scotus sup. n. 7. ubi ait: *Vindicta propriè respicit correspondentiam pœnæ ad culpam secundum legem.*

Prob. 1. Debemus loqui de justitia vindicativa, adeoque pœnitentia, proportionatè ad justitiam commutativam: sed hujus objectum formale est æqualitas physica inter datum & acceptum: ergo & illius objectum formale æqualitas moralis inter pœnam & culpam; cùm non possit esse physica, ut patet ex dictis.

Prob. 2. Destruendo opinionem illorum, qui volunt esse peccatum ut vindicabile, quod nos diximus esse objectum materiale. Quia sicut objectum formale justitiæ commutativæ non est restituibile præcisè, sed restituibile ad æqualitatem, ita nec objectum formale justitiæ vindicativæ est peccatum vindicabile præcisè, sed vindicabile ad æqualitatem: unde sicut æqualitas physica constituit restituibile in esse objecti formalis justitiæ commutativæ, ita & æqualitas moralis constituit vindicabile in esse objecti formalis justitiæ vindicativæ, adeoque pœnitentiæ.

Dices: Jus Divinum læsum reparare, est finis intrinsecus pœnitentiæ: ergo & ejus objectum formale, cùm illa coincidant. Prob. Ant. quia ideò pœnitens ponit dictam correspondentiam, ut satisfaciat Deo offenso.

Resp. Concedendo totum, sed dico reparare jus Divinum læsum, & ponere dictam æqualitatem esse synonima; cùm illius æqualitatis positio sit ipsamet reparatio.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit subjectum Pœnitentiæ, & quibus sit necessaria?

DUplex distingui potest subjectum Pœnitentiæ: immediatum unum, mediatum alterum. Primum est potentia, in qua immediatè residet. Secundum, sunt personæ seu supposita, in quibus reperitur. Hoc posito

CONCLUSIO I.

SUbjectum immediatum Pœnitentiæ est voluntas. Est Scoti sup. n. 5.

Prob: In eadem sunt potentia actus & habitus proportionatus: sed actus pœnitentiæ, seu vindicta peccati, est in voluntate, cùm ipsa peccatum vindicet & detestetur: ergo & habitus. Accedit, quòd omnis justitia resideat in voluntate, adeoque & Pœnitentia, cum sit species justitiæ vindicativæ.

CON-

CONCLUSIO II.

Subjectum mediatum Pœnitentiæ habitualis, est omnis viator potens peccare, licèt nunquam peccasset.

Prob. Quia omnis, qui potest peccare, potest pœnitere, casu quo peccaverit: ergo & esse subjectum habitus Penitentiæ. Undè

Resol. 1. Hunc habitum potuisse esse in primis parentibus ante lapsum, cùm tunc possent peccare. Imò docet D. Thomas 1. p. q. 95. art. 3. de facto fuisse ipsis infusum cum reliquis virtutibus.

Resol. 2. Posse etiam infundi infantibus; cùm sit in ipsis facultas peccandi licèt hic & nunc impedita ob defectum usus rationis.

Resol. 3. Non fuisse in Christo, imo nec in B. Virgine; quia nec peccaverunt, nec peccare potuerunt: ille quidem ratione confirmationis in graria, visionis beatificæ, &c. Hæc ratione privilegii specialis. Quòd si Pœnitentia sumatur latiùs pro displicentia de peccatis, quatenus sunt offensa Dei, sive à se, sive ab aliis commissa sint, potest ejus habitus fuisse in Christo, & B. Virgine. Imò credendum est fuisse; cùm id insinuet summus eorum amor in Deum.

Resol. 4. Probabiliùs non manere habitum illum in Beatis, sicut nec in damnatis; quia ratione sui status non possunt pœnitere strictè loquendo: illi quidem, quia omnis doloris & pœnæ incapaces; hi verò, quia inter pęnam & culpam non possunt ponere æqualitatem; cùm in inferno nulla sit remissio.

Dixi: *Probabiliùs*; quia posset sustineri manere in Beatis ad ornatum, & in damnatis ad confusionem & exprobrationem, sicut manet Character Sacramentalis.

CONCLUSIO III.

Pœnitentia, ut est virtus specialis à nobis explicata, non est absolutè necessaria iis, qui mortaliter peccaverunt, benè tamen Pęnitentia generatim sumpta, ut est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cętero, saltem virtualis.

Prob. 1. pars; Quia remitti potest peccatum, non tantùm per amorem Dei super omnia, sed etiam per contritionem perfectam procedentem à virtute charitatis, religionis &c.

Prob. 2. pars, primò ex Scriptura Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*, Ezechiel. 18. *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*. Eccl. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*.

Secundò ex Trid. Sess. 14 cap 1. ubi definit: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam assequendam necessaria*: quod & repetit cap. 4.

Tertiò ratione; quia illud est necessarium ad salutem, sine quo non potest obtineri salus, res per se patet: sed sine Pœnitentia non potest obtineri: ergo Prob. Min. quia salus nostra consistit in perfecta reconciliatione cum Deo: quis autem reconciliatur Deo, nisi sicut aversus fuit à Creatore per conversionem ad creaturam, ita ad eumdem convertatur per pœnitentiam? Dixi in Conclus. *Saltem virtualis*; & ideò sit

CONCLUSIO IV.

Remitti potest quandoque peccatum mortale per Pęnitentiam virtualem. Ita Scotus sup. q. 1. num. 17. estque communis contra Canum & Soto volentes semper & in omni casu requiri Pęnitentiam formalem.

Prob. Potest remitti per actum charitatis, saltem in illo qui invincibiliter ignorat peccatum suum: sed in illo actu non includitur Pęnitentia formalis, ut per se patet, sed tantùm virtualis tamquam in aliquo eminentiori: ergo. Prob. Maj. Primò ex Scriptura: *charitas operit multitudinem peccatorum* 1. Pet. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet*, 1. Joan. 4 & alibi. Secundò ex condemnatione trium Baii propositionum, in quibus dicitur posse esse charitatem, nempè actualem, cum peccato mortali. Tertiò ex Augustin. Tract. 5. in Epist. Joan. *Hoc mandatum Christi dilectio vocatur: per hanc dilectionem peccata solvuntur*. Et multò post. *Si quis in corde suo invenerit charitatem, securus sit, quia transit de morte ad vitam*. Quartò ratione; quia cum homo per actum charitatis perfectè convertatur ad Deum, credibile est etiam Deum perfectè converti ad hominem, adeoque per gratiam cum peccato incompossibilem, juxta illud Zachariæ 1. *Convertimini ad me . . . & convertar ad vos*.

Dixi: *Saltem in illo, qui invincibiliter ignorat peccatum suum*; quia non est improbabile, inquit Gonet Disp. 3. de Pœn. n. 15. posse peccatorem actum dilectionis Dei super omnia elicere, adeoque justificari . . . . licèt actu de peccatis cogitet, si tunc non urgeat necessitas aut præceptum Pœnitentiæ formalis, quod, cùm sit affirmativum, tantùm obligat certo tempore, ego tamen non video quomodo fieri possit, ut quis memor peccatorum, Deum amet super omnia, & non doleat de illis.

Dices 1. Scriptura requirit à peccatoribus pœnitentiam formalem: ergo.

Resp. Dist. Ant. Requirit in re vel in voto: C. semper in re: N. aliàs sibi contradiceret dicens actum charitatis justificare.

Dices 2. Ad justificationem in Sacramento requiritur. Pęnitentia formalis: ergo etiam ad justificationem extra Sacramentum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quod Pœnitentia formalis sit pars Sacramenti, non actus charitatis.

QUÆSTIO V.

Seu Quæstiunculæ necessariæ de Pœnitentia virtute.

Petes 1. An memor peccati mortalis jam per actum charitatis remissi, obligetur aliquando ad Pęnitentiam formalem? Intelligendo extra sacramentalem; quia certum est, secundùm omnes, teneri ad illius confessionem, si copiam Confessarii habeat.

Respondent aliqui neg. eò quòd ordinata sit Pęnitentia, inquiunt, ad solam hominis cum Deo reconciliationem, quæ jam est per actum dilectionis obtenta; sed probabilius est contrarium; quia etsi primariò præcepta sit ad reconciliationem, secundariò tamen etiam ad peccatoris castigationem: undè sicut Baptismus, licèt primario institutus ad Originalis deletionem, adhuc tamen obligat aliundè justificatum; ita & Pœnitentia proportionatè.

Petes 2. Quandonam obliget præceptum Pęnitentiæ?

Resp. 1. In periculo mortis & amentiæ; quia nisi tunc adimpleatur, periculum est, ne unquam adimpleri possit. 2. obligat per accidens, ubi Sacramentum aliquod ministrandum est, aut suscipiendum, sicut & quando urget gravis tentatio non aliter vincenda; non tamen quando urget præceptum Missæ audiendæ, ut aliqui magis piè sustinent, quàm fundatè: vel enim Missa audienda ad id obligaret, quia Missa, vel quia præcepta: si quia Missa, etiam obligaret ipsam audientes diebus feriatis: quod nequidem admittunt Adversarii: si quia præcepta, toties esset pœnitendum, quoties esset adimplendum aliquod præceptum: quod est inauditum, licèt esset consulendum. 3. obligat per se saltem in magnis Festivitatibus aut circa; cùm enim tunc quemlibet obliget præceptum Fidei, Spei, & Charitatis, ut suo loco diximus, à fortiori obligat peccatorem præceptum contritionis.

Petes 3. An impenitentia finalis sit speciale peccatum?

Resp. Affirm. quia opponitur tum præcepto pęnitendi, tum præcepto Spei, quam censetur eo ipso abjicere.

Petes 4. Quid dicendum de illo, qui peccat cum proposito pœnitentiæ, aut confessionis futuræ?

Respondet D. Thomas 2. 2. qu. 21. art. 2. ad 3. minùs peccare, quia minor est ad peccatum adhærentia. Nihilominùs adhuc peccat mortaliter, si peccatum secundùm se sit grave.

Petes 5. An gravior sit culpa liberiùs peccantis ob spem veniæ per pęnitentiam obtinendæ?

Resp. Affirm. Quia est quidam contemptus bonitatis Divinæ; cùm id, quod misericorditer concessum est tanquam medicamentum peccati, assumatur tanquam occasio peccandi. Imò docet D. Thomas 2. 2. q. 14. art. 2. fiduciam illam addere novam speciem peccati, scilicet cujusdam ingratitudinis erga Deum & Spiritum S. Imo est quædam præsumptio de Dei misericordia.

DISPUTATIO II.

De Pœnitentia Sacramento.

QUartum Sacramentum, inquit Florentinum in Decreto unionis, est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui intres distinguntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia, Satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per Orationem, Jejunium, & Eleemosynam.

Forma hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo &c.* Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris. Effectus hujus Sacramenti est absolutio à peccatis.

Porrò varia a variis tribuuntur huic Sacramento nomina; solet enim vocari *Exomologesis*, quæ, juxta Tertullianum, idem sonat Græce, ac Latine Confessio. *Baptismus laboriosus*; quia omnes ejus partes pœnam includunt, inquit Noster Bosco: Contritio affert dolorem, Confessor ruborem, Satisfactio laborem. *Secunda post naufragium tabula*, eò quòd Baptismus sit prima *Renascentia spiritualis*; quia homo vitam spiritualem, quam in Baptismo receperat, & peccando perdiderat, hic recuperat denuò. *Tribunal sacramentale*, in quo interveniunt omnia ad judicium requisita, *Judex*, nempè Sacerdos, *Reus & Accusator*, ipse pœnitens; *Testis*, illius conscientia; *Materia Judicii*, peccata; *Sententia*, Absolutio aut retentio. Dicitur etiam: *Sacramentum expiationis*; quia ibi expiantur & diluuntur crimina, Peccatorum lacrymis & fletibus. *Reconciliatio*, nempè hominis cum Deo. Deniquè, *Potestas Clavium*, seu clavis, qua cœlorum Regnum aperitur dispositis, clauditur indispositis.

QUÆSTIO I.

An detur in Ecclesia remedium contra peccatum, & an illud sit Sacramentum?

DAri in Ecclesia remedium aliquod, quo peccata, saltem omnia, post Baptismum commissa delerentur, negavit Montanus cum suis Asseclis: negavit & Tertullianus à Montano deceptus, ut refert Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem cap. 1. Negarunt etiam Novatiani circa annum 254. sic dicti tum à Novato Chartaginensi Presbytero, tum maximè à Novatiano Pseudo-Papa tempore D. Cornelii, quos pro uno, ob nominis similitudinem usurparunt Eusebius, & Socrates. Sed certè fuerunt diversi: Novatus siquidem, ob varia crimina à Cypriano Epist 49. relata, ex Africa in Italiam profugus, Romæ junxit se Novatiano Papalem dignitatem D. Cornelio invidenti, & accersitis ex minimo quasi Italiæ angulo tribus Episcopis agrestibus, rudibus, & simplicibus, ejus factione hora decima vespertina, ab illis tribus jam ebriis, ac crapula oppressis, ut refert S. Cornel. Ep. ad Fabium, creatus est per vim Anti-Papa Novatianus. Hi duo, sicut amore, ita & errore conjuncti, venenatam suam opinionem sparserunt, ac Sectatores sibi adjunxerunt, qui tamen Magistrorum suorum doctrinam temperantes, voluerunt esse potestatem in Ecclesia remittendi peccata leviora, non graviora.

Dixi initio Proœmii: Quo peccata (*saltem omnia*) delerentur; quia putavit quidam Modernus Montanum Sacramentum Pœnitentiæ admisisse, quo certa peccata remitterentur, licèt alia diceret irremissibilia. Ratio ejus est, quia id verisimiliter tenuit Montanus, quod Tertullianus, cùm ille hunc in hac materia deceperit: sed Tertullianus censuit aliqua peccata esse remissibilia: ergo & Montanus. Probat Min. quia lib. de pudicitia cap. 2. de peccatis asserit: *Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia*: quod repetit variis locis; inter autem irremissibilia numerat cap. 19. Homicidium, Idololatriam, Fraudem, Negationem, Blasphemiam, Mœchiam, Fornicationem, &c. Argumentum sanè speciosum, quasi verò non potuisset aliud tenere Seductus, & aliud Seductor. Si dubitas, lege D. Ambrosium lib. 1. de Pœnit. cap. 2. & dicet tibi aliud tenuisse Novatianos, & aliud Novatianum: nam postquam de illis dixit: *Ajant se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*; de hoc subdit: *Non hoc quidem author vestri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam pœnitentiam putavit*. Unde sicut in hoc à Novatiano recesserunt Novatiani; ita & potuit Tertullianus à Montano.

Scio præfatum Authorem modernum docere etiam Novatianum admisisse aliqua peccata remissibilia, sed etiam scio potiùs Ambrosio, quàm ipsi credendum.

Calvinistæ autem, & plerique Lutherani, licèt concedant peccata post Baptismum commissa posse remitti, negant tamen id fieri posse per Ecclesiæ Ministros.

CONCLUSIO I.

PRæter Baptismum datur in Ecclesia Dei remedium, quo peccata post Baptismum commissa deleantur. Est de fide; nam ultra quòd Scriptura dicat actum charitatis justificare, adeoque peccata remittere, ut anteà diximus, ultra quod eamdem vim tribuat contritioni perfectæ Ezechiel 33. ubi legitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*, & alibi; etiam agnoscit Joann. 20. datam esse Apostolis, eorumque Successoribus potestatem peccata remittendi: *Quorum remiseritis peccata*, inquit Christus, *remittuntur eis*. Quid clarius? Quid expressius?

Obj. 1. Illud Apost. Hebræ. 10. *Voluntariè peccantibus . . . . . . jam non relinquitur pro peccatis Hostia*; ergo nec Pœnitentia salutaris, per quam nos Deo pro peccatis immolemus.

Resp. Neg. conseq. Quia vult non relinqui Christum iterùm cruentè immolandum in cruce, ut interpretatur D. Ambrosius. Vel certè dic loqui de volentibus in peccato remanere, quibus solùm relinquitur *terribilis quædam expectatio judicii*, ut subdit.

Obj. 2. Ex eodem Apost. cap. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati . . . . & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam*.

Resp. Ibi intelligere pœnitentiam Baptismi, quem Judæi, contra quos agit, credebant posse, contra Christi institutionem, sæpiùs iterari, sicut lavacra legis veteris.

Obj. 3. Docet Augustinus lib. de Nuptiis & concupisc. cap. 33. per Baptismum etiam remitti peccata futura; ergo non est opus alio remedio.

Resp. Dist. Ant. Docet remitti futura, proximè, N. remotè & radicaliter, in quantùm Baptismus confert jus ad Sacramentum Pœnitentiæ, per quod remittuntur: C.

Obji. 4. Juxtà Ambrosium in Ps. 118. octon. 8. ferè in medio: *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*: Ergo.

Resp. Retorquendo Argumentum: Impossibilitas veniæ incentivum præbet desperandi, adeoque peccata peccatis accumulandi: *diceret enim sibi* peccator: *ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus, Pœnitentia infructuosa est, damnatus sum: quare jam non vivo, ut volo?* August. Homil. 27. ex 50. in fine. Dari ergo debet remedium, quo si abutantur aliqui, imputent suæ malitiæ. An nequam debet esse servus, quia bonus est Dominus? Undè tantum ibi reprehendit Ambrosius Confessarios, qui, cùm duas claves habeant, unam ad aperiendum, alteram ad claudendum, solùm prima utuntur ex molli indulgentia.

CONCLUSIO II.

REmedium, quo utitur Ecclesia Romana ad remissionem peccatorum à baptizatis commissorum, est verum novæ legis Sacramentum. Est de fide in variis Conciliis, ac præsertim Florentino in Decreto unionis, & Tridentino sess. 14. can. 1. contra Calvinum lib. 3. Instit. cap. 4. & varios Lutheranos. Dico *varios*; quia sunt inter se divisi, his affirmantibus, negantibus illis: sed quid mirum? Cùm in hoc à seipso fuerit divisus eorum princeps Lutherus, modò admittendo, modo rejiciendo.

Moderni tamen Lutherani dicuntur illud passim admittere, & his verbis, præmissa confessione, à Ministro absolvi: *Ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris* &c. quæ verba desumpta sunt ex Catechismo, quem edidit ipsemet Lutherus, ut refert D. de Meaux lib. 3. Variationum art. 47.

Prob. 1. Conclusio ex Patribus, Origine Homil. 2. in Levit. colum. 6. *Non erubescit* (peccator) *Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam*. Cypriano cap. 12. de lapsis. *Confiteantur singuli . . . . dum satisfactio & remissio*

remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Athanasio in cap. 21. Matth. *Si nondum soluta sunt vincula, tradas teipsum Discipulis Jesu: adsunt enim, qui te solvant pro potestate ea, quam à Salvatore acceperunt.* Basilio Reg. breviori 229. *Peccatorum confessio fieri debet apud eos, qui ea possint curare,* Chrysostomo Homil. 30. in Gen. *Quia in magnam hanc hebdomadam* (id est Sanctam) *pervenimus, Dei gratia nunc maximè & jejunii cursus intendendus..... faciendaque diligens & pura confessio peccatorum.* Augustino lib. de Adult. Conjug. cap. 26. *Eadem est causa Baptismi & reconciliationis, sine quibus Sacramentis homines credunt se non debere exire de corpore.* Hieronymo in cap. 16. Matth. *Cum peccatorum varietates audierit* (Sacerdos) *scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

Prob. 2. Illi cæremoniæ competit ratio Sacramenti, cui competit ejusdem definitio: sed hæc competit remedio præfato: ergo. Prob. Min. 1. est signum sensibile, cùm in hoc Tribunali Judex & Reus sint homines, qui nonnisi sensibilibus inter se communicant. Prætereà, cùm Judex debeat quandoque peccata remittere, quandoque retinere, juxtà illud Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. debent ipsi manifestari per confessionem Rei; cùmque Reus scire debeat, an sit absolutus, an adhuc ligatus, hoc ipsi innotescit per absolutionem Judicis verbalem: quæ omnia sunt sensibilia. 2. Est collativum gratiæ, cùm toties hæc infundatur, quoties peccatum remittitur. 3. Est ad salutem nostram divinitùs institutum, cùm illud instituerit Christus, ut spiritualiter mortui, spiritualiter resurgeremus. 4. Remedium illud est permanens; cùm Christus dederit Sacerdotibus potestatem absolvendi Joan. 20. sine ulla temporis limitatione: ergo

Obji. 1. Cum Calvinistis: Potestas data Apostolis Joan. 20. non est judiciaria, sed tantùm prædicatoria, ut nempè excitarent fidem, qua crederet peccator sibi pœnitenti remissa esse peccata.

Resp. Locutionem illam esse impropriissimam, & maximè contortam, ut patet Textum legenti: & certè si hoc esset, ipsimet fideles dicerentur sibi remittere peccata: quod est in Ecclesia Dei inauditum: nam si dicantur remittere peccata, qui excitant ad eliciendam fidem præfatam, quidni à fortiori dicerentur, qui ipsam fidem eliciunt,

Obj. 2. Ad Sacramentum, juxtà Calvin. lib. 4. Instit. c. 19. §. requiritur mandatum illud usurpandi in Ecclesia: sed etsi dedisset Christus potestatem remittendi peccata, non dedit mandatum: ergo.

Resp. Neg. Min. Quia antequam diceret: Quorum remiseritis &c. dixerat immediatè ante; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

Obj. 3. Saltem Pœnitentia non est Sacramentum à Baptismo distinctum, cùm per memoriam Baptismi recepti excitetur fides remissiva peccatorum.

Resp. Si hoc esset, nec Eucharistia esset Sacramentum à Baptismo distinctum, quod tamen sustinent Acatholici: nam dici posset suscipientem illam ex memoria Baptismi confortari in fide & gratia. Deindè nullibi præcipit Scriptura peccatoribus, ut ad peccatorum remissionem recordentur Baptismi, sed ut pœnitentiam agant. Prætereà, ultra quòd in Baptismo alia sit materia, & forma, alius finis & effectus, quàm in Pœnitentia, etiam alius est Minister, cùm hujus sit Sacerdos, & illius quilibet homo, imò etiam fœmina.

Obj. 4. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Marci 2. v. 7.

Ref. Cum Ambrosio, Verum est, sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est, quia illi ministerialiter, ipse principaliter remittit.

Obj. 5. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, Augustinus Tract. 80. in Joan: sed hic non est elementum; ergo nec Sacramentum.

Resp. Ibi agere de Baptismo; vel si de aliis, sumit elementum pro materia sensibili.

Objic. 6. Dicit Christus Matth. 11. *Onus meum leve*: sed nihil gravius homini, quàm peccatorum confessio: ergo.

Ref. Onus Christi dici leve, non quia nulla in eo difficultas, cùm debeamus amare inimicos, benefacere iis, qui oderunt nos; sed quia gravia reddit levia & facilia, quæ naturæ sibi relictæ apparent gravia & difficilia.

Objic. 7. Legitur Psal. 18. *Delicta quis intelligit?* Ergo impossibilis est, præsertim rudibus, peccatorum confessio secundùm speciem, numerum & circumstantias, ut dicitur præcepta.

Resp. Neg. Conseq Quia etsi non possint omnes præfata ad amussim discernere, possunt tamen peccata sua moraliter, & prout apprehendunt, ac memoriæ occurrunt, declarare illi, cujus est de illis judicium ferre.

Objici. 8. Act. 10. & 26. scribitur, Apostolos prædicasse pœnitentiam, quam prædicaverant Prophetæ: sed hi non prædicaverant Pœnitentiam Sacramentum: ergo nec illi.

Resp. Prædicasse quidem eamdem pœnitentiam, ut dispositionem ad Baptismum, cùm ad illam tantùm requiratur pœnitentia virtus, quam prædicaverunt Prophetæ, aliam tamen etiam prædicasse, si non ibi, saltem alibi sæpiùs, ad remissionem peccatorum post Baptisma commissorum. Dicit quidem Apostolus Act. 26. *Se nihil extra dicere, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura*; verùm non agit ibi de Pœnitentia, sed de iis, quæ Christi Passionem & Resurrectionem concernunt.

Obj. 9. *Si in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. ergo nullius homo potest remittere.

Resp. Hoc dictum fuisse de lege veteri, ubi non erat potestas, quam habent Sacerdotes, in lege nova. Præterea non vult ibi Scriptura non posse aliquem orare pro peccatoribus, cùm pro populo peccante oraverit Moyses; sed tantùm insinuat nullum debere se credere sufficientem, qui orando peccata dimittat, nisi certè sit ipsi collata potestas, quam contulit Christus Sacerdotibus; Joan. 20.

Obj. 10. Baptismus dicitur Sacramentum Fidei & Pœnitentiæ à D. Fulgentio lib. de Fide ad Pet. cap. 30. ergo non datur aliud Pœnitentiæ Sacramentum.

Resp. Dist. Ant. Dicitur Sacramentum Pœnitentiæ virtutis, eò quòd Adulti baptizandi sic debeant pœnitere, juxta illud Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur* &c. C. Pœnitentiæ, ut hic sumimus: N.

Obj. 11. Chrysostomus Homil. 3. in Psal. 50. ait: *Si confundaris alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidiè in anima tua; non dico, ut confitearis conservo tuo, ut exprobret; dicito Deo qui curat ea.*

Resp. Ibi loqui de confessione quotidiana fieri solita in examine conscientiæ, quam vult faciendam esse non homini, sed Deo, qui ratione perfectæ contritionis adjunctæ, curat peccata; per quam tamen non excludit Sacramentalem, cùm ibidem dicat: *Habeto codicem conscientiam tuam, & scribe quotidiana peccata*: ad quid? nisi ut suo tempore declarentur Sacerdoti; & ideo lib. 3. de Sacerd. *Nostris Sacerdotibus*, inquit, *non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessam est.*

QUÆSTIO II.

Quid Pœnitentiæ Sacramentum, quando, & quomodo institutum, & an necessarium?

CONCLUSIO I.

PŒnitentiæ Sacramentum est signum efficax gratiæ remissivæ peccati post Baptismum commissi. Hæc definitio brevis est, sed clara & adæquata. Alia fusior videri potest apud Scotum 4. dist. 14. qu. 4. nu. 20. quam hic, brevitatis causa, non refero.

CONCLUSIO II.

D*Ominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus insufflavit in Discipulos suos dicens; Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata* &c. Ita Trident. Sess. 14. cap. 1. & licèt dicat tunc præcipuè fuisse institutum, non sequitur quòd anteà aliquo modo fuerit institutum, nam illam particulam addidit Concilium, vel quia Christus anteà contulerat potestatem Ordinis necessariam ad hujus Sacramenti administrationem, vel quia Pœnitentiæ Sacramentum promiserat Matth. 18. per hæc verba: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, ubi ly erunt soluta in futuro, denotat potestatis promissionem; ly autem remittuntur in præsenti, promissionis executionem: vel etiam ut satis probabiliter putant aliqui, quia in ultima cœna illud prædixerat Apostolis, ipsosque docuerat, quo ritu deberent illud ministrare, licèt tunc non instituerit, sed post Resurrectionem.

Ratio Conclusionis à priori est voluntas Christi, qui illud instituit quando, & quomodo ipsi placuit. Ratio

con

congruentiæ assignari potest, quòd Resurrectio Christi sit exemplar nostræ justificationis, ac mysticæ resurrectionis, quæ fit in hoc Sacramento, & consequenter congruebat, ut hujus Sacramenti institutionem præcederet. Deindè non expediebat, ut potestas in Corpus Christi mysticum præcederet potestatem in corpus Christi verum.

Dices 1. Christus antequam moreretur dimisit peccata Paralitico, Magdalenæ, Zachæo, & aliis: ergo tunc erat institutum hoc Sacramentum.

Resp. Dist. Ant. Dimisit peccata vi Sacramenti: N. propria virtute: C.

Dices 2. Sæpius dixit Christus ante mortem: *Pœnitentiam agite*: ergo.

Resp. Fuisse locutum de Pœnitentia virtute, non Sacramento.

Dices 3. Quando dixit Christus Joan. 20. *Quorum remiseritis* &c. non erat ibi Thomas: ergo vel non fuit tunc institutum hoc Sacramentum, vel illam potestatem non habuerunt omnes Apostoli.

Resp. Christum direxisse intentionem suam ad omnes Apostolos sive præsentes, sive absentes, ut docet Cyrill. Alexand. lib. 12. in Joan. cap. 56.

Dices 4. Ecclesia confert potestatem in corpus Christi mysticum immediatè post concessam potestatem in corpus Christi verum: ergo & sic contulit Christus.

Resp. Neg. Conseq. Quia potuit Christus diversis temporibus instituere, quod solet Ecclesia ferè simul conferre.

CONCLUSIO III.

PORRO Sacramentum hoc fuit immediatè à Christo quoad omnes suas partes institutum, id est, non tantùm secundum formale, seu potestatem absolvendi, sed etiam secundùm Materiale, seu obligationem confitendi: hocque colligitur tum ex Joan. 20. *Quorum remiseritis* &c. cùm non possit distingui inter peccata remittenda, & retinenda, nisi præcesserit illorum confessio, tum ex Trident. sess. 14. docente cap. 5. confessionem esse à Christo institutam, & can. 6. ab eodem esse præceptam: quod ultimum apertè demonstrat immediatam Christi institutionem; cùm ab Apostolis aut eorum successoribus instituta, non dicantur à Christo præcepta. Tum etiam ex patribus Quæst. 1. Conclus. 2. citatis, qui cùm omnes Innocentium III. multis sæculis præcesserint, patet quàm falsò & impudenter dixerit Calvinus in Antidoto Tridentini sess. 6. cap. 5 non fuisse usum confessionis in Ecclesia, *donec Innocentius III. cum pauculis cornutis bestiis* (sic vocat Patres Concilii Lateranensis) *laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini Patres astringunt*. Tum etiam ratione: quia si non Christus, sed Ecclesia confessionem instituisset, in ea dispensare posset, cùm ab ejus potestate dependeret: nullum autem à 17. sæculis legitur dispensationis vestigium. Undè si hodie vis esse Catholicus, inquit N. Bosco, credere debes Sacramentalem confessionem & jure Divino institutam, & jure Divino necessariam; & ideò si qui Catholici olim crediderunt confessionem ab Ecclesia institutam, tantùm excusari possunt, quòd id tenuerint ante apertam Ecclesiæ definitionem, sicut & illi, qui docuerunt non esse jure Divino necessariam: vel certè explicandi sunt de confessione venialium.

Dices 1. Christus habebat potestatem remittendi peccata sine confessione: sed quam acceperat à Patre potestatem, illam tradidit Discipulis, *Sicut misit me vivens Pater*, inquit Joan. 26. *& ego mitto vos*: ergo non instituit confessionem.

Resp. Dist. Min. Illam tradidit Discipulis quoad virtutem remittendi: Transeat. Quoad modum remittendi: N. noluit enim, ut peccata remitterent, nisi agnoscerent, ut satis patet ex dictis; hoc autem non potest fieri sine Rei confessione, qua, utpotè cordium scrutator, non indigebat ille: undè quando Chrysostomus lib. 3. de Sacerd. col. 3. dicit: *Pater habet omnifariam potestatem, & hanc Filio tradidit, & Filius Apostolis*, intelligendus est accommodè.

Dices 2. Qui instituit Medicos corporum, non præscribit ipsis modum curandi: ergo nec qui instituit Medicos animarum; adeoque possunt Medici spirituales ægrotantes spiritualiter sine confessione sanare.

Resp. Disparitatem esse, quòd sicut instituens corporum Medicos, non dat ipsis virtutem sanandi, ita nec modum. Christus autem instituens animarum Medicos, sicut dat ipsis virtutem sanandi, ita & modum.

Dices 3. Glossa in cap. 1. Dist. de Pœnit. sic habet: *Melius dicitur confessionem institutam fuisse à quadam universali Ecclesiæ Traditione, potiùs quam ex novi Testamenti, aut veteris authoritate*.

Resp. Glossam illam, quæ est cujusdam ignoti, vocari à Theologis antiquioribus irrationabilem, erroneam, in fide periculosam, & à me Hæreticam, cùm sit contra Tridentini definitionem.

Dices 4. Legitur apud Gratianum. Dist. 1. de Pœnit. cap. ult. *Quidam, Deo solummodo confiteri debere peccata, dicunt, ut Græci*.

Resp. ly ut Græci, fuisse ab aliquo imperito Textui immixtum; cùm in Concilio Florent. ubi de Græcorum erroribus, ac præsertim in materia Sacramentorum, plenè discussum est, nulla illius fiat mentio.

CONCLUSIO IV.

HOc Sacramentum necessarium est necessitate medii in re vel in voto iis, qui post Baptismum peccaverunt.

Prob. 1. ex Trident. sess. 14. cap. 2. ubi hoc Sacramentum dicitur eodem modo necessarium lapsis, quo Baptismus nondùm baptizatis.

Prob. 2. ex Joan. 20. Habet Sacerdos potestatem retinendi peccata: sed non haberet Sacerdos potestatem retinendi, nisi haberet peccator obligationem confitendi; cùm retentio non feratur in incognitum: ergo. Si dicas potestatem retinendi non esse absolutam, sed conditionalem, si nempè velit pœnitens subjicere peccata clavibus. Dicam ego, si tantùm fuisset conditionata, fuisset frustranea; quia nullus fidelium, ubi suspicatus fuisset sua sibi retinenda peccata, unquam fuisset ea confessus, cùm alia via posset ab illis liberari.

Dixi in re vel in voto; quia contritio perfecta se sola justificat, non tamen sine Sacramenti voto in ea incluso: undè docet Trident. sess. 14. cap. 4. *Reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Ex quo patet, etiam remissio per contritionem peccato remanere adhuc onus confessionis.

Dices: in hoc Sacramento attenditur salus animarum: ergo ubi per contritionem fuit salus obtenta, non sunt ampliùs subjicienda clavibus peccata.

Resp. Dist. Ant. Attenditur salus animarum tantùm: N. salus animarum & honor Divinus per condignam injuriæ altionem in hoc tribunali vindicandus C. & ideò, etiam obtenta salute, ad hoc Divinum tribunal deferenda sunt peccata, ut læsum jus Divinum judicialiter reparetur.

QUÆSTIO III.

In quo consistat essentia hujus Sacramenti?

NOn loquimur hìc de essentia Metaphysica, quam diximus esse signum efficax gratiæ remissivæ peccati post Baptismum commissi, cùm de illa conveniant omnes Catholici; sed de essentia Physica, seu de partibus ipsam intrinsece constituentibus.

CONCLUSIO I.

NOn consistit essentia hujus Sacramenti in satisfactione, nequidem partialiter. Est contra Paludanum, Suarez, & quosdam alios.

Prob. Sacramentum non confert gratiam, nisi sit essentialiter completum, cùm antea non sit Sacramentum, sed Pœnitentia priùs confert gratiam, quàm sit posita satisfactio: ergo. Prob. Min. Quia priùs delet peccatum; aliàs falsa esset forma, & moriens ante satisfactionem damnaretur: quod nemo dixerit; nunquam autem remittitur peccatum sine infusione gratiæ, ut docet Trident. undè tantùm est pars integralis, id est, perficiens & complens extrinsecè hoc Sacramentum: sicut pes, manus, brachium &c. integrant & complent hominem.

CONCLUSIO II.

NOn consistit etiam partialiter essentia hujus Sacramenti in confessione & contritione: sunt tamen necessariò & insupplebiliter requisitæ ex parte pœnitentis.

Prob. 1. pars (quam cum suis docet Scotus 4. dist. 16.

q. 1.

q 1. nu 7. contra Thomiſtas) qoia Florentinum & Tridentinum eodem modo loquuntur de ſatisfactione, ac de confeſſione & contritione: ſed ſatisfactio, ut probavimus & fatentur communiter Adverſarii, non eſt de eſſentia hujus Sacramenti: ergo nec contritio & confeſſio. Prob. Maj. quia dicunt indiſcriminatim qood illi tres actus ſint quaſi materia hujus Sacramenti: quæ voces quaſi materia, non parum etiam faciunt ad Concluſionem noſtram; nam ſi credidiſſent contritionem, & confeſſionem eſſe de eſſentia hujus Sacramenti, quare dixiſſent eſſe quaſi materiam, & non materiam ſimpliciter?

Reſpondet Platel; quia non ſunt ſubſtantia aliqua ſenſibilis extrinſecùs aſſumpta, ſicut aqua in Baptiſmo, Chriſma in Confirmatione.

Sed quare Concilia non vocaverunt formam quaſi formam cùm non ſit etiam ſubſtantia? Cur peccata, propter eamdem rationem, non dicuntur quaſi materia? Unde Palavicinus l. 12. hiſt. Trident. cap. 10. reſtatur Ly quaſi eſſe additum ob ſententiam Scoti negantis actus illos eſſe materiam eſſentialem: undè mirum eſt aliquos Scoti ſententiam cenſuraſſe, quam intactam Concilium reliquit, imò confirmavit ut dicemus infra.

Prob. 2. Pars: Illæ partes ſunt neceſſariò & inſupplebiliter requiſitæ, ſine quibus, licèt non ſint de eſſentia, tamen ſtare non poteſt eſſentia, ut patet de unione in compoſito phyſico: ſed contritio & confeſſio ſunt tales reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ: ergo. Quod videtur inſinuare Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. dicens: *Qui* (actus) *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur*. Ubi docet eſſe partes, non quia hoc Sacramentum conſtituunt, non quia concurrunt ad ejus eſſentiam, ſed quia ex Dei inſtitutione requiruntur, adeoque inſupplebiliter.

Dices: Legitur apud Scotum ſup. De Pœnitentia Sacramento dico quòd iſta tria (contritio, confeſſio, & ſatisfactio) nullo modo ſunt partes ejus: ergo nequidem inſupplebiliter requiſitæ.

Reſp. Scotum non negare eſſe partes, ſed partes eſſentiales, quia, ut ſubdit, Pœnitentia Sacramentum, eſt illa abſolutio ſacramentalis, ſeu conſiſtit in ſola abſolutione, ut jam dicemus.

CONCLUSIO III.

Tota eſſentia hujus Sacramenti conſiſtit in ſola Sacerdotis abſolutione. Eſt Scoti ſup. & aliorum.

Prob. 1. Quatuor tantùm concurrere poſſunt ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, nempè contritio, confeſſio, ſatisfactio ex parte pœnitentis, & abſolutio ex parte Sacerdotis: ſed non conſiſtit nequidem partialiter in tribus primis, ut dictum eſt: ergo in ſola abſolutione.

Prob. 2. Miniſter hujus Sacramenti, inquit Florentinum, eſt Sacerdos: ſed Sacerdos ponit ſolam abſolutionem: ergo tota eſſentia hujus Sacramenti eſt ſola abſolutio; aliàs non eſſet Miniſter Sacramenti, ſed tantùm illius partis.

Dices cum Platel: Licèt contritio & confeſſio non eliciantur phyſicè à Miniſtro, ab eo tamen moraliter aſſumuntur, mediante abſolutione, ad conſtituendum Sacramentum. Sed

Contra eſt: Per hoc, quòd illi actus aſſumantur moraliter à Miniſtro, vel cenſentur moraliter ab eo procedere, vel non, ſi non: ergo non eſt Miniſter totius Sacramenti, ſi ſic: ergo Sacerdos, debet dici moraliter contritus, moraliter declarans peccata, quod nemo ſomniavit.

Dices cum Suarez, Sacerdotem dici Miniſtrum, quia materiam à pœnitente poſitam determinat ad eſſe Sacramenti per abſolutionem: undè ſicut Artifex dicitur feciſſe ſtatuam, ubi formam poſuit in materia, etiam ab alio accepta ita ſimiliter. Sed

Contra eſt, quòd licèt abſolutio determinet materiam, illam tamen ponens, nec phyſicè, ut patet, nec moraliter, ut diximus, ponat materiam; & ſic non debet dici illius Miniſter, adeoque nec totius Sacramenti. Aliud eſt de ſtatua, in qua cùm ſola attendatur forma, non eſt mirum, quòd ponens ſolam formam, dicatur fabricare ſtatuam.

Prob. 3. Illud eſt totum Sacramentum, quod ponit totum Sacramenti effectum: ſed id facit abſolutio; ergo. Prob. Min. Quia Sacramenta id cauſant, quòd ſignificant: abſolutio autem ſignificat peccatorum remiſſionem, quæ eſt ordinarius hujus Sacramenti effectus, ac primariò à Chriſto intentus. Undè prærequiruntur quidem contritio, & confeſſio, ſed tanquam diſpoſitiones, non autem ut effectum ſignificantes; aliàs pœnitens diceretur ſeipſum abſolvere, ſibi peccata remittere: quod non eſt actus Rei, ſed Judicis.

Dices: Forma in Baptiſmo ſignificat totum effectum, & tamen lotio eſt pars eſſentialis: ergo hìc ſimiliter.

Reſp. Diſt. Ant. Forma ſeparata à lotione: N. importans actualem lotionem: C. ſed tunc etiam lotio effectum ſignificat.

Prob. 4. Hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum judicii, ſed judicium tantùm importat principaliter ſententiam Judicis abſolventis, aut condemnantis, reliqua autem tantùm connotat, ut prærequiſita ad juſtam ſententiam: ergo. Minor certa eſt, cùm judicium dicatur à judicare, nempè definitivè, quod ſit per ſententiam. Prob. Maj. ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. ubi declarat abſolutionem Sacerdotis eſſe *ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo velut à Judice ſententia pronuntiatur*, & can. 9. Anathematizat dicentes *abſolutionem ſacramentalem non eſſe actum judicialem*.

Dices: Album importat principaliter albedinem, & minùs principaliter ſubjectum, & tamen utrumque eſt de eſſentia albi ut concreti: ergo licèt judicium importet principaliter ſententiam judicis, & minùs principaliter actus Rei, utraque tamen ſunt de eſſentia judicii.

Reſp. Neg. Ant. Quia licèt album unum importet in recto, aliud in obliquo, ut ſi definiatur ſubjectum habens albedinem, vel albedo inhærens ſubjecto; utrumque tamen importat æquè principaliter; quandoquidem concretum importet eſſentialiter ſubjectum & formam: non ſic autem judicium ſacramentale, quod præſupponit quidem in pœnitente dolorem, & declarationem peccatorum, illa tamen non magis importat, quàm ipſa peccata, quæ nemo dixerit eſſe de eſſentia hujus Sacramenti.

Prob. 5. Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. docet vim hujus Sacramenti præcipuè ſitam eſſe in forma: quod non dicitur de Baptiſmo, Confirmatione, Ordine &c. Quare hoc? Niſi quia in illis tam materia proxima quàm forma ſunt de eſſentia hìc autem ſola forma.

Nec dicas ly præcipuè potiùs contrarium inſinuare, id eſt, vim hujus Sacramenti etiam in aliis actibus conſiſtere, licèt minus principaliter; quia ſi eſſentiales eſſent, æquè principaliter in illis conſiſteret; cùm efficacia habeatur ab eſſentialibus, nulla autem pars ſit magis eſſentialis altera: undè particulam *Præcipuè* addidit Concilium propter ſatisfactionem, quæ peccata quoad culpam & pœnam æternam per abſolutionem remiſſa, etiam remittit quoad pœnam temporalem, vel totalem, vel partialem: & ſic vis primaria competit abſolutioni, & ſecundaria ſatisfactioni.

Obj. 1. Juxtà Trident. actus pœnitentis ſunt partes pœnitentiæ: ergo ſunt de illius eſſentia.

Reſp. Diſt. Ant. Sunt partes Pœnitentiæ, prout Pœnitentia eſt quoddam totum integrale heterogeneum, ſicut pes, caput &c. ſunt partes hominis: C. ut eſt totum eſſentiale: N. Hocque formaliter & expreſſè videtur inſinuare Concilium, dum cap. 3. de illis actibus ait: *Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti ... ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur*: ubi non ad eſſentiam ſed ad integritatem, vult eſſe requiſitos, ac per reſpectum ad integritatem, non ad eſſentiam dici partes Pœnitentiæ.

Obji. 2. Florentinum aſſerit Sacramenta novæ legis tribus perfici, materia, forma &c. ergo ſola forma non eſt tota eſſentia Pœnitentiæ.

Reſp. Neg. Conſeq. Licèt enim Sacramenta tribus perficiantur, non tamen tribus intrinſecè componuntur, aliàs perſona Miniſtri eſſet de eſſentia Sacramenti: undè per materiam intelligit intrinſecam aut extrinſecam, hìc autem tantùm reperitur extrinſeca.

Si replices requirere formam intrinſecam: ergo & talem materiam: Negabo Ant. quia forma conſecrationis non eſt intrinſeca Euchariſtiæ ut ſuo loco diximus.

Objici. 3. Trident. ſup. can. 2. dicit Pœnitentiam materia & forma longiſſimè diſſidere à Baptiſmo: ſed ſi quis diceret: Homo corpore & anima à bruto longiſſimè diſtat, diceret hominem componi ex corpore, & anima: ergo. Ità ferè argumentatur quidam Modernus indeque ſumit occaſionem mirandi, quòd etiam nunc aliqui de Tridentini mente dubitent.

Reſp. Me magis mirari, quòd ipſe miretur, cùm Euchariſtia adhuc longius diſtet forma, & tamen non componatur forma. Præterea dicit quidem Concilium materiam & for-

formam illorum Sactamentorum dissidere, non tamen Sacrameuta illa dissidere materia & forma, ex quu tamen sumitur vis argumenti.

Instabis: Tridentinum post ly materia & forma, addit : quibus Sacramenti essentia perficitur: ergu satis insinuat ex illis intrinsecè componi.

Resp. Neg. Conseq. Quia, ut diximus, aliud est perfici, aliud intrinsecè componi, cùm Sacramentum, adeoque essentia Sacramenti, perficiatur intentione Ministri, ex qua nullatenus componitur, & Eucharistia perficiatur forma, & non componatur ex illa.

Objic. 4. Absolutio dicitur forma hujus Sacramenti: ergo non est adæquatè hoc Sacramentum; aliàs idem esset forma suiipsius.

Resp. Dist. Ant. Dicitur forma hujus Sacramenti per respectum ad quasi materiam: C. per respectum ad essentiam; N. Vel certè si velis esse formam respectu essentiæ, dic esse formam secundùm significatiooem, respectu cujus verba sunt materia.

Obj. 5. Non minùs causant gratiam contritio & confessio, quàm absolutio: ergo non minus sunt de essentia hujus Sacramenti. Prob. Ant. Quia Deus movetur ad conferendam gratiam intuitu integri Sacramenti, adeoque intuitu contritionis & confessionis.

Resp. Neg. Ant. Quia, cùm non significent gratiam sacramentaliter sanativam, ità illam non causant: undè sicut crisis naturalis non habet rationem medicamenti, sed dispositionis ad illud; ita nec crisis spiritualis in peccatore, id est peccatorum detestatio, & accusatio, non habet rationem medicamenti spiritualis, sed dispositionis ad illud.

Ad probationem dico, Deum non moveri ab actibus illis ad conferendam gratiam sacramentalem, sed à Sacerdoris absolutione, supposito tamen quòd Subjectum sit per actus illos dispositum. Cujus ratio est quòd Deus moveatur ad dandam gratiam per id, quod gratiam significat; ideò enim Sacramenta dicuntur signa practica.

Objici. 6. Hoc Sacramentum, est quædam reconciliatio; sed reconciliatio involvit retractionem offensæ; ergo,

Resp. Dist. Min. Involvit prævię & dispositivè: C. formaliter: N. quia ut sic, tantùm importat remissionem offensæ.

Objici. 7. Baptismus constat essentialiter ablutione & verbis: ergo Pœnitentia, dolorosa confessiooe & verbis absolutionis.

Resp Neg Conseq. Disparitas est, quòd in Baptismo tam ablutio exterior, quàm verba formæ significent ablutionem interiorem: hic autem sola forma significet peccatorum remissionem.

QUÆSTIO IV.

Quæ sit materia hujus Sacramenti?

HUjus Sacramenti duplex est materia, remota & proxima. Remota autem iterum duplex, necessarla & libera. Hæc patebunt ex dicendis.

CONCLUSIO I.

MAteria remota, seu circa quam, Sacramenti Pœnitentiæ, sunt peccata post Baptismum commissa.

Prob. Hoc Sacramentum est quædam medicina spiritualis: sed medicinæ materia remota sunt vulnera, quæ curantur: ergu Pœnitentiæ materia remota sunt peccata, quæ solvuntur.

Dixi: Post Baptismum commissa: sicut enim necdum baptizati Ecclesiæ jurisdictioni non subduntur; ita nec eorum peccata: undè Paulus 1. Corinth. 8. *Quid mihi*, inquit *de iis, qui foris sunt judicare?* & ideò docent Trident. sess. 14. cap. 1. institutum esse hoc Sacramentum *ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos*. Quandò ergo Scotus 4. dist. 17. num. 18. docet quemlibet habentem usum rationis ad peccatorum memoriam, hoc præcepto ligari, loquitur de baptizatu; quandoquidem loquens de objecto Pœnitentiæ qu. 5. num. 6. asserat esse *omnia peccata commissa post Baptismum*.

Dices 1. Si quis recipiat totum Baptismum cum actuali affectu ad fornicationem, v. g. debebit peccatum illud confiteri: sed non erit post Baptismum commissum: ergo.

Resp. Dist. Min. Non erit post Baptismum, secundùm se consideratum: C. Non erit Baptismum ut culpæ remissivum: N. Hoc autem sufficit: & certè cum omnia peccata vel ad Baptismum, vel ad Pœnitentiam pertineant, sequitur peccatum, quod non est per Baptismum delebile, quale est assignatum, utpotè durans ad Baptismi consummationem, expiari debere per Sacramentum Pœnitentiæ.

Ratio ulterior est, quòd peccatum per Baptismum, remissibile debeat posse ante Baptismum completum retractari.

CONCLUSIO II.

OMnia peccata mortalia baptizatorum nondum per absolutionem sacramentalem directè remissa, sunt materia necessaria hujus Sacramenti, id est, necessariò debent subjici clavibus. Patet ex Trident. sess. 14. can. 7. ubi sic lego; *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure Divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia...... Anathema sit*

Dixi: Nondum per absolutionem sacramentalem remissa; quia remissa per solum actum charitatis aut contritionis perfectæ, huic Tribunali debent subjici: idque ex jure Divino; quia Christus instituit, & voluit, ut omnia baptizatorum mortalia expiarentur hoc Sacramento, cùm fieri posset; & ideò si quis eliciens contritionem, haberet voluntatem nunquam confitendi peccata, de quibus pœnitet, tantùm abest, ut justificaretur, ut è contra novo peccato gravaretur.

Dixi etiam: Nondum directè remissa; quia etiam indirectè remissa in hoc Tribunali, utpotè quia in confessione præcedenti oblita, aut ex justa ratione omissa, debent suo tempore subjici, eò quòd nullum mortale excipiat Christi præceptum: undè hanc propositionem condemnavit Alexand. VII. *Pec ata in confessione omissa seu oblita ob instans vitæ periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere*.

Porrò peccata in confessione oblita, aut justè suppressa dicuntur indirectè remitti, quia cùm non remittatur unum mortale sine alio, eo ipso, quo declaratum directè remittitur, oblitum indirectè remittatur, necesse est.

CONCLUSIO III.

PEccata venialia, & mortalia directè absolota, sunt materia libera hujus Sacramenti, id est, sunt quidem materia sufficiens, si subjiciantur clavibus, non est tamen necesse, ut subjiciantur.

Prob. De Venialibus ex Trident. sess. 14 cap. 5. ubi sic habetur: *Nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquàm rectè & utiliter citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur .... taceri tamen circa culpam ..... possunt*. Et certè quidni sufficerent? cùm Christus dixerit sine distinctione: Quorum remiseritis peccata &c. Venialia autem sine vera peccata, quibus Deus offenditur, & propter quæ homo in Purgaturio punitur. Sunt autem libera; quia non est credibile Deum, qui impossibilia non jubet, obligasse homines ad confessionem omnium sigillatim venialium, sicut mortalium; cùm illa sit moraliter impossibilis. Præterea venialia stant cum gratia sanctificante, nec inducunt animæ naufragium.

Dices: Sacerdotes æqualem habent potestatem ad remittendum & retinendum peccata: sed non possunt retinere venialia: ergu nec remittere.

Resp. Neg. Min. Quia etiam venialium denegari, aut saltem differri potest absolutio, si nempè eorumdem sit frequens confessio, & nulla prorsùs mutatio; quod quandoque ansam Confessario præbet dubitandi de virtute propositi.

Prob. De Mortalibus remissis, tùm ex Benedicto XI. in Extrav. *Inter cunctas*, de Privilegiis §. *Cæterùm*, ubi ait: *Licèt de necessitate non sit eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum reiteretur confessio, reputamus salubre*. Tùm etiam ratione; quia Christus non limitavit potestatem Confesariorum ad unum actum remissionis, nec congruebat ita limitari, propter majorem animarum utilitatem, & securitatem; undè sicut in judicio humano potest delinquens iterùm judicari de criminibus jam judicatis, si id postulaverit, ità & in hoc judicio sacramentali. Quod dixi de mortalibua, idem dic de venialibus jam absolutis, propter eandem rationem.

Nec

Nec dicas 1. Quòd sit eadem materia; quia licèt sit eadem remota, non tamen proxima: est enim diversa contritio, diversa accusatio: quod sufficit, ut patet in Baptismo, ubi eadem numero aqua potest esse materia remota diversorum Baptismatum, si accesserit diversa materia proxima, nempe diversa ablutio. Similiter in Matrimonio potest idem corpus esse materia remota diversorum Matrimoniorum, aliàs non liceret homini, defuncta prima uxore, ducere secundam.

Nec dicas 2. Tunc absolutionem esse falsam, eò quòd peccatum sit absolutum; quia hæc verba: *Absolvo te à peccatis*, habent hunc sensum: *Confero tibi gratiam de se remissivam peccati*: quod etiam tunc verum est: undè quando illa gratia peccatum reperit, illud remittit, cùm non reperit, gratiam priorem auget.

Nec dicas 3. Peccatum absolutum esse nihil & physicè & moraliter, adeoque non esse materiam judicii, quod fertur in aliquid saltem morale; quia licèt non sit aliquid necessariò punibile (suppono peccatorem plenè satisfecisse) est tamen aliquid iterùm condonabile, & certè si homines possint sano sensu pluries condonare offensam in se commissam, quidni & Deus Sacerdotum suorum ministerio? Et sic absolutio tali casu non cadit suprà nihil, sed suprà offensam aliàs remissam.

CONCLUSIO IV.

Actus pœnitentis, id est contritio, confessio, & satisfactio, sunt materia, aut quasi materia proxima hujus Sacramenti. Patet ex Conciliis Florentino, & Tridentino sess. 14. cap. 3. & can. 4.

Prob. Quia forma non attingit materiam remotam, nisi mediantibus illis actibus; undè non fertur in peccata nudè & solitariè sumpta, sed in peccata cum dolore accusata, & per satisfactionem vindicanda: undè licèt satisfactio sit posterior forma, forma tamen eam attingit suo modo, in quantùm dat illi vim remittendi pœnas ex opere operato.

Dices 1. Pœnitens non est Minister hujus Sacramenti: ergo ejus actus non sunt illius materia.

Resp. Dist. Conseq. Non sunt materia intrinseca & essentialis, quam ponit Minister: C. extrinseca & præsupposita: N. Hæc autem poni potest à non Ministro, ut patet in Eucharistia.

Dices 2. Contritio non est sensibilis: ergo non potest esse materia Sacramenti.

Resp. Dist. Ant. Non est sensibilis ratione sui: C. ratione confessionis: N. Per hanc enim moraliter Sacerdoti innotescit. Præterea etsi omnis materia Sacramenti deberet esse sensibilis, non tamen omnis quasi materia.

QUÆSTIO V.

Quot sint partes Sacramenti Pœnitentiæ, & quot actus Pœnitentis?

Loquimur de omnibus partibus, sivè essentiales dicantur, sivè necessariæ, sivè integrales.

CONCLUSIO I.

Quatuor sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, nempè *Contritio*, *Confessio*, quas partes insupplebiliter requisitas vocant Scotistæ, essentiales Thomistæ: *Absolutio*, quam essentialem agnoscunt omnes, & meritò, cùm vis hujus Sacramenti præsertim in ea consistat, ut docet Trident. sess. 14. cap. 3. & *Satisfactio*, quam diximus non esse partem essentialem, sed integralem.

CONCLUSIO II.

Tres sunt actus pœnitentis, nempè Contritio, Confessio, & Satisfactio: Absolutio siquidem actus est Judicis, seu Sacerdotis: & indè patet plus importare partes Pœnitentiæ, quàm actus pœnitentis; cum hi omnes sint partes Pœnitentiæ, non sic illæ omnes, actus pœnitentis.

QUÆSTIO VI.

Quæ sit forma hujus Sacramenti, & qualiter debeat proferri?

CONCLUSIO I.

Forma hujus Sacramenti est hæc: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Patet ex Florent. & Trident. Inter autem illa verba, hæc sola duo sunt essentialia: *Absolvo te*, vel æquivalentia; licèt aliqui velint etiam *à peccatis tuis* esse de essentia Formæ.

Prob. Autem; quia particula *Ego* sufficienter includitur in verbo *Absolvo*; particula verò *à peccatis tuis* intelligitur ex circumstantiis; quia licèt vox *Absolvo* possit cadere tam super censuras aut pœnas, quàm super peccata, præsupposita tamen peccatorum confessione, determinatur ex sensu Ecclesiæ, ut cadat super illa: ex quo sequitur circumstantias prærequiri quidem, ut verbum *Absolvo* habeat illam significationem, non tamen esse de essentia Formæ: unde Rituale Camerac. editum anno 1622. expressè dicit ly *à peccatis*, non esse de necessitate Sacramenti. Invocatio autem SS. Trinitatis neque ex effectu hujus Sacramenti, qui sine illa satis intelligitur, neque ex verbis Christi, neque ex sensu Ecclesiæ colligitur essentialis.

Dices 1. In judicio humano fit expressio criminis absolvendi, aut condemnandi: ergo & fieri debet in absolutione sacramentali

Res. 1. Si Antecedens aliquid probaret, etiam probaret esse exprimenda in absolutione omnia sigillatim & speciatim peccata; cùm ita fiat in judicio humano.

Resp. 2. Dist. Ant. Fit expressio criminis tanquam necessaria ad essentiam absolutionis aut condemnationis: N. nam validè absolveretur aut condemnaretur Reus, si, declarato peccato, tantùm diceret Judex: *Te absolvo*, aut *condemno te ad mortem*. Tanquam cæremonialis, & ad majorem facti detestationem: C. sed nego conseq.

Dices 2. Florentinum referens Formam, refert etiam hæc verba: *à peccatis tuis*: ergo &c.

Resp. Etiam referre ly *Ego*, & ly *in nomine Patris* &c. quæ tamen constat non esse de essentia Formæ: unde refert illa, non ut essentialia, sed ut dici solita ex præscripto Ecclesiæ.

Dices 3. Non dixit Christus: *Quorum remiseritis*; sed *Quorum remiseritis peccata: ergo &c.*

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd *Absolvo* in usu hujus Sacramenti determinetur per peccata confessa: non sic in illius institutione; & ideò tunc potiùs debuerunt exprimi, quàm nunc.

Dices 4. Indè sequitur valere hanc Formam: *Absolvo te à peccatis uxoris tuæ*; quia post *Absolvo te* habetur totum Sacramentum, adeoque non nocent verba sequentia.

Resp. Neg. Seq. Quia etsi post *Absolvo* habeatur Sacramentum, quando non proferuntur alia verba, non tamen quando proferuntur: undè dicens *Absolvo te à peccatis* censetur sumere *Absolvo* in generali significatione, determinanda per ly *à peccatis tuis*: si autem loco ly *à peccatis tuis*, dicat *à peccatis uxoris* determinatur *Absolvo* ad falsam significationem, adeoque falsa est forma.

Fatendum tamen, si Sacerdos proferat *Absolvo te* cum seria intentione remittendi per hoc peccata, ac prolatis verbis illis, mutando intentionem addat *à peccatis alienis*, validam esse Formam, sicut valida est hæc cum debita intentione prolata: *Hic est Sanguis meus*, licèt mutando posteà intentionem, superaddat *phantasticus*: quia cùm ante additionem sit completum Sacramentum, non censetur additio Formam ut Sacramentalem ad alium sensum detorquere. Ex dictis

Resol. Omittere particulam *Ego*, aut invocationem SS. Trinitatis, secluso contemptu & scandalo, totùm esse veniale, omittere tamen *à peccatis*, esse mortale; quia licèt sit probabile, non est tamen certum, quòd illa verba non sint essentialia: undè absolutio data sine illis verbis, repetenda esset sub conditione, saltem si absolutionis necessitas urgeret, nec posset alia materia subministrari.

CONCLUSIO II.

FOrma hujus Sacramenti debet voce proferri.

Ratio à priori est voluntas Christi, quam perpetua Ecclesiæ praxis manifestavit nobis: undè Florentinum docet Formam hujus Sacramenti esse verba Absolutionis, quæ Sacerdos profert; ubi hæ particulæ: *quæ Sacerdos profert*, apertè indicant Concilium loqui de verbis ore prolatis.

Ratio congruentiæ assignari posset, ut meliùs constaret pœnitenti, quòd sua peccata sint sibi remissa. Nec refert quòd in judicio politico possit ferri sententia scripto; quia etsi judicium sacramentale in aliquibus conveniat cum politico, non tamen in omnibus: nam in sacramentali idem est Reus & accusator, non sic in politico.

QUÆSTIO VII.

An Forma hujus Sacramenti possit esse deprecatoria?

CONCLUSIO UNICA.

FOrma hujus Sacramenti non debet proferri deprecativè tantùm, sed authoritativè; adeoquè necessariò absolvere debent Sacerdotes verbis indicativis aut imperativis. Est communis contra Morinum, & Joannem Launoy, qui sententiam oppositam quasi extinctam de novo suscitarunt cum aliquorum recentiorum applausu.

Prob. 1. ex Script. Joan. 20. ubi non dixit Christus: *Quorum oraveritis remitti peccata*, sed *quorum remiseritis*; undè D. Thomas Opusc. 21. cap. 1. *Miror, qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solùm rogat esse solvendum*: & ideo vocat ibidem contrariam opinionem *temerariam & præsumptuosam*.

Prob. 2. ex Trident. sess. 14. can. 9. ubi legitur: *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem ..... Anathema sit*: sed mera deprecatio non continet actum judicialem; cùm deprecari sit actus supplicantis, & judicare sit actus auctoritatem exercentis: ergo.

Prob. 3. Quia ex opposita sententia sequitur Sacerdotem præmittentem absolutioni ordinariæ hæc verba: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, ubi fieri solet, nihil efficere, per ly *Absolvo te*; cùm jam posuerit totam Formam cum Intentione efficiendi, quidni potest per illam, cùm nullus Ministrorum soleat suspendere vim illorum verborum: imò in sententia Adversariorum, quamvis diceret: Nolo per priora verba absolvere, adhuc absolveret; quia, secundùm ipsos sufficit ad valorem Sacramenti, quòd Minister ponat seriò ritum externum.

Obj. 1. Ambrosium lib. 3. de Spiritu S. cap. 19. ubi de Absolventibus dicit: *iste rogant, & Divinitas donat*. Item D. Hieronymum in Psal. 28. dicentem, Flammam libidinis in nobis extingui *per orationem Sacerdotum*, nempè absolventium: undè Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 16. *Quid est manuum impositio, nisi oratio super hominem?* Idem legitur apud alios?

Resp. Ita loqui Sanctos PP. non quia putent Formam esse mere deprecatoriam, sed quia solet Sacerdos ante & post Formam orare: & quidem ita ut verba Absolutionis nihil ferè sint quoad durationem respectu orationis præcedentis & subsequentis. Vel certè loquuntur de Absolutione cæremoniali post pœnitentiam publicam adhiberi solita. Dicit quidem Augustinus lib. 50. Homiliar. Homil. 23. cap. 8. futuri erant homines, qui dicerent: *Ego dimitto, ego justifico, ego sanctifico, ego sano*. Sed loquitur de hominibus, qui vim sanctificandi attribuebant non potestati sibi à Deo in Ordinatione concessæ, sed suis meritis.

Obj. 2. Non possunt ostendere Latini in Ritualibus ante annos 490. editis, Formam indicativam *Absolvo te*: ergo signum est tunc fuisse deprecativam.

Resp. Ad hoc desumptum ex Euchologio P. Jacobi Goar. pag. 676. qui paulò ante Gonet scripsit, Nego Ant. quia in Ordine Romano, qui est antiquissimus, legitur: *Nos etiam secundùm authoritatem nobis indignis à Deo concessam, absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum*. Item in Sacramentario Gregoriano asservato in Bibliotheca Victoriana Parisiensi habetur: *Absolvimus te vice B. Petri Apostolorum Principis, cui Dominus potestatem ligandi & solvendi dedit*. Similiter vetustissimum Ecclesiæ Rhemensis Manuscriptum continet, ut refert Menardus, hanc Formulam: *Ego dividitus vos absolvo à vinculo peccatorum vestrorum*. Sed quid Sacramentarium Ecclesiæ Turonensis ante annos 600. conscriptum? *Absolvimus vos ab omnibus criminibus vestris*: quæ omnes Formulæ respondent Nostræ: unde Noster Alensis à 500. ferè annis sic scribebat 4. p. membr. 2. art. 2. *Absolutio Sacerdotis, quæ fit expressione talium verborum: Ego absolvo te, vel Dominus absolvat te*, nempè per ministerium meum, quod idem est ac Absolvo te, ut Minister Christi.

Inst. 1. Ex Formulis præfatis nihil potest concludi, cùm non videantur sacramentales, utpotè non in personam particularem, sed in plures prolatæ.

Resp. Quod sicut tunc Sacerdotes usurpabant *Absolvimus* pro *Absolvo*, ita & *Vos* pro *Te* honoris causa.

Inst. 2. Guillelmus Doctor & Episcopus Parisiensis, & Alensis coætaneus sic habet cap 9. de Sacram. Pœnit. *Neque more Judicum forinsecorum, pronuntiat Confessor*, Absolvimus te, *sed magis orationem, facit super eum, ut Deus absolutionem ..... tribuat*.

Resp. Non facere vim super modum loquendi, cùm non sit credibile tantos in eadem Academia, & eodem tempore Magistros sibi contradicere in facto communi quotidiano, sed super modum remittendi, eo quòd nempè Forinseci Judices absolvant physicè, Sacerdotes verò tantùm moraliter, Deum movendo ad Absolutionem physicam.

Inst. 3. Adversarius, quem impugnat S. Thomas Opusc. præfato, asserit Formam indicativam non fuisse ante 30. annos usurpatam.

Resp. Quòd, cùm D. Thomas non adhibeat ipsi fidem, nec nos adhibeamus, præsertim cùm contradicant illi Formæ anteà citatæ: & jam sint *anni 1660. & amplius*, inquit Doctor ibid. quòd dictum est Petro: *Quodcumque solveris*, & non *Quodcumque petieritis solvi*.

Objici. 3. Varias Græcorum tum antiquorum tum modernorum Formas, in quibus sola apparet deprecatio, ut hanc ab Arcudio Authore græco relatam c. 4. Concord. *Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc à peccatis suis*. Item hanc Jacobi Goar. in Partibus orientalibus Missionarii Euchol. pag. 613. *Dominus Jesus Christus remittat tibi omnia, quæ coram mea tenuitate confessus es*. Item *Relaxa, remitte, condona peccata à servis tuis istis commissa*. Imò Morinus lib. 8. de administr. Sacram. Pœnit. cap. 12. refert de se forma absolutionis interrogasse Sacerdotem quemdam Græcum Ligarinum nomine, Chium natione, qui Adolescentibus Græcis græcè erudiendis præsidebat in Collegio Romano, & sibi respondisse hanc esse Græcis usitatam & vulgarem formam: *Ipse Domine remitte, dimitte, condona peccata hujus N. quia sua est potentia, & tuum Regnum Patris &c.*

Resp. 1. Mirum esse uni Morino tantam fidem adhiberi; cum Arcudius natione Græcus, ac in hujusmodi peritissimus referens lib. 4. de Sacram. cap. 3. varias Græcorum formas, ne unam habeat, quæ non importet authoritatem Sacerdotis judicialem, per hæc aut similia verba: *Habeo te venia donatum, habeo te absolutum*, quæ idem sonant, teste eodem Archudio, ac *Absolvo te*, eò quòd voces *donatum absolutum* &c. non importent tempus præteritum, sed præsens: sicut *habeo te excusatum*, significat *excuso te*. Imò refert se vidisse librum, Russorum idiomate manuscriptum, ubi hanc Formam illi ostendit Hypatius Metropolita Chioniensis, *Ego pater tuus spiritualis ..... absolvo te ab omnibus peccatis tuis*.

Fatetur quidem in Euchologio Græcorum haberi formam in objectione allatam, sed ea, ut ait, non utuntur peritiores Græci, sed alia à Leone Allatio inter recentiores Græcos eruditissimo subministrata, nempè *Humilitas mea condonatum habet filium suum in omnibus* &c. Vide Frassan. Tom. 4. p. 274. Jacobus autem Goar, teste Gonet Tom. 5. Formis deprecatoriis subnectit has indicativas: *Ego verò indignus ejus servus absolvo te à peccatis tuis*. Item: *Ego verò condono tibi omnia peccata tua*.

Resp. 2. Quòd in Forma allata *Absolvo hunc*, subintelligatur *per me* vel *per ministerium meum*, quasi diceret: *Absolve Domine principaliter, quem potestate à te mihi concessa absolvo ministerialiter*: & hoc sensu venit intelligenda Forma Ligarini à Morino citata, nempè, *Remitte, dimitte, condona &c.* Cùm *mera deprecatio*, ut ingenuè fatetur Vanroy, *non sit actus judicialis, neque sententia efficax*; & ideò non est audiendus Juenin dicens hic §. 2. *Valet apud Græcos actus judicialis absolutioni sacramentali essentialis, licèt Verbis tantùm deprecantibus exprimatur*; cum supponat falsum, nisi certè loquatur de verbis, quæ apparenter sunt tantùm deprecatoria, licèt in re, & attentis circumstantiis Tribunalis, & personæ,

næ, à qua & in quam proferuntur, plus importent, quàm deprecationem.

Obji. 4. Clemens VIII. io Instruct. super Ritibus Græcorum, postquam dedit facultatem Græco absolvendi Latinum in necessitate, sed cum Forma nostra, subdit, *Et posteà si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro Forma hujusmodi absolutionis dicere tantùm consueverunt*: ergo supponit Græcos in Forma tantùm deprecatoria solitos esse absolvere: quod tamen non reprehendit.

Resp. Implicitè illam reprehendere, aut ad minimum de illa dubitare, cùm injungit Græco, ut absolvat cum Forma Latinorum. Præterea si velis Pontificem illam habuisse ut validam, dicemus illam vocasse deprecatoriam; non quia sit mera deprecatio (aliàs non esset actus judicialis) sed quia videtur sonare meram deprecationem.

Objici. 5. Potuit Christus statuere, ot statim ac Sacerdos proferret Formam mere deprecatoriam, peccata remitteret: ergo dicendum est sic fecisse, cùm id insinuent Formæ græcæ

Resp. Dist. Ant. Potuit statuere, ot Sacerdos peccata remitteret judicialiter per meram deprecationem: N. quia deprecari non est judicare, sed supplicare, potiusque est actus rei, quàm Judicis. Ut simpliciter peccata remitteret: C. quia sic fit in Sacramento Extremæunctionis.

Obj. 6. Absolutio à Censuris est judicialis, & tamen potest esse merè deprecatoria: ergo.

Resp. Neg. Ant. Eo enim ipso, quo affirmas judicialem, negas merè deprecatoriam, cùm unum destruat aliud.

QUÆSTIO VIII.

Quis sit sensus Formæ ordinariæ?

CONCLUSIO I.

SEnsus Formæ ordinariæ non est hic: Declaro tibi remissa esse peccata. Est Scoti 4. dist. 14. q. 4. ou. 6. contra quosdam Antiquiores.

Prob. 1. Ex definitione Trident. sess. 14. can. ubi anathematizat dicentem *absolutionem sacramentalem esse nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata*.

Prob. 2. ex D. Chrysostomo lib. 3. de Sacerd. col. 4. *Sacerdotibus nostris, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*.

Prob. 3. Quia dixit Christus: *Quorum declaraveritis remissa esse peccata*, sed *Quorum remiseritis &c.* ubi insinuat datam esse Sacerdotibus veram & realem potestatem ad dimittenda peccata: undè Trident. sess. 6. cap. 14. definit justificari peccatores per Sacramentum Pœnitentiæ, adeoque per illud verè dimitti peccata.

Dices 1. Solius est Dei remittere peccata: ergo.

Resp. Dist. Ant. Solius est Dei, ut est causa principalis: C. ut causa ministerialis, qualis est Sacerdos N.

Dices 2. Comparat D. Hieronymus in Cap. 12. Matth. judicium Sacerdotum novæ legis cum judicio Sacerdotum legis veteris quantùm ad lepram: sed hi non mundabant lepram sed tantùm declarabant mundatam: ergo & idem faciunt Sacerdotes Evangelici respectu peccati.

Resp. Dist. Maj. Comparat &c. quantùm ad potestatem judicandi: N. quantùm ad potestatis usum in quantùm Sacerdotes nostri debent ante absolutionem explorare, an pœnitentes digni sint absolutione, necnè, sicut Sacerdotes legales debebant discernere, quinam essent à lepra mundi aut immundi: C.

CONCLUSIO II.

SEnsus illius Formæ non est hic: *Remitto tibi pœnam peccatis debitam*, sivè agatur de æterna, sivè de temporali. Est contra Baium, qui cùm teneret post actum peccati, tantùm remanere obligationem ad pœnam, ut patet ex hac Propositione 56. inter 70. damnatas; *in peccato duo sunt, actus & reatus; transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, seu obligatio ad pœnam*, docebat consequenter per Absolutionem, solam pœnam remitti, ut patet ex Propositione 57. *Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione propria reatus peccati dumtaxat tollitur*. Idem continet Propositio 58.

Prob. Conclusio 1. quia juxta Trident. sess. 6. cap. 14. *Pœna æterna . . . . . una cum culpa remittitur*: ergo si Sacerdos non remittit culpam, nec remittit pœnam æternam. 2. quia falsum esset Pœnitentiæ Sacramentum esse secundam post naufragium tabulam; cùm nunquam à peccati naufragio pœnitentem liberaret. 3. Quia Sacramenta id efficiunt, quod significant: Forma autem significat remissionem peccati, & non solius pœnæ peccato debitæ. 4. quia contra Trident. sess. 14. cap. 1. non haberent Sacerdotes potestatem *ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos*; cum reconciliatio non sit ablatio solius pœnæ, sed culpæ.

Dices Lazarus comparatur peccatori; sed priùs Lazarum resuscitavit Christus quàm eum solverent Discipuli: ergo hic similiter; adeoque non resuscitat Sacerdos peccatorem, sed à Deo resuscitatum solvit à pœna.

Resp. Dist. Maj. Lazarus comparatur peccatori quoad omnia: N. quoad aliqua: C. undè non comparatur quoad hoc, quòd Christus priùs ipsum vivificaverit, ac posteà Discipuli viventem solverint, sed quoad hoc, quòd Christus ipsum è sepulchro vocaverit, ac vocatus, fuerit à Discipulis solutus: sic etiam Deus per gratiam prævenientem ex criminum tumulo vocat peccatorem, quem sic vocatum solvunt Pœnitentiæ Ministri.

Inst. Augustinus facit comparationem quoad primum, ait enim in Psal. 87. *quantumlibet per fidele ministerium opitulentur; salati viventes curare possunt, non mortuos excitare* colum. 6. & in cap. 16. Matth. *Christus per se intus vivificat, Ministris potestatem solvendi post vitam, tribuit, qui nullum solvere possunt, nisi vivat*.

Resp. August. loqui de viventibus, non vita gratiæ habitualis, sed vita gratiæ actualis, seu prævenientis: undè solùm vult à Sacerdotibus non solvi peccatores, nisi jam vivant inchoatè per dolorem, quem io ipsis excitavit Deus. Idem dic ad alios Patres, ubi similia referunt.

CONCLUSIO III.

POtest sustineri sensum Formæ hujus Sacramenti esse: *Remitto tibi peccata tua*. Hanc sententiam (quam tenent Lugo & alii) docet Mastrius esse probabiliorem.

Ratio est; quia verè talis est sensus verborum naturalis.

Dices 1. Indè sequitur falsam esse Formam, ubi profertur super peccata anteà remissa.

Resp. Neg. Sequel. Quia sicut io humanis potest bis remitti eadem offensa, ita & hic: undè secunda remissio est confirmatio prioris.

Inst. 1. Non potest idem bis donari: ergo nec idem bis condonari.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd donatio transferat rei datæ dominium, & sic ubi fuit prima, non potest esse secunda, cùm non possit amplius dominium in Donatarium transferri, utpote jam illius dominum: condonatio verò offensæ tantùm sit insinuatio, quòd offensus offendenti placatus sit: quod bis fieri potest sine contradictione.

Inst. 2. Non possunt vincula corporea soluta iterum solvi: ergo nec spiritualia.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd prima solutio, utpote physica, requirat ligamen physicum, secunda verò, utpote moralis, tantùm requirat morale, quod etiam post primam solutionem videtur remanere: non quidem in ratione maculæ, sed in ratione condonabilis; cùm eadem offensa possit pluries remitti, ut diximus agentes de materia hujus Sacramenti.

Inst. 3. Peccatum remissum habetur instar peccati nunquam commissi: sed hoc non est condonabile: ergo nec illud.

Resp. Dist. Maj. Habet se instar peccati nunquam commissi in ordine ad punitionem: Transeat. Dico *Transeat*, quia culpa soluta, potest restare pœna solvenda. In ordine ad condonationem. N.

Dices 2. Qui remittit peccatum, facit ut peccatum anteà existens non existat ampliùs: sed hoc non efficit Forma prolata super peccatum anteà remissum: ergo.

Resp. Dist. Maj. Qui primò remittit peccatum, facit &c. C. qui remittit secundò aut tertiò N. quia tantùm confirmat, quod primò effecit.

CONCLUSIO IV.

PRobabilius est sensum Formæ ordinariæ esse hunc: *Confero tibi gratiam remissivam peccati post Baptismum commissi*. Est communior, colligiturque ex Scoto 4. d. 14. q. 4. n. 9. & 10.

Prob. Quia attento hujus Sacramenti fine & effectu, qui est peccatorem cum Deo reconciliare, non potest convenientior assignari, cùm importet & gratiam & peccati remissionem

fiooem, In quibus consistit reconciliatio. Undè sensus quidem Conclusionis præcedentis videtur magis genuinus, si attendatur verborum significatio merè naturalis, id est, quam habent ex hominum institutione; non tamen si atteodatur significatio sacramentalis, seu quam habent ex institutione Christi, à quo habent omnia Sacramenta esse collativa gratiæ, adeoque esse significativa ejusdem, cùm, utpote signa practica, significent quod efficiunt.

Dices 1. Prior est peccati remissio infusione gratiæ juxta illud D. Benardi serm. 1. de SS. Petro & Paulo: *Sententia Petri præcedit sententiam cæli*: sed contrarium insinuat sensus allatus: ergo.

Resp. Neg. Min. Ad D. Bernardum Dico, sententiam Petri & cœli esse tempore simultaneam, illam tamen posse dici priorem quasi causalitate, cùm sano sensu dici possit: Ideò confert Deus gratiam sacramentalem, quia Sacerdos absolvit.

Dices 2. Posset Deus in hoc Sacramento remittere peccatum per condonationem extrinsecam: adeoque non infundere gratiam.

Resp. Assumptum esse verum in Scoti principiis; sed non agitur hic de eo, quod Deus potest, sed de eo, quod reverà operatur vi institutionis.

Dices 3. Indè sequitur potuisse absolvi B. Virginem; cum fuerit capax recipiendi gratiam, non quæ remitteret peccatum, cùm non haberet: sed quæ remisisset, si habuisset.

Resp. Neg. Sequel. Quia sicut B. Virgo non potuit facere peccatorum confessionem, ità nec potuit recipera absolutionem; cùm hæc non subsistat sine illa. Deindè subjectum hujus Sacramenti est solus post Baptismum relapsus.

Petes: Quid dicendum de absolutione, quæ datur nostris agonizantibus, aut certis diebus capitulariter congregatis?

Resp Illam non esse sacramentalem, sed cæremonialem: & ideò licèt in ea legatur absolutio ab omnibus peccatis, non remittitur tamen reatus culpæ, sed solius pœnæ: undè ly *à peccatis* intelligitur, sicut 2. Machab. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*, id est, à pœnis, quæ debentur peccatis. Verè tamen solvuntur Censuræ, ac dispensatur super Irregularitate. Imò per eam capitulariter datam conceditur Fratrum Confessariis, ut possint eos toto tempore Festi, ratione cujus fit confessio, absolvere à casibus reservatis.

QUÆSTIO IX.

An teneatur Sacerdos proferre illa verba, quæ ordinarii Formam præcedunt, & sequuntur?

CONCLUSIO I.

IN illis omnibus debet Sacerdos sequi morem in Ecclesia usitatum, & in Rituali Romano præscriptum, ubi traditur, quòd Sacerdos sic debeat absolvere pœnitentes, dicendo scilicet: *Misereatur tui* &c. *Indulgentiam absolutionem* &c. Deindè: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (quod verbum omitti debet circa Laicos, utpotè Suspensionis incapaces) *& interdicti in quantum possum, & tu indiges; deindè ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

In Rituali autem Cameracensi præscribitur Ministro, ut postquam pœnitens fecit signum crucis, & dixit: *Benedic Pater*, dicat: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut verè, & humiliter confitearis peccata tua in nomine Patris*: &c. Postquam verò pœnitens dixit: *Confiteor*, usque ad *mea culpa*, & confessus est, peccata cum adjutorio Confessarii, si opus fuerit, resumpseritque *Confiteor à mea culpa* inclusivè usque ad finem, dicit Sacerdos: *Misereatur* &c. ut sup.

CONCLUSIO II.

NOn tenetur Sacerdos (secluso contemptu & scandalo) verba antecedentia, scilicet *Misereatur tui* &c. *Indulgentiam* &c. *Dominus noster* &c. Præmittere, nequidem sub veniali. Idem est de verbis Formam subsequentibus, scilicet: *Passio Domini nostri* &c. Quia praxis contraria videtur præscripsisse contra obligationem Ritualis Romani; cùm etiam maximè timorati varient circa illa: undè ut vitetur omne peccatum, sufficit hæc verba proferre: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris* &c. Expedit tamen ad majorem hujus Sacramenti solemnitatem omnia prædicta observare, nisi necessitas, vel magnus pœnitentium concursus id fieri prohibeat: quo casu satis erit dicere: *Ego te absolvo ab omnibus Censuris, & peccatis tuis in nomine Patris* &c. ut notat Rituale Romanum.

DISPUTATIO III.

De effectibus hujus Sacramenti.

CIrca hujus Sacramenti effectus errarunt aliqui excedendo, aliqui deficiendo. Quidam Doctor relatus à Bellarmino lib. 2. de Pœnit. cap. 13. docuit in *Opusc.* de Contritione nullum baptizati peccatum posse extra articulum mortis remitti, nisi in hoc Sacramento realiter suscepto; adeoquè vim justificandi eripiebat perfectæ contritioni & charitati. Novatiani è contrà, etiam huic Sacramento negabant virtutem dimittendi certa peccata, & præsertim Apostasiam à Fide, & negationem Christi in tormentis. Alii circà hoc irrepserunt errores, quos fusè retulimus Disp. 1. illuc recurre.

QUÆSTIO I.

An Pœnitentia possit omne peccatum, omnemque pœnam remittere?

CONCLUSIO I.

POenitentia sivè Virtus, sivè Sacramentum remittere potest quodlibet peccatum, quantumvis enorme & reiteratum. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura Ezechiel. 18. ubi sine ulla limitatione promittitur verè pœnitentibus remissio omnium peccatorum: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, ... omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Similia reperies Isa. 55. Item Joan. 20. generaliter dicitur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.

Prob. 2. Per Sacramentum Pœnitentiæ, sicut & per contritionem perfectam acquiritur gratia: sed gratia est incompossibilis cum quolibet peccato quantumlibet magno & reiterato: ergo &c. Undè Isa. 1. de peccatorum gravitate dicitur: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt*, scilicet per Pœnitentiam. De peccatorum verò multitudine dixit Christus Petro interroganti: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*: quod omnes intelligunt de infinitis vicibus. Hinc Chrysostomus Homilia 9. in Psalmum 50. *Peccasti? Pœnitere: Millies peccasti? millies pœnitere*. Undè Capite *Firmiter* de summa Trinit. legitur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari*.

Prob. 3. Ex eo quòd contrarium deroget Divinæ misericordiæ, detrahat Christi Passioni, & locum præbeat desperationi.

Obj. 1. 2. Machab. 9. de Antiocho legitur: *Orabat scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus*. Et Hebræ. 12. de Esau: *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisivisset eam*.

Resp. Ad primum cum D. Thoma Pœnitentiam Antiochi fuisse imperfectam, cùm non doleret propter Dei offensam, sed propter sanitatem recuperandam, ut satis patet ex contextu.

Ad secundum Dico ly *Pœnitentiæ* non afficere Esau sed Isaac; seu insinuatur non potuisse Esau efficere, ut pater Isaac tacti pœnitens benedictionem datam Jacob retractaret, & in Esau transferret.

Obj. 2. Matth. 12. dicitur: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur*. Et infrà: *Qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*.

Resp. Ibi blasphemiam Spiritus, sicut & verbum in Spiritum S. dici irremissibilia, non physicè, quasi verò Deus non pos-

possetilla remittere, sed moraliter, in quantùm directè offendunt illum, cui specialiter attribuitur largitio Divinæ gratiæ, sine qua non fit peccatorum remissio: sic morbus dicitur incurabilis, quando tollit id, per quod curari debet v. g. virtutem naturæ, licet à Deo curari possit.

Obj. 3. illud 1. Joan. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis:* ergo cùm pro illo peccatore non sit orandum, supponit peccatum illius non posse remitti.

Resp. Cum Augustino lib. de Corrept. & grat. cap. 12. & Greg. lib. 16. Moral. cap. 28. per peccatum ad mortem intelligi impœnitentiam finalem, qua quis in mortali existens expressè aut interpretativè vult ipsi immori contra strictam pœnitendi obligationem: undè dicitur peccatum ad mortem, quia & cum morte temporali conjungitur, & adjunctam habet infallibiliter mortem æternam. Ex dictis

Resol. Nullum dari peccatorum numerum, quo posito, non possit amplius peccator resurgere: undè quando Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 67. ait. *Illa est peccati justissima pœna, ut amittat quisque, quod benè uti noluit ..... & qui, cùm rectum facere posset, noluit, amittat posse, cum velit:* vult quidem peccatoribus gravioribus nonnunquam ob peccata priora subtrahi gratiam efficacem ad pœnitendum, non tamen sufficientem, saltem remotè; cùm omnes peccatores jam peccatores vocet ad pœnitentiam, & nullus sine gratia venire possit. Vide dicta Tract. de vitiis pag. 15. Et ideò si qui interdum non resurgant, non Deo, sed eorum malitiæ imputandum est.

CONCLUSIO II.

POtest Pœnitentia tum Sacramentalis, tum extra-sacramentalis remittere omnem pœnam peccatis debitam sivè temporalem, sivè æternam.

Prob. Quia eò plùs pœnæ remittitur, quò plùs Pœnitentia augetur: ergo hæc ita potest intendi, ut illa totaliter tollatur: undè D. Paulus & B. Magdalena imò & fortè innumeri alii nobis ignoti, per contritionem valdè excellentem, talem remissionem obtinuerunt.

CONCLUSIO III.

PŒnitentia, remissa culpa, semper remittit pœnam æternam ipsi debitam, non tamen semper temporalem, in quam plerumque mutatur æterna.

Prob. 1. Pars; quia nunquam remittitur culpa, nisi infundatur gratia: sed hæc constituit hominem dignum vita æterna: ergo non relinquit ipsum dignum morte, seu pœna æterna.

Prob. 2. Pars (quam impugnant Lutherus & Calvinus volentes, quòd ubi remittitur culpa, remittatur & tota pœna) quia ratio postulat, ut non totum concedamus Divinæ misericordiæ, sed partim misericordiæ, partim justitiæ; cùm Deus non minùs sit justus, quàm misericors: ergo, si ratione misericordiæ remittat pœnam æternam, ratione justitiæ exigit saltem temporalem: undè Trident. sess. 14. cap. 12. *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo: Anathema sit.* Et certè id exigebat effrænata hominum malitia, *ne velut injurii & contumeliosi Spiritui S. in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ,* ut ait Concilium sup. cap. 8.

Dices 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu,* Rom. 8. ergo justificatis, utpotè in Christo Jesu, nihil restat solvendum.

Resp. Neg. Cons. Aliud est enim nihil esse damnandum, & nihil esse solvendum; cùm primum tantum importet remissionem culpæ, quam concedimus, secundum verò etiam remissionem omnis pœnæ, quam negamus: & ideò quando Deus Ezech. 18. dicitur oblivisci omnium iniquitatum peccatoris pœnitentis, fit respectus ad culpam, non ad pœnam.

Dices 2. Qui remittit plus, remittit & minus: sed Deus remittendo culpam, remittit pœnam æternam: ergo & temporalem.

Resp. Dist. Maj. Remittit & minus sub eo necessariò contentum: C. sic qui remittit debitori 100. aureos, remittit 20. Secus: N. jam autem pœna temporalis non necessariò continetur sub pœna æterna, cùm hæc sit necessariò mortuorum, illa possit esse vivorum.

Dices 3. Pœna dicit ordinem essentialem ad culpam: ergo ubi tollitur hæc, tollitur & illa.

Resp. Dist. Ant. Ad culpam necessariò præsentem: N. præsentem aut præteritam: C.

Dices 4. Christus superabundanter satisfecit pro peccatis nostris: ergo.

Resp. Dist. Ant. Superabundanter satisfecit, relicta obligatione satisfactiones illius nobis applicandi per satisfactiones nostras particulares, ubi illarum essemus capaces: C. sine illa obligatione: N. Et certè justum est, ut qui liberè commisit culpam, voluntariè in se recipiat pœnam.

QUÆSTIO II.

An possit unum peccatum remitti sine alio?

CONCLUSIO I.

DE potentia ordinaria non potest unum mortale remitti, altero non remisso: secus de potentia Dei absoluta.

Prob. 1. Pars; quia non remittitur unum mortale, nisi infundatur gratia: sed hæc incompossibilis est cùm quolibet peccato: ergo ubi remittitur unum, remittitur, & aliud.

Prob. 2. Pars; quia ut diximus agentes de justificatione Tom. 4 potest Deus remittere peccatum per solam condonationem extrinsecam, sicut commissas in se offensas condonant homines; sed tunc ubi sic condonatur homicidium v. gr. non condonatur fornicatio, ut per se patet: ergo. Imò stare posset Conclusio, quamvis supponeretur remitti peccatum per gratiæ infusionem; cùm gratia, ut diximus ibidem, non sit per se expulsiva peccati, sed tantùm extrinsecè, seu ratione decreti Divini, quo statuit Deus ad adventum gratiæ expellere omne peccatum, & è contrà, & ideò cum absolutè loquendo possit Deus infundere gratiam non expellendo unum peccatum, potest illam infundere, expellendo unum & non aliud. Vide dicta de Justificatione.

CONCLUSIO II.

POtest remitti, imò sæpe remittitur unum veniale, non remisso altero.

Ratio est; quia gratia sanctificans est compatibilis cum peccato veniali: ergo quamvis, dum remittitur unum veniale, infundatur gratia, non sequitur quòd aliud debeat remitti. Præterea dum quis accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore de veniali, quod confitetur, & cum affectu ad aliud veniale, quod non confitetur, quis dubitat remitti primum, cùm Sacramentum sit validum, & non remitti secundùm, cùm nullum veniale remittatur sine pœnitentia formali, aut virtuali?

QUÆSTIO III.

Quomodo fiat remissio venialium?

CONCLUSIO I.

NUnquam remittitur peccatum veniale sine Pœnitentia formali aut virtuali; non requiritur tamen formalis. Ita D. Thomas 3. p. q. 87. art. 1. Estque communis quoad utramque partem.

Prob. 1. Pars 1. ex Augustino Epist. 48. ad Vincentium relato Dist. 1. de Pœnit. cap. 43. *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine Pœnitentia posse transire.* Secundo quia non est credibile Deum placari homini; qui ab illo per actum voluntarium aliqualiter recessit, nisi ad eumdem per actum contrarium voluntariè accedat: ubi autem actus contrarius, ibi displicentia saltem virtualis. Tertiò quia si nulla requireretur Pœnitentia, sed sufficeret opus v. gr meritorium, ubi unum veniale remitteretur per illud opus, deberent eo ipso remitti omnia venialia, etiamsi essent innumera, cùm sit ratio, cur potius hoc remittatur, quàm illud: hoc autem non est credibile.

Dices 1. D. Thomas sup. ad 2. docet per Baptismum, & Martyrium deleri omne peccatum, cui nulla est actualis adhæsio: ergo.

Resp. S. Doctorem evidenter supponere, præcessisse anteà attritionem, cùm etiam ibi loquatur de peccato mortali, ad cujus deletionem per Baptismum requirit ex professo Attritionem, ut suo loco diximus.

Dices 2. *Peccatum veniale,* ut ait Scotus 4. dist. 21. q. 1. n. 8. *in ista vita remitti potest .... per aliquem actum Deo magis acceptum, quàm peccatum veniale displiceat: & hoc vel relatum ab ipso operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipso, sed à Deo acceptante in ordine ad illud:* ergo supponit nullam requiri Pœnitentiam.

Resp. Dist. Conseq. Supponit nullam requiri Pœnitentiam ordinariè N. nam opus relatum, de quo loquitur, includit pœnitentiam virtualem. Nullam requiri, si Deus velit sine pœnitentia acceptare actum in ordine ad remissionem venialis: C. de hoc autem nullus potest dubitare.

Dices 3. Cum Cajetano: Si quis decumberet cum affecta ad veniale, & dormiens subiret pro Christo mortem, quam anteà acceptasset, remitteretur ipsi illud veniale: ergo.

Resp. Dist. Ant. Remitteretur illud veniale ante mortem; N. in instanti separationis animæ à corpore, sicut remittuntur alia venialia ante mortem non retractata: C. sed tunc anima culpas suas agnoscens, ut impedimentum ad gloriam, illas detestaretur: quæ detestatio, licèt non esset meritoria, utpotè non procedens à viatore, esset tamen satisfactoria pro peccatis venialibus: & certè si tunc sit adhuc tempus satisfaciendi pro pœnis restantibus, quidni & satisfaciendi pro venialibus anteà non remissis?

Malè autem indè inferres etiam tunc posse remitti mortalia; quia etsi Deus concedat tunc animæ justæ & sibi amicæ gratiam ad detestanda venialia; non tamen injustæ & sibi inimicæ; quia *lignum in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Eccles. 11,

Prob. 2. Pars primò quia juxta D. Thomam, & Scotum sup. sufficit quodlibet opus bonum supernaturale ex intentione remissionis obtinendæ factum, quæ intentio, licèt sit pœnitentia seu displicentia virtualis, in quantùm retrahit affectum à veniali, cujus intenditur remissio, non est tamen pœnitentia formalis, cum non procedat ex motivo Pœnitentiæ. Secundò quia cùm per peccatum veniale non recedamus à Dei amicitia, sed tantùm ab ejus familiaritate, videmur ad eam velle sufficienter accedere, cùm opus bonum ponimus ea intentione, ut ablato familiaritatis impedimento, eam recuperemus. Tertiò sufficit quandoque, ad deletionem mortalis, Pœnitentia virtualis, ut diximus Disput. 1. quidni sufficeret semper pro delendo veniali?

Dices: Tollitur peccatum per suum oppositum: atqui sola Pœnitentia formalis opponitur peccato veniali: ergo. Prob. Min. quia complacentiæ formali, quam habet erga creaturam peccans venialiter, tantùm opponitur displicentia formalis.

Resp. Neg. Min. & ejus probationem; quandoquidem displicentia virtualis destruat complacentiam formalem: implicat enim ut quis exerceat actum, ut deleatur peccatum veniale, & retineat complacentiam ad illud; aliàs nollet peccatum, cùm intendat ejus remissionem, & simul vellet illud; cùm complacentia in peccato, sit ipsum peccatum. Ex dictis

Resol. 1. Exercenti actum charitatis nullum veniale remitti, si desit intentio præfata; quia actus ille non opponitur peccato veniali, cùm stare possit cum affectu ad illud. Si dicas per illum remitti mortale, Dicam indè oriri, quòd sit dispositio ultima ad gratiam sanctificantem incompatibilem cum mortali, non cum veniali.

Resol. 2. Displicentiam virtualem requisitam ad deletionem venialium non tantùm reperiri in relatione actus meritorii ad hunc finem, sed etiam in eo, quòd quis sit ita affectus erga Deum aut res Divinas, sicuti loquitur D. Thomas, ut quidquid sibi occurret, quod eum ab hoc motu removeret, ipsi displiceret, licèt actu de illo specialiter non cogitet.

CONCLUSIO II.

SOla Attritio hominis justificati remittit veniale, aut venialia, de quibus atteritur. Est satis communis.

Ratio est; quia ultra quòd opus illud sit supernaturale, meritorium gratiæ, & satisfactorium pœnæ temporalis, est formaliter retractativum peccati remittendi.

Dices: Ergo nunquam remittitur veniale per Sacramentum Pœnitentiæ.

Resp. Dist. Illatum: Nunquam remittitur in peccatore: N. in homine justo: Subdist. Nunquam remittitur primò: C. nunquam remittitur secundò: N. Undè remittitur tunc, sicut remittuntur mortalia, per contritionem perfectam ante Sacramentum remissa.

CONCLUSIO III.

QUoties remittitur peccatum veniale in hac vita, toties infunditur gratia.

Ratio est: Vel enim fit remissio venialis cum mortali, vel solius venialis: si primum, certum est infundi gratiam, cùm nunquam deleatur mortale sine infusione gratiæ si secundum, nunquam fit sine actu meritorio gloriæ, adeoque nisi infundatur gratia, quæ est semen gloriæ.

Petes 1. An aliquando remittatur peccatum veniale peccatori?

Resp. Neg. Ratio est; quia remissio venialium, ut ait Amicus, est redintegratio ad familiaritatem Dei, quæ essentialiter supponit amicitiam ejusdem, adeoque hominem in gratia; & ideò licèt quandoque veniale remittatur simul tempore cum mortali, priùs tamen natura remittitur hoc, quàm illud, cùm sit priùs restitui in amicitiam, quod fit per gratiam, quàm restitui in familiaritatem, quod fit per auxilia quædam specialia.

Petes 2. Quo sensu dicatur peccans venialiter perdere familiaritatem Divinam?

Resp. Hoc sensu, quòd Deus soleat illi subtrahere auxilia gratiæ specialia, quibus antea ipsum prævenebat: undè sicut Deus ob peccatum mortale subtrahit gratiam habitualem, quæ constituit habentem, Dei amicum; ità ob veniale subtrahit præfata auxilia, quæ nonnisi suis familiaribus solet Deus concedere.

QUÆSTIO IV.

An recedente peccato mortali redeant bona opera priora?

ADverte 1. Peccantem mortaliter privare se omni jure proximo & expedito ad vitam æternam, quod ante per bona opera, vel aliundè acquisierat.

Ratio est; quia privat se gratia justificante, sine qua non datur gloria

Adverte 2. Ex operibus hominis, alia esse viva, alia mortua, alia mortifera, alia mortificata. Viva dicuntur quæ sunt bona, & procedunt ab homine justo, seu habente in se principium vitæ spiritualis, id est gratiam justificantem. Mortua, quæ fiunt ab homine carente illo principio. Hæc autem, licèt sint ex objecto bona, nunquam reviviscunt, quia nunquam vixerunt: Undè est hic Versus:

Vivere non poterunt, quæ nunquam viva fuerunt.

Attamen licèt illa opera nunquam prosint ad gloriam obtinendam, prosunt tamen ad obtinenda bona temporalia, ad minuendos inferni cruciatus, ad deprimendam hominis superbiam: qui effectus exprimuntur his versibus.

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, & minuunt tormenta gehennæ.

Mortifera sunt, quæ afferunt mortem animæ, ut sunt omnia mortalia. *Mortificata*, quæ facta ab homine justo, per subsequens peccatum mortale impediuntur, ne habeant vim producendi hominem ad gloriam, nisi certè posteà reviviscant. Et de his Quæstio procedit.

CONCLUSIO I.

OMnia opera mortificata redeunt, redeunte gratia sanctificante per Pœnitentiam formalem aut virtualem, ad totum jus gloriæ ipsis proportionatum. Est communis & ita certa, ut dicant Suarez & Amicus temerarium esse & periculosum in fide, illam negare. Sed has Censuras refero, non fero.

Prob. 1. Ezechielis 33. dicitur: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab iniquitate sua*: atqui si opera mortificata non reviviscerent ad totum jus gloriæ ipsis correspondens, impietas impii noceret ipsi, & quidem tota æternitate; quandoquidem privaretur portione gloriæ, quam per opera præcedentia meruerat: ergo.

Prob. 2. Ex Joel. 2. ubi Deus stimulato ad pœnitentiam peccatore, sic ait: *Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*, id est, ut interpretatur D. Hieronymus, restituam vobis omnia merita vestra, quæ per peccatum amiseratis.

Prob. 3. Ex Trid. Sess. 6. cap. 16. ubi, ut justi suis operibus & mereantur, & gloriam obtineant, tria requirit, nempè ut opera illa fiant in gratia, à gratia, & operans moriatur in gratia: quæ conditiones subsistunt, licèt opera illa per peccatum subsequens mortificentur, si homo per pœnitentiam resurgat ad gratiam, in qua tandem moriatur.

Prob.

Prob. 4. Quia Dei bonitas exigit, ut opera ad ejus gloriam posita non fraudentur omni præmio, ubi præmiandi nullus reperitur obex, qualis non reperitur in homine sanctificato: & certè mirum esset, quòd homo, qui per totam vitam innumera exercuisset virtutum opera, ac ideò immensam meritorum supellectilem sibi comparasset, statim commisso unico mortali, à quo tamen resurgeret, omninò nudus coram oculis Dei appareret.

Objic. 1. Ezechielis 18. legitur: *Si autem averterit se justus à justitia sua ..... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

Resp. Hoc esse verum tempore mortis per peccatum, non resurrectionis per gratiam.

Objic. 2. Non reviviscunt opera peccatoris: ergo nec præfata.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd opera peccatoris nunquam vixerint defectu principii vitæ, nempè gratiæ sanctificantis: quomodo autem reviviscet, quod nunquam vixit, cùm resurrectio sit secunda vita.

Obj. 3. Si stet Conclusio, utilius est homini peccare & pœnitere, quàm non peccare; cùm in primo casu jus habeat ad majorem gloriam, quàm in secundo.

Resp. 1. Si jus habeat ad majorem gloriam, etiam obligationem habet ad graves pœnas, ratione peccati, etiam remissi, hic vel in Purgatorio ordinariè solvendas: ultra quòd sit summum omnium malorum privari Dei amicitia, vel unico instanti.

Resp. 2. Dist. Assumpt. Utilius est &c. quia peccat: N. quia, supposito peccato, pœnitet: C. & ideo non provenit utilitas illa ex peccato, sed ex pœnitentia, quam si (non admisso mortali) exercuisset de venialibus antea remissis, longe majorem gloriam mereretur.

Objic. 4. Peccata remissa non redeunt per subsequens peccatum: ergo nec redeunt merita per Pœnitentiam subsequentem.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd peccata remissa simpliciter tollantur per Pœnitentiam, merita verò mortificentur quidem per peccatum, sed non extinguantur, saltem pro statu viæ; quia simpliciter extinguntur in inferno, ubi præmii nulla remaneat spes.

Obj. 5. Jus ad gloriam fundatur in charitate: atqui hæc extinguitur absolutè per peccatum: ergo & illud.

Resp. Dist. Mai. Jus ad gloriam proximum: C. remotum: N. hoc enim fundatur in Dei voluntate: & sic, extincta charitate, extinguitur quidem jus proximum, sed non remotum.

CONCLUSIO II.

Opera mortificata etiam reviviscunt per Pœnitentiam subsequentem ad omnem omninò gratiam priorem, quæ erat in pœnitente ante peccatum, saltem si præscindatur à tempore, quo tota gratia illa confertur. Sub hac limitatione est communissima, nec ipsi contradicit Scotus: licèt enim videatur negare omnem gratiam semper redire pro instanti justificationis, *quia tunc*, inquit 4. d. 22. q. 1. nu. 9. *omnis resurgens à peccato mortali, resurgeret in gratia majori, quàm fuit illa in qua cecidit ..... quod videtur inconveniens*, quia nempè, ut subdit, non habet semper justificatus totam dispositionem requisitam ad reditum totius gratiæ. Non negat tamen absolutè redire aliquando, vel cum major erit dispositio, vel in instanti mortis.

Prob. 1. Conclusio ex iis Scripturæ passibus, ex quibus probavimus conclusionem priorem & certè si justificato non rediret aliquando tota gratia prior, impietas etiam remissa noceret ipsi. Nec dicas equidem habiturum eamdem gloriam licèt non reciperet eamdem gratiam: quia gloria commensuratur gratiæ, & tantus est gradus gloriæ, quantus gratiæ: certè si jus ad gloriam fundetur in gratia, jus ad majorem gloriam fundatur in majori gratia.

Prob. 2. Quia si opera mortificata tantùm resurgerent ad totum jus gloriæ, & non ad omnem gratiam priorem, ut volunt Adversarii, Deus non condonaret perfectè peccatum, quandoquidem puniret peccatorem privatione gratiæ priùs obtentæ. Et certè quis diceret Regem dimisisse perfectè crimen aliquod servo suo, si eum non restituisset in omnibus bonis, quibus ante crimen potiebatur?

Prob. 3. Quia gratia est semen gloriæ, imò in sententia Scoti, ejus principium effectivum partiale; cùm gloria essentialis consistat, secundùm ipsum, in fruitione; quæ est actus charitatis, adeoque gratiæ habitualis, quam à charitate indistinctam asserit idem Doctor: ergo gratia debet esse proportionata gloriæ, sicut causa suo effectui, & consequenter ubi resurgit peccator ad omne jus gloriæ, resurgere debet ad omnem gratiam: unde Scotus sup. nu. 12. *Igitur meritis finitis correspondebit tantùm gloriæ, quantùm est illud correspondens gratiæ.*

Dices 1. *Tota Scriptura*, inquit Scotus in Report. 4. d. 22. qu. unic. num. 8. *clamat quantitatem præmii correspondere operibus meritoriis, & non habitibus.* Idem habet alibi: ergo censet dandam quidem esse gloriam proportionatè ad meritum, non tamen semper proportionatè ad gratiam, & sic non est necesse, ut pœnitens resurgat ad totam gratiam priorem.

Resp. Doctorem sic fuisse locutum, non quia crederet non fore proportionem inter gloriam & gratiam, sed ut innueret, (verba sunt Mastrii) gloriam in adultis non correspondere gratiæ per se & separatim ab opere, sicut correspondet gratiæ baptismali in infantibus, sed simul cum opere, & juxtà illius exigentiam.

Dices 2. Sic habet idem Doctor n. 20. *Non oportet eum in majori gratia resurgere, quia secundùm ejus dispositionem in detestando peccatum commissum intensè vel remissè datur sibi nunc major vel minor gratia*: ergo supponit gratiam reddendam esse pœnitenti, juxtà illius dispositionem, & non semper totam.

Resp. Dist. Conseq. Supponit reddendam esse juxtà dispositionem pro nunc, ut ait ipsemet: Transeat. Pro semper: N. imò contrarium insinuat, cum dicit meritis correspondere tantùm gloriæ (quam dicit totam restituendam) quantùm gratiæ.

Dices 3. Tridentinum sess. 6. cap. 7. dicit gratiam infundi juxta dispositionem recipientis, quod falsum esset, si pœnitentia restitueret omnem gratiam priorem.

Resp. Concilium tantùm loqui de gratia, quæ infunditur per se vi præsentis dispositionis; non autem de illa, quæ infunditur per accidens, propter merita præcedentia.

Dixi in Conclusione: *Si præscindatur à tempore quo gratia illa confertur*: & ideo sit

QUÆSTIO V.

Quandonam restituatur gratia peccatori justificato?

Notandum gratiam sanctificantem, de qua hic agitur, dupliciter spectari posse, 1. ut correspondentem meritis nostris, 2. ut correspondentem præcisè meritis Christi, ut est prima, & omnis illa, quæ nobis confertur in Sacramentis ex opere operato.

CONCLUSIO I.

Probabilius est totam gratiam correspondentem meritis nostris restitui in instanti justificationis. Sic intellecta, est satis communis.

Prob. 1. ex Scriptura Luc. 15. ubi legitur: *Cito proferte stolam primam, & induite illum*, ubi Patres per Stolam primam citò redditam filio prodigo redeunti, intelligunt priorem gratiam citò redditam peccatori pœnitenti.

Prob. 2. Quia Pœnitentia respectu gratiæ præfatæ, non habet rationem dispositionis, sed remotionis impedimenti: ergo sublato impedimento, seu peccato, statim confertur illa gratia. Prob. Ant. Quia sicut Pœnitentia non confert valorem meritis antiquis, sed supponit illa in suo valore constituta, ita nec concurrit ad gratiam illorum dignificativam.

Prob. 3. Peccator resurgens statim habet jus proximum ad totam gloriam antea meritis debitam, ut diximus: ergo statim recuperat totam gratiam correspondentem, cùm in tota gratia fundetur jus ad totam gloriam.

CONCLUSIO II.

Satis probabile est gratiam præcisè collatam ex Christi meritis non semper restitui totam in instanti justificationis, sed tantùm proportionatè ad dispositionem pœnitentis. Est DD. Angelici q. 89. art. 2. & Subtilis sup. quibus adstipulantur præcipui Scotistæ, Vasquez & alii.

Prob. 1. ex illorum authoritate: *Pœnitens*, inquit Primus, *quandoque resurgit in majori gratia, quàm prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque verò in minori.* Secundus verò: *Non oportet eum in majori gratia resurgere: quia secundùm ejus dispositionem in detestando peccatum commissum intensè vel remissè, datur sibi nunc major vel minor gratia.*

Dices. D. Thomas & Scotus loquuntur de gratia indiscriminatim: ergo si ibi aliquid probent, probant nec semper redire totam gratiam, de qua in Conclus. priori.

Resp. Neg. Ant. Cùm enim loquantur de reditu gratiæ, ad quem requiritur justificatio ut dispositio; ad priorem autem tantùm requiratur ut removens impedimentum, clarum est loqui de gratia hujus Conclusionis.

Pro. 2. Quia ex Scriptura colligimus gratiam aliquando restitui in instanti justificationis, aliquando posteà: sed non potest eadem gratia restitui nunc, & non restitui nunc: ergo signum est quod loquatur de duplici gratia, juxtà duplicem nostram Conclusionem. Prob. Ant. quia restitutionem promptam insinuat Parabola filii Prodigi: *Citò proferte stolam primam*: dilatam verò Psal. 67. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ & infirmata est: tu verò perfecisti eam*. Per pluviam enim voluntariam intelligunt PP. gratiam, quam infirmatam seu perditam ad tempus per peccatum, perficit Deus paulatim mediante Pœnitentia & aliis dipositionibus peccatoris.

Prob. 3. Quia illa est disparitas inter gratiam collatam meritis nostris, & collatam ex solius Christi meritis, quòd hæc, utpotè purum Dei donum, omninò extinguatur per peccatum: & sic non est mirum quòd ad ejus reviviscentiam requirat Deus dispositiones: illa verò, cum sit meritis nostris quasi imbibita, non extinguitur omninò per peccatum, sed remanet in acceptatione Dei, in qua remanent merita nostra non perdita, sed impedita; & ideò sicut, sublato impedimento, statim reviviscunt merita nostra, reviviscit & gratia ipsis correspondens. Hæc autem desumpta sunt ex Scoto n. 10. ubi loquens de gratia hujus conclusionis, sic ait: *Quia gratia prior fuit tantum donum Dei, merita autem erant aliquo modo opera hominis; & ideò illa sunt sibi semper salva in acceptatione Dei, gratia verò non*.

Obji. 1. Filio Prodigo restituta est citò prima stola: sed PP. per hanc intelligunt gratiam baptismalem, adeoque collatam ex solius Christi meritis; ergo peccatori justificato statim restituitur illa gratia.

Resp. Dist. Conseq. Restituitur illa gratia quoad gradum correspondentem Baptismo; C. quia cum sit prima gratia non requirit ad sui reditum aliam dispositionem, quàm justificationem ipsam. Quoad omnes gradus: subdistinguo: si dispositio pœnitentis sit intensa: C. si sit remissa: N.

Obji 2. Sublato obice, statim confertur tota gratia Sacramenti reviviscentis: ergo sublato peccato, statim reviviscit tota hæc gratia.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd peccatum non tantùm sit obex ad hanc gratiam, sed etiam illius destructio etiam in acceptatione divina, ut diximus.

Obji. 3. Sicut, commissu peccato, remanet meritum nostrum in Dei acceptatione; ita & in eadem remanet Christi meritum nobis in Sacramento applicatum; ergo eodem modo reviviscit utraque gratia.

Resp. Non remanere Christi meritum ut nobis applicatum, cùm peccatum extinguat omnem gratiam, per quam censetur nobis applicari; remanet autem meritum nostrum ut nostrum, utpotè quia necdum sufficienter præmiatum, ut à nobis procedit, licèt ex gratia.

Obji. 4. Juxta Scotum statim restituitur justificato totum jus ad gloriam: ergo & tota gratia quocumque modo sumpta.

Resp. Dist. Ant. Totum jus correspondens gratiæ meritis nostris collatæ: C. correspondens cuilibet gratiæ: N. nisi certè pœnitentis dispositio sit valdè intensa. Nec plus vult Scotus, si bene inspiciatur.

Obji. 5. Secundùm Nos restituitur aliquando tota gratia; sed nulla est ratio differendi usque ad finem vitæ, aut principium gloriæ, aut dispositionem majorem; ergo statim confertur.

Respond. Neg. Min. Quia cùm restitutio gratiæ ex solis Christi meritis collatæ fiat nobis ex sola Dei misericordia & ex congruo, rationabiliter in pœnam lapsus, ejus restitutionem differimus usque ad tempus dispositionis sufficientis.

Inst. 1. Etiam ex sola Dei misericordia restituitur, post lapsum, gratia meritis nostris collata; ergo &c.

Resp. Neg. Ant. Quia cùm Deus promiserit operibus meritoriis præmium gratiæ & gloriæ, opera autem mortificata, licèt jam receperint præmium gratiæ, non receperint tamen præmium gloriæ, ut hoc reddatur, debet illud restitui, cùm non detur gloria sine gratia proportionata; cùm autem gloria reddatur ex quasi justitia, ita quasi ex justitia restituitur gratia.

Inst. 2. Gloria tantùm redditur post vitam: ergo nec illa gratia antea restituitur: quod est contra Conclusionem priorem.

Resp. Dist. Ant. Gloria in re: C. in jure: N. ut sic enim statim redditur, adeòque & gratia proportionata, in qua jus illud fundatur.

Obji. 6. Non potest determinari, quæ portio hujus gratiæ restituatur statim justificato: ergo vel tota redditur, vel nulla.

Resp Dici posse, ultra portionem correspondentem Pœnitentiæ præsenti, restitui unum gradum gratiæ prioris, si sit dispositus ad unum, duos, si ad duos, & sic proportionatè.

Obj. 7. Secundùm dicta in Tract. de Charitate, actus, etiam remissus, meretur statim augmentum charitatis: ergo & quælibet dispositio pœnitentis restitutionem totius gratiæ, saltem de congruo.

Resp. Neg. Conseq. Indè enim tantùm sequitur, quòd sicut actui remisso statim conceditur unus gradus gratiæ v. g. ita & dispositioni remissæ statim concedi debeat unus gradus gratiæ prioris, & non tota.

QUÆSTIO VI.

An accedente peccato mortali, redeant peccata prius remissa?

CONCLUSIO I.

PEccata priùs remissa nunquam absolutè redeunt quoad reatum culpæ aut pœnæ per peccatum subsequens. Est communis inter Theologos.

Prob. 1. Quod Deus absolutè & simpliciter concessit, nunquam revocat, quia *sine pœnitentia sunt dona Dei*, utpotè immutabilis. Rom. 11. sed absolutè & simpliciter concedit verè pœnitenti peccatorum remissionem: ergo Pro. Min. ex Scrip. Psal. 50. *Lavabis me, & super nivem dealbabor*. Et Psal. 102. *Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras*: qui passus sonant absolutam peccatorum remissionem, sicut & hic: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*, Mich. 7.

Prob. 2. Ex Nahum 1. *Non consurget duplex tribulatio, id* est, ut legunt Septuaginta Interpretes, *Deus non puniet bis in idipsum*: sed si ad adventum novi peccati redirent antiqua peccata, Deus puniret bis idem: ergo.

Prob. 3. Si peccata actualia ratione novi peccati redirent, deberet & redire Originale, cùm videatur par ratio, à quo autem Sacramento deleretur? Non à Baptismo, cùm sit initerabilis: non à Pœnitentia; quia non se extendit ad illud: non etiam ab aliis, cùm sint Sacramenta vivorum. Nec deleretur per actum contritionis; quandoquidem illa non justificet, nisi cum votu Sacramenti Pœnitentiæ.

Dices 1. Psal. 78. dicitur: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*: ergo Deus non remittit absolutè peccata; aliàs frustrà hoc peteretur.

Resp. Ex peccatis quoad culpam & pœnam æternam remissis sæpe remanere pœnam temporalem luendam, cujus videtur oblivisci Deus, cùm differt illa punire. Videtur autem recordari, dum novis peccatis provocatus, hæc simul cum prioribus punit.

Dices 2. Quia servus nequam (dimissis ipsi debitis omnibus) misericordiam exercuerat in fratrem, *iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum* Matth. 18. ergo revixerunt debita remissa. Undè Aug. lib. 1. de Bapt. cap. 12. *Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissimè Christus docet in Evangelio de illo servo*.

Resp. Sic loqui Christum, quia servus ille nequam æqualem subiturus est pœnam in inferno quoad durationem, ac si peccata priora non fuissent remissa, non tamen quoad intensionem: undè dicuntur redire peccata priora, quia per novum peccatum redit obligatio ad damnationem omnibus peccatis mortalibus communem. Vel etiam dic redire peccata priora hoc sensu, quòd aliàs diluenda in hoc sæculo, vel in Purgatorio, sint punienda in inferno quoad pœnam restantem, si in novo peccato moriatur quis.

Dices 3. Bona opera redeunt pœnitenti ad remunerationem: ergo redeunt mala peccatori ad punitionem.

Negavimus anteà conseq. ob rationem ibi datam. Hic addo proniorem esse Deum ad præmiandum quàm ad puniendum, quia *superexaltat misericordia judicium*, Jac. 2. Deinde peccata fuerunt punita per Pœnitentiam & satis-

satisfactionem; merita autem necdum præmiata quoad gloriæ retributionem.

Dices 4. Deus absolutè concedit gratiam, & tamen hanc subtrahit ob novum peccatum: ergo similiter ob illud revocat peccatorum remissionem absolutè datam.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd peccatorum remissionem concesserit absolutè quoad fieri & conservari; gratiam verò absolutè quoad fieri, sed conditionatè quoad conservari, id est, nisi peccet creatura.

CONCLUSIO II.

Dici potest peccata priùs remissa redire secundùm quid ratione peccati subsequentis, idque diversimodè. Primò ex eo quòd peccatum subsequens privet hominem gratia beatitudine, & mercede operum, sicut privabant præcedentia. Secundò quia Deus novis criminibus exacerbatur, & mensura per peccatum subsequens impleta, pœnas temporales infligit, aliàs non inflicturus. Tertiò quia peccata subsequentia sunt graviora, gravioremque pœnam merentur ob ingratitudinem peccatoris post tot peccata remissa iterùm labentis.

Hæc tamen circumstantia ingratitudinis (nisi expressè intendatur offendendo Deum ut benefactorem, quod rarò contingit) non est speciale peccatum, sed tantum circumstantia aggravans, & quidem non ita notabiliter, ut sit in confessione exprimenda.

Petes: An major sit ingratitudo lapsus primus, quàm secundus?

Resp. cum distinctione: Vel consideratur peccatum per respectum ad majoritatem beneficii, vel per respectum ad multiplicitatem. Si primum, major est ingratitudo lapsus primus, cùm sit majus commodum, adeoque majus beneficium in innocentia servari, quàm innocentiam perditam recuperare: Si secundum, major est ingratitudo lapsus secundus; cùm peccetur post duplex acceptum beneficium, nempè innocentiæ baptismalis, & remissionis peccati posteà commissi. Et cum hac distinctione conciliantur Doctores Angelicus & Subtilis, quorum ille vult majorem annexam esse ingratitudinem secundo lapsui. Hinc primo

---

DISPUTATIO IV.

De Contritione.

Contritio (quæ est prima pars hujus Sacramenti) est quoddam nomen translatum à rebus corporeis, maximè duris, quæ sicut dicuntur conteri, dum in partes minutas rediguntur; ita etiam dicitur conteri voluntas peccatoris obdurati, dum per dolorem scinditur. Indispensabilem hujus actus necessitatem frustraneum est inculcare; cùm absque illo nulla sit salus speranda. *Fuit autem*, inquit Trident. Sess. 14. cap. 4. *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. Varia proponit Tridentinum ibidem de contritione dogmata, quæ hìc subticeo, utpotè infrà suis locis referenda.

QUÆSTIO I.

Quid sit Contritio, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Contritio in genere, prout abstrahit à perfecta & imperfecta, definitur à Trident. sup. *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur 1. *Animi dolor*, quia non sufficit dolor corporalis seu sensu perceptus, sed requiritur dolor spiritualis, seu in mente receptus, licèt primus non sit spernendus.

Dicitur 2. *Ac detestatio*; quia cum contritio sit actus voluntatis; dolor autem non sit voluntatis actio, sed passio, necessariò requirit peccati detestationem, in qua probabiliùs consistit essentia contritionis, connotantis tamen dolorem, cùm nullus verè detestetur rem aliquam, nisi de illa tristetur, & doleat: unde Augustinus lib. de Pœnit. *Pœnitentiæ comes est dolor.*

Dicitur 3. *Cum proposito* &c. Quia non sufficit à peccatis cessare, sed necesse est insuper nolle deinceps illa perpetrare: imò, nisi adsit illa nolitio, saltem virtualis non potest esse sincera detestatio, ut per se patet.

CONCLUSIO II.

Contritio definita est duplex, perfecta una, quæ per Antonomasiam dicitur Contritio; imperfecta altera; quæ & Attritio nuncupatur. Contritio perfecta, ut colligitur ex Trident. sup. est summus animi dolor ac detestatio de peccato propter Deum summè dilectum cum proposito non peccandi in posterum, & voto suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

Dicitur 1. Summus, non quidem sensibiliter, quasi verò deberet quis interiùs & exteriùs dolorem vehementer sentire, sed appretiativè seu æstimativè, in quantùm scilicet ille, qui conteritur, credit peccatum suum esse summum omnium malorum, illudque detestatur super omnia mala; ita ut sit animo paratus potiùs quodlibet bono privari, quàm perdere Dei amicitiam, & quodlibet malum perpeti, quàm Deum offendere mortaliter: undè non debet quis turbari, si post adhibitum rationabilem conatum, videat se magis sensibiliter dolere de jactura litis, morte filiorum, parentum, &c. quàm de peccatis; quia etsi dolor ille sit major sensibiliter, eò quòd objecta, circà quæ versatur, sint magis sensibilia, quàm peccatum, adeoque fortiùs voluntatem moveant, tamen potest esse major appretiativè, si nempè *peccatum tantum displiceat rationi, quòd nullo pacto, nullo commodo, vel incommodo velit in ipsum consentire vel consensisse*, ut ait D. Seraphic. 4. dist. 16. p. 1. art. 2. q. 1.

Utriusque hujus doloris excessa & excedentia nobis exhibet in Matribus experientia, quas videmus ordinariè magis sensibiliter dolere de morte parvuli ad mammillas pendentis, quàm Adolescentis domus negotia peragentis, licèt æstimativè majorem causet dolorem hujus mors, quàm illius, & ideò si ipsis daretur optio, mallent privari minori, quàm majori.

Dicitur 2. Propter Deum summè dilectum; quia motivum perfectæ contritionis est Deus summè bonus, summè amabilis, super omnia dilectus. Cæteræ Definitionis particulæ patent ex dictis.

Attritio autem definitur: Animi dolor ac detestatio peccati, quæ vel ex gehennæ & pœnarum metu, vel ex turpitudinis ipsius peccati consideratione communiter concipitur, voluntatem peccandi excludens cum spe veniæ. Colligitur ex Trident. sup.

Dicitur in definitione; Ex metu &c. ubi Particula, Ex, non denotat gehennam tantum esse causam impulsivam Attritionis, sed etiam motivum formale; ita ut dolor ille concipiatur ex metu gehennæ, propter gehennam vitandam: & in hoc distinguitur Attritio à Contritione, quæ licèt etiam concipi possit ex metu gehennæ, habet tamen aliud motivum nempè Deum summè dilectum.

CONCLUSIO III.

Dividunt alii Contritionem in eam, quæ procedit ex amore Dei super omnia intenso, & in eam, quæ procedit ex amore Dei super omnia remisso. Primam vocant perfectam, secundam imperfectam; sed hæc divisio non est Contritionis in genere, de qua Trident. sup. cùm illa non includat motivum charitatis, sed ab illo abstrahat; & ideò dicenda est potiùs divisio Contritionis perfectæ in magis & minùs perfectam. Ex dictis

Resol. Contritionem antonomasticè sumptam pro sua specie primaria, differre specificè ab Attritione; cùm diversa specie motiva respiciant: Illa quidem Deum summè dilectum Hæc verò gehennam vitandam. Qui autem Contritionem ex amore Dei remisso vocant Attritionem, hanc non distinguunt specie ab illa, sed tantùm graduali perfectionis, cùm sit idem utriusque motivum.

QUÆSTIO II.

Qualis debeat esse dolor ad hoc Sacramentum requisitus?

CONCLUSIO I.

Dolor ille debet esse rationalis, id est, debet procedere à potentia rationali.

Ratio est; quia debet esse vel actio, ut volunt aliqui, vel saltem passio voluntatis, quia pœnitens respicit peccatum tanquam malum, illud abominando per odium & dete-

& detestationem; & ideò dolor sensibilis à rationali separatus non sufficeret, licèt, ipsi adjunctus, sit laudabilis: undè D. Bonav. sup. *Quod magis sensibiliter doleat aliquis de peccato, quàm de aliquo damno, hoc est perfectionis & congruum, non necessarium.*

CONCLUSIO II.

DOlor ille debet esse supernaturalis, tum ex parte principii, saltem partialis, tum ratione motivi.

Prob. 1. Pars; quia docent Scriptura, Concilia, Patres contra Semipelagianos, neminem posse disponi ad gratiam solis naturæ viribus: ergo ille dolor, qui disponit ad gratiam in Sacramento suscipiendam, non potest esse à solis naturæ viribus, sed debet etiam procedere à principio supernaturali, id est auxilio gratiæ: undè Trident. Sess. 6. can. 3. anathematizat eos, qui dixerint *sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem .... pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*; & ideo docet Scotus 4. dist. 20. q. unic. n. 3. Pœnitentiam fructiferam *non esse opus hominis sed Dei.*

Prob. 2. Pars; quia debet concipi ex motivo per fidem proposito, quandoquidem debeat esse cum aliquo respectu ad Deum supernaturalium bonorum largitorem, & pœnarum inflictorem, quæ motiva lumine naturali cognosci non possunt: undè quando Scotus dist. 14. q. 2. n. 14. ait: *Peccator potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, ut offensivum Dei*, per communem influentiam, non intelligit concursum naturalem, sed fidem, seu gratiam credendi, quæ, quia communiter conceditur fidelibus, ac juxtà legem ordinariam divinæ providentiæ, attenta causæ & operis exigentia, ac motivi natura, dicitur influentia communis. Ex dictis

Resol. 1. Meritò condemnatam esse hanc propositionem ab Innocen. XI. *Probabile est sufficere Attritionem naturalem, modò honestam.*

Resol. 2. Nullam fuisse Antiochi Pœnitentiam: *Dolebat enim*, inquit D. Thomas 3. p. qu. 86 art. 1. ad 1. *de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.*

Resol. 3. Detestationem peccati propter ipsius fœditatem convictui humano repugnantem non sufficere ad dispositionem sacramentalem, quia merè naturalis est, ac nullatenus tollit aversionem à Deo. Idem dic de odio furti præcisè, quia opponitur justitiæ, de dolore fornicationis, propter infamiam, pudorem aut morbum sordidum indè provenientem; quia talia motiva non convertunt hominem ad Deum: undè quando Trid. assignat pro motivo Attritionis turpitudinem peccati per eam intelligit injuriam, irreverentiam, inobedientiam, seu offensam contra Deum lumine fidei cognitam.

Resol. 4. Supernaturalem esse detestationem peccati ex metu efficaci gehennæ, seu Purgatorii; quia dolor conceptus ex illis motivis pertinet ad Spem Theologicam, per quam, sicut Deum tanquam bonum nobis concupiscimus, sic ejus indignationem ad alteram vitam spectantem detestamur: undè has Propositiones condemnavit Alexand. VIII. 7. Decembris 1690. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Item: *Attritio; quæ gehennæ aut pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.*

Resol. 5. Supernaturalem esse dolorem de peccato, adeoque hujus Sacramenti dispositionem, si fiat ob amissionem gratiæ sanctificantis, familiarioris accessus ad Deum, juris ad Beatitudinem, meritorum & aliorum bonorum spiritualium; quia omnia illa motiva sunt supernaturalia.

CONCLUSIO III.

NOn sufficit ad hoc Sacramentum dolor virtualis inclusus in aliquo actu virtutis, sive Spei, sivè Charitatis sed requiritur formalis.

Prob. quia Florentinum & Tridentinum requirunt dolorem & detestationem simpliciter; Concilia autem propriè intelligenda sunt, nisi quid obstet? adeoque de dolore formali, id est, positivo actu voluntatis, quo pœnitens explicitè detestatur peccatum, & nollet unquam illud commisisse.

Dices: Actus Charitatis justificare potest sine dolore formali extra Sacramentum: ergo & in Sacramento.

Resp. Neg. Conseq. Ratio disparitatis petitur ex voluntate Christi, qui ad hoc Sacramentum dolorem formalem requisivit, ut colligimus ex Conciliis: & ideò vocatur hoc Sacramentum Pœnitentia, & non Charitas aut dilectio.

CONCLUSIO IV.

AD hoc Sacramentum non sufficit dolor creditus.

Prob. Quia metum credere nihil mutat in re; & consequenter si non sit à parte rei dolor sufficiens, quamvis millies crederem adesse, non stabit Sacramentum: excusabor tamen à peccato.

CONCLUSIO V.

DOlor in hoc Sacramento requisitus debet esse universalis respectu mortalium nondum remissorum; non tamen respectu venialium.

Prob. 1. Pars; quia non potest de lege ordinaria remitti unum mortale sine altero, nec ullum vi hujus Sacramenti sine dolore: ergo dolor ille debet se extendere ad omnia: & ideò Can. *Fratres nostros*, de Pœnit. Dist. 5. legitur: *Falsam autem Pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de uno solo Pœnitentia agitur, aut cùm sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio*; undè prudenter agit, qui unius tantum peccati memor, nihilominus de omnibus commissis dolet; quia fieri potest, quòd fuerit aliorum oblitus. Si tamen credens invincibiliter se unicum commisisse peccatum, de unico doleat, dolor ille etiam super alia, si quæ sint oblita, sese virtualiter extendet ratione motivi omnibus repugnantis, & remittentur in Confessione indirectè, cum obligatione tamen subjiciendi illa posteà clavibus.

Dices 1. Complacentia de uno peccato, non est complacentia de omnibus: ergo nec displicentia de uno, est displicentia de omnibus.

Resp. Dist. Ant. Complacentia de uno propter motivum speciæ talis peccati, ut fit ordinariè, non est &c. C. sic qui sibi complacet de fornicatione ob ejus delectationem carnalem, non sibi complacet de Homicidio, cui non est annexa illa delectatio. Propter motivum generale: N. sic qui sibi complacet in adulterio, quia est offensa Dei, complacet sibi etiam implicitè in aliis, quibus inest offensa Dei. Motivum autem veræ Pœnitentiæ, cùm sit generale v. gr. propter Deum summè dilectum, propter privationem gratiæ sanctificantis, propter gehennam vitandam &c. debet displicentia de uno ob tale motivum, necessariò esse displicentia de omnibus.

Replicabis: Qui vult jejunium ob honestatem jejunii, non vult omnia jejunia, licèt motivum sit universale: ergo similiter.

Resp. Jejunantem non velle honestatem cujuslibet jejunii, sed hujus in particulari, adeoque motivum esse particulare, & certè si vellet efficaciter honestatem illam generalem, deberet ponere omnia jejunia possibilia, & consequenter semper jejunare: sicut detestans efficaciter peccatum ob motivum charitatis, aut Beatitudinis obtinendæ, debet singula peccata vitare, adeoque nunquam peccare, nisi detestationem suam revocet.

Prob. 2. Pars; quia potest remitti unum veniale sine alio: undè sicut liberum est unum confiteri altero omisso; ita liberum est de uno dolere, & non de altero.

CONCLUSIO VI.

DOlor Sacramentalis (idem est de extra-Sacramentali) non debet cadere supra omnia peccata singulatim examinata, seu in memoriam revocata: undè examen illud requiritur ad integritatem confessionis, non ad veritatem doloris; & ideò D. Thomas qu. 28. de Verit. art. 5. ad 4. *Ad justificationem non requiritur, quòd in ipso justificationis momento peccata singula cogitentur, sed sufficit, quòd peccator cogitet se per culpam suam esse aversum à Deo: recogitatio autem singularis debet præcedere, vel saltem subsequi justificationem*, ut scilicèt instituatur debita confessio; & ideò ubi requirit alibi singulorum recogitationem anteriorem, illam requirit ut congruam, non ut necessariam, nè sibi contradicat.

Prob. autem Conclusio: quia dum aliquis detestatur omnia peccata, licèt indistinctè repræsentata, habet formalem pœnitentiam; sed non de uno aut alio in particulari, cùm ad nullum in particulari descendat: ergo de omnibus. Prætereà non est imponenda fidelibus obligatio, nisi de illa constet aut ex Scriptura, aut ex Conciliis, aut ex Patribus, aut ex Traditione, aut saltem ex ratione, quorum nullum hic reperimus. Hinc Scotus dist. 15. q. 1. n. 10. *Sicut non est necesse intellectum simul considerare hoc peccatum & illud; ita non est necesse voluntatem simul pœnitere de hoc & illo.*

Dices

Dices 1. Isa. 38. legitur. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Resp. nullum ibi involvi præceptum, sed ad summum consilium: quod & facit Chrysost. Homil. 31. in Epist. ad Heb. dicens: *Nec nos peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus.* Vel certè loquitur de cogitatione in ordine ad confessionem. Dicit quidem Homil. 9. in eamdem Epist. *Si quis dicat, peccator sum, non autem ad peccatorum suorum species descendat dicens: quia hoc & hoc peccavi, nunquam cessabit*; non dicit tamen *non justificabitur*, modò velit suo tempore, ad præcautionem, aut confessionem, singula recogitare.

Dices 2. Per quodlibet peccatum avertimur à Deo: ergo per cujuslibet detestationem debemus ad ipsum converti.

Resp. Id nimis probare, adeoque nihil: probat enim tot requiri detestationes particulares, quot sunt peccata: quod nequidem volunt Adversarii. Sufficienter ergo avertimur à peccatis omnibus per detestationem ob motivum generale, cùm illa, ratione talis motivi, sivè præcesserit singulorum recordatio, sivè non, cadat super omnia.

Dices 3. Tot requiruntur medicinæ, quot sunt morbi: ergo tot detestationes, quot peccata.

Resp. Ant. Esse falsum, ubi unica medicina sufficit pro omnibus morbis, sicut una detestatio pro omnibus peccatis. Non inficior tamen praxim eliciendi singulas contritiones ad singula peccata, quam consulit D. Bonav. esse bonam & laudabilem. Imò quia sententia nostra non est omninò certa, curandum est in praxi, ut semper peccatorum examen præcedat contritionem, ut sic vitetur omne periculum nullitatis Sacramenti. Idem etiam consulendum est quando quis vult extra Sacramentum justificari per contritionem, nisi fortè temporis angustia id non patiatur.

QUÆSTIO III.

Qualis debeat esse Contritio extra Sacramentum justificativa?

CONCLUSIO I.

UT Contritio extra-Sacramentalis justificet, nulla requiritur temporis mora. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. ex Script. Isa. 30. *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis*: quod sic vertunt septuaginta: *Si conversus ingemueris, tunc salvaberis.* Ubi notandum quòd ponatur *Tunc*, & non *postea*. Et ibidem: *Miserans miserebitur tui, ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit.*

Prob. 2. ex August. Enchir. cap. 65. *Non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris.* Et ex D. Leone Epist. 91. ad Theodor. *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio.*

Prob. 3. ratione: Eodem instanti forma ponitur, quo ponitur ultima ad eam dispositio: sed Contritio respectu gratiæ est ultima dispositio; cùm nulla alia sit assignabilis: ergo, posita contritione, eodem instanti ponitur gratia, & consequenter expellitur peccatum, quod est cum ipsa incompatibile. Deindè si hoc non esset, posset perfectè contritus damnari, si nempè moreretur immediatè post Contritionem: quod est contrà SS. PP. asserentes veram Pœnitentiam nunquam esse seram.

Dices: Scotus. dist. 14. q. 2. n. 14. requirit, ut Contritio justificet, aliquam temporis moram: ergo.

Resp. Hanc non requiri à Scoto absolutè, sed disjunctivè, id est, vult gratiam per Contritionem conferri vel in ultimo instanti ipsius Contritionis, vel in instanti posteriori à Deo determinando, ut habet expressè in fine Numeri citati: sicque fuit locutus Doctor, quia sustinebant aliqui non tunc, sed posteà conferri: undè non erronea, ut vult Cauus, sed prudentissima est ejus assertio.

CONCLUSIO II.

UT Contritio extra-Sacramentalis justificet, requiritur votum Sacramenti; non tamen explicitum.

Prob. 1. Pars ex Trident. sess. 14. cap. 4. ubi docet *Reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*, & sess. 6. cap. 14. *Docendum est*, inquit, *Christiani hominis Pœnitentiam post lapsum, multo aliam esse à Baptismali, eaque contineri non modò cessationem à peccatis... verùm etiam eorumdem sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem.* Undè Sixtus IV. in quodam Extrav. proscripsit hanc Petri de Osma Propositionem: *Peccata mortalia, quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi, delentur per solam Contritionem cordis, sine ordine ad claves.*

Prob. 2. Pars; quia non requiritur aliud votum Sacramenti, quàm quod requirit Tridentinum: sed Concilium tantùm requirit implicitum: ergo. Prob. Min. Quia tantùm requirit votum inclusum in Contritione: in hac autem, ut patet ex ejus definitione ab ipsomet Concilio allata, non reperitur votum explicitum Sacramenti. Accedit, quòd Tridentinum volens expressum propositum non peccandi de cætero, ut dicemus infrà, illud in terminis expresserit & Contritioni adjunxerit, quod sanè etiam fecisset, si votum expressum confitendi necessarium credidisset.

CONCLUSIO III.

UT Contritio extra-Sacramentalis justificet, debet procedere ex motivo charitatis, seu dilectionis Dei super omnia.

Ratio petitur ex voluntate divina, quam nobis exponit Trident. Sess. 14. cap. 4. ubi soli Contritioni charitate perfectæ vim tribuit hominem Deo reconciliandi extra Sacramentum.

Dices 1. Zachar. 1. legitur: *Convertimini ad me ait Dominus, & ad convertar ad vos*, ubi nulla fit mentio dilectionis Dei. Et Ezechiel. 33. tantùm exigitur ut impius *conversus fuerit ab impietate sua*: ergo &c.

Resp. Passus illos intelligendos esse de conversione per actum charitatis; quia *qui non diligit, manet in morte* 1. Joan. 3.

Dices 2. Tridentinum suprà docet Contritionem aliquando esse charitate formatam, aliquando non: sed omnis vera Contritio justificat: ergo.

Resp. Dist. Min. Omnis vera Contritio sumpta genericè, quam dicit Trident. aliquando esse charitate formatam, aliquando non: N. Sumptam specificè, seu pro principaliori specie: C. sed hæc semper est charitate formata.

Dices 3. Videtur insinuare Scotus dist. 14. q. 2. num. 14. sufficere, ad justificationem, Contritionem ex motivo Spei.

Resp. Dist. Assumptum. Ex motivo Spei tanquam dispositionis remotæ: C. tanquam dispositionis proximæ: N. nam q. 1. num. 19. ait: *Non quicumque actus pœnitendi sufficit ad deletionem peccati... sed oportet, quod sit actus... ex dilectione Dei.*

Dices 4. Motivum charitatis non est satis accomodatum humanæ fragilitati: ergo sufficit motivum virtutis inferioris.

Resp. Neg. Ant. Nam si sit facilè diligere hominem à quo tot sunt ingratitudines, quidni facile esset, mediante gratia, diligere Deum, à quo tot sunt favores?

CONCLUSIO IV.

UT Contritio charitate formata justificet extra Sacramentum, non requiritur certus intensionis gradus, dummodò sit appretiativè summa. Est communior contra Baium, Jansenium, & quosdam recentiores, quorum opinio variis censuris notatur à Doctoribus gravissimis quos omitto, ut dicam cum Bellarmino sententiam nostram esse universalis Ecclesiæ.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ sine ulla distinctione gradus & gradus attribuit omni charitati, & Contritioni perfectæ vim justificandi: ubi autem non distinguit Deus, cur distinguet homo? Prob. inquam, ex Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, 1. Joan 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Zachar. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus, & convertar ad vos.* Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, & alibi millies. Sed nullus potest negare detestantem peccatum ex motivo charitatis esse verè contritum, & verè conversum ad Deum: ergo.

Prob. 2. Ex Trident. sup. ubi docet Contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare extra Sacramentum: atqui habens vel unicum gradum charitatis, habet charitatem, ut dicemus. ergo justificatur.

Prob. 3. Ex D. August. Tract 5. in Epist. Joan. *Si quis in corde suo invenerit charitatem, securus sit, quia transit de morte ad vitam.* Et Tract. 9. *Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur.* Quid expressius? Huic

autem præluxerat Chrysostomus Homil. 7. in 2. ad Timoth. *Cuncta quippe scelera, quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit, solvuntur.* Et ne diceres ipsos loqui de charitate magna, intensa, gradualiter perfecta, cujus ne vel minimam umbram præferunt, addit Chrysostomus Epistol. 5. ad Theodoret. *Dei pietas quantulamcumque, & quamlibet brevi tempore gestam non respuit Pœnitentiam*; respueret autem, si quis cum illa moreretur non justificatus.

Prob. 4. Ex condemnatione hujus Bajanæ Propositionis: *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro &c. potest esse sine remissione peccatorum*: sed si requirerentur certi gradus intensionis, posset esse charitas cum peccato mortali, ut patet: ergo. Nec dicas Bajum loqui de charitate habituali, quia ejus scripta convincent te de contrario; sicut & iy *Ex corde puro*, quod sonat actum, non habitum. Nec tibi plus proderit, si dicas per charitatem perfectam intelligi intensam, nam Pontifices proscribentes etiam hanc ejusdem Propositionem. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem &c.* Satis ostendunt condemnationem Pontificiam non tantùm cadere super charitatem perfectam, seu intensam, sed etiam super charitatem simpliciter, seu velle, nullam charitatem posse esse cum peccato mortali.

Dices condemnatam esse propositionem non propter citatum propositionis complexæ membrum, sed propter sequens ibi omissum: *& Charitas perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.*

Resp. Longè verisimilius, condemnatam esse propter utrumque membrum: ad quid enim refertur primum; cùm secundum utpotè à primo omnino independens & positione & significatione, potuisset separatim condemnari, dicendo præcisè: *Charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis?* Certè cùm Ecclesia in suis condemnationibus nihil referat frustrà, dicendum est etiam primam partem condemnasse: unde si quandoque propositionem complexam proscripsit ob unicum illius membrum, id fecit, dum, servatis Authoris verbis, non poterat pars una referri sine alia.

Prob. 5. Ex DD. Angelico, & Subtili, quorum Primus 4. dist. 17. q. 2. art. 5. ad 3. sic ait: *Dicendum quòd quantumcumque sit parvus dolor, dummodò ad Contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet* Cùm autem dolor in sensu, etiam summè intensus, nunquam ad contritionis rationem sufficiat, clarum est non loqui de dolore sensus, quidquid dicat La Verdure. Secundus vero 4. dist. 14 q. 4. nu. 9. *Frequenter dimittitur peccatum per aliquem motum Attritionis*, id est contritionis *tanquam per meritum de congruo, ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ: sicut in adulto frequenter dimittitur originale ante susceptionem Baptismi*: si autem requireretur charitas intensa, non frequenter, sed rarissimè id fieret, ut fatentur Adversarii.

Prob. 6. Quælibet Contritio charitate formata justificabat in lege veteri: ergo etiam in lege nova, cùm per institutionem Sacramenti Pœnitentiæ non sit imminuta virtus contritionis. Prob. Ant. Quia cùm non competeret ipsis aliud remedium pro peccatis actualibus, quàm actus contritionis; si certi gradus intensionis fuissent requisiti, fuisset eorum salus, etiam cùm illam sincere quærerent, exposita summo periculo.

Hoc inconveniens agnoscit Vanroy Tom. 5. pag. 77. sed ne teneatur, ad illud vitandum, sententiam communem amplecti, mavult in sententiam omninò singularem, nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patribus vel minimùm fundatam propendere: *Ut ardua*, inquit, *pœnitentiæ opera & sacrificia pro peccatis olim cum contritione imperfecta ad justificationem necessaria fuisse sentiam, propendeo*. Ubi vim justificandi ex opere operato tribuit Mosaicis Sacrificiis, quam nequidem Florentinum tribuit Mosaicis sacramentis; imo absolutè ipsis denegat.

Prob. 7. Ipsi essentiæ Contritionis annexa est vis justificandi; sed Contritio independenter ab intensione majori vel minori habet suam essentiam; cùm independenter ab illa sit verè & propriè contritio in omnium sensu, non minus ac calor independenter à graduum multitudine: ergo. Accedit, quòd intensio sit tantùm quædam perfectio rei jam constitutæ, ut patet in aliis qualitatibus.

Prob. 8. Non est alia virtus Contritionis in articulo mortis quàm extrà: sed contritio ex amore remisso justificat in articulo mortis, deficiente Confessario, ut docent Lupus, Vanroy, Juenin, & quidam alii recentiores: ergo. Prob. Mai. Quia sicut casus necessitatis non variat naturam illius Contritionis, ita nec variat virtutem.

Dices, Virtutem illam ipsi tribui ab extrinseco ex miseratione divina, ne quis pereat defectu Sacramenti. Sed

Contra est, quòd nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres, nec ullus antiquus Theologus hujus virtutis extraordinariæ meminerint. Fallor: Augustinum citat Vanroy sic loquentem lib. 4. de Bapt. cap. 22. *Invenio etiam ... quod Baptismo deerat, posse supplere fidem, conversionemque cordis ... cum ministerium Baptismi, non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis includit*. Sed quid tum? virtutem illam tribuit conversioni cordis in necessitate S. Doctor, quia eamdem illi tribuit extra necessitatem, sicut facit D. Bernardus Epist. 77. omnesque Patres cum omnibus Theologis. Ostendat mihi Vanroy vel umbram hujus Propositionis in Augustino, vel alio Patre, *Conversio cordis justificat in necessitate, & non extra* & dabo ipsi manus.

Replicabis: Id virtualiter insinuat August. Tract. 13. in Joan. ubi docet Catechumenum, quantùmcumque proficiat, portare iniquitatem suam usque ad Baptismum: certum est autem nonnullos habere conversionem cordis ex amore saltem remisso.

Resp. Si passus ille quidquam probaret ad sensum Adversariorum, probaret nequidem justificare Contritionem ex amore intenso extra necessitatem, ut patet ex his verbis: *Quantùmcumque proficiat*: undè non loquitur ibi Augustinus ut ait Amor pœnitens, de profectu Catechumenorum in charitate, sed in morum externorum honestate: reprehenditque illos qui Baptismum negligebant, quia in seipsis videbant majora morum ornamenta, quàm in baptizatis dicitque ipsos nunquam fore ab inimicis seu peccatis liberos, nisi mare Rubrum Baptismi pertransierint; quia nulla Contritio, nulla charitas, quantumcumque intensa, justificare potest Catechumenum sine voto Baptismi, sicut nec potest peccatorem baptizatum sine voto Sacramenti Pœnitentiæ.

Inst. Augustinus lib. 9. Confess. c. 2. ait de seipso necdum baptizato: *sagittaveras tu cor meum charitate tua*. Et tamen cap. 4. asserit remissa sibi esse peccata in Baptismo: ergo censet posse remanere peccatum cum amore Dei remisso.

Resp. Verba ultima August. cap. 4. esse hæc: *Ea fides me securum esse non sinebat de preteritis peccatis meis, quę mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant*: quæ etiam secundùm nos verissima sunt. Quomodo enim securus fuisset de peccatis præteritis, qui non erat securus de amore Dei super omnia. Sciebat quidem charitatem operire multitudinem peccatorum, sed cùm didicisset ab Apostolo, quòd nesciret homo, an odio, an amore dignus esset, etiam nesciebat, an haberet illam charitatem. Dicit quidem in fine Cap. 2. *Nonne & hoc peccatum cum ceteris & horrendis & funereis in aqua sancta ignovisti, & remisisti mihi?* Sed nunquid adhuc remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ peccata antea remissa? cur non & in Baptismo? & sic quid undè potest concludi, nisi quod sit frivola objectio.

Prob. 9. Quælibet dilectio Dei super omnia convertit ad Deum ut finem ultimum: ergo tollit peccatum, quod avertit à fine ultimo; cùm secundùm legem Dei ordinariam, non possit quis esse simul aversus à fine ultimo, & conversus ad finem ultimum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBj. 1. Dilectio, quam requirit Deus à nobis, debet esse ex toto corde, ex tota anima &c. ergo nisi ex tali dilectione procedat Contritio, non justificat.

Resp. Dist. Ant. Debet esse ex toto corde, id est, debet esse intensa essentialiter & entitativè, *ita ut* diligens, *nihil cogitet, nihil velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium aut æquale*, quod est juxta D. Thomam 2. 2. q. 24. art. 8. diligere Deum ex toto corde; C. id est, debet esse intensa gradualiter & accidentariò, saltem à parte rei: N. Dico *Saltem à parte rei*, quia ubi urget præceptum Deum diligendi, docuimus ex Scoto in Tract. de Charitate nos debere, quanto possumus affectu, in eum tendere.

Obj. 2. Magdalenæ *remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multùm*, Luc. 7. ergo ad deletionem peccatorum requiritur dilectio intensa.

Resp. Affirmat quidem Christus remissa esse peccatrici crimina ob magnum ejus amorem, sed non negat non fuisse remittenda, si amor ejus non fuisset tantus: imo immediatè subdens: *Cui autem minùs dimittitur, minus diligit*, insinuare videtur etiam dilectioni minori annexam esse peccatorum dimissionem, licèt non quoad totam pœnam, & ideò fortè dixit: minùs dimittitur.

Estius,

Estius, qui tenet etiam contritionem ex amore perfecto non semper justificare, vult non fuisse justificatam peccatricem ob suum amorem, sed posteriùs, cùm ipsi dixit Christus: *Remittuntur peccata tua*: sed hoc dixit Christus, non quia non erant antea remissa, sed ad securitatem pœnitentis, & adstantium instructionem: undè vel tantùm declaravit quod factum erat, vel, si absolvit, absolutio fuit confirmatoria, seu secunda, sicut quandò profertur sacramentaliter super peccatis aliàs remissis.

Dixit quidem Augustinus Homil. 23. inter 50. *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda*; sed ly *immunda* non afficit tempus, quo jam dilexerat in præsentia Domini, sed tempus, quo domum intraverat necdùm perfectè contrita.

Obj. 3. Paulo mirabiliter converso, adeoque contrito, dixit Ananias, Act. 22. *Baptizare & ablue peccata tua*: ergo.

Resp. Vel Ananiam ignorasse ejus conversionem internam vel abluta fuisse ejus peccata quoad pœnas temporales, aut veriùs abluta fuisse 2. sicut peccata semel remissa, iterum remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ.

Obji. 4. Trident. Sess. 13. can. 11. præcipit ut nemo conscius peccati mortalis, audeat ad Eucharistiam accedere, quantumvis contritus sibi videatur, nisi præmissa confessione, ne fortè indignus accedat: ergo supponit contritionem ordinariè non justificare ante absolutionem Sacramentalem.

Resp. Ita ordinasse Triden. 1 quia probatio per confessionem ante sumptionem Eucharistiæ est de jure divino, ut suo loco diximus. 2. Esto quòd foret de jure Ecclesiastico, id potuit præcipere Ecclesia, non quia credebat contritionem ex amore remissonon justificare, sed ne adularentur sibi homines de contritione perfecta, ubi tantùm esset imperfecta vel defectu motivi, vel defectu amoris Dei super omnia: & sic Sacramentorum dignissimum sumerent indignè. Deindè si allata objectio valeret, non tantùm ante Eucharistiæ sumptionem confessionem præcepisset, sed etiam ante cujuslibet Sacramenti administrationem, & tamen Rituale Pauli V. Tit. 1. dicit: *Convenit confiteri*.

Obj. 5. Cathechismus Rom. P. 2. cap 5. quæst. 32. ait: *Ut concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit?*

Resp. Mirum esse Adversarios ex hoc Catechismo quasi argumentum suum palmare desumere, cùm vel sibi contradicat, vel per *Contritionem adeò vehementem* intelligat præcisè, conceptam ex amore Dei: ipsum audi qu. 26. *Quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor; hinc fit ut Contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat*. Item cap. 30. *Ex quo licet cognoscere veræ contritionis, de qua supra dictum est, eam esse vim, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus*. Ubi cuilibet veræ contritioni, adeoquè etiam non ità vehementi & intensæ, tribuit omnium delictorum remissionem, & quidem statim. Præthereà requirit *doloris acerbitatem*, ut sit proportio inter illam, & *scelerum magnitudinem*; sed ponamus aliquem tantùm habere unicum peccatum inter mortalia levissimum v.g. furtum 24. assium: ergo sufficiens erit proportio, si habeat dolorem ex amore remisso; adeoque Contritio illa, quam imperfectam vocant Adversarii, cuique vim justificandi denegant, juxta Catechismum illum justificabit. Undè concludendum est doloris acerbitatem & vehementiam requiri *ad plenam & integram peccatorum omnium remissionem*, ut loquitur Trident. sess. 14. cap. 2. id est, etiam quoad culpam temporalem.

Obj. 6. Si quælibet contritio justificaret, non benè dixisset Bernardus, quòd sententia Petri præcedat sententiam cœli, cùm sæpius fieret contrarium.

Resp. Neg. Assumpt. Quia Contritio tantum justificat cum voto Sacramenti, adeoque per ordinem ad claves, seu sententiam Petri.

Obji. 7. Si hoc fit, frustrà deplorat Augustinus Epist. 180. exitium decedentium sine Sacramentis defectu Ministrorum.

Resp. Neg. Assumpt. Quia magnum est exitium privari gratia sacramentali, & decedere cum obligatione multarum pœnarum temporalium, quæ vel totaliter remitterentur in Baptismo, vel partialiter in Pœnitentiæ Sacramento. Prætereà non semper constat esse vere contritos.

Obj. 8. Necessaria est ad reconciliationem contritio charitate perfecta: sed contritio non potest dici charitate perfecta, ubi charitas tantùm est remissa, sicut homo non dicitur in scientia perfectus, ubi tantùm habet scientiam in gradu remisso: ergo.

Resp. Neg. Min. Ad ejus probat. Dico, quòd cum scientia in gradu remisso non sit vera scientia secundum communem acceptionem, defectu notitiæ sufficientis, ita illam habens non dicitur in scientia perfectus.

Obj. 9. Ex locis Scripturæ, in quibus fundamus scientiam nostram, ut *Ego diligentes me diligo*, & similibus, eruitur quidem Deum, qui dilexit nos, cùm adhuc peccatores essemus, nos à fortiori diligere, ubi ipsum diligimus, non tamen ideò nos ad amicitiam suam admittere, nisi perfectè diligamus.

Resp. Alios passus esse à nobis subministratos; sed esto: Dico Responsionem illam ex Vanroy adversari Augustino, qui dilectioni simpliciter adscribit Dei amicitiam Tract. 9. in epist. Joan. ubi ait. *Nos diligimus, quia ipse prior nos dilexit . . . . . diligendo AMICI facti sumus; sed, inimicos ille dilexit, ut AMICI efficeremur*. Unde Scriptura per similes passus ostendit aliquod privilegium amantium; & ideò postquam Joan 14. dictum est: *Si quis diligit me*, non tantùm subditur: *Pater meus diliget eum*, sed *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, nempè per gratiam habitualem. Si autem Deus diligentes se tantùm diligeret per gratiam habitualem. Si autem Deus diligentes se tantùm diligeret per gratiam actualem, non esset privilegium amantium, sed etiam indulgentia peccatorum.

QUÆSTIO IV.

Quale propositum non peccandi de cætero hic requiratur?

ADverte duplex esse propositum non peccandi de cætero, unum formale, ut quando quis expressè dicit: volo emendare vitam, volo abstinere deinceps à peccatis. Aliud, virtuale inclusum in vera detestatione peccatorum.

CONCLUSIO I.

PRopositum non peccandi de cætero ad justificationem in hoc Sacramento, & extra requisitum, debet per se loquendo, esse formale, & explicitum. Ita Suarez, Sylvius, Filliucius, & plures alii.

Prob. 1. Quia aliàs frustrà definitioni Contritionis adjunxissent Florentinum & Trident. has Particulas: *Cum proposito non peccandi de cætero*, nisi voluissent illud propositum esse formale & explicitum; quandoquidem virtuale & implicitum contineatur in his prioribus: *Dolor de peccato commisso*. Fieri enim non potest, ut quis verè doleat de peccatis commissis, quia peccata sunt, si non statuat, saltem virtualiter, illa deinceps cavere.

Prob. 2. Quia si ille, qui à Deo recessit desperando aut discredendo, teneatur ad illum accedere formaliter sperando aut credendo, ut diximus in Tract. de Justificatione; quidni deberet, qui à Deo recessit, vitæ melioris propositum violando, ad eumdem accedere, illud formaliter renovando? Accedit, quòd propositum formale sit valdè proportionatum ad compensandam injuriam Deo factam.

Dixi: *Per se loquendo*; quia per accidens, defectu temporis aut cogitationis, sufficit virtuale; modò peccatorem ita suorum peccatorum pœniteat, ut, si cogitaret de modo deinceps vivendi, formaliter proponeret vitæ emendam.

Dices 1. Sufficit propositum virtuale, quando quis non advertit ad futurum: ergo etiam quando advertit.

Resp. Neg. Conseq. Quia cùm non requiratur propositum formale, quasi esset de essentia contritionis; aliàs sivè adverteret peccator, sivè non, necessarium esset ad valorem justificationis, sed tantùm requiratur ex præcepto, sicut tenetur ex præcepto memor infidelitatis aut desperationis, credere aut sperare, hinc fit quòd inadvertenter omittens propositum formale, justificetur ratione propositi virtualis; non justificetur autem omittens advertenter, quia ratione præcepti violati, actualiter peccat. Excipe tamen, nisi bona fide credidisset sufficere propositum virtuale.

Dices 2. Si quis impleto Paschatis præcepto, relabatur mense sequenti, & de peccato perfectè conteratur sine proposito formali vitæ melioris, justificabitur: ergo. Prob. Ant. quia præceptum propositi formalis, cùm non obliget pro semper, utpote affirmativum, non obligat pro tunc.

Resp. Neg. Ant. Ad Prob. dist. Assumpt. Non obligat pro tunc absolutè loquendo: C. supposito quòd velit justificari: N. sicut ergo in illo supposito præceptum Fidei, aut Spei formalis obligat eum, qui discredidit aut desperavit; ita & præceptum propositi formalis, quia videtur sequi, ex natura rei, sinceram peccatorum detestationem.

Dices

Dices 3. Saltem non obligat propositum formale in ultima vitæ periodo: ad quid enim propositum de vita meliori, ubi nihil restat vitæ?

Resp. Neg. Assumpt. quia cùm possit quis adhuc instantibus sequentibus peccare, debet pro illis fugam peccati proponere, quidquid dicat Suarez. Præterea, quot ab omnibus desperati & crediti mortui, sanati sunt? Unde requiritur saltem propositum conditionatum, *si vita supersit*. Ex dictis

Resol. 1. Ad hoc Sacramentum (idem est de justificatione extra-sacramentali) semper requiri propositum aliquod vitæ melioris, non quidem necessario formale; sed formale, si de futuro cogitet pœnitens, virtuale autem sufficit, si non cogitet; & ideò indignè accedit ad Sacramentum, qui scienter omittit propositum formale: dignè autem, qui in examinanda conscientia, detestandis peccatis, petenda venia, confessione facienda &c. ita occupatur, ut obliviscatur propositi formalis.

Resol. 2. Propositum formale non esse de essentia Contritionis; & ideò quando Florentinum in Decreto unionis docet pertinere ad primam partem Pœnitentiæ, ut pœnitens *doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*, vel loquitur de proposito virtuali, vel, si de formali, tantùm vult esse accessorium ordinarium illius partis, non intrinsecum; quandoquidem postquam dixit David: *Peccavi Domino*, ubi tantùm fuit propositum virtuale, statim audierit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum:* undè existimat Sylvius eum, qui futuri immemor, diceret cum affectu: *Deus propitius esto mihi peccatori*, vel Psalmum *Miserere mei Deus*, fore verè contritum.

CONCLUSIO II.

HOc propositum debet esse efficax, saltem quoad affectum, id est, vi illius debet talis esse pœnitentis dispositio, ut præferret quolibet bono privari, aut quolibet malo puniri, quam rursùs peccare; adeoque debet absolutè omnem peccandi voluntatem excludere.

Dixi: *Quoad affectum*; quia non necessariò debet esse quoad effectum, hoc sensu, quòd pœnitens vi illius debeat reipsa postea peccatum, de quo doluit, nunquam ampliùs committere: aliàs recidiva in peccatum semper argueret insufficientiam doloris, & propositi: quod certè falsum est; cùm existentia prioris non dependeat ab existentia posterioris. Fateor tamen nonnunquam recidivam esse indicium vehemens insufficientiæ propositi: undè Aug. Hom. 49. ex 50. cap. 6. *Quid prodest ò pœnitentes, quia humiliamini, si non mutamini?* Sed de hoc fusius posteà.

CONCLUSIO III.

PRopositum hoc circa mortalia debet esse absolutum, & de se perpetuum ex parte objecti.

Ratio est; quia alioqui non excluderet voluntatem peccandi mortaliter pro quolibet tempore: quod esset omnino insufficiens, cùm debeat pœnitens habere simpliciter voluntatem non ampliùs peccandi, adeoque se extendentem ad omnia tempora.

CONCLUSIO IV.

PRopositum hoc circa venialia, ubi nulla sunt mortalia in confessione, debet similiter esse absolutum & perpetuum, saltem circa unum eorum, quæ in confessione exprimuntur.

Ratio est; quia debet pœnitens habere voluntatem efficacem absolutè & sine restrictione temporis vitandi id omne, de quo sperat absolutionem, alioqui non esset verè pœnitens.

Dixi: *Saltem circa unum* &c. quia etsi peccet venialiter qui confitetur alia venialia, de quibus non habet verum dolorem & propositum sufficiens, si tamen de illo uno verè pœnitens, proponat efficaciter illud vitare, valebit Sacramentum, licèt aliqui contrarium sentiant.

CONCLUSIO V.

PRopositum non debet se extendere formaliter ad singula mortalia. In specie dicendo v.g. Propono vitare deinceps fornicationem, furtum, homicidium &c. sed sufficit si extendatur virtualiter, & quasi in genere, proponendo firmiter vitare in posterùm quodlibet mortale. Patet ex praxi communi tùm Confessariorum, tùm Pœnitentium etiam maximè timoratorum. Non arridet tamen doctrina illorum, qui nolunt nonnisi in genere interrogandos esse pœnitentes circa propositum, petendo v.g. an proponant in posterum meliùs vivere; non autem an proponant abstinere v.g. ab usura, pollutione, detractione &c. quia, ut ajunt, periculum est, ne de auditis peccatis iterùm sibi complaceant: Vanus est enim timor ille respectu perfectè contritorum: si enim nullum sit periculum tempore examinis, aut confessionis, cur esset tempore prudentis interrogationis?

CONCLUSIO VI.

PRopositum debet se extendere ad omnes peccatorum mortalium occasiones proximas, non tamen remotas.

Prob. 1. Pars; quia qui vult efficaciter finem, debet velle & media ad eum necessaria: sed ad vitandum efficaciter peccatum, necessariò requiritur vitatio occasionis proximæ illud perpetrandi; cùm illa proximè inducat ad frequenter peccandum; imò sit & ipsa peccatum: ergo. Undè seriò corrigendus est abusus illorum, qui putant sibi satis esse, si proponant vitationem peccati, licèt non intendant deserere occasionem illius proximam.

Prob. 2. Pars; quia nobis est moraliter impossibile vitare omnes peccatorum occasiones remotas; propositum autem non cadit super moraliter impossibile.

Petes. An ut propositum emendæ sit verum, debeat pœnitens probabiliùs credere se non amplius peccaturum mortaliter?

Resp. Neg. Sed sufficit quòd firmiter intendat cum Dei adjutorio à mortali abstinere, licèt ob magnam suam fragilitatem justè timeat de contrario.

QUÆSTIO V.

Quandonam obliget per se præceptum Contritionis?

LOquimur hîc de Contritione perfecta, adeoque de se justificativa, & quidem pro tempore, quo vel sacramentalis confessio non obligat, vel non occurrit illius commoditas. Inquisivi autem quandonam obliget per se; quia certum est obligare per accidens, primò quoties existens in peccato mortali ministrare debet aliquod Sacramentum, rei sanctitate id exigente, ut diximus de Sacramentis in genere. *Secundò* quoties receptio alicujus Sacramenti requirit in suscipiente gratiam, quam non habet, idque propter rationes suo loco expositas. Tertiò quando urget gravis tentatio, aut occasio peccandi, quæ non creditur aliter vincenda: nam licèt ad similium victoriam sufficiat gratia actualis, quia tamen hæc faciliùs, & sæpiùs conceditur amico, quàm inimico, præsertim ut est efficax, potest tunc aliquando urgere divinæ amicitiæ reparatio. Quartò si putetur necessaria ad avertendam manum Domini super populum aggravatam; quia obligat justitia legalis, ut membra communitatis malum totius avertere satagant.

CONCLUSIO I.

PEr se obligat Contritio peccatorum in periculo evidenti, aut probabili mortis aut amentiæ perpetuæ.

Ratio est; quia nisi tunc pœniteat, exponitur periculo nunquam pœnitendi, adeoquè & moriendi in peccato.

Dixi: *In periculo evidenti aut probabili*; quia ubi agitur de vita æterna, nihil temerariè exponendum est, & ideò ad id tenetur non solum periculosè ægrotus, sed etiam miles ante pugnam, peregrinus marinus ante periculosam navigationem, prægnans ante puerperium, saltem difficile &c.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est non teneri peccatorem per se loquendo, statim à commisso peccato conteri, saltem sub gravi culpa. Est contra quosdam antiquos, quibus adhærent pauci moderni, volentes obligari ad contritionem, aut confessionem, ubi saltem peccata memoriæ occurrunt, nec deest pœnitendi opportunitas: quorum sententiam ut piam & proficuam consulimus. Sed quid Doctor Seraphicus? Idem affirmat de Religiosis, quibus *totum tempus vitæ*, ut ait 4. dist. 17. p. 2. ar. 2. q. 2. *est tempus pœnitentiæ*. Negat de Laicis quoad confessionem, quos dicit posse expectare tempus quadragesimale; sed dubitat de Clericis, ob statum medium inter monachalem & laicalem: quæ doctrina si non omninò tenenda, non tamen est contemnenda.

Prob. Igitur Conclusio, primò quia gravis illius obligationis non legitur sufficiens fundamentum: habetur quidem Eccl. 5.

Ne

Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, sed potest sano sensu intelligi quod non sit differenda pœnitentia ultrà tempus rationabile, quod Conclusione sequenti determinabimus. Secundò quia obligationem festinæ illius pœnitentiæ, non agnoscit praxis Timoratorum, sivè Confessariorum, sivè pœnitentium. Tertiò quia præceptum pœnitentiæ est affirmativum, quod non solet statim obligare. Vult quidem Juenin esse partim negativum, quia *eo præcepto vetamur*, inquit in suo Comment. de Sacram. pag 51. *Ne Deo simus inimici*, sed si hoc sit, cur dicit paulò post: *Impius qui contritionis actum differt in breve tempus, non peccat lethaliter*, cùm præceptum negativum nullam concedat moram, sed obligans ad semper & pro semper obliget consequenter quolibet instanti? Si dicas, ut negativum, tantum obligare sub veniali; cur probat anteà diu differentem pœnitentiam peccare graviter, quia præceptum pœnitentiæ est Partim negativum?

Obj. 1. Peccat qui non statim restituit alienum, cùm potest: ergo & qui non statim reparat violatum Dei honorem.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd proprietarius damnum patiatur ex absentia rei suæ, nullum Deus ex dilatione pœnitentiæ nostræ: undè nequidem peccaret fur restitutionem differendo, si sciret Dominum nullatenùs indè damnificandum.

Obj. 2. Ex dilatione Contritionis exponitur peccator periculo peccandi, cùm unum peccatum, teste Gregorio, suo pondere trahat in aliud.

Resp. Periculum illud, sicut & moriendi in peccato, solùm esse remotam, saltem si non differatur ultrà tempus infrà determinandum.

Obj. 3. Gravis est obligatio, corpori graviter læso statim succurrere: ergo à fortiori animæ.

Resp. Dist. Aut. Si ex dilatione justè timeatur malum notabiliter augendom, aot aliud superventurum: C. hic autem ex aliquali pœnitentiæ dilatione non apparet illud inconveniens. Secus: N.

Obj. 4. Tenemur proximum errantem, statim corrigere: ergo & nos culpabiles statim emendare.

Resp Dist. Ant. Tenemur, ubi proximus continuaret suum peccatum, aut etiam aliud esset commissurus, aut non daretur posteà correctioni locus: C. & in illis circumstantiis tenemur statim pœnitere; & ideò dictum est in Conclusione, *Per se loquendo*. Si ex rationabili dilatione nihil grave timeretur: N.

Obj. 5. Tenetur homo quolibet instanti averti à peccato ante illius commissionem: ergo & post.

Resp. 1. Dist. Conseq. Ergo & post, illius affectum deponendo: C. ipsum positivè detestando; N. Ex quo patet dari medium inter complacere sibi in peccato, & detestari peccatum, nempè ad illud permissivè se habere, nec approbando, quod esset meræ malitiæ, nec reprobando, quod est cujusdam pigritiæ, levioris tamen ob levitatem detrimenti.

Resp. 2. Dist. Ant. Tenetur quolibet instanti averti à peccato aversione positiva, illud positivè fugiendo. N. aliàs non posset dormire. Aversione negativa, abstinendo ab illius affecto: C. & ità potest post commissum peccatum se habere.

Obj 6. Non potest quis velle positivè permanere Deo inimicus, aliàs vellet esse objectum divini odii, quod est intrinsecè malum: sed si staret Conclusio, id liceret: ergo. Prob Min. quia posset velle positivè non pœnitere hodie; cùm possit velle quod potest facere: sed velle positivè non pœnitere, est velle positivè permanere Deo inimicus; cùm statuerit Deus non remittere peccatum sine pœnitentia: ergo.

Resp. Neg. Min. Et ejus probationem; quia etsi liceat mihi non pœnitere hodiè, quod sonat positivam volitionem ad illam perseverantiam. Quando autem dicitur licere velle, quod licet facere, hoc est verum quando *velle* non importat aliquam deordinationem suprà *facere*, aliàs non: & certè si ex causa liceat mihi permittere peccatum proximi, non tamen illud velle, quidni possit mihi licere dictam perseverantiam permittere, non tamen illam velle?

Instabis: Qui à se non removet Dei inimicitiam, cùm potest, censetur interpretativè eam velle.

Resp. Dist Assumpt. Cum potest & obligatur, censetur &c. C. Cum potest & non obligatur: N. Sic potest succurrere navi Joannis periclitanti; sed non obligatus ob justam causam, non censetur illius naufragium velle.

Obj. 7. Cum Vanroy: Nemo vel unico momento patitur viperam in sinu: ergo nec pati debet viperam infernalem in corde.

Resp Disparitatem esse quòd vipera terrestris semper mordeat, non sic infernalis.

Objl. 8. Authoritatem D. Thomæ 2. 2. quæst. 62. art. 8. ubi ait: *Manifestum est, quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere*.

Resp. Divo Thomæ opponendum esse D. Thomam 4. dist. 17. quæst. 8. art. 1. quæstiun. 4. ad 2. *Non est de necessitate salutis corporalis, quòd statim medicina quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similiter est de morbo spirituali*. Sed ne dicatur sibi contrarius, explicari potest de peccato quoad affectum, in quo ne unico instanti licet morari.

CONCLUSIO III.

NOn videtur excusandus à peccato gravi qui contritionem seu pœnitentiam differret ultrà quatuor aut quinque menses à commisso peccato.

Prob. 1. Quia id ad minimum indicant Scripturæ, Concilia, & Patres docentes, quòd non sit differenda pœnitentia de die in diem, & quod peccator non tardet converti ad Dominum &c. 2. Quia credibile est Deum privare peccatorem quotidie procrastinantem variis gratiæ auxiliis ad salutem non parum conferentibus. 3. Quia si peccatum suo pondere in aliud trahit, quantò magis trahet quatuor aut quinque mensium pondere & fœtore aggravatum? 4. Quid ad minimum pari gradu incedere debet actus pœnitentiæ cum actibus Fidei, Spei, & Charitatis: sed hi obligant aliquoties in anno, ut suo loco diximus: ergo & ille. 5. Si Scotus, tantus Vir, dubitaverit, an non teneatur homo etiam justus ad Deum converti per dilectionem singulis diebus festivis, quis dubitare audeat, an non teneatur peccator ad Creatorem suum & Benefactorem reverti per pœnitentiam post quatuor aot quinque menses.

Dices 1. Ecclesia tantùm præcipit semel in anno peccatorum confessionem: ergo supponit non sæpius teneri peccatores ad contritionem.

Resp Neg. Conseq. Quia præcipiens hunc justificationis modum non exclusit alios. Scio hunc esse aliis certiorem, sed etiam scio esse difficiliorem, & homini sibi relicto valdè odiosum; & ideò nè terreret peccatores, maluit tamquam mater benigna, sciens alios justificationis modos peccatoribus non deesse, hunc tamquam duriorem rariùs præcipere.

Dices 2. Non solent Confessarii inquirere ab iis, qui annuam confessionem instituunt, an fuerint aliquando per annum de peccatis contriti: ergo supponunt non esse illam obligationem.

Resp. Fortè hoc indè originem habere, quòd olim Confessarii cùm magis ferveret charitas, non dubitarent eos, qui toties moneotur per exhortationes & catechismos quotidiè conscientiam suam examinare, ac de peccatis dolere, semel saltem spatio 4. aut 5. mensium ad Deum converti per pium contritionis motum. Sed jam cùm multùm refriguerit charitas, & abundet iniquitas, certè sunt pœnitentes circà hoc examinandi, non minùs ac circa actus Fidei, Spei, & Charitatis.

QUÆSTIO VI.

An ad justificationem sufficiat Attritio cum Sacramento?

MIrum est, quanta sit inter homines pro diversis temporibus opinandi diversitas! Sententia affirmativa ita post Tridentinam Synodum facta est celebris, ut ab aliquibus diceretur *simpliciter vera*, ab aliis *certa*, ab aliis *certissima*, ab aliis *videri definita*: His verò temporibus audent aliqui sententiam affirmativam non tantùm rejicere; sed etiam Episcopis denuntiare tamquam errorem censurandum. Quanta mutatio! sed hi vel inobedientes sint, vel ignorantes, necesse est; cùm Alexander VII anno 1667. 7. Maii præceperit *in virtute S. obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ S. Sedi reservatæ, ut nulli audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusvè injuriæ aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem*. Et Innocentius XI. In Decreto emanato 2. Mart. 1679. ubi condemnat certas propositiones, mandat in virtute S. Obedientiæ, ut imposterùm nulla propositio quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertitur, aliqua censura, aut nota, aut aliquibus convitiis taxetur. Quoniam tamen ad plenam hujus quæstionis resolutionem, varia concurrunt, illam in varios Articulos dividemus.

A R-

ARTICULUS I.

An Attritio concepta ex amore gloriæ, aut timore gehennæ possit excludere voluntatem peccandi?

ADverte 1. me dixisse Attritionem esse peccati detestationem, *quæ vel ex gehennæ & pœnarum metu, vel ex turpitudinis peccati consideratione communiter concipitur*, ubi ly *communiter* satis ostendit posse etiam ex alio motivo supernaturali concipi v. g. gloriæ cœlestis: undè sic posset adæquatiùs definiri: Animi dolor ac detestatio de peccato ex motivo inferiori, quàm amoris Dei super omnia & propter se, voluntatem peccandi excludens cum spe veniæ.

Adverte 2. Duplicem esse amorem, unum amicitiæ, alterum concupiscentiæ. Primus, qui etiam Benevolentiæ dicitur, est ille quo aliquem diligimus præcisè propter se. Secundus, quo aliud diligimus propter nos, seu ut nobis commodum. Amor amicitiæ tendens in Deum justificat nos, etiam extra Sacramentum, modò sit prædominans, id est, super omnia, ut diximus, non sic amor concupiscentiæ.

Adverte 3. Ex Tract. nostro de Virtut. Disp. 5. qu. 7. quadruplicem esse timorem, *Mundanum*, quo quis plus timet temporale nocumentum, quàm peccatum. *Servilem*, quo peccatum vitatur, ne pœna incurratur: estque duplex, *purè servilis*, qui annexam habet peccati complacentiam, ita ut si pœna non esset, adhuc peccatum fieri; estque inefficax, cum retineat affectum ad id, quod est inductivum illius, quod timetur. Alter est *non purè servilis*, quo quis efficaciter fugit pœnam & consequenter omnem affectum ad peccatum pœnæ inductivum. Tertius est *filialis*, quo timetur peccatum, quia Dei offensa est. Denique *Initialis*, quo timemus culpam simul & pœnam, seu peccatum ut Dei offensivum, & pœnæ inductivum. Plura Vide ibid. His notatis

CONCLUSIO I.

DAri potest amor efficax beatitudinis obtinendæ, qui excludat omnem peccandi voluntatem, omnemque ad peccatum affectum. Videtur mihi certa. Prob. 1. Potest dari amor alicujus rei inferioris ita efficax, ut excludat omne privativum illius, imò & periculum, saltem proximum, privationis illius: quæ enim implicantia? Imò nisi hoc esset, non posset dari efficax desiderium rei creatæ: quod nemo hactenus negavit: ergo à fortiori dari potest talis amor rei superioris, seu beatitudinis: atqui privativum beatitudinis est quodlibet peccatum mortale, quilibet affectus ad illud, quodlibet illius periculum proximum: ergo si dari potest amor efficax beatitudinis, dari potest exclusivus cujuslibet peccati &c.

Prob. 2. Dari potest amor Dei ità efficax, ut sit prælatorum omnium exclusivus: ut concedunt omnes, etiam Adversarii: ergo & talis amor beatitudinis. Quod autem dixeris contra consequens, Dicam & ego contra Antecedens: nec dabis mihi disparitatem in æternum. Et certè mirum esset, quòd posset peccator amare peccatum cum exclusione cujuslibet illius impeditivi, & non posset ita amare beatitudinem.

Dices 1. Amor beatitudinis est amor concupiscentiæ: sed amor ille non resistit peccato mortali, cùm hoc sit proprium amoris amicitiæ: ergo.

Resp. Dist. Min. Amor ille non resistit peccato mortali ratione suæ naturæ: C. ratione suæ efficaciæ, quando indè sequeretur quòd esset efficax, & non esset, ut in nostro casu: N.

Dices 2. Sicut Fides opponitur solùm Hæresi, ità & Spes solùm desperationi: ergo sicut Fides non excludit omne peccatum, ità nec Spes, seu amor beatitudinis.

Resp. Dist. Ant. Spes solùm opponitur desperationi ratione sui: Transeat. Ratione objecti efficaciter voliti, quod hic est beatitudo, à qua excludit omne peccatum: N. Aliud est de Fide; quia nec ratione sui, nec ratione objecti, etiam efficaciter crediti, opponitur quibuslibet peccatis.

Dices 3. Trid. Sess. 6. cap. 6. & 7. ponit Spem inter actus, quibus peccator ad justificationem disponitur: ergo Spes, etiam efficax, non excludit omne peccatum.

Resp. Dist. Conseq. Non excludit omne peccatum habituale: C. Actuale, de quo hic agitur: N. aliàs non est efficax.

Dices 4. Sæpè sperant peccatores beatitudinem, etsi actualiter versentur in occasione proxima peccati, quam nolunt deserere: ergo.

Resp. Dist. Ant. Sæpè sperant inefficaciter: C. efficaciter: N. cùm nullus possit eodem tempore velle efficaciter beatitudinem, & exclusivum beatitudinis, nempè peccatum.

Instabis: Potest quis retinens affectum ad peccatum, velle efficaciter pœnitere in fine vitæ: ergo velle efficaciter beatitudinem. Prob. Ant. quia ad velle efficaciter finem, sufficit velle efficaciter medium suo tempore ponendum, quo posito semper sequitur finis: posita autem pœnitentia finali, semper sequitur beatitudo.

Resp. Neg. Ant. ad prob. dist. Assumpt. Ad velle efficaciter finem sufficit velle efficaciter medium dependens in sui positione à nostra voluntate: Transeat. Dependens à voluntate alterius, qualiter dependet pœnitentia finalis à voluntate Dei, fortè auxilium necessarium ad pœnitentiam concessuri; fortè non, ob peccantis ingratitudinem, ac nimiam de Dei misericordia præsumptionem: N. Et certè quis dicet posse aliquem sperare efficaciter gratiam ab eo, quem, dùm illam sperat, actualiter gravi injuria afficit? nonnè potiùs debet timere repulsam, quàm sperare gratiam? dat quidem Deus gratiam omnibus ad pœnitendum, sed suo tempore, non quolibet instanti. Deindè dat quidem gratiam sufficientem, cum qua pœnitere possunt, non tamen semper efficacem, sine qua nunquam pœnitebunt. Præterea potest peccator subitò ædificii ruina obrui, gladio occidi, aquis suffocari, phrænesi aut amentia turbari. Sicut ergo peccator ille non potest sperare efficaciter pœnitentiam finalem, ut concedunt etiam *Adversariorum* aliqui, si non omnes; ita nec potest efficaciter sperare beatitudinem.

CONCLUSIO II.

DAri potest metus gehennæ, qui excludat omnem peccandi voluntatem.

Prob. 1. Ex Trident. sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel* A PECCATO ABSTINEMUS, *peccatum esse, aut peccatores pejores facere, Anathema sit*: ergo evidenter supponit metum gehennæ cohibere posse peccandi voluntatem. Cohibet, inquis, à peccatis externis, non internis. Sic etiam loquebatur Lutherus. Sed cur ab externis cohibet? quia sunt causativa gehennæ, quæ supponitur hic & nunc timeri, atqui sunt etiam causativa gehennæ peccata interna, cùm Deus non minùs puniat hæc, quàm *illa*: ergo si metus ille cohibeat ideò ab externis, cohibet & *ab internis*.

Dices 1. Has voces *Per quem* non denotare metum esse causam finalem, cur à peccatis abstinemus, sed tantùm occasionalem, seu principium extrinsecum. Sed

Contra est, quòd si tantùm esset occasio, non rectè diceret Concilium *Per quem*, sed *cum quo*: quandoquidem occasio solùm importet concomitantiam, non rationem, propter quam operamur: undè, ut suo loco diximus, aliud est operari *cum* metu, aliud ex metu.

Dices 2. Metum præfatum excludere voluntatem peccandi non positivè, sed tantùm negativè, in quantùm illam nec excludit, nec includit. Sed

Contra est, quòd Trid. sess. 14. cap. 5. de Attritione dicat: *Si voluntatem peccandi excludat*: ergo supponit posse excludere positivè; aliàs frustranea, imo chymerica esset illa conditio, utpote impossibilis.

Dices 3. Concilium addere *Si voluntatem peccandi excludat*, quia probabile est excludere. Sed

Contra est; si tantùm sit probabile excludere: ergo tantùm probabile est, metum illum esse donum Dei, impulsum Spiritus S. non facere hominem hypocritam &c. Quia veritas rei dependens à conditione tantùm probabili, solùm est ipsa probabilis: Tridentinum autem declarat metum illum, *Si voluntatem peccandi excludat*, esse donum Dei &c. Ecce tamen ipsimet Adversarii concedunt omnes cum Triden. Attritionem esse, non probabiliter solùm, sed certò donum Dei &c.

Prob. 2. ex Augustino (quem sibi Coryphæum in hac materia faciunt Adversarii) Enarratione in Psalm. 127. *Quia vera futura sunt impiis* (supplicia æterna) *timent & retinent se à peccato. Habent timorem, & per timorem* (nota) *continent se à peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam: cùm autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ*. Idem Ep. 120. Ad Honoratum c. 18. *Præmissus timor in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & servat charitati locum*. Quid expressius?

Prob. 3. ratione: Dari potest metus efficax gehennæ, ut fatentur Adversarii: sed talis metus excludit omnem peccandi voluntatem: ergo. Prob. Min. quia excludit omne illud, quod est inductivum gehennæ, quale est omne peccatum mortale, omnisque illius affectus. Si dicas indè sequi efficaciter metuentem gehennam, debere statim moraliter actum charitatis aut contritionis perfectæ elicere, cùm etiam peccatum habi-

habituale sit inductivum gehennæ, nisi deleatur: libenter tibi dabo manus, nisi prævideat ille se modò per Sacramentum pœnitentiæ justificandum.

Obj. 1. *Qui non diligit*, sicut tantùm attritus: *manet in morte* 1. Joan. 3. ergo in peccato.

Resp. Dist. Conseq. In peccato habituali: C. actuali, de quo hic agitur: N.

Obj. 2. August. Epist. 144. *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere*. Et paulò ante: *Inaniter putat victorem se peccati, qui timore pœnæ non peccat*. Item Serm. 15. de Verb. Apost. *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit*. Et Serm. 25. *Si timore gehennæ non facis malum . . . gaudio fidei tuæ, sed adhuc timeo malitiæ tuæ*. Idem habet pluribi.

Resp. S. Doctorem & alios Patres similia referentes, loqui de metu gehennæ inefficaci, seu purè servili, quo quis ita timet peccare propter gehennam, ut, si gehenna non esset, adhuc peccare vellet. Si dubitas, ipsum lege, nec ampliùs dubitabis. Nam primò Tract. 9. in Epist. Joan. comparat timorem illum cum timore mulieris, quæ abstinet ab adulterio (cui interiùs complacet) ne damnetur à viro. Secundò Serm. 18. de Verb. Apost. comparat illum cum timore servi, qui habens affectum ad peccatum, timet peccare, ne verberetur à Domino. Tertiò quandoque alludit ad observantiam legis mosaicæ, quam nonnulli observabant ex timore pœnarum purè servili. Et ne diceres, non distinguere inter timorem purè servilem, & non purè talem, sic ait lib. de Virgin. cap 38. *Perfecta charitas foras mittit timorem: sed timorem hominum, non timorem Dei; temporalium malorum, non divini in fine judicii*. Ubi apertè distinguit inter timorem purè servilem, quo excluditur charitas, & servilem sine servilitate, qui, ut ait idem Doctor, servat locum charitati. Præterea eum admittere timorem gehennæ, qui non sit purè servilis, patet tum ex Prob. 2. tum ex loco jam citato, ubi ait infrà: *Est etiam timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ charitatis*. Si autem possit propter timorem illum Deo servire, quidni & omnem peccandi voluntatem excludere?

Inst. Licèt admittat Augustinus timorem non purè servilem, non admittit tamen excludere voluntatem peccati, nisi ei adjungatur aliquis Dei amor super omnia: nam, ut ait lib. 2. contra Advers. legis cap. 7. *Desiderium peccandi non extinguitur, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur*.

Resp. 1. ad Augustinum cum Augustiniano Vanroy Tom. 2. pag. 120. *Quòd S. Pater solùm intendat plerumque, seu ordinariè peccandi desiderium nonnisi charitate extingui, quamvis subindè hic effectus SOLO timore queat obtineri*. Unde pag. 118. dixerat: *Non minus probabile est, quòd affectus particularis ergæ hoc vel istud peccatum vi timoris penitus extirpari queat. Clavus enim clavo pellitur*. Quid expressius pro nostra sententia? Huic tamen contradicere videtur Tom. 5. pag 98. ubi ait: *Licèt quælibet affectio peccaminosa per metum negativè excludi possit, positivè tamen vi solius timoris à voluntate non excluderetur*. An non clavus clavum pellit positivè? Vel ergo comparatio nulla est, vel est contradictio. Sed quidquid sit: excludat positivè, excludat negativè, satis est, quòd possit esse sine peccandi voluntate: quòd hic prætendimus, & sufficit ad resolutionem quæsiti principalioris.

Resp. 2. Augustinum loqui de dilectione latè sumpta pro bona voluntate, qualem habet detestans peccatum ex metu efficaci gehennæ, seu non merè servili: undè postquam S. Doctor commendavit charitatem in pœnitentibus Tract. 83. in Joan. tandem concludit: *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quàm charitas* quod & facit pluribus locis, ut diximus in Tr. de Charit. Attritionem autem à nobis definitam esse bonam voluntatem, quis dubitavit, & Tridentinum vidit? Vide & August. in Prob. Secunda.

Replicabis: Licèt sit bona in se Attritio; quando tamen *timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum*. Aug. l. 2. ad Bonif. cap. 9. & consequenter non est bona voluntas. Sed

Contra: Vel inficitur attritio à defectu amoris, seu relationis in Deum, vel non: si non, cùm sit in se bona, & bona erit voluntas ipsam eliciens & imperans: si sic, cur hanc Propositionem condemnavit Alexand. VIII. *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus* &c. Augustinus autem dicit *nonnum benè fieri*, quia defectu gratiæ sanctificantis, non fit meritoriè.

Obj. 2. S. Bonav. 3. dist. 34. p. 2. q. 1. ait: *Timor servilis est donum Spiritus S. & per illum timorem* (utiquè non purè servilem) *cessat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omninò cessat à voluntate*.

Resp. Evidentissimè loqui de voluntate habituali, non actuali, ut patet ex q. 2. *Ad illud, quod primò objicitur . . . . quod in timore servili vivit voluntas peccandi . . . non intelligitur . . . quod voluntas peccandi semper sit in actu, sed hoc dicit, quia manet in habitu & radice*.

ARTICULUS II.

Solvuntur aliæ Objectiones.

Obj. 1 Mercator projiciens merces in mare ex metu naufragii, retinet affectum ad merces: ergo nolens peccare ex metu gehennæ, retinet affectum ad peccatum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quòd affectus ad merces non causet naufragium, quod timetur, sicut affectus ad peccatum causat gehennam, quæ timeri supponitur: unde si affectus ad merces causaret etiam naufragium, sicut affectus ad peccatum causat etiam gehennam, affectum illum à se excluderet mercator.

Inst. 1. Cum Havermans: Etiam tali casu mercator latenter retineret affectum non deponendi affectum, nisi esset causativus naufragii: ergo similiter peccator in casu nostro.

Resp. Vel ille affectus latens subconditionatus, esset adhuc affectus ad peccatum in peccatore (idem dic cum proportione in mercatore) vel non: si non, excluderet ergo metus voluntatem peccandi. Si sic, redit solutio data.

Inst. 2. Cum eodem. Si mercator omnem affectum ad merces deponeret, oriretur ex amore naturali vitæ propriæ: *Quis autem dicet naturalem amorem sui in peccatore de peccatis ob gehennæ metum dolente, posse excludere voluntatem peccandi?* inquit pag. 250. sui Tyrocinii.

Resp. Si amor sui sit naturalis, metus tamen gehennæ, ob quam vitandam detestatur quis peccatum, est verè supernaturalis, ut suo loco diximus: & sic indè malè ratiocinatur Author ille.

Inst. 3. Cum eodem: Metus ille non est contrarius contemptui amicitiæ Dei in omni mortali incluso.

Resp. Dist. Assumpt. Non est contrarius ratione sui: Transeat. ratione suæ efficaciæ excludentis omne inductivum gehennæ: N.

Inst. 4. Ex eodem: Efficacia illa non extinguit affectum ad creaturam: ergo. Prob. Ant. quia solus affectus ad Deum tollit affectum ad creaturam.

Resp. Neg. Ant. ad Prob. Dist. Assumpt. Solus affectus ad Deum per amorem amicitiæ: N. per amorem aut amicitiæ, aut concupiscentiæ: Transeat. De hoc plura suo loco.

Obj. 2. Cum Vanroy: Quando pœna, quam infligit Deus, displicet, non displicet Deus: ergo quando pœna, quam causat peccatum, displicet, non displicet peccatum.

Resp. Neg. Conseq Disparitas est, quod complacentia in Deo non sit inductiva pœnæ, sed potiùs exclusiva: è contrà complacentia in peccato. En Argumentum Peremptorium unico verbo peremptum.

Obj 3. Multi peccatores timent fortiter gehennam, dùm sunt in actuali occasione peccandi: ergo.

Resp. Dist. Ant. Timent fortiter, id est, efficaciter: N. id est cum aliqua anxietate: C. sed hæc, sicut & conscientiæ remorsus, non censetur efficax, quandiu non cohibet & manum, & animum à peccato.

Objl. 4. Qui dolet de peccato ex metu gehennæ habet hanc voluntatem conditionatam: *Non dolerem, si non esset gehenna*: ergo ex illo metu non potest concipere propositum efficax emendæ. Prob. Ant. Qui dolet de furto commisso ex metu patibuli, habet talem voluntatem.

Resp. Neg. Ant. ad Prob. dissimulato Ant. Nego Conseq. Disparitas est, quòd in fure voluntas non dolendi de furto, si non esset periculum suspendii, non sit inductiva ipsius suspendii: quia Judices humani non puniunt peccata interna: in peccatore autem voluntas illa sit inductiva gehennæ, cùm Deus puniat illa pœna peccata interna sicut externa.

Dixi: *Dissimulato Ant*. Quia posset detestari furtum ex alio motivo.

Inst. Qui dolet de peccatis ex solo metu gehennæ; si non esset gehenna, non doleret: ergo habet prædictam voluntatem conditionatam.

Resp. Dist. Ant. Si ly *solo* excludat positivè omnia alia motiva, propter quæ displicere possunt peccata, Transeat. Si sumatur abstractivè, id est, prout abstrahit ab aliis motivis, vel quia ad ea non attenditur, vel certè quia non ita pe-

netra-

netrantur: N. Hic autem, quod benè notandum est, nolumus quòd qui dolet ex metu gehennæ, possit excludere positivè alia motiva, dicendo v. g. *non volo dolere de peccatis propter Dei bonitatem, sed tantùm quia timeo infernum.* Hoc enim, utpotè inordinatum, vitiaret ipsammet Attritionem; sed tantùm volumus posse præscindere propter rationes allatas: & ideò non sequitur, quòd dolens ex solo metu gehennæ, non doleret ex alio motivo, si non esset gehenna.

Obj. 5. Timor gehennæ cohibet quidem manum, seu opus externum, non tamen animum, sive affectum: undè Aug. in Psalm. 77. *Qui timent pœnam, & qui amant justitiam, non furantur: & ideò pares sunt manu, dispares corde, pares opere, dispares voluntate.* Quia in his non remanet affectus ad furtum, sicut in illis. Et D. Prosper Sent. 117. *Qui timore non peccat . . . abstinens est ab iniquo opere, sola tamen reus est voluntate.*

Resp. Neg. Assumpt. Et certè mirum esset, quòd timor patibuli possit cohibere peccatum externum, & timor gehennæ non posset internum: per quid enim timor patibuli cohibet peccatum externum, nisi quia per illud incurritur patibulum? atqui per peccatum internum etiam incurritur gehenna: ergo timor gehennæ etiam cohibet peccatum internum. Ponamus homines cognoscere aliorum hominum voluntates, ipsasque malas subesse correctioni: An non posset quis vitaturus patibulum, à furto externo, & interno abstinere? Si negas? implicantiam assigna. Si affirmas? affirma & posse peccatorem, ex metu gehennæ peccati externi & interni punitivæ ab utroque abstinere. Undè semper mihi ridicula visa est illa objectio, ridiculosque facit homines, qui scientes Deum scrutari cordis intima, scientes peccatum tam internum quàm externum puniri gehenna, tantùm abstinerent ab externo, ut vitarent gehennam. Et ideò tamquam certum teneo, Patres citatos non loqui de timore efficaci, sed tantùm inefficaci, & serviliter servili, de quo non est hic quæstio, nec postea.

Inst. 1. Cum Patre Fervacq: Voluntas efficax ponit media ad finem: sed timens gehennam sæpè sæpiùs non ponit media ad vitationem gehennæ: ergo.

Resp. Dist. Ma. Ponit media ad finem quamdiu est efficax: C. dum mutatur: N. & hinc fit, quòd peccatores volentes hodiè efficaciter vitare gehennam, & ideò excludentes, tamquam medium necessarium, omnem peccandi voluntatem, sæpè tamen non evitent gehennam ob mutatam voluntatem. Quidquid hic nobis objicit Eximius Pater, retorquere possumus in amorem suum remissum, qui non semper obtinet beatitudinem, aut gehennæ vitationem.

Inst. 2. Cum eodem: Licèt timor imperare possit voluntati, ut abstineat ab omni peccato, etiam interno, nunquàm tamen parebit, nisi adsit amor benevolentiæ.

Resp. Si voluntas possit parere ex motivo dilectionis Dei, etiam imperfectæ: quidni parere posset ex motivo gehennæ vitandæ, aut beatitudinis obtinendæ, cùm hujus spes & illius timor efficax sit æquè exclusivus peccati, ac dilectio Dei; idque saltem ratione suæ efficaciæ, ut anteà diximus.

Inst. 3. Vel exclusionem illam habent, ut sunt naturales, & Pelagianum est; vel ut sunt supernaturales, & sic Fides etiam excludet omne peccatum, quod falsum est.

Resp. Illam habere, quia implicat, ut idem velimus & nolimus per aliquem actum sivè naturalem, sivè supernaturalem. Pro Coronide

Advertendum 1. Tridentinum condemnasse Lutherum quia dicebat Attritionem, *facere hominem hypocritam*: sed ideò dicebat Lutherus hunc actum *facere hominem hypocritam*, quia credebat per illum cohiberi peccatum externum, non internum: sicque videbatur homo exteriùs bonus, cùm interiùs esset malus, in quo consistit hypocrisis: ergo definiens Concilium Attritionem non *facere hominem hypocritam*, definit excludere, aut posse excludere voluntatem peccandi.

Advertendum 2. Posito quòd Attritio non excluderet positivè voluntatem peccandi, sicut nec positivè includit, ut fatentur Adversarii, nihil indè secuturum contra sententiam admittentium sufficientiam solius Attritionis cum Sacramento. Et certè nunquid potest attritus, formaliter proponere se meliùs victurum; etiam sine amore Dei benevolentiæ? Dubitantem convincit Trid. Sess. 14. can. 5. ubi Attritionem jungit cum proposito melioris vitæ. Hoc autem posito, stat illa sententia, quæ tantùm vult Attritionem, quæ est cum proposito non peccandi de cætero, sufficere ad hoc Sacramentum sine aliquo amore Dei super omnia.

ARTICULUS III.

An resolutio illa etiam se extendat ad voluntatem peccandi præteritam?

NE in vanum luctemur contra Adversarios nostros, distinguenda est cum quibusdam recentioribus duplex peccandi voluntas, præterita & futura. Præterita est, ut ajunt, quæ remanet ex peccato commisso quamdiù per actum charitatis non retractatur peccatum. Futura autem, quæ respicit peccata committenda. Vult autem Havermans timorem gehennæ posse quidem excludere voluntatem peccandi futuram, cùm ad hoc sufficiat habere se merè negativè, non admittendo voluntatem illam; non tamen præteritam, quę non expellitur nisi per actum contrarium, qui actus non est timor, sed amor. Ita ferè ille, cui adstipulantur Vanroy, Henricus à S. Ignatio, & quidem alii. Contra quos sit

CONCLUSIO UNICA.

POtest timor gehennæ efficax excludere voluntatem peccandi, non tantùm futuram, sed etiam præteritam.

Prob. 1. Vel dari potest metus efficax gehennæ, vel non. Si sic: ergo excludere potest omne inductivum gehennæ, adeoque omnem peccandi voluntatem tam præteritam, quàm futuram; aliàs non esset efficax. Si non, ubi contradictio? Dari potest metus efficax patibuli, quidni inferni; An magis est objectum timoris patibulum, quàm infernus? Pęna momentanea, quàm æterna?

Dices Timorem gehennæ non posse dici efficacem, nisi adhibeatur medium voluntatis præteritæ exclusivum, quale est actus charitatis. Sed

Contra est: Vel voluntas illa præterita est verum peccatum, vel non: si non, nihil ad rem. Si sic: vel est habituale, vel actuale: si habituale, nequidem charitatis adminiculo ordinariè tollitur; cùm, secundùm ipsos, remaneat peccatum habituale cum actu charitatis, ubi non est valdè accensus & intensus: quod, etiam secundùm ipsos, satis raro accidit. Si actuale: ergo dormiens qui non retractavit peccatum commissum per actum amoris, peccat actualiter, cùm in illo remaneat illa voluntas.

Inst. 1. Tantùm censetur voluntas illa adesse, quando quis reflectit ad peccatum suum.

Respond. Indè sequi peccatorem examinantem conscientiam, antequàm elicuerit actum amoris, peccare actualiter peccato furti, aut fornicationis, prout fuerit peccatum necdum per amorem retractatum; cùm tunc reflectat ad peccatum.

Inst. 2. Cum Vanroy voluntatem illam præteritam consistere in quadam inordinatione, seu aversione voluntatis à Deo, quam non retractat nisi conversio ad eumdem.

Resp. Eamdem redire solutionem, vel enim illa inordinatio aut aversio est habitualis, & nequidem illam tollit ordinariè charitas secundùm ipsos? vel actualis, & peccare potest dormiens, aut examinans conscientiam, ut sup.

Prob. 2. Timor gehennæ potest probabiliter, secundùm Vanroy, excludere omne peccatum externum & internum: ergo omnem peccandi voluntatem etiam præteritam, cùm hæc supponatur ab Adversariis esse peccatum. Prob. Ant. de interno, quia de externo conveniunt omnes: Prob. inquam; quia *non minus probabile est*, inquit Tom. 2. pag. 118. *quòd affectus particularis erga hoc vel illud peccatum vi timoris penitùs exstirpari queat: Clavus enim clavo pellitur.*

Dices: Addit idem Author infrà: *Licèt gehennæ metu omnis complacentia v. g. in furto desinere forsan possit, voluntas tamen interpretativa offensæ Dei per voluntatem furandi anteà contractæ non retractatur, nisi per amorem Dei*: ergo non obstantibus præfatis remanet voluntas peccandi præterita.

Resp. Hic esse verum Paradoxum: quomodo enim manebit voluntas peccandi, ubi nequidem manet complacentia ad peccatum? Oculatior videat: Ego non video; nisi certè voluntas illa dicatur merè habitualis: & tunc nonnisi impropriissimè dicitur voluntas peccandi, cum iy *peccandi* sonet præsens aut futurum, & nullatenus præteritum. Quis enim mortalium dixit hominem habere voluntatem ambulandi ab ambulatione præterita?

Prob. 3. Quando quis detestatus est peccatum commissum ex metu gehennæ, nihil in ipso remanet, à quo dicatur velle

pec-

peccare: ergo &c. Prob. Ant. quia secundùm Theologos communiter, tantùm remanet macula peccati, seu peccatum habituale: sed ob hoc non dicitur velle peccare, aliàs habens charitatem non multùm accensam, cum qua stat peccatum habituale, juxta Adversarios, diceretur velle peccare, quod ipsi negant. Si autem dicant remanere quemdam affectum actualem, Dicam ego eum, qui furatus est, continuò furari affectu, etiamsi displicear furtum, imò restituerit ablatum: quod nullus somniavit.

Prob. 4. Attritio juxta Trid. Sess. 14. can. 5. potest esse *cum proposito melioris vitæ*: sed non potest stare propositum illud cum voluntate, aut affectu ad peccatum; aliàs proponeret vitare, quod vellet actualiter: ergo.

Obj. 1. Quod fit aut omittitur ex metu, est involuntarium secundùm quid: ergo non excludit omnem affectum ad illud.

Resp. Dist. Ant. Quando involuntareitas non est causativa ejusdem mali, quod timetur, ut in viatore dante bursam latroni, ne occidatur: C. quando est causativa, ut in nostro casu: N. Vide dicta de metu in Tract. de actibus humanis.

Obj. 2. *Tantùm quisque odit peccatum, quantùm justitiam diligit*. Aug. Epist. 144. ergo ubi non est amor justitiæ, nec est odium peccati.

Resp. Dist. Conseq. Ubi non est amor justitiæ, id est, Dei propter se: N. id est, legis divinæ: C. sed cùm attritus proponat meliùs vivere, proponit legem, adeoque justitiam servare: servans autem justitiam, justitiam diligit.

Obj. 3. Non potest quis verè detestari peccatum, nisi ipsi præferat summum bonum: sed illa prælatio non fit sine Dei amore: ergo.

Resp. Dist. Ant. Nisi præferat explicitè: N. implicitè, inquantùm est paratus potiùs omnia bona creata perdere, quàm peccare: C. sed an hoc includat amorem Dei decidet

ARTICULUS IV.

An Attritio debeat ex mente Tridentini includere aliquem Dei amorem?

Videntes Adversarii nostri evidentissimè in Tridentino contineri, posse esse Attritionem in peccatore sine voluntate peccandi, aliud adinvenerunt, dicentes Attritionem à Concilio definitam includere aliquem Dei amorem, ratione cujus, & non ratione timoris, excludatur peccandi voluntas. Contra quos

CONCLUSIO UNICA.

In Attritione à Trident. definita, & à nobis superiùs relata, non includitur aliquis amor Dei propter se. Videtur certa.

Prob. 1. Quia dividit Concilium Contritionem in genere, in eam, quæ est charitate formata, & in eam, quæ non est charitate formata, quæ Attritio dicitur: ergo supponit hanc nullum includere amorem benevolentiæ; alias posterior non opponeretur priori: imò non distingueretur specificè ab illa, cùm utriusque idem esset motivum.

Prob. 2. Quia Tridentinum non refert has particulas: *si voluntatem peccandi excludat*, ad actum charitatis subintellectum, ut volunt, sed ad ipsam Attritionem: aliàs ridicula fuisset Patrum locutio: nam sensus fuisset: si actus charitatis voluntatem peccandi excludat, Attritio est donum Dei &c. ergo cùm ex mente Tridentini possit Attritio per se, & sine charitatis adminiculo, peccandi voluntatem excludere, non est, cur ad illius voluntatis exclusionem, admiserit ibi aliquem dilectionis actum. Deindè si credidisset Concilium in sua Attritione includi aliquam Dei dilectionem, non dixisset: *si voluntatem peccandi excludat*, sed absolutè dixisset: *voluntatem peccandi excludens*; cum non dubitaret voluntatem illam per charitatem excludi.

Prob. 3. Ex Historia Tridentina Pallavicini lib. 12. cap. 10. ubi refert postquam formatum fuisset Decretum, ubi de Attritione dicebatur: *Cùm sine aliquo dilectionis motu esse vix queat* reformatum esse ad instantiam Episcopi Tudetani, qui *monuit falsò dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse*: ergo evidens est ex mente Tridentini non includi aliquem Dei amorem in præfata Attritione:

Prob. 4. Scopus Tridentini erat damnare Lutherum: sed hic non asserebat Attritionem conjunctam cum actu charitatis facere hominem hypocritam, sed solam Attritionem: ergo. Major patet ex Historia Pallavicini loco citato. *Reverà* inquit, *quantùm ex Actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error Hæreticorum damnaretur tamquam inhonestam improbantium pœnæ timorem*, *non* &c. Prob. Min. ex ipso Luthero ser. 2. de Pœn. *Hæc autem contritio facit hominem hypocritam, & magis peccatorem; quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit* &c.

Obj. 1. Cùm Henrico à S. Ignatio: Attritio, de qua Trid. est vera pœnitentia: sed pœnitentia ex motivo proprii interesse, & non divini, non est vera pœnitentia: ergo Attritio Tridentina involvit Dei amorem.

Resp. Dist. Min. Pœnitentia ex motivo proprii interesse inordinati, non est &c. C. Ordinati, imò & in Evangelio præscripti, ubi jubemur timere eum, qui corpus & animam potest mittere in gehennam: Subdist. Si motivum illud sit finis ultimus pœnitentis: C. si sit tantùm finis proximus non excludens positivè relationem ulteriorem ipsius timoris in Deum ut possidendum referibilis: N. unde respectu relationis illius ulterioris habet se negativè, seu præcisivè.

Obj. 2. Quidquid competit Contritioni in genere, competit & Attritioni; quia quidquid competit generi, competit & speciei: sed Contritioni in genere à Concilio definitæ, competit quidam Dei amor: ergo & Attritioni. Prob. Min. quia competit quod sit *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso*, adeoque de peccato ut peccato, seu, ut est offensa Dei: dolens autem de peccato ut peccato, dolet quia Deum offendit, quia contra Deum iniquè egit, quia Dei legem violavit: quod est dolere ex motivo charitatis.

Resp. Neg. Min. Aliàs genus contineret totam perfectionem, etiam differentialem suæ speciei, nempe Contritionis perfectæ. Si dicas non continere amorem adeo intensum, Dicam ego intensionem, utpote charitati accidentalem, non esse specificativam Contritionis perfectæ, sed ipsam charitatem secundùm sua essentialia, ut satis patet ex dictis.

Ad Probationem dico esse quidem detestationem peccati ut peccati, non tamen includere propterea actum charitatis; quis enim dicat dolentem qui violavit legem jejunii, aut confessionis, diligere propterea Deum benevolè? & tamen dolet de peccato formaliter, cùm doleat se violasse legem, in cujus violatione consistit formaliter peccatum, unde reperitur quidem ibi implicitè amor legis, non tamen amor Dei, saltem propriè dictus.

Obj. 3. Attritio Tridentini debet esse cum proposito melioris vitæ, adeoque cum proposito servandi Dei mandata, inter quæ est illud: *Diliges Dominum Deum tuum* &c ergo Deum diligit Attritus.

Resp. Neg. Conseq. Sicut enim propositum ambulandi non est ambulatio, ita nec propositum diligendi est dilectio, nisi certè inchoativè, ut jam dicemus.

Obj. 4. Non minores requiruntur dispositiones ad deletionem peccati actualis, quàm originalis: sed ad hujus deletionem in Baptismo requirit Triden. sess. 6. cap. 6. saltem initialem amorem, *quo Deum tamquam omnis justitię fontem diligere incipiunt*: ergo etiam illum requirit, adeoque supponit in attritione, ad deletionem peccati actualis in Sacramento Pœnitentiæ.

Resp. Supposito, quòd aliquis Dei amor sit necessarius, sufficienter contineri secundùm sui inceptionem, quam exigit Concilium in proposito non peccandi de cætero: nam cùm in illo includatur propositum servandi deinceps omnia Dei mandata, habens autem Dei mandata & servans ea, dicitur diligere, Joan. 14. sequitur habentem propositum servandi deinceps omnia Dei mandata, incipere diligere Deum: quod requirit Trid.

Replicat Henricus à S. Ignatio non debere intelligi concilium de principio amoris extrinseco, quo quis proponit amare, & necdum formaliter amat, sed de intrinseco importante formalem Dei amorem. Sed unde hoc ipsi constat? cùm actualis dilectio non tantùm sit inceptio dilectionis, sed dilectio formalis. Ex Historia, inquit, Tridentini citata. Sed ego potiùs contrarium inde colligo: Delineatum fuerat Decretum, ut refert Pallavicinus, in quo nulla erat dilectionis mentio. Quatuor ex Patribus petierunt charitatis actum, qui (in id consentientibus 23.) fuit decreto insertus, sed cùm alii ad minimum 200. id non probarent, post strenuam rei discussionem, formatum est Decretum, cum his verbis: *Diligere incipiunt*. Cur ergo posuerunt: *Diligere incipiant*, cùm habens amorem, etiam remissum, verè & propriè diligat, & dicatur diligere, non ab eo, quod amori accidentale est, ut intensio, sed ab eo, quod essentiale est: quod convenit etiam primo gradui amoris: Cur, inquam, sic posuerunt? nisi quia tantùm requirebant principium extrinsecum amoris consistens in voluntate servandi deinceps Dei præcepta, quorum observatio vocatur à Joanne sup. Dei dilectio: vel ad sum-

summum (ne Catholicorum sententias læderent) ut abstrahetent, an necessarium esset initium amoris intrinsecum, an extrinsecum.

Dico *ad summum*; quia cùm non requiratur major dispositio ad Sacramentum Baptismi, quàm Pœnitentiæ, & agens Concilium ex professo de requisitis ad hoc Sacramentum, imò promittens initio sess. 14. daturum se exactiorem hujus Sacramenti doctrinam, quam dederat sess. 6. agens de justificatione, nullius omnino meminerit dilectionis benevolæ; quinò contra in Decreto delineato positam jusserit expungi, ut antea diximus, signum est in Attritione Tridentina nullum Dei amorem benevolum includi.

Obji. 5. Licèt Attritio, juxta Patres Tridentinos, ex gehennæ metu concipiatur, generatur tamen seu perficitur charitate.

Resp. Neg. Assumpt. Contrarium evidentissimè patet ex Decreto delineato, in quo expunctum est, non quod Attritio *sine aliquo dilectionis in Deum motu concipi vix queat*, sed *vix esse queat*, ad ostendendum non tantùm concipi, sed etiam generari posse sine charitate. Præterea si ex alio motivo conciperetur, & ex alio generaretur, differrent specie Attritio concepta, & Attritio genita, quod nullus somniavit. Imò conveniunt omnes unico actu concipi, & generari.

Obj. 6. Non dicitur *concipi ex solo metu*, nec *necessario ex metu*, sed *communiter*: ergo metus ille non est ipsius specificativum, saltem unicum, aut necessarium.

Respond. Concilium non posuisse has particulas; quia nempe contritio specificari potest ex spe Beatitudinis &c. non vero quia credebant Patres etiam specificari attritionem ex amore.

ARTICULUS V.

Resolvitur Quæstio principalis.

Longè probabilius est, & communius sufficere Attritionem ad valorem hujus Sacramenti sine aliquo Dei amore super omnia. An autem in praxi possit quis esse contentus Attritione cognita ut tali, decidetur postea.

Prob. 1. Conclusio: Trid. sess. 14. cap. 4 asserit: *Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur .... peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ disponere*: ergo se sola sufficit ad valorem & effectum hujus Sacramenti.

Negant aliqui conseq. dicentes Concilium loqui de dispositione remota & insufficienti. Sed

Contra est 1. quòd aliter disponat in Sacramento, quàm extra: sed extra disponit remotè, cùm pœnitenti viam ad justitiam paret: ergo intrà proximè. Sed esto ex mente Concilii proximè disponat, inquit Henricus, non tamen ad gratiam justificantem, sed ad gratiam contritionis. Insignis contorsio, quasi verò contritio in Sacramento, & non ante Sacramentum impetraretur; aliàs quomodo diceretur justificare in voto Sacramenti, cùm votum significet rei absentiam, non præsentiam.

Contra est 2. quod Triden. opponens ibi Attritionem Contritioni, per hoc quòd hæc justificet etiam ante susceptionem Sacramenti, illa non, addat. *In Sacramento tamen pœnitentem ad Dei gratiam disponit*, quasi diceret: Licèt Attritio non disponat ad gratiam ante Sacramentum sicut Contritio, cum Sacramento tamen ad illam disponit sicut Contritio ante Sacramentum: Subsumo: atqui Contritio ante Sacramentum disponit ad gratiam proximè: ergo & Attritio cum Sacramento.

Contra est 3. quod Triden. loquatur de infallibili impetratione gratiæ, qualis est illa, quæ per Sacramentum confertur: atqui si Attritio esset tantùm dispositio remota, non disponeret ad gratiam infallibiliter impetrandam: ergo &c. Pro. Min. quia non disponeret ad gratiam nisi in quantùm disponeret ad contritionem, quæ esset dispositio proxima: atqui non disponeret ad contritionem infallibiliter impetrandam: aliàs Attritus semper obtineret Contritionem: ergo nec ad gratiam infallibiliter impetrandam.

Contra est 4. Quòd si solùm mediatè disponeret, alium actum immediatè disponentem debuisset assignare Tridentinum; aliàs promittens dare nobis exactam de hoc Sacramento doctrinam, dedisset mancam, & innumeris sacrilegiis, saltem materialibus expositam. Quis enim credat ad Sacramentum aliud requiri, ubi nihil aliud requirit Concilium in Spiritu Sancto congregatum? Quis necessarium putet actum amoris, ubi jam positus, à Catholicæ doctrinæ Patribus expungitur? Certè si aliam dispositionem requirebant Tridentini Patres, cur gliscentem, etiam suo tempore, toto orbe terrarum doctrinam de sufficientia attritionis non represserunt? Imò cur permiserunt doctrinam suam allegari tamquam fundamentum certum sententiæ nostræ, ita ut diceret Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *Sufficere Attritionem perspicuum est ex illo Concilio Tridentino*, imò dicerent alii inde videri definitam? Cur, inquam, in materia ubi de tot hominum æterna salute agitur, permiserunt ex sua doctrina, doctrinam adeò perniciosam ità promulgari, ut eam communiorem suo tempore diceret Ecclesiæ caput.

Dices ex Pallavicino sup. n. 26. Tridentinos Patres jussisse expungi ex cap. 4. hæc verba: *verùm etiam sufficere*, scilicet Attritionem, *ad Sacramenti hujus institutionem*, & hoc ad instantiam Episcopi Tudetani monentis circa sufficientiam Attritionis non convenire Doctores: ergo signum est, quòd non crediderunt esse dispositionem proximam.

Resp. 1 Pallavicinum solam instantiam illius Episcopi referre tanquam causam motivam illius deletionis; quia illa sola favebat suæ opinioni, quæ ultra Attritionem, aliquem Dei amorem requirebat. Verisimilius est tamen motos fuisse Patres maximè à rationibus sequentibus, ac primò quòd modus ille loquendi esset improprius, cùm pars non dicatur *propriè* sufficere ad constitutionem totius. Secundò & *præsertim*, ne fieret præjudicium Sententiæ Doctoris Subtilis admittentis in sola absolutione consistere totam essentiam hujus Sacramenti: quod colligo ex eodem Pallavicino n. 27. ubi *tradit* diligenter examinatum fuisse, quibus verbis actus Pœnitentis declararentur partes hujus Sacramenti, sine præjudicio opinionis Scoti, quam Florentinum reliquerat intactam; & tandem resolutum est quod dicerentur *quasi materia*. Quidni etiam illa verba expungi curaverunt, ut salva maneret ejusdem Doctoris sententia aliàs condemnanda?

Resp. 2. Quis melius potuit nosse Tridentini mentem, an Pallavicinus, qui ex actis mortuis 100. annis à Concilio celebrato suam texuit Historiam, an illi, qui Tridentino interfuerunt, materiam proposuerunt, discusserunt, ventilarunt, resolverunt? Ecce tamen ex his nonnulli, qui tantùm abest, ut dicant Concilium abstraxisse per illam expunctionem à difficultate hic agitata, ut ex Pallavicino colligunt Vanroy, Henricus à S. Ignatio, & alii, quin è contra fortiter sustineant doctrinam suam, quæ nostra est, doctrinam esse Concilii. Imò adhuc viventibus Tridentinis Patribus, docuerunt Paulus à Palacio circa annum 1564. Michael à Palacio frater ejus circa anno 1579. à Molina circa anno 1548. *Conclusionem nostram esse à Tridentino definitam*. Alii *à Tridentino esse approbatam*, *Tridentino consonam*, *à Tridentino determinatam*: contrarium autem *repugnare Tridentino*. Mirum autem esset Concilii Patres superstites, videntes serpere hanc nostræ Conclusionis doctrinam, ut Concilii authoritate munitam, per omnes Europæ Academias (verba sunt *P. Notan*) & tamen nullus dixerit, falsò Tridentini authoritate *muniri*, nullus Concilium indecisam reliquisse hanc controversiam. Fierine potuit, ut nullus se objecerit torrenti Scriptorum abutentium authoritate Concilii in re tanti momenti? Numquid prævidere poterant, quòd ex eorum silentio dicturi essent aliqui (quod de facto accidit) hanc doctrinam esse *evidentem*, *practicè tutam*, *practicè veram*, *Doctorum ferè unanimem*, *certam inter Authores Catholicos* &c. Unde

Concludo, quòd, etsi Patres illi non crederent fortè decisam, sciebant tamen fuisse in Concilio ità communem, ità receptam, ac tanti ponderis, ut non crederent ferè universali Scriptorum multitudini esse contradicendum: aliàs prorsus inexcusabiles fuissent. Unus quidem aut alter eorum, qui Concilio interfuerunt, sustinuerant etiam postea alicujus amoris necessitatem, sed cùm viderent Patres superstites, hoc nullatenus obstare torrenti doctrinam suam in doctrina Concilii fundanti, occurrere debebant errori, manifestando materiam præsentem nihil ex doctrina Tridentini habere roboris: quod tamen ne unus eorum fecit. Imò, ut jam dicemus, Catechismos imprimi curarunt, quibus Attritionem sufficere declarabatur.

Prob. 2. Conclusio ex eodem Concilio sess. 14 cap. 4. Contritio in genere est pars hujus Sacramenti: ergo & Attritio: quod enim convenit generi, convenit & speciei.

Prob. 3. Ex Catechismo Concilii, seu Romano *ad veram Contritionem* tantùm requirente conditiones sequentes, scilicet detestationem & dolorem peccatorum commissorum, voluntatem sinceram peccata confitendi, & pro eis satisfaciendi, firmum melioris vitæ propositum, desiderium obediendi Dei mandatis, voluntatem restituendi, denique injuriarum condonationem: atqui verè Attritus sine amore Dei, cujus non meminit Catechismus, præstat illa omnia: ergo.

Et postea addit, quòd licèt Parochi possint, alia exigere, puta

puta amorem Dei &c. quibus efficiant *ut Contritio sit magis perfecta & absoluta, verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his vera & salutaris Pœnitentiæ ratio constare non possit*. Hujus autem Catechismi authoritas magni facienda est, cum ex commissione Tridentini compositus fuerit ab iis, qui eidem interfuerunt, quique ejus mentem optimè noverant, & quidem longè meliùs quam omnes alii Historici, qui nonnisi ex aliorum auditu & relatu, de rebus in eo gestis scripserunt.

ARTICULUS VI.

Ulterius roboratur assertio nostra?

PRob. 4. ex D. Angelico 4. dist. 6. q. 1. art. 3. ad 5. *Ad hoc ut homo se preparet ad gratiam in Baptismo, percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit Attritio precedens, etsi non sit Contritio*: sed ratio præcipua, cur adversarii exigunt aliquem charitatis actum ad hoc Sacramentum, est quia illum exigit Tridentinum, ut ajunt, ad Baptismum: ergo si illum non præexigit Baptismus, nec præexigit hoc Sacramentum. Ex qua requitur ulterius quòd sicut non est credibile Concilium D. Thomæ fuisse contrarium, ita nec credibile est exegisse ad baptismum ad aliquem Dei amorem, nisi sensum anteà explicatum.

Confirm. 1. Quia juxta Augustinum lib. 1. de Adulter. Conjug. cap. ult. *Quod Baptismatis, eadem est reconciliationis causa*: ergo si ex D. Thoma sufficit ad Baptismum Attritio sine charitate; etiam sufficit ad hoc Sacramentum, præsertim cùm utrumque sit mortuorum.

Confirm. 2. Minor requiritur dispositio ad Sacramenta vivorum, quàm ad Sacramenta mortuorum: sed juxta D. Angelicum p. 3. q. 72. art. 7. ad 2. & q. 79. art. 3. sufficit ad recipiendam gratiam per confirmationem & Eucharistiam Attritio, putata Contritio: ergo ad recipiendam gratiam in Baptismo & Pœnitentia, sufficit Attritio, seu Contritio imperfecta ut talis cognita.

Dices 1. D. Thomas 3. p. q. 86. art. 3. docet ad veram Pœnitentiam requiri, ut displiceat peccatum, ut est contra Deum.

Resp. Ibi evidenter loqui de Pœnitentia virtute adeoque justificativa ante Sacramentum, sicut etiam loquitur q. 85. art. 6. ubi ait: *Actus virtutis Pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei*.

Dices 2. Idem q. 28. de Verit. art. 3. requirit ad justificationem, mutationem voluntatis per actum contrarium.

Resp. Id esse verum, sed sicut fuit voluntas aversa à Deo, & conversa ad creaturam per violationem legis, ita per sincerum ejusdem deinceps implendæ propositum censetur averti à creatura, & converti ad Deum.

Dices 3. 4. dist. 20. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. docet Pœnitentiam Antiochi non fuisse veram, quia doluit timore pœnæ, non amore justitiæ.

Resp. Non doluisse amore justitiæ, quia non doluit, quòd legem violasset, ad quod inclinat justitia legalis, sed quia pœnam omnino serviliter timebat.

Dices 4. D. Thomas per Attritionem seu Contritionem imperfectam, intelligit Contritionem cum amore remisso; & ideo 4. dist. 17. q. 2. art. 1. quæstiu. 2. ad 3. ait: Attritio dicit accessum ad perfectam Contritionem.

Resp. Neg. Assump. Quia per Attritionem intelligit id, quod est sine charitate, ut patet ex 1. Prob. hujus Artic. Dicit autem esse accessum ad Contritionem, quia Attritus, per Sacramentum fit contritus quoad effectum.

Prob. 5. ex D. Subtili 4. dist. 14. q. 4. num. 9. *Concedo ergo quòd ante perceptionem dignam pœnitentiæ, oportet suscitari, vel simpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur: vel suscitari secundum quid, scilicet, ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo Attritio fit Contritio, & tunc suscitatur simpliciter per Sacramentum*. Idem docet aliis locis, ubi, sicut & ibi, nullius amoris facit mentionem.

Dices: Scotus dist. 20. q. un. n. 5. expressè requirit aliquem Dei amorem, ait enim: *Ad hoc, quòd displicentia valeat, & sit ordinata, oportet quòd sit debitè circumstantia nata, maximè circumstantia finis, & principii activi principalis, ut scilicet sit voluntaria propter Deum*. Et postea subdit. *Hanc rationem tangit Augustinus in littera: Oportet non solum timere judicem, sed diligere: arbitrii enim libertatem quærit, ut delere possit commissionem, non necessitatem: charitatem, non timorem: non igitur timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria*. Ante solutionem.

Adverte Doctorem Nostrum agere de Pœnitentia, quæ fit in extremis: unde verba citata adfert in probationem hujus suæ conclusionis: *Pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera Pœnitentia sufficiens ad salutem: quia difficile tunc est habere veram pœnitentiam*.

Resp. Cum aliquibus Scotum ibi non agere de Pœnitentia Sacramentali; quia licèt hujus meminerit in prima Conclusione, non tamen in secunda. Quod confirmant ex n. 7. ubi ait Scotus: *quia vix, vel nunquam est aliquis* (in extremis) *qui habeat dispositionem de congruo*, per quam utique intelligit dispositionem justificativam extra Sacramentum, in quo non dicit gratiam conferri ex congruo, sed ex pacto. Sed esto loqueretur de Pœnitentia Sacramentali, ut probabilius est, nec ibi agit de amore quem requirunt adversarii, nec de timore quem requirimus nos, non primum; quia non agit ibi de amore benevolentiæ, sed propter Deum nobis propitium, ut indicant hæc verba desumpta ex authore libri de vera & falsa Pœnit. *Non igitur timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria*. Et ideo charitas, de qua fit ibi mentio, sumitur largè pro bona voluntate. Non etiam secundum; quia timor, de quo loquitur, non est efficax, sed serviliter servilis: *Præsumitur enim*, inquit, *quod si remotus esset à pœna, sicut prius, non extorqueret à seipso illam displicentiam, sicut nec prius*. Sed adhuc omnino gratis concesso, quòd ibi agat de amore Dei benevolo, nihil adhuc contra nos; quia agit de Pœnitentia moribundi, quæ ut valeat & sit ordinata, debet esse propter Deum, quem tenemur diligere in extremis tum ratione præcepti charitatis, tum etiam ut certiori modo provideamus nostræ saluti; quia licèt dicamus sententiam nostram longè probabiliorem non dicimus tamen in praxi tutam, præsertim in articulo mortis. Sed de his fusiùs posteà.

Inst. N. 5. de facto pœnitentis ex timore, ait: *Non est multùm acceptum aliis, nec multùm videtur propter ejus amorem factum*.

Resp. Ibi, ut supra, agere de amore Dei nobis propitii, quem nec habet sufficienter pœnitens ex timore serviliter servili: hic autem amor non est multùm acceptus Deo in comparatione Contritionis perfectæ includentis amorem Dei benevolum. Quando dist. 14. q. 2. n. 20. ait ex Augustino, *quod sine amore Dei nullus consequitur veniam*, intelligit per Pœnitentiam, Virtutem, de qua agit ibi unicè.

Concludo, quòd sicut loca Patrum obscura per clara explicanda sunt, ita & Authorum. Scotus autem ita clarè mentem suam alibi exprimit, ut Joannes Morinus (in quo tanquam Oraculo fundant se adversarii) dixerit lib. 8. de pœn. c. 3. n. 13. sed falsò, ut patet ex probatione, Scotum tantùm requirere ad justificationem Sacramentalem voluntariam susceptionem Sacramenti, & intentionem faciendi quod Ecclesia jubet, absque necessitate ullius operis intrinseci.

Prob. 6. Conclusio; quia Sacramenta mortuorum, quale est Pœnitentia, non prærequirunt gratiam sanctificantem in subjecto: (ideo enim dicuntur mortuorum, quia ordinariè non dantur vivis per gratiam, sed mortuis per peccatum) sed si exigerent aliquem Dei amorem benevolum, semper darentur vivis, sicque forent Sacramenta vivorum cùm quilibet amor Dei propter se & super omnia justificet, ut patet ex dictis: ergo.

Prob. 7. Ex illo vetustissimo Theologorum axiomate &c. *Attritus, per Sacramentum fit contritus*: sed si requireretur amor præfatus, nunquam fieret pœnitens ex attrito contritus, cùm habens amorem illum sit verè contritus: ergo. Nec dicas per Attritionem, intellectam esse contritionem minùs perfectam ob tenuitatem amoris; quia DD. Angelicus & Subtilis, quorum tempore vigebat illud Axioma, ut patet ex probatione 5. intelligebant nonnunquam pœnitentiam absque charitate, ut convincent te passus illorum citati.

Prob 8. Quia juxta SS. Patres, hoc Sacramentum, est medicina: sed hæc ordinariè non datur sanis, sed ægrotis: ergo similiter Pœnitentia; adeoque non prærequirit amorem prætensum, per quem sanus est homo.

ARTICULUS VII.

Solvuntur objectiones ratione amoris prætensi.

OBj. 1. Cum Henrico à S. Ignatio: Tenemur aliquando diligere Deum: sed nullum tempus rationabilis assignari potest, quàm dum volumus reconciliari Deo: ergo.

R. Vel dilectio illa requiritur ratione temporis, vel ratione justificationis: non ratione temporis, quia potuit homo dilexisse die præcedenti, imò eodem die, antequam peccaret: non etiam ratione justificationis; quia, cùm sit justificandus per

Sacramentum mortuorum, non est opus ut antea vivat, viveret autem per actum dilectionis.

Obj 2 Cum P. Vanroy: Actu mortiferè peccans est incapax justificationis: sed non diligens Deum mortifere peccat contra hoc præceptum: *Diliges Dominum* &c. ponitque finem suum ultimum in creatura: ergo.

R. Dist. Mi. Non diligens peccat, quando diligendi urget obligatio: C. alias: N. Vult quidem Vanroy semper Deum esse diligendum, non quidem actu, sed virtute ex actu relicta; sed si aliud velit, quam talem animi dispositionem, ut semper homo debeat esse paratus potiùs creaturas omnes, quàm Deum offendere, tam facile negatur, quam asseritur. Hanc autem dispositionem habet attritus, cum efficaciter velit peccatum vitare. Plura vide in Tract. de charit.

Obj. 3. Illud 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* & 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

R. ad primum ibi loqui Evangelistam de charitate ergà fratrem, non erga Deum, ut patet ex contextu. Sed esto, erga Deum: intelligi potest de charitate habituali: si plus velis, sume passum contrariè, id est. Qui odit, & ideò subditur: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Sed necdum sis contentus, dic non diligentem, ubi urget præceptum, manere in morte, quia peccat: quo sensu etiam dicitur non servare sermones Christi, cùm violet primum omnium mandatorum.

Obji. 4. Ex Rom. 8. *Non enim accepistis Spiritum servitutis*, ut serviamus Deo ex pœnarum metu, sicut in lege veteri, *sed spiritum adoptionis*, ut serviamus ex charitate, sicut in lege amoris.

Resp. Per hoc insinuari potiùs ex amore, quàm ex timore esse Deo serviendū, non tamen propterea condemnari timorem tanquam superfluum ac inutilem; cum dixerit ipsemet Christus; *Timete eum qui potest... perdere in gehennam.*

Obj 5. Ad Galat. 5 legitur *In Christo Jesu neq; Circumcisio aliquid valet... sed fides quæ per charitatem operatur.* Et 1. ad Corinth. 13. dicitur nihil prodesse sine charitate Et tandem c. ult. profertur Anathema non diligenti Deum.

Resp. ad 1. & 2. ibi fieri mentionem de charitate habituali, sine qua nec actus fidei, ne eleemosyna, nec quidquam aliud prodest ad salutem. Tertius autem passus sumitur contrariè, ut sensus sit? Qui odit Christum, sicut oderunt infideles, Anathema sit.

Obji. 6 Scriptura Deuteron. 4 & Joel. 2. requirit ad veram pœnitentiam conversionem ad Deum ex toto corde adeoque ex amore.

Resp. Dist. Assumpt. Requirit conversionem ex amore ad justificationem extra Sacramentum, quod nec dum habebant illi ad quos loca illa dirigebantur: C. ad justificationem in Sacramento, quod nobis instituit Christus: Nego.

Obji. 7. 2. Corinth. 7. dicitur tristitiam secundùm Deum operari pœnitentiam in salutem.

Resp. Et nos idipsum dicere; quia tristis ob peccatum commissum, tristis est secundùm Deum.

Objici. 8. Præposterum est, in lege timoris charitatem ad peccatorum remissionem necessariam affirmare, in lege verò charitatis, ipsius ad hoc necessitatem negare.

Resp. Esse valdè ordinatum; cùm enim Judæi non gravarentur peccatorum confessione, debebant onus illud Christianis impositum aliundè compensare.

Obji. 9. Cum P. Fervacq.: Fides ex Trident. Sess. 6. c. 7. non unit perfectè Christo sine charitate: ergo nec Attritio sine illa.

Resp. Nihil ibi ad rem nostram reperiri, cùm agatur de habitu charitatis, quem dicit infundi simul cum Spe & Fide, tres autem illi actus cùm non eliciantur simul nec simul infunduntur; & ideò de illis ibi non agit.

Obj. 10 Juxtà Trident. Sess. 14. cap. 1. ut quis salutariter pœniteat, debet detestari peccatum *tanquam offensionem Dei*, ubi involvitur amor.

Resp. Non haberi ibidem *Tanquam*, aut similem particulam reduplicativam; in qua sita est vis Argumenti. Debemus autem detestari *offensionem Dei*, non necessariò ut summi boni; sed vel ut summi boni vel ut peccatorum vindicis.

Obj. 11. Ex eodem c. 2. Non pertingimus ad salutarem Pœnitentiam sine magnis nostris fletibus: ergo.

Resp. Neg. conseq Ex eo enim quòd debeamus multùm flere, sequitur quidem quod multùm debeamus dolere, non tamen ex motivo charitatis.

Obj. 12. Ut ostendat Concilium cap 4. Attritionem disponere ad gratiam Sacramentalem, profert exemplum Ninivitarum: sed illorum timor annexam habuit charitatem, aliàs non impetrassent veniam.

Resp. Adversarios per hoc nimium probare, adeoque nihil: probant enim 1. ad Sacramentum requiri amorem justificativum, cum sine illo amore non potuerint justificari Ninivitæ. 2. Amorem justificativum non esse rarissimum, ut aiunt, cùm illum habuerit integer populus. Unde non utitur illo exemplo Concilium, ut probet sufficientiam Attritionis cum Sacramento, sed ut ostendat illius honestatem contra Hæreticos, cùm potuerit impedire quominùs subverteret Deus eorum civitatem. An illi fuerint justificati? Res est incerta: cùm potuerit parcere Deus eorum civitati, ob efficacem illorum Attritionem.

Obj. 13. Vix est Concilium Provinciale, vix Synodus, vix Rituale, vix Catechismus, vix Litteræ Pastorales quæ non requirant cum Sacramento amorem Dei super omnia.

Resp. Illa omnia inculcare fidelibus quid utilius sit & securius, imò & quid necessarium pro praxi, de qua postea.

Obj. 14. Augustin. variis locis, ut Tract. 83. *Frustra veniam sperat, qui non diligit.* Serm. 7. de Temp. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*, lib de Fide & Symb. cap. 9. *Non reconciliamur illi, nisi per dilectionem*, lib de Patientia cap. 26. *Hæc propter charitatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse vera Pœnitentia.*

Resp. Ad 1. frustra sperare veniam, qui non diligit, id est, *qui* non habet charitatem vel propriè dictam vel impropriè, consistentem in bona voluntate, quam habet Attritus, cùm velit deinceps servare Dei mandata. Vide dicta de Charitate.

Ad 2. R. vel Augustinum loqui de amore Dei ut sic præscindente ab amore benevolentiæ, aut concupiscentiæ, cùm definiat Tridentinum Attritionem (quæ non includit amorem Dei benevolum, ut ostendimus) esse *verum dolorem*, si autem verus dolor, vera Pœnitentia: si vera Pœnitentia, etiam certa in suo genere. Vel si de amore benevolentiæ, vult sine illo non esse Pœnitentiam certam, id est, certò justificativam; quia non est certum physicè solam Attritionem, etiam cum Sacramento justificare: quod & fatemur.

Ad 3 Dico nos non reconciliari Deo sine dilectione aut formali, aut æquivalenti: æquivalet autem amori benevolentiæ, amor concupiscentiæ cum Sacramento. Vel certè loquitur de dilectione ut sic, vel de dilectione benevolentiæ propriè aut impropriè dicta, juxta superius allata.

Ad 4. R. Propositionem Augustini non esse universalem, aliàs esset anathematizatus à Tridentino definiente sess. 14. c. 5. *esse verum & utilem dolorem*, adeoque veram Pœnitentiam: & ideo dicendum est loqui de Pœnitentia extra Sacramentum justificativa. Posse autem dari Pœnitentiam veram *sine* amore Dei benevolo, declarat ipsemet lib. de Ecclesiasticis Dogmat. c. 54. ubi ait *Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere, & admissa deflere:* quod convenit Attritioni. Ex his facile solvi possunt alii tum Augustini, tum aliorum passus.

Obj. 15. Cum D. La Verdure: Nullus opinabitur velle *Principem* reconciliari subdito, à quo, post varia beneficia fuit offensus, nisi hic ostendat signa amoris benevoli: ergo *similiter*.

R. Non solere Principibus cordi esse, an amor culpam agnoscentis sit benevolentiæ, an concupiscentiæ, modo appareant signa veri doloris offensæ patratæ, & propositi deinceps præcavendæ, ut quotidiana experientia convincit. Imò cum amor ab omni interesse purus vix inter homines reperiatur, vix unquam reis reconciliarentur. Sed esto, amorem illum exigere Principes, illum tamen non exigit Deus cum Sacramento, quod instituit pro mortuis, non pro vivis per dilectionem benevolam.

Obj. 16. Per amorem concupiscentiæ, qualis est in Attritione, non convertimur ad Deum, cum sit amor nostri non Dei vel si Dei, quatenus relabitur in nos.

Resp. Neg. Assump. quia non possumus Deum sperare, nisi convertamur ad Deum, Attritus autem non timet gehennam, propter gehennam, sed quia incompatibilem cum possessione summi boni, quod sperat. Deinde sicut à Deo fuimus aversi, illius legem violando, ita simus ad illum conversi ipsius legis observationem firmiter proponendo. Intervenit quidem ibi amor nostri, sed non tanquam finis in quo sistimus, sed tanquam finis cui Deum speramus, in quo nulla est inordinatio.

Obj. 17. Cum Contenson non potest puer incipere vitam rationalem (saltem moraliter loquendo) nisi convertatur ad Deum per amorem benevolentiæ: ergo à fortiori non potest peccator incipere vitam Christianam sine illo amore. Certè mirum esset, quòd puer, non quia peccavit, sed ne peccet, teneretur ita converti, & homo, postquam peccavit non teneretur, ut sanaretur à peccato.

R. Neg. Cons. Disparitas est, quod puer teneatur converti ad Deum per amorem benevolentiæ, non præcisè ratione peccati, sive commissi, sive aliàs committendi, sed quia justum est, ut cognoscens benefactorem suum (à quo vitam corporalem recepit & spiritualem) illum benevole diligat, peccator autem, ut supponitur, jam sæpius, & quoties præceptum urgebat, satisfecit huic obligationi. Ut autem vitam incipiat Christianam,

suf-

sufficit quod sanetur per medicinalem hujus Sacramenti operationem, quam primario intuit Christus, ut sanaret infirmos. Pro aliis Objectionibus

Adverte 1. Quòd peccator non teneatur ad effectum hujus Sacramenti Deum benevole diligere, hoc oriri ex mera Dei bonitate & misericordia, quam nobis manifestavit eo ipso quo voluit pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum.

Adverte 2. Quod sicut homo per peccatum non avertit se à Deo ut in se malō, sed ut sibi malo, seu disconvenienti ratione legum suarum, ita per Attritionem convertit se ad Deum, non quidem ut in se bonum, sed ut bonum veniam speranti.

Adverte 3. Licèt homo per peccatum inhæreat creaturæ, ut fini ultimo, solum tamen inhæret ut fini cui, seu non amat creaturam ut bonam in se, sed ut sibi bonam, ex quo sequitur in peccante & in attrito esse eosdem terminos aversionis & conversionis; peccans enim avertit se à Deo, & convertit se ad creaturam ut sibi bonam: attritus è contra avertit se à creatura, & convertit se ad Deum ut sibi bonum. Conversio tamen illa non sufficit ad justificationem extra Sacramentum, quia non promisit illi Deus gratiam justificationis; sicut nec promisit, juxta Adversarios, Contritioni amore remisso informatæ licet, ut fatentur, sit vera in Deum conversio.

Adverte 4. Attritum fugere quidem Deum iratum, sed etiam amare propitium. Præterea fugit iratum, non ibi sistendo, sed ut possideat placatum, in quibus reperitur aliqua ad Deum conversio.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur Objectiones ratione timoris.

MUlta quidem superius, ratione timoris, allata sunt & soluta, ubi quæsivimus, an Attritio excluderet voluntatem peccandi, sed quoniam Adversariis nostris adhuc restant jacula, hic sunt breviter conterenda.

Obj. 1. Patres Tridentini ex Decreto delineato, ubi Attritio dicebatur *concipi solum* ex metu gehennæ, ac turpitudinis peccati consideratione, expungi curarunt ly *Solum* sicut & ly *Timor servilis*, qui dicebatur de metu gehennæ: ergo supponunt timorem illum non esse motivum sufficiens.

Resp. Neg. conseq. Nam 1. expunctum est ly *Solùm*, eò quòd alia adhuc essent motiva, ex quibus potest Attritio concipi, nempe Spes beatitudinis, & quodcumque aliud motivum supernaturale charitate inferius, & ideo loco *Solùm*, positum est *communiter*. 2. *Timor servilis*, quia sæpius sumitur pro eo, quod annexam habet servilitatem, qualem non habet hic timor gehennæ, ut patet ex dictis; & ideo confundit Trid. Contritionistas, qui metum illum non tantùm vocant *servilem*, sed *purè servilem*.

Obj 2. Cum P. Lupo: Qui detestatur peccatum propter gehennam, detestatur gehennam, & non peccatum.

Resp. Quòd sicut proponens fugere lupum, ne ab eo devoretur, verè proponit fugere lupum; ità à fortiori volens fugere peccatum, ne à Leone tartareo absorbeatur, verè vult fugere peccatum. Dico *à fortiori*, quia timor lupi in primo est verè serviliter servilis, seu sic timet lupum, ut nisi lupus esset, simpliciter fugere non proponeret. Non sic in secundo, qui quidem vi actus præsentis non detestaretur per peccatum, si non esset infernus, sed detestaretur per alium actum ex alio motivo, quod hic & nunc non occurrit.

Obj 3. Non potest quis ex metu inferni eligere infernum: sed detestans efficaciter peccatum, debet potiùs eligere infernum, quàm peccatum: ergo.

Resp. Dist. Maj. Non potest quis ex metu inferni eligere infernum, id est, se præcipitare in infernum, C. id est, sese offerre ad subeundum infernum, quando novit oblationem illam esse liberativam ab inferno, N. & certè si possit reus ex metu mortis sese offerre ad mortem, quando sperat se ideo liberandum, quidni à fortiori, quando novit ideo se liberandum à malo quod timet, ut in nostro casu. Peccator ut detestetur peccatum efficaciter, adeoque super omnia, sufficit (si ad id reflectat) quòd sit paratus animo potiùs infernum subire, quàm peccatum committere. Dico: *Si ad id reflectat*; quia non est necessarius omni casu hic actus explicitus: *volo potius infernum, quàm peccatum*; aliàs valde pauci peccata efficaciter detestarentur, cùm etiam ex motivo charitatis dolentes de peccatis non soleant actum illum explicitè formare.

Obj 4. Peccatum est ordinare majus bonum ad minus: sed vitatio culpæ est majus bonum, quàm vitatio pœnæ: ergo peccatum est ordinare vitationem culpæ ad vitationem pœnæ, seu dolere de culpa propter pœnam.

Resp. Dist. Maj. Peccatum est ordinare majus bonum ad minus tanquam in finem ultimum, C. tanquam in finem proximum, & ulterius referibilem in Deum, quamvis actu non referatur, N. Nam orationes & Sacrificia sæpè ordinantur ad sanitatem à Deo impetrandam, etiam à Viris sanctis, & tamen majus est bonum oratio, quàm sanitas. Et ideò licèt sit perfectius detestari culpam propter se, quàm propter pœnam, cùm hæc minus sit odibilis quàm illa; quia tamen non semper tenemur ad perfectius, possumus culpam detestari propter pœnam vitandam, modò in hujus fuga non constituamus finem ultimum.

Obj. 5. Quid dolet de peccato ex metu inferni, magis apprehendit infernum, quàm peccatum, juxta illud Axioma: *Propter quod unum quodque est tale, & illud magis*; & consequenter, cùm non doleat de peccato ut summo malo, non censetur verè detestari peccatum.

Resp. Neg. Suppositum; quia nulla fit ibi comparatio, & consequenter per illum actum non magis apprehendit infernum, quàm peccatum; sed solùm à timore inferni tanquam mali sensibilioris movetur ad dolendum de peccato, cujus malum, utpote intellectuale, minus afficit sensum & imaginationem, quàm gehenna.

Ad Axioma, Dico illud habere locum in actibus prosecutionis, non tamen universaliter in actibus fugæ: unde licèt sequatur: Diligo Petrum propter ejus sapientiam: ergo diligo magis ejus sapientiam: non tamen sequitur: Odi peccatum propter Deum: ergo magis odi Deum. Sed ne replices utrumque objectum ibi non esse fugæ, cùm sit quidem odium peccati, sed amor Dei; in eo autem qui detestatur peccatum propter infernum, supponatur esse & odium peccati & odium inferni, ideo

Dico, etiam ubi utrumque objectum est fugæ, seu quando odio habemus unum propter aliud, quod est etiam odibile, Axioma illud non habere locum, nisi fiat comparatio, omnibus utrimque attentis & consideratis: quod hic non accidit; quandoquidem attritus, ut dixi, præcisè moveatur à metu inferni, non examinando, an infernus sit majus aut minus malum peccato. Similiter accideret, si vir bonus & justus videns aliquem suspendi ob furtum, conciperet voluntatem efficacem nunquam furandi, ne suspenderetur: An magis propterea timeret suspendium quàm furtum? nihil minus, nam, cùm supponatur vir bonus, si interrogaretur, quid eligeret, si deberet aut furari, aut suspendi? sanè tunc faciens comparationem, eligeret potiùs suspendi: ergo sicut hic volens fugere furtum propter suspendium, non magis tamen metuit suspendium quàm furtum; ità in nostro casu volens fugere peccatum propter infernum non magis ideo timet infernum, quàm peccatum: unde interrogatus, an mallet damnari quàm peccare? Respondet se malle damnari; quia scit, potiùs velle infernum, quàm peccatum esse medium ad vitandum Infernum, velle autem potiùs peccatum, quàm infernum, est eligere in actu exercito ipsum infernum; & ideo attritus, virtualiter & implicitè, non tamen formaliter & explicitè, magis detestatur peccatum, quàm gehennam, aliàs non esset efficaciter attritus. Imò si detestari peccatum ob gehennam, esset magis detestari gehennam, quàm peccatum, Attritio ex metu gehennæ semper esset mala & vitiosa: quod est contra August. & Trid. quandoquidem semper sit malum & vitiosum magis detestari gehennam, quàm peccatum.

Obj. 6. Unum contrariorum non tollitur, nisi per suum contrarium: atqui metus inferni, etiam efficax, non est contrarius peccato secundùm se, sed tantùm ut inductivo gehennæ: ergo non tollit affectum ad peccatum.

Resp. Dist. Min. Non est contrarius peccato, secundùm se directè & immediatè, C. indirectè & mediatè, N. nam cùm sit contrarius peccato ut inductivo inferni; peccatum autem secundùm se inducat infernum, mediatè & indirectè est contrarius peccato secundùm se, adeoque causare potest ejus displicentiam.

Obj. 7. Cum nostro Coen: Detestatio peccati ex metu gehennæ non est actus charitatis: ergo non potest cum Sacramento producere habitum charitatis, seu gratiam habitualem. Prob. conseq. Quia habitus tam supernaturales, quàm naturales non acquiruntur aut recuperantur nisi per actus ejusdem rationis, ut patet de Fide & Spe.

Resp. Neg. conseq. Ad probationem Dist. Assump. Non acquiruntur nisi per actus ejusdem rationis, aut aliud æquivalens, C. nisi per actus præcisè ejusdem rationis, N. Æquivalens autem hic, est Sacramentum, cui annexuit Deus virtutem producendi gratiam habitualem, adeòque & habitum charitatis à gratia illa indistinctum.

ARTICULUS IX.

An sententia de sufficientia Attritionis sit in praxi tuta?

Recolendum est quod diximus in Tract. de Probabilitatibus, nempe aliud esse aliquam sententiam esse probabiliorem & aliud probabilius esse licere illam ad praxim reducere, ubi agitur de damno Tertii, aut de valore Sacramenti; & ideo non obstante maxima, ut credimus, hujus sententiæ nostræ probabilitate, ponimus Resolutionem sequentem.

CONCLUSIO UNICA.

Non videtur prudenter agere, qui in Sacramento Pœnitentiæ contentus est sola Attritione cognita ut tali, adeoque nec Confessarius, qui non aliam dispositionem requirit in suo pœnitente.

Prob. 1. Illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, ut declaravit Innocent. XI. condemnans propositionem oppositam: sed opinio nostra licèt summè probabilis, non excedit tamen limites probabilitatis: ergo.

Dices esse moraliter certam; quia probabilitas oppositæ sententiæ, utpote longè minor, non impedit moralem sententiæ nostræ certitudinem. Cujus ratio est, quòd moralis certitudo non consistat in indivisibili, sed patiatur latitudinem, deturque una major altera, & ideo consistere possit cum sententiæ oppositæ probabilitate.

Resp. Neg. Assump. Quomodo enim potest dici moraliter certa, cùm opposita non sit moraliter improbabilis? certè si quo major est unius sententiæ probabilitas, eo minor sit probabilitas oppositæ sententiæ; quando tanta est probabilitas, ut sit moralis certitudo, debet tam exigua esse sententiæ oppositæ probabilitas, ut dicatur moraliter improbabilis. Quis autem dicere audeat moraliter improbabilem sententiam, qùam hoc tempore sustinent Episcopi, Academiæ, & Theologi, ut existiment tot esse pro, quot contra? Unde Steiart in sua Theologia morali emendata Conclus. 10. quàm enim controversa sit, inquit loquens de materia hic agitata, orbis Catholicus novit. Siquidem Episcopi Episcopis, Academiæ Academiis, Scholæ Scholis hac in parte adversantur. Nec minor rationum oppositio; adeout Tridentinum Tridentino ab Authoribus opponatur, liceatque sine temeritate affirmare nullam esse in Theologia quæstionem, quæ tam solemniter in Scholis, ipsaque Dei Ecclesia controvertatur.

Ad id, quòd dicitur moralem certitudinem non consistere in indivisibili, libenter accedimus, sed sententia nostra tot divisibilibus distat à suprema certitudine morali, ut intra certitudinis moralis limites non ausim illam concludere: idque ob rationes sequentes: Primò ob numerum & gravitatem Contradicentium, de quibus antea. Secundò ob eorum rationes non spernendas, tum ex Augustino, tum ex aliis Patribus, tum ex antiquis Theologis, tùm etiam ex Tridentino desumptas. Tertiò quia authoritati, quam ex Tridentino desumpserat sententia nostra, non parum detraxit Tridentina Pallavicini Historia ex Actis originalibus ejusdem Concilii desumpta, ubi asserit per expunctionem harum Particularum: *Verùm etiam sufficere*, nempe Attritionem, *ad hujus Sacramenti constitutionem*, nihil voluisse circa materiam hic agitatam decidere. Quartò quia ante Tridentinum vix, aut ne vix reperiebantur Authores, qui in terminis dicebant sufficere Attritionem sine aliquo Dei amore benevolo: unde Suarez scribens post Tridentinum, de nostra sententia dicebat 3 par. quæst. 90 art. 4. Disp. 15. sect. 4 num. 17. *Cum illa opinio nec valdè antiqua sit, nec multum communis*. Et Dominicus Soto, qui Tridentino interfuerat, & consequenter noverat, quantùm inde probabilitatis sumpsisset Attritionis doctrina, sic ait: dist. 18. quæst. 3. art. 2. *Doctrina hæc de Attritione, quæ in Sacramento fit Contritio, licèt sit vera, non est tamen itamultùm vetus. Patres enim antiqui solam Contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem*. Deinde concludit: *Revera eum, qui mihi diceret non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem*. Si non audeat ille, qui circa hoc mentem Concilii penetraverat, an prudenter audebimus nos? *Deterret me*, prosequitur Soto, *non esse articulum Fidei . . . non enim est expressa Evangelica assertio, aut Evangelica definitio. Imò neque apud Augustinum, aliumve istius classis Authorem reperitur, sed est Scholasticorum collectio, quæ, quamquam sit vera, non est tamen digna, cui bilances perpetuæ nostræ salutis, aut damnationis confidamus*. Quintò quia etiam Præcipui sententiæ nostræ Patroni nolunt eam, saltem in articulo mortis esse practicandam, *ob grave*, ut ajunt, *damnationis periculum*; si grave periculum: ergo non tanta certitudo.

Prob. 2. Concl. Imprudenter ageret, maleque audiret apud plebem Medicus, qui daret ægroto medicinam probabilissimè profuturam, si sine causa relinqueret certo profuturam: ergo similiter spiritualis animarum Medicus, qui similem medicinam spiritualem pœnitenti suo infirmo permitteret; cum non sint minora animæ, quàm corporis Jura.

Obj. 1. P. Esparza Soc. Jesu, Romanæ Inquisitionis Qualificator, asserit quando proscripta fuit Propositio asserens licere sequi sententiam probabilem, etiam ubi ageretur de valore Sacramenti, non fuisse proscriptam sententiam de sufficientia Attritionis, licèt fuisset tunc examinata. Imò censores omnes, ut ait, communi omnium suffragio illam reliquerunt incolumem.

Resp. Nunquam in specie condemnatam esse opinionem D. Thomæ asserentis panem siligineum sufficientem esse ad Eucharistiam, & tamen licetnè propterea illam ad praxim reducere? Lubenter tamen fateor ex relatis à P. Esparza sententiam de Attritione non esse collocandam inter probabiles ordinarias, aliàs in generali condemnatione Inn. XI. certò esset involuta. Sed malè indè inferres judicatam fuisse moraliter certam, quia censores illam nec reprobando nec approbando, nihil deciderunt, sed abstraxerunt, an esset probabilis, an moraliter certa adeoque an ad praxim sufficeret necnè?

Obj. 2. Tuta est in praxi sententia, cujus praxim approbat Ecclesia: sed hujus praxim approbat: ergo. Prob. Min. Ecclesia scit illam doceri ut practicè certam, veram, & tutam, & ut talem publice sustineri, & imprimi, nec contradicit, sed permittit; imò prohibet eam ab aliis damnari, ut patet ex Decreto Alex. VII. & Innoc. XI. ergo illius praxim censetur approbare? quia non est credibile, quòd pia Mater Ecclesia talem abusum pateretur, ex quo periculum tot sacrilegiorum, & damnationis æternæ tot hominum sequeretur, nisi praxim illam probaret.

Resp. Neg. Min. Ad Prob. Dico indè sequi ipsam tolerare, non tamen ideo positivè approbare: & quomodo positivè approbaret, cùm ipsummet Ecclesiæ caput Clemens X. eo tempore quo sententia nostra maximè communis erat, declaraverit Deputatis Lovaniensibus, teste P. Farvacq, *se in ea esse sententia, quòd requiratur aliquis amor Dei propter se in Sacramento*? Si autem quæras, cur citra hoc nihil absolute decidat? Lubens respondebo, cùm mihi causam assignaveris, cur tot alias morum materias relinquat indecisas: Cur non determinet an, pro implendo Ecclesiæ præcepto in Horis Canonicis, & Missæ auditione, requiratur attentio interna, an sufficiat externa? & sic de mille aliis.

Majus est inconveniens, inquis, in materia hic agitata, quam in aliis, cùm hic agatur de valore Sacramenti, salutisque periculo, non alibi. Sed

Contra est, quòd non obstante silentio Apostolico, vix unus in toto orbe utatur pro hujus Sacramenti perceptione, solo Attritionis motu cognito ut tali, A. 25. annis satis assiduè Confessiones excipio, & ne unum reperi, qui sola Attritione fuerit contentus, licèt ab omnibus mihi incognitis actum doloris exegerim voce expressum. Quod mihi accidit, sanè accidit & aliis. Hac de re certior facta Ecclesia, aliisque rationibus mota, nihil circà hoc decidit. Ex cujus decisionis absentia minus sequitur inconveniens (supposito præsenti rerum statu) quàm quòd fideles sibi persuadeant assistentes tremendo Missæ Sacrificio corpore, non mente, orantesque labiis, non corde, satisfacere Ecclesiæ præcepto.

Obj. 3. Ad quid tot Articuli præcedentes, si sententia illa non sit ordinariè ad praxim reducibilis?

Resp. Ob varias rationes: Primo ut innotescat quanta sit Sententiæ nostræ probabilitas, quæ Attritionis natura, quæ utilitas, quæ virtus, quis effectus. Secundò ut si fortè Confessarius reperiat pœnitentem, qui in confessionibus præteritis sola usus fuisset Attritione, non jubeat illarum repetitionem; cùm judicet longè probabilius fuisse validas, adeoque non esse materiam necessariam novæ confessionis; nam si non teneatur quis confiteri id quod longè probabilius judicat, non esse peccatum, nec tenetur confiteri, id quod longè probabilius judicat Absolutum. Tertiò ut si in necessitate occurreret aliquis, de quo non posset satis distingui, an doleret ex motivo charitatis, an Attritionis, ipsum absolveret Confessarius, saltem sub conditione.

Obj. 4. Non tenemur semper in materia salutis eligere viam tutiorem; aliàs qui elicuisset primam Contritionem, etiam ex motivo charitatis, deberet elicere secundam, ac posteà tertiam,

& sic

& sic semper; cum sit tutius plures elicere, quàm unicam: ergo nec tenemur elicere Contritionem perfectam.

Resp. Dist. Ant. Non tenemur eligere viam tutiorem, quando subest alia tuta: C. quando non subest: N Sententiam autem de sufficientia Attritionis, cum annexam habeat formidinem de opposito satis fundatam, non credimus omninò tutam. Unde cum legeris aut audieris Theologos dantes circa hoc securitatem, applica tibi illud Aug. Hom. 11. inter 50. *Btae dat tibi securitatem Procurator, quod tibi prodest, si Pater-Familias non acceptet*; Propter enim illorum dicere, nihil mutabitur in re, adeoque si invalida sit confessio coram Deo, manebit invalida.

QUÆSTIO VII.

Quandonam elici debeat Contritio, ut sufficiat ad Sacramentum?

CONCLUSIO I.

NEcesse est ad valorem hujus Sacramenti, quod Contritio præcedat Absolutionem.

Ratio à priori est voluntas Christi, quæ nobis ex communi Ecclesiæ praxi, & DD. consensu innotescit.

Ratio congruentiæ est, quòd non videatur expedire, ut homo per Absolutionem fiat de inimico amicus: nisi priùs peccatum suum retractaverit, & de eo doluerit

CONCLUSIO II.

NOn est necesse ad valorem Sacramenti, quòd contritio præcedat confessionem. Ità DD. communiter contrà Regium, Coninch, & paucos alios, quorum Sententia, utpotè tutior, in praxi est consulenda.

Prob. 1. Conclusio ex praxi communi Confessariorum, qui solliciti sunt exigere contritionem à pœnitentibus post Confessionem non ante: nec obligant eos ad brevem peccatorum repetitionem his aut similibus verbis: *Iterum accuso me de peccatis jam dictis*, licèt hæc praxis sit bona. Seriò tamen monendi sunt pœnitentes, ut, quantùm fieri potest, Contritionem præmittant Confessioni, ne posteà distracti, aut Absolutione præventi, Sacramentum non recipiant, defectu Contritionis.

Dices 1. Confessio non debet esse nuda narratio, sed accusatio dolorosa: ergo debeat præcedere dolor.

Resp. Neg. Conseq. Ut enim dicatur dolorosa, non requiritur, ut dolor in illam influat, sed satis est, si ad illam referatur: quod potest fieri post, sicut ante. Comitetur tamen Confessionem aliqua displicentia, ne videatur potiùs historica, quàm accusatoria peccatorum expositio.

Dices 2. Confessio reddit dolorem sensibilem: ergo illum præsupponit.

Resp. Dist. Ant. Reddit sensibilem hoc sensu, quod indicet dolorem aut esse, aut fuisse, aut futurum esse: cum alio sensu: N.

CONCLUSIO III.

UT hoc Sacramentum sit validum, non est opus quòd contritio adsit circà tempus confessionis sed sufficit, quòd aliquamdiu ante præcesserit; modò tamen hæc fiat vi doloris non retractati.

Ratio est: quia hoc Sacramentum institutum est per modum judicii, ubi non requiritur partium physica simultas, sed tantùm moralis connexio aut propinquitas, prudentum judicio determinanda. Hic tamen variant Authores in assignanda connexione illa morali: Aliqui enim, ut Noster Bosco, & Scildere volunt connexionem illam adesse, quamdiu contritio non est retractata: Alii, ut Præpositus &c. Si contritio fiat vesperi, & confessio manè sequenti: Alii, si quis conteratur manè domi, ac posteà confiteatur in Ecclesia; & Horum sententia videtur tuta, quamvis tutius sit immediatè ante Confessionem dolorem renovare.

CONCLUSIO IV.

PRobabile est, Contritionem debere esse elicitam ex intentione formali, vel virtuali suscipiendi Sacramentum. Ita Bonacina, & plures alii.

Ratio est; quia sicut ablutio v.g. ut sit materia Baptismi, debet procedere ex intentione faciendi Sacramentum; ita & contritio, ut sit pars hujus Sacramenti, debet procedere ex intentione illud recipiendi. Deinde ideò requiritur intentio præfata in Baptismo, quia ablutio de se est indifferens ad mundandum corporaliter, aut spiritualiter: atqui etiam contritio est indifferens ad justificationem in Sacramento, aut extra: ergo.

Dixi: *Probabile est*; quia non minùs probabile est oppositum; cùm Tridentinum non requirat illam relationem & aliunde confessio sit verè dolorosa, si eliciatur vi doloris prioris, etsi ad confessionem non relati. Aliud autem videtur de ablutione, quæ est pars essentialis Baptismi, & propriè materia: Contritio autem respectu hujus Sacramenti, solùm quasi materia, seu ut loquitur Scotus, dispositio insupplebilis. In praxi tamen adhærendum est priori.

Petes 1. An qui post receptam Absolutionem, accusat se de peccato oblito, debeat elicere novam contritionem.

Resp. Probabilius Neg. præsertim si confessio peccati obliti, de quo antea doluerat pœnitens, fiat statim post primam Absolutionem.

Ratio est; quia ad validam absolutionem sufficit confessio dolorosa: atqui confessio peccati obliti est dolorosa ratione Contritionis prioris, adhuc moraliter perseverantis: ergo. Præterea nihil potest adferri, quod sufficienter probet necessitatem novi doloris; quandoquidem non requiratur ut materia propriè dicta, sicut ablutio in Baptismo, quæ ideò debet esse duplex, ubi duplex est Forma; sed ut reddat confessionem dolorosam, quod præstat respectu secundæ confessionis vi ipsius factæ, sicut præstat respectu primæ. Suadendum tamen est pœnitenti, ob securitatem, ut novam contritionem eliciat.

Petes 2. An sufficiat pœnitenti dolere se non dolere?

Resp. Neg. Si illud *dolere* excluderet omnem dolorem de peccatis; secùs si tantùm excludat aliquam doloris qualitatem v. g. intensionem, sensibilitatem &c. quod nonnunquam accidit scrupulosis.

DISPUTATIO V.

De Secunda Parte hujus Sacramenti, seu Confessione.

COnfessionis necessitatem probavimus Disp. 1. ubi ostendimus necessitatem hujus Sacramenti quod sine Confessione non potest subsistere.

QUÆSTIO I.

Quid Confessio Sacramentalis, & quo jure obliget?

CONCLUSIO I.

COnfessio Sacramentalis est accusatio legitima peccatorum facta coram Ministro competente ad veniam virtute clavium impetrandam.

Dicitur 1. *Accusatio*, quia, ut ait Catechismus Rom. p. 2. cap. 5. num 33. *Nec peccata sunt ita enarranda, quasi rem aliquam gestam otiosis auditoribus delectandi causa exponamus, verùm accusatorio animo*, ut nos reos exhibeamus, non historicos 2. *Legitima*, id est, vestita omnibus conditionibus postea recensendis 3. *Peccatorum*, nempe propriorum: Hæc enim, & sola, sunt materia Confessionis. 4. *Coram Ministro competente*, id est, habente jurisdictionem, & ideo facta Laico, aut Clerico, aut etiam Sacerdoti, cui non est specialiter collata jurisdictio, non est sacramentalis adeoque nulla. 5. *Ad veniam* &c. ut ostendatur finis, & effectus hujus Samenti. Dicitur denique: *Virtute clavium*, quia Confessarii, potestate sibi à Christo Domino data, vere ligant & solvunt, ut superius diximus.

CONCLUSIO II.

COnfessio omnium Peccatorum mortalium post Baptismum commissorum obligat jure divino. Ità contrà Hæreticos definivit Concilium Trid sess. 14. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia* &c. *Anathema sit*.

Hujus veritatis probationes tùm ex Scriptura, tùm ex Patribus, sicut & variarum Objectionum solutiones huc reducendas, vide initio Disp. 2. hujus Tract. ubi ostendimus contrà Hæreticos; Sacramentum Pœnitentiæ esse verum Sacramentum. Lubeat hic unicum audire Augu. Hom. 49. inter 50.

Agite Pœnitentiam, inquit, *qualis agitur in Ecclesia . . . . nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, quia in corde ago: ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, erunt soluta in cœlo? ergo sine causa claves datæ sunt Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei; frustramus verba Christi*.

Obj. Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus sustulit usum Confessionis ob scandalum ortum ex Confessione nobilis cujusdam Fœminæ, quæ se accusaverat patrati cum Diacono Sacrilegii in Ecclesia, ubi Domino supplicatura diutiùs morabatur ex Pęnitentiarii mandato, ut referunt Socrates & Sozomenus: ergo signum est Confessionem non esse juris divini.

Respondent aliqui confictam esse illam Historiam in favorem Novatianorum, quibus favebant Authores præfati: sed cùm hoc non sit verisimile, tùm quia illam etiam refert Nicephorus l.12.Hist.c.28. tùm quia illam scripsit Socrates, cùm adhuc viverent Præsules Nectario contemporanei, à quibus fuisset insignis mendacii reprehensus, tùm etiam quia Novatianis nullam per hoc gratiam præstitissent, cùm ipsi Confessionem non negarent, sed tantùm potestatem absolvendi ab omnibus peccatis. Et ideò

Resp. Abrogatam quidem fuisse à Nectario confessionem, sed peccatorum occultorum publicam, non auricularem & secretam. Pęnitentiarius siquidem, audita secreto peccatorum Confessione, quorumdam interdum publicationem consulebat in satisfactionem, ubi consentirent pęnitentes, ut expressè insinuat Origentes Hom 2.in Ps.37 *Circumspice*, inquit, *diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum . . . . si intellexerit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat* &c. Hanc igitur tantùm expositionem publicam sustulisse Nectarium, inde patet, quòd abstulerit causam scandali, quod à Confessione, non auriculari, ut patet, sed à publica, ortum erat. Hocque evidenter ostendit Socrates l.5.c 19 *Mulier*, inquit, *longius in confitendo progressa alterius culpæ seipsam insimulat, docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse: Ob quod facinus hoc modo patefactum* (adeoque per confessionem publicam) *Diaconus ab Ecclesia ejectus est, tumultus inde in populi multitudine excitatus*.

Replicabis 1. Refertur Pœnitentiarium à Nectario exauctoratum fuisse: sed hic Pœnitentiariæ tam secretæ quam publicæ præsidebat: ergo.

Resp. Legitur quidem exauctoratum fuisse quoad munus Pœnitentiarii, quod erat tum confessiones secretas audire, tum publicas injungere, ubi expediret ad aliorum ædificationem & pęnitentis humiliationem, non tamen quoad munus simplicis Confessarii, quod est præcisè Confessionis secreto audire. Deindè potuit exauctorari quoad utrumque non propter Confessionis auricularis abolitionem, sed propter imprudentiam ibi commissam, quia forte consuluerat, aut permiserat illius sacrilegii publicationem, quod erat in illis circumstantiis tacendum.

Replicabis 2. Non erant alii Sacerdotes Confessionibus excipiendis præpositi: ergo ubi tollebatur Pęnitentiarius, tollebatur & Confessio secreta.

R. N. Ant Quomodo enim unicus Confessarius toti Ecclesiæ Constantinopolitanæ suffecisset? Deinde ad quid Origenes dixisset supra: *Circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum?* Ubi enim unicus, ibi nullus electioni locus.

Replicabis 3. Abrogavit Nectarius Confessionem Eucharistiæ præmittendam: sed hæc est auricularis: ergo. Prob.Ma. *Quia Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter*, inquit, Socrates sup. *Nectario dedit consilium, ut . . . liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad Mysteria participanda accederet*.

Resp. Neg. Ma. ad probationem, Dico Nectarium non exemisse per hoc ab onere Confessionis secretæ, sed ab onere recipiendi à Pęnitentiario pęnitentias publicas, quibus durantibus, non poterant pœnitentes ad Eucharistiam accedere: undè relinquebatur cujuslibet conscientiæ, quamdiu propter crimen commissum, sed jam sacramentaliter absolutum, deberet ab Eucharistia abstinere.

Replicabis 4. Pœnitentiarius, juxta Sozomenum, Cassiodorum, & Nicephorum, debebat servare secretum: ergo solas Confessiones secretas excipiebat: & consequenter, illo ablato, & hæ ablatæ sunt.

Resp. Authores illos verum dixisse, quia servare debebat secretum circa ea, quorum non fiebat coram sacerdote Confessio publica.

Replicabis 5. Abrogata est tunc Pœniteotiaria, quæ occasione Hæresis, Novatianorum fuerat introducta: sed hæc non erat publica, cùm diu ante illorum Hæresim vigeret publica Confessio: ergo.

Resp.Neg.Mio Vigebat quidem anteà publica facienda Episcopis, pro peccatis enormibus, non tamen facienda Pęnitentiariis, qui occasione illius Hæresis fuerunt instituti, & postea occasione dicti scandali ablati.

Alia objici solent ex D Chys. sed illa sufficienter explicavimus loco initio quæst. citato, ubi etiam Calvini, aliorumque Hæreticorum replicas dissolvimus.

CONCLUSIO III.

Confessio etiam obligat jure Ecclesiastico, ut patet ex Cap. *Omnis utriusque sexus*.

QUÆSTIO II.

Quos, & quandonam obliget preceptum Confessionis, sive Divinum, sive Ecclesiasticum?

CONCLUSIO I.

Hoc præceptum obligat nmnes, & solos post Baptismum lapsos. Patet ex Trid. sess.14 c 5. ubi docet *integram peccatorum Confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere*.

Ratio petitur ex materia Confessionis necessaria, quæ sunt omnia & sola mortalia post Baptismum commissa. Hinc

Resol.1. Non ligari hoc præcepto infideles, tum quia nulla habent peccata post Baptismum, quem necdum receperunt, commissa, tum quia dicit Trid. sup. deferenda esse ad Christi Vicarios crimina, *in quæ Christi fideles*, non infideles, *ceciderunt*, tum etiam quia si illos obligaret, tenerentur non tantum Baptismum suscipere, sed etiam, Baptismo suscepto, peccare, ut præceptum implerent. Nisi dicas tantùm obligari conditionatè.

Resol.2. Nec teneri ad hoc præceptum, ut divinum est, illos, qui tantum venialiter peccaverunt.

Patet ex Trid. sup. ubi docet deferenda esse ad Sacerdotes, non omnia peccata, sed *omnia mortalia crimina* An autem teneantur ad hoc præceptum, ut est Ecclesiasticum? Disputatur. Negat Scotus 4 dist.17 q.1.n.24 & cum eo plurimi; quia præceptum Ecclesiæ tantùm est determinativum, quoad tempus, præcepti divini ad id non obligantis. Præterea obligatio confitendi Ecclesiastica oritur ex cap. *Omnis utriusque sexus*: sed non legitur necessariam esse venialium confessionem: ergo. Dicitur quidem declaranda esse *omnia peccata*; sed per *omnia* solùm intelligi mortalia; aliàs habens cum mortalibus venialia, teneretur etiam venialia declarare, cujus contrarium ostendit praxis. In hoc tamen cavendum scandalum; ideo consultum est, ut saltem se sistant Sacerdoti statum suum declaraturi, si peccata venialia, aut mortalia prius remissa nolint confiteri; imò ad id possunt cogi, quia Pastor habet jus cognoscendi vultum pecoris sui, ut ait Scotus sup.

Resol.3. Ad hoc præceptum obligari pueros lapsos, etiamsi necdum obligentur ad Eucharistiam.

Ratio est; quia primùm præceptum obligat independenter à secundo & aliunde capax peccati mortalis, est capax confessionis, licèt non semper sit capax Eucharistiæ debitè recipiendæ. Quando autem puer sit capax peccati mortalis? non est petendum à sola ætate, sed etiam ab educatione, ab ingenio, à discretione boni & mali, ut si mendacium apprehendat, de aliqua impudicitia erubescat &c.

Pro praxi hanc circa puerorum confessiones tradit Instructionem D.Borromæus c.9.Instr. Pastol. *Consuetudo honesta est puerulos, etiamsi quintum aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum hujus Sacramenti transferri. Caveant tamen accuratè Sacerdotes, ne absolutionem cum Sacramento iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut citra controversiam judicare possint, eos hujus Sacramenti capaces esse*. Et ideo attendere debent, an Contritionem apprehendant, Actus Fidei, Spei, & Charitatis noverint, necessaria necessitate medii polleant, non psittacorum more, sed aliqualiter judiciosè. Item an sint ibi modestè, non vagantes oculis, non ludentes digitis, aut rosariis &c.

Resol.4. B. Virginem non fuisse hoc præcepto ligatam, imò fuisse incapacem, cùm nunquam etiam venialiter peccaverit; & ideo fabulosum est fuisse quotidie D. Joanni Evangelistæ confessam. Si dicas fuisse immunem ab Originali, & tamen fuisse baptizatam: Dicam ego Baptismum non tantùm fuisse institutum pro deletione Originalis, sicut Pęnitentia pro deletione solius peccati personalis, sed etiam ut illum suscipiens ingrederetur Ecclesiam, fieretque capax aliorum Sacramentorum: qui effectus competere poterant B. Virgini.

CON-

CONCLUSIO II.

PRæceptum Confessionis divinum obligat per se omnes lapsos post Baptismum, in periculo mortis, aut alterius incapacitatis perpetuæ, imò aliquoties in vita.

Prob. 1. pars; quia nisi tunc adimpleant præceptum illud, exponunt se manifesto periculo nunquam adimplendi. Parum autem refert sive periculum proveniat ex infirmitate, sive ex partu difficili, sive ex pugna, sive ex itinere, aut navigatione periculosis.

Prob. 2. pars; quia juxta D. Thomam & alios, institutum est hoc Sacramentum per modum medicinæ; sed medicina corporalis non est pro solis infirmantibus ad mortem: ergo nec spiritualis. Præterea debemus aliquoties in vita sperare, credere, & diligere, ut patet ex propositionibus condemnatis; quidni & de offensa Dei Majestate pœnitere? Scio aliud esse remedium, nempe contritionem, sed scio non esse ità certum, scio non conferre gratias actuales, saltem ex opere operato, ad præcavenda deinceps peccata, sicut hoc Sacramentum: scio aliunde Ecclesiam, quæ tantùm est hujus præcepti Divini determinatrix, ad singulos annos determinasse: unde crediderim læsæ divinæ & Ecclesiasticæ legis reum esse, qui confessionem ultra annum protrahit; præsertim cùm dicat Scotus dist. 17. n. 9. *Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere hominibus Christianis, nisi esset præceptum divinum*. Ex quo sic infero: ergo nec id præcepisset singulis annis, nisi credidisset talem esse Christi voluntatem.

Dices 1. Cum Gonet: Hoc præceptum successit præcepto Contritionis: sed contritio in veteri lege tantum obligabat per se in periculo mortis: ergo.

R. N. Min. Et certe mirum esset factos sua culpa & rebellione Creatori suo & Benefactori inimicos, ne semel in vita, extra mortis periculum, obligatos fuisse, perditam ejus amicitiam quærere.

Dices 2. Nullum est tempus determinatum, quo obliget: ergo (seclusa Ecclesiæ determinatione) tantùm obligaret in mortis periculo.

Resp. Etiam nullum esse tempus determinatum, quo obligent actus Fidei, Spei, & Charitatis, & tamen sæpius in vita obligare ex præcepto divino, determinavit Ecclesia. Unde rei indeterminatæ determinatio petenda est ex ipsius natura, effectibus, emolumentis, & indigentia illius, pro quo ordinata est.

Dixi in Conclusione: *Per se*; quia per accidens obligat quoties sumenda est Eucharistia, ut docet Trid. sess. 13. cap. 7. Item quando urget gravis tentatio, quæ non creditur aliter vincenda. Imò, secundùm Amicum & alios, quando justè timetur Dei vindicta. Quo casu credo ego obligare per se, & non tantùm per accidens, cùm sit institutum hoc Sacramentum ad reconciliationem hominis cum Deo, quæ tunc maximè urget.

CONCLUSIO III.

PRæceptum Confessionis Ecclesiasticum per se obligat omnes fideles reos peccati mortalis, saltem semel in anno. Ita expressè præcipitur cap. *Omnis utriusque sexus*.

Dixi: *Per se obligat*, & ideo non est audiendus Petrus Soto volens hoc præceptum esse propter communionem; aliàs qui ratione vomitus aut alterius infirmitatis, non posset communicare, non teneretur confiteri: quod non est admittendũ. An autem non habens copiam Confessarii per annum integrum, teneatur defectum confessionis supplere per contritionem? Negant aliqui; affirmant alii, & meliùs; quia præceptum reconciliationis, sive interim fiat per contritionem, sive per Confessionem, obligat ad minimum semel in anno, imò sæpiùs, ut antea diximus. Addidi *Semel in anno*: Annus autem computatur ab aliquibus à Januario in Januarium, ab aliis à Paschate usque ad Pascha anni sequentis: quod videtur conformius praxi fidelium. Sed quidquid sit, communis est DD. sententia sufficere, in quacumque anni parte fiat Confessio: hocque denotant verba Legis, quæ, determinato pro Communione tempore Paschali, nullum certum tempus præfigunt Confessioni. Volunt quidem aliqui esse consuetudine introductum, ut fiat tempore Paschali, sed consuetudo illa, si quæ sit, non est introducta animo obligatorio; quandoquidem fideles confessi fuerint in Paschate, non quia credebant se tunc obligari ad Confessionem, sed ratione communionis tunc obligantis. Sed esto, credidissent se tunc obligari, non sequitur ideo consuetudinem illam esse obligatoriam; quia non fuit eorum intentio se pro tunc obligare, casu quo lege non obligarentur.

Dices: Puniuntur in aliquibus Diœcesibus, qui non fuerunt confessi in Paschate: ergo &c.

Resp. Puniri non propter defectum Confessionis, sed Communionis: unde nullus, qui potuit probare Communionem Paschalem, fuit propterea punitus, aut denunciatus: vel, si fuit, erat vehemens suspicio de non impleta Confessione annua, ob quam urgeri potest ad iteratam confessionem, nisi probet factam.

Additum est Particulis præced. *Saltem*, ad denotandum, quòd terminus anni ponatur, non ad extinguendam, sed ad urgendam obligationem, casu quo toto anni tempore non fuerit adimpleta. Ex quo tamen malè infertur ab aliquibus confessione facta anno transacto, inservire pro anno præterito & præsenti: præsertim si reliquum anni currentis sit adhuc notabile; quia non potest rationabiliter præsumi talem esse mentem Ecclesiæ. Non videtur tamen obligandus ad sex Confessiones tempore anni faciendas, qui per sex annos non fuit confessus; quia talem non esse Ecclesiæ intentionem, declarat praxis communis Confessariorum, etiam timoratorum. Plura circa hoc. Vide in Tract. de Eucharistia, ubi de præcepto Communionis Ecclesiastico.

QUÆSTIO III.

Seu variæ Quæstiunculæ hic necessariæ.

PEtes 1. An habens peccatum, quod non debet hic & nunc declarare, debeat alia confiteri, satisfacturus præcepto?

Resp. N. Si non sit scandalum, nec sit sumenda Eucharistia & aliundè prævideat occasionem opportunam, etiam peccatum illud brevi declarandi. Ratio est; quia prudenter præsumi potest Ecclesiam dilationem illam permittere, propter omnimodam Confessionis integritatem.

Petes 2. An Ecclesia præcipere possit Confessionem venialium?

Resp. Affirm. Quia licèt id non præceperit omnibus fidelibus, ut dixi; Clemens tamen V. Bulla *In agro Dominico*, præcipit Benedictinis, ut singulis mensibus confiteantur, adeoque venialia; cùm veri Religiosi rarò habeant mortalia. Accedit quòd Ecclesia possit præcipere actum, etiam internum, secundùm nos, qui conducat ad subditorum suorum salutem, modò non sit nimis arduus & difficilis: talis autem est venialium Confessio.

Petes 3. An qui habet venialia cum unico mortali, quod ex justa causa potest nunc celare, teneatur confiteri.

Resp. N. Quia cùm non teneatur ex præcepto ad confessionem venialium, mortale autem possit reticere, non est undè obligetur ad confessionem.

Petes 4. An peccatum hoc anno ex justa causa celatum, subjici debeat clavibus ante annum sequentem, si causa celandi anteà desierit?

Resp. Consultum esse; non videri tamen obligatorium; quia Ecclesia obligat ad unicam peccatorum confessionem integram, hæc autem integra est formaliter. Obligat, inquis, Trident. sess. 14. cap. 5. ad omnium mortalium confessionem, quorum conscientiam habet pœnitens: sed hujus celati conscientiam habet: ergo cessante causa celationis debet aperiri. Sed

Obstat, quòd loquatur Concil. de eo, quod ordinariè fit. Præterea non intelligit ibi conscientiam speculativam, sed practicam, seu quæ dictat peccata hic & nunc aperienda. Idem dic de peccato invincibiliter oblito.

Petes 5. An qui tantùm confessus est venialia hoc anno, si ante finem anni labatur in mortale, teneatur ad hujus confessionem ante annum sequentem?

Res. Probabiliùs Affir. quia talis necdùm implevit præceptum; quandoquidem venialium confessio non sit materia præcepti, sed libertatis.

Petes 6. An sit aliquando obligatio idem peccatum bis confitendi?

Resp. Affirm. Primò si Confessio sit facta non habenti jurisdictionem. Secundò si fuit nulla ex defectu pœnitentis aut Confessarii. Tertiò si non possit sufficienter exprimi peccatum præsens, nisi repetatur peccatum anteà confessum. Quartò quando pœnitens in gravi necessitate confessus est non habenti jurisdictionem in casum reservatum, quo ligabatur: tunc enim cùm hic casus tantùm fuerit cum aliis indirectè remissus, repeti debet habenti jurisdictionem in illum. Sed ad quid illum exprimere primo Confessario, inquis? Certè non videtur D. Th. q. 9. Supplementi art. 2. ad 4.

Petes 7. An satisfiat Ecclesiæ præcepto per Confessionem invalidam?

Resp. Neg. Quia per illam non satisfit præcepto divino: ergo nec Ecclesiastico, cùm Ecclesia circa Confessionem tantùm determinet tempus à Christo indeterminatum. Prob. Ant: quia Christus præcepit Confessionem reconciliativam hominis cum Deo, accedente Sacerdotis absolutione; soli autem Confessioni validæ id competit, undè meritò hanc Propositionem condemnavit Alexand. VII. *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit precepto Ecclesię*. Licèt autem ponatur *voluntariè*, idem est etiam de involuntariè nulla, quia equidem non ponitur materia præcepta, id est, Confessio reconciliativa, ut ante dictum est; & ideò Confessio illa, cognita nullitate, repetenda est.

Petes 8. An Confessio facta Regularibus Privilegio gaudentibus sit impletiva præcepti annui?

Respond. Affirm. Ita unanimiter Doctores quorum doctrinam confirmat usus perpetuus Confessariorum & pœnitentium. Huic contradixerunt quidam Parochi Duaceni circa annum 1592. sed hunc rumorem brevi extinxit Bulla Clementis VIII. incipiens: *Significatam est nobis*, in qua, sicut in Bulla Leonis X. *Deum inter mentis arcana*, ac etiam in Bulla Pauli Tertii. *Licèt debitum*, apertè significatur, eum satisfacere præcepto Confessionis annuæ, qui dictis Regularibus confitetur. Ex quibus patet Bullam Martini Quinti in Extravag. *ad uberes fructus*, quam usu aliquando fuisse receptam negat Vasquez, abrogatam esse, sicut & Bullam Sixti IV. per dictos Pontifices horum successores.

Nec obstat, quòd cap. *Omnis utriusque sexus*, præcipiatur Confessio facienda Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus licentia; quia non solus Parochus est Sacerdos proprius, sed etiam Episcopus Diœcesanus, & Papa, de cujus licentia Confessiones excipiunt Religiosi privilegiati.

QUÆSTIO VI.

Quænam conditiones requirantur ad salutarem peccatorum Confessionem?

D. Thomas qu. 9. Supplem. art. 4. & post eum Theologi communiter sexdecim requirunt conditiones; ad Confessionem debitè instituendam, quas his versibus exprimunt.

Sit simplex, humilis, Confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Has omnes conditiones hic breviter, sed utiliter expediemus, excepta illa, quæ integritatem requirit, de qua fusius postea.

CONCLUSIO I.

Confessio debet esse *simplex*, id est, non sunt intermiscendi sermones ad peccatorum notitiam, quantitatem aut gravitatem non pertinentes: & ideò debet Confessarius narrationes superfluas resecare, ac modum confitendi succinctum pœnitentes edocere. Imò abstinere debet ipsemet ab extraneis discursibus tempore confessionis. Unde si danda sit tribulatis consolatio, dubitantibus consilium, infirmis remedium, fiat post Absolutionem. Quamquàm autem superflua ex garrulitate, curiositate, aut indiscretione non reddant Confessionem invalidam, peccant tamen 1. Confessarii, qui, ubi audierunt novum pœnitentem, inquirunt de ejus nomine, domo, familia, commoditatibus &c. Item qui pœnitentes ordinarios, aut potiùs ordinarias, interrogant de corporis sanitate, familiæ administratione, negotii prosperitate: etsi enim illa secundùm se, parva sint, injuriam tamen faciunt Sacramento; imò aliquando sunt causa iræ & impatientiæ expectantibus. Peccant 2. pœnitentes, qui sæpiùs moniti nolunt à superfluis, aut extraneis abstinere, gloriantur que bis aut ter in hebdomada Confessarium per horam aut plus occupare.

CONCLUSIO II.

Humilis Confessio deest nonnullis pœnitentibus, qui quærunt excusationes in peccatis suis, culpam non tam sibi, quàm Deo, diabolo, fratri, marito, uxori, carnis tentationi tribuentes. Moneant ipsos Confessarii, quòd in hoc Tribunali sint rei, non Judices; non advocati, sed pœnitentes; non defensores suæ causæ, sed accusatores. Inculcent etiam illud Augustini: *Si te accusas, Deus te excusat: si te excusas, Deus te accusat*. Deest & humilitas Berthis illis, quæ levia sua deferunt ad Confessarium ordinarium, gravia autem ad Incognitum; quamvis melius sit, ut ita agant, quàm, illa omittendo, Sacrilegium committant. Ubi autem similia suspicatur Confessarius, debet ipsas monere Sacrilegium esse defectu integritatis, si priùs levia dicant uni, ac postea gravia alteri: secùs si priùs gravia.

CONCLUSIO III.

Pura erit Confessio, si fiat ob finem honestum, v. g. ad recuperandam Dei amicitiam, ad humiliationem, ad gratiæ augmentum, ad avertenda Dei flagella, &c. Impura verò, si ob finem pravum; subsistent tamen valor & fructus Sacramenti, si finis ille sit tantum venialiter malus, ut vana gloria; quia cum illo stare possunt omnia ad Sacramentum necessariò requisita, sicut & gratia Sacramentalis. Contrarium accideret, ubi finis esset graviter malus, idque defectu veræ pœnitentiæ & propositi.

CONCLUSIO IV.

Fidelis debet esse Confessio & sincera, ut si quis mentiatur in re gravi, aut levi necessaria ad Absolutionem, peccet mortaliter, adeoque Sacramentum non recipiat. Ratio clara est; quia in primo casu decipit Judicem in re gravi, in secundo autem exponit Sacramentum nullitati. Hinc

Resol. 1. Reum esse peccati gravis, qui negat in confessione peccatum mortale, quod revera commisit, nisi habeat justam causam illud tacendi: nam peccaret graviter illud omittendo: ergo à fortiori negando.

Resol. 2. Etiam peccare mortaliter confitentem peccatum mortale, quod non commisit, vel majorem numerum mortalium, vel etiam mortale certum pro dubio, aut dubium pro certo. Ratio est; qui pervertit judicium Confessarii in materia notabili. Ratione tamen bonæ fidei excusantur sępè aliqui simplices & rudes homines, qui credunt se tutiorem viam eligere, augendo numerum peccatorum, vel exprimendo certa pro dubiis: quibus annumerari possunt scrupulosi, qui putant omnia peccata sua esse certa, ubi ad summum sunt dubia.

Resol. 3. Peccare tantùm venialiter, qui falsò affirmat aut negat peccatum veniale, si non sit tota materia Confessionis, quia videtur materia levis: cùm nec Judici, nec Sacramento fiat gravis injuria. Præbens quidem consecrandam Hostiam non triticeam cum triticeis, graviter peccaret; sed quia quælibet Hostia, imò quælibet pars Hostiæ utpotè totum Christum continens, est de facto materia gravis, & quidem æquè gravis ac centum Hostiæ: non sic peccatum veniale, cùm sit materia libera hujus Sacramenti; & ideò licèt forma prolata suprà veniale confessum, sed non commissum, sit ex illa parte falsa; quia tamen vera est respectu alterius materiæ, & aliundè veniale in hoc Sacramento, ubi alia est materia, parvæ sit considerationis, non censetur gravi irreverentia affici.

Resol. 4 Licèt sit probabile Bassæo, & quibusdam aliis, non peccare graviter contra fidelitatem in Confessione debitam, qui instituens Confessionem generalem, sine distinctione miscet peccata mortalia necdum confessa cum anteà confessis; quia idem est peccatum, ut ajunt, sive fuerit confessum, sive non; probabilius est tamen contrarium; cùm videatur intervenire gravis deceptio in ordine ad judicium ferendum: siquidem Confessarii nonnisi leves admodùm imponunt pœnitentias pro peccatis priùs confessis & absolutis. Unde necesse est, ut priùs peccata ab ultima Confessione commissa declarentur, & posteà Confessio generalis instituatur.

CONCLUSIO V.

Frequentem Confessionem, quam cum D. Thoma suaserunt unanimiter Theologi, dissuadent nonnulli Authores, & Pastores moderni, saltem respectu eorum, qui sæpiùs labuntur in mortalia; licèt diversæ speciei. Doctrina sanè seipsam destruens: *Sępius peccasti, rarius pœnitere*. Melius sanè noverat pœnitentiæ necessitatem Chrysostomus, qui dicebat: *Peccasti, pœnitere: millies peccasti, millies pœnitere*. An non ridiculus esset Medicus, qui sæpius infirmantibus rarò præscriberet medicinam; e contrà frequenter iis, qui rarò infirmarentur? Pro quibus igitur institutum est

est Pœnitentiæ Sacramentum? An pro justis, an pro peccatoribus? Si pro justis; cur non obligat venialium Confessio? Ergo pro peccatoribus; infero, ergo quò quis sæpiùs peccavit, sæpiùs debet eo uti, præsertim cùm non sit institutum ad solius peccati præteriti remissionem, sed etiam ad futuri præcautionem.

Sæpius peccans, inquis, sæpiùs pœniteat per Contritionem, antequam accedat ad Sacerdotis absolutionem; sed, secundùm te, rarissima est Contritio justificativa extra Sacramentum, & aliundè non præbet vires ex opere operato ad præcavendos relapsus. Numquid ergo melius est, ut credens bona fide se contritum & omninò à peccato aversum (non loquor hìc de involutis occasione proxima, de quibus postea) accedat ad hoc Sacramentum, ubi Pœnitentia securior, ubi venia facilior?

Sed inculcant SS. Patres orandum, jejunandum, flendum ad veram conversionem, inculcamus & nos, & ideò quamdiu videt peccator cor suum adhuc ad creaturas depressum, recurrere debet ad Patrem misericordiarum fletibus & jejuniis, ac præsertim humiliationibus, seipsum boni incapacem, ac sæpius mali capacem agnoscendo. Sed num ideò, ubi quis sincerè existimat se conversum, adhuc per plures menses à Sacramento abstinendum? Nullus hoc docuit Sanctus, quidquid dicat Theologia sanctorum. Malè igitur Sanctorum doctrinam interpretantur nonnulli, non distinguentes inter peccatores & peccatores, inter tempus & tempus. Hanc ego Regulam libenter inculcarem omnibus tanquam veram, tanquam hujus Sacramenti institutioni, ac SS. Patrum doctrinæ consonam: *Nulli ad Sacramentum Pœnitentiæ accedendum, quamdiu, omnibus attentis, & in statera Domini libratis, non videt se sufficienter à peccato aversum*. E contrà: *Cuilibet accedendum, ut bona fide credit se conversum, & à peccato, peccatique occasione remotum*. An autem toties hunc absolvere debeat Confessarius, quoties se talem sincerè existimat pœnitens? Resp. quòd sic, nisi aliundè causam dubitandi aut differendi habeat Confessarius, & quidem fundatam, de qua fusius postea.

Hoc unum hìc ostendere volo, fructuosius esse peccatoribus, ubi se conversos existimant ut supra, post absolutionem orare, jejunare, flere, se humiliare, pro impetranda conversionis firmitate, quàm illa ante absolutionem per plures menses exercere, idque ob duas causas. 1. Quia etiam gratias suas confert Sacramentum ad illum finem. 2. Quia Deus potiùs audit justos quàm peccatores; faciliùs autem & securiùs acquiritur justitia in Sacramento, quàm extrà, & hanc credo esse doctrinam Sanctorum, quam confirmavit Ecclesia per Alexand. VIII. condemnans hanc Propositionem: *Per illam praxim mox absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus*, sicut & sequentem: *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. At numquid illi: *Articuli censurati, propter loquelæ acrimoniam perstringi potuerunt*? Ita censet Vanroy: Ecce quomodo luditur cum decisionibus Apostolicis. Censet hic Author magnos peccatores, etsi nullo consuetudinis peccato ligentur, Dei amorem, sine quo non est vera conversio, & difficulter & nonnisi pedetentim acquirere; & ideò licèt videantur conversi, non debent sibi fidere, nec ipsis Confessarii. *Nemo*, inquit Tom. 5. pag. 115. *in S. Augustino hospes adeò, qui nesciat charitatem in corde hominis primò quidem concipi & nasci, dein nutriri & roborari, ac denique perfici. Ex quo satis elucet, dilectionem Dei victricem*, nempè de amore creaturarum, ut ait, *non ideò facilè, citoque comparari, ut quidam opinantur*. Sed

Contrà est 1. quòd quilibet Peccator, juxta ipsum teneatur statim à commisso peccato sese ad Deum convertere, Deo ad ipsum clamante Eccl. 5. *Ne tardes converti ad Dominum* Quomodo autem potest statim converti, qui secundùm ordinariam gratiæ œconomiam, ut ait pag. 101. Nonnisi notabili temporis spatio convertitur? Deus ergo impossibilia jubet? Plura circa hoc diximus de libertate requisita ad peccandum.

Contra est 2. quòd D. Borromæus, quem hic tanquam Regulam infallibilem sequitur, dicat Act. pag. 87. *Moneat omnes, nè unquam sibi ipsis mortalis culpæ conscii, somnum capere audeant, sed contractam peccati maculam statim sacramentali Confessione eluant*: ergo supponit ad conversionem non requiri tantam temporis moram. Alloquitur, inquis, Seminarii Alumnos, qui cùm rarò graviter peccent, etiam brevi convertuntur. Sed numquid in illa erant ætate, ubi maximè vigent veneris calores? Numquid in illa Patria, ubi maxima ad turpia propensio, & consequenter ubi potest esse maxima ad carnem adhæsio? Sed esto rarò peccarent, cur negas, Borromæi instructionem afficere alios sæpiùs peccantes. Quia, inquis, non possunt tam citò converti. Nega igitur etiam quòd antea affirmasti, nempe hæc Spiritus S. verba: *Ne tardes converti ad Dominum*, in quibus secundùm te continetur verum præceptum, afficere omnes peccatores, cùm non possint omnes tam citò converti.

Contrà est 3. quòd ex verbis tuis relatis sequatur, ad conversionem, etiam in Sacramento, non tantùm requiri charitatem talem qualem, non tantùm charitatem conceptam & natam, non tantùm nutritam, & roboratam: sed etiam perfectam, seu, ut paulò ante loqueris, tot quasi gradibus intensam, ut tandem noxia cupiditate, & creaturarum amore evadat superior Sed quis non videt charitatem illam, utpotè perfectam, esse ante Sacramentum justificativam? Quis non videat hanc commensurationem graduum inter amorem creaturæ, & amorem Creatoris esse omninò & pœnitenti, & confessario imperceptibilem, adeoque esse fomitem innumerorum scrupulorum, ac confessionum, etiam à maximè timoratis, repetendarum? Ambulandum igitur via media nec favendo laxis, nec adhærendo nimiùm rigidis. De Recidivis & Consuetudinariis fusè dicemus infrà.

CONCLUSIO VI.

Nudam Confessionem non instituunt, qui magis quærunt peccata sua palliare aut ambagibus obscurare, quàm aperire: imò si eo fine id agant, ut peccata, aut peccatorum circumstantiæ occultentur Confessario, sacrilega est Confessio, adeoque nulla.

CONCLUSIO III.

Discreta debet esse tum ex parte pœnitentis, tum ex parte Confessarii. Ex parte pœnitentis, peccata sua, præsertim in materia luxuriæ, verbis honestis & pudicis aperiendo, personam complicis (nisi aliter fieri non posset) subticendo, nec ullatenus peccatis propriis aliena immiscendo. Ex parte autem Confessarii, ut prudenter interroget, malitiam extirpaturus, non edocturus, præsertim in materia citata. Discretus etiam esse debet in suis correctionibus, severitatem lenitate temperando, ut vulneribus sauciati infundat vinum disciplinæ; & oleum misericordiæ.

CONCLUSIO II.

Lubens sit insuper & *verecunda*: Lubens quidem, id est, omninò voluntaria, attendendo, quòd si pudor sit & difficultas in peccatorum expressione, lucrum sit & utilitas in fructum perceptione. Verecunda autem, sed moderatè, ut pœnitens ita agnoscat peccatorum suorum turpitudinem, ut non vereatur integram illorum facere confessionem. Ideò cavere debet Confessarius, nè pœnitentes nimiùm verecundos inter confitendum deterreat, sed potiùs alliciat, correctionem, si qua opus est, ad finem differendo. De integritate dicetur infra.

CONCLUSIO II.

Secretam Confessionem instituit Christus; non prohibuit tamen publicam.

Prob. 1. Pars tum ex Concilio Lateranensi, cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi ait: *Solus peccata confiteatur*. Et Trident. sess. 14. cap. 5. ubi legitur: *Secretò apud solum Sacerdotem*, & can. 6. *Secretè soli Sacerdoti*. Tum ex praxi Ecclesiæ universali, quæ solam hanc à tot sæculis adhibet. Vocamus autem illam *Auricularem*, non quòd necessariò fieri debeat ad aurem Confessarii, cùm possit aliter fieri, modò quis sit solus cum solo, sed quia sic ordinariè fit nè quid ab aliis percipiatur.

Prob. 2. Pars; quia Ecclesia prioribus sæculis nonnunquam usa est confessione publica, ut patet ex antea dictis. Accedit quòd omnes conditiones ad hujus Sacramenti valorem requisitæ, tam reperiri possint in confessione publica, quàm secreta: illa tamen his temporibus, nisi certè causa omninò specialis subesset, non est usurpanda. Quando autem Scotus dist. [illegible] n. 31. dicit: *Forum istud ex natura sua est secretissimum*, intelligit hoc sensu, quòd ex parte Confessarii, & etiam Interpretis, si adhibeatur, non possit ex confessione ordinaria quidquam revelari, non autem hoc sensu, quòd desinat confessio esse Sacramentalis, ubi fit publicè, licèt non sit talis ut publica reduplicativè: quod volebat Doctor Subtilis, dum infra dixit confessionem publicam non esse sacramentalem, vel

certè

certè loquebatur de confessione facta præcisè ad humiliationem, non ad Absolutionem. Aliæ conditiones ex terminis patent.

QUÆSTIO V.

An Confessio fieri debeat voce, & an aliquando per Interpretem?

CONCLUSIO I.

NOn est de essentia confessionis, quòd fiat voce, quamquàm aliter facta sine ratione, sit illicita.

Prob. 1. pars; Christus præcipiens confessionem, tantùm intendit dolorosam peccatorum manifestationem, cùm nihil aliud videatur necessarium ad hoc, ut Confessarius tanquam Judex debitè sententiam ferat: atqui talis manifestatio fieri potest sine voce, v. g. signis, nutibus, aut scripto: ergo. Undè Ecclesia hujus veritatis conscia, moribundos solis nutibus, aut signis confitentes communiter absolvit: quod & facit respectu mutorum, quod credit sufficienter instructos. Requirit quidem Florentinum confessionem oris, sed per illam intelligit confessionem externam, quam vocat confessionem oris, eò quòd ordinariè fiat voce.

Prob. 2. pars, quia non est licitum recedere ab ordinaria Ecclesiæ praxi sine gravi causâ; jam autem confessionem oris esse in Ecclesia usualem, experientia quotidiana testatur. Nolim tamen condemnare, saltem gravis peccati, eum, qui peccatis scripto traditis, & à Confessario lectis, diceret: Ego me accuso de omnibus, quæ in charta legisti; quia equidem facit confessionem oris, & aliundè tantam videtur pati verecundiam apud confessarium legentem, quantam apud audientem. Sed esto minorem pateretur, equidem nihil id confert ad rationem essentialem aut integralem Sacramenti; & ideò ubi aliqualis causa subest v. g. pudor omninò particularis in exprimando certo peccato, aut difficultas in loquendo, sic fieri posset sine peccato.

Petes: An qui non potest confiteri verbo, teneatur scripto? Negant Filliucius, Victor, Scotus & alii, saltem extra mortis articulum; quia modus ille, ajunt, exponitur periculo manifestationis. Sed contrarium probabilius est; cùm non appareat majus periculum ex eo quòd pœnitens potiùs confiteatur scripto, quàm verbo; eum possit peccata coram Sacerdote scribere, & facta confessione, chartam lacerare aut comburere. Præterea quamvis deberet peccata domi scribere, & postea alibi confiteri, non videtur periculum amissionis chartæ sufficiens, ut quis eximatur à confessione; cùm sit valdè remotum, & aliundè possit facilè caveri.

CONCLUSIO II.

NUnquam tenetur pœnitens, adeoque nec in articulo mortis, confiteri peccata sua per Interpretem, saltem ex vi præcepti Confessionis.

Ratio est; quia confessio illa nec à Christo, nec ab Ecclesia legitur præcepta: onus autem tale, non est sine gravi fundamento fidelibus imponendum.

Dices 1. Non minùs interpres celare tenetur audita in confessione, quàm Sacerdos: ergo cùm huic illa aperire debeat, quidni & illi?

Resp. Etsi ad secretum confessionis teneatur Interpres, equidem longè majorem ruborem patitur pœnitens aperiendo duobus quàm uni. Præterea si id voluisset Christus, nobis per traditionem, aut aliter voluntatem suam reliquisset.

Dices 2. Scotus in Report. Lugdun. dist. 12. num. 33 sic loquitur: *Quòd si, pœnitens, aliter non possit loqui, debet confiteri per signa, si nota sint Sacerdoti: quòd si non sint ei nota, videtur, quòd debet confiteri per Interpretem, qui novit ista signa.*

Resp. Scotum ibi loqui dubitativè, ut insinuat ly *videtur*: undè in Report. Colon. n. 33. sic habet: *De Barbaro dicitur, quòd debet confiteri per Interpretem, sed non audeo hoc asserere*. Præterea dici potest in id propendere, non ratione præcepti confessionis, sed ratione præcepti charitatis erga seipsum, de quo infrà.

Dices 3. Absolutus in articulo mortis à peccato & excommunicatione annexa, debet, si supervivat, comparere coram Superiore, adeoque peccatum suum duobus manifestare: ergo à fortiori id facere debet, ut recipiat absolutionem sacramentalem.

Resp. ad comparitionem illam non teneri pœnitentem, nisi censura, à qua fuit absolutus, sit deducta ad forum contentiosum, adeoque nisi causa censuræ sit aliundè nota: quod hic non militat.

Inst. Saltem qui confessus est casum reservatum non habenti jurisdictionem in illum, tenetur illud iterùm declarare Confessario legitimo, cui casus ille est ignotus.

Resp. Non esse obligationem, si velit, comparendi coram secundo Confessario, cùm possit rogare primum, ut obtineat à Superiore facultatem in casum præfatum.

Dixi in conclusione: *Saltem ex vi præcepti confessionis*: nam potest obligari pœnitens ex charitate propria, si nempè dubitet de sua Contritione; quia periculum animæ præponderat jacturæ famæ, & bonorum quorumlibet externorum. Sufficeret tamen illo casu aperire quædam venialia in specie, & generatim omnia mortalia. Quod diximus de Interprete, idipsum dicimus quando non potest fieri confessio, nisi aliis audientibus, ut quando plures moribundi jacent in eodem lecto.

QUÆSTIO VI.

An & qualiter debeat esse integra Confessio?

DUplicem distinguunt Theologi confessionis integritatem materialem unam, formalem alteram. Prima in eo consistit, quòd pœnitens declaret omnia omninò mortalia secundùm numerum, speciem & circumstantias, quorum legitimam absolutionem necdùm recepit. Secunda autem in eo, quòd omnia illa exprimat, quæ tenetur hic & nunc aperire, licèt ex justa causa, oblivione naturali, ut ignorantia invincibili, aliqua subticeantur.

CONCLUSIO I.

COnfessio debet esse integra saltem formaliter; adeoque qui vel unicum mortale sponte & sine justa causa omittit, peccat graviter, nec Sacramentum suscipit. Patet ex Trid. sess. 14 cap. 5. ubi docet: *Scienter aliqua peccata reticentes, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponere*. Præterea cùm in hoc Tribunali concedatur integra mortalium remissio, etiam integra esse debet eorum confessio, ut aliàs Judex imprudenter agat.

Dixi *Integra formaliter*; quia non est semper necesse, ut sit materialiter integra; cùm sit sæpe moraliter impossibilis vel ob defectum memoriæ, vel ob aliquas causas supervenientes, de quibus infrà.

CONCLUSIO II.

UT Confessio sit integra formaliter, debent exprimi numerus & species peccatorum, sicut & circumstantiæ mutantes speciem. Est de fide in Concilio Trident. sess. 14. can. 7.

Prob. quia Confessarius in hoc Tribunali est verè Judex; & consequenter ut sententiam debitè ferat, debet habere cognitionem totius causæ, quam non haberet, si vel numerus, vel species, vel etiam Circumstantiæ speciem mutantes, omitterentur; quandoquidem illorum omissio vel expressio non leviter varient judicium Confessarii.

CONCLUSIO III.

PRobabilius est, quòd debeant etiam exprimi Circumstantiæ notabiliter intra eandem speciem aggravantes. Ita Richardus, Alensis, Coninch, Amicus, & quàm plurimi alii tùm veteres, tùm moderni. Quamvis autem in contrarium ab aliquibus citetur Scotus, est tamen verè dubius, cùm 4. dist. 17. n. 20. sic loquatur: *Non est ità certum, quòd oporteat illas*, scilicet circumstantias aggravantes, *confiteri, tamen tutum & utile est id fieri*.

Porrò dicitur Circumstantia notabiliter aggravans intrà eandem speciem, cùm ita auget malitiam ejusdem speciei, ut vel sola sufficeret ad mortale, si esset ab actu principali separata, vel in actu principali simpliciter expresso non soleat communiter apprehendi, ut si quantitas rei furtivæ sit magna, ira valdè intensa, cogitatio venerea, odium, vindicta du rans ultrà modum ordinarium, sicut & quilibet alius actus peccaminosus extraordinariè exercitus.

Prob. autem 1. Conclusio; quia ratio principalis & quasi unica, cur teneant Adversarii non esse declarandas Circumstantias notabiliter aggravantes, est quia Tride. recensens ex professo materiam confessionis necessariam, ultrà peccatorum speciem & numerum, tantùm meminit Circumstantiarum

tum speciem mutantium: sed ratio illa nulla est; cùm noluerit Concilium decidere controversa inter Catholicos, sed damnare falsa contrà Hæreticos, ut satis insinuat contextus: ergo. Undè propter authoritatem DD. Angelici & Seraphici, aliorumque non inferioris notæ contradicentium, hanc rem reliquit indecisam; sed in quam partem propenderet, jam satis patebit.

Prob. 2. Trident. sup. docet declarandas esse circumstantias mutantes speciem, ut Confessarii *de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis, pœnitentibus imponere*: atqui eadem ratio militat pro Circumstantiis notabiliter aggravantibus: ergo implicitè nobis innuit esse declarandas. Prob. Min. quia Circumstantia tantùm aggravans aliquando magis auget malitiam peccati, quàm Circumstantia mutans speciem. Quis enim non videat majorem esse malitiam in eo, qui, ut hominem interficiat, priùs ipsi amputat brachia & pedes, oculos effodit, nasum comburit, ventrem aperit, &c. quàm in eo, qui solo ictu gladii alterum occidit in Templo? Quis dubitat millies plus Deo displicere furtum bis mille aureorum, quàm furtum Caiulæ exigui pretii?

Prob. 3. Hic peccata spectanda non sunt secundùm suum esse physicum, sed secundùm moralem considerationem, ut ajunt Adversarii; sed moraliter loquendo, æquè, imò magis reus est surripiens tres aureos una vice, quàm surripiens unum duabus vicibus: ergo si hic non satisfacit dicens: Commisi furtum mortale, nec satisfacit ille.

Prob. 4. Potest peccatum reservari propter Circumstantiam solùm aggravantem: sic posset Episcopus reservare furtum mille aureorum, & non unius aurei: atqui si circumstantia illa non deberet in confessione exprimi, non posset peccatum propter illam reservari: ergo. Prob. Min. Ideò enim non possunt Episcopi reservare venialia, quia non est obligatio illa confitendi.

Prob. 5. Obligatio confitendi circumstantiam mutantem speciem non petitur præcisè ex differentia specifica, sed ex nova malitia superveniente: ergo ubi supervenit nova malitia notabilis, sivè interim mutet speciem, sivè non, debet exprimi. Prob. Ant. quia si circumstantia, variando speciem peccati, nullam adderet ipsi malitiam, non deberet exprimi, ut clarum est.

Prob. Deniquè ex inconvenientibus; nam sequeretur non posse Confessarium majorem pœnitentiam injungere furi millionis aureorum, quàm furi unius pataconis, Incendiario Villæ integræ, quàm incendiario paucarum segetum; Foventi odium, vindictam, desiderium impurum per 20. annos, quàm illis adhærenti per semiquadrantem; Comburenti hominem vivum, quàm ipsum gladio perimenti, &c. quia equidem possunt peccatum suum eodem modo exprimere, dicendo primo casu: Commisi furtum mortale. Secundo. Nocui proximo notabiliter. Tertio habui odium grave, &c. Quarto occidi hominem.

Obj. 1. Lex confessionis est satis odiosa: ergo non debent ejus obligationes aggravari sine sufficienti fundamento, quale hic non habetur aut ex Scriptura, aut ex Conciliis, aut ex Patribus.

Resp. 1. Cùm ex Scriptura, Conciliis, & Patribus habeamus confitenda esse peccata propter eorum malitiam, etiam consequenter habemus ex illis, ubi quid gravem superaddit malitiam, etiam esse in confessione exprimendum. Undè in præcepto Confessionis divino, & Ecclesiastico, implicitè continetur præceptum aperiendi has Circumstantias.

Resp. 2. Legem Confessionis esse quidem difficilem, sed non odiosam, licèt omne odiosum sit difficile, non tamen omne difficile odiosum: nam Mercatori difficile est relinquere uxorem, proles, & patriam, sese exponere tempestatibus maris, &c. Non est tamen odiosum, quia indè sperat lucrum. Sic etiam difficilis est peccatori Confessio, quia tamen fructus indè subsequens abundè compensat difficultatem illam, non debet esse ipsi odiosa.

Obj. 2. Non obligat lex, quæ non est sufficienter promulgata: sed legem de instituenda Circumstantiarum aggravantium confessione, non esse sufficienter promulgatam insinuant ipsimet Scholæ Principes, cùm eam negaverint D. Thomas, & D. Bonaventura, ac de illa dubitaverit Scotus cum multis aliis: ergo.

Resp. Si omnes leges, quarum obligationem aut negarunt aut in dubium revocarunt Doctores, dici deberent insufficienter promulgatæ, vix ulla obligaret, cùm ferè circa omnes sit aut dubium aut controversia. Undè dicendum, quòd sicut leges non promulgantur per Doctores, ità nec ab illorum opinionibus pendet, ut dicantur sufficienter, aut insufficienter promulgatæ; aliàs lex una uno tempore esset sufficienter promulgata, alio insufficienter, & iterum alio sufficienter, prout variarent Doctorum opiniones. Prætereà sustinuit D. Thomas innocentem, probatum nocentem in judicio, posse occidi: contrarium sustinuit D. Bonaventura. An propterea lex de non occidendo innocente, est insufficienter promulgata?

Obj. 3. Non sunt aperiendæ Circumstantiæ notabiliter minuentes: ergo nec notabiliter aggravantes, cùm videtur par ratio. Prob. Ant. Quia hoc Sacramentum non est institutum ad sui excusationem, sed accusationem.

Resp. Neg. Ant. Sicut enim non potest pœnitens peccatorum numerum augere; ità nec peccatum notabiliter aggravare; cùm hoc variare possit judicium Confessarii, sicut illud.

Ad probationem dico confitentem Circumstantiam minuentem, non se excusare, sed debitè peccatum suum sicuti est declarare.

Obj. 4. In hoc Tribunali id solum exprimendum est, quod habet rationem peccati, sed ratio peccati non importat nisi speciem & numerum: ergo Prob. Min. quia quod est extrà speciem & numerum accidentale est peccato, ut patet de intensione, duratione, &c.

Resp. Dist. Mai. Id solum, quod habet rationem, id est, malitiam peccati: C. id est, præcisè essentiam peccati: N. cùm enim peccata sint hic declaranda propter eorum malitiam, & sæpiùs actus intensio, extensio, aut duratio tantùm, imò plus malitiæ contineat, quam peccatum, præcisè secundùm essentialia consideratum, hinc oritur obligatio circumstantias illas aperiendi.

Inst. Malitia, quæ non pertinet ad essentiam peccati, est tantùm accidentalis.

Resp. Dist. Assumpt. Est tantùm accidentalis respectu constituentium præcisè actum principalem in ratione peccati: Transeat. Secundùm se: N. nam cùm lex non tantùm prohibeat actum peccaminosum, sed etiam ipsius intensionem, durationem, &c etiam hæ secundùm se, sunt contra legem, adeoque essentialem continent malitiam, cùm sint essentialiter peccata.

Objici. 5. Harum Circumstantiarum explicatio est multis moraliter impossibilis, ac præsertim idiotis, qui non possunt distinguere, an peccatum multùm aggravet, nec nè.

Resp. Neg. Assumpt. & certè nunquid potest quilibet, etiam rudis, discernere an graviter proximum læserit? An per tempus notabile in cogitatione venerea, odio Dei, aut proximi perseveraverit? An odium vel alius actus peccaminosus fuerit extraordinariè intensus? Dubitare potest qui similia non fuit in se expertus, non alter. Quamvis enim peccator non possit discernere, adeoque nec Confessario aperire ad quot præcisè gradus fuerit actus ejus intensus, ex modo tamen & affectu colligi potest, an excesserit modum ordinatium.

QUÆSTIO VII.

An, & quale requiratur examen conscientiæ ad Confessionem Sacramentalem?

CONCLUSIO I.

UT debitè instituatur Confessio, requiritur examen conscientiæ, & quidem ex Christi præcepto. Patet ex Trident. Sup.

Prob. Qui præcipit finem, præcipit & media fini obtinendo necessaria: sed præcepit Christus integram peccatorum Confessionem: ergo præcepit & conscientiæ examen, sine quo non potest haberi integra confessio.

CONCLUSIO II.

EXamen illud debet esse diligens, id est, fieri debet cum ea exactitudine, quam postulat res gravis momenti seu negotium arduum. Ita Scotus dist. 17. q. unic. nu. 19. & omnes alii post ipsum. Ratio per se patet.

Advertendum tamen diligentiam in examine adhibendam non debere esse in omnibus æqualem, sed majorem in uno, minorem in altero, prout personarum conditio, temporis ab ultima Confessione elapsi spatium, peccatorum gravitas aut levitas, multitudo aut paucitas postulaverint: undè prudentia opus est, nè pœnitens vel nimis leviter se examinet, vel nimiùm se vexet, etiam subindè cum periculo

culo læsionis sanitatis corporalis, aut turbationis cerebri. Hinc

Resol. 1. Non requiri diligentiam extraordinariam, v. g. anticipationem Confessionis, descriptionem peccatorum in charta, &c. etiamsi pœnitens memoriam habeat debilem & lubricam. Patet ex communi usu, & praxi fidelium. Undè requiritur & sufficit talis inquisitio, per quam hoc Sacramentum reddatur quidem utile, sed non nimis grave & onerosum. Laudandi sunt tamen illi (modò vitentur scrupuli & nimiæ anxietates) qui peccata scribunt, saltem paulò ante Confessionem, præsertim si sit instituenda Confessio longior, aut multis peccatorum speciebus intricata.

Resol. 2. Peccare mortaliter, qui gravibus peccatis implicati, nullam vel levem admodùm in discutienda conscientia diligentiam adhibent. Et ideò tales initio objurgatos, ac posteà de culpa, obligatione, & examine edoctos debet Confessarius dimittere, non crudè tamen & acerbè nè territi ampliùs non redeant, sed modestè, blandè & humaniter, assignatis, si fieri potest, die & hora, quibus debeant reverti.

Resol. 3. Modum declarandi peccata sine ordine, sine debita explicatione, &c. Non semper esse signum insufficientis examinis; quia sunt nonnulli ità rudes, ut, licèt diligentiam sufficientem adhibuerint juxtà suam capacitatem, sine modo tamen peccata confiteantur: & ideò tales non sunt à Confessariis dimittendi, sed adjuvandi, examinandi, interrogandi, ut Confessarii diligentia suppleat pœnitentis insufficientiam.

Resol. 4. Eum, cui post diligentem sui discussionem incertus est mortalium numerus, debere verò similem exprimere addendo, Plus minusve. Caveant tamen pœnitentes illis particulis uti, nisi verè dubii sint de peccatorum numero, & credant numerum, quem exprimere intendunt, ad numerum certum appropinquare; aliàs si putent se nec certum, nec verosimilem numerum posse exprimere ob peccatorum multitudinem, debent sincerè in qualibet specie peccati, statum suum exponere, declarando modum vivendi, consuetudines, conversationes, propensionem, occurrentias, incentiva, durationem temporis, quo in peccatorum commissione, complacentia, aut voluntate permanserint, aut soleant permanere: & si fieri potest, quoties, omnibus pensatis, in mense, hebdomada, aut in die ceciderint. Ex quibus sufficienter poterit colligere prudens Confessarius constitutionem suorum pœnitentium.

Advertendum hic debitè utentem Particulis Plus minusvè, non teneri exprimere majorem numerum, quem, facta confessione, certè reperit, si non excedat notabiliter numerum, quem in Confessione expressit, secùs si notabiliter excedat. Undè qui confessus fuisset se decies blasphemasse plus minusvè & posteà advertere blasphemasse duodecies, non teneretur ampliùs numerum excedentem confiteri: secùs si reperiret se blasphemasse quindecies. Ratio horum est, quod sub illis Particulis Plus minusvè, includatur moraliter numerus appropinquans, non tamen notabiliter excedens. An autem confessus 20. blasphemias teneatur talem numerum retractare, si posteà reperiat tantùm 10.? Respondetur, quòd non si nempè dictis particulis usus fuerit bona fide; quia, ut advertit Diana, integra fuit confessio; cùm in majori numero contineatur minor.

Resol. 5. Examinantes tantùm species peccatorum, easque solas confitentes, dicendo v. gr. aliquando detraxi, aliquando pejeravi, aliquando furatus sui, &c. non tantùm esse dimittendos, sed etiam obligandos ad iterandas Confessiones priores, si ità confiteri soleant, hocque procedat vel ex incuria suæ salutis, vel ex ignorantia culpabili. Ratio clara est; quia, cùm ex sua culpa non fuerint integrè confessi, nullæ fuerunt confessiones, & consequenter repetendæ. Qui tamen bona fide ita confiterentur, ignorantes invincibiliter, aperiendum esse numerum peccatorum, ut accidere posset in hominibus rusticis & agrestibus, non essent cogendi ad repetitionem Confessionum apud Confessarios indoctos aut incurios factarum; sed posset prudens Confessarius ex confessione unius anni conjicere, quotùm annis prioribus peccaverint, quotque peccata commiserint, si modus vivendi fuerit uniformis. Deberet tamen pœnitens illo casu dicere duobus verbis: *Accuso me de omnibus, & singulis peccatis, quæ in Confessionibus præcedentibus non expressi*: &, si quædam alia peccata specie distincta ab iis, quæ in ultima confessione exprimit, anteà commisisset, deberet ea aperire.

Resol. 6. Ex Boudart & P. Verdiere eos, qui ex ignorantia malitiæ, etiam vincibili, se polluerunt, quique illud in Confessione non aperuerunt, non esse obligandos ad repetitionem (licèt consulenda sit) Confessionum præteritarum, sed tantùm ad declarationem illarum pollutionum; si, dùm conscientiam sufficienter examinarunt, nunquàm venerit ipsis dubitatio de pollutione; quia tunc de illis habenda est ratio, sicut de peccatis invincibiliter oblitis. Aliud esset, si inter examinandum fuisset ad pollutionem affectus, aut dubium, vel suspicio de ejus malitia.

QUÆSTIO III.

An sit facienda Confessio peccati dubii, & an Confessum ut dubium debeat aperiri ut certum, si tale posteà reperiatur?

QUæstio procedit de peccato dubio propriè dicto, quandò scilicet non potest quis alterutri parti assensum præbere, sed inter utramque vacillat irresolutus: nam si, facta diligenti inquisitione, absolutè vel probabiliùs judicet se non peccasse, vel saltem non peccasse mortaliter, vel, si ità peccaverit, se jam peccatum illud confessum fuisse, non tenetur illud confiteri.

Ratio est; quia tuta conscientia possumus nos conformare judicio probabiliori, quando non agitur de damno tertii, aut de valore Sacramenti, ut hic non agitur; cùm Confessionis integritas formalis ad hoc Sacramentum sufficiens, dependeat à prudenti judicio hominum, adeoque ubi prudenter indicarunt aliquid ad integritatem non requiri, etsi coram Deo requireretur, validum est Sacramentum. Agitur ergo de peccato verè dubio, sivè interim agatur de substantia facti, puta, quando quis dubitat, an blasphemaverit, detraxerit, &c. sivè de qualitate actus, at quando quis certus de cogitatione impura, incertus est de consensu illi dato, aut negato.

CONCLUSIO I.

PEccatum dubium exprimi debet ut dubium in Confessione, sivè dubitetur de substantia, sive de qualitate. Primum negat P. Marchantius & utrumque *Caramuel*, qui addit nec declarandum esse peccatum certò commissum, si dubium sit, an non fuerit aliàs expressum: quod ultimum saltem, improbabile reputatur ab Authoribus.

Prob. Conclusio. Primò ex condemnatione hujus articuli Lutherani à Leone X. *In primitiva Ecclesia sola manifesta mortalia confitebantur*. Per ly autem manifesta, non tantùm intelligebat Lutherus publica, seu aliis manifesta, sed etiam manifesta pœnitenti, seu certa: undè, sic ipsum inducit loquentem Joannes Roffensis pag. 124. *Ego de his mortalibus locutus sum, quæ ut aliis, aut sibi manifestata sunt* &c. Secundò quia ex Trident. sess. 14. cap. 5. aperienda sunt Confessario peccata, prout sunt in conscientia, seu prout occurrunt memoriæ: ergo sicut peccata certa aperienda sunt ut certa, quia sic occurrunt memoriæ pœnitentis, ità dubia ut dubia propter eamdem rationem. Tertiò quia dubius de peccato, tenetur de illo conteri: ergo & illud confiteri, cùm Contritio includat votum Confessionis. Quartò & principaliter ex praxi communi, quam, utpotè non ità gratam, nunquam introduxissent pœnitentes, nisi per Traditionem à Christo descendere didicissent.

Obj. 1. Nullus habet conscientiam peccati dubii: sed aperienda sunt peccata, prout sunt in conscientia ut dictum est: ergo. Prob. Mai. Quia conscientia est judicium, quod non habet dubitans.

Resp. Neg. Mai. Ad probationem Dico dubitantem habere judicium, non quo judicat se peccasse, aut non peccasse, aliàs non dubitaret de peccato; sed quo judicat, non posse determinare, an peccaverit, necnè.

Objici. 2. In dubio melior est conditio possidentis: ergo saltem dubitans de substantia facti non tenetur ad confessionem.

Resp. Neg. Suppositum, nempè Axioma illud habere locum extrà materiam justitiæ: sed esto haberet, potiùs ex illo sequeretur contrarium, cùm possessio hic non stet pro libertate, sed pro confessionis præcepto, quod longè probabilius est, à Christo emanasse circà peccata dubia, ut patet ex Probatione 4.

Obji. 3. Ex eo quòd homines soleant confiteri peccata venialia, non sequitur esse obligationem: ergo nec sequitur etiam à

am à posteriori esse præceptum obligans, ex eo quòd soleant confiteri peccata dubia.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd fideles non confiteantur venialia ex persuasione, quòd ad id teneantur, sicut faciunt respectu mortalium dubiorum. Hæc autem persuasio semper continuata videtur præsupponere Christi præceptum.

Obj. 4. Dubius de Voto non tenetur illud exequi: ergo nec dubius de peccato illud confiteri.

Resp. Dist. Ant. Dubius de Voto non tenetur illud exequi, si omnibus attentè pensatis tollatur dubium: C. si remaneat, quia non datur præsumptio in favorem dubitantis: N. Idem dic in nostro casu.

Obj. 5. Debet præsumi bonus, qui non probatur malus: ergo debet præsumere pœnitens se non peccasse, quamdiu ipsi non constat de peccato.

Resp. Dist. Ant. Debet proximus præsumi bonus &c. C. aliàs exponeremus nos periculo judicandi temerariè. Debemus nos ipsos prosumere bonos, quamdiu, &c. N. sed debemus nos credere tales, quales non apprehendimus, ad eoque dubios, an boni simus, an mali, in quonon facimus nobis injuriam, sed justitiam.

Obj. 6. Potuit Trident. declarare apertè obligationem confitendi mortalia dubia, & non fecit: sed *contra eum, qui potuit legem dicere apertius, est interpretatio facienda* c. 57. de Regulis juris in 6. ergo.

Resp. Regulam illam intelligendam esse contra eum, qui potuit & debuit: Concilium autem licèt id potuerit, non tamen debuit; cùm ageret ibi de componendis catholicorum Controversiis.

CONCLUSIO II.

PEccatum confessum ut dubium, debet posteà declarari ut certum, si tale reperiatur, nisi fuisset explicata tota actio peccaminosa, & in se deliberatè facta est, licèt esse dubium sive Confessario, sive pœnitenti, an illud totum esset peccatum mortale, aut veniale.

Prob. 1. Si tale peccatum fuisset ab initio repertum ut certum, debuisset ut tale declarari: ergo similiter quando post confessionem reperitur esse certum, debet ut sic exprimi; quandoquidem ut tale, necdum fuerit subjectum clavibus

Prob. 2. Quia debet aliquando exprimi peccatum secundùm omnem suam gravitatem, notabiliter ad hoc judicium conferentem: sed peccati certitudo longè majoris est considerationis in hoc Tribunali, quàm ejusdem dubietas, cùm pro peccatis dubiis soleant imponi pœnitentiæ multò leviores, quàm pro certis: ergo.

Dixi: Nisi fuisset explicata, &c. quia illo casu nihil esset de novo confitendum, cùm nulla foret nova circumstantia, quæ non fuisset in priori confessione subjecta clavibus, nec ad confessionis valorem necessarium est, ut pœnitens, aut Confessarius sciat determinatè peccatum confessum, esse mortale: quippè in omnibus id scire distinctè & determinatè in individuo, est mortaliter impossibile ob variarum circumstantiarum occurrentiam, quæ peccatum quandoque extrahunt à statu ordinario.

Quomodo debeat se gerere Confessarius cum scrupulosis circa peccata dubia, diximus in Tractatu de Conscientia scrupulosa. Illuc recurrre.

QUÆSTIO IX.

Quidnam excuset pœnitentem ab integritate materiali Confessionis?

PŒnitentem aliquando excusari ab integritate confessionis, conveniunt omnes: nam cùm præceptum Christi de integranda confessione sit positivum, & aliundè jugum Christi sit suave, nullum apparet dubium, quin dari possint certi casus, quibus ad hoc præcepto totaliter implendo excusetur pœnitens. Attamen quidnam præcisè illum excuset? Non ita constat, & ideò pono Conclusiones sequentes.

CONCLUSIO I.

EXcusat ab integritate confessionis oblivio naturalis inculpabilis.

Ratio est; quia Deus impossibilia non jubet: est autem impossibile confiteri peccatum, cujus nulla habetur memoria. Et ideò sufficit, si peccatum oblitum, ubi posteà memoriæ occurrerit, subjiciatur clavibus. Sed oblitus solius circumstantiæ in confessione exprimendæ, debetnè iterum speciem peccati confessi exprimere? Debet, si non possit Circumstantiam oblitam sine specie sufficienter aperire; aliàs non: & ideò qui confessus est fornicationem, oblitus Voti castitatis, satisfaciet dicendo posteà: *Violavi votum castitatis in materia gravi*. Non ausim tamen asserere, id sufficiens esse, ubi quis violasset castitatem in re admodum turpi; quia crescente materia luxuriæ, etiam crescit malitia sacrilegii. Item sufficeret illi, qui furatus centum, tantùm confessus est 50. ex oblivione, dicere in confessione sequenti: *Furatus sum* 50. quia sic totum suum peccatum exprimit.

Dixi in Conclusione: *Oblivio inculpabilis*; nam si quis defectu examinis sufficientis, culpabiliter omittat aliquod peccatum, Confessio nulla est, nisi oblivio, aut negligentia foret tantùm venialis.

CONCLUSIO II.

EXcusat etiam ab integritate Confessionis ignorantia invincibilis, v.g. quando quis bona fide tacet in Confessione certa mortalia, ignorans esse grave peccatum, ea tacere.

Ratio est; quia sicut ignorantia excusat ab aliis præceptis, ita etiam ab integritate materiali confessionis. Undè pueris, rudibus, rusticis, &c. qui bona fide aliqua peccata subticuerunt, sufficit, depulsa deinceps ignorantia, præcisè omissa confiteri: quamvis bonum esset ipsis Confessionem generalem suadere.

Imò fieri potest, quòd quis peccet committendo id, quod vincibiliter ignorat esse peccatum, non peccet tamen illud in confessione tacendo; quia peccatum ex ignorantia culpabili temerè & sine debita inquisitione commissum quasi non esset peccatum, non relinquit speciem mali, sicut in eo, qui scienter peccavit; & indè oritur quòd, etiam adhibito justo & diligenti examine, memoriæ non occurrat: & ideò cognita postea illius malitia, sufficit illud præcisè confiteri, quia Confessiones præteritæ fuerunt validæ. Vide dicta superiùs.

CONCLUSIO III.

SImiliter excusat impotentia, sive oriatur ex parte Confessarii, sive ex parte pœnitentis, ut si timeatur, ne confitens subitò moriatur, aut turbetur: vel periculosum sit, ne Confessarius amittat usum loquelæ. Item si in naufragii periculo, si instante pugna, aut incendio domus plenæ fidelibus, non possint singuli integrè confiteri, sufficit illis, aliqua peccata breviter aperire, & sic absolutionem recipere. Imò possent omnes simul aliqua peccata confiteri, & omnes simul absolvi, si necessitas id postularet. In his tamen casibus suadendum est, ut singuli materiam certam & determinatam, si fieri possit, confiteantur, ut Sacramentum sit magis certum. Dico: *si fieri possit*; quia ubi magnus exercitus jamjam esset præliaturus, sufficeret signum Confessionis & Pœnitentiæ exteriùs ostensum vel genuflexione, vel manuum conjunctione, vel pectoris tunsione; & ideò illos sic dispositos, & ad actum Contritionis vehementis priùs excitatos, absolvet Confessarius sub hac Forma: *Ego vos absolvo à peccatis vestris, &c.*

CONCLUSIO IV.

IDem dicendum est de gravi damno, quod ex integra peccatorum Confessione contingeret vel ipsi pœnitenti, vel Confessario, vel tertiæ personæ, sive illud eveniat in vita, sive in fama, sive in bonis fortunæ, modò prudenter existimetur notabile.

Ratio est; quia alia præcepta divina positiva non obligant cum tanto nocumento proprio, aut alieno, adeoque nec illud: undè si ex Confessione integra immineat Confessario, aut pœnitenti, aut etiam alteri gravis morbus, vel periculum carceris perpetui, mutilationis membrorum, vel etiam mortis corporalis, non obligat Confessionis integritas; & ideò potest Confessarius audiens pœnitentem peste infectum, paucis auditis, ipsum absolvere, si ex longiori Confessione timeat probabiliter infectionem pestiferam. Si tamen Confessarius ex charitate velit integram hujus Confessionem audire, tenetur pœnitens integram facere.

Similiter non obligatur ad integritatem materialem pœnitens, si non possit confiteri, nisi mediante vel audiente altero, ut suo loco diximus. Item si fundatè timeat odium & persecutionem Confessarii, revelationem sui peccati, subtractionem

nem

nem sustentationis necessariæ, si fœmina timeat, nè, si Sacerdoti peccata carnis declaret, eum excitet ad similia desideria, vel nè se ad similia flagitia cum illo facienda inviter. Valdè tamen cavendum pœnitenti, ne simila de suo Confessario suspicetur sine gravi admodùm fundamento. Idem dicendum est, si pœnitens ob suam infirmitatem vereatur, ne si diutiùs inhærcat examini peccatorum carnalium, iisdem de novo consensum præbeat; & ideò non tantùm potest pœnitens peccata illa obiter examinare, sed & Confessarius obiter interrogare, nè pœnitenti infirmo sit occasio scandali.

CONCLUSIO V.

Excusat etiam ab hac integritate Sigillum Confessionis, id est, si non possit Confessarius peccatum suum exprimere, nisi revelando cum suo Authore peccatum in confessione auditum, non tenebitur illud declarare.

Ratio est; quia strictior est obligatio sigilli, quàm integritatis confessionis.

Advertendum 1. Prodictis in hac & præcedentibus Conclusionibus, non esse licitum reticere in confessione, plusquam justa causa postulet; & ideò excusatus à declarando peccato externo, non excusatur à declarando interno.

Advertendum 2. Nonnisi in gravi necessitate confessionis, licitam esse hanc dimidiationem: ut si quis non possit Missam aut Communionem omittere sine alterius scandalo, aut sui infamia. Idem est, si urgeat præceptum Confessionis, aut Communionis annuæ; imò idem est juxta Suarez, si quis mortali gravatus, & per absolutionem mundari cupiens, deberet per tempus notabile à Confessione abstinere; quod à fortiori verum est de Sacerdote singulis diebus assueto celebrare.

Advertendum 3. Melius esse habenti unicum mortale (quod non tenetur hic & nunc confiteri) Confessionem venialium, aut mortalium aliàs absolutorum facere, quam cum sola Contritione communicare, aut celebrare, ubi ad id urget necessitas. Ratio est; quia sic certior esset de statu gratiæ. Imò ad hoc teneretur, si probabiliter de Contritione dubitaret.

Advertendum 4. Peccatum, quod fuit ex justa causa celatum, postea, cessante celationis causa, esse declarandum, ut satisfiat juri divino.

CONCLUSIO VI.

Confitens in necessitate non habenti jurisdictionem in casus reservatos, non potest subticere peccata reservata. Ita D. Thomas quæst. 9. Supplem. art. 2. ad 4 ubi ait: *Etiamsi Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri*. Estque ferè communis inter doctores.

Ratio est; quia non potest Confessarius absolvere pœnitentem, nisi sciat moraliter absolutione dignum: quod ignorare posset, si non teneretur pœnitens reservata confiteri; quandoquidem ratione illorum posset esse indignus. Contraria tamen Sententia non caret probabilitate; quia Confessio reservatorum non esset propriè Sacramentalis, cùm ille Confessarius respectu reservatorum non sit Judex legitimus. Deinde cùm illa essent adhuc aperienda habenti jurisdictionem, bis deberent exprimi, ad quod non videtur obligare præceptum confessionis.

CONCLUSIO VII.

Magnus populi concursus in solemnitate celebri, non excusat etiam ab integritate confessionis, licèt multi pœnitentes deberent confessione privari.

Ratio est; quia quòd aliqui non possint illo die audiri, non est tanti momenti, ut confessio dimidietur, & quidem sæpè cum periculo sacrilegii, cùm multi accedere possint indigni, quorum indignitas non posset agnosci ratione præcipitationis: undè meritò hanc Propositionem damnavit Innocen. XI. *Licèt sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut Indulgentiæ*.

CONCLUSIO VIII.

Similiter non excusat ab integritate confessionis infamia propria, aut complicis apud solum Confessarium.

Prob. 1. pars; quæ est communis inter DD. quia infamia illa annexa est Confessioni ex institutione Christi: quamvis hic & nunc fieri possit, quòd pœnitens non infamet se, vel quia ignotus Confessario, vel quia peccata ejus sunt publica.

Prob. 2. pars; 1. authoritate D. Bernardi Opusc. de Formula vitæ honestæ, quem secuti sunt Alensis, D. Thomas, D. Bonav. D. Antonini, & plurimi alii: *De nullo prorsus* inquit, *sinistrè loquaris, quantumcumque sit verum vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum*, ubi transeunter notanda sunt ultima verba: quia tenetur pœnitens facere id, quod potest, ut Confessarius non veniat in cognitionem complicis, vel seipsum occultando, vel confitendo Confessario, cui ignotus est complex.

Prob. 2. Plus juris habeo ad servandam famam meam, quàm habeat alter, ut servem famam eius: sed ergo teneor cum infamia mea confiteri crimen occultum: ergo etiam teneor illud aperire cum infamia complicis, ubi necessarium est.

Prob. 3. Possunt & debent Reus, testis, & accusator declarare complicem, quando id exigit integritas judicii civilis: ergo idem potest pœnitens, qui simul est hic reus, testis, & accusator, quando id exigit integritas judicii sacramentalis.

Prob. 4. Licita est revelatio criminis alieni apud personam prudentem & secretam, ubi id innuit consilium capiendum, vel occasio peccati vitanda, aut etiam grave nocumentum impediendum; quia non teneor famæ alienæ consulere cum tanto meo detrimento: ergo à fortiori id mihi licet in confessione, ubi secretum maximum, ubi infamia quasi nulla, si id insinuet momentosum integræ confessionis commodum: si autem possum, teneor: cùm tunc nullus restet exemptioni locus.

Dices 1. Fortiùs obligat præceptum naturale, quàm positivum: atqui præceptum servandi famam alienam est naturale, & præceptum confessionis integralis est tantùm divinum positivum: ergo.

Resp. Dist. Min. Præceptum servandi famam alienam, ad quam jus habet ille alius, est naturale: C. ad quam non habet jus: N. Sicut ergo non habeo jus ad famam meam in Confessione, eo ipso quo peccavi; ità nec jus habet complex ad suam in Confessione, ubi mecum peccavit, nec possum peccatum meum sine illius peccato declararé.

Dices 2. Infamatio est intrinsecè mala: ergo nullo casu imaginabili potest cohonestari.

Resp. Dist. Ant. Infamatio injusta: C. justa. N. imò negari potest in nostro casu esse infamationem, cùm per illam intelligatur ordinariè injusta famæ alienæ ablatio.

Dices 3. Non teneor confiteri per Interpretem, nè me infamem: ergo nec teneor certum peccatum confiteri, nè infamem proximum.

Resp. Rationem cur non obliget confiteri per Interpretem, non esse periculum infamiæ, sed quia jure divino solùm teneor confiteri Sacerdoti; jure autem divino teneor integrè confiteri, adeoque & peccatum complicis, ubi meum sine illo non potest explicari.

Dices 4. Dictum est Conclus. 4. grave damnum etiam tertiæ personæ excusare ab integritate confessionis: sed hic ex integra confessione, oritur grave damnum in fama complici: ergo.

Resp. Dist. Maj. Grave damnum, quod oritur per se & intrinsecè ex integra peccatorum confessione: N. aliàs non teneri confiteri peccatum meum Confessario, cui essem notus, si alius deesset. Quando oritur ex illa per accidens v. gr. quia Confessarius crimen confessum alteri revelaret: C.

Dices 5. Non est verisimile Christum præcepisse confessionem integram cum revelatione criminis complicis: ergo.

Resp. Neg. Ant. Cùm enim instituerit hoc Sacramentum per modum judicii, in judicio autem declarare possit accusator crimen complicis, ubi judicii perfectio id postulat: idem in hoc judicio statuisse credendum est.

Petes, An sit idem de non complice?

Resp. Non ità constare; quia cùm ille non peccaverit mecum, nec videtur cessisse juri suo, ut mecum in Confessione dif-

diffamaretur, ubi non esset locus aliter peccatum meum declarandi; & ideò quidam tenentes primum negant secundum. Nihilominùs idem nos asserimus; quia perfectio & integritas hujus judicii id exigit: & certè si judices civiles inquirant de stupro Moniali, aut puellæ illato, licèt id fieri non possit sine aliqua harum, licèt innocentium, infamia, quidni idem fieri posset in judicio Sacramentali? undè si occidisti sororem tuam gravidam, debes hoc exprimere Confessario, qui novit sororem tuam esse maritatam, si non possis alteri crimen tuum confiteri: quod sanè rarum esset in his partibus, ubi abundant Confessarii.

QUÆSTIO X

Qualiter agendum cum moribundo, qui præsente vel absente Confessario, tantùm in genere peccata confitetur?

CONCLUSIO I.

ABsolvi potest & debet moribundus, qui nullum peccatum in particulari valens exprimere, tantùm declarat in genere se peccasse; vel etiam tantùm ostendit signa Pœnitentiæ vel Confessionis petitæ. Quod etiam verum est, licèt signa illa absente Confessario, coram adstante ostenderit.

Prob. 1. Pars, quæ est communis inter DD. quia illo casu censetur adesse materia sufficiens ad absolutionem, cùm alia exhiberi non possit propter incapacitatem loquendi, quæ excusat ab integritate materiali Confessionis. Hancque Sententiam confirmat communis Ecclesiæ praxis.

Dices 1. Signum pœnitentiæ est signum contritionis, & non Confessionis: ergo.

Resp. Cùm nihil conferat signum illud externum ad veram coram Deo contritionem, censetur moribundus illud adhibens aliud velle, adeoque Confessionem; dici potest igitur, signum illud esse simul signum contritionis & Confessionis.

Dices 2. Per signum illud nihil manifestatur Confessario, cùm tantùm se declaret moribundus peccatorem in genere: quod anteà noverat Confessarius.

Resp. Dist. Assump. Nihil manifestatur ignotum: C. nec hoc requiritur ad Confessionem; aliàs non possem confiteri Sacerdoti, qui vidisset me peccantem. Nihil prorsus manifestatur, vel potiùs declaratur: N.

Inferes: Ergo sine ullo signo potest ille absolvi. Prob. Illatio; quia non plus novit Confessarius cum tali signo, quàm sine illo.

Resp. Neg. Illationem, ad probationem dist. Assump. Non plus novit, nec alio modo: N. non plus, sed alio modo; C. quia per signum illud novit via accusationis, quod tantùm noverat via communi, & sic nunc potest ut Judex (cujus jurisdictioni se submisit pœnitens per signum illud) sententiam ferre & peccata punire, quod anteà non poterat.

Dices 3. Absolutio illo casu non cadit directè suprà ullum peccatum: ergo nulla est. Prob. Ant. quia peccatum directè absolutum non est ampliùs subjiciendum clavibus: moribundus verò, si convalescat, iterum tenetur omnia distinctè confiteri.

Resp. Absolutionem cadere directè suprà omnia peccata, cùm omnia fuerint in confuso declarata: esse tamen obligationem alterius Confessionis, distinctæ, non defectu absolutionis directæ, sed ut impleatur præceptum divinum, omnia semel distinctè aperiendi, ubi fieri potest. Ita N. Poncius. Alii aliter loquuntur, volentes tantùm absolvi directè peccata in genere, nempè in ratione offensæ Dei, indirectè autem, quantùm ad speciem & numerum; & ideò restare obligationem speciei, & numerum rursus confitendi; sed quidquid sit, conveniunt & illi Absolutionem esse validam.

Advertendum hic, ubi signa sunt æquivoca, sed dubitatur, an pœnitens illa adhibeat ad excitandam in se contritionem, aut petendam Absolutionem debere absolvi conditionatè.

Prob. 2. Pars; quia testimonium abstantis supplet vicem Confessionis; quandoquidem censeatur se habere adinstar Interpretis. Sufficit autem si adstans, vel testis sit unicus, quamvis non foret immediatus, aut juridicè legitimus; si tamen verè esset dubius, quia infidelis aut Hæreticus, sub conditione danda esset absolutio.

Confirm. 1. Utraque Pars Conclusionis ex Concilio Arausicano I. cap. 12. ubi ait: *Subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium, aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* Idem habet Concilium Carthaginense IV. cap. 77.

Confirm. 2. ex Rituali Romano Pauli V. de Sacramento Pœnitentiæ, ubi sic habetur: *Si inter confitendum, vel antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utrumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendum est.* Undè jam temerè, inquit N. Poncius, contrarium doceretur. Si tamen aliqui contrarium sustineant, tenentur in praxi ex charitate, vel etiam ex justitia, si sint Pastores, nostram Sententiam amplecti; cùm sit verè probabilis, aut etiam probabilior: tunc autem sit proximo succurrendum per mediam tantùm probabile, imò non certo falsum, quod potest prodesse, & non obesse.

Dices 1. Confessio contenta in signo illo non est sacramentalis, cùm non dirigatur ad Sacerdotem, sed ad laicum præsentem.

Resp. Dirigi quidem immediatè ad laicum, sed deferendam per eum ad Sacerdotem: undè sicut petitio absolutionis in tali casu non dirigitur immediatè ad laicum, ita nec signum illud, quod tenet locum petitionis.

Dices 2. Clemens VIII. damnavit Confessionem factam absenti: atqui talis est Confessario: ergo &c.

Resp. Quidquid sit de illa prohibitione, de qua posteà, Pontificem suo Decreto non comprehendere hunc casum, ut ipsemet declaravit Bellarmino & Archiepiscopo Armacano.

CONCLUSIO II.

ABsolvi potest etiam moribundus, saltem sub conditione, quando adveniente Confessario, nulli sunt testes, qui fidem faciant petitæ Confessionis ab infirmo, vel signorum contritionis, modò testentur catholicè vixisse, Missam & Sacramenta frequentando. Ita Homobonus, Salmeron, Joan. Hesselius, Ludovicus Schildere, Bouchy, Nostri Smising, Herinx, Bosco, & alii. Imò hanc Sententiam, quam, teste Bosco, sæpiùs in Academia Lovaniensi publicè defenderunt PP. Societatis Jesu, approbavit & observari præcepit Gregorius XV. cùm esset Archiepiscopus Bononiensis, ut patet ex Memoriali Confessariorum Bononiæ edito. Et Gaspar Nemius Antuerpiensis Episcopus, ac posteà Archiepiscopus Cameracensis declaravit coram omnibus in Disputatione publica in Conventu nostro Antuerpiensi habita anno 1652. 5. Febr. illam esse probabilem, & in praxi tutam.

Prob. 1. ex Sacerdotali Romano, ubi ex S. Antonino dicitur: *Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si benè vivebat ut bonus fidelis, & frequentabat Confessionem & Communionem, quamvis non petierit Sacramenta .... debet præsumi contritus, & faciente aliquo Confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni Sententia & peccato.*

Nec refert, quòd posteà dicatur: *Deindè debet dari ei Eucharistia ......quamvis non sit confessus, quia non potuit*; nam hæc verba: *Non confessus*, non excludunt omnem Confessionem, sed tantùm Confessionem integram & ordinariam; aliàs non præciperetur, ut daretur ei Absolutio & Eucharistia.

Prob. 2. Ex Augustino lib. 1. de Adulter. Conjug. cap. 26. ubi de Catechumeno subitò sensibus destituto ait: *Verùm etiamsi voluntas ejus incerta est* (quoad susceptionem Baptismi) *multò satiùs est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potiùs dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* Quod & repetit cap. 28. & tandem concludit: *Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit?* Quid clarius? Sicut ergo tantùm requirit Augustinus in illo Catechumeno, etiam adulterinis conjugiis implicato professionem Catechumenatus ad Baptismum; ità & solùm requirit in moribundo professionem vitæ Christianæ ad Absolutionem.

Prob. 3. Ratione; Potest absolvi moribundus, ut fatentur Adversarii, si voluntatis præteritæ testimonium habeat aliorum verbis: atqui in nostro casu tale testimonium habet moribundus: ergo. Prob. Mi. Adstantes fatentur infirmum catholicè vixisse: atqui vita catholicè peracta est tacita voluntas

liuntas & petitio absolutionis in articulo mortis; quandoquidem censeatur Christianorum more velle mori, qui Christianorum more vixit: ergo &c.

Prob. 4. Licet in extrema necessitate baptizare sub conditione cum omni liquore, de quo prudenter dici potest: Fortè est aqua: atqui potest aliquis fretus authoritate Augustini, Antonini, totque virorum doctissimorum, qui hanc sententiam propugnarunt, & quotidiè propugnant, & practicant, dicere prudenter: *Vita christianè peracta fortè est Confessio externa peccatorum pro articulo mortis, quando alia est impossibilis*: ergo potest sub conditione absolvere: & consequenter tenetur ex charitate, vel etiam ex justitia, si sit pastor.

Dices 1. Concilia & Rituale Pauli V. requirunt ad absolutionem moribundi, quòd signa pœnitentiæ per se vel per alios ostenderit: ergo &c.

Resp. Hoc & nos requirere; quandoquidem vita orthodoxa sit tale signum. Quòd si requirant pœnitentiæ signum à vita christiana distinctum, hoc tantùm volunt ad absolutionem absolutè dandam, non autem sub conditione. Prætereà dici potest Ecclesiam per Concilia instruere suos Ministros de iis, quæ certa sunt, nihil determinando circà dubia, ut nobis exemplum ministrat Tridentinum in Attritione, in circumstantiis aggravantibus, &c.

Dices 2. Vita christianè peracta sunt bona opera: sed bona opera non sunt confessio peccatorum: ergo.

Resp. Dist. Min. non sunt confessio explicita: C. implicita & tacita: N. sicut enim sunt implicitè petitio Extremæ unctionis, in quantùm christianè vivens censetur velle christianè mori; ita sunt implicitè petitio absolutionis, adeoque & implicita confessio.

Inst. Non sufficit ad hoc Sacramentum implicita contritio: ergo nec implicita confessio.

Resp. Neg. Cons. Disparitas petitur ex ipsa praxi Ecclesiæ, quæ nunquam absolvit pœnitentem, nisi explicitè & formaliter contritum; absolvit autem implicitè confessum, cùm absolvat ostendentem signa doloris, quæ constat non esse confessionem formalem & explicitam.

Dices 3. Vel moribundus ille est dispositus vel non: si non; nihil proderit Absolutio. Si sic, justificabitur per Extremam-unctionem, quæ per accidens est collativa primæ gratiæ.

Resp. Non constare Sacramenta vivorum conferre quandoquidem gratiam primam, & sic ne magis exponatur salus infirmi adhibenda est, & Absolutio, & Extrema-unctio.

Dices 4. Vel ita christiana est de se confessio, vel ex intentione christianè viventis; si de se: ergo christianè vivens perpetuò confitetur: quod nemo somniavit. Si ex intentione christianè viventis: ergo vix in casu nostro potest absolvi unus, cùm vix unus vitam suam christianam dirigat ad hunc finem.

Resp. Esse talem ex intentione christiani, non quidem expressa aut formali, sed interpretativa, in quantum christianè vivens censetur velle christianè mori, adeoque cum susceptione Sacramentorum Christianis moribundis exhiberi solitorum.

Dices 5. Ponamus aliquem esse moribundum ex duello jam jam commisso, vita ipsius christiana non potest esse Confessio: non quidem pro instanti sequenti duellum; cùm non sit tunc vita christiana, sed diabolica: non etiam pro tempore præcedenti; quia cùm non fiat Confessio peccati committendi, sed commissi, non erat pro tunc Confessio duelli.

Resp. Vitam christianam ante duellum peractam esse Confessionem, non pro quolibet tempore, sed pro articulo mortis, sicut solùm pro illo instanti est petitio Extremæ-unctionis; sicque cùm in mortis articulo sit patratum duellum tunc etiam est Confessio duelli. Deindè esto vita christiana non esset Confessio duelli; esset tamen peccatorum præcedentium; incapaci autem facere Confessionem integram, sufficit dimidiata.

CONCLUSIO III.

Absolvi potest etiam moribundus sub conditione: etiamsi nullus sit, qui testetur signa pœnitentiæ dedisse, aut catholicè vixisse, modo reperiatur in terris Catholicorum, & tempus aliquod intercedat inter peccatum, & absolutionem; & aliundè non appareant signa impœnitentiæ. Ità N. Marchantius, Aversa, & N. Poncius, quorum Sententiam probabilem censet Bassæus, & consequenter ad hanc in praxi sequendam obligari Confessarium sustinet V. Absolutio num. 13.

Ratio Conclusionis est; quia etsi in tali peccatore suo oppresso (verba sunt Marchantii) nullum mihi signum appareat, quod materiam confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proindè certò constet peccatorem sic oppressum, de peccatis aut salute cogitare; imò nec appareat eum ratione uti: potest enim fieri, ut non tantùm intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus, aut alii in corpore motus; qui etsi doloris corporalis aut naturæ patientis sint ordinariè signa, nihilominùs ab ipso peccatore quandoque ordinantur, ut internæ pœnitentiæ nutus: ondè absolvendo eum sub conditione, & numeri & charitati satisfacio: irreverentia autem si quæ subesse potest, videtur abstergi per conditionem, & moribundi extremam necessitatem. Hæc ille, quem malè intellexit quidam, quasi voluisset requiri signum sensibile, etsi Confessario absolutè incognitum; cùm tamen ipse requirat signum cognitum, licèt incognitum *in ordine ad absolutionem*, idest, licèt nesciat Confessarius, an moribundus illo utatur ad naturæ patientis sublevationem, aut absolutionem petitionem. Pro Coronide

Adverte Sacramenta instituta esse pro hominibus salvandis adeoque in extrema necessitate semper ex duabus opinionibus eligendam esse illam, quæ favet pœnitenti.

QUÆSTIO XI.

An confessus peccata per litteras, aut per internuntium possit absolvi?

CONCLUSIO I.

Illicitè, imò invalidè absolvitur confessus peccata per litteras aut internuntium, si absolvens distet à Pœnitente.

Prob. 1. Pars, nempè quod illicitè, ex Decreto Clementis VIII quia hanc Propositionem: *Licet per litteras, seu internuntium, Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, tanquam falsam, temerariam & scandalosam damnavit, præcepitque, *ne deinceps publicis privatisque lectionibus, Concionibus, & congressibus doceatur, neque unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur*, sub excommunicatione latæ sententiæ sibi reservatæ. Hæc autem prohibitio intelligi debet non tantùm de confessione facta absenti, & Absolutione data ab absente copulativè: sed etiam divisivè, ita ut damnetur ac prohibeatur, & confessio facta absenti, saltem extrà casum necessitatis, propter inferius dicenda, & etiam Absolutio data ab absente: undè præfatus Pontifex & post eum Paulus V. jusserunt expungi ex Tomo 4. P. Suar. Sectionem quartam Disp. 21. ubi docebat Decretum Clementis VIII. intelligendum esse copulativè, non autem divisivè, volens confessionem fieri posse absenti, modo absolutio impendatur præsenti.

Prob. 2. Pars; nempè quod taliter confessus absolvatur invalidè: Vel enim absolvitur absens scripto, vel voce ad eum directa: utrolibet modo fiat, est invalida: ergo. Prob. 1. pars Min. ex perpetua Ecclesiæ praxi, & consuetudine, Christi voluntatem nobis manifestante: undè Trident. sess. 14. cap. 3. docet hujus Sacramenti Formam *in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo*, &c. & ne intelligas de verbis scriptis, expressè addit Florentinum: quæ Sacerdos profert. Prob. 2. pars Min. quia pronomen Te voce prolatum satis indicat verba Absolutionis dirigi ad præsentem, adeoque invalidè ad absentem, sivè interim confessio facta fuerit absenti, sive præsenti. Unde nunquam legitur Ecclesiam vel semel dispensasse, ut absolveretur absens: quòd sanè sæpiùs fecisset, præsertim tempore persecutionum, si absolutionem illam credidisset validam.

Dices 1. Valet in foro fori sententia scripta: ergo & hic.

Resp. Neg. Conseq. Quia circa hoc aliud requisivisse Christum in judicio Sacramentali, fortè propter majus confessionis secretum, quàm homines in civili, declarat Ecclesiæ praxis.

Dices 2. Absolvi potest absens, à Censuris: ergo & à peccatis.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quòd sicut Censuræ feruntur ab Ecclesia; ita ab ea tolluntur eo modo, quo vult: peccata autem nonnisi secundùm Christi voluntatem. Ex qua etiam habemus, quòd licèt non semper requiratur confessio verbalis, semper tamen verbalis requiratur Absolutio.

Et

Et ideò si quæ Absolutiones datæ sunt scripto, vel erant invalidæ, vel non erant sacramentales, sed vel Absolutiones à censuris aut pœnis peccatorum, vel reconciliationes pertinentes ad pœnitentiam publicam, vel benedictiones, vel concessiones Indulgentiarum.

Quanta autem requiratur distantia, ut censeatur confessarius abesse à pœnitente, pendet à morali hominum judicio. Crederem tamen non abesse, si non plus distet quàm soleant distare, qui humano modo colloquuntur; & ideò licitè potest absolvi pœnitens, qui aliquantulum discessit à confessionali, si reputetur adhuc sufficienter præsens ad collocutionem ordinariam, nec possit commodè vocari aut conveniri. Quod notandum est pro rudibus sine Absolutione exeuntibus.

CONCLUSIO II.

QUamvis extra casum necessitatis extremæ sit illicita confessio facta absenti, etiam ut posteà recipiatur Absolutio à præsente, ut patet ex præfato Clementis Decreto disjunctivè intelligendo, non videtur tamen invalida absolutè loquendo. Ità Doctores quamplurimi, qui etiam post Decretum illud scripserunt. Dico *Post Decretum*; quia ante illud erat satis communis inter Theologos.

Prob. 1. Quia talis confessio est vera & propriè dicta sui accusatio, suorumque peccatorum; cùm ad illam omninò indifferens sit, an reus seipsum accuset præsenti vel absenti, ut per se patet.

Prob. 2. Potest, ut diximus Quæst. præced. absolvi moribundus, qui absente confessario, dedit signa Pœnitentiæ: atqui tunc est confessio facta absenti: ergo. Prob. Min. Quia si facta esset præsenti, non esset sacramentalis, utpotè facta laico, cum soli laici supponantur præsentes. Nec dicas laicum tunc esse Interpretem; quia non censetur quis confiteri per Interpretem, nisi adsit Confessarius, cùm debeat esse locutio pœnitentis ad Interpretem, & Interpretis ad Confessarium: unde sicut Petrus jamjam loquelam perditurus dicens sua peccata Paulo, ut hic illa dicat Sacerdoti venienti, non dicitur confiteri per Interpretem, ita nec moribundus in casu allato; & sicut hic Petrus dirigit confessionem suam per Paulum, quasi per Epistolam ad Sacerdotem, adeoque ad absentem; ita & loquens per signa dirigit suam ad illum per adstantes; ita ut sint quasi charta vivens exprimens Confessionem.

Dices Confessionem quidem per Epistolam fieri absenti, sed Confessionem per adstantes, fieri præsenti, in quantùm confessio censetur præsens in illorum testimonio apud pœnitentem exhibito. Sed

Contra est 1. Quòd potuerit esse unicus testis signorum Pœnitentiæ, ille autem quærat Parochum, nec redeat cum illo: tunc autem non fiet confessio præsens in illius testimonio; nec aliter se habebit ille, quàm Epistola ad Sacerdotem missa. Posse autem moribundum absolvi, etiam in casu quo non redeat testis, colligimus evidenter ex dictis Quæst. X. ubi & Rituale Romanum, & Concilia tantùm requirunt testimonium aliorum, non determinando, an testentur in præsentia, vel in absentia infirmi. Quod confirmat D. Thom. Opusc. 65. §. de Sacra unct. *Si infirmus*, inquit, *qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominò ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi*, ubi solùm exigit, quòd sacerdos resciat petitionem infirmi.

Contra est 2. Quòd testes signorum non confiteantur nomine moribundi, sed tantùm referant fuisse factam Confessionem ab ipso in absentia Parochi, adeoque semper manet, quòd confessio facta sit absenti.

Obj. 1. Nulla est Absolutio data ab absente: ergo nec Confessio facta absenti.

Resp. Disparitatem esse, quòd Absolutio ex sua significatione requirat præsentiam pœnitentis, ut satis indicat ly *Te* voce proferendum; nihil autem reperitur ex parte Confessionis, quod præsentiam illam exigat.

Obj. 2. Clemens VIII. præcipit, ut nullo casu Confessio fiat absenti: ergo supponit esse invalidam, aliàs fieri posset in extrema necessitate.

Respond. Potiùs inde confirmari conclusionem nostram; nam cùm Pontifex declaraverit Archiepiscopo Armacano, & Bellarmino, ut diximus, se nolle comprehendere confessionem præfatam moribundi, hæc autem sit facta absenti, ut probavimus; etiam implicitè declaravit se non condemnasse illam, ut invalidam. Prohibuit autem extra casum illum ad praxim reduci, quia licèt credamus validam, credunt alii invalidam, & sic cùm sit dubia, dubium esset Sacramentum. Pro hujus Conclusionis confirmatione, & objectionum solutione.

Adverte 1. Quod in Propositione condemnata à Clemente, non ponatur *Valet* Confessio, sed *licet*, & ideò ut significavit Bellarminus P. Lessio 19. Aprilis 1608. non fuit condemnata, ut invalida, sed ut illicita, non tacta invaliditate, aut validitate eorum, quæ in ea continentur.

Adverte 2. Confitentem absenti extra casum allatum invalide confiteri, non quia de se invalida est talis confessio, sed quia illam instituens peccat mortaliter contra Decretum Clementis.

Adverte 3. Licèt validam dicamus Confessionem factam absenti, invalida est tamen, si fiat animo recipiendi Absolutionem ab absente, sivè interim confessus sit in articulo mortis, sivè non.

QUÆSTIO XI.

An dari possit Confessio informis & valida?

STatus quæstionis est, an dari possit confessio valida quoad substantiam, & consequenter non repetenda, quia etiam validum est quoad substantiam Sacramentum; & tamen sit informis, id est, careat suo effectu, qui est gratiæ infusio, & peccatorum remissio? Hoc autem peti posset ex multiplici capite, vel defectu examinis, vel defectu confessionis, vel defectu Absolutionis, vel tandem defectu doloris, aut propositi.

CONCLUSIO I.

NOn potest dari confessio valida & informis, defectu examinis, aut confessionis, aut Absolutionis.

Prob. 1. pars: Vel enim pœnitens bona fide credit se sufficienter examinatum, vel non. Si primum, confessio erit valida simul & formata, cùm nullus obex ponatur effectui Sacramenti, & peccata omissa, si quæ sint, indirectè absolvantur, sicut invincibiliter oblita: si secundum nec erit valida, nec formata, quandoquidem accedat ad sacramentum cum actuali peccato.

Prob. 2. Pars; quia vel omittitur aliquod peccatum ex justa causa, & integra est formaliter confessio, adeoque sufficiens ad effectum sacramenti, sicut ad ejus valorem: vel sine causa, & cùm tunc nequidem sit formaliter integra, non sufficit ab substantiam sacramenti, quod ad minimum confessionem formaliter integram requirit.

Prob. 3. Pars: Vel jurisdictionem habet absolvens cum intentione, vel non: si habet, nihil obest quominùs verè absolvat, adeoque peccata remittat: Si non, nihil efficit, adeoque nec sacramentum, nec effectum.

CONCLUSIO II.

NOn potest etiam dari Confessio informis & valida defectu doloris. Ità Gabriel, Medina, Conink, Bosco, Platel, Coen & alii. Estque communior & verior contra DD. nonnullos, quorum aliqui volunt ad substantiam Sacramenti sufficere contritionem oris, alii contritionem naturalem, alii inefficacem, alii non universalem.

Prob. 1. Non est distinguendum, ubi non distinguit Trident. tractans hanc materiam ex professo: sed nullibi distinguit Concilium inter dolorem tanquam dispositionem ad effectum, & eumdem tanquam partem Sacramenti: ergo. Prob. Min. Primò quia dolorem, quem cap. 3. dixerat esse partem Sacramenti, docet cap. 4. disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam. Secundò quia cap. 4. asserit dolorem dici partem Pœnitentiæ, quatenùs requiritur ad integritatem Sacramenti & peccatorum remissionem: ergo supponit, quòd dolor, qui non sufficeret ad effectum, nec sufficeret ad Sacramentum, cùm non esset pars ejus. Tertiò docet cap. 3. Sacramentum hoc, esse essent aliter reconciliationem cum Deo: ergo dolor, qui est pars hujus Sacramenti, debet ad reconciliationem disponere. Quartò si alius esset dolor Sacramenti, & alius dolor effectus, debuisset nobis id innuere, & non potiùs contrarium, ut fecit locis citatis, ne nos exponeret erroris periculo.

Prob. 2. Specialiter contrà P. Carolum ab Assumptione, volentem sufficere ad Sacramentum Contritionem oris, & requiri ad effectum Contritionem cordis: quia expressissimè docet Florentinum *quasi materiam* hujus Sacramenti esse *actus pœnitentis, qui in tres distinguntur partes*,

quarum 1. est cordis Contritio, &c. si ergo cordis Contritio sit quasi materia, ipsa sanè requiritur ad hoc Sacramentum.

Obji. 1. D. Thomas 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiun. 1. docet fictè confitentem, non teneri ampliùs repetere confessionem, sed satis esse exprimere peccatum fictionis: ergo supponit confessionem illam informem, fuisse validam.

Resp. Solùm velle, non esse repetendam confessionem sigillatim, sed satis esse accusationem generalem de omnibus anteà confessis, si adhuc illorum meminerit confessarius; aliàs sibi contradiceret; cùm, teste Vasquez, teneat nobiscum dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. & albi.

Obji. 2. Baptismus potest esse validus & informis: ergo & Pœnitentia.

Resp Neg. conseq Disparitas est, quòd in Pœnitentia dolor disponens ad effectum, sit etiam pars Sacramenti; in Baptismo autem (idem dic cum proportione in aliis Sacramentis) dispositio ad effectum non sit pars Baptismi, & ideò non est mirum, quòd sine illa possit haberi Baptismus.

Obji. 3. Potest quis reus furti & blasphemiæ accedere ad confessionem cum contritione cadente super furto, & non super blasphemia cujus est invincibiliter oblitus: atqui tunc confessio erit valida, & tamen nullum peccatum remittetur: non quidem blasphemia, quia non retracta: non etiam furtum, quia non remittitur unum mortale sine alio: ergo, &c.

Resp. Vel motivum, cur dolebit de furto, erit universale & repugnans omni peccato, vel particulare, & tantùm repugnans furto: si primum, remittetur utrumque peccatum, furtum directè & blasphemia indirectè, quæ censetur retractata in motivo repugnante omni peccato. & sic confessio non erit informis. Si secundum, dolor ille non sufficiet adhoc Sacramentum, cùm debeat excludere affectum ad quodlibet peccatum, utpotè includens propositum non peccandi de cætero.

Obj. 4. Ex hac sententia sequitur, sæpè repetendas esse confessiones, ob defectum doloris universalis.

Resp. Neg. Sequel. Quia non est difficilius habere dolorem universalem, quam propositum universale: ergo si non sæpè repetendæ sunt Confessiones defectu propositi, ut concedunt Adversarii, ità nec defectu doloris.

Obj 5. In judicio humano sufficit retractatio peccati commissi, ex motivo particulari: ergo & in judicio divino.

Resp. Neg Conseq. Disparitas est quòd cùm in judicio humano non attendatur ad retractationem internam, neque attenditur ad retractationis motivum: non sic in judicio divino, ubi, cùm requiratur universale propositum non peccandi, requiritur & universalis detestatio peccati, seu ex motivo universali; cùm tale sit propositum, qualis detestatio, seu displicentia, ex qua oritur.

Obji. 6. Sufficit Confessio de peccatis memoriæ occurrentibus post diligens examen: ergo & sufficit dolor de illis.

Respond. Indè sequi, etiam dolorem illum sufficere ad effectum Sacramenti, cùm ad illum sufficiat prælata Confessio. Ad Argumentum, dico esse disparitatem, quòd Deus impossibilia non jubeat; impossibile sit autem confiteri peccatum non occurrens memoriæ: non sit autem impossibile tale peccatum detestari implicitè, ratione scilicet motivi cuilibet peccato repugnantis, & ideò volenti justificari præcepit Deus etiam peccati obliti detestationem, non Confessionem. Cujus ratio ulterior est, quòd Deus statuerit non remittere unum mortale sine alio, & nullum nisi retractatum: & sic necessariò cadere debet retractatio suprà quodlibet: non sic Confessio, sine qua sæpe remittit peccata.

QUÆSTIO XIII.

Seu variæ quæstiunculæ de Confessione Sacramentali.

CONCLUSIO UNICA.

PEtes 1. An Confessarius teneatur interrogare pœnitentem, si verisimiliter credat peccatum aliquod vel ex oblivione, vel ex pudore omittere?

Resp Affirm. Sicut enim tenetur Judex, ut sententiam ferre possit, causam benè examinare, & Medicus morbum, quem infirmus non explicat, inquirere; ita & Confessarius de causa & morbo pœnitentis interrogare, cùm sit Judex & Medicus. Si tamen pœnitens interrogatus affirmaverit se nullum peccatum reticere, & aliundè repertatur dispositus, debet Confessarius ipsum absolvere, etsi nonnihil de eo dubiter ex conjecturis; quia præsumendum est, eum nolle sibi nocere, præsertim si omninò liberè, & extrà tempus paschale accesserit.

Petes 2. An sit monendus pœnitens, qui bona fide, sed invalidè confessus est, defectu potestatis in Confessario?

Resp. Affirm. Quia ille equidem non satisfecit præcepto divino, aut Ecclesiastico, per quod præcipitur Confessio valida. Si tamen prævideretur non reiteraturus Confessionem ob nimium pudorem, aut difficultatem, relinquendus esset in bona fide; quia, ut ait Augustinus Homil. 41. inter 50. *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem.*

Petes 3. An quando iteranda est Confessio, teneatur pœnitens omnia distinctè repetere?

Resp. Affirm. Si confiteatur apud alium Confessarium; quia Judex, ut possit sententiam ferre, debet totam causam cognoscere, adeoque invalida Confessio alteri facta habet se impertinenter ad hoc judicium. Si tamen Confessio fiat eidem Confessario, qui confusè saltem & moraliter recordatur status pœnitentiæ injunctæ, sufficiet pœnitenti illa in communi declarare. Dùm autem Confessionis præteritæ immemor est Confessarius, debet omnia eodem modo repetere, ac si non fuisset confessus.

Petes 4. An valida sit & licita confessio illius, qui sine necessitate se accusat de omnibus venialibus aut mortalibus antea in genere?

Respondent Affirm. Herinx, & plures alii; quia est vera sui accusatio: nec distincta peccatorum explicatio requiritur, nisi quando necessaria est materia. Nihilominùs quia contrarium censent aliqui, & contrarius est Ecclesiæ usus, inquit Bosco, dico talem confessionem, propter materiæ incertitudinem esse illicitam: undè quando pœnitentes in fine confessionum aliquid addunt de vita præterita, ob majorem securitatem, inducendi sunt à confessariis, ut aliquid determinatum assignent, non tantùm specificè, sed etiam numericè: dicendo v. g. Accusato me de tribus ultimis mendaciis, pollutionibus, &c. quia longè securius est, nec difficilius.

Petes 5. Quid agendum pœnitenti, qui post confessionem rescit confessarium aliquantulum dormiisse audiendo ejus confessionem?

Resp. Teneri confessionem integram reiterare, si nescire possit, quænam fuerint audita, quænam non; quia in dubio tutior pars eligenda: Si tamen posset cognoscere, quænam mortalia fuissent audita, sufficeret non audita præcisè repetere; quia alia omnia fuerunt directè absoluta.

Petes 6. Quid dicendum de illis, qui quærunt confessarios surdastros, aut confitentur sub sono Organorum

Respond. Si id faciant, ut non intelligantur, esse sacrilegos; quia æquiparandi sunt illis, qui voluntariè mortalia reticent in Confessione; cùm sit idem nolle audiri, ac reticere.

Petes 7. An memor Sacrilegii in adolescentia commissi, ob reticentiam alicujus peccati, teneatur omnes Confessiones subsequentes repetere.

Resp. Neg. Si factus immemor illius sacrilegii, bona fide processerit in Confessionibus subsequentibus: unde sufficiet sacrilegium illud, & confessionem, in qua fuit commissum, repetere: si autem adhuc bis aut ter postea, Confessionem instituendo, occurrerit, & illæ confessiones erunt repetendæ, non sequentes; quia hæ fuerunt integræ formaliter, non illæ.

Petes 8. An immemori Excommunicationis, aut credenti bona fide se posse priùs à peccatis, quam ab excommunicatione absolvi, sit repetenda Confessio.

Resp Neg Cum Amico, & aliis contra Vasquez; quia excommunicatio illa non tollit à Confessario jurisdictionem respectu excommunicati, sed tantùm huic prohibet, nè ad Sacramentum accedat ante Censuræ absolutionem, & consequenter si hic prohibitionem illam invincibiliter ignoret, aut illius non recordetur, & interim omnia ad Sacramentum requisita adhibeat, valida erit Confessio, adeoque non repetenda.

DISPUTATIO VI.

De Satisfactione Sacramenti.

ODiosum est Hæreticis nomen Satisfactionis: *Vehementer odi*, inquit Lutherus in Assert. art. 5. *& sublatum vellem hoc vocabulum, Satisfactio*. Fundamentum illorum est, quòd, peccato quoad culpam dimisso, nulla remaneat pœna temporalis, ut ajunt, pro eo luenda; unde subdit Lutherus de voce Satisfactionis: *Periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam pro ullo peccato satisfacere possit, cùm gratis ille ignoscat omnia*. Sed numquid Nathan. 2. Regum 12. postquam dixerat Davidi: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, numquid inquam, addidit: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur?* En pœna, & pœna gravis pro peccato jam remisso: ubi ly: *Quoniam* satis denotat non esse tantùm correctionem in præcautionem futurorum, ut fingit Calvinus, sed pœnam in ultionem præteritorum. Numquid ad preces Moysis dimissa Israelitis Vituli aurei Idololatria, dixit tamen Deus Exod. 32. *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum?* Numquid Nu. 14. privavit murmurantes, culpa jam remissa, ingressu Terræ promissionis?

Sed, inquis, ubi legitur datam esse Sacerdotibus potestatem imponendi satisfactionem illam?

Legitur 1. Corinth. 5. Ubi Paulus Corinthium incestuosum tradidit *cum virtute Domini .... Sathanæ in interitum carnis*, in pœnam peccati. Unde Tertull. lib. de Pudicit. cap. 13. *Hic jam carnis interitum in officium pœnitentiæ interpretantur*. Legitur apud Leonem, apud Gregorium, apud Augustinum quorum primus Epist. 91. ait: *mediator Dei, & hominum .... hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eosdem salubri Satisfactione purgatos, ad communionem*; &c. Sic habet Secundus lib. 3. in 1. Reg cap. 5. *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis judicio fuerit imperata*. Tertius verò Homil. ult. inter 50. *A Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum*. Ex his patet, quàm falsò dixerit Melancthon de satisfactione in Apolog Confess. Augustanæ: *Hæc tota res est commentitia, recens conficta sine authoritate Scripturæ, & veterum Scriptorum Ecclesiasticorum*. Deindè quis adeò peregrinus in Historia Ecclesiastica, ut nesciat varias olim fuisse pœnitentium classes; ubi & ipsimet Principes durissimis satisfactionibus afflictabantur, persuasi sanè hanc à Deo Ecclesiæ Ministris datam esse potestatem in vindictam peccatorum, aliàs onera illa non subituri.

QUÆSTIO I.

Quid Satisfactio Sacramentalis, An, qualem, & quantam teneatur Confessarius imponere.

CONCLUSIO I.

SAtisfactio est solutio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus bonis & pœnalibus à Confessario taxatis in Sacramento Pœnitentiæ.

Dicitur 1. *Solutio pœnæ temporalis*; quia pœna æterna semper remittitur cum culpa.

Dicitur 2. *Ob injuriam Deo illatam*, ubi notatur finis justitiæ vindicativæ, quæ in hoc Tribunali exercetur, ad ponendam saltem aliquam æqualitatem, licèt valdè improportionatam, inter pœnam & culpam.

Dicitur 3. *Consistens in operibus bonis*: Quomodo enim opera mala Deum placarent, cùm sint dilativa novæ injuriæ? Quomodò placarent indifferentia, cùm illa indifferenter respiciat Deus? Porrò omne opus bonum satisfactorium videtur reduci ad orationem, jejunium, & eleemosynam. Ad *Orationem* quippe reducuntur contritio, meditatio, sumptio Eucharistiæ, hujus Sacramenti frequentatio, humiliatio, &c. Ad *Jejunium*, quælibet corporis mortificatio. Ad *Eleemosynam*, omnia misericordiæ opera, sive corporalia, sive spiritualia.

Dicitur 4. *Et pœnalibus*; & ideò Scripturæ pœnitentiam præcipientes meminerunt fletus, jejunii, cineris, cilicii, &c. voluntque PP. eum, qui illicita committit, debere sibi etiam licita subtrahere. Aliæ Particulæ per se patent.

Dices: Si attenderetur hic operum pœnalitas, posset pro eodem peccato imponi Avaro datio unius assis, & Liberali datio nummi; quia huic minùs pœnale est dare nummum, quàm illi assem.

Resp. Non tantùm attendendum esse ad pœnalitatem operantis, sed etiam operis, seu ad illam, quam habet opus ex natura sua.

CONCLUSIO II.

OBligatur Confessarius, per se loquendo, injungere satisfactionem aliquam pœnitenti.

Ratio est; quia tenetur ut Christi Minister quærere Sacramenti integritatem; ut Judex, vindicare peccata; ut Medicus, curare pœnitentis vulnera, & præcavere futura. Hanc obligationem ex genere suo esse gravem, saltem pro gravibus peccatis, docent DD. communiter.

Dixi: *Per se loquendo*; quia pœnitenti illius adimplendæ incapaci, non est imponenda. Advertere tamen debet Confessarius, ubi valdè infirmo levem pœnitentiam imponit ob gravia peccata, debere aliam graviorem conditionatam imponere, casu quo convaluerit: id enim exigit peccatorum gravitas. An autem sit imponenda pœnitentia lucraturo Indulgentiam plenariam? Non dubitabit, qui reflectet lucrum illud esse valdè incertum. Concesserim tamen leviorem posse imponi, ubi moraliter constaret confessario, ob particularem pœnitentis dispositionem, obtinendas esse ab eo Indulgentias, sicut & quando advertit in eo contritionem extraordinariam, aut priùs pro peccatis ex parte satisfecisse.

CONCLUSIO III.

SAtisfactio à Confessario imponenda debet esse misericors.

Ratio est; quia, ut loquitur Triden. sess. 14. cap. 8. *Tribunal Pœnitentiæ non est forum iræ, vel pœnarum*, sed piæ cujusdam vindictæ medicinalis: undè primarius ejus effectus non est ligare, sed solvere & remittere: hinc patet; quàm sint pœnitentibus odiosi, & Sacramento injuriosi Directores illi, qui nonnisi rigorem & severitatem in verbis & pœnitentiis ostendunt, sæpè Eheu! sibi faciles, aliis difficiles; sibi mites, aliis crudeles; & quos ex infœlici peccatorum abysso eripere debuerant, in profundum desperationis barathrum præcipitant. Audiant Chrysostomum in illud Matth. 23. *Alligant onera*, operis imp. homil. 23. ubi ait: *Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonnè melius est propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem? ubi Pater largus est, Dispensator non debet esse tenax: Si Deus benignus est, cur Sacerdos austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus: audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem*. Audiant & Nazianzenum Orat. 26. *Hanc*, inquit, *rationem tene, ut partim illum corrigas, idque leniter & humanè, non ut hostis, neque ut durus, & rigorosus Medicus*. Hinc

Resol. 1. Peccare contra misericordiam, imò & prudentiam, qui Opificibus duro & continuo labore occupatis pro sui, suorumque sustentatione, imponunt varia jejunia, multas eleemosynas, aut orationes prolixas, etiam diebus feriatis. Ipsis igitur imponenda sunt proportionata, hoc addendo, ut laborem suum, & omnia quæ sustinent mala, Deo sæpius offerant in remissionem peccatorum, & aliquoties in die tempore laboris, dicant corde contrito, ubi meminerint: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, aut quid simile.

Resol. 2. Etiam compatiendum esse spiritualiter infirmis, id est, illis, qui, non ex ignavia aut mollitie, sed ex suæ fragilitatis notitia, timent, ne in pœnitentia adimplenda deficiant, illamque omittant cum salutis desperatione; quandoquidem in hoc Sacramento magis intendatur salus & emenda pœnitentis, quàm omnimoda satisfactio: unde *si Sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione ejus*, inquit D. Antoninus p. 3. tit. 17. cap. 20. *saltem gaudeat, quòd liberatum à gehenna, transmittat ad Purgatorium*.

Qui mihi in hoc non credunt, credant saltem DD. Antonino, Salesio, & Borromæo, quorum Primus loco cit. *Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere à se, sed potius imponat ei unum Pater, & aliud leve*. Secundus agens de Pœnitentiis imponendis: *Confessarius mellitis & consolatoriis verbis imponere debet Pœnitentias .... & petere semper debet ab eo, an pœnitentiam injunctam libenter faciat? Quin si videret eum angustiari, rectius faceret aliam ei leviorem imponendo*. Tertius denique in Instruct. Pœn.

p.4. pag.523. *Si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, annè dubitet pœnitentiam sibi injunctam peragere, alioquin eam mutabit aut minuet*.

Advertendum tamen, quando Confessarius leviorem pœnitentiam imponit propter pœnitentis fragilitatem aut imbecillitatem, debere illum monere, cùm pœnitentia sit Baptismus laboriosus, non esse sufficientem satisfactionem illam, ipsumque quod superest, soluturum in hoc, vel in altero mundo usque ad ultimum quadrantem, ne fortè ex levitate penitentiæ sumat occasionem liberiùs peccandi.

CONCLUSIO IV.

NUlla est Satisfactionis mensura lege divina aut Ecclesiastica pro peccatis taxata. Colligitur ex Cap. Mensuram 86. de Pœn. Dist. 1. undè totum relinquitur prudentis Confessarii judicio: non quidem pro libitu, quasi verò posset levissimam pro gravissimis peccatis satisfactionem imponere, ut faciunt quidem laxi, omnibus indifferenter 4. aut 5. *Pater & Ave*, aut ad summum Rosarium injungentes; aut è contrà gravissimam pro levissimis, ut solent quidam Rigoristæ; sed ut, attenta prudenter peccatorum qualitate, & pœnitentis facultate, proportionatas & medicinales pœnitentias injungat.

Ratio horum est; quia ut Judex debet ponere quandam æqualitatem inter culpam & pœnam: unde si graviorem justo pœnitentiam imponat, faciet injuriam pœnitenti; si leviorem, faciet injuriam Deo.

Dixi 1. *Attenta peccatorum qualitate*; quia, per se loquendo, gravior pœnitentia pro gravioribus peccatis est imponenda, adeoque graviter reus est Confessarius, si secus fecerit, debetque timere, aut ait Triden. sup. ne peccatis connivendo, & indulgentiùs cum pœnitentibus agendo, alienorum peccatorum particeps efficiatur: unde S. Leo Epist. 76. *Abjicienda prorsus pestifera hæc à pastorali vigore patientia, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit*. Nec mirum; quia divinæ Litteræ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant. Jam autem, *si in correctione minor est afflictio, quàm in culpa fuit delectatio, non est dignus pœnitentiæ fructus*, inquit Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 21.

Dixi 2. *Penitentis facultate*, quo nomine comprehenditur ejus conditio, ætas, sexus, valetudo, convictus, infirmitas, &c. ut ait Platel. Et certè quis non accusaret imprudentiæ confessarium, qui non aliam pœnitentiam imponeret militibus, quàm Religiosis; non aliam robustis, quàm infirmis; non aliam juvenibus, quàm senibus? & ideò

Dixi 3. *Penitentias proportionatas*, in quo errant Confessarii, qui obligatis cum familia manducare, injungunt abstinentiam à carnibus, potationem aquæ, aut quid simile: sicut & qui famulis & famulabus injungunt orationem aut lectionem duarum aut trium horarum, cum furto temporis ad obsequium dominorum impendendi.

Dixi 4. *Et medicinales*: *nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur*, ut ait Gregorius Hom. 12 ità & peccata curari debent per medicamenta opposita. Undè Avaris, & laborantibus diebus Dominicis aut Festis, imponi debet eleemosyna; superbia, humiliatio sæpiùs repetita, luxuriosis, corporis maceratio; ebriosis, tenuis cerevisiæ aut aquæ potatio, ac præsertim à cauponis frequentandis per certum tempus abstinentia.

Advertendum hic pro recidivis consultum esse ultrà pœnitentiam absolutam, imponere ipsis quandam conditionalem, id est, ut quoties tale peccatum commiserint, toties, elicito priùs Contritionis actu, talem pœnitentiam peragant, idque longo, aut brevi tempore, prout fuerit consuetudo radicata.

QUÆSTIO II.

An obligetur pœnitens pœnitentiam acceptare, sub qua culpa adimplere, & quando?

CONCLUSIO I.

OBligatur pœnitens pœnitentiam rationabilem acceptate, licèt tantùm imponatur in vindictam peccati jam remissi. Ita communiter Theologi contrà Medinam, Reginaldum, Armillam, & paucos alios, non tamen contra Scotum, licèt in contrarium citetur ab aliquibus; quia tantùm vult absolvendum esse ex charitate pœnitentem, qui ex nimia animi fragilitate respueret omnem pœnitentiam peccatis condignam, si aliundè esset dispositus: ubi non vult *omnem pœnitentiam* simpliciter, sed *omnem peccatis condignam*, ut satis explicat in Report. Colon. dist. 19. q. 1. n.14. indicans quòd alibi loqueretur de eo, qui nollet recipere pœnitentiam *ullam*, *de quacunque imposita*, *quæ esset condigna*.

Prob. 1. Conclusio ex Trident. sess. 14. cap. 8. ubi docet, esse in Confessariis claves ad ligandum, *non tantùm ad novæ vitæ custodiam*, *& infirmitatis medicamentum*, *sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem*: ergo non possunt pœnitentes pænitentiam impositam respuere; cum in Judice potestas pœnam imponendi, supponat in reo obligationem acceptandi. Undè hæc veritas temerariè jam negaretur, inquit Suarez; imò Victoria, & quidam alii volunt esse de fide, ob citatum Tridentini locum.

Prob. 2. Obligatur Confessarius, ut dictum est, pœnitentiam injungere, ut faciat Sacramentum integrum: ergò & pœnitens acceptare, ob eamdem rationem.

Prob. 3. Tenetur subditus parere judici rectè sententianti: sed impositio pœnitentiæ est pars sententiæ *hujus Tribunalis*: ergo debet ei pœnitens se submittere: & certè talis est nunc omnium timoratorum, sive Confessariorum, sive pœnitentium sensus & praxis.

Dixi: *Penitentiam rationabilem*; quia sicut non tenetur injustam, aut moraliter impossibilem adimplere; ita nec acceptare.

Dices 1. Non potest aliter Confessarius ligare quam absolvere: sed non potest absolvere recusantem: ergo nec ligare per pœnitentiam.

Resp. Dist. Ma. Non potest, &c. *Nulla facta suppositione*: C. Suppositio quòd pœnitens voluerit *absolvi*: N per hoc enim acquisivit Sacerdos jus in pœnitentem, tanquam Judex in Reum, & ideò potest ejus crimen punire.

Dices 2. Non magis tenetur pœnitens ad acceptandum, quàm Sacerdos ad imponendum: sed pœnitentia imponitur *secundum arbitrium Sacerdotis*, ut ait Florentin. in Decreto; ergo & secundum arbitrium pœnitentis acceptatur.

Resp. Dist. Min. Imponitur secundùm arbitrium, id est, Sacerdos potest pœnitentiam imponere, vel non imponere, prout ipsi libuerit: N. id est, potest tantam, *vel* tantam, prout Spiritus & prudentia suggerit: C. sed Nego Conseq.

Dices 3. Potentia Confessarii ad taxandam pœnitentiam est tantùm conditionalis, si pœnitens velit acceptare: ergo ex ea malè infertur obligatio in pœnitente ad accept*andum*. Prob. Ant. Quia liberum est peccatori velle hic, aut *in Purgatorio* puniri.

Resp. Neg. Ant. Ad probationem dist. Assumpt. Liberum est quoad peccata non necessariò clavibus subjicienda, ut sunt venialia: C. quoad alia: N. quia pro his subjicitur peccator huic Tribunali, adeoque ejus sententiæ.

Dices 4. Nemo tenetur acceptare Privilegium: sed Privilegium est potiùs hic, quàm in Purgatorio pro peccatis satisfacere: ergo.

Resp. Dist. Min. Privilegium est purum: N. mixtum præcepto satisfaciendi sententiæ Judicis: C.

CONCLUSIO II.

NUllo modo potest pœnitens respuere pœnitentiam medicinalem, id est, necessariam ad præcavenda in futurum peccata. Hæc Conclusio certa est tùm ex Tridentino sup. tùm ex communi sensum Doctorum, qui addunt etiam teneri Confessarium illam imponere.

Ratio est; quia nisi illam acceptet pœnitens, non censetur sufficienter dispositus, nec habere verum emendæ propositum; cùm pœnitentiam illa supponatur ad emendam necessaria.

CONCLUSIO III.

TEnetur pœnitens satisfactionem acceptatam adimplere, & quidem sub gravi peccato, si sit gravis, & pro gravibus peccatis; sub levi autem, si sit levis, & pro peccatis venialibus, aut mortalibus antea remissis.

Prob. 1. Pars; quia cùm Pœnitentia gravis sit quid notabile, tùm ex parte materiæ, tùm ex radice impositionis, quæ sunt gravia peccata, tum etiam ex parte imponentis, qui censetur velle obligationem materiæ proportionare, concludendum est graviter obligare.

Prob.

Prob. 2. Pars; quia cùm pœnitentia sit levis ex omni assignato capite, non est undè graviter obligaret. Graviter obligat, inquis, nè mutilum fiat Sacramentum defectu partis integrantis; Sed cùm illa integritas sit Sacramento omninò extrinseca, non censetur ejus absentia Sacramentum graviter inhonorare; adeoque nisi aliundè sit gravis, non censetur graviter obligare.

Sed quid de Pœnitentia levi ob gravia peccata, aut pœnitentia gravi ob peccata levia?

Ad primum, Censet Neesen cum pluribus aliis tantùm obligare leviter; quia licèt pro gravibus peccatis imposita, equidem est simpliciter levis, adeoque gravis obligationis incapax.

Si dicas esse gravem in radice, id est, in causa, cur imponitur: Dicam indè sequi gravem quidem esse obligationem Confessario, gravem pœnitentiam imponendi, non tamen pœnitenti gravem obligationem, ubi pœnitentiam levem imposuerit Confessarius, illam adimplendi. Fatendum tamen teneri suo tempore, pœnitentem, ut faciat dignos pœnitentiæ fructus, Confessarii defectum supplere.

Ad secundum, Volunt plurimi pęnitentiam illam graviter obligare, quia materia gravis; quibus non suffragor; quia cum possit Legislator in re gravi leviter obligare, ut diximus de Legibus; ita & Confessarius, saltem ubi Confessio continet materiam merè liberam; cùm autem id possit; id etiam velle, innuit causæ levitas. Accedit non esse credibile datam esse à Christo potestatem Sacerdotibus, ut pro peccato levi pęnitentiam graviter obligantem imponerent; cùm peccatum suum non subjiciens clavibus, nequidem graviter obligetur de illo pœnitere.

CONCLUSIO IV.

TEnetur pœnitens implere pęnitentiam tempore à Confessario determinato, si quod ex aliqua causa determinaverit; sin minùs, quamprimùm moraliter: videtur tamen quid leve, si ad duos ad tres dies differat.

QUÆSTIO III.

Qualiter commutari possit Satisfactio?

NOn quæritur hic, qualiter possit tolli Satisfactio; quia nullus, qualiscumque sit, potest illam omninò tollere; cùm sacramentum de jure divino debeat esse integrum; sed qualiter una possit in aliam commutari

CONCLUSIO I.

NOn est in potestate pęnitentis commutare satisfactionem à Confessario sibi impositam, nequidem in aliam difficiliorem. Est contrà Portel, Villalobos, &c.

Prob. 1. Pęnitens non habet jurisdictionem in seipsum, cùm nullus sit sibi superior: atqui satisfactio sacramentalis, utpote judicialis, debet fieri in ipso Tribunali, ab habente jurisdictionem: ergo

Prob. 2. Tanta est potestas Confessarii in ordine ad satisfactionem, quanta est Ecclesiæ ad præcipienda fidelibus certa bona opera extra sacramentum: atqui potest Ecclesia ita præcipere certa opera, ut non possit subditus illa mutare in meliora, ut patet in præceptis jejunandi, confitendi, communicandi, singulis annis: ergo similiter in nostro casu.

Dices: Potest quis votum suum commutare in melius: ergo & satisfactionem.

Resp. Disparitatem esse, quòd satisfactio, quam sibi imponeret pęnitens, non esset virtute clavium elevata, adeoque nec sacramentalis, nec satisfactoria ex opere operato: quod non accidit in voto. Prætereà idem est vovens, & votum commutans, non idem commutans satisfactionem, & illam imponens.

CONCLUSIO II.

NOn potest confessarius extra confessionem mutare pęnitentiam ab alio Confessario impositam; potest tamen in confessione sacramentali, si adsit justa causa.

Prob. 1. Pars, quæ est contra Valentiam, Navarrum, & paucos alios; quia commutatio est actus judicialis: atqui talis actus non potest fieri non audita causa, ergo. Prob. Maj. quia ad commutationem pœnitentiæ requiritur relaxatio prioris, & impositio novæ; imponere autem pœnitentiam sacramentalem, est actus clavium, seu judicialis.

Prob. 2. Pars; quia cùm instituerit Christus hoc sacramentum pro bono animarum; hoc autem exigat quandoque pœnitentiam ab uno Confessario impositam, ab alio mutari, præsumendum est Christum hanc potestatem confessariis concessisse. Prætereà potest superior mutare satisfactionem ab inferiore impositam, ut concedunt Adversarii: atqui, supposita sufficienti jurisdictione, inferior est æqualis potestatis cum Superiore in hoc Tribunali; quandoquidem omnes accipiant æqualem potestatem in sua Ordinatione: ergo

Hic autem controvertitur, an secundo confessario aperienda sit distinctè confessio, ob quam imposita est Pęnitentia hic & nunc commutanda? Docet Neesen videri satis tutum ob DD. authoritatem, aperire solam pœnitentiam; quia per illam sufficientes cognoscit confessarius statum pœnitentis in ordine ad commutationem; sed est tenendum contrarium, idque ob varias rationes. Primò quia ubi aperitur sola pœnitentia, nulla fit confessio. Secundò quia cùm possit eadem pœnitentia pro peccatis diversis imponi, non potest sola pœnitentia indicare statum pœnitentis. Tertiò quia cùm quidam confessarii pœnitentiam graviorem, alii leviorem imponant pro iisdem peccatis, nihil certi potest inde colligi.

Dixi in Conclus. *Si adsit justa causa.* v. g. necessitas, utilitas notabilis, difficultas gravis in adimplenda pœnitentia, periculum transgressionis, excessus evidens prioris pœnitentiæ, &c. quibus casibus potest, imò aliquando debet Confessarius satisfactionem pœnitentis, etiam non postulantis, commutare. Facta autem commutatione, potest adhuc pœnitens, si velit, stare priori pœnitentiæ; quia commutatio censetur fieri cum hac tacita conditione: Nisi malit facere priorem. Deinde totum pergit in ejus favorem, nemo autem tenetur uti favore.

Dices 1. Nunquam licet facere Sacramentum mutilum: sed si pęnitens impleat primam pęnitentiam, secundum sacramentum erit mutilum; si secundam, erit mutilum primum: ergo nullo casu licita est commutatio.

Resp. 1. Licèt in rigore duplex intercedat sacramentum; quia tamen posterius censetur correctio prioris, habentur quasi per modum unius, saltem in ratione sententiæ vindicativæ.

Resp. 2. Dissimulata Ma. Neg. Min. quia sacramentum non dicitur mutilum, nisi quando privatur integritate sibi debita: undè sicut, supposita revelatione de lucro Indulgentiæ Plenariæ jam obtinendæ, non dicitur confessarius non imponens satisfactionem, facere sacramentum mutilum, quia hic satisfactio non debetur; ita in nostro casu, cùm utralibet supponatur sufficere ad peccatorum confessorum castigationem.

Dixi: *Dissimulata Ma.* quia dum absolvitur satisfactionis incapax, fit sacramentum mutilum, nisi certè dicatur satisfactionem illo casu non deberi.

Dices 2. Par in parem non habet jurisdictionem: ergo non potest secundus Confessarius mutare satisfactionem primi.

Respon. Neg. Conseq. Quia secundus Confessarius non exercet jurisdictionem in primum, sed in pœnitentem, cui liberum est iterùm eadem peccata secundo Confessario subjicere.

Instabis: Relaxat priorem sententiam vindicativam: ergo exercet jurisdictionem in priorem confessarium.

Resp. Dist. Ant. Relaxat propriè: N. impropriè, in quantùm imponendo novam satisfactionem, cessat obligatio prioris: C. Undè non agitur apud secundum confessarium per modum Appellationis, sed per modum Revisionis, seu novi judicii.

CONCLUSIO III.

COnfessarius non habens potestatem in casus reservatos, non potest mutare pœnitentiam pro reservatis ab alio impositam. Ita DD. communiter contra Bonacinam & quosdam alios.

Ratio est; quia non potest confessarius mutare pęnitentiam, quam non potest imponere: atqui non potest imponere pro reservatis, cùm non possit ab illis absolvere: ergo nec talem pęnitentiam mutare.

Dices: Licèt non possit à peccatis reservatis nondum absolutis absolvere, adeoque nec pœnitentiam pro illis injungere; quia tamen absolvere potest ab illis jam à legitimo Judice absolutis; ita & pro illis satisfactionem imponere.

Resp. Licèt hoc sit verum, quando injuncta pro reservatis pœnitentia est impleta, aut speratur implenda; non tamen quando ipsiusmet pœnitentiæ petitur commutatio: ut enim Confessarius mutet pœnitentiam, debet eodem modo ferre judicium de peccatis, propter quæ injuncta est, ac si nunquam fuissent clavibus subjecta: sicut autem non potest absolvere à reservatis nondum confessis, ita nec pro eis pœnitentiam injungere, & consequenter nec pro eis injunctam mutare.

Scio contra hanc conclusionem posse aliqua objici;sed etiam scio, cùm Sententia nostra sit communis, adeoque ordinaria Ecclesiæ praxis, huic cedere speculationes illas apparenter fundatas.

CONCLUSIO IV.

Confessarius, qui imposuit pœnitentiam aliquam, potest eam mutare extra Confessionem, dummodò duret adhuc Sacramentum moraliter; aliàs debeat repeti Confessio.

Ratio est; quia quamdiu durat moraliter Sacramentum, commutatio censetur ad idem judicium pertinere, & intra illud fieri: veluti si quis damnatus hodie ad patibulum, sequenti die, facta commutatione, damnaretur ad triremes, condemnatio ad triremes censeretur fieri in eodem judicio, ac condemnatio ad suspendium.

Quandiu autem censeatur Sacramentum durare moraliter? Non conveniunt Authores. Aliqui dicunt durare per mediam horam, Alii per unum diem, Alii per tres, Alii per octo. Lugo autem dicit durare tamdiu, quamdiu Confessarius memor est Confessionis, seu status pœnitentis. Unde quando res est incerta, semper in praxi, ubi pœnitens à Tribunali recessit absolutus, repetenda est Confessio, saltem uno verbo, ubi illius adhuc meminit Confessarius, dandaque nova Absolutio, præsupposita etiam ex parte pœnitentis nova Contritione.

QUÆSTIO IV.

An pœnitens satisfacere possit in statu peccati?

CONCLUSIO I.

Satisfaciens in statu, seu reatu peccati, adimplet Confessarii præceptum. Ita DD. communiter.

Ratio est; quia Confessarius præcipit opus, & non modum. An autem peccet pœnitens illam sic exequendo? Negat Lugo, Negat Juenin, negat & Scotus cum suis; quia talis status non ponit obicem remissioni pęnæ temporalis, ut jam diximus. Certum est tamen privare pęnitentem multis bonis & meritis, & ideò licèt conclusio sit vera, ejus tamen praxis nemini est consulenda.

CONCLUSIO II.

Satisfacienti in statu peccati, probabile est remitti aliquid pęnæ temporalis. Ita Scotus dist. 15. q. 1. n. 15. cum Discipulis, & pluribus aliis, contrà nonnullos, quorum aliqui volunt iterandam esse pęnitentiam in illo statu peractam: Alii ad adventum gratiæ reviviscere.

Prob. 1. conclusio; quia ex nullo capite colligi potest necessariò ad hoc requiri statum gratiæ: non quidem quia satisfactio est pars Sacramenti; nam si Sacramenti valor & efficacia non dependeat à bonitate Ministri, ut suo loco diximus, nec à fortiori efficacia satisfactionis dependebit à bonitate illam exequentis: Non etiam quia ejus effectus, sacramentalis est, quia etiam talis est Character, & tamen imprimitur peccatori. Non denique quia idem effectus confertur ex Christi meritis, aut quia beneficium singulare; nam etiam illa competunt Characteri, ad cujus impressionem constat requiri statum gratiæ.

Prob. 2. Quia satisfactio peccatoris est verè punitiva culpæ, & solutiva pœnæ: debitor enim satisfacit creditori dando ipsi quantitatem debitam, sive interim sit amicus, sive inimicus creditori; quia non tam attenditur, ad rationem satisfactionis, dignitas operantis, quam operis operati, juxta institutionem Christi, qui ipse satisfactionem suam applicavit.

Prob. 3. Quia pęnitentes olim satisfaciebant saltem ex parte, antequam absolverentur: ergo signum est quod satisfactio peccatoris habeat suum effectum, adeoque sit remissiva pęnæ temporalis, cùm hæc remissio sit præcipuus, & fortè unicus satisfactionis effectus.

Obj. 1. Non majoris est virtutis satisfactio, quàm Sacrificium, aut Indulgentia: sed hæc non remittunt pœnam temporalem peccatori: ergo nec illa.

Resp. Neg. Ma. Quantum ad effectum præsentem: Ratio est, quòd satisfaciens, ratione Sacramenti suscepti, jus habeat ad remissionem pœnæ temporalis, modò satisfactionem exhibeat; cùm jam Confessarius pœnam Purgatorii commutans in pœnam hujus vitæ, pœnam Purgatorii quasi remiserit, sub conditione tamen satisfactionis futuræ; & sic non fit ei novus favor. Illi autem, cui applicatur Sacrificium aut Indulgentia, cùm nullum jus haberet ad pœnæ remissionem, ante illorum applicationem, fieret novus favor, quo non videtur cumulandus Dei inimicus.

Obj. 2. Opera peccatoris potiùs Deo displicent: ergo non possunt illi satisfacere.

Resp. Dist. Ant. Opera peccatoris secundùm se considerata. Transeat: Dico Transeat; quia falsum est jejunium aut eleemosynam peccatoris Deo displicere. Ut elevata virtute clavium, & ut satisfactione quasi informata: N.

Obj. 3. Inter conditiones ad debitam satisfactionem requisitas à Catechismo Romano, 2. p. c. 5. q. 58. est illa: *quod satisfaciens sit justus*. Idem requirere videntur PP. imò & Trid. sess. 14. c. 8.

Resp. Agere de satisfactione non tantùm remissiva pœnæ, sed etiam meritoria gratiæ, & gloriæ, ad quam certum est requiri statum gratiæ. Undè triplicem distinguit Scotus satisfactionem n. 16. Prima est in charitate. Secunda extra charitatem voluntariè. Tertia extra charitatem invitè. Prima solvit pœnam & meretur gratiam. Secunda solvit quidem pœnam, sed non meretur gratiam. Per tertiam *solvitur* pęna, licèt satisfaciens non propriè solvat, quia non *liberè*. Prima est satisfactio simpliciter, quia reconcilians & placans. Secunda est quidem satisfactio, quia voluntaria redditio, &c. Sed nec reconcilians nec placans. Tertia est satisfactio, quia ultrà illam non requiritur alia pęna. Ita ferè Doctor Noster.

Obj. 4. Si satisfactio peccatoris esset remissiva pœnæ, vel esset de condigno, vel de congruo: Non primum; quia ad condignitatem requiritur status gratiæ. Non etiam secundum; quia non est credibile Deum ità liberaliter agere cum eo, à quo gravem injuriam accepit.

Respond. Neutro modo, propriè loquendo, esse remissivam pœnæ; quia termini illi competunt merito, non satisfactioni. Dici tamen potest largiori modo remissiva de condigno, non ratione dignitatis personæ, sed ratione dignitatis operis in virtute clavium ad Patrem sacramentalem elevati: sicque patet, quòd licèt indignus sit peccator illa gratia *ratione suæ personæ*, fiat tamen illa dignus *ratione elevationis sui* operis.

Obj. 5. Nullibi promisit Deus pęnæ remissionem peccatori satisfacienti: ergo

Resp. Dist. Ant. Nullibi promisit explicitè: Transeat, implicitè: N. dando enim Sacerdotibus facultatem commutandi pœnam Purgatorii in pęnam hujus vitæ, huic annexuit remissionem illam, non quia tale sit opus secundùm se, aut quia exercetur in statu gratiæ, sed quia quasi informatur Christi satisfactione.

Obj. 6. Satisfactio impleta à peccatore est opus mortuum: ergo non meretur nomen satisfactionis.

Resp. Dist. Conseq. Non meretur nomen satisfactionis reconciliantis & placantis, ut loquitur Scotus: C. satisfactionis pro pena: N.

Instabis: Satisfactio ordinat ad Deum: ergo debet esse reconcilians.

Resp. Dist. Ant. Ordinat ad Deum, ut remissivum culpę: N. ut remissivum solius pęnæ: C. sed ad hoc non requiritur reconciliatio; cum remissionem operetur, non propter statum pęnitentis, sed propter satisfactionem Christi.

QUÆSTIO V.

Quem effectum habeat satisfactio Sacramentalis?

CONCLUSIO I.

Satisfactio Sacramentalis non causat gratiam justificantem ex opere operato. Est satis communis cui non contradicit D. Thomas 3. par. q. 90. art. 2. ad 2. ubi docet gratiam augere; quia intelligi potest de augmento gratiæ, non collato satisfactioni ut satisfactioni præcisè, sed satisfactioni quatenus operi meritorio ratione gratiæ sanctificantis ipsi annexæ.

Prob.

Prob. Conclusio; quia Sacramenta causant quod significant: sed satisfactio non significat infusionem gratiæ, sed remissionem pęnæ: ergo. Accedit quod collatio gratiæ sit effectus totius Sacramenti, & non parti ejusdem: atqui Sacramentum pęnitentiæ est ante satisfactionem totum & completum secundùm essentiam: ergo ante illam confert omnem gratiam huic Sacramento annexam.

Dices 1. Satisfactio precedens Absolutionem auget gratiam Sacramenti: ergo & subsequens.

Resp. Dist. Ant. Auget, quia satisfactio est præcisè: N. quia meliorat dispositionem recipientis: Transeat, sed neganda est Conseq.

Dices 2. Absolutio, remittendo pœnam æternam, confert gratiam: ergo & satisfactio remittendo pęnam temporalem.

Resp Neg. Conseq. Disparitas est, quòd cùm remissio pœnæ æternæ non fiat sine remissione culpæ, nec fieri potest sine Infusione gratiæ. Aliud est de remissione pęnæ temporalis, quæ cum supponat culpam jam remissam non infert gratiam conferendam.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est, satisfactionem non causare gratias actuales.

Ratio est, tum quia hujus effectus nullum reperitur in Scriptura, Conciliis, aut Patribus fundamentum; tum quia gratiæ actuales sunt effectus illius, quod causat gratiam habitualem, ut patet in aliis Sacramentis: hæc autem non causatur per satisfactionem, ut diximus, adeoque nec illæ.

Dices: Satisfactio instituta est, non tantum ut punirentur peccata commissa, sed etiam ut caverentur futura: ergo debet ad hunc finem gratias actuales conferre.

Resp. Cavere futura, non gratias actuales causando, quod competit Sacramento ante illam essentialiter completo, sed peccatorem coercendo. *A peccato revocant*, inquit Trid. sess. 14. cap. 8. & *quasi fræno quodam coercens hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque ac vigilantiores in futurum penitentes efficiunt*.

CONCLUSIO III.

SAtisfactio Sacramentalis remittit ex opere operato pęnam temporalem, eamque majorem, vel minorem prout opus satisfactorium fuerit majus aut minùs, majorque aut minor satisfacientis dispositio.

Prob. 1. Pars: Totum hoc Sacramentum institutum est ad remissionem peccati: atqui satisfactio non ordinatur ad remissionem culpæ, cum illam tollat absolutio: nec ad remissionem pęnæ æternæ, quæ tollitur sublata culpa: ergo ad remissionem pęnæ temporalis. Undè Trid sess. 14. cap. 3. docet requiri ex institutione Dei, satisfactionem ad plenam peccatorum remissionem.

Prob. 2. Pars: Si parva satisfactio remittat ex opere operato aliquid pęnæ temporalis, quia virtute clavium elevata: quidni plus remitteret satisfactio major, cùm sit etiam secundùm se totam elevata?

Prob. 3. Pars; quia loquendum est de effectu satisfactionis proportionatè ad effectum Sacramentorum; sed hæc conferunt effectum majorem, aut minorem, prout major vel minor fuerit dispositio recipientis: ergo & satisfactio. Ex dictis

Resolve satisfactionem ita virtute clavium elevari, ut plus valeat secundum Doctores communiter, modica pœnitentia à Confessario imposita, quàm magna sponté assumpta.

QUÆSTIO VI.

Quæ fuerunt olim Penitentię per Canones penitentiales impositę?

QUoniam longum foret hic omnes Canones pęnitentiales referre, tantùm aliquos peccata magis communia tangentes exponemus, desumptos ex D. Borromæo in Instruct. Confessar. non quod velimus ut Confessarii ad rigorem Canonum agant cum pęnitentibus cum jam refrigescente charitate, refriguerit & pęnitentiæ fervor; sed ut illos inculcent quandoque pœnitentibus, ut sic peccatorum suorum gravitatem magis apprehendant, illa magis detestentur, magisque ad proportionatam pœnitentiam disponantur.

Qui Fidem Catholicam deseruerit, pęnitentiam aget annis decem.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, quadragesimam in pane & aqua jejunet, & quamdiu vivet, omnes sextas Ferias.

Qui compellit alium ut falsum juret, 40. dies in pane & aqua, & 7. annis in pęnitentia erit.

Si quis blasphemaverit, 7. diebus Dominicis stabit præ foribus Ecclesiæ tempore Missæ solemnis, & ultimo sine pallio, sine calceamentis, & corrigia ad collum alligata, præmisso antea, 7. Feriis sextis, jejunio in pane & aqua. Si recuset, ingressu Ecclesiæ carebit vivus, & Ecclesiastica sepultura mortuus.

Qui die Dominico aut festo serviliter laboraverit, pęnitentiam aget 3. diebus in pane & aqua.

Confabulans in Ecclesia tempore Divinorum, pęnitens erit 10. diebus in pane & aqua.

Si quis jejunium Quatuor temporum non custodierit, pęnitens erit dies 40. in pane & aqua.

Qui parentes injuria affecerit, pęnitens erit 3. annis in pane & aqua: qui percusserit, 7. annis.

Si quis sponté hominem occiderit, ad januam Ecclesiæ semper erit, & in obitu solùm communionem recipiet.

Si quis fratri suo reconciliari non vult, tamdiu in pane & aqua pęnitebit, quamdiu fuerit reconciliatus.

Si quis semel fornicatus fuerit, pęnitens erit 2. annis, si adulteratus 5. si incestuosus 12. si sodomita 10. si bestialis 10. & amplius.

Si quæ mulier Cerussa, aliové pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pęnitens erit 3. annis.

Si quis furtum fecerit de re minori, semel aut bis, pęnitens erit uno anno.

Si usuram aut rapinam, tribus annis, uno in pane & aqua.

Si quis falsum testimonium præstiterit, toto vitæ tempore Communionem non suscipiet.

Falsarius autem, pœnitebit in pane & aqua, quamdiu vivet.

Pro capitali crimine, pęnitentiam aget Laicus annis 4. Clericus 5. Subdiaconus 6. Diaconus 7. Presbyter 10. Episcopus 12. Ex quibus patet quantum sit discrimen inter satisfactiones modernas, & antiquas.

QUÆSTIO VII.

Seu variæ Quæstiunculæ de Satisfactione Sacramentali.

PEtes 1. An possit imponi pęnitentia publica?

Resp. Neg. Ex vi hujus Tribunalis, licèt peccata forent publica; quia hoc Tribunal ex institutione divina debet esse secretum; si tamen ad tollendum scandalum, vel ad satisfactionem injuriæ, aut Ecclesiæ necessarium foret publicè satisfacere, potest & debet Confessarius ad hoc pœnitentem cogere, non quidem injungendo ex vi hujus Tribunalis, sed declarando obligatum ex vi peccati: sic publicus usurarius debet publicam restitutionem facere, & usuræ palam valedicere: Concubinarius publicè concubinam expellere, &c. Undè Trident. sess. 24. de Reform. cap. 8. peccatori publico *condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicé injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire*.

Petes 2. An possit imponi pro satisfactione opus internum? Negant Alensis & Almainus; quia tale opus non est sensibile, & consequenter non potest esse Pars Sacramenti. Nihilominùs

Resp. Affirm. Si Confessarius judicet hoc expedire ad salutem pœnitentis, aut pœnitens non possit opus externum facere; & ideò potest aliquando imponi actus Contritionis homini tepido, propositum non peccandi Recidivo, meditatio pœnarum inferni impio, invocatio interna Nominis Jesu infirmo voce destituto; quia opus illud internum redditur sensibile (si in satisfactione sensibilitas requiratur) per illius impositionem & acceptationem. Si tamen fieri potest, semper imponi debet aliquod opus externum, etsi levissimum, proter rationem priorem.

Petes 3. An possit imponi opus aliundè præceptum?

Resp. affirm. Cum Theologis communiter; quia tale opus, ultra quod potest esse meritorium gratiæ, potest

etiam esse satisfactorium pœnæ; & consequenter virtute clavium elevari ad satisfactionem sacramentalem: & tunc in illud cadet duplex obligatio, una præcepti, altera Sacramenti. Regulariter tamen non est imponendum opus aliundè obligatorium; quia liberum, est magis punitivum, fortiusque coercet hominem à relapsu: & ideò nisi Confessarius contrarium insinuet, semper intelligenda est pœnitentia de actu aliundè libero, undè si die Dominico aut Festo obligavit te ad auditionem Missæ, teneris audire duas. Aliud esset, si deberes audire singulis diebus per duos aut tres menses: tunc enim satisfaceres per unicam diebus Dominicis & Festis; quia tunc censetur obligatio afficere tantùm dies feriatos, nisi aliud exprimat Confessarius.

Petes 4. An imponi debeat opus determinatum?

Resp. Regulariter affirm. Quia imponendo v. g. omnia jejunia, orationes, aut eleemosynas unius anni, aut mensis, vel intelligit opera aliundè obligatoria, & sic non expedit ob rationes anteà dictas: vel omninò libera; & poterit fieri quod illo mense nulla aut pauca admodum sit positurus pœnitens ob impedimentum, aut pigritiam. Laudo tamen piam Confessariorum praxim, qui, impositis certis operibus particularibus, elevant ad satisfactionem sacramentalem omnia opera bona certo tempore peragenda.

Petes 5. An imponi possit opus pro refrigerio animarum purgantium?

Resp. affirm. Hancque praxim (quam improbat Joan. Sancius cum paucis aliis) sequuntur passim Confessarii, approbat Ecclesia, commendat Catechismus Rom. p. 2. cap. 5. qu. 63. & certè si possit Confessarius imponere pro satisfactione eleemosynam corporalem dandam pauperi hujus sæculi, quidni & eleemosynam spiritualem pauperi animæ Purgatorii?

Dices: Satisfactio imponi debet pro delendis peccatis propriis, non alienis: ergo.

Resp. Dist. Ant. Satisfactio ut est remissiva ex opere operato ratione divinæ institutionis, imponi debet pro peccatis propriis: C. quia non est pro peccatis aliorum remittendis elevata. Ut est remissiva ex opere operantis seu in quantum ponitur opus pœnale: N. quia cum nullibi legatur teneri pœnitentem illam sibi sub tali respectu applicare, potest alteri, adeoque & Confessarius imponere, ut alteri applicet.

Petes 6. An possit pœnitens per alium satisfacere?

Resp. Neg. Nisi ex causa ita permittat Confessarius, aut nisi æquè utiliter per alium impleatur.

Ratio est; quia talis obligatio est personalis; cùm satisfacere ex Tridentino, sic actus pœnitentis; & ideò si ab alio fiat satisfactio, non est sacramentalis. Deinde vel consideratur satisfactio ut medicinalis, vel ut vindicativa: si ut medicinalis, an minuitur concupiscentia Petri per jejunium Pauli? Si ut vindicativa: ergo debet esse pœnalis & punitiva, qualis non est ab alio exercita. Undè meritò hanc Propositionem condemnavit Alexand. VII. 24. Septemb. 1665. *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*. Valet quidem Confessio per alium facta, quia etiam talis, est vera sui accusatio; sed cùm per alium impleta satisfactio nec medeatur, nec castiget delinquentem, non est vera satisfactio, saltem sacramentalis: quod addo, quia non inficior posse esse satisfactionem extra sacramentalem, de congruo, de qua hic non agitur.

Dixi 1. *Nisi ex causa ita permittat Confessarius*, quo casu valeret pro illo, pro quo fieret, ex opere operato, quia sacramentalis esset ob ejus elevationem à Confessario in favorem pœnitentis, ex cujus motivo & petitione fieret.

Dixi 2. Aut æquè utiliter, &c. quia perindè est si pœnitens per se, aut per alium det eleemosynam v. gr. Quoad alios actus, sunt quidem imperantis in ratione voliti, non tamen in ratione satisfactorii, si non sint à Confessario elevati.

Petes 7. An satisfactio sit imponenda ante vel post Absolutionem?

Resp. Esse perindè; quia satisfactio imposita paulò post Absolutionem censetur moraliter fieri in ipso Sacramento, sicut imposita ante Absolutionem: in jure enim, quæ incontinenti fiunt, simul esse videntur. Melius est tamen imponere ante.

Petes 8. An Confessarius possit cogere pœnitentem ad implendam satisfactionem antequam illum absolvat?

Resp. Neg. Per se loquendo; quia cum nulla lege, nulla authoritate, nullave ratione ostendi possit necessariò præmittendam esse Absolutioni satisfactionem; non est undè Confessarius possit ad hoc pœnitentem obligare: undè proscripta fuit à Sixto IV. hæc Petri Oxomensis Propositio: *Non peracta pœnitentia confitentes absolvendi non sunt*. Et hanc nuper ab Alex. VIII. *Ordinem præmittendi satisfactionem Absolutioni induxit non Politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante*.

Dixi: *Per se loquendo*; quia si aliquoties pœnitentiam neglexisset pœnitens, aut aliundè timeretur non impleturus, aut crederetur necessarium ad deprehendenda veri doloris, verique propositi signa, posset illum ad præviam satisfactionem, saltem partialem obligare: quod præsertim locum habere potest in recidivis.

Petes 9. Ob quas rationes Ecclesia mutavit, aut mutari permisit antiquum satisfactionis ordinem? Pœnitentia enim per Canones pœnitentiales præscripta priùs ordinariè terminabatur, quàm absolverentur pœnitentes.

Resp. Ob sequentes: 1. Quia vidit non minùs, imò magis prodesse satisfactionem post Absolutionem, quam ante; cùm post, ratione status gratiæ, sit & satisfactoria & meritoria: ante autem, sæpè ratione peccati, sit tantùm satisfactoria. Secundò fortè propter Sententiam Scoti docentis satisfactionem præcedentem Absolutionem, non esse remissivam pœnæ ex opere operato; cùm non habeat efficaciam ex opere operato; nisi sit pars integrans Sacramentum: quomodo autem integrabit Sacramentum, quod non existit, sed tantùm futurum est intrà mensem, v. g. An manus potest integrare corpus futurum? Deinde quomodo remittet pœnam temporalem, cùm in hanc necdùm sit commutata pœna æterna, quod fit per absolutionem? Tertiò quia prævidebat Ecclesia quod volendo filios ad rigorem Canonum obligare ante absolutionem, eos, ob morum corruptelam, faceret Apostatas, & perderet quos intendebat lucrari.

Petes 10. An invalidè absolutus teneatur pœnitentiam adimplere?

Resp. Neg. Quia equidem tenebitur postea Confessionem repetere, novamque ideò pœnitentiam peragere.

Petes 11. An oblitus Pœnitentiæ, teneatur Confessionem repetere, ut novam pœnitentiam recipiat.

Resp. Neg. Quia peccata illa sunt directè remissa undè ad summum est obligatio petendi à Confessario an non sit pœnitentiæ memor, vel certè status pœnitentis, ut satisfactionem proportionatam injungat; aliàs debet pœnitens satisfacere, prout sibi prudenter visum fuerit, omnibus attentis.

Petes 12. An aliquando excusetur pœnitens ab implenda satisfactione?

Respon. Affirm. Ad Primo quando est impossibilis, ut eleemosyna pauperi, disciplina infirmo, &c. Secundo cùm est injusta, ut si pro verbo otioso imponatur jejunium in pane & aqua. Tertio dum non potest impleri sine infamia. Quando autem est valdè difficilis, sed tamen possibilis sine dedecore consulendus est Confessarius, & ipsi acquiescendum.

Petes 13. An requiratur intentio, saltem habitualis, ad implendam pœnitentiam Sacramentalem?

Resp. Probabiliùs affirm. cum Scoto dist. 15. q. 1. num. 12. quia hoc videtur insinuare praxis Confessariorum, qui dicere solent: Recitabis, vel facies tale quid *pro Pœnitentia Sacramentali*, insinuantes per hoc plus velle, quàm velit Ecclesia dicendo simpliciter: *jejunabis*, vel *audiens* Missam, &c. Deindè cùm debeat esse satisfactio Pars integrans Sacramentum, debet aliquo modo ad illud referri; cùm aliàs de se sit ad hoc indifferens: id autem non potest fieri sine aliqua intentione.

Dixi: *Saltem habitualis*; quia cùm non sit confectio Sacramenti, utpotè essentialiter completi, sed tantùm vindicta pro peccato ut confesso, sufficeret si quis die præcedenti intenderet satisfacere die sequenti, licèt ad id non adverteret.

Petes denique: Quid dicendum de pœnitentibus, qui ex professo quærunt & inquirunt de Confessariis indulgentioribus?

Resp. Mihi videri valdè suspectam, ne dicam falsam, eorum pœnitentiam; quandoquidem nolint pœnitentias suis peccatis proportionatas. Et certè si proportionatas tenetur Confessarius imponere, ut diximus, cur posset pœnitens proportionatas ex professo declinare? Mirum est sanè, ut sapienter advertit Illustriss. Guido Episcopus Attrebatensis Reg. 120 Justis non aliam esse salutis viam, nisi viam crucis, & peccatores maximè gravatos, velle ad salutem pervenire per viam mollem, suavem, facilem, & placentem. Lubet hic audire Nostrum S. Bernardinum Tom. 3. serm. 35. *Occurrit in Confessione, sicut in mercatoribus vendentibus pannos ejusdem bonitatis,*

tis, conditionis, & collationis, & unus vendit pannum suam pro minori pretio quàm alter: Certè ille mercator habebit majorem concursum, qui vendit minori pretio, quam qui vendit majori. Ita hodie accidit in Confessione: quia Confessores qui dant minores pœnitentias, habent majorem concursum, quàm dantes magnas, & sic fit mercatura de pœnitentiis ... & illi qui vadunt ad tales, qui dant minores pœnitentias, causa evitandi bonos Confessores, causa non habendi congruas pœnitentias & magnas, non plus habent Contritionis, quàm diabolus.

DISPUTATIO VII.

De praxi remittendi & retinendi peccata.

DUplicem in ordine ad hoc Tribunal potestatem dedit Christus Apostolis eorumque in Sacerdotio Successoribus, unam peccata remittendi, alteram retinendi: unde Joan. 20. dicitur ipsis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Dupliciter autem dicitur Sacerdos peccata retinere, seu ligare. Primo quando propter commissa satisfactionem injungit sacramentalem, ut patet ex Trid. sess. 14. cap 8. Secundo quando pœnitenti Absolutionem negat, aut differt: & de hac peccatorum retentione hic agitur.

QUÆSTIO I.

Quandonam sit impertienda aut deneganda Absolutio iis, qui sunt in occasione peccati?

ADverte 1. Occasionem peccati esse omne illud, quod allicit & inducit ad peccandum mortaliter; non tamen determinat aut cogit, cùm omne peccatum debeat esse voluntarium.

Dico *Mortaliter*; quia de occasione peccati venialis hic non agimus. Porro occasio peccati est duplex, *remota* una, in qua quis rarò peccat, & *proxima* altera, in qua quis peccat frequenter; vel probabile est aut probabilius, attentis omnibus circumstantiis, peccaturum: & ideò potest quis esse in occasione proxima respectu peccati nunquam aliàs commissi, si nempè circumstantiæ reddant occasionem lubricam, ad quod maximè attendendum est.

Ex hac definitione eruitur rejiciendam esse hanc occasionis proximæ definitionem, nempè in qua quis ferè semper, aut sæpiùs peccat, quàm non peccat; aliàs cognoscens ancillam suam decies in mense, non esset in occasione proxima; cùm non sæpiùs peccet, quàm non peccet; non ferè semper. Quoties autem debeat quis peccare ut censeatur in occasione proxima, non potest universaliter definiri; & ideò relinquitur prudenti Confessariorum judicio, attenta peccatorum, ac circumstantiarum diversitate, & facilitate. Faciliùs enim committuntur, ordinariè loquendo, peccata cordis, quam oris & utraque faciliùs, quam peccata operis externi, saltem consummati.

Adverte 2. Occasionem proximam, aliam esse *continuam*, aliam interruptam. Continuam voco in qua quis versatur sine interruptione, vel physica, ut detentio pecuniæ alienæ, beneficii simoniacè accepti: vel morali, ut retentio concubinæ. Interruptam verò, in qua quis solùm per intervalla versatur, ut frequentatio chorearum, tabernarum, puellarum, &c. unde frequenter peccatur. Dixi: *detensio pecuniæ*; & quia licèt sit peccatum actuale, est etiam occasio peccati, in quantùm est causa cur renovetur deinceps voluntas detinendi, quæ pecunia restituta, non renovaretur.

Adverte 3. Occasionem proximam etiam subdividi in *proximam per se & proximam per accidens*. Prima est, illa, qua posita, hujus vel istius in genere conditionis homines ex innata ipsius & communi infirmitate frequenter in mortalia labuntur, ut habitatio cum concubina. Secunda verò, qua posita, non alii passim, sed hic homo in particulari ex indispositione & fragilitate sibi propria & singulari, frequenter ruit in peccata, ut excipere Confessiones mulierum respectu Confessarii sæpè propterea mortaliter peccantis. Ex quibus patet id, quod est occasio proxima per accidens respectu unius, non esse semper, talem respectu alterius; cum possit quandoque pertrahere unum in peccatum frequenter, alium autem nunquam, vel rarò. Sic non est occasio proxima uni adolescenti habitatio cum vetula, potest tamen esse alteri. Imò idem potest eidem esse occasio proxima & remota pro diversis temporibus, ut consideranti patebit.

Adverte 4. Occasionem proximam aliquando esse involuntariam physicè, id est, talem, ut nulla ratione vitari possit, ut Concubinarius simul cum Pellice incarceretur: aliquando involuntariam moraliter; idque duobus modis, vel quia non potest deseri sine peccato, ut Religio respectu Religiosi, militia respectu militis non Voluntarii, Familia respectu patris, aut matris; vel quia non potest deseri sine gravi damno in bonis famæ, aut fortunæ ut Officium Advocati, Consiliarii, ars Chirurgiæ, &c. His notatis

CONCLUSIO I.

NOn est deneganda Absolutio iis, qui sunt in occasione tantùm remota peccandi.

Ratio est; quia cum possint licitè in ea occasione permanere, possunt etiam in ea permanendo esse sufficienter dispositi: & certè si hoc esset, fermè omnibus, qui mortaliter peccassent, esset neganda Absolutio; cùm sint pauci qui non versentur in occasione peccandi; quandoquidem non tantùm lusus, militia, mercatura, ambulatio, &c. possint esse tales occasiones, sed etiam sanitas, morbus, divitiæ, paupertas, cælibatus, matrimonium, &c. *Quid enim est*, inquit August. Epist. 54. *in usu hominum bono & licito, unde non possint pernicies irrogari?*

CONCLUSIO II.

NUnquam deneganda est Absolutio existenti in occasione proxima, quam, physice loquendo non potest relinquere, aut non nisi cum peccato, si credatur habere verum dolorem de peccatis præteritis, & propositum efficax de vitandis futuris: sitque paratus adhibere remedia sibi contra recidivam à Confessario præscribenda? modò saltem sequatur aliquis fructus.

Ratio est: quia cum tali peccatore eodem modo agendum est quo ad Absolutionem, ac si non esset in occasione proxima; quando quidem non peccet, eo quod illam non deserat, aliàs, ad vitandum peccati periculum, teneretur vel ad peccata, vel ad impossibile.

Dixi *Modo sequatur reliquis fructus*; quia si semel aut bis confessus non se emendaverit, differri debet Absolutio, donec appareat emenda, aut totalis, aut saltem notabilis: nisi certè adessent signa doloris extraordinaria, ut necessitas ad aliud urgeret.

CONCLUSIO III.

REgulariter loquendo deneganda est Absolutio, etiam prima vice, existenti in occasione proxima continua, quam potuit sine peccato, aut gravi incommodo relinquere; etsi promittat deinceps relicturum. Ità expressè D. Borromæus part. 3. Instruct. Pastoral cap. 16. ubi ait; *Si occasio talis sit, quæ ex reipsa existat veluti quando concubinam alit, vel quid hujusmodi, confessarius eum se & penitentem, absolvere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.*

Ratio est; quia propositum quod habet talis pœnitens dimittendi illam occasionem statim à Confessione, debet esse suspectum Confessario; quandoquidem jam ab anno, plus minusvè, debuerit & potuerit commodè illam occasionem abjicere, & tamen non fecerit, non obstantibus continuis conscientiæ remorsibus, inspirationibus internis, externis Prædicatorum & aliorum exhortationibus ad id impellentibus. Hinc caveas Absolutionem impendere Magis, nisi priùs pacto cum dæmone inito renunciaverint, omniaque diabolica instrumenta tibi tradiderint comburenda. Item Simoniacis, nisi reipsa Beneficio simoniacè accepto valedixerint. Similiter illis, qui ad Confessionem usque noluerunt famam vel bona alterius restituere, aut injuriam reparare, licèt ad id se obligatos adverterent, imò sæpè interius & exterius ad id urgerentur. Eodem modo agas cum Concubinario: & quamvis ploret, promittat, juret se Concubinam dimissurum, statim ubi domum intraverit, ne flectaris, sed dicas ipsi cum D. Thoma de Villanova serm. 6. post Dominicam 4. Quadrag. *O peccator, si verè ploras, vent foras, fage concupiscentiam, dimitte lasciviam, expelle mulierculam, solve catenam; alias non credo lacrymis.* Et certè quis credat, cum nec ille sibi ipsi credere debeat. Cùm fortè jam centies in Ecclesia aut alibi occasionis dimissionem promiserit Deo, & tamen in ea nunc usque permanserit? Undè quamvis constaret Confessario de verò pœnitentis proposito, equidem non esset ante

te

re occasionis dimissionem absolvendus; quia qui centies fidem fregit Deo, facilè absolutus, franget denuò; quod præsertim verum est respectu Concubinæ, cujus sola præsentia nata est cor hominis carnei immutare, unde postquam D. Franciscus Xaverius Epist. 1. dixit, confessario non esse standum Solis Inimicorum, Impudicorum, ac alieni Detentorum promissis, nisi priùs promissa exequantur, subdit: *Nam cum hominibus horum Tractatuum, tam promptis & liberalibus ad obligandam fidem, quàm ad exolvendam tardis ac segnibus, cum arbitra transigendum est*, Nomine autem Concubinæ non tantùm intelligitur illa cum qua quis frequenter committit fornicationem aut adulterium, sed etiam illa, quam sæpè impudicè tangit, aut osculatur. Imò intelligi potest hîc omnis illa sive ancilla, sive Domina, sive Commensalis, sive amica, sive alterius cujuscumque conditionis, quæ est alteri occasio proxima mortiferè peccandi, quamque potest sine peccato & sine gravi incommodo relinquere.

Vellem hîc veritatem unam omnibus Confessariis fortiter inculcare, nempè vix aut ne vix unum, qui mulieri cohabitanti aliquoties mortiferè adhæsit, licèt necdum res turpes abiissent in consuetudinem, aut occasionem proximam, emendatum fuisse nisi per separationem. Certè ipsa peccati memoria, objecti præsentia, delectationis recordatio sæpiùs in die renovata, ad relapsum pronitas, ad hoc peccatum naturalis propensio, &c. ità insensibiliter emolliunt cor hominis, ut non obstantibus omnibus cautelis, aliquando & sæpiùs, miserabiliter labatur.

Dixi in Conclusione: *Regulariter loquendo*; Primò quia in articulo mortis, aut evidenti ejus periculo, talis potest absolvi, si occasionem hic & nunc non possit dimittere promittat tamen dimissurum: cùm enim pœnitens videat se morti proximum, credibile est omninò à tali occasione esse aversum; si tamen occasio proxima esset mulier cohabitans, & pœnitens non crederetur statim moriturus, obligare debet illum Confessarius ut mulierem, non quidem absolutè expellat, si inde timeatur revel[illegible] Sigilli, sed mittat ad aliquam peregrinationem pro [illegible]itate recuperanda, vel bona morte impetranda: & sic evit[illegible] ejus aspectum, ex quo in varias cogitationes impuras labi[illegible] frequenter. Secundò, quia si pœnitens ignoravit, aut non advertit occasionem illam esse grave peccatum, aut certè putavit non esse adhuc proximam, aut non tam citò dimittendam, poterit prima vice absolvi, saltem si occasio non sit mulier, non tamen secunda, si illam non dimiserit.

CONCLUSIO IV.

Absolvi potest, saltem prima aut secunda vice, existens in occasione proxima interrupta, licèt illam non vitaverit, modò jam proponat firmiter illam vitare, videaturque ab ea omninò aversus. Ita D. Borromæus sup. cap. 17. ubi ait: *Et quidem si probabiliter*, id est, prudenter, *sibi Confessarius persuadeat posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissioni factæ dare, quòd scilicet occasionem auferet, poterit eum promissionis intuitu absolvere; si autem fidem semel atque iterùm fregerit, ac tertia jam idem polliceatur, absolutionem differat, usque dum reipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat*.

Ratio Conclusionis est; quia faciliùs præsumi potest pœnitentem illum habere propositum efficax, quàm existentem in occasione proxima continua; cum hic, etiam confitendo, remaneat, si non fortè affectu, tamen effectu, in occasione proxima, quam poterat, etiam paulò ante Confessionem deserere; Illa autem nec affectu, ut creditur, nec effectu sit in occasione proxima; cùm à quindena v. g. illam non frequentaverit.

Dixi: *Modò jam proponat firmiter*, &c. nam si renuat talem occasionem vitare, non est absolvendus, licèt millies promittat se in ea non ampliùs peccaturum; quia, stante illa occasione, est ipsi moraliter impossibile non cadere, ut ipsemet cum detrimento suæ salutis sæpiùs expertus est. Hinc

Resolve non esse absolvendos juvenes, qui nolunt deserere choreas, tripudia, congregationes domicellarum, frequentationes tabernarum cum filiabus urbanis aut rusticanis, consortia quorumdam sodalium, si in illis sæpè peccet mortaliter. Ratio est; quia etsi illa omninò secundùm se non essent illicita; quia tamen experientiam habent suæ fragilitatis, nimirum quòd non possint illa frequentare, nisi sæpè graviter peccando, tenentur sub mortali ab illis abstinere, & consequenter, si facere renuant, carent vero proposito non amplius peccandi.

Advertendum tamen si occasio sit talis; ut prudenter speret Confessarius, quòd pœnitens per media specialia & extraordinaria necdum adhibita poterit separare peccatum ab occasione, posse in illa illum relinquere, donec contrarium appareat; quia tunc illa occasio respectu illius non videtur ampliùs proxima, sed remota, ratione præcautionis adhibendæ.

CONCLUSIO V.

Si pœnitens versetur in occasione proxima, quam nequit deserere sine gravi admodum incommodo in bonis famæ aut fortunæ, potest absolvi semel atque iterùm, si credatur verè contritus, & ab occasione animo aversus. Nec est tam citò urgendus ad occasionis dimissionem, si velit practicare remedia contra relapsum idonea, si quæ reperiri possint.

Ratio est; quia, ut diximus, eo ipso quo pœnitens paratus est adhibere remedia ardua ad vincendam pravam consuetudinem, occasio anteà proxima, censetur jam esse remota; quia propensio in malum nunc est aliquo modo ligata & refrenata. Hinc si Filius-familias soleat peccare cum domestica; si Parochus ob exceptas mulierum confessiones frequenter voluntariè polluatur, si Mercator vendendo sæpè falsò juret; si Chirurgus medendo secretioribus fœminæ partibus pluries desideria concipiat impudica, & sic de aliis, non obligabitur statim filius domum paternam deserere, Confessarius sedile, Mercator Officinam, Chirurgus artem suam; sed omnes remediis convenientibus, tùm à se excogitatis, tùm à spirituali Medico & Judice suggestis, & imperatis, pravæ consuetudini repagulum opponent, donec penitus eam eradicaverint. Quod si inter conandum aliquoties relabantur, raró tamen, id communi omnium fragilitati, & ad peccandum fomiti adscribendum erit.

Attamen, si omnibus tentatis, perseveret nihilominùs occasio peccandi, obligandi sunt ad deserendam talem occasionem, nec priùs absolvendi, quam deseruerint; quia manere in ejusmodi occasione, est peccatum mortale, ob evidens peccandi periculum: esto reipsa nihil mali sequeretur, nec esset peccandi intentio explicita. Undè tunc urget illud Christi Matth. 18 *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*, quasi diceret: Si domus paterna, officium, ars, commercia, & similia sint tibi causa ruinæ spiritualis, illa omnia desere: meliùs est enim ut illis privatus ascendas in cœlum, quam cum illis descendas in infernum. Honor tuus periclitatur, inquis, sed honori, & quibuscumque aliis prævalet salus tua.

Dixi in Conclusione: Si quæ remedia idonea reperiri possint: nam si occasio esset talis, ut nulla foret spes aliqua remedia esse profutura, obligandus est, etiam prima vice, ad illius dimissionem, sicut diximus de illo, qui remedia expertus, non potuit illam vincere. Imò nec est absolvendus, si ante confessionem noverat se teneri ad illam occasionem deserendam, donec illam de facto dimiserit, licèt cum gravi incommodo: quod accidere potest respectu Adolescentis, vehementi passione puellam diligentis. Ex dictis

Resol. 1. Quanta æquitate hanc propositionem condemnavit Alexand. VII. *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum Concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tedio magno Concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur*. Item hanc Innocentius XI. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa utilis, vel honesta non fugiendi occurrit*.

Resol. 2. Eodem modo loquendum esse de existente in occasione proxima per accidens, ac de existente in occasione proxima per se; cùm equidem sit illi verè occasio proxima.

Resol. 3. Ubi Confessarius dimittit inabsolutum pœnitentem, qui non vult dimittere occasionem peccati, debere nihilominùs ex charitate consulere ipsi remedia à relapsu præservativa.

Petes: Quænam remedia præscribere debeat Confessarius, quando pœnitens relinquitur in occasione, quam aut non vult deserere, aut non potest hic & nunc, aut si potest, speratur tamen destruenda per illa remedia?

Resp. Præscribenda esse varia, juxtà varias pœnitentium conditiones, v. g. *Mercatori avido*, ut toties det sex asses pauperibus plus, minusvè, juxta suam capacitatem, quoties pejeraverit: totum lucrum & aliquid plus, quoties diebus Dominicis aut Festis vendiderit, quoties falsa mensura aut pondere merces distribuerit. *Retinenti bona aliena*, ut quot diebus

bus restitutionem distulerit, tot solidos distribuat egenis. *Nolenti alterius famam reparare*, ut quamdiu id non fecerit, tamdiu abstineat à vino, cerevisia, carnibus, aut certis recreationibus, prout, attenta pœnitentis conditione, judicaverit prudens Confessarius. Idem præscribet. *Nolenti inimico reconciliari*. Item *Impudico præscribet*, inquit D. Borromæus cap. 16. *ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes augeat, corporis maceratione subeat aliquam, quodque*, PRÆCIPUUM EST, ut FREQUENTER CONFITEATUR. Ubi Pastor ille maximè in animarum directionibus versatus, frequentem Recidivis præscribit Confessionem tanquam omnium remediorum præcipuum, quando pœnitens creditur sufficienter dispositus. *Blasphemanti*, ut toties vesperi osculetur pavimentum, formando cum lingua crucem in eo, quoties blasphemaverit, ad singulas interim blasphemias carnem pungendo, aut oculos ad cœlum elevando. Alia aliis animarum morbis adhibenda sunt proportionatè remedia.

QUÆSTIO II.

Quandonam sit impertienda aut deneganda Absolutio Consuetudinariis, qui non sunt in occasione proxima peccati.

ADverte 1. In rigore hoc esse discrimen inter Consuetudinarium, & Recidivum, quòd omnis Consuetudinarius sit Recidivus, non tamen è contra; ut enim quis sit Consuetudinarius debet frequenter in peccata ejusdem speciei cecidisse, ut autem sit Recidivus, sufficit quod vel semel peccatum, de quo fuerat confessus, iterùm committat: hic tamen Recidivum confundimus cum Consuetudinario.

Adverte 2. Hic per Consuetudinem nihil aliud intelligi, quàm propensionem quamdam seu habitum intensum variis actibus comparatum inclinantem hominem ad peccatum certæ speciei v. g. blasphemiæ, luxuriæ, &c. Qui habitus vocari potest occasio proxima intrinseca, ad distinctionem occasionis proximæ, de qua præced. quæst. quæ est merè extrinseca, & quæ ordinariè nomine occasionis proximè intelligitur.

Adverte 3. Facilius esse deserere occasionem proximam extrinsecam, quam intrinsecam, seu consuetudinem; quia prima unico actu potest aliquando deseri; v. g. concubinam expellendo, alienum restituendo; Secunda autem sicut pluribus actibus comparata est, ita necesse est ut pluribus contrariis extirpetur. His notatis

CONCLUSIO I.

DEneganda est Absolutio nolenti seriò & diligenter adlaborare ut extirpet pravam peccandi consuetudinem. Est communiter & certa.

Prob. Ille non est absolvendus, qui non vult deserere peccatum: sed qui renuit pravam consuetudinem peccandi extirpare, renuit & peccatum deserere: ergo. Prob. Min. quia vult id ex quo necessariò moraliter sequetur peccatum, adeoque censetur interpretativè & ipsum peccatum velle. Hinc

Resol. 1. Non esse absolvendos Adolescentes, qui remedia impediendis pollutionibus, quibus sunt assueti, opportuna, nolunt acceptare aut adhibere, licèt interim emendam millies proposuerint.

Resol. 2. Idem esse dicendum de blasphemis & pejerantibus, etiam si blasphemiæ aut perjuria non forent in se plenè voluntaria; quia eo ipso quo habitum, qui est eorum causa, nolunt refrenare, sunt omninò interpretativè voluntaria; & consequenter peccata formalia.

CONCLUSIO II.

DIfferenda est Absolutio Consuetudinario, qui sciens, aut monitus adhibenda esse remedia pravæ consuetudinis destructiva, illa tamen ad Confessionem usque neglexit; quamquam hìc & nunc paratus sit illa, imò & alia deinceps adhibere, nisi certè signa quædam doloris extraordinaria ostendat. Est contra illos, qui Rigoristis è diametro oppositi, volunt absolvendum esse quemlibet Recidivum, modo asserat se esse legitimè dispositum; ita ut nullam aliam de ipsius sufficienti dispositione certitudinem requirant, quam quæ datur per verba pœnitentis.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Unde Gregorius Homil. 18. in Ezechiel. *Per hoc quod videmus, cognoscimus operantis animum, quem non videmus*.

Prob. 2. Authoritate S. Francisci Salesii in Instruct. Synodalibus Tit. 9. cap. 5. ubi dicit differendam esse Absolutionem iis, *qui vitiosis habitibus, puta blasphemiæ, luxuriæ, &c. eradicandis omnes nervos non intenderunt; in Confessione aliâs commoniti aut correpti*. Quod sanè hauserat ex Concilio Carthaginensi IV. c. 75. mandante *ut negligentiores pœnitentes tardius recipiantur*; Quia autem negligentior illo, qui tantùm abest ut pravam consuetudinem eradicaverit; ut nequidem illius eradicandæ media susceperit. Illi etiam præluxerat D. Cyprianus lib. de Laps. circa finem ubi ait: *Alto vulneri diligens & longa medicina non desit*. Hic autem inveteratum vulnus, & tamen nulla medicina.

Prob. 3. Duas claves dedit Dominus Sacerdotibus, unam ad absolvendum, alteram ad ligandum: sed si absolvendi essent pœnitentes, qui nequidem remediis pro extirpanda prava consuetudine necessariis uti voluerunt, ex eo nempè quod assererent se legitimè dispositos, unica tantùm clave illis opus esset; cùm ut unus quidem sit pœnitentium qui non asserat se verè dolere, verèque emendam proponere: ergo. Undè contrà Confessarios illos indulgentiores sic meritò insurgit D. Thomas à Villanova Serm. Fer. VI. post Dom. IV. Quadrag. *Quid Ecclesiam Domini perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio? Duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi, alteram judicandi, absolvendi scilicet & ligandi, & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absolvis, una tantum clave, neque integra quidem uteris*. Posteà sic exclamat: *Heu! heu! ventrem meum doleo, in domo Dei horrendum vidi, Pastores Domini sui oves jugulantes, Medicos populi sui ægrotos occidentes, &c.* Quod verissimum est; quia ut ait Ambrosius in Psal. 118. Facilitas enim veniæ, incentivum tribuit delinquendi.

Prob. 4. Ex condemnatione hujus Propositionis ab Innocen. XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contrà legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda, nec differenda Absolutio, dummodò ore proferatse dolere, & proponere emendationem*. Qualis autem spes in eo, cui fortè centies aut millies dictavit conscientiam apponendam esse securim ad radicem malæ consuetudinis, & tamen ad monita illa interiora, ad Confessionem usque surdus perseveravit? Certè justam rationem dubitandi habet Confessarius; & ideò non est præcipitanda Absolutio cum nullitatis Sacramenti periculo, & fortè pœnitentis Sacrilegio.

Dices 1. In foro conscientiæ credendum est pœnitenti tam pro se, quam contra se loquenti: ergo si talis dicat se esse verè dispositum, absolvendus est.

Resp. Ant. Esse verum, ubi nihil obstat: hic autem obstat pigritia supina pro adhibendo emendationis remedio: undè S. August. serm. 39 de Tempore: *Ad emendanda crimina vox pœnitentis sola non sufficit*. Hic etiam facit Propositio condemnata jam citata.

Instabis 1. In hoc Tribunali semper creditur pœnitenti accusanti & testificanti peccata sua: ergo & illi dispositionem suam testificanti semper est credendum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd meliùs videat peccata sua, quam dispositionem suam: & certè si seriò ad seipsum reflecteret, si ad centies violatas promissiones; ipsemet de suo proposito efficaci dubitaret.

Inst. 2. Non obstat, quin hactenus piger in adhibendis contra Recidivam remediis, hic & nunc concipiat verum propositum illa adhibendi in posterum: ergo si dicat habere, ipsi credendum est.

Ref. Dist. Ant. Non obstat, id est, potest fieri C. id est ordinariè fit: N. & ideò & pœnitens & Confessarius debet habere suspectum propositum illud. Sed esto, constaret Confessario de proposito, equidem, ut pœnitens toties negligens, remediorum necessitatem magis apprehenderet, illaque efficaciter ad praxim reduceret, esset ipsi Absolutio ad aliquod tempus differenda; quia etsi Confessarius teneatur dispositum absolvere, non tamen pro omni instanti, sed quando prudenter judicaverit meliùs expedire pro ipsius pœnitentis utilitate.

Dices 2. Non licèt malè sentire de proximo: ergo ubi asserit se dispositum, dispositus credi debet.

R. Dist. An. Non licet sine causa: C. cum causa, qualis reperitur hic, si non ad judicandum esse talem, saltem ad timendum aut suspicandum; idque ob bonum Sacramenti & pœnitentis: N.

Dices 3. Cognoscit Medicus dispositionem infirmi ex pulsu: ergo & Confessarius dispositionem penitentis ex confessione.

Resp. Dist. Ant. cognoscit ex solo pulsu: N. ex pulsu & aliis

aliis, v. g. carentia appetitus, sanguine, phlegmatibus, urina, insomniis, &c. irà & cognoscit confessarius dispositionem pœnitentis ex ejus verbis, simul & factis.

Dices 4. cum P. Henneguier: Christus Luc. 17. dicit dimittendum esse fratri septies in die in nos peccanti si septies in die dicat *Pœnitet me*: ergo etiam absolvendus est omnis pœnitens dicens: *Pœnitet me*, licèt remedia contrà Recidivam neglexerit.

Resp. Neg. Conseq. Quia passus ille, secundum unanimem SS. Patrum expositionem, intelligitur de privata injuriæ condonatione, adeoque non potest trahi ad Absolutionem Sacramentalem: & certè si hoc esset, sicut tenemur injurianti dimittere, sivè ex corde dicat: *Pœnitet me*, sivè tantùm ore, quia tenemur inimicos diligere, etiam posset Confessarius absolvere pœnitentem, quem sciret esse interiùs à Deo aversum: undè, ut notat Amor pœnit. part. 2. cap. 13. n. 3. Christianis mandatum est, ut diligant proximum suum, etiam hostem & inimicum; sacris verò Judicibus mandatum est, ut non absolvant nisi ex toto corde pœnitentes, & sic ad Absolutionem non sufficit *Pœnitet me*, si dubium sit aliundè an procedat ex corde. Præterea esto passus ille trahi posset ad Absolutionem Sacramentalem, ut post Innocent. III. videntur insinuare aliqui, non esset tamen absolvendus omnis qui dicit *Pœnitet me*; sed ut dicitur ibidem, qui *conversus* dicit *Pœnitet me*. Hìc autem cum appareat dubia conversio, expectari potest donec appareat certa.

Inst. Cum dicto Patre: Debet credi extrà Sacramentum dicenti *Pœnitet me*: ergo à fortiori in Sacramento.

Resp. Ant. Esse falsum, cum nullibi legatur obligatio ita credendi; sed esto obligatio foret, neganda esset Cons. Quia ex prima credulitate nulla sequitur inconvenientia, sicut sequi potest ex secunda, nempè profanatio Sacramenti, illud ministrando indigno.

Dices 5. Per dilationem Absolutionis exponitur salus pœnitentis

Respon. Periculum illud esse valdè remotum, cùm, ubi adest necessitas semper sint ad manum Confessarii; & ideò tale periculum, quod moraliter nullum est, cedere debet certitudini Sacramenti, quod aliàs exponitur nullitatis discrimini. Cùm autem dicunt pœnitentes se fortè subitò morituros; Respondendum est quòd ille, qui non timuit per annum in statu peccati perseverare, non debeat quindenam, plus minusvè, apprehendere. Monendi sunt tamen, ut quantum in se est, hic & nunc eliciant duos aut tres actus Contritionis ferventissimæ, jubeantque advocari Confessarium, ubi infirmitas aliqua supervenerit.

Dixi in Conclus. *Nisi signa quædam doloris extraordinaria ostendat; ut si* primo suspiret, gemat, lachrymetur, &c. Secundo si longam viam & difficilem confitendi gratia confecerit, idque extrà tempus paschale, & ex proprio motu, non interveniente parentum, aut Magistri præcepto. 3. Si peccatum enorme in aliis Confessionibus celatum aperiat cum magno pudore, & motu proprio. Quarto si intuitu Confessionis faciendæ aliquo tempore à peccatis ordinariis abstinuerit, aut jejunia, orationes, eleemosynas, Sacrificia, &c. obtulerit pœnitentiam salutarem impetraturus. Quinto si generalem peccatorum totius vitæ Confessionem instituat, & alia hujusmodi, ex quibus formare potest Confessarios judicium prudens de legitima sui pœnitentis dispositione.

CONCLUSIO III.

Absolvendus est Consuetudinarius, qui necdum de remedio adhibendo fuit monitus, nec ipse quid foret adhibendum esset conscius; si deinceps aliquod, licèt naturæ sibi relictæ aliquantò durum & difficile, sit paratus adhibere; & aliundè appareat verè contritus, ac per remedium, illud speretur corrigendus. Est satis communis; licèt ipsi contradicat Henricus à S. Ignatio volens hoc esse quidem indicium aliquod inchoatæ fortasse conversionis, sed non plenæ, quæ non habetur ordinariè, secundùm ipsum, nisi præcesserint opera pœnitentiæ cum vitæ emendatione.

Prob. 1. Conclusio; quia non apparet ratio sufficiens ad dubitandum de vero dolore, veroque proposito talis pœnitentis: non quidem de *dolore*; quia si potuit verè dolere de habitudinis peccato, quidni posset de ultimo; de penultimo, & sic de aliis, cum sint ejusdem rationis peccata. Est contrà ordinariam divinæ Providentiæ œconomiam, inquit Henricus à S. Ignat. quod talis peccator tam subitò obtineat plenæ conversionis gratiam; sed cur dicit Deus Eccli. 5 *Ne tardes converti ad Dominum*, si tardet ordinariè ad conferendam conversionis gratiam? Cur dicit August. Serm. 16 de Verbis Dom. *Citò fecisti rem mortiferam, citò remedium invenisti*? Cur, secundùm iste, tenetur peccator statim à peccato commisso conteri, si statim à commisso peccato non habeat gratiam conversionis? Ergo vel Deus impossibilia jubet urgendo peccatores ad pœnitentiam, vel ipsis sufficientem veræ conversionis gratiam confert. Non etiam de *Proposito*; quis enim dicat non habere verum emendæ propositum, qui pro illa obtinenda acceptat media, etiam dura & difficilia?

Prob. 2. Quia ex Sententia opposita sequitur nequidem absolvendos esse jamjam Matrimonio conjungendos, si anteà impudicè conversabantur; quia necdum contrà Recidivam adhibuerunt remedia, licèt velint adhibere efficacissimum, nempè Matrimonium. Totum facilè concedit Henricus à S. Ignat. & ideò monendi sunt, inquit Tom. 3. pag. 401. n. 1342. *Ut ad dignam susceptionem tum Absolutionis, tum Sacramenti Matrimonii; ad aliquot saltem dies Matrimonium differant, quousque per debita pietatis & pœnitentiæ opera ad utrumque Sacramentum dignè suscipiendum ritè fuerunt discussi.* Sed

Contrà est 1. Si ad plenam conversionem sufficiunt *aliquot dies*, cur pag. 322. nobis obtrudit in exemplum tempus, quo contrà concupiscentias suas luctatus est Augustinus, cùm per plures annos fuerit luctatus?

Contra est secundò quod secundùm ipsum, Huigens & Vanroy pag. 157 ad plenam conversionem debeat esse expugnata, victaque consuetudo: Quomodo autem hoc quadrare potest cum illo Apostoli 1. Corinth. 7. *Si non se continent, nubant*; cum Hic præcipiat incontinentibus nubere, illi autem nolint ut nubant, nisi vicerint priùs incontinentiam, cùm non possint licitè nubere nisi conversi?

Contrà est tertiò. Quod sæpè maritandorum banna jam sint proclamata, ideoque non possit Matrimonium differri sine magna infamiæ nota. Sed infamiam illam ut ait Henricus, imputare sibi debent sponsi, qui diem pro Matrimonio determinarunt imparati. Si tamen velint ad matrimonium progredi, quamquam non absoluti, ad hanc difficultatem tollendam Medium adinvenit Henricus, quod non asseveranter, sed propositivè, ut ait, exponit viris doctis, nempè consulendo sponsis, si nolint ulteriùs Matrimonium differre, ut intendant inire Matrimonium in ratione contractus, & non in ratione Sacramenti; quia licèt hoc sit illicitum, (non invalidum) minus tamen est peccatum quàm cum mortali Matrimonium ut Sacramentum inire. Ecce in quas angustias rediguntur, ut recedant à sententia communi, ab Ecclesiæ praxi: *Ecce* Theologia Sanctorum, quæ inauditam hactenus in Ecclesia Dei praxim proponit.

Prob 3. Conclusio, quia juxtà D. Borromæum q. 1. concl. 3. citatum, potest absolvi semel atque iterùm occasionarius, si promittat occasionem auferre: quidni & toties Consuetudinarius promittens adhibere remedia contra Recidivam, etiam difficilia? Si primus, licèt sæpiùs peccaverit, *possit* verum dolorem, verumque propositum concipere, quidni posset & secundus? Imò prudenter crederetur potiùs hic dispositus, quàm ille; cum det in cautionem suæ dispositionis voluntatem ad omnia remedia paratam, de qua voluntate non potest Confessarius, nisi temerè, dubitare; cùm nè semel in hac materia fregerit fidem.

CONCLUSIO IV.

Ut absolvatur Consuetudinarius non debet reipsa consuetudinem exuisse. Est contra præfatos & paucos alios, qui non discernentes Sanctorum testimonia, non discernunt etiam inter plenam conversionem prout importat integram pravæ consuetudinis victoriam, ad quam tempus notabile, preces, jejunia, mortificationes, suspiria meritò requirunt Sancti PP. & eamdem, ut præcisè importat verum de præteritis dolorem, verumque de futuris cavendis propositum.

Prob. 1. Finis hujus Sacramenti non est tantùm peccata commissa delere, sed etiam committenda præcavere; cùm ideò conferat gratias actuales, ut suo loco diximus: sed non minùs, imò magis tenemur peccata consuetudinis præcavere, quàm alia: ergò non minùs hoc remedium potest Consuetudinario prodesse per se loquendo, quàm alteri. Dico *per se loquendo*, idque propter rationes Concl. seq. exponendas.

Prob. 2. Ex Trid. sess. 14. cap. 8. ubi docet quod *satisfactoriæ pœnæ ..... vitiosos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollant*: ergo evidentissimè supponit Absolutionem conferri iis, qui adhuc vitiosis habitibus implicantur; cùm ordinariè nonnisi absolutis imponatur satisfactio sacramentalis; imò pœnitentia ante Absolutionem peragenda, non est sacramentalis, ut superius diximus ex Scoto.

Prob.

Prob. 3. Ex Manuali Atrebatensi Tit. de Recidivis, ubi monet incitandum esse Recidivum ad frequentem Communionem, adeoque ad frequentem Confessionem, & num. 6. agens de magnis peccatoribus; *Non eum*, inquit, *pharisaico supercilio & improba severitate à se rejiciat Confessarius .... sed in visceribus J. C. eum benignè amplectatur .... ita fiet ut pœnitentes ejusmodi paterna benignitate illecti assuefiant ad frequentem usum Sacramenti*, *atque ita* (nota) *paulatim à suis peccatis abstrahantur*. Docet quidem num. 40. posse aliquandò Absolutionem differri, nempè quandò spes est majoris odii de peccato, majorisque timoris illud repetendi: quod verissimum est; additque: *Etiamsi alioquin non repugnet cum* TOTIES *verè contritum esse*, QUOTIES *ad confitendum accedit*. Per quod destruit Adversariorum fundamentum, qui nolunt posse Consuetudinarios plenè converti, nisi gratia extraordinaria præveniantur. Hic etiam maximè locum habent dicta in fine Prob. 2. Concl. 3.

Prob. 4. Ridiculus esset Medicus, qui nollet præcipuum remedium dare infirmo, nisi jam sanato: ergo & ridiculus confessarius, qui non vult dare Recidivo Sacramentum, quod præcipuum est, per se loquendo, contra Recidivam remedium, nisi jam sit à Recidiva integrè sanatus. Certè quid præferendum? An recessio à Sacramento, quæ nullas confert gratias contra vitiosam consuetudinem, an verò accessio ad Sacramentum, quæ multas confert, & quidem ex Christi institutione.

Prob. 5. Quia sententia opposita nata est reddere sacramentum omninò odiosum, imò & pœnitentes in desperationis abyssum protrudere. Ponamus juvenem aliquem maximè assuetum pollutionibus, duodecies venire ad confessionem tempore unius anni, absque eo quod vel semel receperit Absolutionem; quia licèt semper pro vincendo pravo habitu laboraverit, imò singulis vicibus emendationem aliquam ostenderit, necdùm tamen penitùs consuetudinem eradicavit, an putas ex millibus unum toto illo tempore patientiam habiturum, & non potiùs vitiis omnibus habenas laxaturum? Non sic igitur, non sic; sed ubi emendationem notabilem adverteris, misericorditer absolve, & absolutio tua erit & pœnitenti maximæ utilitatis, & tibi internæ consolationis.

Dices 1. Conversiones modici temporis, præsertim Consuetudinariorum, meritò sunt suspectæ: ergo non debent absolvi, nisi vitiosam consuetudinem virtutibus contrariis expulerint.

Prob. Ant. ex Script. Trid. & PP. unanimiter asserentibus requiri magnum conatum in consuetudinariis, ut verè ad Deum convertantur: undè Christus ut resuscitaret Lazarum à quatuor diebus mortuum, & jam fœtentem, qui est figura peccatoris sæpiùs relabentis, *magna voce clamavit*, inquit August. Tract 49. in Joan. *fremuit, lacbrimatus est*. Et posteà subdit: *Quàm difficile resurgit, quem moles malæ consuetudinis premit*.

Resp. Dist. Ant. Conversiones &c. meritò sunt suspectæ, si pœnitentias medicinales, aut remedia contrà Recidivam neglexerint, aut etiam nulla appareat vitæ mutatio: C. si illa præstiterint, & præbeat *quædam emendationis argumenta*, ut loquitur. D. Borromæus Instr. Pastor. p. 2. c. 16. N. Ad prob. Dico Scripturam, Trident. & PP. non requirere tantum, tamque extraordinarium conatum ad propositum vitæ melioris, ejusque inchoationem, quod ad absolutionis susceptionem constat sufficere; sed ad novam vitæ acquisitionem, integritatem, & perfectionem in eo sitam, quod quis vel plenam & integram peccatorum remissionem assequatur, vel pravam consuetudinem totaliter extirpaverit, vel etiam utrumque.

Dices 2. August serm. 7. de Temp. *Ista est vera pœnitentia*, inquit, *quando sic convertitur quis, ut non revertatur, quando sic pœnitet, ut non repetat*: ergo supponit non esse veram pœnitentiam, ubi non est integra malæ consuetudinis victoria.

Resp. S. Doctorem velle ibi esse pœnitentiam veram antonomasticè, non autem solam illam esse veram; quia relapsus posterior non destruit veritatem pœnitentiæ prioris. *Nunquam enim veritas prioris actus*, inquit D. Thomas 3. p. q. 84. ar. 10. ad 4. *excluditur per actum contrarium subsequentem*: unde in 4. ad Hannibaldum dist. 15. qu. unic. art. 9. ad 3. *De necessitate pœnitentiæ est, ut pœnitens habeat propositum peccata iterum non committendi, potest tamen hoc ejus propositum immutari: nec tamen sequitur, quin prima pœnitentia non fuerit vera*.

Inst. Aug. ser. 11. ad Fratres in Eremo; sic loquitur: *Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet*: unde Greg. Hom. 34. in Evang. *Pœnitentiam agere est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*.

Resp. ad utrumque ex D. Th. q. 84. art. 10. ad 4. *Quod pœnitere, est anteacta peccata deflere, & deflenda non committere, scilicet dum flet vel actu, vel proposito: ille enim est irrisor & non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit se facturum quod gessit, vel etiam actualiter eodem, vel alio genere peccat*.

Dices 3. *Pœnitentia sera rarò vera*: sed si necdum exutus consuetudine posset facilè converti, nihil obesset quominus verè converteretur peccator in fine vitæ: ergo &c.

Resp. Ma. Esse veram; quia moribundus morbi vehementia agitatus, mortis horrore turbatus, ac peccatorum multitudine terrefactus, vix sibi præsens est, & aliunde justè timendum est; nè Deus eum, à quo toto tempore vitæ fuit desertus, deserat in interitu sine gratia efficaci, sine qua interiùs non pœnitebit. Hic autem agimus de eo, qui etsi consuetudinem necdùm totaliter extirpaverit, ipsam tamen ex parte superavit, vim & conatum sibi inferendo, ac media omnia pro illius extirpatione adhibendo; & ideò præsumimus illum à Deo efficaciter adjuvari, & non deseri.

Dices 4. Divus Augustinus nonnisi post tempus notabile fuit conversus: ergo nec aliter convertuntur Consuetudinarii.

Resp. Retorquendo argumentum: Zachæus, Magdalena, Latro, Paulus, & alii fuerunt subitò conversi: ergo & subitò convertuntur consuetudinarii. Hæc miracula sunt, inquis, non exempla: Sed nunquid ordinaria fuit Augustini conversio; An pro omnium Consuetudinariorum conversione orare debet, gemere, & suspirare aliquis Sanctus aut Sancta, per 17. annos, ut pro filio suo fecit S. Monica? An ordinariè tot anni pro vera conversione Recidivi requiruntur? Si hoc sit, non opus est tot Confessariis. Undè sicut ex Magdalena, Zachæo, &c. male trahitur exemplum, ita ex Augustino; quia sicut aliqui ex speciali Dei gratia subitò convertuntur, ita aliqui ex speciali pigritia nonnisi serò & tardè. Prætereà unde constat Augustinum toto illo tempore nunquam habuisse verum de peccatis dolorem, verumque propositum? Aliud est enim, ut diximus, ad Deum verè converti, & aliud converti cum integra pravi habitus victoria. Credo ego si Augustinus fidem catholicam citiùs suscepisset, hocque Tribunal frequentasset, citiùs etiam concupiscentias suas fuisse superaturum.

Dices 5. *Felicitas veniæ incentivum præbet delinquendi*, Amb. ser. 8. in Ps. 118. ergo non est præcipitanda Consuetudinariorum Absolutio.

Resp. D. Ambrosium loqui de facilitate injusta, & indignis facta, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus: *Nonne*, inquit, *cum uni indulget indigno, plures facit ad prolapsionis contagium provocari*.

Dices 6. Non est absolvendus peccator, præsertim consuetudinarius, nisi priùs pro peccatis satisfecerit, ut patet ex Canonibus pœnitentialibus anteà citatis.

Resp. ex pœnitentiis Canonum fortè nullas, aut nonnisi paucas fuisse Sacramentales, & quidem accedente pœnitentis consensu, nè Confessionis Sigillum violaretur. Inde colligo; Primò quia non fuerint à Christo institutæ; cùm primis Ecclesiæ sæculis impenderetur Absolutio ante peractam satisfactionem, ut testantur Joan. Morinus cap. 14. de Administ. Pœn. Petavius, Cirmondus, Baronius, Bellarminus, Peronius & alii in Canonibus versatissimi. Secundò quia imponebantur pro peccatis materialibus, ut pro homicidio casuali. Tertiò quia injungebantur etiam sacramenti pœnitentiæ incapacibus, ut Catechumenis, ut liquet ex Can. 14. Concilii Nicæni. Quartò quia reconciliatio, quæ, peracta illa pœnitentia, dabatur, non erat cum Deo, sed cum Ecclesia. Quintò quia non est credibile institutum à Christo Sacramentum tanquam ordinarium pro peccatis remedium, fuisse ab Ecclesia denegatum peccatoribus etiam pœnitentibus per 15. aut 20. annos; imò usque ad finem vitæ, quo tempore durabant interdum illæ pœnitentiæ. Dicò usque ad finem vitæ; quia licèt quandoque in fine vitæ negaretur Eucharistia, nunquam tamen pœnitentia, quidquid dicat Boudart: colligiturque tum ex cap. 2. Epist. Innocent. I. tum quia non est credibile benignam Matrem Ecclesiam voluisse unquam filios suos æternæ salutis periculo exponere.

Deindè esto quod Canonum pœnitentiæ essent Sacramentales (cujus tamen contrarium evidenter ostendimus) quid facerent ad propositum Rigoristarum; cùm illæ nonnisi ex animo & sincerè pœnitentibus imponerentur; ipsi verò pœnitentiam ante Absolutionem adimplendam volunt, ut experimentum

tum

tum habeat & moralem certitudinem de pœnitentis conversione. Præterea quidquid sit de antiquitate certum est Ecclesiam, quæ potuit morem illum, utpote non à Christo institutum immutare, de facto à quatuor sæculis mutasse, & hanc Propositionem per Alaxan. VIII. condemnasse: *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.*

Dices 7. Ad conversionem requiritur in Scriptura *cor novum, & Spiritus novus*: hoc autem non habetur nisi victa consuetudine.

Resp. Dist. Assumpt. Requiritur *cor novum*, id est, omninò purgatum à prava consuetudine, tale quale erat ante inchoatam consuetudinem; N. id est, omnino remotum ab affectu peccati, peccandique voluntate: C. sed hoc non dependet ab integra pravi habitus victoria, sed à gratiæ efficacia, quam credimus dari Consuetudinariis, ubi pro vincendo habitu seriò laborarunt, laboremque suum cum Dei adjutorio, emendatione notabili coronarunt.

Dices 8. Si quis post 10. aut 12. dies ab exitu longæ febris quartanæ, iterùm corripiatur febri, non dicitur fuisse perfectè sanatus, quia causa febris non fuit totaliter ablata; ergo nec plenè fuit conversus ille, qui post aliquod tempus relabitur in peccatum consuetudinis, quia hujus causa non fuit integrè sublata.

Resp. Neg. Consequentiam intellectam de plena conversione ad Sacramentum sufficienti: Disparitas est, quòd hæc conversio haberi possit independenter à sublatione habitus vitiosi; non autem sanitas, nisi integrè tollatur causa morbi.

CONCLUSIO V.

ABsolvendus est Consuetudinarius, si post ultimam Confessionem medicinales pœnitentias fecerit, remedia contrà Recidivam adhibuerit, ac notabilem vitæ emendationem ostenderit: aliàs non.

Dixi 1. *Si medicinales penitentias* &c. quia suppono sibi fuisse injunctas in præcedenti Confessione, v.g. ut quoties blasphemaverit, toties assem, plus minusve, juxta conditionem suam, distribuat pauperibus.

Dixi 2. *Remedia contra* &c. v.g. singulis diebus meditando, licèt tantùm per semiquadrantem, pœnas inferni, diem ultimi judicii aut Bonitatem Dei pro peccatore salvando morientis; & aliunde malitiam hominis ingrati ipsum nihilominus de novo millies crucifigentis. Item legendo Caput unum de Imitationis Christi proferendo aliquoties in die, etiam inter laborandum, *Deus propitius esto mihi peccatori*, & prælertim ante somnum sese & corpore & animo humiliando. Quod si nulla remedia injunxerit Confessarius præcedens, nec ipse pœnitens, quæ forent adhibenda cogitaverit, agendum est sicut Concl. 3.

Dixi 3. *Ac notabilem vitæ emendationem ostenderit*, ut si tardiùs, multò rariùs, & difficiliùs peccaverit; quia, si non obstantibus remediis adhibitis, toties, aut ferè toties peccaverit, differenda est Absolutio, si non ut indispositio per Judicem; saltem ut infirmo per Medicum, nempè ut Magis morbi sui apprehendat gravitatem majoremque concipiat contra relapsum horrorem; quia experientia constat nonnullos, qui per varias Absolutiones non fuerunt sanati, per Absolutionis dilationem tandem fuisse emendatos: unde unum & aliud experiri debet prudens Confessarius, qui tamen, ubi pœnitentem inabsolutum remittit, mansuetè & amicabiliter debet agere, ac efficere, quantùm est in se, ut ipsum reddat contentum, ostendendo se id facere propter ipsius utilitatem, Sacramenti reverentiam, ac propriæ conscientiæ securitatem.

Quòd si, his non obstantibus, justè apprehendat ex Absolutionis dilatione pœnitentis desperationem, aut aliud grande malum spirituale, ipsum absolvat, saltem conditionatè, si non sit evidens ejus indispositio; quia in casu necessitatis, qualis est ille, proferri potest Forma super Materiam probabilem, imò & dubiam. Idem dicendum est, quando ex dilatione timetur periculum revelationis Sigilli, sicut & quando Sacerdos, juxtà D. La Verdure, obligatur ad celebrandum, ut populus audiat Missam in die Dominico aut Festo: hic tamen, & præcedentes monendi sunt de dubio valoris Sacramenti, nec ampliùs esse absolvendos, si ità deinceps recideant.

Prob. autem Conclusio; quia nihil obest quominùs Confessarius formet prudens judicium de legitima talis pœnitentis dispositione: si enim, ut ajunt ipsimet Adversarii, ex fructibus cognoscantur pœnitentes, an non fructus bonus, remediorum adhibitio? An non fructus salutaris notabilis emenda? Certè si conversio præcedens fuisse nulla & sacrilega, produxisset fructus malos & non salutiferos: si autem vera fuit conversio præcedens, ubi plures erant relapsus, quidni & vera præsens, ubi sunt pauciores.

Dices cum Henrico à S. Ignatio, quòd talis peccator, qui nonnihil laboraverit pro extirpando pravo habitu, signum quidem ostendat hominis adversus concupiscentias luctari incipientis, volentisque, & aliquo modo conantis se convertere, sed non penitus est signum hominis jam plenè conversi, licèt nec toties, nec tam facilè, nec tam citò peccaverit: hocque exemplificat in Augustino. Sed

Contra est, quod plena conversio ad Sacramentum sufficiens non dependeat à plena pravæ consuetudinis victoria, ut supponit Author ille: & certè si possit qui necdùm totaliter vicit habitum intemperantiæ, v.g. exercere aliquos actus temperantiæ, ut experientia testatur, adeoque valde practicè temperantiam; quidni posset efficaciter odisse ac detestari intemperantiam, illiusque abstinentiam efficaciter proponere, ob motivum supernaturale; cùm hoc minùs sit difficile cum Dei gratia, quam illud?

CONCLUSIO VI.

POtest interdùm, raro tamen, differri Absolutio ad aliquot dies Consuetudinario benè disposito, si judicet Confessarius hoc necessarium esse ad extirpandam radicitùs pravam consuetudinem.

Ratio est; quia Confessarius, cùm sit Medicus; potest & debet adhibere ea remedia, quæ prudenter existimat spirituali ejus sanitati necessaria. Remedium autem dilatæ Absolutionis potest aliquando esse valdè efficax, præsertim, respectu juvenum, peccatorum suorum gravitatem non satis apprehendentium.

Nec refert, quòd pœnitens dispositus, facta Confessione, habeat jus ad Absolutionem; quia non habet jus ad illam statim obtinendam, sed quando prudens Confessarius judicaverit expedire, attenta pœnitentis necessitate. Dico *Necessitate*, & non sola utilitate; quia ut docet Facultas Lovaniensis ar. 9. de Confessione, inter cæteros Innoc. XI. anno 1677. oblatos, & à S. Congregatione judicatos sanos, *dilatio, aut negatio Absolutionis, dum est dumtaxat utilis, non potest exerceri in pœnitentem invitum.*

QUÆSTIO III.

An teneatur aliquando Confessarius interrogare de consuetudine, & an teneatur pœnitens respondere?

CONCLUSIO I.

TEnetur Confessarius audiens Confessionem alicujus, multoties, spectato tempore, in peccata ejusdem speciei lapsi, illum interrogare de consuetudine, id est, à quo tempore committat tale peccatum, quoties in mense, in hebdomada &c. quæ sit origo talis Recidivæ? An soleat vi Confessionis aliquamdiu à peccato abstinere? An remedia contra relapsum adhibuerit? & similia.

Ratio est; quia talis cognitio ordinariè necessaria est, tùm ut Confessarius rectè judicet, cùm relapsus possit esse signum infirmi propositi; tùm ut remedia contra Recidivam idonea præscribat: nam alia sunt adhibenda remedia ad eradicandam consuetudinem peccandi inveteratam, alia ad vincendum habitum aliquem valdè remissum.

Dixi: *Spectato tempore*; quia relapsus, qui essent frequentes respectu unius Septimanæ, non essent tales respectu unius anni.

CONCLUSIO II.

TEnetur pœnitens satisfacere Confessario de consuetudine interroganti.

Ratio est; quia tenetur illa omnia explicare, quæ sunt necessaria ad hoc, ut Confessarius rectè fungatur suo munere: atqui, ut Confessarius rectè fungatur officio Judicis & Medici, debet consuetudinem cognoscere, ut antea ostendimus: ergo &c. Unde hanc Propositionem condemnavit Innoc. XI. *Non tenemur Confessario interroganti, fateri peccati alicujus consuetudinem.*

QUÆSTIO IV.

An debeat ſemper abſolvi Recidivus in eadem venialia?

CONCLUSIO I.

NOn ſemper abſolvendi ſunt Recidivi in eadem venialia, ſi in Confeſſione appareat plus conſuetudinis, quam veri doloris & propoſiti: quod accidere poſſet reſpectu aliquarum Devotariarum, quæ ad hoc Tribunal accedunt, vel ut placeant Confeſſario, ejuſque bonam exiſtimationem acquirant, vel ut alias imitentur.

Ratio Concluſionis eſt; quia etſi nulla ſit obligatio confitendi peccatum veniale, eo ipſo tamen quo clavibus ſubjicitur, debet pœnitens de illo verè dolere, & efficaciter emendam proponere, ſaltem ſi non ſit alia materia, de qua doleat.

CONCLUSIO II.

POſſunt Recidivi in eadem venialia non tantùm ſemel, ſed etiam bis, aut ter abſolvi ſingulis Septimanis, ſi nihil aliud obſtet, quàm relapſus.

Prob. 1. Quia licèt ſæpiùs in illa relabantur, non poteſt tamen indè ſufficienter colligi, id procedere ex defectu doloris, aut carentia propoſiti, ſed ex magna infirmitate naturæ corruptæ, ratione cujus facilè in venialia labimur.

Prob. 2. Ex uſu piorum tùm Sacerdotum, tùm Religioſorum, tùm Monialium, qui frequenter venialia confitentur, & ab eis Abſolutionem petunt & accipiunt: quam praxim ſeu uſum magni facit Trid. ſeſſ. 14. cap 5.

Dices: Recidivi in eadem mortalia non debent toties abſolvi: ergo nec Recidivi in eadem venialia.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt 1. quod relapſus in mortalia arguat in pœnitente magnam malitiam, relapſus autem in venialia, non tam malitiam, quam infirmitatem, cùm poſſit facilè abſtinere ab omnibus mortalibus, non poſſet autem abſtinere ab omnibus venialibus. 2. Quia meritò creditur Deum ſummè bonum faciliùs impertiri verum dolorem, verumque propoſitum amicis ſuis, quales ſunt Recidivi in ſola venialia, quàm inimicis, præſertim in malo inveteratis & Conſuetudinariis, quales ſunt Recidivi in mortalia.

Curabit tamen Confeſſarius prudens & charitativus imponere ſimilibus pœnitentias leviores, toties faciendas veſperi, quoties de die in peccatum conſuetudinis relapſi fuerint, idque non ex præcepto, ſed ex conſilio: quod ſi practicare voluerint, ſeſe inſenſibiliter emendatos reperient: quod ſi neglexerint, poterunt aliquandò ſemel Communione privari.

DISPUTATIO VIII.

De Miniſtro hujus Sacramenti, & de juriſdictione ad ejus valorem requiſita.

ERrarunt olim circa hujus Sacramenti Miniſtrum Valdenſes, qui, ut ait Reynerus lib. 5. volebant *bonum laicum, non verò malum Sacerdotem, habere poteſtatem abſolvendi*, Erravit & Vvicleffus, hanc poteſtatem tribuens etiam laicis bonæ vitæ; & ideò decrevit Martinus V. ut de Vvicleffi erroribus ſuſpecti interrogarentur, an crederent. *Quod Chriſtianus, ultra Confeſſionem Cordis, habita copia Sacerdotis idonei, teneatur de neceſſitate ſalutis confiteri Sacerdoti, & non laico?* Ex quo malè inferres poſſe confiteri laico, deficiente Sacerdote; quia nullum eſt Argumentum à contrario ſenſu in materia doctrinali. Errarunt denique quidam recentiores hæretici, quorum Dux fuit Lutherus, qui, cùm crederet hujus Tribunalis Abſolutionem tantùm eſſe declarationem remiſſorum à Deo peccatorum, ſuſtinuit hanc facultatem cuilibet fideli, etiam mulieri, aut puero, competere, ſaltem ubi deeſſet Sacerdos. Quos omnes condemnat Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. his verbis: *Circa Miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falſas eſſe, & à veritate Evangelii penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines præter Epiſcopos & Sacerdotes clavium Miniſterium perniciosè extendunt.*

Ubi etiam evertitur doctrina quorumdam Catholicorum, qui, teſte D. Bonav 4. d. 17. p. 3. dub. 1. *dicunt enim quòd quinque modis habetur poteſtas abſolvendi, ſcilicet authoritate, & ſic eſt Dei: Excellentia, & ſic eſt Chriſti hominis: Poteſtate ſive authoritate commiſſa, & ſic eſt Sacerdotis: merito vitæ & ſic eſt juſti & Sancti: & virtute unitatis Eccleſiaſticæ, & ſic eſt cujuslibet viri fidelis*; additque confeſſionem his duobus poſtremis factam, non eſſe Sacramentum, defectu Formæ, nempè poteſtatis clavium, *ſed aliquid loco ejus*, id eſt, actio humilitatis, de qua, non de Sacramento, loquuntur Magiſter diſt. 17. ubi ait: *Peccata primum Dei, deindè Sacerdoti eſſe confitenda, & ſi defuerit, etiam ſocio*: Et D. Thomas eadem diſt. q. 3. art. 3 quæſtiun. 2. dicens: *In neceſſitate etiam laicus vicem Sacerdotis ſupplet, & ei Confeſſio fieri poteſt*; cùm Primus ibidem, & Secundus quæſtiunc. 1. expreſsè doceant ſolùm Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum.

QUÆSTIO I.

Quis ſit Miniſter hujus Sacramenti, & vi cujus habeat poteſtatem abſolvendi?

CONCLUSIO I.

MIniſter hujus Sacramenti eſt ſolus Sacerdos. Definitum eſt in CC. Conſtantienſi, Florent. & Trid.

Ratio à priori eſt voluntas Chriſti nobis manifeſtata tum ex Script. ubi Joan. 20. ſolis Sacerdotibus dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*. Tum ex perpetua Eccleſiæ Traditione & praxi, undè Innocentius III. cap. 10. de Pœnit. & Remiſſ. reprehendit quaſdam Abbatiſſas tamquam de re inaudita, quòd Moniales ſuas benedicerent, earumque Confeſſionem exciperent.

Ratio Congruentiæ eſt, quod Sacerdos ſit mediator inter Deum & peccatorem.

Dices 1. Jac. 5. ſine diſtinctione dicitur *Confitemini alterutrum peccata veſtra*: ergo poteſt quilibet abſolvere.

Reſp. Loqui Apoſtolum, ut cenſet Scotus diſt. 17. q. 1. n. 16 de Confeſſione humilitatis, ergo. De qua etiam intelligendus eſt V. Beda, dum ait in præfatum locum: *Quotidiana, leviaque peccata coæqualibus alterutrum confiteamur*. Nihilominus ſatis probabile eſt, ibi fieri mentionem Confeſſionis ſacramentalis: Videtur enim ibi Jacobus alloqui infirmos, quos, poſtquam dixit eſſe à Presbyteris inungendos, excitat ut iiſdem confiteantur peccata ſua: dicit quidem: *Confitemini alterutrum*, ſed ſenſus eſt, juxtà Hugonem Victorinum lib. de Sacram.. *Vos homines confitemini hominibus*, ſed poteſtatem habentibus, qualem habent Presbyteri, de quibus ibi loquitur Apoſtolus. Nec obſtant verba ſequentia: *Et orate pro invicem*; quia dici poteſt ibi monere infirmos ut orent pro Presbyteris, ſicut hi orant pro illis.

Dices 2. Cyprianus Epiſt. 13. docet potuiſſe olim moribundos, deficiente Sacerdote, *apud Diaconum Exomologeſim facere delicti ſui, ut manu eis in pœnitentiam impoſita, venirent ad Dominum cum pace*.

Reſp Ibi mentionem fieri reconciliationis canonicæ & reſpicientis forum externum Eccleſiæ; non autem ſacramentalis, & reſpicientis forum internum conſcientiæ. Quid mirum autem quòd illa competat Diacono in abſentia Sacerdotis, cùm etiam Abſolutionem ab excommunicatione committere poſſit Eccleſia ſolùm Tonſurato, imò & laico?

Dices 3. Cap. *Fures* de furtis legitur: *Si fures Presbytero, vel Diacono confeſſi* &c.

Reſp. Vitiatum eſſe Textum; quandoquidem in Concilio Tiburienſi, undè ſumptum eſt, nulla facta mentione Diaconi habeatur: *Si fures comprehenſi & vulnerati, Deoque & Sacerdoti confeſſi fuerint, communionem eis non negamus*. Alii aliter explicent, ſed contortè.

Dices 4: Auguſt. lib. 3. contrà Donatiſt. cap. 18. de perverſis hominibus ait: *Remiſſam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum; id eſt, per columbæ gemitus datur: non enim Raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiſeritis peccata* &c. ergo ſupponit bonos poſſet peccata dimittere.

Reſp. Diſp. Conſ. Supponit poſſe &c. Sacramentaliter: N. deprecatoriè, ſuis precibus obtinendo peccatoribus gratias, quibus ad Deum convertantur: C. Idem dic ad alios Patres ſimilia objicientes.

Dices 5. Tanta eſt neceſſitas Abſolutionis, quanta Baptiſmi: Sed propter hanc neceſſitatem permiſit Chriſtus conferri à quolibet: ergo & illam.

Reſp.

Resp. Neg. Ma. quia infantes nonnisi per Baptismum possunt juvari, Adulti verò, quibus solis datur Absolutio, possunt se juvare, ubi deest Sacerdos, per votum Pœnitentiæ in Contritione perfecta inclusum.

CONCLUSIO II.

Licèt solus Sacerdos sit Minister hujus Sacramenti, non tamen omnis, sed ille cui competit jurisdictio.

Prob. Ex Trident. Sess. 14. cap. 7. ubi ait: *Natura & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur. Et ideo in Ecclesia Dei persuasum semper fuit, & verissimum esse Sinodus hæc confirmat, nullius momenti Absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut delegatam non habet jurisdictionem.*

Dices 1. Potestas Ordinationis est potestas jurisdictionis: illam habet omnis Sacerdos: ergo & hanc. Ante solutionem.

Adverte Sacerdotem duas in sua ordinatione accipere potestates, unam ante Consecrationem, in Corpus Christi verum, seu ad conficiendum Christi Corpus, quando ei dicitur: *Accipe potestatem celebrandi* &c. Alteram post Consecrationem in Corpus Christi mysticum, seu ad sententiandos Christi fideles, absolvendo aut ligando, dùm ei dicitur: *Accipe Spiritum S. quorum remiseris* &c. Certum est autem, primam potestatem non includere jurisdictionem hic requisitam; cùm tantum per secundam Sacerdos constituatur Judex: imò Apostoli, recepta prima potestate in ultima cœna, solùm receperunt potestatem absolvendi post Resurrectionem: & ideo in Objectione tantum agitur de potestate secunda. Hoc notato

Resp. Dist. Ma. Potestas Ordinationis est jurisdictio omninò completa; N. completa quidem ex parte principii, sed incompleta ex parte termini, seu defectu subditorum ab Ecclesia assignandorum, quæ ideò dicitur conferre jurisdictionem, quia omninò complet jurisdictionem in ordinatione datam: C. sed de hoc fusiùs infra.

Dices 2. In exordio Ecclesiæ poterat quilibet Sacerdos quemlibet fidelem absolvere: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Poterat vi Ordinationis præcisè: N. vi jurisdictionis ab ecclesia concessæ: C. cum enim tunc Ecclesia necdum esset in Episcopatus & Parochias divisa, & aliundè parvus esset credentium numerus, concedebatur Sacerdotibus licentia absolvendi sine limitatione personarum & locorum: quæ limitatio postea facta est ad conveniens & pacificum Ecclesiæ Regimen.

Dices 3. Alia Sacramenta, excepto Matrimonio, collata à non habente jurisdictionem, licet sint illicita, sunt tamen valida: ergo & hoc Sacramentum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est quod Absolutio Sacerdotis *fit ad instar actus judicialis*, ut loquitur Trident. cap. 4. adeoque ferri debeat à Judice, seu ab habente Jurisdictionem in eum, in quem fertur, quod non congruit aliis Sacramentis.

Dices 4. Papa potest absolvi, & tamen nullus habet jurisdictionem in eum.

Resp. Dist. Assumpt. Nullus habet jurisdictionem in eum ut Papam: C. ut peccatorem, personam particularem, & ovem Christi: N. quia ut talem se potest alteri subjicere.

CONCLUSIO III.

Sacerdos vi suæ ordinationis habet jure divino potestatem absolvendi completam & perfectam ex parte principii, seu Ministri, non tamen completam ex parte termini, seu subditorum; & ideò nisi ipsi assignentur ab Ecclesia subditi, non est validè reducibilis ad actum ejus potestas. Est Scoti 4. d. 19. q. 1. n. 13. & aliorum contrà plurimos, qui distinguentes duplicem in hac materia potestatem, Ordinis unam, jurisdictionis alteram, volunt quidem Sacerdotem recipere potestatem ordinis à Deo, cùm initiatur, sed potestatem jurisdictionis ab Ecclesia, cum ipsis assignantur subditi, & ideò volunt etiam tunc compleri ex parte principii: Alii volunt recipere à Deo potestatem physicam, & moralem ab Ecclesia.

Prob. 1. Conclusio; quia sicut Sacerdos accipit in sua ordinatione potestatem consecrandi completam, ità & absolvendi: cùm hæc potestas detur absolutè & simpliciter, sicut illa: undè Trident. sess. 23. cap. 1. docet Apostolos, eorumque Sacerdotio successores, accepisse à Christo, adeoque in sua ordinatione non semipotestatem, sed potestatem peccata remittendi & retinendi: quod & repetit cap. 15. de Reform.

Prob. 2. Ex eodem Concilio sess. 14. cap. 5. ubi legitur: *Dominus noster J.C. ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tamquam Præsides & Judices*, ut in fidelium peccata sententiam pronuntient: ergo à Christo habent esse judices, adeoque completam judicandi potestatem, sine qua non censetur quis constitutus Judex.

Confirm. Si Rex dedisset Petro potestatem sententiandi omnes, illi à Cancellario assignandos, fuisset à Rege constitutus completè Judex, ut per se patet: sed Christus dedit Sacerdotibus potestatem sententiandi fideles, illis à Vicario suo designandos: ergo.

Dices 1. Ecclesia confert quandoque suis jurisdictionem Episcopalem, aut parochialem, antequam ordinentur Sacerdotes: ergo illa non habent à Christo.

Resp. Dist. Ant. Confert jurisdictionem passivam, seu ex parte termini, id est, assignat subditos, quos, suscepto Ordine, poterit sententiare: C. Confert jurisdictionem activam, seu ex parte principii: Subdist. Confert sacramentale ad absolvendum: N. extrasacramentalem ad ferendas leges, censuras, & gubernandos in foro exteriori subditos: C. quia ad hoc non requiritur caracter sacerdotalis.

Dices 2. Indè sequitur, Ecclesiam non conferre propriè jurisdictionem, sed tantùm designare materiam, in quam exerceatur: quod est contrà communem sensum.

Resp. Neg. Sequel. Quia assignando subditos, Sacerdotem constituit superiorem in actu Secundo, cùm ex ordinatione tantùm esset in actu Primo. Undè quando Trident. sup. docet Absolutionem Sacerdotis non habentis jurisdictionem esse nullam, per jurisdictionem intelligit superioratum illum in actu Secundo, seu jurisdictionem actualem. Fatendum tamen in rigore videri quæstionem de nomine, adeoque sic terminandam.

Petes: An Apostoli omnes receperint jurisdictionem actualem à Christo.

Resp. Affirm. Si excipiantur Matthias & Paulus tunc absentes, quia omnibus dixit Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Sed nunquid etiam Episcopi jurisdictionem illam habent immediatè à Deo? Docetur communiùs quòd ab Ecclesia. Sicut enim Ecclesiæ fuit totum orbem christianum in Episcopatus dividere, ac Episcopatibus limites præscribere, ità & illius fuit Episcopis subditos assignare.

QUÆSTIO II.

Quotuplex Jurisdictio, & in quibus resideat?

Non agitur hic de jurisdictione illa, quam recipit Sacerdos in sua ordinatione: sed de jurisdictione *actuali*, seu de ea, quam recipit ab Ecclesia, per hoc quòd *ipsi assignentur* subditi.

CONCLUSIO I.

Duplex est jurisdictio, ordinaria una, quam quis habet ex vi muneris, officii, vel Beneficii: & delegata altera, quæ tantùm habetur ex commissione illius, qui habet ordinariam: non expirat tamen expirante ordinaria, ut patet ex praxi Ecclesiæ universali, secundùm quem omnes ab Episcopo delegati potestatem suam exercent Episcopo defuncto. Utraque autem hæc jurisdictio erit universalis, si exerceri valeat in omnem Ecclesiam, ac in omnes Ecclesiæ subditos; particularis verò, si limitetur ad certa loca, aut certas personas.

Porrò sicut rei possessio potest esse probabilis, dubia, aut certa; ita & jurisdictio, si nempè nitatur titulo probabili, dubio aut certo.

CONCLUSIO II.

Jurisdictio ordinaria residet in omnibus illis, qui ratione muneris tenentur gerere curam animarum; quia omnes illi ex sententia omnium Theologorum sunt Judices ordinarii in hoc foro. Hinc

Resol. 1. Jurisdictionem ordinariam residere 1. in Summo Pontifice respectu totius Ecclesiæ. Hanc autem immediatè recipit à Christo, sine ulla ab aliquo mortalium dependentia: nam licèt eligatur ab hominibus; tamen neque ipsi, neque universa Ecclesia dant illi jurisdictionem, sed tantùm designant personam, cui Christus immediatè confert munus Papale, ratione cujus, & non vi consecrationis, habet jurisdictionem in totam Ecclesiam. 2. Pontificiæ authoritati cum suo munere communicant, juxtà Amicum, Pœnitentia-

tiarius Papalis, & Legatus à latere. Nunciis autem Apostolicis competit respectu terminorum suæ Legationis aut Nunciaturæ.

Res. 2. Etiam competere ordinariam jurisdictionem Episcopis respectu totius suæ Diœcesis, ita ut etiam contradicentibus Parochis, possint per se, vel per alios delegatos quorumlibet parochianorum Confessiones excipere. Quo jure autem id possint, divino an Ecclesiastico? Disputatur. Episcoporum jurisdictioni communicant eorum Vicarii Generales, sicut & Capitulum, Sede vacante. Ad hanc jurisdictionem reducitur potestas Generalium respectu totius sui Ordinis, Provincialium respectu Provinciæ, & Abbatum exemptorum respectu suorum, eo quòd respectu illorum fruantur jurisdictione quasi Episcopali. Sed quid Archiepiscopus? potest tempore visitationis Suffraganei subditos absolvere; aliàs non, Cap. ult. de Censibus in 6.

Resol. 3. Etiam penes Parochos esse jurisdictionem ordinariam in suos, dependenter tamen ab Episcopo, qui potest ex causa jurisdictionem suspendere, coarctare &c. Huc reducitur potestas Decanorum respectu Capituli sui, Superiorum localium, ut sunt Priores, Guardiani, Rectores &c. respectu suorum; sicut & Vicariorum perpetuorum respectu Parochiæ. Monialium autem confessarii solùm habent delegatam, si sint ad nutum & voluntatem superioris deputati, secus, si sint à capitulo instituti, sicut in Ordine Seraphico.

Advertendum hìc jurisdictionem ordinariam magis afficere personas loci, quàm locum; & ideò si Episcopus aut Parochus peregrinetur cum suo Diœcesano, aut parochiano, potest illum ubique locorum absolvere.

CONCLUSIO III.

JUrisdictio delegata residet in omnibus illis, quibus ordinaria gaudentes illam legitimè delegant; vel directè, ut si Ordinarius det alicui potestatem audiendi confessiones in sua Ecclesia; vel indirectè, ut si det subdito suo facultatem eligendi confessarium: sicut fit nonnunquam apud Moniales nostras, quibus permittit quandoque Provincialis, ut vocent alium confessarium, cùm licentia Superiorissæ. Colligitur ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi legitur: *Si quis alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio sacerdote*. Ubi supponitur proprium sacerdotem, adeoque habentem ordinariam jurisdictionem, posse delegare.

Dixi 1. *Ordinaria Gaudentes*; quia gaudentes jurisdictione solùm delegata, non possunt subdelegare, nisi id eis expressè concedatur. Patet ex cap. Cum causam 62 de Appell. tit. 28. ubi id permittitur Delegatis Principum, non aliis.

Dixi 2. Legitimè delegant; ad quod requiruntur certę conditiones: Primò ut delegans non sit impeditus delegare aliquo jure vel consuetudine. Jure autem impediuntur excommunicati vitandi, qui, cùm sint privati usu Ecclesiasticæ jurisdictionis, etiam impediuntur delegare: quod est actus illius jurisdictionis: Consuetudine verò impediuntur superiores nostri locales, sicut & probabiliùs nostri Monialium confessarii, ut dicemus infrà. Secundò ut deleget solùm intra limites suæ jurisdictionis. Tertiò ut delegatus sit approbatus, nisi certè ipsemet delegans esset Approbator. Hinc licèt ante Tridentinum possent Parochi ex jure communi delegare quemlibet Sacerdotem ad Ministerium hujus Sacramenti idoneum, etsi non foret ab Episcopo approbatus; post illud tamen nec licitè, nec validè id possunt, ut declararunt Cardinales ejusdem concilii Interpretes. Quartò ut Delegatus non sit etiam excommunicatus vitandus, quia jurisdictio delegata, ut ait Amicus, solùm concedit usum absolvendi in hoc foro, à quo usu suspenditur excommunicatus ille.

QUÆSTIO III.

Quibus modis acquiritur Jurisdictio ordinaria?

CONCLUSIO I.

JUrisdictio ordinaria acquiritur 1. ratione muneris, vel officii, cui per se annexa est cura animarum. Patet ex dictis.

CONCLUSIO II.

ACquiritur etiam jurisdictio ordinaria ratione domicilii, aut quasi domicilii pœnitentis.

Ratio est; quia eo ipso, quo quis domicilium aut quasi domicilium figit in aliquo loco, censetur fieri subditus Ordinarii illius loci, & consequenter Ordinarius habere jurisdictionem in ipsum, sicut in alios. Quid autem requiratur ad domicilium, aut quasi domicilium, diximus in Tract. de Legibus. Hinc

Resol. 1. Proprium Sacerdotem eorum, qui in duabus Parochiis duo habent domicilia, in quibus æquè aut ferè æquè fixè habitant, esse utrumque Parochum; quia jurisdictio non sequitur actualem habitationem, inquit Bassæus, sed domicilium: undè utrique Parocho possunt confiteri, modò illum, cui non confitentur, certum reddant de Confessione Paschali.

Resol. 2 Confessarium ordinarium Mercatorum in Emporiis extraneis, Studiosorum in Academiis, Aulicorum in Curiis &c. esse Parochum illius loci, ubi tunc morantur, licet tantùm habeant ibi quasi domicilium, id est, habitationem pro aliquo anni tempore.

Resol. 3. Vagos, id est, eos, qui nullibi domicilium habent, sortiri probabiliùs pro Sacerdote proprio Parochum illius loci, in quo pro tempore morantur; quia actualis habitatio succedit ipsis in locum domicilii; quandoquidem aliud non habeant; & ideò tenentur Parochus talis loci indigentibus, aut justè petentibus Sacramenta conferre; imò potest illos urgere, ut præcepta impleant: quod signum est esse proprium eorum Sacerdotem. Scio non sufficere habitationem illam ad acquirendam Parochiam illi, qui proprium habet alibi Parochum? sed etiam scio, cùm Vagus nec Parochiam habeat alibi, nec Parochum particularem, à quo ad Sacramentorum susceptionem urgeatur, justum esse ut subdatur illi, in cujus districtu moratur.

CONCLUSIO III.

ACquiritur 3o. Superiori ex consuetudine aut privilegio jurisdictio ordinaria in omnes, qui, ad certum statum aut familiam admittuntur. Sic Capellanus jurisdictionem ordinariam habet in omnes milites suæ Capellaniæ, saltem quando sunt in castris, quia dùm sunt in stationibus fixis, seu præsidiis, videntur ex dispositione Sacellani Generalis, subdi Parocho talium locorum. Similiter Cardinalis in omnes suos domesticos. Item Superior in Novitios, in famulos pernoctantes in monasterio, imò & in Commensales continuos.

Dixi 1. *Ex consuetudine*, non quòd sola consuetudo possit jurisdictionem conferre, cùm necessariò debeat à Superioribus procedere; sed quòd illa sit testis & signum moraliter certum consensus taciti.

Dixi 2. *Aut privilegio*; quia omissis variis privilegiis, quæ varii Pontifices concesserunt cuilibet ferè Religioni, ut legere est apud N. Coen de Sacramentis pag. 491. novissimè Clemens X. per Bullam *Superni*, datam anno 1670. 11. Kalend. Julii, id concessit quibuslibet Regularibus: Cæterùm, inquit, in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorum Monasteriorum, seu Collegiorum, audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantùm ipsis inserviunt. Per quæ ultima verba non excluduntur famuli, qui sunt verè de familia, & ut tales aluntur à Monasterio, sed illi, qui ad tempus ibi laborant, postmodum ad propria reversuri, ut moris est apud Italos. Ex dictis

Resol. 1. Ubi Episcopus Confessarium præficit Monasterio Religiosarum sibi subditarum, ipsum, & non Parochum loci, esse Sacerdotem proprium, non tantùm Monialium, sed & domesticorum superiùs specificatorum. Idem est, si præficiatur à Provinciali Regulari pro Monialibus sibi subditis. Quod confirmavit Concilium Regium Parisiense anno 1688. decernens contrà D. Michaelem Villet Parochum d'Oysi, ut Confessarius Monialium Abbatiæ *Du Verger*, Diœcesis Cameracensis Ordinis Cisterciensis, omnia pastoralia exerceret in omnes domesticos intra septa Monasterii degentes excepta Baptismi, & Matrimonii administratione. Idipsum etiam definivit anno 1691. contra Joachimum Le Cocq, Parochum S. Albini, Duaci, in favorem Monialium Abbatiæ de Pratis, Diœcesis Atrebatensis.

Fatendum tamen ad servandam pacem inter Parochos & Mo-

Monialium confessarios, maximè attendendum esse ad legitimam circa hoc Monasteriorum possessionem; quia certum est, quædam Monasteria privilegia illa recepisse, alia non: ubi autem receperunt relinquenda sunt in pacifica possessione: ubi non receperunt, permittendum est Parochis munia sua exercere; & sic vitabuntur lites & confusiones. Utinam omnes æquè prudenter agerent in hac materia, ac egerunt nuper amplissimi Vicarii Generales Tornacenses, qui, visis privilegiis & possessione Annunciatarum Insulensium, silentium indixerunt Pastori D. M. Magdalenæ.

CONCLUSIO IV.

Acquiritur denique cuilibet Sacerdoti Jurisdictio ordinaria in quemlibet pœnitentem circa quælibet peccata & censuras, ratione articuli, aut periculi mortis ipsius pœnitentis, & absentiæ alterius approbati. Ita Durandus, Armilla, Paludanus, Marchantius, Amicus &c.

Ratio est; quia illa jurisdictio, cujus meminit Trid. sess. 14. cap. 7. est antiquior omni jure canonico scripto; nec ejus initium reperiri potest: unde Concilium sup. dicit hoc semper in Ecclesia Dei custoditum fuisse. Ex quo infertur à Christo traditam esse cuilibet Sacerdoti; quia perpetua Ecclesiæ Traditio, cujus initium non legitur, signum est juris divini, ut patet ex Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 24. Unde hanc jurisdictionem ne quidem summus Pontifex potest in tali casu à Sacerdotibus tollere.

Dixi: *Et absentiæ alterius approbati*; quia si approbatus adsit, non potest simplex Sacerdos absolvere, quidquid dicant aliqui; quia potestas illa data est cuilibet Sacerdoti, *nè aliquis pereat*, ut patet ex Concilio sup. Præsente autem approbato, cessat illud periculum. Si tamen pœnitens nollet rationabiliter, aut non posset approbato confiteri, ipsum absolvere posset simplex Sacerdos, etiam præsente approbato, *ne anima pereat*.

Petes: An id etiam possit Sacerdos Hæreticus, aut excommunicatus? De Hæretico, negat Lamas: de excommunicato, Fagnanus ad cap. *Non est vobis*, sed

Resp. Affirm. quia ubi concilium non distinguit, nec nos distinguere debemus. Accedit quòd facultas illa sit ex jure divino secundùm nos, adeoque ab Ecclesia inimpedibilis; ultra quod sit in favorem absolvendi, ne pereat, non absolventis. Citat quidem pro se Fagnan. SS. Thomam, Antoninum, & alios, imò & congregationem Cardinalium; sed explicandi sunt de casu, ubi haberi posset approbatus; cùm non soleat Ecclesia punire delinquentem cum detrimento innocentis, fortè ideò æternaliter perituri. Interim quidquid sit, certum est sententiam nostram esse probabilem, adeoque in illa extremitate ad praxim reducendam.

Absolutus autem tali casu à simplici Sacerdote, non tenetur, si convalescat, parere coram superiore pro censuris, à quibus tunc fuit absolutus, nisi deductæ essent ad forum contentiosum, & præstanda esset aliqua obedientia in foro externo, aut satisfactio parti læsæ.

QUÆSTIO IV.

Ex quibus capitibus acquiratur jurisdictio delegata?

CONCLUSIO I.

Acquiritur 1. jurisdictio delegata ab homine jurisdictione ordinaria gaudente, eo ipso quo illam committit verbo, scripto, aut alio signo exteriore. Non tamen sufficit semper ad delegationem, quòd ordinarius videat, & non contradicat; quia potest habere rationes non contradicendi v. g. ut viterus murmur, & scandalum in Templo, & tamen non consentire; & ideò modus ille non est facilè usurpandus.

CONCLUSIO II.

Acquiritur 2. Jurisdictio delegata ex jure vel privilegio, quando nempè jus canonicum, Lex, Bulla, aut Constitutio papalis id concedit certis personis, sicut concessum est omnibus Ordinum Mendicantium Sacerdotibus, respectu omnium fidelium, modò sint à suis respectivè superioribus, legitimè præsentati, & ab Episcopis approbati, ut fusius infrà.

Eodem modò sunt etiam delegati, saltem indirectè, omnes illi, qui assumuntur in confessarium ab iis, quibus permissa est electio confessarii, vel *jure communi*, ut Episcopis, Generalibus Ordinum, Provincialibus, Abbatibus exemptis, nec non minoribus Prælatis, quales sunt Priores, Guardiani, Rectores, & alii, nulli Episcopo subjecti: non tamen Abbatissæ, aut Priorissæ, quæ non veniunt nomine Prælati. Vel *ex privilegio speciali*, ut Regibus, Principibus supremis, & aliis Bullæ cruciatæ privilegiatis.

Dubitari posset hic 1. An Prælati Regulares eligere possint confessarium extra suum Ordinem?

Resp. Affirm. Cum DD. communiter, quia ubi jus dat ipsis licentiam eligendi confessarium absque ulla distinctione, nec nos distinguere debemus. Hoc tamen non expedit, imò non licèt, inquit Filliucius Tract. 7. n. 231. si per propria jura alicujus Religionis sit eligendus confessarius intra Ordinem, ut est eligendus in Ordine Seraphico.

Dubitari posset 2. An Prælati sive sæculares, sive regulares eligere debeant approbatum ab Ordinario?

Respond. Prælatos sæculares Episcopis inferiores probabiliùs non posse eligere nisi approbatum ab Episcopo; quia Trident. sess. 23. cap. 15. de Reform. decernit neminem posse audire confessiones sæcularium, nisi vel habeant beneficium parochiale, vel sit ab Episcopo approbatus, *non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudine, etiam immemorabili*. Vult quidem Suarez cùm quibusdam aliis, hanc licentiam non tangi à Tridentino; quia quæ sunt clausa in corpore juris non sunt pura privilegia, sed Canones & Leges: sed ad minimùm res est dubia, adeoque ad praxim cum periculo nullitatis Sacramenti, non reducenda. Quoad Prælatos Regulares nihil innovavit Trid. & consequenter eligere possunt etiam non approbatum ab Episcopo; imò nec admissum à superiore pro audiendis confessionibus, modò sit providus & discretus, ut patet ex tenore concessionis.

CONCLUSIO III.

Acquiritur 3. Jurisdictio delegata ex consuetudine probata: non quòd consuetudo præcisè, ut diximus, det jurisdictionem, sed quia testis est tacitæ licentiæ à proprio Sacerdote sufficienter exteriùs concessæ & continuatæ cum illius tacito consensu; & ideò talis jurisdictio revocabilis est ad nutum proprii Sacerdotis, non obstante consuetudine. Hinc

Resol. 1. Pastores, & simplices Sacerdotes posse sibi confessarium eligere, modò sit approbatus; quia Prælati omnes & Parochi in id consentiunt propter commoditatem sacrificandi. Dixi: *Modò sit approbatus*; quia Alexand. VII. proscripsit hanc Propositionem: *Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*.

Resol. 2. Iter agentes, seu peregrinantes, qui domicilium retinent, posse ex consuetudine, tacito Parochorum consensu firmata, confiteri peccata sua vel Parocho illius loci, ad quem perveniunt, vel alteri pro tali loco approbato: modò non faciant in fraudem, id est, modò non faciant iter animo vitandi proprium Sacerdotem.

Resol. 3. Quòd licèt ex tacito Ecclesiæ consensu aliquandiu à peccatis venialibus absolverint Presbyteri simplices; illa tamen jurisdictio nunc est ab ipsis sublata, si quandoque fuit collata, aut potiùs permissa. Patet ex Decreto Innoc. XI. edito anno 1679. 12. Febr.

CONCLUSIO IV.

Non acquiritur jurisdictio delegata per speratam ratihabitionem gaudentis jurisdictione ordinaria.

Ratio est; quia ad validam Absolutionem requiritur jurisdictio actualis in eo, qui absolvit; in nostro autem casu, non adest jurisdictio tempore Absolutionis, sed speratur deinceps ad futura. Idem est de præsumpta Ordinarii voluntate, quòd jurisdictionem concederet, si peteretur; quia non adest jurisdictio, sed tantùm adesset, si peteretur. Aliud est, si sit præsumptio fundata in talibus signis & circumstantiis, ut prudenter credi possit, quòd Ordinarius jurisdictionem vel concesserit, vel hic & nunc concedat. Casum nobis subministrat N. Marchantius. Quidam approbatus reperit Monialem quamdam omninò afflictam & desolatam, ac continuò sacrilegè confitentem & communicantem, ob pudorem insuperabilem declarandi certum peccatum confessario proprio. Interim non datur ad superiorem accessus, nec tam citò speratur extraordinarius, nec potest sine infamia à Sacramentis abstinere, liceret tunc illi approbato, inquit, præsupponere facultatem & delegationem superioris; quia prudenter præsumitur velle, ut illi afflictæ, ac corpore & animo inclusæ succurratur omni modo possibili.

Dixi

Dixi: *Quidam approbatus*; quia non idem præſumere deberet ſimplex Sacerdos, de cujus ſufficientia non conſtat.

Si tamen quis dubitaret, an in aliquo caſu ſuperveniente ſit tacitè conceſſa juriſdictio, necnè, non liceret uti illa juriſdictione; quia ſecluſa gravi neceſſitate, non eſt licitus uſus juriſdictionis dubiæ, imò nec probabilis, ut jam dicemus.

QUÆSTIO V.

An liceat uti juriſdictione probabili, & an Eccleſia ſuppleat defectum juriſdictione carentis?

SUppono juriſdictionem probabilem eſſe illam, quæ nititur titulo aut fundamento probabili, ut diximus. Sic habens Beneficium parochiale litigioſum, vel adhærens uni ſententiæ circa juriſdictionem inter DD. controverſæ, dicitur habere juriſdictionem probabilem.

CONCLUSIO I.

NUllo caſu licet uti juriſdictione probabili, ſine ſufficienti neceſſitate.

Ratio clara eſt; quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis, fitque gravis injuria pœnitenti.

Dixi: *Sine neceſſitate*, ſub qua non comprehendo articulum aut periculum mortis, cùm tunc quilibet Sacerdos, approbato deficiente, habeat juriſdictionem certam; ſed cùm quis v. g. peccato gravatus, non poſſet per annum integrum confiteri, vel etiam ſi debeat Mercator iter ſatis periculoſum conficere, vel Sacerdos indiſpenſabiliter celebrare, nec tamen reperiatur, qui habeat juriſdictionem certam; vel, ſi reperiatur, non expedit tamen ipſi confiteri propter rationes juſtas & fundatas v. g. quia cognoſceret complicem, quia revelaret ſigillum, aut excitaret pœnitentem ad peccatum, aut excitaretur ipſemet. His autem caſibus & ſimilibus, non exponeretur Sacramentum periculo nullitatis; quia utentis ex juſta cauſa juriſdictione probabili, defectum ſupplet Eccleſia, conferendo ipſi pro illo actu juriſdictionem, ſi non habeat. Ita Suarez, Lugo, Marchantius, Boſco, Coen, Neeſen, & alii ſatis communiter. Imò vult Neeſen toties ſupplere defectum, quoties utitur quis juriſdictione probabili, cui non aſſentior; & ideò ſit

CONCLUSIO II.

ECcleſia non ſupplet juriſdictionem illius, qui reverà illam non habet, ſi vel ſine cauſa, vel relicta certa, utatur juriſdictione probabili.

Ratio eſt; quia nemini Eccleſia patrocinatur in iis quę ſunt irrationabilia: irrationabile autem eſt, quòd quis pro ſuo libitu, & ex præſumptione ſuæ opinionis amplectatur juriſdictionem fortè falſam: unde hoc condemnavit Innoc. XI. dum proſcripſit uſum ſententiæ probabilis relicta tutiori, quando agitur de valore Sacramentorum.

CONCLUSIO III.

ECcleſia ſupplet juriſdictionem Sacerdotis illius, qui propter titulum coloratum bona fide creditur communiter habere juriſdictionem, quam non habet. Ita DD. communiter.

Ratio eſt; quia hoc videtur pertinere ad ſuavem Eccleſiæ providentiam, ne propter titulum coloratum bona fide à pœnitentibus apprehenſum, aliqua anima pereat, aut ſaltem innumeris crucietur anxietatibus & perturbationibus circa confeſſiones præteritas.

Dixi 1. *Sacerdotis illius*; quia ſi non erat Sacerdos, Eccleſia nec ſupplet, nec ſupplere poteſt defectum illius, cùm adſit juris divini impedimentum, in quod non habet poteſtatem; & ideò confeſſiones illæ fuerunt invalidæ, adeoque eo meliore modo, quo fieri poteſt, repetendæ.

Dixi 2. *Bona fide creditur*; quia ſi adſit dubium, aut ſuſpicio de ejus idoneitate, infundatè creditur ab Eccleſia juriſdictionem conferri, cùm tunc pœnitentes magis cenſeantur ſeipſos decipere, quàm decipi.

Dixi 3. *Communiter*; quia ſi error ſit tantùm aliquorum & non communis, nihil ſupplet Eccleſia, juxta DD. communiter.

Dixi denique: *Propter titulum coloratum*. Eſt autem titulus coloratus collatio alicujus Beneficii curam animarum annexam habentis, aut delegatio juriſdictionis apparenter legitima: quæ tamen collatio aut delegatio ſit invalida propter occultum ſuſcipientis, aut conferentis defectum, utpotè quia ſuſcipiens erat irregularis, aut in ipſa ſuſceptione ſimoniacus &c. Hinc

Reſol. Non debere anxiari confeſſarium, aut pœnitentem, ſi inadvertenter finito anno, quo durabat juriſdictio, facta eſt aliqua confeſſio, ſicut nec quando revocata fuit poteſtas ipſis inſciis. Imò licèt peccaret confeſſarius id reſciens, tamen valida eſſet confeſſio pœnitentium ob rationes præfatas, ſi adeſſent conditiones aſſignatæ.

Dices 1. Si propter errorem communem ſupplet Eccleſia juriſdictionem: ergo etiam ſupplet, quando ſententia aliqua creditur probabilis ob DD. opinionem: quod tamen Concl. 2. negatum eſt.

Reſp. Diſt. Conſeq. Supplet, ſi adſit etiam error communis, & aliæ conditiones hac in Concluſione requiſitæ: C. ſi deſint: N. & in hoc ſenſu loquimur Concl. 2. Unde volumus Eccleſiam quidem ſupplere quandoque defectum in favorem pœnitentium, nunquam tamen in gratiam confeſſarii putativi, aut probabilis.

Dices 2. Eadem inconvenientia nata ſunt ſequi ex Abſolutione Paſtoris non colorati, ac colorati: ergo ſi ſupplet Eccleſia ubi adeſt titulus coloratus, etiam ſupplet ubi ille deeſt, ſi adſit error communis. Concedunt aliqui totum, volentes ſufficere errorem communem ſine titulo; Sed

Reſp. Diſt. Ant. Nata ſunt ſequi reſpectu pœnitentium imprudentium: C. ſed non cenſetur velle illis favere Eccleſia. Reſpectu prudentium: N. quia imprudentia eſt admittere aliquem tamquam Confeſſarium ſine exhibitione tituli.

Sed quid ſi titulus ſit fictus, v.g. Litteræ juriſdictionales cum ſigillo ab ipſo Sacerdote fabricatæ? Inclinor illo caſu in favorem pœnitentium, ob rationes datas.

Dices 3. Abſoluti ab habente duplicem Parochiam dicuntur damnabiliter decepti, cap. 54. de Elect. quia, ut ait Gloſſa in illud cap. ètli poſſent Epiſcopi diſpenſare in pluralitate Beneficiorum, etiam curatorum ante Concilium Lateranenſe III. non tamen poſtea, & ſic conceſſio Epiſcopi ibi prætenſa nulla erat.

Reſp. Deceptionem dici damnabilem ex parte decipientis, quia ille graviter peccaverat; non tamen ex parte deceptorum, ſi ex parte ipſorum fuerit bona fides, & alia ante requiſita. Satis tamen probabile eſt, defuiſſe bonam fidem ex parte pœnitentium, cùm tunc non eſſet in Eccleſia uſitatum poſſidere duas Parochias.

Dices 4. Eccleſia non approbat, quod prohibet: ergo non dat juriſdictionem illi, quem prohibet abſolvere.

Reſpond. Diſt. Ant. Non approbatur ut licitum: C. ut validum, in favorem non decipientis, ſed invincibiliter decepti: N.

QUÆSTIO VI.

Qualiter requiratur approbatio Epiſcopi, & an Epiſcopus teneatur illam dare?

SUppono Approbationem hac in re eſſe teſtimonium authenticum & legitimum Epiſcopi de idoneitate Sacerdotis ad confeſſiones excipiendas.

CONCLUSIO I.

NUllus poteſt Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, validè excipere, niſi vel habeat Beneficium aut Officium habens annexam curam animarum, ratione cujus dicitur ſtatim ipſo jure approbatus pro tempore, quo Beneficium aut Officium retinet, vel niſi mediante examine (ſi neceſſarium judicaverit Epiſcopus) idoneus reperiatur. Patet ex Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de Reform. Hæc tamen Approbatio ante Concilium non erat neceſſaria: nam jure antiquo poterant delegare juriſdictionem Parochi etiam non approbatis ab Epiſcopo.

Dixi: *Confeſſiones ſæcularium*; quia Trid. nihil innovavit circa Confeſſiones Regularium. Quamvis autem Gregorius XV. Bulla *Inſcrutabili Dei providentia*, data anno 1622. ſtatuat, ut nullus Sacerdos, etiam Regularis, quomodocumque exemptus, poſſit audire Confeſſiones Monialium etiam ſibi ſubditarum, niſi fuerit approbatus ab Epiſcopo Diœceſano; hæc tamen Bulla, ſaltem quoad hoc ſuſpenſa fuit ab Urbano VIII. pro Ditione Regis Hiſpaniæ, & conſequenter pro Belgio tunc eidem Regi ſubjecto, ut teſtatur Lezana Tom. 1. Quæſt. Regular. cap. 19. num. 35. qui & aſſerit Conſulto 4. ſe vidiſſe Bullam ſuſpenſionis: hocque confirmat praxis contraria Belgarum: unde poteſt Sacerdos ſive ſæcularis, ſive Regularis ſine approbatione Epiſco-

pi, audire in illis locis Confessiones Regularium, utriusque sexus, si à superiore legitimo deputetur. Successit quidem anno 1670. Bulla Clementis X. quæ incipit Superna, ubi idem statuitur, quod in Bulla Gregorii, sed hanc quoad plurima, nullius esse vigoris in Belgio, ostendit praxis Episcoporum quotidiana, cùm Regulares quoscumque, etiam in Theologia Magistros admittant ad unum, duos, aut ad summum tres annos, licèt in eadem Bulla ponatur generaliter repertos idoneos admittendos esse sine limitatione temporis, personarum & locorum. Deinde ibidem legitur, *generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum secularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione*. Quis autem Episcoporum Belgarum hanc specialem approbationem necessariam putavit? Aut quis Regularium illam hactenus poposcit pro audiendis propriis Monialibus? Aliud est de Monialibus Episcopo subditis.

CONCLUSIO II.

NOn est necesse, quòd Confessarius sit approbatus ab Episcopo proprio, vel ab Episcopo loci, in quo audit confessiones; sed sufficit & requiritur, quòd sit approbatus ab Episcopo pœnitentis, nisi privilegia, aut constitutio particularis aliud decernant.

Prob. 1. pars; quia subditus Episcopi Tornacensis v.g. approbatus ab Episcopo Cameracensi, potest audire confessiones Cameracensium, licèt non sit approbatus ab Episcopo Tornacensi, ut patet experientia quotidiana.

Prob. 2. pars; Parochus potest audire suum pœnitentem ubivis terrarum; quia locus habet se per accidens respectu confessarii & pœnitentis.

Prob. 3. pars ex praxi, etiam timoratorum, communi; & certè hoc est rationi consentaneum: nam cùm Tridentinum requirat approbationem in Confessario, ut sic inidoneus repellatur, videtur sufficere & requiri, quod Episcopus, qui suos Diœcesanos alicui subdit, certificetur de idoneitate illius. Hinc

Resol. 1. Sacerdotem habitantem in Diœcesi Cameracensi, in qua non est approbatus, posse, per se loquendo, audire confessiones Atrebatensium ad se venientium, si ab eorum Episcopo sit approbatus. Dico *per se loquendo*, propter dicenda inferiùs.

Resol. 2. Sæcularem, aut etiam Regularem non privilegiatum, non posse in Diœcesi Cameracensi v.g. in qua residet, & est approbatus, excipere confessiones venientium ex Diœcesi Atrebatensi, in qua non est approbatus; quia nullam prorsus habet jurisdictionem in ipsos, cùm non sit ab eorum Episcopo delegatus & approbatus. Excipe tamen nisi consuetudo tacito Episcoporum consensu probata id permittat, ut videtur permissum saltem in his locis, ubi Diœceses diversæ in eadem Civitate concurrunt. Quo casu sicut Episcopus pœnitentis dat ipsi jurisdictionem, ita & approbationem.

Dixi 1. *Nisi privilegia* &c. quia Regulares privilegiati approbati ab Episcopo loci, in quo Confessiones excipiunt, absolvere possunt omnes ad se venientes, cujuscumque sint Diœcesis, in qua ipsi non sunt approbati, ut dicemus posteà.

Dixi 2. *Aut Constitutio particularis*; quia Clemens X. inhibuit Regularibus per Constitutionem, quæ incipit *Superna*, ne audiant in Diœcesi, in qua non sunt approbati, pœnitentes venientes ex Diœcesi, in qua fuerunt approbati. Sed ut benè advertit Platel, inhibitio illa tangit publicam administrationem, ne sit jurisdictionum conflictus, & ut aliundè vitetur periculum etiam alios audiendi, à quorum Episcopo non sunt approbati; & ideò publicas absolutiones in illo casu non tantùm Regularibus, sed & sæcularibus prohibitas esse arbitror, cùm militet eadem ratio: & ideò dixi suprà: Per se loquendo. Nec his tamen, nec illis prohibita videtur administratio privata: nisi certè aliud insinuet S. Sedes.

CONCLUSIO III.

APprobatus in una Diœcesi, non est approbatus pro aliis Diœcesibus, licet nonnulli contrarium docuerint, quorum opinio jam est improbabilis, tum propter hujus propositionis condemnationem ab Alexandro VII. *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova indigent approbatione*; tùm propter responsionem Innocentii X. in Causa Episcopi Angelopolitani contra PP. Societatis, in qua decernit Regulares in una Diœcesi approbatos, non posse in alia Diœcesi confessiones sæcularium excipere, nisi ibidem approbentur. Quòd antea satis ostenderat Tridentinum sess. 23. cap. 15. ubi requirit etiam pro Regularibus, non tantùm approbationem ab Episcopo, sed etiam ab Episcopis.

Utrum autem Mendicantes, & alii privilegiati ab uno Episcopo approbati, possint, dum iter faciunt, ubique transeundo Confessiones excipere, modò non contradicant Parochi, nec id faciant in locis ubi existunt Ordinarii? Affirmant plurimi propter privilegium Xisti IV. datum Minoritis, & privilegium Gregorii XIII. concessum PP. Societatis; negant tamen aliqui, voluntque hæc privilegia esse revocata tùm à Tridentino, tùm ab Urbano VIII. per Decretum editum anno 1628. Quare non suaderem usum illius privilegii.

Dubitari posset hic, an Parochus v.g. Diœcesis Cameracensis possit, delegatus à Parocho Diœcesis Atrebatensis, ibidem audire confessiones sine approbatione Episcopi illius loci.

Affirmant Vasquez, Lugo, Suarez, Herinx, & plurimi alii; quia habens Beneficium parochiale censetur esse ubique approbatus; & ideò asserunt à quolibet in quacumque Diœcesi posse eligi in confessarium tempore Jubilæi. Varii tamen id negant; quia potest fieri, quòd talis idoneus pro sua Diœcesi, non sit pro altera, in qua sunt alii hominum mores, alia instituta commercia; imò decisum esse à S. Congregatione, asserit Barbosa p.2.c.1.n.3. de potestate Parochorum. De hac tamen decisione non constare authenticè affirmat Tambur. l. 5. de Pœn. c. 5. § 3. Quidquid sit, non est facilè practicandum propter rei incertitudinem, nisi certè consuetudo tacito Episcoporum consensu sufficienter probata, contrarium alicubi introduxerit.

CONCLUSIO IV.

NOn teneretur Episcopus dare approbationem Presbytero sæculari, quamvis idoneus sit, modò non examinetur.

Ratio est; quia nulla lege id ipsi præcipitur: unde ejus approbatio est merè gratiosa.

Dixi: *Modò non examinetur*; nam si ad examen admissus, & in eo repertus idoneus reprobetur, videtur fieri ipsi injuria, inquit Bosco de Jubilæo sect. 5.

QUÆSTIO VII.

An possit Episcopus postulatam à Regularibus Approbationem negare, limitare, aut revocare?

MAteria sanè Scriptoribus odiosa & ingrata: si enim quod justum est Episcopis tribuant, malè audiunt apud Regulares quosdam, qui certis privilegiis, etiam quandoque revocatis, plus justo adhærentes, omnia in suam partem trahere volunt: si aliundè justa Regularium privilegia defendant, displicent quibusdam anti-Religiosis, qui in id videntur incumbere, ut Episcopis persuadeant inspecta, aut saltem inutilia esse Regularium servitia: Interim quidquid sit, veritatem dicam ex Summorum Pontificum Oraculis.

CONCLUSIO I.

POtest quandoque Episcopus ex causa Regularibus privilegiatis approbationem denegare: Hi autem, etiamsi injustam crediderint repulsam, non possunt validè absolvere.

Prob. 1. Pars; quia juxta Constitutionem Clementis X. citatam, potest quandoque Episcopus *nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat*, approbationem datam revocare: ergo à fortiori subsistente causa, necdum datam denegare.

Prob. 2. pars; quia licet jurisdictionem suam habeant à Summo Pontifice, debent tamen esse verè approbati ab Episcopo, quia id requirit Tridentinum non obstante quocumque privilegio. Præterea S. Pius V. in Bulla, quæ incipit Romani Pontificis, absolutè requirit approbationem obtentam, qualis non est negata, licèt injustè. Unde hanc Propositionem condemnavit Alexand. VII. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato*. Quod non condemnasset, si talis Confessio valida fuisset. Ex quibus patet derogatum esse Clement. *Dudum* de sepult. ubi Clemens V. in Concilio Viennensi statuit,

ut

ut si prelati Fratribus seu Regularibus sibi à Superioribus presentatis dare licentiam audiendi Confessiones renuerint, ipsis ille eam licentiam ex tunc gratiosè concedit.

CONCLUSIO II.

QUoad Approbationum limitationem, sic loquitur Clemens X. in Constitutione *Superna: Illos autem Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopo, generaliter quoque & indistinctè absque limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis, personarum in Diœcesi propria admittendos; quoad cęteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, Ordinariorum arbitrio relinqui, ipsos autem facultate limitata, prout iisdem Ordinariis magis videbitur expedire, approbare & admittere.*

Nec mirum; quia potest quis esse idoneus pro Rusticis, & non pro mercatoribus; pro Plebeis, non pro Judicibus, pro viris, non pro fœminis; pro necessitate ratione idiomatis, non pro semper. Item potest aliquando præsumi ex circumstantiis quod hic studia sua fovebit, non ille.

CONCLUSIO III.

POtest Episcopus revocare approbationem Regularium, ad certum tempus, ad placitum, ad revocationem, imò ad semper Approbatorum, si causa superveniat concernens ipsas Confessiones, aliàs non, si fuerint ab ipso approbati.

Prob. 1. Pars; quia si hoc non posset Episcopus, non posset sufficienter providere ovium suarum regimini.

Dixi: *Si superveniat causa concernens ipsas Confessiones*, ut si Confessarius temerariè resolvat, imprudenter consulat, studia negligat, pœnitentes terreat, in peccatis foveat &c. idem est, si male vivat. Porro, inquit Clemens X. Constit. cit. *Si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi (in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus) cùm præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas, sit vitæ integritas, ac morum honestas: utique eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis.* Ubi autem Episcopus, Regularis approbationem ex causa revocat, monet præfatus Pontifex de causa *haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare sed Sedi Apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.*

Prob. 2. Pars, quia videtur fieri approbatis injuria, auferendo nempè jus, ad quod per sententiam ipsiusmet Episcopi acquisierunt per Examen prævium; cùm approbatio tunc non habeat se per modum gratiæ ex se revocabilis, sed per modum debiti, quod transit in rem judicatam: unde Clemens sup. *Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas, prævio examine, simpliciter & absque ulla temporis prefinitione ab ipsomet Episcopo approbatos (secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab iisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias ipsas concessas revocare, nisi nova superveniente causa, quę ipsas confessiones concernat.* Hoc ipsum autem antea statuerat S. Congregatio anno 1615. 20. Novemb nempè Ordinariis Confessarios Regules aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hoc minimè licere, nisi ex nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente. Imò S. Pius V. Bulla *Romani Pontificis*, sic loquitur: *Qui semel ab Episcopo . . . prçvio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non possint examinari*: ergo nec à fortiori reprobari. *Ab Episcopo tamen successore pro majori conscientiæ quiete examinari de novo poterunt.*

QUÆSTIO VIII.

Quid dicendum de Casibus reservatis?

CUm Casuum reservatio nihil sit aliud, quàm limitatio potestatis à legitimo superiore inducta, ratione cujus non potest Sacerdos à certis peccatis absolvere; ideò convenienter post Quæstionem de Jurisdictione & Approbatione, hic de Casuum reservatione agitur.

ARTICULUS I.

Quid sit Casus reservatus, an, & à quo possit reservari?

CONCLUSIO I.

CAsus reservatus est peccatum mortale externum, certum, & in sua specie completum, quod non potest à quolibet Confessario absolvi defectu potestatis.

Dixi 1. *Peccatum mortale*; quia cùm non teneamur confiteri venialia, frustra reservarentur. Idem est de mortalibus antea per Absolutionem directè remissis; in rigore tamen possent reservari, adimendo scilicet confessario potestatem absolvendi ab illis, casu quo in confessinne exprimerentur; hoc tamen non solet fieri: & ideò si commisisti peccatum, quod defectu plenæ advertentiæ, aut sufficientis materiæ, tantùm est veniale, non censetur reservatum.

Dixi 2. *Externum*; nam licèt Ecclesia reservare possit peccata interna; ordinariè tamen non facit; quia non videtur ita necessarium ad illius regimen. Hinc ubi homicidium reservatum est, aut læsio gravis, si proximum leviter percutias; licèt animo occidendi, aut graviter lædendi, non incurris casum reservatum.

Dixi 3. *Certum*; quia cùm reservatio sit odiosa, odia autem sint restringenda, non intelliguntur peccata reservata, nisi sint in sua specie certa: unde dubitans de peccato, quod est reservatum, sicut & certus de illo, sed dubius an sit mortale defectu advertentiæ, potest absolvi à Confessario communi.

Dixi 4. *Et in sua specie completum*: & ideò licèt peccatum inchoatum sit quandoque gravius peccato completo (ut accidit quando quis inchoata copula carnali se retrahit extra seminans, ne fœtus sequatur) quia tamen non potest dici simpliciter loquendo, esse de facto tale peccatum, non reputatur reservatum.

Advertendum tamen casum reservatum incurri independenter à cognitione reservationis; quia illius ignorantia non dilatat jurisdictionem confessarii quoad hunc casum simpliciter limitatam.

CONCLUSIO II.

DAtur in Ecclesia potestas reservandi peccata. Est de fide in Conc. Trid. sess. 14. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus &c. Anathema sit.* Hæc autem non est contra proximi charitatem, ut asserit Vvicleffus, sed ad convenientem populi Christiani disciplinam, id est, ut difficultas Absolutionis coerceat facilitatem peccati committendi.

CONCLUSIO III.

SEclusa prohibitione, potest omnis ille reservare casus intra terminos suæ jurisdictionis, qui potest jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam conferre.

Ratio est; quia sicut Ordinarius potest pro libitu dare, vel negare jurisdictionem, ita pro libitu integram vel limitatam concedere: modo sit discreta & moderata: nam si nimia, & potius cedens in perniciem animarum, quàm utilitatem, eo quod reddat usum confessionis nimis odiosum, peccabit mortaliter reservans, etiamsi sit Summus Pontifex: imò tenent aliqui, invalidam esse reservationem Episcopi (non tamen Papæ) si tanta sit, ut Pastor nequeat debitè suo munere fungi; quòd hic nolo discutere; cùm Episcoporum prudentia obviare soleat simili inconvenienti. Hinc

Resol. 1. Summum Pontificem posse reservare casus pro toto orbe Christiano: nam licèt Episcopus habeat jurisdictionem ordinariam respectu suæ Diœcesis, est tamen subordinata jurisdictioni Papæ, qui potest illam limitare, sicut propter eamdem rationem, potest Episcopus restringere jurisdictionem Parochi.

Resol. 2. Episcopos posse reservare casus pro tota sua Diœcesi: quando autem reservant, hoc faciunt ordinariè non tantùm ratione censuræ, sicut Papa, ut dicemus infrà, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, quamvis nulla sit censura; imò quando casui reservato annectunt excommunicationem, censentur & casum & excommunicationem independenter à se invicem reservare, nisi contrarium constet ex verbis aut circumstantiis, & sic eo casu, quis ratione ignorantiæ excommunicationem non incurrisset, adhuc incurrisset casum reservatum.

Resol. 3. Idem per se loquendo, posse Parochos respectu

suæ Parochiæ, sicut & superiores Religionum respectu suorum: illi tamen id facere prohibentur vel per usum contrarium, vel per tacitam Episcoporum inhibitionem, ne nimia sit casuum reservatio: Hi autem propter Bullam Clem. VIII. in qua decernit, ut Prælati Regulares sine matura discussione Capituli Generalis aut Provincialis non possint sibi ulla peccata suorum Religiosorum reservare præter ea, quæ ibi enumerantur, & quæ referemus Articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Qui sint Casus Papales & Regulares?

CONCLUSIO I.

PRæcipui casus Papales continentur in Bulla Cœnæ, suntque sequentes, habentes annexam excommunicationem, 1 In omnes Hæreticos & legentes libros Hæreticorum sine licentia Papæ, 2. Appellantes à Papa ad futurum Concilium Generale, 3. In Piratas auferentes bona Christianorum naufragantium, aut scienter ab illis rapta accipientes, 4. In eos, qui imponunt nova pedagia, seu Gabelias sine legitima potestate, 5 In falsificantes Litteras Apostolicas, 6. In deferentes arma ad Christiani nominis hostes, quibus Christianos oppugnent, 7. Contra impedientes & invadentes eos, qui victualia, aut alia necessaria ad usum Romanæ Curiæ deferunt, 8. Contra eos, qui ex proposito Peregrinos ex devotione Romam petentes spoliant, aut offendunt, 9. In hostiliter insequentes, interficientes, mutilantes, offendentes Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem ejicientes ex suis Diœcesibus, 10. In eos, qui directè percutiunt, occidunt, aut bonis spoliant eos, qui ad Romanam Curiam accurrunt pro suis negotiis, vel horum negotiorum Advocatos agentes, 11. In Officiales Principum sæcularium, & Prælatos Ecclesiasticos, qui causas Ecclesiasticas, à Judicibus Apostolicis amovent, & Actores ad revocanda impetrata compellunt, 12. In Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas præter juris dispositionem, ad suum Tribunal trahunt, vel trahi faciunt, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, lædunt, deprimunt, aut quovis modo restringunt, unde Romanæ Ecclesiæ, aut quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præjudicant, 13. In impedientes Prælatos, Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, juxta Canones & Decreta Conciliorum, 14. In usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum jurisdictiones, fructus, redditus & proventus sine expressa licentia Papæ, 15. In imponentes collectas, decimas, tributa & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus absque speciali & expressa licentia Summi Pontificis. Item in exequentes, procurantes, dantes consilium, auxilium, favorem, suffragium palam vel occultè, 16. In judices sæculares, in causis capitalibus seu criminalibus contra personas quascumque Ecclesiasticas se interponentes processando, sententias proferendo, aut exequendo: nec valent privilegia contraria, 17. In occupantes terras & loca Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam jurisdictionem exercentes, 18. In raptores supellectilium, librorum, scriptorum, & bonorum Cameræ & Palatii Apostolici, ex eodem Palatio, tempore infirmitatis Pontificis, & Sedis Apostolicæ vacationis.

Ab his autem absolvere præsumentes sive Regulares, sive Sæculares, ipso facto excommunicantur, nihilque operantur.

Præter hos casus, plurimos alios Papales refert Bassæus Verbo *Casus reservatus*; sed post Bullam Clementis VIII. anno 1602. 26 Novemb. ultrà contentos in Bulla Cœnæ, tantum reservantur Papæ sequentes, 1. Contra Religiosos omnes, qui sine expressa licentia Parochi administrant Clericis, aut laicis Extremam-unctionem, aut Eucharistiam. Clem. *Religiosi* de Privilegiis, 2. Contra dantes aut accipientes pro ingressu Religionis, Extravag. *Sanè* de Simonia, 3. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ juxta Const. Greg. XIV. *Cum aliàs*, 4. Violatio clausuræ Monialium ob malum finem. 5. Provocantes & pugnantes in duello juxta Decretum Conc. Triden & Constitutionem Greg. XIII. *Ad tollendum*, 6 Violenta injectio manus in Clerico, juxta can. *Si quis suadente* 17. q. 4. Denique Simonia realis scienter contracta, atque etiam confidentia beneficialis. Circa casus Papales

Adverte 1. Casus illos magis esse reservatos propter excommunicationem ipsis annexam, quàm propter ipsum peccatum; quandoquidem, juxta sententiam communem, eo ipso quo tollitur à Papa excommunicatio, tollatur & reservatio, fiatque materia jurisdictionis communis.

Adverte 2. Cùm juxta dicta de Legibus, Censura non incurratur ab eo, qui illam ignorat invincibiliter, nec probabiliùs ab ignorante vincibiliter, modò ignorantia non sit crassa aut supina, paucos in his locis, saltem ex rudioribus, incurrere casus Papales, cùm ferè omnes ignorent excommunicationem ipsis annexam, quæ ubi non incurritur, nec casus Papalis reservatur, ut dictum est.

Adverte 3. Licèt magis reservetur censura, quam peccatum ut dixi, utrumque tamen reservari; aliàs oblitus censuræ, aut putans bona fide ejus declarationem non esse in confessionali faciendam, validè posset absolvi à communi confessario: quod negant DD. communiter.

Adverte 4. Quandò Summus Pontifex concedit facultatem absolvendi à casibus reservatis, etiam concedere facultatem absolvendi ab excommunicatione ipsis annexa, quia sicut casus & excommunicatio sunt semper connexa; ita concessa facultate ad unum, intelligitur concessa ad alterum.

Adverte 5 Casus Papales fieri Episcopales, idest, posse ab Episcopo absolvi, si saltem excipiantur contenti in Bulla Cœnæ, de quibus Art. 4. 1. Quando sunt occulti, ut insinuat Trid. sess. 24. cap. 6. 2. Ubi quis ratione paupertatis, infirmitatis, aut senectutis, non potest adire Sedem Romanam, cap *Ea noscitur* de Sent. excomm 3. Si Herus servum, Maritus uxorem, Pater filium impediat ab itinere Romano, cap *Mulieres*, 4 Si adsit incontinentiæ periculum, 5. Si peccata sint tantùm impuberum.

Adverte 6. Bullam Cœnæ esse hic in vigore, quidquid dicant aliqui volentes non esse debitè publicatam & receptam; quandoquidem congregatio supremæ & universalis inquisitionis, condemnaverit anno 1657. hanc Assertionem ut Schismaticam, scandalosam, falsam &c. *Bullam tamen Cœnę Domini, eis in Regionibus*, idest, in Belgio, *in quo promulgatam non esse testantur multi; non obligare, probabilis est multorum sententia.*

CONCLUSIO II.

CAsus Regulares à Clemente VIII. limitati & recensiti, sunt sequentes, 1. Veneficia, incantationes, & sortilegia, 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii aut conventus fiat egressio, 3. Nocturna & furtiva è monasterio, seu conventu egressio, etiam animo non apostatandi, 4 *Pro*prietas contra Votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus, 6. Impedimentum malitiosum, aut retardatio, vel apertio litterarum à superioribus ad inferiores, vel è contra, 7. Occisio & vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ, 8. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo, 9. Procuratio, auxilium, & consilium ad abortum faciendum, post animatum fœtum, etiam effectu non secuto, 10. Furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale, 11. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium monasterii aut conventus Circa hos casus

Adverte 1. Non teneri Prælatos hos omnes reservare, sed posse vel omnes, vel aliquos, ut in dicta Bulla traditur. In Religione tamen Seraphica sunt omnes reservati: quibus Capitulum Generale addidit pollutionem voluntariè procuratam, si fortè non contineatur sub lapsu carnis opere consummato, & inobedientiam contumacem, qualis esse declaratur, *quando quis trina monitione præmissa, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perseverat.* Ita habetur in Statutis Generalibus Leodii impressis.

Adverte 2. Illudere Constitutionem Apostolicam, qui, quia non possunt casus sibi reservare, reservant sibi excommunicationem, quam certis peccatis annectunt: quam reservationem nullam esse declaravit S. Cardinalium Congregatio 7. Julii anno 1617. teste Lugo De Pœn. Disp. 2. sect. 4. num. 47.

Adverte 3. Non incurrere casum Apostasiæ reservatum, qui egreditur animo redeundi, quia ad reservationem animum contrarium requirit Pontifex. Similiter non est casus reservatus, dùm quis, etiam assumptis sæcularibus vestibus, conatur, quantùm in se est, egredi, ubi non egreditur de facto.

Adverte 4. Ad egressum è Monasterio reservatum requiri, quod sit & furtivus & nocturnus, quorum uno deficiente, deficit reservatio: Non censetur autem nocturnè egrediens

diens, qui egreditur cùm vesperi diescere desinit, aut cùm manè diescere incipit; quia licet physicè loquendo, computetur nox ab occasu solis ad ortum, non tamen moraliter loquendo.

Adverte 5. Incurri casum falsificationis ab eo, qui, proditis litteris obedientialibus, alias sibi fingit, falsificata manu & sigillo superioris; quia censentur fieri gravis injuria superiorum authoritati, censeturque rationabiliter inviti, si iter conficiendum non sit absolutè necessarium. Aliud crederem si quis, non ambulandi causa, sed propter negotia urgentia, & maximè necessaria, deberet inchoatum iter perficere, nec alia via pateret; quia posset tunc præsumi de superioris voluntate.

Adverte 6. Non incurri casum pollutionis reservatum ab eo, qui præcisè turpia legendo, loquendo aut cogitando polluitur; quia cùm illa non sint ex se pollutionis procurativa, non censetur pollutionem sibi procurasse, modo hic intellecto: aliud esset de eo (quidquid contradicant aliqui) qui per talia pollutionem intenderet, atque, ideò, ut sequeretur, delectationem veneream per imaginationem fortem in se augeret; quia moraliter loquendo censeretur sibi illam procurasse. Unde non requiritur necessariò ad hunc casum tactus aut motus in propria carne, sed sufficit talis, ut moraliter reputetur pollutionis procurativus; & ideo etiam sufficere potest tactus carnis alienæ.

Sed quid de eo, qui sine sui pollutione alterum polluit sive ejusdem, sive diversi sexus? Volunt nonnulli incurrere casum; quia correlativorum eadem est ratio; sed ego, salvo meliori judicio, contrarium existimo cum pluribus aliis; quia si hunc casum voluissent comprehendere reservantes, dixissent: Pollutio in se vel in alio voluntariè procurata.

ARTICULUS III.

Qui sint Casus Episcopales Belgici?

QUoniam Opera nostra sunt portatilia, & uliundè posset quis memoriæ labilis, indigere casuum reservatorum notitia in iis locis, in quibus non patet ipsi ad illos recursus: hinc lectori non ingratum fore judicavi illos hic exponere cum quibusdam annotationibus.

CASUS

ARCHI-DIOECESIS CAMERACENSIS.

1. HÆresis externa signo manifestata, 2. Apostasia à Fide, à Religione, vel ab Ordine majori, 3. Publica & enormis Blasphemia in Deum vel Sanctos, ex odio & affectu contemnendi Deum deliberatè facta, 4. Homicidium, 5. Incestus cum patre, matre, vitrico, noverca, filio, filia, privigno, privigna, & cum mulieribus Religiosis, 7. Maleficia, sive quis implicitè, sive explicitè, sive mediatè, sive immediatè, sive per tertiam personam alicui nocuerit, sive in fortuna, sive in honore, & aliis rebus, sive signis, sive ligaturis, 7. Simonia realis, 8. Sodomia cum eodem sexu, & bestialitas, 9. Incendium Ecclesiæ, domorum, frugum, & aliarum rerum ex proposito factum, 10. Peccara mandantium, consulentium, auxilium aut favorem præstantium in hæresi, homicidio, incendio, maleficiisque supradictis, 11. Injectio violenta manus in patrem, matrem, avum, aviam, proavum, proaviam, vitricum, novercam; 12. Crimen falsarii, si scriptura fiat publicè, nomine Regis, Principis, Magistratus, Judicis, 13. Violatio Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis.

Adverte 1. Apostasiam reservatam debere esse exteriorem & interiorem simul; ita ut si exteriùs gerat se aliquis ut Catholicum, Religiosum, aut Clericum, licèt non sit talis interiùs, & è contra, non incurrat casum reservatum.

Adverte 2. Blasphemiam dici *publicam*, si fiat coram decem personis, imò coram duabus aut tribus, si indè fiat publica, hocque prævideril, aut prævidere potuerit blasphemans, *enormem* verò, si, non ex passione subita, aut consuetudine, licèt mortali, sed deliberatè & ex proposito negetur, irrideatur aut contemnatur Deus, Christus, Sacramenta, Fides, Evangelium, Chrisma, &c. Idem est de irrisione aut contemptu sanctorum Sacrarum imaginum, Reliquiarum &c.

Adverte 3. Quibus permissum est ex privilegio Apostolico absolvere duellantes, non posse absolvere ab homicidio Episcopo reservato, si ex duello sequatur.

Adverte 4. Circa incestum seu sacrilegium cum mulieribus Religiosis, quòd licèt ille casus incurratur à sæculari cognoscente mulierem Religiosam, non tamen à Religioso cognoscente mulierem sæcularem, sive solutam, sive maritatam; quia reservatio, utpotè odiosa, adeoque non amplianda, comprehendit unum, & non aliud.

Adverte 5. Per injectionem manus in parentes, intelligi quamlibet injuriosam actionem realem, sive fiat manu, sive pede, sive gladio, sive fuste, sive aqua, sive pulvere, sive sputo; imò & comprehendit parentum etiam meritorum detentionem, incarcerationem &c. quia non est prolium castigare parentes. Incurritur etiam hic casus per levem percussionem, si adsit animus & modus injuriosus, quia licèt levis in se, gravis est tamen attentis percutiente & percusso.

CASUS

DIOECESIS TORNACENSIS.

1. HÆresis reservatur Episcopo, 2. Homicidium Pœnitentiario, 3. Peccata, ob quæ imponenda esset pœnitentia solemnis, sicut & excommunicatio, suspensio, & interdictum Episcopale, reservantur Officiali. Sequentia verò reservantur Parochis, 1 Apostasia, 2. Sacrilegium factum cum Eucharistia, aut Chrismate, 3. Perjurium solemne, 4. Violenta injectio manuum in parentes cum læsione, 5. Violatio Voti solemnis, 6. Veneficium, 7. Procuratio sterilitatis vel aborsus, 8 Sacrilegium excedens 40. solidos, 9. Usura notoria, 10 Incendium voluntate deliberata procuratum, 11. Adulterium notorium, 12. Incestus cum Monialibus, aut Consanguineis intra tertium gradum, 13. Sodomia, 14. Raptus Virginum, 15. Falsum testimonium in judicio, 16. Crimen falsi. Denique simonia realis, & prædictis graviora in eodem genere peccati. Hoc tempore tamen, idest, anno 1711. non videntur aliis casus reservati præter Matrimonium sine Bannis, & Frequentationem Popinarum à puellis promiscuè cum Juvenibus.

Adverte 1. Parum referre ad incurrendum casum popinæ, sive frequentantes sint in cubiculo, sive in horto, sive in locis adjacentibus, quia illa omnia veniunt nomine popinæ, & aliundè includuntur in Mandato D. De Choiseul.

Adverte 2. Quosdam immeritò nihili facere hanc reservationem, asserentes frequentationem illam esse rem de se indifferentem, adeoque reservationis incapacem; quia cùm illa frequentatio nata esset causare graves deordinationes, ut testificabitur totum Insulense Territorium, potuit illam Episcopus sub gravi peccato prohibere, & hujus præcepti transgressionem reservare, ut de facto fecit.

Adverte 3. Cùm finis hujus reservationis fuerit evitatio pessimarum illarum consuetudinum, 1. Casum illum non incurrere puellam, quæ rediens ex foro cum juvene ingreditur cum illo popinam, refectionem præcisè sumptura aut refrigerium, 2. nec parentes & amicos, qui egressi ex urbe ambulandi causa, simul collatiunculam sumunt in popina, licet inter eos reperiantur puellæ & juvenes non parentes, 3. Nec puellas aliquot, ad quas juvenes supervenientes ingrediuntur, si nullum præcesserit condictum, & aliundè deferant puellæ juvenes, ubi commodè possunt: casum tamen incurrunt juvenes, si illas ibi detineant, 4. nec rusticam, aut aliam transeuntem, si à juvenibur vocata sumat ibi in transitu unum aut alterum haustum cerevisiæ, ac statim egrediatur, 5. nec amasiam cum amasio, si in consortio sit pater aut mater puellæ. Ratio est; quia non videtur omnibus prudenter attentis, fuisse mentem reservantis hos casus comprehendere.

CASUS

DIOECESIS ATREBATENSIS.

1. HOmicidium, 2. Sodomia & bestialitas, 3. Excommunicatio major, 1. Contra eos, qui maleficiis usum Matrimonii impediunt, 2. Contra scienter contrahentes, aut celebrantes Matrimonium, ubi reperitur impedimentum dirimens, 3. Contra Usurarios publicos & manifestos, 4. Contra Clericos, etiam Regulares, bona Ecclesiæ alienantes in perpetuum, & laicos cum illis contrahentes, 5. Contra Clericos beneficiatos, aut Sacerdotes tenentes notoriè Concubinam, aut continuè mulierem in domo suspectam, 6. Clericos in sacro Ordine constitutos fide-jubentes, aut aliàs se obligantes, cum renuntiatione privilegii Clericalis, 7. Contra Clericos sacri Ordinis alium Clericum S. Ordinis convenire facientes coram Judice sæculari actione personali, 8. Contra eos, qui cum excommunicato excommunicatione Episcopo reservata communicant in crimine criminoso. Denique reservatur excommunica-

catio specialiter lata per sententiam Episcopi, vel Officialis in personas determinatas; secus si feratur indeterminatè, v.g. in eum, qui hoc vel illud fecerit.

His additi sunt quatuor novi in Synodo habita 12. Decemb. 1687. 1. perjurium coram Judice, 2. oppressio parvulorum facta à quibusdam personis cùm iisdem in eodem lecto recumbentibus ante primùm ætatis annum completum, 3. Incestus intra primum & secundum gradum, 4. Peccatum carnis consummatum cum Clerico in sacris Ordinibus constituto, aut cum Religioso, vel Moniali, tam pro dictis personis, quàm pro complicibus.

Adverte 1. Pœnitentem absolvi posse ab omnibus his casibus, saltem veteribus, à communi Confessario, semel dumtaxat, si generalem Confessionem instituat, ad seriam vitæ emendationem, ut declaratur in Manuali ejusdem Diœcesis.

Adverte 2. Sub peccatis in hac Diœcesi reservatis non comprehendi crimina puerorum, qui necdùm annum ætatis duodecimum expleverunt, ut declaravit Illustr. Guido Episcopus actualis.

Adverte 3. Conformiter ad dicta superiùs, consultum Illust. Episcopum actualem à nostris Lectoribus Duacensibus jam à 22. circiter annis, circa quartum casum novum, respondisse se non intendere reservare copulam, ubi copulans se retrahit extra seminaturus.

CASUS
DIOECESIS AUDOMARENSIS.

1. APostasia à Fide, Ordinibus sacris, aut Religione. 2. Magia. 3. Injectio violenta manus in patrem, matrem, avum, & aviam, sive percussio gravis sit, sed occulta; sive levis, sed publica. 4 Incendium ex deliberata malitia factum vel procuratum. 5. Homicidium voluntarium, ad id crimen cooperatio; procuratio aborsus; Oppressio vel suffocatio infantium; Infantem primo ætatis anno necdum expleto in uno eodem lecto collocare. 6. Duellum, Conventio ex condicto ad duelli locum, etiam duello non secuto: sicut & crimen spectantium, aut præstantium consilium, auxilium, aut favorem. 7. Sodomia, Bestialitas, Violatio sanctimonialis. 8. Incestus in primo aut secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. 9. Omnis & quilibet actus libidinosus Confessarii cum sua pœnitente, & pœnitentis cum Confessario. 10. Casus vitorum Ecclesiasticorum, qui de jure suspensiones incurrunt per statuta nostra latas, à quo, etiam habens casus reservatos, non potest absolvere, nisi specialem in scriptis facultatem obtinuerit.

Adverte 1. Quòd licèt collocare secum in eodem lecto parvulum, sit quid de se indifferens, ut diximus de frequentatione popinæ in Diœcesi Tournacensi, quia tamen experientia constat indè multas tenellorum infantium oppressiones, aut suffocationes evenisse, potuit Illustrissimus id graviter prohibere & reservare.

Adverte 2. si Confessarius audiendo quædam turpia in confessione à sua pœnitente, polluatur, non incurrere casum nonum, cùm actus ille sit quidem occasione pœnitentis, & quidem præsentis, non tamen cum pœnitente.

CASUS
DIOECESIS LEODIENSIS.

HÆresis, Apostasia, Homicidium, Injectio manuum in parentes, Machinatio in mortem conjugis. Veneficium, Maleficium, Incantatio, Procuratio aborsus, Prolis oppressio, Stuprum sive violenta virginis defloratio, Raptus, Matrimonium contractum post votum castitatis, aut in gradu prohibito scienter, aut Conjuge adhuc vivente, Incestus cum consanguineis, aut cum Moniali professa. Concubitus contra naturam, puta, sodomia, & ejus generis graviora, Falsitas circa monetam, Falsitas circa litteras alicujus Prælati Papæ inferioris, Perjurium solemne, Publica & enormis Blasphemia in Deum, aut Sanctos, Insignis contumelia illata Eucharistiæ, aut Reliquiis sanctorum.

Adverte 1. Ad Machinationem conjugis hic reservatam, non requiri ut conjux, sive maritus, sive uxor, de facto occidat compartem; sed satis esse, si aliquid per se, vel alium ad id ordinet, v. g. venenum, carcerem, verbera continua, rixas, & exprobrationes frequentes, licèt mors inde non sequatur.

Adverte 2. Hic reservatam esse procurationem aborsus non tantùm fœtus formati aut animati, sed etiam informis & inanimati; cùm veritas & essentia aborsùs non dependeat à formatione fœtus, aut animatione. Incurritur autem sive puella per se quibuscunque modis illam procuret, sive per alium. Quod etiam verum est, licèt tantùm post duos aut tres menses à sumpta portione ejiciatur fœtus adhuc vivus, si indè proveniat nativitas præmatura.

Adverte 3. Incurrere casum oppressionis prolis, qui natam exponit in loco remoto, ubi frigore aut inedia necatur, aut à bestiis devoratur; quia per oppressionem hic intelligitur quævis enecatio.

Adverte 4. Circa Raptum, reservationem non tantum respicere ablationem violentam virginis, sed etiam meretricis, sive interim sit conjugata, sive non; imò etiam respicit ablationem viri à muliere ad finem Matrimonii aut copulæ. Hunc casum incurrit non tantùm abducens puellam invitam, sed etiam consentientem invitis parentibus, cùm utrobique sit verus Raptus; & ideò intentatio minarum facta parenti reluctanti filiæ suæ Matrimonio, casus est hic reservatus, si ob minas consentiat.

Adverte 5. Reservatum esse actum coeuntis cum Dæmone succubo, vel incubo, licèt apparenter modo naturali; quia est verus concubitus contra naturam.

Adverte 6. Hic Falsarium reputari circa litteras alicujus Prælati, non solùm qui fingit novas, sed etiam qui ipsiusmet Prælati litteras alterat, sigillum cassando, aut scripturam immutando.

CASUS
DIOECESIS NAMURCENSIS.

HÆresis, Apostasia, Homicidium, Incendium deliberatè procuratum, Concubitus contra naturam, Raptus Virginum, Incestus cum sanctimonialibus, Consanguineis vel Affinibus in primo vel secundo gradu, Adulterium manifestum, Violenta manuum injectio in parentes, Veneficium, Sortilegium, Ligatura, & omne Maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus, Oppressio teneliorum ex negligentia qualibet proveniens, Simonia realis, & omnia alia prædictis graviora in eodem genere peccati, Apostolicæ tamen Sedis suis casibus semper salvis.

Adverte circa Adulterium manifestum non requiri, ut sit publicum facto, cùm similia non fiant nisi in abscondito, sed sufficit, si sit tale per sententiam Judicis, vel per confessionem adulterantis, vel per testes, vel etiam per rumorem fundatum.

CASUS
ARCHI-DIOECESIS MECHLINIENSIS.

SOdomia cum omnibus aliis delictis ejusdem generis gravioribus, Raptus Virginum, Homicidium, Incendium deliberatè procuratum, Simonia, Hæresis, Apostasia, Incestus cum consanguineis, aut sanctimonialibus, Injectio manuum violenta deliberato proposito, cum læsione, in parentes facta, Sortilegium, Adulterium notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem majorem habent annexam à Canone, aut ab homine.

Adverte 1. Circa primum casum non videri ibi reservatam bestialitatem; quia licet sit quid gravius Sodomia, non tamen ejusdem generis propter coeuntium diversitatem, saltem ex una parte; unde nisi contrarium insinuet praxis Diœceseos, standum est Resolutioni nostræ.

Adverte 2. Præfatos casus etiam reservatos esse in Diœcesibus Suffraganeorum Archi-Episcopo Mechliniensi, id est, Antverpiensi, Sylvæducensi, Ruremondensi, & olim Brugensi, ac Iprensi, ut patet ex Pastorali ad usum totius Provinciæ impresso 1607. conformiter ad Concilium Provinciale I. anno 1570. celebratum.

Dixi: Et olim Brugensi ac Iprensi; quia jam in Brugensi reperitur quædam mutatio, sed levis; gravis autem in Iprensi.

CASUS
DIOECESIS BRUGENSIS.

RAptus formalis. Homicidium. Incendium deliberatum. Simonia. Sodomia major. Hæresis. Apostasia. Incestus cum Consanguineis, aut Monialibus. Injectio manus violenta in parentes cum læsione gravi. Sortilegium. Ligatura, quæ Ligula dicitur, & Adulterium notorium. Ubi

Ad-

Adverte in Raptu, non poni *Virginum*, adeoque comprehendere raptus quoslibet quarumlibet personarum ad finem Matrimonii, aut copulæ abductarum, nisi certè consuetudo aliud introduxerit. Ultrà additum est crimen *Ligaturæ*, seu impedimenti usus matrimonialis per artem diabolicam, quod non comprehenditur sub *Sortilegio*, de quo in Pastorali citato.

CASUS
DIOECESIS IPRENSIS.

Homicidium Bestialitas ad actum externum deducta. Incestus cum Consanguineis aut Affinibus in 1. gradu. Fornicatio sacrilega cum Monialibus. Violentia injectio manuum in parentes deliberato proposito cum gravi læsione. Hæc tantùm hoc tempore id est anno 1711. sunt reservata.

Adverte 1. In hac Diœcesi, sicut & in Mechliniensi, Atrebatensi, Audomarensi, &c. non posse absolvi Complicem à quolibet peccato mortali contra castitatem exteriùs commisso, à Confessario, cui etiam concessa est facultas in casus reservatos. Excipit tamen Episcopus Atrebatensis periculum mortis.

Adverte 2. Hic non censeri reservatam percussionem parentum, etiam gravem, nisi & sequatur læsio gravis.

ARTICULUS IV.

Quibus competat absolvere à casibus reservatis?

CONCLUSIO I.

Potestas ordinaria absolvendi à casibus reservatis competit ipsi reservanti: item reservantis Superiori, & Successori.

Prob. 1. Pars; quia qui potest ligare, potest solvere: per quascumque enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur.

Prob. 2. Pars; quia Superior (intellige in hoc foro) & Successor ipsius reservantis quoad hoc, sunt ad minimum æqualis potestatis. Dico *in hoc foro*, qualis est Papa respectu Episcopi, non tamen Archi-Episcopus, si excipias casum Visitationis Provinciæ, quia est tantùm Superior in foro externo, non in foro Pœnitentiæ.

CONCLUSIO II.

Potestas delegata absolvendi à reservatis competit omnibus iis, quibus illam legitimè delegant ordinaria gaudentes, in eosdem. Ratio per se clara est. In facultate tamen delegata audiendi Confessiones, non censetur concedi facultas absolvendi à casibus reservatis, nisi id expresse concedatur.

CONCLUSIO III.

Possunt Episcopi, juxtà Tridentinum, absolvere suos subditos ab omnibus casibus occultis, etiam Papæ reservatis idque per se, vel per vicarium ad id specialiter deputandum, excepta Hæresi, à qua nonnisi per se possunt absolvere. Patet ex sess. 24. cap. 6. de Reform. & ex dictis superius.

An autem huic facultati à Tridentino concessæ derogatum sit per Bullâ *Cœnæ* quoad casus in ea contentos? Negant aliqui, affirmant alii: Affirmantes nituntur hoc fundamento, quòd in fine illius Bullæ addatur: *Ut ab illis casibus nulla persona Ecclesiastica, etiam Episcopali, aut majori dignitate prædicta absolvere possit prætexta cujuscumque facultatis, etiam per cujusvis Concilii Decreta in genere, vel in specie concessa*. Negantes autem, quia clausulæ illæ derogatoriæ non videntur afficere casus occultos, in quos sine ulla restrictione data est in Tridentino potestas Episcopis: Attamen, si Suario credimus Tom. 4. Disp. 40. Sect. 2. Affirmantibus favet declaratio S. Cardinalium Congregationis. Sed quidquid sit de aliis Episcopis, absolvere possunt Belgici ab omnibus in Bulla Cœnæ contentis, imò & ab Hæresi externa, non tantùm occulta, sed etiam manifesta per se & per suos Delegatos, ut patet ex constitutione Gregorii XIII. ad instantiam Philippi II. Hispaniarum Regis concessa 25. Februarii, & ex usu modernorum Episcoporum.

CONCLUSIO IV.

Potest Confessarius non habens hic jurisdictionem in casus reservatos, absolvere pœnitentem legitimè venientem ad se ex alia Diœcesi, à casu in Diœcesi ipsius pœnitentis reservato, si non sit hic reservatus: & è contra non potest eum absolvere, si habeat casum hic reservatum licet non sit reservatus in loco illius domicilii.

Ratio est; quia eo ipso, quo quis iter agens per aliam Diœcesim, potest ibi confiteri, censetur debere & posse absolvi more incolarum illius loci. Et certè cùm Ordinarius expressè, vel tacitè permittat subdito extrà Diœcesim confiteri; nec auget, nec minuit potestatem Confessarii circa peccata dimittenda, sed tantùm pœnitentem illi subjicit, ut secundùm jurisdictionem, quam habet in alios illum absolvat: Quia tamen aliqui admittentes Secundam Partem, negant primam:

Prob. Specialiter Pars 1. quia si quis sentit incommodum, sentire debeat & commodum, nonne præsumi potest velle Ordinarios, ut subditi sui, qui non possunt absolvi in aliena Diœcesi à casu ibidem reservato, licèt in propria non reservato, absolvantur alibi à casu ibi non reservato, in loco domicilii reservato; Tandem quidquid sit de Confessariis sæcularibus, hoc posse Regulares patet ex Bulla Clementis X. *Superna*, ubi legitur: *Posse autem Confessorem Regularem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diœcesi à peccatis in ipsa reservatis (non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus) absolvere*. Additur tamen ibidem, *Nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro Absolutione obtinenda migrasse*; Et ideò dixi in Concl. *Legitimè venientem*. Agendum hic foret de potestate Regularium in casus reservatos; sed quia Disputationem sequentem instituemus de universali eorum potestate in hoc foro; illic etiam hanc materiam tractabimus.

QUÆSTIO IX.

Quænam ulteriùs requirantur in Confessario?

Suppono 1. Confessarium non debere esse excommunicatum, nec suspensum ab Officio (id est, non suspensum ab actibus sive Ordinis, sive jurisdictionis) nec interdictum, etiamsi per Contritionem ipse existimet se esse in gratia: nam censura affectum removet à prædictis actibus Ecclesia; & invalidè quidem ageret, si censura vitanda ligatus esset; illicitè verò, si non vitanda, seque ipse ingereret, ut fusiùs suo loco.

Suppono 2. Ultra jurisdictionem & approbationem, quinque præsertim qualitates requiri in Confessario. Primò quidem *Scientiam*, ut possit tamquam Judex debitè sententiam ferre, tamquam Doctor peccata cognoscere, & tamquam Medicus remedia peccatis præscribere. Secundò *Prudentiam*, ut valeat tamquam Director conscientias cum discretione moderari. Tertiò *Charitatem*, ut tamquam Pater spiritualis filiis suis modis omnibus succurrat & compatiatur. Quartò *Patientiam*, ut tamquam Christianus ridiculos & quandoque injuriosos rudium, aut rusticorum modos sufferat. Denique *Vitam exemplarem*, ut tamquam Prototypon videant in illo pœnitentes, quod vult ipse in aliis imprimere. Ex quibus eruo sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Confessarius, ut Judex, scire debet primò circà Sacramentum, quæ sit ejus Materia & Forma, quænam intentio requisita ad ejus valorem. Secundò circà seipsum, qua potestate polleat, ad quos subditos, ad quæ peccata, ad quas excommunicationes absolvendas ejus potestas extendatur, aut restringatur ratione reservationis in hac vel illa Diœcesi. Tertiò circa pœnitentem, qualiter debeat esse dispositus, quem dolorem, quod propositum, quam confessionis integritatem habere debeat: hæc omnia per se patent: undè Augustinus relatus Can. *Qui vult*, Dist. 6. de Pœnit. *Caveat spiritualis Judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ ita non careat munere scientiæ. Oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc expostulat, ut quod debet judicare, discernat.*

CON-

CONCLUSIO II.

CONfessarius, ut Doctor, debet scire quæ pertinent ad ipsa peccata saltem communia; quænam scilicet ex genere suo sint mortalia, quænam venialia, quænam adferant obligationem restitutionis famæ, honoris, bonorum: undè petatur distinctio numerica peccatorum, unde specifica: quænam advertentia & libertas requiratur ad peccandum: quodnam sit discrimen inter judicium, suspicionem, & dubium, sicut & inter desiderium, & simplicem repræsentationem: quænam circumstantiæ mutent speciem peccati, quænam tantùm aggravent. Item scire debet omnia impedimenta Matrimonii, quænam sint dirimentia, quænam solùm prohibentia: illa, inquam, omnia scire debet, saltem habitualiter, sic ut quando à pœnitente proferuntur, possit circà illa resolutionem suam ferre. *Ex quo poterunt fideles intelligere*, inquit Catechism. Concilii Trid. p. 2. de Pœnit. n. 49. *Maximo studio curandum esse, ut eum sibi Sacerdotem eligant, quem vitæ integritas, doctrina, & prudens judicium commendet*; quia, ut ipsa Veritas Matt. 15 *Cæcus, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*, id est, si Confessarius ignarus ignarum pœnitentem dirigat, uterque in damnationis barathrum se præcipitat: undè Augustinus lib. de Pastorib. cap. 10. *Terret non solùm cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem: neque enim ait, cadit in foveam ducens, & non cadit sequens, sed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt.*

Dixi *Peccata, saltem communia*; quia non obligantur scire peccata valdè intricata, quæ ex circumstantiis extraordinariis oriri possunt: in illis enim sufficit prudenter dubitare; ità tamen ut non priùs Absolutionem impendat, quàm rei veritatem in libris, vel à doctioribus repererit, si agatur de peccatorum gravitate: quod addo; quia si tantum de restitutione, poterit interim dispositum absolvere, si paratus sit omnem restitutionem, ad quam tenebitur, ubi rescIverit, ad amussim facere. Poterit etiam quandoque monere pœnitentem, saltem non invitum, ut Doctiores adeat; quod Timorati Confessarii non erubescunt facere.

Advertendum hic, quòd licèt Confessarius teneatur, quantùm rationabiliter fieri potest, advertere super omnia mortalia, dum à pœnitente proferuntur, non tamen semper teneatur hic & nunc de singulis judicium ferre, an sint mortalia aut venialia; quia tale judicium, etiam doctissimis, quandoque est impossibile, vel quia sciri nequit, an fueri plena advertentia, vel quia pœnitens non potest se sufficienter explicare.

CONCLUSIO III.

COnfessarius, ut Medicus, scire debet remedia, saltem communia, contra peccata, contra tentationes, contra scrupulos. Item pœnitentias medicinales proportionatas, quasnam applicare debeat blasphemis, quasnam libidinosis, quasnam avaris, quasnam superbis, & præsertim quasnam Consuetudinariis in quolibet vitio, attenta personarum qualitate & commoditate: Undè Can. *Omnis* de pœnit. & remiss. *Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti Medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.* Diversa autem remedia contrà peccatorum diversitatem, assignavimus agendo de Recidivis; illuc recurre.

CONCLUSIO IV.

COnfessarius, ut Director, debet uti magna discretione & prudentia. Primò ne præsertim in peccatis carnalibus inquirendis, pœnitentem ignota doceat, ipsique & sibi scandalum incutiat: quod accidere potest respectu juvencularum, aut etiam masculorum; & ideò curandum est, ne nimis properè, vel nimiùm descendatur ad particulares modos, aut circumstantias talium peccatorum. Secundò in faciendo examine, ut scilicet roget verisimilia juxtà cujusque statum. Tertiò in monendo cautè pœnitentem, si prævideat declaraturum Complicem sine causa. Quartò in detegenda pœnitentium circà Mysteria Fidei ignorantia: quos, si in illis ignorantes repererit, instruet modo in Tractatu Fidei explicato fol. 324.

Quanta autem scientia & prudentia requiratur in Confessario, ut eximatur à peccato mortali, difficile est decernere: undè hoc prudentis arbitrio relinquitur, attenta pœnitentium qualitate. Plures enim casus scire debet qui audit Confessiones Mercatorum, Advocatorum, Judicum, Principum, Aulicorum &c. quam qui Rusticorum, Mulierum, aut Monialium.

CONCLUSIO V.

COnfessarius, ut Pater spiritualis, debet habere paterna charitatis viscera in filios suos spirituales, non quidem adulando, semper & in omni casu absolvendo, pœnitentias leviores imponendo, vulnera non aperiendo &c. cùm talis charitas degeneret in crudelitatem; sed modos omnes, omniaque remedia, dulcia & amara, suavia & fortia adhibendo, ut filios suos possitè peccatorum cœno eripere: ostendendo interim circà malas pœnitentis inclinationes, compassionem: circà lapsum, dolorem; circà reditum, gaudium & exultationem: *Quo circà*, inquit S. Franciscus Salesius in suis synodalibus Constitutionibus, *sicut Filius prodigus licet redierit omninò nudus, sordidus, & putridus à porcis, bonus tamen Pater eum amplectitur suaviter, osculatur, & præ gaudio lachrimatur, quia Pater ejus erat*; ita & facere debet Pater spiritualis respectu filii sui gratia nudi, peccatis sordidi, & mala consuetudine putridi.

CONCLUSIO VI.

COnfessarius, ut Christianus, debet præsertim in hoc munere patientiam exercere: omnes omninò sine distinctione benignè recipiendo, etiam pauperes, etiam rudes, etiam scrupulosos, etiam milites; quo enim major circa illos homines pœna, eò major apud Deum gloria: undè amovendi sunt Confessarii illi, qui vultum asperum exhibent pauperibus, & benignum divitibus; nulla enim apud Deum, cujus hic locum tenent, acceptio personarum, estque illi æquè pretiosa salus & anima pauperis, quam divitis. Pudeat nos igitur, *si in hominibus, non naturam, qua ad Imaginem Dei facti sunt, sed honores, & divitias veneramur*, Gregor. Homil. 28. Debet insuper Confessarius, inter confitendum, rudem pœnitentium indolem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliasque imperfectiones patienti animo ita tolerare, ut nunquam fatigari videatur in iis adjuvandis, ducendis, interrogandis &c.

CONCLUSIO VII.

COnfessarius, ut Prototypon, debet à se dicta in confessione, per vitam Christianam & exemplarem confirmare: quomodò enim proderunt penitentibus, si aliud dicant, & aliud faciant: undè cavere debet quantùm potest, *ne se* admittere, quod debet in aliis judicare; & ideò Can. *Qui vult*, de Pœnit. Dist. 6. legitur: *Sacerdos itaque, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus*. Quod saltem respectu mortalium venit intelligendum.

QUÆSTIO X.

Quid agere debeat Confessarius, quando errorem in Confessione commisit?

CONCLUSIO I.

QUando ex errore Confessarii secuta est Absolutio invalida, moneri debet pœnitens in Confessione sequenti, si redierit, nullum fuisse Sacramentum; si autem non redierit, moneri debet extra, petita tamen prius & obtenta de auditis in Confessione loquendi facultate: quod intelligendum est seclusò scandalo, & gravi incommodo.

Ratio Conclusionis est; quia si teneatur quilibet avertere, quantùm rationabiliter potest, grave proximi nocumentum; quidni ad id teneretur ille, qui causa est nocumenti? Grave autem esse nocumentum, remanere in statu peccati, saltem tempore notabili, & fortè in eo mori, nullus Christianus ibit inficias.

Dixi 1. *Secluso scandalo*; quia si prævideat pœnitentem inde graviter commovendum, aut horrorem hujus Tribunalis concepturum, relinquendus est in bona fide, sub spe justificationis per Confessionem sequentem obtinendæ. Si tamen urgeret mortis periculum, necessario esset monendus, obtenta tamen prius licentia; quia non sunt nata sequi illa inconvenientia in moribundo.

Dixi 2. *Et gravi incommodo*; quia nisi instet absoluta necessitas

sitas

sitas, non debet Confessarius 20 aut 30. leucas conficere pœnitentem moniturus: Aliud esset si sciret à pœnitente conficiendum iter illud sine incommodo: tunc enim posset ad ipsum scribere, insinuando se habere negotium magni momenti ipsi communicandum, nulla tamen facta mentione Confessionis, ob Sigilli revelandi periculum.

CONCLUSIO II.

SI error non tulerit præjudicium valori Sacramenti, sed tantùm aliquorum peccatorum directæ remissioni, vel defectu espressionis circumstantiæ, aut numeri, vel defectu potestatis in illa, communior sententia tenet monendum quidem esse pœnitentem ad Tribunal redeuntem, non tamen extra illud; quia nullum est salutis periculum, cùm jam sit in gratia, imò & ab omnibus peccatis, saltem indirectè, absolutus. Contrarium tamen docent plurimi ob confessionis integritatem jure Divino præceptam: unde D. Aotoninus 3. par. Tit. 17. cap. 51. refert, quòd *in Concilio Basiliensi quidam periti, habita super hoc collatione, dixerunt quòd talis Confessor petat authoritatem à Superiore super hoc casu, à quo non potuit absolvere, & tamen absolvit: qua habita, vocet illum (quem absolverat, cùm non posset) & per aliquem modum coopertum (obtenta loquendi facultate) interroget de aliquibus, quæ sibi confessus est, quasi volens melius informari, ac si non plenè intellexisset, & si quæ alia commisit crimina postea: & sic absolvat ab omnibus iterùm, & tunc, & priùs aliàs auditis*; & ideò credo hanc sententiam esse practicandam, saltem in peccatis, quorum memoria non est nata causare ruborem, saltem notabilem, pœniteotibus.

CONCLUSIO III.

SI Confessarius absolverit pœnitentem à Censura, à qua non poterat; poterit, obtenta ad id licentia, ipsum nescientem, imò absentem absolvere; quia Absolutio illa non requirit præsentiam absolvendi, sicut requirit Absolutio Sacramentalis. Si tamen Confessario concessa esset facultas absolvendi solùm in Tribunali, deberet pœnitentem, sicut anteà monere, secluso semper scandalo.

CONCLUSIO IV.

SI ex errore à Confessario, etiam ex oblivione aut inadvertentia commisso, exponatur pœnitens periculo proximo peccandi v. g. quia non fuit monitus, relinquendam esse occasionem proximam, faciendam esse restitutionem &c. facere debet Confessarius quidquid in se est, ut sine scandalo moneat pœnitentem; quia id requirit & salus proximi, honor Dei.

Ad quid autem teneatur Confessarius, qui alienum retinenti non injunxit restitutionem? Diximus in Tract. de Restitutione pag. 13. & 14.

DISPUTATIO IX.

De potestate Regularium in hoc Tribunali.

NIhil hic de Regularium approbatione; cùm hanc materiam sufficienter exposuerimus Disp. præc. undè, illa supposita, tantùm de illorum jurisdictione dicemus: quid nempè valeant in hoc foro respectu suorum, quidvè respectu sæcularium?

QUÆSTIO I.

Quid possint Prelati Regulares in foro Pænitentiæ respectu suorum?

CONCLUSIO I.

IDem possunt in hoc foro Regulares Prælati Majores respectu suorum, quod possunt Episcopi respectu Diœcesanorum; adeoque potest Generalis in toto Ordine, & Provincialis in tota Provincia, respectu Fratrum, & Monialium sibi subditarum, absolvere ab omnibus casibus, à quibus suos de jure absolvunt Episcopi.

Prob. 1. Ex Bulla Pii V. quæ incipit: *Romani Pontificis*, ubi legitur: *Quia sacrum œcumenicum Concilium Tridentinum concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ, ab omnibus peccatis, & dispensare in Irregularitatibus, prout sess. 24. cap. 6. habetur ... Superioribus Prelatis, ut ipsi per seipsos idem omninò possint in Fratres & Moniales dicti Ordinis* (nempè Dominicani, & alii eorum Privilegiis communicantes) *sibi subditos, tamen quoad absolvendi & dispensandi hujusmodi, quàm alias quascumque facultates, eisdem authoritate & tenore etiam perpetuo, concedimus & indulgemus*, &c.

Prob. 2. Quia, ut jam inconfesso est apud omnes, habent in suos jurisdictionem quasi Episcopalem; sed hoc maximè locum habere debet in foro Pœnitentiæ, ubi res pacificè & secretò peraguntur sine ulla Episcopi Diœcesani, aut Diœceseos perturbatione: ergo.

Prob. 3 Ex praxi ubique recepta, secundùm quam inauditum est, Regularem aliquem exemptum, pro alicujus criminis absolutione, ad Episcopos recurrisse à tempore, quo fuerunt ab eorum jurisdictione subtracti S Sedis authoritate. Hinc

Resol. 1. Posse suos absolvere ab omnibus casibus Papalibus occultis, si saltem contentos in Bulla Cœnæ excipias; quia eamdem facultatem tribuit Trident. Episcopis respectu suorum sess. 24 cap 6 de Reform.

Resol. 2. Item posse subditos suos, etiam hospites, absolvere à quibuslibet peccatis & censuris, licet ante Religionis ingressum contractis, nisi certè casus essent ità enormes, ut meritò pro illis ad Sedem Apostolicam esset recurendum, ut sunt Hæresis, Schisma, delatio prohibitorum ad Infideles, Falsificatio Litterarum Apostolicarum. Ratio est; quia etsi fortè non sit tam ampla certorum Episcoporum potestas in suos, illam tamen sic ampliavit Sixtus IV. in Mari magno Minorum & Prædicatorum, pro Ordinum Generalibus, Provincialibus, eorumque Vicariis respectu suorum, cum limitatione præfata.

Resol. 3. Posse similiter præfatos Superiores ab iisdem absolvi per suum Inferiorem, cui hanc potestatem delegaverint; aliàs deterioris essent conditionis Superiores, quàm Inferiores; imò id expressè declaratum est à Sixto IV. suprà.

Resol. 4. Eamdem potestatem in hoc foro competere Superioribus præfatis in Novitios, ac in subditos; quandoquidem illi reputentur Religiosi in favorabilibus. Excipe tamen nisi Novitius assumpsisset habitum animo absolutionis obtinendæ, & posteà Religionis deserendæ: quia fraus & dolus nemini patrocinantur. Imò non possunt absolvi à casibus Bullæ Cœnæ, de quibus posteà, si illos ante ingressum Religionis incurrerint, un declaravit Clemens VII. anno 1530.

Resol. 5. Prælatos illos posse potestatem suam aliis delegare, vel quia ordinaria est aut quasi ordinaria utpote semper Officio annexa; vel certè quia praxis sufficienter authorizata id ipsis concessit.

CONCLUSIO II.

VAldè incertum est, quid possint præfati circà casus Bullæ Cœnæ, aliis potestatem ipsis concedentibus, aliis negantibus. Pro negativa facit quòd post concessionem præfatam Pii V. aliorumque Pontificum, absolvendi à casibus Papalibus, Paulus V. Urbanus VIII. Alexander VII. & Clemens X. in Bulla in die Cœnæ Domini publicari solita, & ideò *Bulla Cœnæ* nuncupata, ponant clausulas quibuscumque privilegiis admodùm derogatorias; & aliundè id confirmet, ut ajunt Salmanticenses, tùm declaratio Cardinalium de mandato Clementis VIII tum Decretum Urbani VIII. datum 17 Novemb. anno 1628. prohibens, ne Regulares possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. Pro affirmativa verò facit, quòd Julius II. teste Bassæo V. *Abbas* n. 8. §. 5. declaraverit universaliter anno 1510. 17. Febr. Paulus IV. pro Congregatione Clericorum Regularium. Gregorius XIII. pro Jesuitis, & Clemens VII. pro Minoribus per publicationem Bullæ Cœnæ singulis annis fieri solitam, non restringi Prælatorum Regularium potestatem, nisi in sequentibus, scilicet relapsu in Hæresim, Schismate, Falsificatione Litterarum Apostolicarum, dilatione prohibitorum ad infideles & conspiratione in Romanum Pontificem. Undè res videtur dubia, sed quidquid sit

Sicut Episcopi Belgici absolvunt à casibus illis, credo idem posse Belgicos Superiores, cùm ex Pio V. sup idem possint in suos, ac Episcopi in Diœcesanos: Episcopi vero Belgici id possunt, vel quia concessio Tridentini non censetur per Bullam Cœnæ revocata, ut Comitolo respondit Cardinalis Carafa

rafa

rasa nomine Congregationis, quo supposito idem possent omnes Regulares Prælati Majores, vel quia nimium distant à S. Sede, vel quia in Belgio non fuit publicata Bulla illa, & certè singulis annis publicari præcepta nunquam ibidem publicatur; quia privilegium habent à Gregorio XIII. quidquid autem dicatur, etiam militat pro Prælatis Regularibus Belgicis, cùm privilegio Gregorii pro Belgicis Episcopis, correspondeat privilegium Alexandri VI. pro Prælatis Regularibus Ultramontanis, seu Belgicis in casus Hæresis, modò tamen non sit publica & notoria apud sæculares, nec ex hoc scandalum oriri possit, quam limitationem pro Jesuitis (adeoque pro aliis eorum privilegiis communicantibus) non posuit in simili concessione Gregorius XIII.

Sicut autem privilegium Episcoporum Belgarum absolvendi ab Hæresi, concessum à Gregorio XIII. non censetur revocatum per Bullas Pauli V. Urbani VIII. Alexand. VII. &c. in die cœnæ publicari solitas, ità nec per illas revocata eadem facultas Superioribus Belgicis concessa, cùm apparenter utriusque concessionis eadem sit causa, nempè majus in Hæresim labendi periculum, ob Hæreticos cum Catholicis in his partibus dispersos. Præterea si ex usu modernorum Episcoporum, colligamus eorum potestatem, per Bullam Cœnæ non esse in his partibus restrictam, idem colligere debemus ex usu communi Regularium Belgarum qui pro absolvendis Apostatis suis etiam à Fide, non ad alios recurrunt, sed per seipsos ab Hæresi etiam externa absolvunt. Dico: *Ab Hæresi*; quia licet juxta Suarez & alios, idem privilegium habeant Regulares circà alios Bullæ Cœnæ casus, docetur tamen communiter non esse exercendam potestatem, nisi casus, præsertim quinque priùs limitati, sint occulti.

CONCLUSIO III.

QUam potestatem habet Generalis pro toto Ordine, & Provincialis pro tota Provincia, eamdem habet Superior localis exemptus, pro suo Conventu, si saltem excipiantur casus Bullæ Cœnæ, cum hoc tamen discrimine, quòd hic, saltem apud nos, non possit delegare; possint autem illi.

Prob. Autem Conclusio; quia Pius V. suprà, potestatem à Tridentino concessam Episcopis, non solùm extendit ad Generales, & Provinciales, sed etiam ad Priores Conventuales. Idem concedit Gregorius XI. in Mari magno Prædicatorum n. 41. & licet videatur eorum potestatem restrinxisse Sixtus IV. in Bulla aurea, in duabus tamen Bullis sequentibus, juxtà ordinem Bullarii Rodriguez, eandem ipsis reliquit, quam concesserat Gregorius XI.

Dixi: Si saltem excipiantur casus Bullæ Cœnæ; quia legitur quidem Alex. VI. concessisse Ordinis nostri Generali, ac Provincialibus & Custodibus ultramontanis seu Belgicis, potestatem absolvendi ab Hæresi &c. non tamen Guardianis nisi certè veniant ibi nomine Custodum, de quo non satis constat. Dicitur tamen Clemens IV. id etiam concessisse Guardianis cum limitatione præfata, nempè si casus sint occulti, & non comprehendantur quinque præfati; sicut & Gregorius XIII. pro Hæresi, Prælatis Jesuitarum, adeoque & Rectoribus, aliisque Superioribus, qui veniunt nomine prælatorum, sed Bullas reperire non potui. Ex dictis

Resol. 1. Quidquid possunt Priores, Guardiani, &c. in hoc foro, etiam posse Vicarios in eorum absentia; cùm tunc de facto sint Superiores; potestas autem illa non competat Superioribus ratione personæ, sed ratione Officii.

Resol. 2. Idem esse dicendum de Superioribus locorum, ubi quinque aut sex religiosi plus minusve vivunt sub obedientia, quia sunt veri prælati respectu suorum; jam autem Pontifices per Priores, Guardianos, Rectores, &c. intelligunt Prælatos minores, seu locales, cùm illos aliquandò sub nomine Prælati exprimant.

Resol. 3. Non competere eandem potestatem Confessariis Monialum respectu suarum; quia earum respectu nec Superioris, nec Prælati nomen gerunt: imò nec Officium, sed præcisè Pastoris. Refertur tamen in Compendio privileg. V. *Moniales*, Sixtum IV. concessisse Clarissis curæ Minorum commissis, ut à quolibet casu possint absolvi per Ministros Visitatores & earum Confessarios, sed credo esse vivæ vocis oraculum, utpotè in Pontificum Bullis non reperibile.

CONCLUSIO IV.

ULtrà Privilegia præfata concessit Sixtus IV. FF. Prædicatoribus & Minoribus, ut semel in vita, & semel in morte eligere possint ex suo Ordine Confessarium idoneum, à quo ab omnibus peccatis & excessibus, plenariè absolvantur: ità habetur in Bulla aurea quæ incipit *Sacri Prædicatorum*, data anno 1497. Kalend. Augusti. Requiritur tamen ibidem licentia Superioris, quam non requirit Innocentius VIII. in Bulla relata à Lezana Tom. 1. pag. 996. modò id fiat tantùm semel sivè in vita, sivè in morte.

CONCLUSIO V.

EO ipso quo quis à suo Superiore legitimo deputatur pro Fratrum aut Monialium Confessionibus excipiendis, etiam cum potestate in casus reservatos, non censetur Superior eo ipso omnem suam potestatē Delegato concedere; adeoque, nisi aliud exprimat censetur tantùm dare facultatem in casus sibi reservatos, seu contentos in Decreto Clem. VIII. de quibus anteà; non autem in casus Papæ reservatos: & ideò si tales occurrant, debet ad Superiorem legitimum, id est, ad Provincialem apud nos, recurrere pro obtinenda speciali ejus licentia.

QUÆSTIO II.

Quid dicendum de Confessariis Monialium nostrarum?

CONCLUSIO I.

EO ipso quo quis instituitur à Capitulo, aut Provinciali Confessarius Monialium ordinarius, eo ipso conceditur ipsi facultas absolvendi etiam à casibus in Ordine reservatis. Et idem est de Confessario extraordinario.

Prob. 1. Pars; quia inauditum est, saltem in Provincia nostra, quòd Monialium Confessarii aliquandò pro casibus præfatis recurrant ad suos Provinciales: quod signum est posse ab iisdem suas absolvere. Non solet quidem Episcopus instituendo Parochum casus sibi reservatos ipsi concedere, ubi id specialiter non exprimit; sed certè specialem esse hic concessionis rationem fatebitur omnis ille, qui Monialium dispositionem, clausuram, communiones communes adverterit. Undè non satis prudenter facultas illa Confessariis ordinariis denegaretur.

Prob. 2. Pars: quia adhuc major est ratio pro Confessario extra ordinario, quam pro ordinario; cùm illi concedatur, ut ea absolvat, quæ aliquando Moniales Confessariis ordinariis non audent aperire; illa autem possunt esse reservata.

CONCLUSIO II.

EAmdem facultatem habent apud nos Supplentes ex mandato Guardiani vices ordinarii absentis aut infirmi, imò & omnis Confessarius, quem ex Provincialis vocant quandoque Moniales, cum licentia Superiorissæ, nisi aliud constet.

Prob. 1. Pars; quia sicut Vicarii apud nos sortiuntur in hoc Tribunali potestatem Guardianorum in eorum absentia; ità & præfati, cùm sit par, imò & major ratio.

Prob. 2. Pars; quia cùm concessio Confessarii interdùm advocandi cedat in sublevamen Monialium, ne aliquando ex pudore sexui illi satis ordinario, omittant certa peccata, sicque sacrilegè confiteantur & communicent, censetur concessio illa etiam ad casus præfatos se extendere.

Dixi tamen: *Nisi aliud constet*; quia si concessionem limitaret Provincialis, esset verè limitata, quidquid dicant aliqui volentes, nullos esse casus reservatos in Ordine Seraphico pro Monialibus: licitè enim in Capitulis Generalibus, ubi reservati sunt casus, nulla fortè fiat Monialium mentio; eo ipso tamen quo dicuntur pro Ordine reservati, censentur & reservati pro Monialibus, quæ sunt de Ordine. Et ideò licet rarò Superiores limitent Confessariorum Monialium jurisdictionem possent tamen id facere, saltem respectu eorum, qui non sunt ordinarii, aut extraordinarii, juxtà præscriptum Tridentini.

CON-

CONCLUSIO III.

Religiosi admissi pro excipiendis Fratrum aut sæcularium Confessionibus, non censentur admissi pro audiendis Monialibus, etiam ejusdem Ordinis: nisi aliud specificetur.

Ratio est; quia omninò disparata est jurisdictio & approbatio, cùm hic nullatenùs veniant Moniales nomine Fratrum, aut sæcularium: unde in Statutis Provinciæ nostræ c. 7. §. 1. habetur; *Admissus pro Fratrum confessionibus audiendis, non censetur ex hoc admissus ad audiendas confessiones Monialium*; sicut nec *approbatus ab Episcopo & expositus ad audiendas confessiones sæcularium*. Id specialiter nobis prohibitum fuit in Capitulo Generali Vallisoleti celebrato anno 1593. ubi legitur: *Nullus Fratrum, Monialium aut nostri, aut alterius Ordinis, sacras peccatorum confessiones audire possit, sine legitima Generalis, aut Provincialis scripta facultate*.

Dixi: *Nisi aliud specificetur*; quia Primò id conceditur in Provincia nostra Provinciæ Patribus pro omnibus Monialibus Provinciali subjectis. Secundò permittitur eis, qui fuerunt aliquandò alicujus Monialium Conventus Confessarii, ut possint in transitu, alicujus Religiosæ ejusdem Conventus, Confessionem excipere, si de hoc rogentur. Tertiò conceditur approbatis pro sæcularibus, ut possint audire Confessiones Monialium nostrarum, ubi extrà Monasterium, aut Conventum suum fuerint. Excipe tamen, nisi id fiat in fraudem. Hæc omnia habes in Statutis nostris Provincialibus loco citato.

CONCLUSIO IV.

Licèt Monialium Confessarii sint ex Officio ordinarii, adeoque possint vi illius delegare, cùm Ordinario concedatur delegatio activa Cap. *Cum Episcopus* de Offic. Ordin. in VI. & alibi, apud nos tamen prohibentur id facere. Patet ex Statutis nostris Generalibus sup. ubi requiritur ad Monialium Confessiones audiendas licentia Generalis aut Provincialis. Quod confirmavit Capitulum Generale Salmanticæ celebratum an. 1618. contrarium prohibens *sub vocis activæ & passivæ prohibitione per biennium*.

Dices 1. Prohibetur etiam suprà absolutio Monialium alterius Ordinis sine dicta licentia: sed hoc non est in usu: ergo nec illud.

Resp. Dist. Ma. Prohibetur accedente proprii Monialium Episcopi, aut quasi Episcopi concessione; N. seclusa concessione: C. Unde hoc etiam remanet prohibitum.

Dices 2. Saltem delegatio, licèt illicita, erit valida.

Resp. Neg. Assumpr. quia Judicibus inferioribus, etsi ordinariis, non conceditur delegare, nisi dependenter à Superiore, qui potest eorum potestatem arctare aut minuere, ut patet in Parochis qui jam nonnisi approbatos ab Episcopo possunt delegare, cùm anteà possent quoslibet Sacerdotes idoneos.

CONCLUSIO V.

Monialium Superiorissæ, qualescumque sint, non possunt ex vi Officii permittere suis inferioribus, ut confiteantur alteri, quàm Confessario sibi ab Episcopo aut Provinciali deputato.

Ratio est; quia cùm nullam prorsus hic habeant jurisdictionem, nullam etiam concedere possunt; & consequenter non possunt illi, ad quos Moniales suas mittunt, licitè aut validè ipsas absolvere defectu jurisdictionis: undè Episcopo Tornacensi respondit S. Congregatio anno 1621. Octob. 19 Abbatissam non posse, invito Episcopo, Confessarium sibi aut suis eligere.

Dixi: *Ex vi Officii*; quia id possent ex privilegio Papali, aut etiam ex concessione Episcopi aut Provincialis respectivè: tunc tamen non dant Confessariis jurisdictionem, sed Prælatus mediante earum designatione. Ubi autem ex consuetudine, tacito Superiorum consensu firmata introductum est, ut Superiorissæ id permittant inferioribus, id etiam possunt, ubi Superior vita aut Officio defunctus est; quia censetur Successor, aut locum tenens, similiter à Superiorissa designatos delegare. Aliud esset tamen, si mos sit Provinciæ, ut quoties novus Provincialis eligitur, toties ad ipsum pro facultate præfata recurratur.

CONCLUSIO VI.

Tenentur Superiores providere Monialibus de Confessario extra-ordinario ad minimum bis aut ter in anno; nec possunt ipsis ob culpam aliquam hoc denegare.

Prob. 1. Pars ex Trident. Sess. 25. cap. 10. ubi habetur: *Preter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat*. Ubi notandum teneri quidem confessarium omnes audire, si omnes confiteri voluerint nō teneri tamē omnes confessionem instituere, ut declaravit S. Congregatio Episcopo Tornacensi, teste Zipæo lib. 3. Consult. 5. Undè satis est, ut se ei præsentent vel confitendo, vel benedictionem petendo; & ideo ordinat Statuta nostra Provincialia Cap. 7. §. 3. ut *quæ Extra-ordinario confiteri noluerint, et saltem pro accipienda benedictione se præsentent*. Quod meritò præscriptum est, ut sic omnes confidenter ad Extra-ordinarium accedant, nec se ab illo retrahant sub vano prætextu placendi Ordinario, qui ideò non debet illo die ad earum Conventum accidere.

Prob. 2. Pars; quia non est Inferiorum, Superiorum leges & præscripta relinquere, nisi præsumi possit eorum voluntas; hic autem non potest prudenter præsumi, cùm non desint alia media, quibus trasgressiones puniantur, & aliudè denegatio confessarii extra-ordinarii sit potius incentivum ad obstinationem, quàm remedium ad vitæ emendationem.

Petes. An Extra-ordinarius possit Monasterium ingredi, ut audiat infirmarum Confessiones?

Resp. Affirm. Si non possint ad Crates, aut ad Confessionale accedere; quia Extra-ordinarius conceditur pro spirituali Monialium consolatione, qua magis indigent infirmæ, quàm sanæ.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum de Juvenum Instructoribus, & Fratrum Confessariis pro diebus privilegiatis?

Suppono Juvenes noviter professos sivè Clericos, sive Laicos, debere confiteri suo Instrutori, aut Conventus Superiori; ita ut si alteri sine licentia confiteantur, confessio sit nulla & irrita.

Ratio est; quia illis solis possunt validè confiteri, quibus concessa est jurisdictio in ipsos: atqui tantùm Superiori & Instructori concessa est respectu Iuvenum, saltem apud nos: ergo. Prob. Min ex statutis nostris Provincial. cap. 1. §. 5. ubi legitur: *Confiteantur suis Instructoribus, & non alteri, nisi per Guardianum substituto in ejus absentia à Conventu*. Dixi tamen: *Sine licentia*; quia *de expressa licentia Directoris, & ex consensu Superioris*, ut habetur ibidem possunt alteri confiteri, modò sit pro Fratribus deputatus. Hoc supposito

CONCLUSIO I.

Instructor Juvenum non habet in ipsos jurisdictionem ordinariam, sed tantùm delegatam à Provinciali, aut Capitulo.

Ratio est; quia munus Instructoris non est Officium Pastoris, sed tantùm Magistri vitam regularem & Spiritualem docentis; & ideò posset quis institui juvenum Instructor, qui tamen non esset eorum Confessarius; licet ordinariè sic fiat pro majori Juvenum profectu.

Confirm. Quia si jurisdictionem ordinariam haberent in ipsos, non requirerent Statuta nostra consensum Guardiani, ut possent Instructores dare suis licentiam alteri confitendi. Ex dictis

Resol. 1. Posse Superiorem, etiam cùm est in Conventu Instructor, Juvenum Confessiones excipere; quia horum, sicut aliorum est verus Parochus: sæpè tamen non expedit.

Resol. 2. Instructorem è Conventu exeuntem ad quindenam plus minusvè non posse alium pro suorum Confessionibus audiendis substituere, sed Guardiani est providere.

Resol. 3. Nec Superiorem, nec Instructorem separatim, posse dare Juvenibus facultatem alteri confitendi: Non quidem superiorem solum; quia cùm non possit aliis Fratribus Confessarium assignare, ut suo loco diximus, nec potest Juvenibus: Non etiam solum Instructorem; quia non potest dare Juvenibus licentiam illam sine consensu Superioris, ut patet ex Statut. sup. & ideò debent & licentia Instructori,

& con-

& consensus Superioris intervenire. Crederem tamen sufficere consensum generalem, quo rem, de quia hic agitur, relinquit prudentiæ Directoris.

Resol. 4. Instructorem permittentem cum Superioris consensu, ut Juvenes alteri confiteantur, id facere non delegando, cùm delegatus non possit propriè delegare; sed designando personam, cui Provincialis ex consuetudine, aut Religionis jure confert in subditum illum jurisdictionem.

CONCLUSIO II.

COnfessarii Fratrum pro diebus privilegiatis, debent esse pro Religiosis audiendis à Superiore approbati; adeoque non censetur Confessarius sufficiens simplex Sacerdos, aut etiam pro sęcularibus approbatus.

Ratio sumitur ex voluntate Summorum Pontificum, qui immeritò censerentur plus velle concedere illis diebus circa electionem Confessarii, quam tempore Jubilæi, ubi licèt tam ampla sit potestas circà Confessarium eligendum, decernitur tamen debere esse approbatum.

Confirm. Quia Clemens VIII. aliique Summi Pontifices declararunt Religiosos, cujuscumque sint Ordinis aut Instituti, subesse quoad Confessarii electionem, Superiorum dispositioni, & consequenter ubi solùm approbatos designant Superiores, soli approbati sunt eligendi.

Dices 1. Inde sequitur diebus illis nullum esse privilegium. Resp. Neg. Sequel. Quia ultrà quòd Juvenes, qui aliis diebus tantùm confiteri possunt Superiori aut Instructori, possint tunc cuilibet approbato; alii Fratres eligere possunt non habentem alio tempore casus reservatos, in quos præfatis diebus plenariam habent potestatem.

Dices 2. Rituale Provinciæ nostræ permittit, ut saltem quater in anno absolvi possint Fratres, *non solùm per deputatos à Provinciali, sed per simpliciter admissos à Provincia*: ergo.

Resp Neg. Conseq. Quia verbis præfatis immediatè subditur: *Quòd si provincialis judicet quandoque pro aliquo tempore, vel loco, vel persona arctare privilegium, illi omninò deferendum*. Restrictum est autem in Capitulo Iprensi anno 1695. ad solos deputatos pro Fratribus.

CONCLUSIO III.

POssunt diebus illis Confessarii præfati absolvere ab omnibus peccatis, fortè etiam à Censuris reservatis, non tamen ab Irregularitate.

Prob. 1. Pars; quia R. P. De Treio totius Ordinis Seraphici Vicarius Generales declaravit in quibusdam Annotationibus ad Provinciales Hispaniæ missis, posse tunc Fratres absolvi per Confessarium ab Ordine deputatum ab omnibus casibus, licèt papalibus, imò etiam in Bulla Cœnæ contentis, modò sint occulti, ut diximus superiùs.

Prob. 2. Pars de Censuris; quia, ut refert Miranda, permisit Leo X. ut Confessarii, non omnibus diebus privilegiatis, sed quater in anno, restituant suos pœnitentes *illi statui innocentiæ. . . . quomodo Sanctitas D. Nostri Papæ N. faceret, si ipsemet in Confessione peccata ascultaret*. Ex quo infertur etiam posse absolvere à Censuris Papæ reservatis; cùm in eadem forma paulò ante mentio fiat Censurarum. Ut securius tamen hac in re procedatur, adsint prius Fratres Capitulo in quo Superior in vigilia dierum privilegiatorum certò absolvit à Censuris, etiam annexis casibus, à quibus absolvere possunt in foro conscientiæ. Vide Q. 5.

Prob. 3. Pars; *de irregularitatibus*; quia nullibi legitur concessa facultas illa Regularium Confessariis, sed benè Superioribus, & quidem diebus privilegiatis. Quamvis enim daretur posse à Censuris omnibus absolvere, malè tamen inferretur, posse ab Irregularitatibus; cùm hæ non veniant nomine Censurarum, etiamsi ob delictum incurrantur; imò etiamsi Censura dederit occasionem Irregularitati v. g. quando quis suspensus, aut excommunicatus celebravit.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit itinerantibus potestas absolvendi, & quænam licentia confitendi?

SUppono transmigrantes in alium Conventum ibidem commoraturos, non censeri admissos pro Fratribus in novo Conventu, licèt essent alibi, nisi accedat nova Provincialis deputatio; quia ubi nova injungitur habitatio, extinguitur, saltem apud nos, totaliter deputatio; & ideò si quis post unum mensem remitteretur ad priorem Conventum, non posset ibi Fratres audire sine nova deputatione.

CONCLUSIO I.

COnfessarius itinerans potest Religiosos sui Conventus, pro quibus est approbatus, ubique terrarum absolvere, non tamen Religiosos alterius Conventus; *nisi certis casibus*.

Prob. 1. Pars; Quia ad validam alicujus pœnitentis absolutionem requiritur & sufficit approbatio aut admissio Superioris ipsius pœnitentis, nisi specialiter contradicatur, ut suo loco diximus: nullibi autem reperitur contradictum esse à Superioribus Conclusioni nostræ.

Prob. 2. Pars; quia respectu Religiosorum alterius Conventus, nullam habet jurisdictionem: nam sicut *deputatus pro uno Conventu, non censetur approbatus & deputatus pro alio*, ut ajunt Statuta nostra Provincialia ca. 7. §. 1. ita nec pro Fratribus istius Conventus, etiamsi extra illum reperiantur.

Dixi tamen: *Nisi certis casibus*; quia primò in iis circumstantibus posset Religiosus sæculari, aut Religioso alterius Ordinis confiteri, posset, imò & deberet à præfato absolvi; cùm talis sit Superiorum voluntas. Secundò quando Confessarius ille reperit Religiosum Conventus, sed ejusdem Instituti, qui deberet à Sacrificio abstinere defectu Confessarii, posset ipsum absolvere. Tertiò idem esset dicendum si talis Religiosus existens in pago, deberet Confessionis ergo ad Conventum regredi cum itinere 2. aut 3. leucarum. Idem dic in similibus casibus.

Ratio horum est; quia tunc præsumitur à Superiore conferri jurisdictionem, aut potiùs collatam esse ex consuetudine tacito Superiorum consensu firmata. Idem credo dicendum, si Confessarius (ejusdem semper instituti, ut suppono) sit tantum admissus pro sæcularibus. Aliud esset, si tantùm esset simplex Sacerdos; quia tunc non posset, nisi adesset *vera* celebrandi necessitas; cùm non censeantur Superiores *velle* aliter potestatem illam conferre simplici Sacerdoti.

Sed potestne Confessarius in Conventu alterius Provinciæ excipere Confessiones Religiosorum suæ Provinciæ, pro quibus non est approbatus? Exemplum pono. Lector Conventus Valencenensis vadit Cameracū cum Juvenibus ordinandis, quo pergunt etiam juvenes Conventus Avesnensis: Quæritur an Lector ille pro suo Conventu deputatus possit Avesnenses audire in Conventu Cameracensi, qui est alterius Provinciæ?

Resp. Probabilius neg. quia licèt sit ibi diversa Provincia, quia tamen sunt ejusdem Ordinis Religiosi, qui eo ipso quo pro Conventu deputantur, possunt omnes hospites sivè suæ, sivè alterius provinciæ, absolvere, non potest præsumi Superiorem Lectori Valencenensi jurisdictionem in Avesnenses conferre, cùm nulla sit necessitas.

CONCLUSIO II.

ITinerantes, solùm pro sæcularibus admissi, possunt extrà Conventum sui Ordinis se invicem absolvere.

Ratio est; quia censetur Superior illos conjungens, illos pro foro Pœnitentiæ, si indiguerint, sibi invicem subjicere; imò & quoad alia quæ non respiciunt forum externum & strepitum judicialem, & ideò non tenentur prævenire, modò non faciant ex animo vitandi deputatos, nec liberiùs peccent eo prætextu. Indè tamen malè inferres idem posse duos Sacerdotes simplices extrà casum necessitatis; quia cùm necdùm reputentur pro Confessionibus excipiendis idonei, sicut priores, nec censentur sibi invicem pro foro Pœnitentiæ subjici.

Dixi: *Extrà Conventum sui Ordinis*; quia, quidquid dicant aliqui, id non possunt in Conventu sui Ordinis, sivè ejusdem, sivè alterius Provinciæ; quia reperiuntur ibi expressè deputati, tùm pro domesticis, tùm pro extraneis, & consequen-

sequenter cessat indigentia, obquam censentur sibi invicem quoad Sacramentum subjici.

Dices 1. In Conventu alterius Provinciæ nulli sunt à Superiore ipsius hospitis deputati; ergo tam potest eligere socium, quàm alium.

Resp. Neg. Ant. Quia cùm ibi sortiatur regimen Conventualium, possitque ibi delinquens à Prælato puniri, secundùm Statuta Generalis, tamquam communis omnium Provinciarum, omniumque Religiosorum suorum Superior, deputatos à Provinciali pro Conventu, deputat & pro hospitibus, cujuscumque sint Provinciæ; & ideò itinerantes, si velint sibi invicem confiteri etiam in Conventibus Ordinis, debent deputationem auteà postulare, si non habebant aliundè.

Dices 2. In Conventu alterius Ordinis non tenentur re ad deputatos pro Conventu, sed potest quemlibet pro Confessionibus approbatum eligere, si adsit celebrandi necessitas, nec sit aliquis de Ordine: ergo idem potest in Conventu sui Ordinis, adeoque & socium suos diligere.

Resp. N. Cons. Disparitas est quod ibi non sit in loco jurisdictionis sui Ordinis, adeoque non sortiatur regimen Conventualium, cùm Recollectus. v. g. non ligetur decretis Carmelitarum.

CONCLUSIO III.

POssunt Itinerantes in casu veræ necessitatis (qualis esset, si Sacerdos ipse, aut populus non posset audire Missam die Dominico vel Festo; aut si ex defectu celebrationis sequeretur grave scandalum, aut magna populi admiratio) possunt, in quam confiteri Confessario sæculari, aut alterius Ordinis.

Ratio est; quia etsi Statuta nostra Generalia, sicut & plurimarum Religionum Constitutiones, id prohibere videantur, non intelliguntur tamen de casibus necessitatis; quia prohibitio illa potius tenderet in destructionem, quam in ædificationem. Prætereà sicut non possunt Superiores in præceptis divinis aut Ecclesiasticis dispensare, nec possunt, saltem ubi unum vel aliud urgeret, Confessionem ad celebrandum necessariam prohibere: undè quando Clemens VIII. prohibet nostris extra Ordinem confiteri, excipe casum necessitatis: quod & facit, teste Marchantio in Cap. 7. Regulæ nostræ Bonifacius VIII. in Mari Magno, ubi ait: *Inhibemus universis Fratribus vestri Ordinis, nè aliqui illorum, nisi in necessitatis articulo, aliis quam Prælatis suis, peccata sua confiteri præsumat vel aliis Sacerdotibus ejusdem Ordinis, secundum Regulæ & ipsius Ordinis statuta.* Imò idipsum concesserunt varii Pontifices, ut Innocentius VII Sixtus IV. & Leo X. qui ultimus requirit, ut Religiosus domum reversus, id insinuet Superiori, non quidem ad ratificationem Absolutionis, quæ jam supponitur absolutè concessa, sed ut servetur subordinatio.

Sed nunquid videtur necessitas sufficiens, ut quis extrà Ordinem confiteatur, quandò Sacerdos deberet per 4 aut 5. dies abstinere à Sacrificio aut Laicus per quindenam à communione?

Resp. probabilius affirm. dummodò viteturomnis fraus & dolus; quia non est credibile, quod benigna Mater Religio velit Filios suos devotos tanto fructu ad tantum tempus privare. Ducor aliundè quod Clemens VIII. in Bulla *Romani Pontificis* data anno 1599. postquam revocavit indulta eligendi Confessarium extrà Ordinem, & voluit ut Religiosi & Moniales, quantùm ad Confessionem, subiecti sint Prælatorum suorum dispositioni, subdit: *Eis tamen Prælatis, ut in usu hujusmodi potestatis se cum subditis benignos & faciles præbeant, præcipimus & mandamus.*

CONCLUSIO IV.

POssunt interdum Provincialia ex causa gravi (ut quando Concionator prædicandi gratia debet per Adventum, aut Quadragesimam à Conventu abesse) Fratribus suis permittere, ut Sæculari, aut Religioso alterius Ordinis possint confiteri.

Ratio est; quia eo ipso, tamquam Ordinarius, censetur Sæcularem aut alterum delegare pro luis: ad quam delegationem faciendam nec à jure, nec à Regula, nec à Statutis, saltem apud nos, impeditur: undè mos invaluit, ut in locis, ubi Fratres non habent Conventum, deputetur à Provinciali Sacerdos sæcularis pro excipiendis Confessionibus Monialium Ordinis ibi degentium. Quod autem possunt respectu Monialium, possunt & respectu Fratrum.

Notandum tamen hic cum P. Herinx, quando quis accedente expressa, aut præsumpta Superioris licentia, confitetur extrà Ordinem, non posse à reservatis directè absolvi; quia non censentur Superiores facultatem illam concedere, nisi specialiter exprimant.

QUÆSTIO V.

Quos, quando, ubi, & à quibus casibus absolvere possint Regulares exempti?

QUæstio hæc procedit de potestate Regularium ergà sæculares; nam de potestate in suos sufficienter antea dictum est.

CONCLUSIO I.

POssunt Regulares exempti, à suis superioribus legitimè præsentati, & ab Episcopo loci, ubi Confessiones excipiunt, approbati, absolvere generaliter omnes Christi fideles dispositos ex quacumque Diœcesi aut mundi parte venerint, nisi Constitutio particulari sobstiterit.

Prob. ex privilegiis à variis Pontificibus ipsis concessis ac præsertim à Julio IV. Paulo III. & Paulo IV quorum primus concedit Minimis in Confirmatione illorum Ordinis, ut possint audire ubilibet Confessiones *quarumcumque personarum, tam Religiosorum, quam Ecclesiasticorum & sæcularium.* Secundus Jesuitis *quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad eos undequaque venientium* Bulla, *Cum inter cunctas.* Tertius Minoritis *quaruncumque Provinciarum, Civitatum & Diœcesum per totum orbem utriusque sexus fidelium*, Bulla, *Cum sicut exponi.*

Dixi Primò. *A Superioribus legitimè præsentati*: undè si quis invito, aut inscio Superiore fuisset ab Episcopo approbatus, non reciperet suam jurisdictionem à Sum. Pontifice, qui non censetur velle illam concedere, nisi sint Fratres à suis Superioribus, ut moris est, præsentati; cum privilegia illa sint in favorem Religionis, & non ipsius inobedientis. Illam tamen probabiliùs recipere ab Episcopo, sed limitatam, & talem qualem recipere Sacerdos sæcularis; quia etsi peccet Religiosus illam petendo, non tamen invalidè confertur ab Episcopo, cùm nullum jus concessionem illa invalidet. Si tamen Episcopus præcisè intenderet approbare supponendo jurisdictionem conferri à Summo Pontifice, nihil posset approbatus, ut per se patet; & ideò talis jurisdictio, utpotè validè suspecta, non est ad praxim reducenda.

Dixi 2. *Nisi Constitutio particularis obstiterit*: nam obstant 1. variarum Religionum Statuta à S. Sede approbata, quibus prohibentur Religiosi & Moniales extrà Ordinem confiteri. Obstant 2. Bulla Clementis X. *Superna*; secundùm quam Regularis approbatus simpliciter, imò & pro Monialibus unius Monasterii, non censetur pro aliis, non distinguendo an Moniales illæ sint Episcopo subjectæ, an Prælato Regulari.

CONCLUSIO II.

POssunt Regulares exempti fidelium confessiones excipere omni tempore, nullo excepto, adeoque nec Paschali, nec in articulo mortis.

Ratio est; quia cùm summi Pontifices id concedant simpliciter, nullum tempus limitando, nec non debemus limitare; imò cùm exceptio firmet legem, Pontifices autem agentes simul de Eucharistiæ & Pœnitentiæ administratione, tantùm pro communione distribuenda tempus aliquod excipiant, nempè diem resurrectionis, & articulum mortis, id est, communionem Paschalem, & Viaticum, censetur pro confessione nullum excipere.

Confirm. 1. Ex Bulla Clementis VIII. directa ad pacificationem Religiosorum cum Urbis Duacenæ Pastoribus, qui publicè fuerant concionati non satisfieri præcepto annuæ confessionis per confessionem factam Regularibus, ubi declarat fideles *tam Fratribus Predicatoribus, & Presbyteris Societatis JESU, quam aliis privilegiatis, quibus à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam quadragesimali & paschali, & quovis tempore confiteri licitè posse.*

Confirm. 2. Ex Resolutione S. Congregationis, quæ, teste Fagnano in Cap. *Omnis utriusque sexus*, ita censuit in dubio Archi-Episcopi Salernitani. Quod & fecit anno 1644. die 9. Junii, confirmavitque Innocentius X. 7. Febr. 1645. teste N. Philippi in Directorio conscientiæ pag. 731.

Con-

Contrarium quidem insinuasse, videtur Martinus V. Extravag. *Ad uberes fructus*, sed quidquid sit de illa Extravag. quam non fuisse usu receptam asseritur communiter, certum est posteriores Pontifices illi derogasse ut patet ex dictis. Prohibuit etiam Sixtus IV. Extravag. *Vices illius* de Treuga & pace, ne hoc prædicarent Mendicantes, idque pacis causa, non tamen nè practicarent, cùm addat ibidem: *Per hoc tamen ipsi Fratres non censeantur exclusi, quominus secundùm juris communis, & Privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, Confessiones audire valeant.* Deindè, ut dixi, Successores illius omne dubium abstulerunt.

Dices: Tenentur fideles confiteri Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus licentia.

Resp. Omnium Sacerdotem proprium esse Papam, qui licentiam illam concessit Regularibus: undè Joannes XXII. in Extr. *Vas electionis* de Hær. condemnavit erroris Joannem Poliacum Doctorem Parisiensem, eò quòd assereret solum Parochum esse Sacerdotem proprium.

CONCLUSIO III.

POssunt Regulares exempti fidelium Confessiones excipere ubilibet, adeoque non tantùm in suis Ecclesiis, sed ubivis terrarum, etiam in domiciliis privatis, imò in Ecclesiis Parochialibus, si adsit licentia, saltem fundatè præsumpta, Parochorum: quia licet ipsis contradicentibus possint quidem validè absolvere, ob expressam concessionem Summorum Pontificum, ac nuper Clementis X. declarantis Bulla cit. posse Regulares *in Diœcesi Episcopi approbantis quovis tempore, etiam Paschali*, (quod confirmat Conclusionem priorem) *& quorumcumque etiam infirmorum, Confessiones audire absque ulla Parochorum venia*, nullum prorsus locum excipiendo; illicitè tamen fieret, quia hoc natum esset causare confusionem, ac perturbare pacem.

Quærit hic Henricus à S. Ignatio, an hæc Clausula, quam aliqui Belgii Episcopi ponunt in suis Admissionibus: *De consensu eorum quorum interest*, reddat invalidam Absolutionem Regularis absolventis sine Parochorum consensu?

Respondet Neg. Quia non est verisimile, ut ait, Episcopos erga S. Sedem observantissimos, velle contrarium Apostolicis Constitutionibus, & privilegiis, quibus concessum est Regularibus, ubique & quovis tempore *quorumcumque ... Confessiones audire, absque ulla Parochorum venia*. Verba sunt Clementis X. undè clausula illa tantùm indicat modum Sacramenta ministrandi pacificè cum unione Parochorum & Coadjutorum, ac ædificatione sæcularium: & certè nisi ita esset, eo ipso quo Parochus nollet, statim omnium Parochianorum Confessiones à Regularibus exceptæ, essent invalidæ, sivè factæ fuissent infirmitate, sivè in Paschate, sivè alio tempore: quod hactenùs fuit in Belgio inauditum. Ità ferè ille.

Confirmat ejus sententiam Declaratio S. Congregationis: cùm enim postulassent Ordines Mendicantium Civitatis Iprensis, an Episcopus Diœcesanus posset hanc Clausulam (nempè ad limitandam Regularium approbationem) in suis Patentibus apponere: *Dummodò tamen quemquè ab incboata Dominica Palmarum, usque ad expletam Dominicam in Albis, ad Confessionem non admittat*, NISI EXPRESSA LICENTIA PAROCHI DIRIGATVR? Respondet 22. Septemb. 1668. S. Congregatio Eminentiss. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum NEGATIVE. Signatum erat *A. Card. Celsus Præfectus*, & infrà: *S. Archiep. Adrianopolitanus.* Si autem nequidem liceat tempore Paschali, licebitnè omni tempore? Unde, ut dixi, Clausula illa ponitur ad pacem, unionem, & concordiam, ut Parochi, & Regulares charitate conjuncti, charitatem accendant in iis, pro quibus supremus animarum Pastor supremum charitatis dedit testimonium, sanguinis effusionem.

CONCLUSIO IV.

COncessit Paulus III. sup. Jesuitis, adeoque Regularibus Privilegiatis approbatis secundùm formam C. Tridentini, licentiam *quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium, ad eos undecumque accedentium confessiones audiendi, & confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam S. Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, plenam & liberam facultatem.* Quod etiam, teste Quaranta Verb. *Confessor* concessit Sixtus V. Congregationi Oratorii anno 1586. Bulla Decet Romanum Pontificem.

Et licèt pro Italia limitata sit dicta concessio, ut videre est apud Bassæum V. *Casus reservatus* num. 36. tamen extra Italiam plenum sortitur effectum, ut praxis declarat; & ideò absolvere possunt Regulares, extra Italiam, Duellistas, realiter Simoniacos, Clericorum Percussores, Violatores immunitatis Gregorianæ, ac Monialium clausuræ, quod non possunt in Italia.

An autem Regulares Belgici possint absolvere etiam à casibus in Bulla Cœnæ contentis? Affirmant aliqui, quia Bulla illa, ut ajunt, non est ibi debitè publicata; sed omninò contrarium tenendum esse, patet ex dictis de hac Bulla in materia casuum reservatorum: imò nec ab illis absolvere possunt, licèt sint occulti, ut patet ex condemnatione hujus Propositionis ab Alexand. VII. anno 1666. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab Hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

CONCLUSIO V.

REgulares privilegiati non possunt à casibus Episcopo reservatis absolvere. Est modo certa, & in praxi omninò tenenda.

Patet tùm ex Decreto Urbani VIII. dato 18. Novembr. 1628. ubi statuitur *Nequaquam ..... Regulares cujusvis Ordinis .... nec intrà, nec extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationis ejusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnę Domini, aut Ordinario loci reservatis, ac si secùs egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore.* Tùm ex hujus ab Alexard VII. Propositionis condemnatione: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Tum ex Bulla Clementis X *Superna*, ubi legitur: *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus S. Apostolicæ reservatis, non ideò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere.*

Cùm tamen in Diœcesi Mechliniensi adhuc dubitarent aliqui de rei veritate, Jacobus Boonem Illustriss. Archi-Episcopus Mechliniensis, hanc à S. Congregatione obtinuit declarationem, quam & insinuari fecit omnium Ordinum Mendicantium Superioribus 3. Oct. anno 1648. *S. D. N. Innocentio X. approbante censuerunt confessariis quibuscumque tam sæcularibus, quam Regularibus .... qualicumque privilegio suffultis .... non licere pœnitentes .... absolvere à casibus in Bulla Cænę Domini, vel à locorum Ordinariis in suis Diœcesibus reservatis, nisi priùs petita & obtenta licentia.* Præterea tot Decreta, tot declarationes, tot constitutiones etiam Papales circa hoc prodierunt, ut dicendum sit vel Papam non posse potestatem illam à Regularibus tollere, quod Hæreticum est, vel de facto substulisse. Dico sustulisse; quia illam obtinuerant à Sixto IV. & aliis Pontificibus.

:

DISPUTATIO X.

De Sigillo Confessionis.

CIrca hoc Sigillum tanta fuit olim in Ecclesia Dei reverentia, ut vix unus reperiatur ex antiquis Hæreticis, qui docuerit posse aliquando directè aut indirectè, signo, verbo, nutu, praxi, aut aliter sub quolibet prætextu imaginabili violari. Paulatim Disputationes & Dubia exorta sunt, non quidem circa pœnitentium peccata, sed circa pœnitentium complices sub prætextu correctionis fraternæ, aut gravis cujusdam mali avertendi. Imò sustinuerunt aliqui inter peccata æterno silentio à confessariis sepelienda non annumerari Hæresim, Crimen læsæ Majestatis, & Matrimonii impedimenta, contra quos semper firma stetit antiqua & universalis Ecclesiæ doctrina, nullam faciens inter peccata distinctionem, & ideò semper detestata est errorem Erasmi, qui Tract. de ratione confitendi, ajebat: *Jam sunt casus quidam excepti, in quibus fas est prodere confitentem*, sicut & liberum Joannis

uis Denison, qui occasione conspirationis Augelicanæ sub Jacobo I. scripsit de Sigilli Confessionis impietate.

QUÆSTIO I.

Quid sit Sigillum Confessionis, & quo jure obliget?

CONCLUSIO I.

COnfessionis sigillum (sic dictum ab instrumento, quo obsignautur Litteræ) est obligatio strictissima celandi ea, quæ in confessione sacramentali audita sunt.

Dico: *Obligatio strictissima*; quia nullo nunquam tempore, sive vivente, sive mortuo pœnitente, revelari potest, etiam indirectissimè, ubi aut pœnitenti, aut Sacramento inde oriri posset detrimentum aut gravamen, aut quodcumque aliud ingratum. Ex quo patet discrimen inter sigillum sacramentale & naturale, quòd hoc possit & debeat quandoque revelari ad vitandum majus malum communitatis aut Tertii innocentis; illud verò nunquam, licèt Ecclesia universa, aut tota Fides Catholica, per impossibile, foret destruenda.

CONCLUSIO II.

SIgillum Confessionis obligat jure naturali, divino, & Ecclesiastico.

Prob. 1. Pars; quia, ut ait Scotus dist. 21. n. 8. ad id urget nos ratio naturalis ex quadruplici capite, Primo *ratione charitatis*, secundùm quam sicut nollemus peccatum nostrum ab altero manifestari; ita nec manifestare debemus peccatum alterius, juxta illud Primum Præceptum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Secundo *ratione fidelitatis*, alterius secretum celare jubentis: unde Proverb. 11. *Qui autem fidelis est, celat amici commissum*. Tertio *ratione veracitatis*, cùm implicitè secretum promiserit Confessarius pœnitenti, qui nonnisi sub hac conditione censetur conscientiam suam aperuisse: unde est illud Zachar. 8. *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*. Quarto *ratione confidentiæ*, quam habet inferior ad superiorem, pro peccatorum suorum absolutione, quam confidentiam omninò extingueret violatio sigilli.

Prob. 2. Pars 1. quia qui vult efficaciter finem, debet & velle media, sine quibus non obtineretur finis: sed voluit Christus efficaciter peccatorum declarationem sacerdoti faciendam: ergo & voluit eorum celationem omnimodam, sine qua homines plurimi peccata sua nunquam aperirent. Dico *Omnimodam*; quia prævidebat Christus, si vel unicum peccatum excepisset, sive mortale, sive veniale, sive alteri nocivum, sive non, homines novitatum amatores ex Epicheja fundata, aut infundata, plura alia excepturos, sicque paulatim reddendum esse hoc sacramentum fidelibus odiosum & onerosum.

Prob. 3. Ratione D. Thomæ Quodlib. 12. quæst. 10. art. 1. quia sacramentum hoc, sicut alia, efficit quod significat: atqui significat peccatorum omnimodam abolitionem quoad culpam: ergo illam operatur, seu efficit ut sint quasi nunquam fuissent: quod autem nunquam fuit, nec debet, imò nec potest unquam revelari, ut per se patet; & ideò respicere debet confessarius audita in confessione quasi ea quæ nec sunt, nec unquam fuerunt. Et ne diceres inde sequi non esse quidem revelanda quæ fuerunt absoluta, non tamen alia, asserit universaliter S. Doctor q. 11. supplem. art. 1. ad 1. illud quod confessione scitur, esse quasi nescitum, cùm illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus.

Prob. 3. Ratione & verbis Scoti num. 11. Quilibet Christianus tenetur non dare occasionem alteri, qua revocetur a lege Christi: sed lex Christi est de Confessione facienda . . . . . igitur quilibet in lege Christi tenetur non retrahere aliquem à Confessione facienda: sed revelans Confessionem occasione data retrahit aliquos à Confessione: ergo.

Dices 1. Lex naturæ prævalet legi positivæ: sed lex naturæ dictat revelandum esse crimen, quando id necessarium est ad amendationem criminosi, aut ejus Complicis: ergo.

Resp. Dist. Min. Dictat esse revelandum, quando per revelationem non destrueretur majus bonum, C. secus, N. Sacramentum autem Pœnitentiæ (quod destrueret sigilli revelatio) majus est bonum in Republica Christiana, quam emendatio criminosi, aut ejus complicis. Præterea nec debet, nec potest quis revelare quod nescit: Quod autem scit confessarius ut confessarius, illud propriè nescit, & ita nescit, ut interrogatus à Judice dicere possit, imò & absolutè jurare se nescire: unde D. Thomas sup. *Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, & ideò sine læsione conscientiæ potest jurare se nescire*.

Dices 2. Accidere potest casus, quo teneatur pœnitens cedere juri suo, ut si revelandum sit peccatum tantum veniale ad impediendum maximum Ecclesiæ, aut innocentis detrimentum: ergo tunc potest confessarius revelare.

Resp. Dist. Conseq. Potest revelare: si pœnitens expresse, & omninò liberè in id consentiat, volendo, ut quæ sacramentalia erant, fiant extrà sacramentalia: C. secùs: N. Unde quamvis ad id teneretur pœnitens, si tamen recuset, servandum est sigillum, etiam cum totius orbis destructione; quia audita remanent sacramentalia, adeoque nescita.

Dices 3. Non est credibile voluisse Christum ut celaretur parva culpa, ubi aliàs perire deberet Provincia integra.

Respond. 1. Ex licentia revelandi peccata, sequuntur majora incommoda; quia tunc homines illa non aperirent in confessione, sicque non poterunt à concepto facinore deterreri.

Respond. 2. Neg. Assumpt. Quia Pœnitentiæ Sacramentum per totum orbem in suo vigore servandum prævalet detrimento fortè uni Provinciæ eventuro: attenta autem hominum dispositione, nunquam servaretur, si revelatio in aliquo casu esset licita, quia licentiam illam ita extenderent, ut redderetur sacramentum intolerabile, ut diximus suprà.

Prob. 3. Pars ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi præcipitur confessario celatio sigilli sub pœna depositionis ab Officio sacerdotali, & perpetuæ pœnitentiæ in arcto Monasterio faciendæ. Hæc tamen pœna non incurritur ante sententiam Judicis, nec ipse confessarius fit irregularis, ut docet Suarez Tom 4. Disp. 32. Sect. 8. Ex dictis

Resol. 1. Violantem sigillum peccare triplici peccato, Primo contra Religionem propter irreverentiam sacramento factam. Secundo contra fidelitatem, ob tacitam promissionem servandi secretum. Tertio contra justitiam, in quantùm diffamat injustè suum pœnitentem.

Resol. 2. In fractione sigilli non dari parvitatem materiæ; quia licèt revelatio culpæ levis non sit fortè gravis infamia, respectu pœnitentis, est tamen semper gravis irreverentia respectu Sacramenti; cùm aliàs averterentur homines à Confessione venialium: undè sola inadvertentia à mortali excusat.

Resol. 3. Etiam obligare Sigillum in caso, in quo non posset aliter Sacerdos peccatum suum declarare; quia fortiùs obligat quam integritas Confessionis, idque ut pœnitentes cum omni fiducia aperiant peccata sua Sacerdoti.

Resol. 4. Obligationem illam esse perpetuam, adeoque etiam durare post mortem pœnitentis; & ideò si ex sola Confessione novisti puellam esse gravidam, non potes, ipsa defuncta, id aperire ut extrahatur & baptizetur illius fœtus. Ubi tamen noluisset ipsa id tibi aut alteri extra Confessionem declarare, non potuisses ipsam absolvere, utpotè indispositam ob celationem fœtus suffocandi, & sine Baptismo morituri.

Sed quid si ante mortem iterùm vocasset Confessarium, & ipse rediens reperiret mortuam, possetne, præsumens de licentia sibi concedenda, ejus fœtum declarare? Non posset; quia, ut dicemus posteà, non sufficit licentia præsumpta, sed expressa: non concedenda, sed concessa.

Resol. 5. Etiam sigillum se extendere ad ea, quæ immediatè post absolutionem dicuntur tanquam appendix præcedentium; quandoquidem censeantur moraliter ad idem judicium pertinere: aliud esset, si materia esset omninò disparata, nec diceretur in ordine ad novam absolutionem.

Resol. 6. Summum Pontificem non posse sigillum confessionis abrogare, aut in eo dispensare. Ratio est; quia nihil simile potest circa legem naturæ, ut suo loco diximus. Deindè esto certis casibus non obligaret sigillum jure naturæ, semper tamen obligat jure divino, Inferior autem nihil potest circa legem superioris, nisi legatur ipsi concessum, quod nullibi reperimus. Imò illa concessio potius esset in destructionem hujus sacramenti, quam in ejusdem promotionem.

QUÆSTIO II.

Unde oriatur obligatio Sigilli, & quinam ad illud teneantur?

CONCLUSIO I.

OBligatio Sigilli oritur ex omni & sola Confessione Sacramentali facta Sacerdoti vero aut putativo, ex animo Absolutionis obtinendæ, licèt non obtineatur.

Dixi primò. *Ex omni & sola Confessione sacramentali*; quia obligatio sigilli resultat ex confessione sacramentali tanquam ejus proprietas; proprietas autem omni & soli convenire debet.

Dixi secundò *Facta Sacerdoti*, quia ex confessione quæ fieret scienter laico aut Clerico non sacerdoti, etiam in necessitate, non oriretur obligatio sigilli sacramentalis, sed tantùm secreti naturalis. Excipe tamen nisi fieret eo animo, ut sacerdoti venienti aperiretur; quia tunc audiens induet quasi rationem Interpretis, de quo postea.

Dixi 3. *Vero aut putativo*, ut comprehendatur confessio facta illi, qui se vel sacerdotem fingeret, vel tanquam admissum & approbatum gereret, cùm reverà non esset, modò adsit bona fides ex parte pœnitentis; cujus ratio est; quod ex parte pœnitentis, in cujus favorem præsertim tanta est sigilli obligatio, Confessio fuerit intentionaliter sacramentalis; & ideò etiam sigillata esset confessio facta Laico, ut Diacono, si pœnitens sincerè crederet posse ab illo absolvi in absentia sacerdotis, licèt contrarium existiment aliqui.

Dixi 4. *Animo absolutionis obtinendæ*; Primò ut excludatur confessio facta animo decipiendi, tentandi, subornandi, aut irridendi confessarium, vel sacramentum; quia confessio illa nec ex se, nec ex parte pœnitentis, est ullatenus sacramentalis, sed illusoria. Undè cum Cardinalis quidam, ut refert Soto, audisset confessionem alterius Cardinalis contra Papam conspirantis, & in conspirationem confessione sua confessarium allicere satagentis, plexus fuit mulcta pecuniaria, eo quod conspirationem confessione ficta sibi apertam non manifestasset, aliàs graviùs plectendus, nisi ignorantiam manifestationis tali casu faciendæ fuisset protestatus. Secundò ut excludatur declaratio certi peccati aut secreti, quod quis non intendens sacramentum, sed consilium, aut quid aliud, exponit Confessario sub obligatione, ut ait, sigilli; quia cum illud nec directè, nec indirectè sit materia confessionis, ita nec est materia sigilli, sed secreti naturalis: De quo monendus est consulens. In dubio autem, an aliquid sit apertum confessionis causa, aut consilii, favendum est sacramento, ne confessio fortè reddatur odiosa.

Dixi 5. *Licèt non obtineatur*, sive interim hoc proveniat ex parte pœnitentis indispositi, sive ex parte confessarii jurisdictionem in certum casum non habentis; quia sigillum non est annexum absolutioni, sed confessioni.

CONCLUSIO II.

OMnes illi obligantur ad sigillum, qui proximè vel remotè, directè vel indirectè, verbis aut signis aliquam materiam sigilli norunt ex confessione.

Ratio est; quia sicut talis notitia, ad quoscumque perveniat, semper habet ortum à confessione, ita semper manet sigillata. Hinc

Resol. 1. Ad hoc obligari confessarium, etiam fictum, sicut & superiorem, ad quem recurrit pœnitens pro casuum reservatione; quia tunc superior intelligitur una persona cum confessario in ordine ad Absolutionem impertiendam.

Resol. 2. Etiam ad sigillum teneri omnes illos, quos de licentia pœnitentis (si illam dare possit, ut videbitur infrà) consulit confessarius, sive durante confessione, sive post; quia supplent defectum Ministri quoad clavem scientiæ. Rarò tamen necesse est aperire personam, pro cujus confessione consilium petitur.

Resol. 3. Sigillatam quoque esse confessionem pervenientem ad eos, qui ex malitia, aut fortuitò audiunt, vel colligunt peccata, quæ in confessione aperit pœnitens. Idem est, si illa percipiantur verbis, vultu, aut gestu confessarii. Ita Scotus cum aliis communiter.

Resol. 4. Obligationem sigilli afficere similiter Interpretem, ut contra Sotum & Cajetanum, docent Scotus, Malderus, Sylvius & alii, quia cum sit persona interposita tùm pœnitentis, ut confiteatur, tùm confessarii, ut peccata intelligere possit, suo modo concurrit ad sacramentum, seu ad notitiam in sacramento datam.

Resol. 5. Ad hoc secretum etiam obligari illos, coram quibus in necessitate, ut tempore naufragii, aut pestis, fit confessio sacramentalis; quia ubi sacramentalis est, semper cum onere sigilli transit ad quoslibet. Dico: *Vbi sacramentalis est*; quia si desinat esse talis, ut quando pœnitens ad majorem sui humiliationem ultrò, & sine ulla necessitate confitetur publicè, desinit esse sigillata.

Si dicas ordinari ad Absolutionem, dicam ordinari quidem quatenùs est manifestatio peccatorum præcisè, non tamen quatenùs est manifestatio publica; cùm ut talis, nec ex se, nec ex intentione pœnitentis, nec ex Christi institutione ordinetur ad sacramentum. Si tamen voluerit pœnitens notitiam illam inter adstantes retineri, tenebuntur hi ad secretum naturale respectu aliorum.

Resol. 6. Hoc secreto ligatos esse omnes illos, quibus sacerdos aut alius confessionem aperuit sub quocumque prætexto, etiamsi jam per centum, aut mille personas successivè transisset; quia Sigillum illud eo ipso, quo materiæ capaci semel impressum est, à nullo separari potest, imò nec ab ipso pœnitentia, saltem aliquo sensu posteà explicando.

Resol. 7. Judicem aut Superiorem, eo ipso quo advertit materiam judicii aut correctionis solùm ex Confessione fuisse cognitam, teneri statim desistere, ac reum, etiam probatum talem, intactum relinquere, & eodem modo cum ipso & ejus Complicibus agere, ac si de facto omninò innocentes essent; quia si ideò puniat vel levissimè, violat Sigillum in actu exercito.

Resol 8. Nec Judices, nec Superiores, nec testes, nec quoscumque alios posse inter se, aut cum pœnitente de materia illa colloqui, licèt certò sciant eos, cum quibus loquuntur, rem nosse, quia equidem propter alterius notitiam non desinit esse sigillata.

Resol. 9 Reperientem chartam, ubi descripta est confessio peccatorum, certò teneri ad secretum naturale, & probabiliùs ad sacramentale. Ratio est; quia censetur moraliter confessio quædam inchoata, licèt in rigore non sit confessio, sed instrumentum, confessionem facilitans: undè in hoc magis attendendus est sensus communis, quàm physica rei natura, præsertim ubi favetur Sacramento. Quod & factum est Parisiis anno 1676. ubi cum in processu cujusdem nobilis Fœminæ pro criminibus decollatæ, producta fuisse charta ejus Confessionem complectens, decreverunt Judices non habendam esse in judicio illius rationem. Imò chartam similem reperiens, eo ipso quo Confessionem esse advertit, peccat mortaliter, si vel minimum legat ulteriùs; cùm gravem injuriam faciat alteri, ejus peccata explorando. *Excipe tamen*, nisi Confessio esset cujusdam ignoti, nec *aliis cognoscendi*.

Sed quid de Pœnitente respectu dictorum à Confessario?

Resp. Non obligari ad sigillum sacramentale, obligari tamen sub sigillo naturali ea tacere, ex quibus revelatis vel injuria Sacramento, vel infamia, confusio, aut damnum injustè fieret confessario: estque hæc obligatio gravis vel levis pro gravitate vel levitate irreverentiæ sacramenti, aut injuriæ confessarii.

Dixi *Injustè*; quia si deprehendat pœnitens confessarium esse indignum suo munere, potest, imò & debet, ipsum Episcopo denuntiare, sicut & quando ad turpia sollicitat, ut suo loco diximus. Idem dic in aliis casibus, ubi manifestatio necessaria est pro bono Communitatis, ipsius Confessarii, aut aliorum pœnitentium.

QUÆSTIO III.

Quæ sit materia sigilli?

CONCLUSIO UNICA.

MAteria Sigilli sunt omnia peccata cum eorum circumstantiis, ac objectis, & generaliter cum omnibus vel ad peccatorum explicationem requisitis, vel pœnitentis aut alterius infamativis, si in confessione exprimantur.

Ratio clara est; quia illorum cujuslibet revelatio nata est reddere confessionem odiosam.

Dixi 1. *Omnia peccata*, sive mortalia, sive venialia; ita tamen ut mortalia nec in genere, nec in specie aperiri possint; venialia autem non possint quidem in specie dicendo, talis commisit mendacium officiosum, leve furtum &c. sed possit in genere v. g. Joannes confessus est *peccatum veniale*; quia Confessio stare nequit sine uno veniali ad minimum, vel

vel *peccata venialia*; quia per hoc non redditur Confessio odiosa. Aliud esset, si diceretur confessum fuisse plura aut gravia venialia.

Dixi 2. *Cum eorum Circumstantiis*, sive mutent speciem, sive tantùm aggravent.

Dixi 3. *Ac objectis*: unde si quis se accuset, se detraxisse de fornicatione Petri, illa fornicatio manet sigillata.

Dixi 4. *Cum omnibus ad explicationem* &c. Unde si quis inter confitendum deprehendatur scrupulosus, præsumptuosus, rudis in Mysteriis, irregularis etiam sine delicto, impotens ad Matrimonium, eunuchus, pauper, debitor, minùs expers in sua arte aut officio, vel alium defectum habens naturalem, sive civilem, sive moralem, tenetur Confessarius omnia illa sigillo munire, ne reddat Confessionem odiosam.

Addidi *Vel pœnitentis aut alterius infamativis*, qualia sunt puellæ graviditas, defectus natalium, origo ex parentibus de Magia, aut Hæresi suspectis, nobilitas ficta, fama infundata, morbus venereus &c. Non tamen balbuties, surditas, &c. Ratio est, quia revelatio priorum nata est retrahere ab hoc Tribunali, non posteriorum.

Quoad alia quæ incidenter narrantur, nec ullo modo ad Confessionem, famam pœnitentis, vel alterius pertinent, non est obligatio sigilli. Cautè tamen de illis loquendum. Ex dictis

Resol. 1. Peccata publica, aliàs Confessario ignota, materiam esse sigilli; quia eorum revelatio semper est injuriosa Sacramento, licèt fortè & per accidens non sit pœnitenti. Dixi *Alias Confessario ignota*; quia si aliundè noverat, potest eodem modo se gerere loquendo, puniendo, impediendo, denunciando, ac si nihil audivisset in confessione, modo tamen propter audita in confessione, aliquid ampliùs vel certius non affirmet. Ratio est; quia scientia confessionalis non destruit scientiam priorem, nec adimit usum illius: & certè si hoc esset, facilè esset Reo, cujus superior est confessarius, punitionem evadere. Cavendum tamen scandalum, & suspicio, quòd quis utatur scientia confessionali: & ideò nisi adsit quædam necessitas, deberet confessarius etiam ab illis abstinere.

Resol. 2. Peccata complicis sive licitè, sive illicitè, sive advertenter, sive subreptivè expressa, etiam esse sigillata; quia ex eorum revelatione nata sunt sequi gravia incommoda in odium confessionis. Idem dic de aliorum peccatis similiter expressis. Ubi tamen advertit confessarius, Complicem aut aliam personam sine necessitate esse nominandam, prævenire debet pœnitentem, ut abstineat.

Resol. 3. Etiam sigillo munitam esse satisfactionem impositam; quia ex ejus manifestatione conjecturari posset peccatorum gravitas. Excipe tamen nisi ita levis esset, ut nonnisi aliquod veniale posset colligi.

Resol. 4. Etiam cadere sub sigillum indispositionem pœnitentis, & ideò non potest confessarius recusare pœnitenti indisposito testimonium confessionis paschalis, aut matrimonialis, si indè possit oriri suspicio ejus indispositionis. Quod addo; quia si confessarius sit solus cum pœnitente, & huic supersit tempus, ut debitè se disponat antequam teneatur Parocho chartam exhibere, poterit, imò & debebit confessarius denegare, ne sit pœnitenti occasio confessionis negligendæ. Si autem posteà diffametur pœnitens, non orietur ex defectu confessarii, sed ipsius pœnitentis nolentis (cùm posset commodè, ut suppono) ad hoc Tribunal accedere. Ubi autem confessarius testimonium dat pœnitenti, non debet ponere, *Absolvi talem*, sed *Audivi Confessionem talis*, quod, sive detur Absolutio, sive non, semper erit verum, & vitabitur omnis suspicio, quæ posset accidere in variatione testimonii.

Resol. 5. Violatorem esse sigilli, qui dicit negasse Absolutionem pœnitenti; quia suspicari possunt audientes, illum gravia crimina patrasse. Aliud esset, si rationem aliquam adferret pœnitentis justificativam, v. g. quia ab aliquo in confessionali aggressus aufugit, vel quia tantùm venit benedictionem recepturus &c.

Resol. 6. Non teneri, per se loquendo, confessarium servare sub sigillo Sacramentali officium, nobilitatem, sanctitatem, virtutes, &c. Pœnitentis, licèt pro explicandis peccatis declarata fuerint; quia illorum revelatio non est nata reddere confessionem odiosam; tenetur tamen aliquandò ea servare sub secreto naturali, quandò materia id exigit.

Dixi *Per se loquendo*; quia si ex eorum manifestatione timeretur suspicio peccati, aut si unius pœnitentis sanctitatem nimiùm extollendo, videantur alii indirectè vituperari, etiam tunc sigillum obligat: & ideò illud violat, qui paucis auditis, dicit: *Hic tantùm habuit venialia*; quia credere possunt adstantes, aut suspicari, alios habuisse mortalia.

Resol. 7. Posse, seclusa suspicione & scandalo, revelari peccata in confessione audita, modò illorum authores, nec directè, nec indirectè aperiantur; quia nulla fit injuria pœnitenti aut Sacramento, quòd sciatur talia peccata in orbe committi; & ideò non raro Doctores audita in confessione in libris suis evulgant ad confessariorum instructionem.

Dixi *Seclusa suspicione*; quia si vel levis oriri possit, frangitur sigillum; unde hujus fractionis Rei sunt, qui, auditis confessionibus in aliquo Monasterio, vel alio loco non ita amplo, dicunt, gravia crimina ibidem patrari; quia hoc est infamativum Communitatis, & consequenter membrorum illius, adeoque & pœnitentium. Quod idem esse videtur, si id dicatur de aliqua Congregatione integra, modò, omnibus attentis, inde lædatur ejus fama. Aliud esset, si sermo fieret de civitate ampla, quia non censetur fama incolarum propterea lædi.

QUÆSTIO IV.

An loqui possit Confessarius de auditis in Confessione cum ipso pœnitente, ut cum aliis de ejus licentia?

CONCLUSIO I.

POtest Confessarius in confessione sequenti alloqui pœnitentem de peccatis præcedentium confessionum, si expedierit pro ipsius salute, aut Sacramentali securitate.

Ratio est, quia non loquitur de auditis in confessione, extra confessionem. Imò nisi hoc liceret, frustra suaderetur fidelibus, ut pro majori suo profectu eumdem semper confessarium retinerent, ubi dignum & idoneum experirentur. Unde si confessarius reflectens ad peccata præterita, judicet pœnitentem indispositum, vel saltem dubitet de ejus dispositione, potest Absolutionem denegare, aut differre, à fortiori de recidiva ipsum verbis honestis corripere.

Dixi *Si expedierit* &c. quia non debet confessarius sine causa confessionum præteritarum memoriam renovare, ne pœnitenti causando verecundiam, redderet confessionem odiosam.

Advertendum hìc licere confessario immediatè post Absolutionem alloqui pœnitentem de auditis in confessione, ipsum corripere, docere, remedia præscribere, pœnitentiam injungere, injunctam augere vel minuere; quia durat adhuc moraliter judicium & confessio. Aliud esset, si à confessionali recessisset pœnitens, aut si post Absolutionem introductus fuisset sermo de aliis rebus.

CONCLUSIO II.

FRangit Sigillum Confessarius, qui extra Confessionem loquitur cum ipso pœnitente de auditis in confessione sine ejus licentia. Ita Scotus 5. dist. 18. qu. 4. Victoria, Fillucius, Malderus, contra quosdam, qui volunt hoc quidem non licere, sed tamen non esse propriè contra sigillum; & ideò putant Suarez, Turrianus, & Mercerus posse confessarium declarare pœnitenti, etiam renuenti, defectum à se in confessione commissum; quia tantùm supplet quòd in confessione defuit: tale autem supplementum facit quid unum cum confessione præcedenti, & sic non loquitur extra confessionem, sed in hac confessione. Hæc tamen sententia non videtur practicanda, ne exosum reddatur hoc Tribunal: cùm locutio illa sit nata parere ruborem & verecundiam pœnitenti, & sæpè non minùs ac si alii Defectus illi detegerentur.

Resol. 1. Contra conclusionem impingere confessarios illos, qui extra confessionem dant pœnitentibus suis monita quædam generalia tendentia ad emendationem peccatorum in confessione auditorum; cùm sit implicitè refricare memoriam rei sigillatæ.

Resol. 2. Nec minùs culpabiles esse, qui inter concionandum, cum tot circumstantiis reprehendunt certa peccata, ut pœnitens non imprudenter putet sua sibi objici: unde cùm locus ille sit instructionis, & non reprehensionis, saltem auditorum in confessione, cavere debet à similibus Concionator. Etiam tamen cavere debet Auditor à judicio temerario; cùm aliqui, præsertim mulierculæ, non ita raro circa illud culpare audeant suos confessarios, ubi ad audita in confessione nequidem somniarunt.

Resol. 3. ex Jacobo Marchantio consultum esse nunquam coram sæcularibus miscere sermones, nequidem in genere, de auditis in confessione; quia putant Confessarios memoria retinere sua peccata, & propter hoc se respici & despici.

Resol. 4. Posse tamen loqui Confessarium de auditis & dictis in Confessione cum pœnitente, si pœnitens ipsius priùs extra Confessionem de illis loquatur; quia tunc in actu exercito veniam concedit. Si tamen nihil aliud expresserit, & audita in Confessione, & hic continuata, illorum occasione, censentur sigillata; quia locutio illa posterior ad prius judicium censetur moraliter pertinere; Aliud esset, si diceret: ea, de quibus jam loquimur, sint dicta extra Confessionem.

CONCLUSIO III.

FRangit etiam Sigillum Confessarius, qui, etiam de licentia pœnitentis, revelat audita formaliter in Confessione. Ita Scotus 4. dist. 21. q. 2. nu. 18 quem sui sequuntur cum Alensi, Gabriele, Majore, De Aquila, Angelo, & aliis.

Ratio est; quia licèt pœnitens cedat juri suo, non tamen cedit juri Sacramenti, in cujus favorem primariò introductum est sigillum, secundariò autem in favorem pœnitentis, & sic ejus licentia est omnino insufficiens: unde sicut non potest Clericus renuntiare suo juri cum detrimento Privilegii statui clericali concessi; ita nec pœnitens cum præjudicio Sacramenti.

Confirm. 1. Vel peccata in Confessione audita fiunt per licentiam pœnitentis extra-sacramentalia, vel remanent sacramentalia: si primum, non considerantur, ut audita formaliter in Confessione. Si secundum, remanent sigillata, cùm sint talia, quia sacramentalia.

Confirm. 3. Non potest Confessarius dicere coram aliis, sive testibus, sive Judice, se negasse illi pœnitenti Absolutionem, sicut nec aperire causas denegationis, licèt pœnitens ipsemet id permittat, imò Confessarium ad id urgeat, ut concedunt Adversarii: ergo signum est sigillum non à pœnitente tantùm, sed etiam à Sacramento vim obligandi habere, adeoque insufficientem esse ad licitam revelationem, pœnitentis licentiam.

Dices 1. Non plus obligat secretum, quam velit illud communicans: ergo ubi revelationi consentit, aperiri potest.

Resp. Dist. An. Non plus obligat, ubi non reperitur præjudicium Tertii: C. Ubi reperitur, sicut hìc reperitur Sacramenti ex natura sua secretissimi: N.

Dices 2. Cap. 9. de Pœnit. & Remiss. consulitur Papa de peccato confessu: ergo potest revelari de licentia confitentis.

Respond. Ibi taceri nomen pœnitentis, ut patet ex Resp. Innocentii III. Significasti quamdam mulierem. Prætereà dici potest datam fuisse consulenti notitiam extra-sacramentalem.

Dixi: Audita formaliter in Confessione; quia si pœnitens sive ante, sive post Absolutionem dicat: Ea quæ dico, aut dixi in Confessione, sint dicta extra Confessionem, potest confessarius de illis loqui intra limites licentiæ concessæ; quia tunc mutata est materia; seu materia Sacramentalis facta est extra-sacramentalis.

Cavendum tamen, ne licentia pœnitentis sit dubia tantùm præsumpta, aut extorta vi, dolo, injuria, aut precibus importunis, vel etiam concessa ex metu quodam reverentiali ipsius Confessarii; quia tunc nulla est: unde debet esse formalis, expressa, manifesta, omnimodè libera. O quam fœdè, inquit Navarrus, labuntur aliqui circa fractionem hujus sacri sigilli, prætextu licentiæ obtentæ à pœnitente, quæ ut plurimùm invalida est. Et certè

Invalida est 1. (ordinariè loquendo) si pœnitens det illam sub prætextu obligationis sibi à Confessario inculcatæ; quia vix est casus reperibilis, ubi ad id teneatur pœnitens pro facienda aliorum correctione, ut dicemus infrà, sicque intercedit fraus.

Invalida est 2. Si eam concedat, ne injustè denegetur sibi Absolutio; quia intervenit metus.

Invalida est 3. Si det eam Novitius suo Magistro, illam postulanti, non concessurus, si non esset Magister; quia reperitur timor reverentialis.

QUÆSTIO V.

An sub pretextu correctionis fraterne possit pœnitens declarare Complicem Confessario, & an hic possit illum à pœnitente inquirere?

CONCLUSIO I.

NOn licet pœnitenti in Confessione detegere Complicem, aut aliam tertiam personam delinquentem, ut fraternè vel judicialiter à Confessario, aut Superiore corripiatur. Ità Malderus cùm aliis, iisdem ferè verbis.

Prob. 1. Quia si corripiendus est Complex, aut alia tertia persona, fieri debet modis à Christo, aut à jure institutis: sed ad hunc finem nullus instituit aut ordinavit hoc Sacramentum; cùm sit propter peccata celanda, imò destruenda, non aperienda: ergo.

Prob. 2. Quia utens hoc Sacramento ad correctionem Complicis, facit injuriam & Complici & Sacramento: Complici quidem; quia crimen ejus in Confessione expressum, fit sigillatum, cùm secretum etiam in ejus favorem redundet: Sacramento autem; quia illud adhibet ad usum, ex quo natum est reddi odiosum. Hinc

Resol. 1. Si non possit quis corrigere Complicem, nisi mediate Confessione, non teneri ad correptionem fraternam, quia licèt hic modus sit secretus, est tamen illicitus ob rationes præfatas.

Resol. 2. Sacrilegos esse Confessarios, qui complicem aut tertiam personam monent, corrigunt, examinant, denunciant &c. Sub prætextu concessionis in Confessionali sibi factæ: vel enim sequuntur sententiam Scoti, & sunt Sigilli infractores nam non sufficit licentia pœnitentis; vel sententiam D. Thomæ, & equidem sunt Sacramento injuriosi, ac contrarii institutioni Christi, qui Sacramentum hoc instituit, non ad fraternam correptionem, sed ad peccatorum absolutionem, & pœnitentis emendationem.

CONCLUSIO II.

A Fortiori nec licet Confessario personam complicis, aut alterius tertii in Confessione nominatim inquirere. Dico *nominatim*; quia convenimus debere inquiri qualitatem Complicis, suppresso ejus nomine, ubi qualitas illa aut speciem mutat peccati, aut illud notabiliter aggravat; Imò diximus agentes de Confessionis integritate, posse etiam Complicem nominari, si pœnitens non possit aliter peccatum suum integrè aperire, & aliundè non possit haberi Confessarius, *cui* sit ignotus Complex. Illuc recurre.

Prob Conclusio; quia vel inquiritur notitia personæ Complicis ex motivo correctionis ipsi faciendæ, vel ex inordinata passione ipsum cognoscendi: si primum, intendit fractionem Sigilli; cùm persona Complicis, etiam per inadvertentiam à pœnitente nominata, sit sigillata, ut ante diximus: ergo à fortiori ex professo inquisita. Si secundum, concurrit ad detractionem enormem, injuriam facit Sacramento, quo utitur ad notitiam sacrilegam, redditque hoc Tribunal odiosum; cùm multi pœnitentes, si scirent nominandos esse Complices, nunquam peccata sua declararent; præsertim dùm nec volunt ipsimet à Confessario cognosci: undè deflenda est, & seriò impedienda praxis talium Confessariorum, qui dùm aliorum conscientiis mederi volunt, suarum jacturam faciunt.

Confirm. ex Decreto Congregationis Episcoporum Belgicorum anno 1667. Aprilis 22. ubi legitur: Complicum nomina Confessarius non inquirat, nequidem sub prætextu, quod velit, aut possit iis prodesse, non obesse. Multò minùs Confessione pœnitentis abutatur ad instituenda Complicis denuntiationem, vel accusationem: neque hoc committat, ut ad Complicis Superiores scribantur litteræ anonymæ, multò minùs à se subscriptæ: neque deindè faciat quidquam, undè vel pœnitens vel Complex aliquod gravamen accipiat: cùm ipsum peccatum & nomen Complicis, si per inadvertentiam pœnitens expresserit, cadat sub sigillo una cum peccato pœnitentis. Qui Articulus, ut exactius observetur, adoptamus Canonem Concilii Coloniensis anno 1280. celebrati: *Sub pœna excommunicationis Sacerdotibus inhibemus, ne à confitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverint, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum sciri, quod si fecerint, ab officio Confessionis audiendæ, & sacrorum Mysteriorum ipso facto se noverint esse suspensos*. Hæc ibi. Ex dictis

Resol. 1. Graviter reos esse illos, qui nolunt absolvere pœ-

re pœnitentes, nisi sibi præbeant schedulam clausam ad Superiores dirigendam, in qua crimen, & nomen Complicis describatur; quia parum refert an sibi, an aliis revelatio fiat.

Resol. 2. Non minùs culpabiles esse Superiores, qui, ob similes revelationes, Ordinum collationem differunt, confessarios suspendunt, aut potestatem renovare renuunt.

CONCLUSIO III.

SI persona, quæ confitetur, sub gravi peccato obligabatur malum imminens (v. g. conspirationem, aut Civitatem prodendam) quovis modo avertere, nec possit alio, quam monendo Magistratum, aut Superiorem, aut manifestando Complicem, potest & debet Confessarius id illi injungere, vel potiùs debet ipsi obligationem suam circa hoc declarare. Ita ferè P. Marchantius, estque certum apud omnes.

Ratio est; quia non imponit pœnitenti novam obligationem, sed tantùm obligationem ante confessionem contractam, imò quam nunc debuerat mandasse executioni, ipsi aperit: sicut aperit ipsi, auditis ejus peccatis, quod sit obnoxius restitutioni bonorum, famæ, Beneficii, quòd debeat occasionem proximam deserere &c. Unde nisi proponat pœnitens id per se, vel per alium exequi, ipsum dimittere debet confessarius inabsolutum, utpotè indispositum: & certè si non possit absolvi renuens succurrere proximo graviter aut extremè indigenti, cùm tamen possit, cur absolveretur ille, qui nollet, cùm posset, succurrere Civitati, aut Principi periclitanti? Idem est cùm agitur de honore status Ecclesiastici, alicujus Religionis, aut salute tertii aliàs perituri. Quamvis autem inabsolutus dimittatur, si tamen animo absolutionis obtinendæ accesserit, debent omnia in confessione dicta sigillo muniri, debetque potiùs perire Civitas, aut Religio integra, quàm aperiat confessarius proditionem, aut imminens Civitatis exitium.

Advertendum hic, ubi non potest, aut non vult pœnitens obligationem suam per se exequi, vult tamen per alium, non debere confessarium, ne revelationis suspicio oriatur, onus illud in se assumere, etiamsi pœnitens illum enixè deprecetur; quia non desunt alii, qui id exequi possint. Ubi tamen non posset fieri, nisi per confessarium, non debet hic acquiescere, nisi pœnitens id ipsi aperiat extra confessionem, imò extra confessionale, recipiatque ab ipso schedulam in testimonium notitiæ extra confessionem exhibitæ cum licentia, ea utendi, quantum necesse fuerit pro avertendo proximi damno.

QUÆSTIO VI.

An liceat Confessario uti scientia confessionali extra Confessionem?

CONCLUSIO I.

NUllo casu licitum est Confessario uti scientia confessionali, quando indè pœnitens confundi, verecundari, damnificari, gravari, aut minorari potest in honore, vita, rebus &c. quod etiam verum est, etiamsi ex non usu talis scientiæ, multo majus gravamen eveniret alteri, aut etiam pœnitenti.

Prob. 1. Pars; quia si hoc liceret, confessio redderetur formidabilis, & maximè ab ea homines averterentur.

Prob. 2. Pars ex Decreto Congregationis Cardinalium universalis Inquisitionis an. 1682. Novemb. 18 ubi legitur „ Prævia matura consultatione DD. consultorum, facta fuit „ discussio sequentis Propositionis: Scientia ex Confessione „ acquisita uti licet, modò fiat sine directa aut indirecta re- „ velatione, & gravamine pœnitentis, nisi aliud multò gra- „ vius ex non usu sequatur, in cujus comparatione priùs me- „ ritò contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limi- „ tatione, quòd sit intelligenda de usu scientiæ in confessione „ acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacumque „ revelatione, atque in casu, quo multò gravius gravamen „ ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur.

„ Statuerunt dictam propositionem, quatenùs admittit „ usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis omninò „ prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione, sive li- „ mitatione, & præsenti Decreto prohibent, ne quis ultrà „ audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut „ defendere, sub pœnis arbitrio S. Congregationis infligen- „ dis. Mandanter etiam universis Sacramenti Pœnitentiæ

„ Ministris, ut ab ea in praxim deducenda prorsus abstineant. „ Ex dictis

Resol. 1. Non licere confessario, propter auditum in confessione peccatum, exercere certas actiones ad justitiam vindicativam, aut quasi vindicativam pertinentes, ut pœnitentem corripere, durè alloqui, severum vultum ostendere, domo expellere, privare Officio aut Beneficio, ad quod jam habet jus acquisitum, ipsum denuntiare, aut inquisitionem de ejus vita facere. Et idem est si actiones illæ exerceantur respectu Complicis aut alterius personæ; quia illa omnia sunt gravia, suntque nata reddere hoc Tribunal odiosum.

Resol. 2. Idem probabiliùs esse dicendum de actionibus ad justitiam distributivam, charitatem, misericordiam &c. spectantibus, licèt hic & nunc non reddant confessionem odiosam pœnitenti, modò reddere possit: & ideò non potest Episcopus ei, quem ex sola confessione novit indignum, negare Confirmationem, Ordinem, Jurisdictionem, Approbationem, Parochiam, Beneficium, Eucharistiam, assistentiam Matrimonii, &c. si, seclusa scientia confessionali, non erat ita acturus; sicut nec potest Superior licentiam exeundi domo negare, aut inferiorem ad alium locum mittere, ab Officio amovere, suffragium ad aliquod munus, aut Professionem Religiosam denegare, etiam sumpto quolibet alio prætextu; quod ultimum benè advertere debent Religionum, aut Capitulorum Vocales, sicut & Novitiorum Magistri.

Ratio horum est, quòd etsi pœnitens non advertat hic & nunc talia procedere ex confessione, eo ipso tamen quo rescciet posse confessarios ad hujusmodi actus uti scientia confessionali, redderetur ipsi Sacramentum odiosum & onerosum: unde optandum foret, ut sententia contraria nec practicaretur, nec imprimeretur, nec doceretur: quamvis propter authoritatem D. Thomæ, D Bonaventuræ, Scoti, & aliorum non careat sua probabilitate, saltem speculativè. Dico, Saltem speculativè; quia post Decretum præfatum non licet illam ad praxim reducere; cùm permittat usum scientiæ confessionalis cum gravamine pœnitentis, ut patet rem examinanti. Quod & confirmarunt Episcopi Belgici qu. 5. citati, his verbis: *Non utatur Confessarius scientia ex Confessione habita, nequidem dum ex non usu sequeretur incommodum longè gravius gravamine pœnitentis.*

Resol. 3 Meritò Clementem VIII. Decretum hoc fecisse 26 Maii 1593 quod, secundùm DD. communiter, graviter obligat: *Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui posteà ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quod Decretum respicit Superiores Regulares, non sæculares, ut totum legenti patebit: licèt & hi, ne reddant confessionem odiosam, teneantur aliundè ipsi conformari, ut patet ex dictis.

Resol. 4. Vi Sigilli aut Decreti præfati, non teneri Superiorem abstinere ab actione, quæ censetur pœnitenti grata: unde si ex confessione noverit Prælatus murmur esse in Communitate, contra nimium ejus rigorem & tenacitatem, potest audacter (inquit N. Bosco) suaviùs, & liberaliùs, agere; cùm hoc non possit odium confessionis ingerere, sed potiùs amorem.

Petes. An Pontifex solùm prohibeat actiones, quæ respiciunt immediatè particularium gubernationem? Affirmat Coninch, adeoque, secundùm ipsum, potest superior seras mutare, pecuniam transferre, muros attollere, aditum claudere; quia hæc tantùm respiciunt gubernationem communem, non specialem, ex qua Religiosus particularis in honore, fama, aut alio jure damnificetur, aut confundatur. Sed

Resp. Prohibitionem illam habere pro objecto quamlibet externam gubernationem; cùm ibi non distinguat Pontifex. Deinde actiones præfatæ videntur tacita exprobratio, aut saltem rememoratio peccati confessi: & ideò, si expediant, debet Superior à pœnitente licentiam ad hoc requisitam postulare, quàm hic facilè concedet, si sit verè pœnitens. Et ita agere debet quilibet alius Confessarius, ubi necessitas aut salus pœnitentis id exigit.

CONCLUSIO II.

LIcitum est Confessario uti scientia confessionali, quando pœnitenti nullus indè rubor, nulla confusio, nullum gravamen potest accidere, nec est ullum revelationis directæ, aut indirectæ periculum.

Ratio est; quia talis usus nec Sacramento, nec pœnitenti potest obesse, potest autem prodesse. Hinc

Resol. 1. Posse pœnitenti vultum benigniorem ostendere, Beneficium præstare, quamvis advertat hanc benevolentiam ortum habere ex confessione. Item potest pro ipso orare, casus illius conscientiæ intricatos examinare, perpendere, doctioribus exponere, suppresso tamen nomine. Similiter potest certas actiones omittere, quas novit esse pœnitenti occasiones peccandi v.g. abstinere à quibusdam verbis irrisoriis, ex quibus interiùs commovetur pœnitens.

Resol. 2. Posse confessarium se abscondere ad declinandam confessionem alicujus pœnitentis, conscientiam valdè intricatam ordinariè habentis, ratione cujus timet certas perplexitates; modò tamen id à nemine advertatur, nec desint alii confessarii. Ratio est; quia talis actio non potest reddere confessionem odiosam; cùm pœnitens nullum indè patiatur damnum, aut gravamen, ob copiam aliorum confessariorum: nec etiam ruborem, cùm id non advertat.

Dixi 1. *Modò tamen à nemine advertatur*; quia etsi solus pœnitens ad id adverteret, foret illicitum, quia esset implicitè peccata præterita objicere.

Dixi 2. *Nec desint alii Confessarii*; nam si foret unicus, præsertim Parochus, deberet remanere, ne gravi damnum pateretur pœnitens, privatus ideò Sacramento. Si tamen verè timeret peccatum ex tali confessione, posset & deberet confessarius, etiam unicus, furtivè se substrahere, modò tamen nec advertat, nec advertere possit pœnitens; quia ex eo quòd sciat aut scire possit pœnitens, licitum esse confessario se substrahere, confessio non redditur ipsi odiosa; cùm meritò supponatur velle potius confessionem differre, quàm alteri occasionem peccati esse. Aliud est, quandò advertit; quia tunc credere posset fugam confessarii occasionari ex gravibus suis peccatis aliàs confessis, & indè pati magnam confusionem; & ideò tunc debet expectare pœnitentem, & facta priùs ferventi oratione, ac voto pœnali conditionato, ratione cujus credit prudenter periculum proximum, factum esse remotum, ipsum audire. Quod si non obstantibus precibus & votis, iterùm labatur, debet pœnitentem rogare, ut deinceps alteri confiteatur.

Resol. 3. Sacerdotem, qui novit ex confessione, insidias sibi parari in nemore, se esse domi suæ comburendum aut occidendum de nocte, vinum pro sacrificio esse venenatum, posse Primo casu sub aliquo prætextu, aliam viam carpere, Secundo domo exire, Tertio non celebrare, etiamsi Complices suspicentur aut fortè credant, id agere ex scientia confessionali; modò, inquit Scotus, omnibus attentis circumstantiis, actio non sit de se revelativa sigilli: quod non accidit secundùm ipsum quandò adstantes vident posse confessarium ex alio motivo ita se gerere.

Ratio est; quia cum actiones illæ sint de se indifferentes ad hunc vel illum finem, etiam in circumstantiis præsentibus, non debent credere adstantes potiùs ordinari ad revelationem sigilli, quàm ad aliud. Et certè nisi hoc esset, nequidem posset confessarius declinare mortem sibi imminentem, dùm ipsi superveniret causa vera & realis consilii mutandi, etiam distincta à morte vitanda, v. g. dum in sacristia fieret memor, se non esse jejunum, aut esse in statu peccati, dùm in itinere advertit se neminem monuisse pro audienda confessione moribundi.

Dices: Si hoc liceat, saltem dicere poterunt Complices, ipsum fortè uti scientia confessionali.

Respond. Hoc esse verum; sed quid mali? Nunquam licita est quidem revelatio sigilli, sed aliquandò licitus usus scientiæ confessionalis, quando indè nec revelatio peccati, nec rubor aut gravamen evenit pœnitenti aut alteri: quæ autem hic revelatio, quis rubor, quod gravamen, ex eo quòd suspicabuntur Complices, non aliquem pœnitentis defectum (quod redderet sacramentum odiosum) sed defectum extra Confessionem sibi cognitum, jam esse confessum? Opus est sanè gloriosum pœnitenti, & aliis incitatorium ad bonum.

Deindè si hoc non liceret, nec liceret confessario peccatoris publici publicè confessionem excipere; cùm illi, quibus notum est ejus peccatum, possent indè non tantùm suspicari, sed etiam credere, confessum esse illud peccatum; cùm non soleant veri pœnitentes peccata reticere. Præterea dicunt confessarii sine ullo scrupulo: Audivi Confessionem talis hominis; etsi illi, coram quibus peccavit pœnitens, indè colligant declarasse peccatum in sua præsentia patratum. Denique quòd complices tunc aliquid suspicentur, non oritur ex actione confessarii non celebrantis, aut aliam viam carpentis, sed ex notitia criminis sibi ante confessionem cogniti; cum alii adstantes nihil simile colligere possint, ut supponitur; quia si possint, non potest tunc confessarius (nisi res extra-confessionalis sibi fiat) retrocedere.

QUÆSTIO VII.

Quomodo agere deberet Superior, ad quem defertur, in Confessione, vel ex Confessione mala conversatio sui inferioris?

CONCLUSIO I.

SI Confessarius aliquis deponat verbo aut scripto apud superiorem, licèt extra Confessionem, aliquem ex suis inferioribus malè versari, suppresso Rei nomine: quia, ut ait, rem tantùm novit ex confessione, non potest indè Superior super aliquem aut aliquos particulares strictiùs invigilare, eis licentiam exeundi denegare, vel eis socium, aliàs non assignandum, assignare &c.

Ratio est; quia etsi non videatur contra Decretum Clem. VIII. agere, quo tantùm inhibetur usus scientiæ, quam Prælati Regulares habuerint in confessione; agit tamen contra sigillum, redditque confessionem odiosam; quandoquidem notitia illa eorum habeat ex Confessione: unde & Confessarius & superior (quidquid dicant aliqui) obnoxii sunt horrendo sacrilegio.

Dices 1. Confessarius neminem in particulari nominat.

Resp. Dist. Assump. Neminem nominat explicitè: C. implicitè: N. quia vel intendit ille confessarius, ut superior super aliquos fortè sibi suspectos, aut non ita Religiosos invigilet, vel non: si non, ad quid illa monitio? Si sic: ergo implicitè ingerit de talibus suspicionem criminis.

Dices 2. Saltem poterit ille Confessarius monere, si tantùm intendat, ut superior inhibeat suis generatim, ne vadant ad certum locum, aut nè admittant ibi ullas personas talis sexus, talis ætatis &c. quia tunc nec implicitè declarabitur aliquis.

Resp. Nec hoc esse licitum; cùm vix, aut nè vix fieri possit, ut non de aliquo, aut de aliquibus in particulari suspicetur superior, attentis omnibus circumstantiis loci, temporis, occurrentiæ, inclinationis &c.

Dices 3. Si hoc non liceat Confessario, nec poterunt confessarii insinuare Episcopo, necessariam esse reservationem certorum casuum ad refrœnandam hominum malitiam.

Resp. Neg. Assump. Disparitas est, quòd id audiens Episcopus non possit de aliquo, aut de aliquibus suspicari ob multitudinem Diœcesanorum, possit autem superior, cui inferiores (utpotè tantùm quadraginta, aut quinquaginta) sunt meliùs cogniti quoad mores, inclinationem, conversationem, modum agendi &c. Undè si remedium sit absolutè necessarium, urgere debet Confessarius pœnitentem id referentem, ut per se, vel per alium (cui rem extra Confessionem declarabit) id superiori aperiat cum omnibus ad malum præcavendum necessariis. Vide Q. V. Concl. 3., sed videat, cui fidat superior, & ideò sit

CONCLUSIO II.

NOn debet facilè credere superior muliereulis, aut Bertis, aliquid contrà Inferiorem (etiam extrà Confessionem) deferentibus.

Ratio est; quia Cerebella illa nonnunquam ita vehementibus agitantur invidiæ, aut vindictæ passionibus, ut nihil non moliantur & effingant, Religiosos honestos, quia suis inclinationibus contrarios, perdituræ.

Si dubitas, consule Historiam Joseph; consule & P.N. Marchantium, qui ita loquitur Tom. 1. pag. 134. sui Tribunalis: Ego ipse, qui hæc scribo, expertus sum, dum apud me, ubi superior fui, à Confessariis, etiam extra hunc Ordinem, ad me delatæ fuerunt querimoniæ contra aliquos innocuos subditos, quas filiæ quædam, quæ devotæ finguntur, in Confessione effutiverant cum licentia facta Confessariis suis, ut per illos denuntiarentur mihi: quas postea falsas ipse in primis Confessarius deprehendens ad me venit deceptionem suam agniturus, & famam innocuorum sacrilego Confessionis sacræ abusu sublatam restituturus. Hæc ille. Et ideò debet superior illas cautè & astutè examinare, inquirendo de loco, tempore, occasione, verbis, factis, ut videat, an non sint sibi contradictutæ.

CONCLUSIO III.

UBi Superior Confessarius deprehendit ex Confessione alicujus pœnitentis aliquem ex suis, sive nominatum, sive innominatum, malè versari, ultimumque esse remedium, ut res superiori manifestetur extra confessionem, cùm & secretò, & coram testibus reprehensus non resipuerit, non debet dicere pœnitenti: Teneris rem mihi aperire, extra confessionem, sed simpliciter debet inculcare, ipsum esse obligatum talem inferiorem superiori extra-confessionaliter manifestare, vel per se, vel per alium, nullam sui mentionem faciendo: quod si promittat facturum, debet ipsum absolvere, etiam antequam obligationem fuerit executus.

Ratio est; quia sic agendo nulla fit violentia pœnitenti, nulla sigillo, nullumque revelationis ex timore reverentiali intercedit periculum. Ubi autem absolutus pœnitens non redierit ad superiorem post confessionem, debet superior ita circa inferiorem illum se gerere, ac si nihil audiisset: nec potest (etiam priùs petita de auditis in confessione loquendi licentia) pœnitenti memoriam refricare obligationis suæ, ne reddatur confessio odiosa, & aliundè extorqueatur ab invito licentia.

Sed quid si pœnitens paratus in confessione obligationi suæ satisfacere, dicat confessario: Tu es ipsemet superior? Respondere debet: sic est, speroque te à meridie, aut crastina die obligationis tuæ satisfacturum, & interim ipsum integrè confessum & dispositum absolvere, & dimittere sine alio discursu: nullatenùs petens, ut rem sibi aperiat in confessionali, etiam post Absolutionem, nè majora inde eveniant incommoda, quàm commoda. Si tamen pœnitens post Absolutionem ultrò & liberrimè rem faceret extra-confessionalem, nec, ex quodam rubore, auderet de illa extra confessionale sermonem habere, posset confessarius ipsum audire; sed expediret pro superioris securitate schedulam in testimonium rei sibi extra confessionem apertæ, posteà obtinere.

Ecce ad quot cautelas tenentur illi, qui volunt hoc Sacramentum ex natura sua secretissimum, reverenter tractare, nec pœnitentibus odiosum reddere.

QUÆSTIO VIII.

Seu variæ Quæstiunculæ materiam Sigilli concernentes.

PEtes 1. Quid respondere debeam Episcopo, qui me interrogat, quo jure absolverim usurarium publicum, excommunicatum &c. quia hic licèt à me remissus ob indispositionem, accessit ad Communionem?

Resp. Si dicam *Perfunctus sum officio meo*, violo sigillum; quia in illis circumstanciis, idem sonat ac non Absolvi; ideò respondendum est simpliciter; Non licèt mihi dicta & acta in confessione revelare sine injuria sacramenti.

Petes 2. Quid respondere debeat confessarius interrogatus de crimine in confessione audito?

Respond. Dicere debet se nescire, etiam cum juramento, si exigatur; quia de facto non scit illud ut homo, sed ut Deus, ut ait S. Thom. Sed si urgeatur, an non audierit in confessione; Nec respondere potest *Audivi*; quia frangeret sigillum. Neque, *Non audivi*, quia suspicarentur fortè interrogantes, Reum non fecisse confessionem integram. Nec etiam tacere; quia ex silentio fortè conjecturarent, quod petunt. Et ideò dicere debet in omni eventu, sive illud audierit in confessione, sive non: *Sacrilega est tua interrogatio, ad quam non nisi sacrilegè responderem, & ideo non habeo, quid dicam.*

Petes 3. Quid agere debeat Judex de partibus processus, ubi advertit, initium habere ex scientia confessionali.

Respond. Debere omnes illas tamquam invalidas & nullas statim comburere, nec nili, sub quolibet prætextu, ostendere, sicut nec de illis colloqui, etiam cum iis, qui interrogationibus interfuerunt, etiam ut superiores: imò nec potest eas retinere sub nominibus Titii & Caii, si indè accusati, vel accusatotum oriri possit suspicio; quia illa omnia etiam ut indirectissimè tangunt materiam notam ex confessione, semper sunt sigillata, & ideò interrogatus de illis Judex, nihil aliud respondere potest, nisi *Reperi Accusatum, aut Accusator omnino innocentes*, cavendo in primis dicere accusationem ortum habere ex confessione; quia tunc aliqualiter infamantur accusati; cùm audientes credant quidem ipsos non reprehensibiles, non tamen innocentes.

Petes 4. Quid agere debeat confessarius, ubi advertit, sponsam non se accusare de peccatis cum sponso commissis, si id tantùm noverit ex confessione sponsi.

Respond. Posse & debere ipsam examinare, sicut solet in similibus examinare personas ejusdem sexus, conditionis, dispositionis &c. quia scientia illa non impedit ipsum quominùs id præstet, quod seclusa illa præstitisset: caveat tamen nec directè, nec indirectè sponsi Confessionem tangere.

Sed quid si, non obstante Confessarii examine, semper reticeat peccata illa.

Volunt nonnulli esse absolvendam; sed crediderim ego imposita pœnitentia, solùm dandam esse ei benedictionem, dicendo *Misereatur tui* &c. quasi daret Absolutionem: nullatenùs tamen declarando ipsi suam indispositionem, nec prohibendo Communionem; quia esset revelare Complicis confessionem: sic enim consulitur Sacramento, nec nocetur pœnitenti, cùm absolutio tunc foret ipsi magis nociva, quam proficua. Utitur quidem tunc Confessarius notitia confessionali, sed sine pœnitentis rubore, cùm id ignoret, & etiam sine ullo ipsius gravamine, ut jam diximus. Ubi tamen confessarius audiendo Confessionem sponsi, id timeret, posset à sponso licentiam necessariam exigere.

Petes 5. An absolvi possit pœnitens negans peccatum, quod certò novit Confessarius.

Respond. Si Confessarius illud novit ex aliena Confessione, debet agere ut supra: si extra Confessionem, quia illud committentem vidit, debet illum repellere ut indignum: debet quidem credere pœnitenti tam pro se, quàm contra se loquenti, sed quando non habet aliundè certitudinem de contrario.

Sed quid si crimen noverit ex alterius testimonio.

Resp. Ubi cætera sunt paria, potiùs credere debet pœnitenti, quam alteri; cùm non sit ita facilè præsumendum velle sacrilegium committere, præsertim ubi extra tempus paschale, sine ulla obligatione, sine alterius instigatione, accedit ad Sacramentum

Dixi: *Ubi cætera sunt paria*; quia videtur aliter agendum, ubi multùm prævalet fides & authoritas alterius, & aliundè occurrunt rationes suspicandi contra pœnitentem. Casum mihi propositum subjicio. Joannes omninò fide dignus & integerrimus monet Confessarium Petri, hunc esse de Hæresi suspectum, imò vidisse ipsum comedentem carnes diebus Veneris & Sabbathi, ac legentem libros Hæreticorum, estque contentus Joannes nominari apud Petrum tanquam testis præfatorum, non vult tamen rem deduci ad contentiones extra-sacramentales. Interim Petrus nuptus Catholicæ, à qua exprobratus de suspicione Hæresis, vivit per aliquot annos Catholicorum more, jejunando, sacrum audiendo, imò Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ aliquoties in anno frequentando; sed veniens ad dictum Confessarium negat & pernegat in prima & secunda Confessione, se unquam tale quid commisisse, & non obstantibus Confessarii allegationibus, ac Joannis testimonio, perseverat ut ante, interrogatusque de omnibus ad Fidem Catholicam pertinentibus, ad omnia respondet Catholicè; Quid faciet talis Confessarius?

Resp. Tandem debet ipsum absolvere, saltem sub conditione; quia cùm in hoc Tribunali credatur nebuloni, mendaci, imò & fœdifrago, etiam tali credere debet, saltem, ut absolvat conditionatè.

TRACTATUS VI.

DE EXTREMA-UNCTIONE.

„ QUintum Sacramentum est Extrema-unctio, cujus Materia est oleum Olivæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem. Forma hujus Sacramenti est hæc: *Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum &c.* Et similiter in aliis membris. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos.

„ Effectus verò est mentis sanitas, & in quantùm animæ expedit, ipsius etiam corporis. De hoc Sacramento inquit B. Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ita Florent. in Decreto unionis.

Porro Sacramentum hoc diversa sortitur nomina. Primò dicitur *Pœnitentiæ consummativum*, quia peccatorum reliquias abstergit. Secundò *Unctio infirmorum*, quia datur solis infirmis. Tertiò *Unctio extrema*; quia præsupponit alias unctiones nempè baptismalem, confirmatoriam &c. Quartò *Oleum sanctum*, nempe à materia, qua constat. Quintò *Sacramentum exeuntium*; quia non solet conferri nisi probabiliter ex hac vita migraturis.

DISPUTATIO UNICA.

De Natura, Materia, Forma, Ministro, & Effectu hujus Sacramenti.

EXtremam Unctionem Sacramentum esse, negarunt olim Vvaldenses, quidquid dicat Juenin, cujus rationes, ob quas vult ipsos admisisse Sacramentum infirmorum, sunt valdè infirmæ. Primò nè unum pro se adfert Authorem, cùm pro nobis proferamus Æneam Sylvium, Guidonem Carmelitam, Reynerium, Phichdorfium, & Ebrardum, qui omnes ex professo Vvaldenses impugnarunt. Secundò quia licèt in professione Fidei, quam Uladislao Regi obtulerunt, reperiantur hæc verba: Sacramenta septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus, potuerunt tamen, more Hæreticorum, pro diversis temporibus diversa sentire, aut veriùs dissimulare, ne à Rege Catholico ob hæreticam doctrinam vexarentur. Tertiò asserit Juenin ipsos reprobasse quidem Olei consecrationem, non tamen ipsam olei unctionem; sed audiamus Authores, quos ita contortè explicat: Æneas Sylvius in Hist. Bohem. cap. 35. sic habet: *Confirmationem, quam Chrismate Pontifices inducunt, & Extremam-unctionem inter Ecclesiæ Sacra minimè contineri.* Reynerius lib. contra Vvaldenses cap. 5. *Sacramentum unctionis etiam reprobant.* Phichdorfius contra eosdem cap. 25. *Reprobant Vvaldenses Hæretici Chrismatis & Olei unctiones.* Ebrardus lib. adversus Vvaldenses cap. 11. *Inunctionem Olei subsannantes, nec Chrisma, nec Oleum sibi poscunt.* An ibi rejicitur Olei consecratio, an unctio seu sacramentum? Judicet sincerus lector. Quartò voluit quidem Innocentius III. ut à Vvaldensibus convertentibus peteretur hæc Fidei Professio: Unctionem infirmorum cum Oleo consecrato veneramur; sed malè infertur indè tantùm reprobasse Olei consecrationem, ut per se patet. Quintò vult Juenin illos rejecisse abusum hujus sacramenti, non ipsum sacramentum, probatque ex his Reynerii verbis: Sacramentum unctionis reprobant, quia tantùm divitibus datur; sed inde probatur rejecisse, non abusum solum, sed sacramentum propter abusum.

Vvaldensibus annumerant aliqui Vvicleffum & Joannem Hus, sed immerito; quandoquidem Concilium Constantiense, à quo damnati sunt prioris errores sess. 8. & posterioris sess. 15. non meminerit hujus erroris. Fatendum tamen, Hussitas hoc sacramentum quasi nihili fecisse, & ideo jubet Concilium sess. ult. interrogari de Hussitarum Hæresi suspectum: An credat, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-unctionis . . . peccet mortaliter? Imò Vvicleffus lib 4. Trialogi cap. 25. ut citat Frassen. docuit cæremoniam hanc non fuisse à Christo institutam, nihil tamen determinans, an judicaret esse Sacramentum, necnè.

Evidentiùs hoc Sacramentum reprobarunt Lutherus & Calvinus, quorum primus sic ait lib. de Captivit. Babilon. *In Extremaunctione nunc precipuè delir atum est, figmentum est ex hac Apostoli sententia, si quis infirmetur in vobis &c. à nobis oportere hominem inungi; cum non Sacramentum, sed figmentum sit.* Secundus verò lib 4. Inst. cap. 19. *Fictitium Sacramentum est*, inquit, *Extrema unctio: historica Hypocrisis, quæ citra rationem & sine fructu Apostolos referre volunt.* Unde etiam nunc omnes Lutherani & Calvinistæ Sacramentum hoc rejiciunt.

QUÆSTIO I.

Quid sit Extrema unctio, & an sit verum Sacramentum?

CONCLUSIO I.

EXtrema-unctio est Cæremonia sensibilis à Christo instituta, constans unctione, & oratione Sacerdotis, ordinata ad salutem animæ, & corporis (si expedierit) hominis infirmi.

Dicitur 1. *Cæremonia sensibilis*, cujus loco (supposita veritate jam probanda) poni debet Sacramentum.

Dicitur 2. *A Christo instituta*; quia illam non instituit D. Jacobus, ut dicemus posteà, sed Christus.

Dicitur 3. *Constans unctione*, quæ est hujus Sacramenti materia proxima, & *Oratione*, quæ est Forma, de quibus postea. Cætera patebunt ex dicendis.

CONCLUSIO II.

EXtrema-unctio est verum novæ legis Sacramentum, est de fide in Trid. sess. 14. can 1. ubi habetur: *Si quis dixerit Extremam-unctionem non esse verè & propriè Sacramentum... Anathema sit.*

Prob. 1. ex Script. Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in Nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, &, si in peccatis sit, remittentur ei*: Atqui ex illis verbis colliguntur evidenter quatuor ad Sacramentum requisita & sufficientia, nempe Signum sensibile, Collatio gratiæ, Institutio divina, & Stabilitas: ergo. Prob. Min. 1. est *Signum sensibile*, cum orationi adjungatur unctio olei. 2. est *Collatio gratiæ*, cùm remittantur peccata, saltem venialia, nullum autem peccatum, etiam veniale, remittatur sine infusione gratiæ, ut suo loco diximus. 3. est *Institutio divina*; cùm enim solus Deus possit gratiam infallibiliter producere, ut suo loco dicitur, ita solus potest certo signo infallibiliter gratiam annectere; & consequenter cùm præfatæ Cæremoniæ gratia sit infallibiliter annexa à Deo seu Christo annexam esse concludendum est. 4. *Stabilitas*; cum præfata verba sine ulla limitatione temporum aut personarum dirigantur generaliter ad omnes fideles: unde sicut illa, quæ Textum allegatum præcedunt & subsequuntur, afficiunt omnes tam præsentes, quam absentes, tam existentes, quam futuros, ita & Textus iste.

Prob. 2. Ex PP. Tertulliano lib. 1. contra Marcionem: *Christus*, inquit, *nec aquam reprobavit, qua suos abluit, nec oleum, quo suos unxit*. Origene Homil. 2. in Levit. *Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ; & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini*: ergo signum est, quòd tunc, nempè Sæculo III. vigeret hoc Sacramentum. Chrysostomo (qui floruit Sæculo IV.) lib. 3. de Sacerdot. cap. 6. ubi docet Presbyteros per Cæremoniam, de qua D. Jacobus supra, remittere infirmis peccata. Gregorio Magno in Sacramentario pro Feria V. Hebd. Sanctæ ubi legitur: *Tunc offertur Pontifici oleum & benedicit illud tam ille, quam omnes presbyteri ad ungendum infirmum.*

Prob. 3. Ex Conciliis Cabilonensi 2. anno 813. ubi cap. 48. legitur: *Secundùm B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant* (ubi vides esse Patrum Traditionem) *infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent*. Aquisgranensi anno 836. diligentiam Ecclesiæ Ministris inculcante can. 5. *Ne infirmus unctione sanctificati olei careat*. Idem habet cap. 26. Concilium Moguntinum 1. celebratum anno 847. Sed quid Concilium Regiaticense? *Illud Sacramentum*, inquit cap. 8. *quod commendat Jacobus Apostolus dicens: Infirmatur quis &c. solerti prædicatione populis innotescendum est* . . . . . Quid ad hæc respondebunt illi, qui volunt Sacramentum hoc ab uno aut altero Sæculo fuisse à Papistis inventum & confictum?

Objiciunt 1. Epistola Jacobi non est Canonica: sed indè solùm colligimus Cæremoniam præfatam esse Sacramentum: ergo.

Respondent aliqui Neg. Min. volentes etiam id colligi ex

Marc.

Marc. 6. ubi de Christi Discipulis legitur: *Ungebant oleo multos ægros, & sanabant*. Sed unctio illa, ut docet sententia verior, & communior, erat quidem adumbratio hujus Sacramenti, sicut Baptismus Joannis adumbrabat Baptismum Christi, & ideò sortem dicitur à Tridentino sess. 14. cap. 1. *Apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem promulgatum*: non tamen erat hoc sacramentum; cùm hujus Minister debeat esse sacerdos, quales tunc non erant Discipuli, & ideò

Resp. Neg. Ma. Undè enim norunt Sectarii Epistolam ad Rom. v.g. esse Canonicam, nisi quia ità per Traditionem acceperunt? Atqui idem est Epistola D. Jacobi, ut patet ex Tract. de Virtut. Disp. 2. q. 1. art. 1. Concl. 2. ergo. Si autem Conciliis & Patribus ibi citatis detrahis fidem quoad hanc Epistolam, etiam detrahenda est quoad alias Scripturæ partes; cùm sit par ratio, & sic nihil certi circà Scripturam habebimus.

Instant: Etiam supposito, quòd Epistola præfata sit Canonica, non tamen ex ea habetur, dictam unctionem esse Sacramentalem; aliàs etiam sacramentalis esset illa, de qua Marc. 6.

Resp. Neg. Assumpt. Differt autem unctio Jacobæa ab altera, quod hæc tantùm respiceret sanitatem corporis, illam etiam animæ: undè dicitur: *Et, si in peccatis sit, remittentur ei*: Hæc non tantùm daretur probabiliter morituris, sed etiam claudis, surdis &c. licèt aliundè benè habentibus, non Illa: Hæc conferretur etiam à Laicis, Illa à solis Sacerdotibus.

Objiciunt 2. Nullus Author primi aut secundi Sæculi mentionem facit Extremæ-unctionis: ergo signum est, quòd non esset Sacramentum in Ecclesia Dei usitatum.

Resp. Argumentum illud, utpotè ab auctoritate negata, nullatenùs urgere: unde dici potest silentium illud innuere quidem, nullam tunc fuisse de hoc Sacramento controversiam, non tamen fuisse inusitatum; imo Origenes tertio Sæculo illud referens tamquam quid commune in Ecclesia, ostendit fuisse in usu prioribus Sæculis.

Obj. 3. Qui ex primis Sæculis descripserunt mortem suorum parentum, amicorum, aut aliorum, nusquam referunt collatam esse ipsis Extremam unctionem licèt alias referant mortis circumstantias: ergo

Resp. Dist. Ant. Non referunt, quia non conferebatur: N. contrarium enim patet ex dictis. Item ex Innoc. I. Epist. 1. seu ad Decentium, Cap. 8. Floruit autem Innoc. I. initio Sæculi V. Non referunt, quia non pertinebat ad eorum intentum, quod erat, non referre actiones omnibus Catholicis communes, sed particulares, ac speciali laude dignas: C.

Obj. 4. Effectus Sacramenti est infallibilis, ubi non ponitur obex: sed effectus Extremæ unctionis, nempè corporis sanitas, non est infallibilis: ergo.

Resp. Dist. Maj. Effectus Sacramenti absolutus: C. sic Extrema unctio omnibus dispositis confert gratiam, remittitque venialia Effectus conditionatus, qualis est corporis sanitas: N. hæc enim tantùm confertur, si expediat saluti ægrotantis. Cur autem semper conferatur gratia, & non semper corporis sanitas, indè oritur, quòd Sacramenta sint propter animæ salutem; semper autem gratia congruat hominis saluti vel acquirendæ, vel augendæ, non sic semper corporis sanitas; cùm possit hodie moriens salvari, qui, si diutiùs vixisset, fuisset damnatus.

Obj. 5. Primarius effectus hujus Sacramenti est remissio venialium cum gratiæ collatione: sed ad hunc effectum instituta est Pœnitentia: ergo superfluit Extrema unctio, adeoque non est Sacramentum.

Resp. Dist. Min. Ad hunc effectum instituta est Pœnitentia pro omni subjecto capaci: Transeat. Cum autem fieri possit, ut quis in extremis non sit capax Sacramenti Pœnitentiæ defectu dispositionis, prudentissimè ad supplendum illius defectum instituta est Extrema unctio. Prætereà esto foret capax, adhuc tamen alius est Extremę unctionis effectus, in quantùm gratia hujus Sacramenti connotat certas gratias actuales, quas non connotat gratia pœnitentialis; & ideò dixi: *Transeat*.

QUÆSTIO II.

A quo immediatè institutum fuerit hoc Sacramentum, & quando?

CONCLUSIO I.

PRobabilius est, Extremam Unctionem fuisse immediatè à Christo institutam. Est communior contra nonnullos Veteres, qui volunt immediatè esse institutam à B. Jacobo, ità tamen, ut non nisi potestate sibi à Christo concessa id fecerit; cùm nullus homo possit alicui signo gratiam infallibiliter annectere.

Prob. 1. Conclusio ex Trid. sess. 14 Can. 1. ubi anathematizatur asserens, Extremam Unctionem non esse à Christo institutam; licèt autem non ponatur ibi particula *immediatè*, videtur tamen eam subintelligere, dum subdit esse à B. Jacobo promulgatam: undè Scot. 4 dist. 23. num. 6. *Dicitur, hoc Sacramentum fuisse institutum à Christo .... Jacobus autem non erat, nisi promulgator, sive preco hujus Sacramenti à Christo instituti*. Deinde institutum humanum non dicitur institutum Christi, etsi homo potestatem instituendi receperit à Christo, ut patet in legibus pontificiis.

Prob. 2. Quia nulla est ratio, cur potiùs hoc Sacramentum reliquerit Apostolis instituendum, quàm alia: imò si id reliquisset, potiùs Petro facultatem fecisset, quam Jacobo, cùm Hic non foret Caput Ecclesiæ, sicut ille.

Dixi *Probabilius*; quia quidquid dicant Mastrius & alii, non est de fide; cùm non sit credibile, Concilium propositionem oppositam tamquam hæreticam proscripsisse, repugnantibus Scholæ Coriphæis Hugone à S. Victore, Alensi, Bonaventura, Lombardo, &c.

CONCLUSIO II.

LIcèt non constet de tempore institutionis hujus Sacramenti, verosimilius est tamen, institutum fuisse completè post Resurectionem.

Prob. 1. Quia ratio postulat, ut alicujus rei complementum non instituatur ante id, cujus est complementum: sed Extrema unctio est complementum, seu consummativum Pœnitentiæ, ut loquitur Tridentinum: ergo cùm Hæc instituta fuerint in ratione Sacramenti post resurrectionem ut suo loco diximus, instituta fuit & illa.

Confirm. Ex Scoto dist. 24. n. 1. ubi ait: *Sacerdoti competit duplex potestas spiritualis, scilicet conficiendi Eucharistiam, & absolvendi pœnitentem, quæ non sunt una potestas, quia una videtur prior fuisse altera; cum in Cœna contulit Deus primam; secundam autem non nisi post Resurrectionem, Joan.* 20. Si autem post Resurrectionem data est potestas remittendi peccata, etiam post Resurrectionem instituta est Extrema unctio, cùm per eam remittantur peccata

Dices 1. Scotus 4. dist. 2. q. 1. n. 5. sic habet: *Est melius dicere, quòd fuerit institutum à Christo: Legimus enim Marc. 6. quòd Apostoli ungebant oleo multos infirmos, & sanabantur; constat autem, quòd hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam unctionem virtuosam*: ergo juxta Doctorem instituta fuit ante Resurrectionem.

Resp. Neg. Conseq. quia Scopus Doctoris ibi tantùm est, ostendere non à Jacobo, sed à Christo fuisse institutam, abstrahendo à tempore institutionis: facit autem mentionem illius loci, ut demonstret, quòd sicut tunc Extrema unctio fuit à Christo insinuata, id est, præfigurata & adumbrata per unctionem illam miraculosam; ità & posteà ab ipsomet instituta.

Dices 2. In ultima Cœna docuit Christus Apostolos confectionem Chrismatis, ut suo loco diximus: ergo & benedictionem olei.

Resp. Ad summum indè sequi fuisse tunc inchoatè institutum hoc Sacramentum, in quantùm designata fuit materia, non tamen completè; cùm non sit credibile fuisse institutum, antequam instituerentur illius Ministri, nempè Sacerdotes cum potestate peccata remittendi.

Dices 3. Tridentinum sup. dicit, hoc Sacramentum insinuatum esse apud Marcum: atqui insinuatio vel præsupponit, vel infert institutionem rei insinuatæ: ergo.

Resp. Dist. Ma. Dicit insinuatum esse in se, & secundùm rei veritatem: N. in alio, & secundùm figuram, seu adumbrationem: C.

QUÆSTIO III.

Quæ sit Materia hujus Sacramenti?

CONCLUSIO I.

MAteriam remotam hujus Sacramenti est oleum Olivarum.

Prob 1. ex Script. Jac. 5. *Ungentes eum oleo.* 2. Ex Florentino in Decreto unionis: *Quintum Sacramentum est Extrema-unctio, cujus Materia est oleum Olivæ.* Cui consonat Tridentinum sess. 14. cap. 1. dicens, hujus *Materiam esse oleum.* 3. Ex perpetuo Ecclesiæ sensu & praxi. Nec desunt Congruentiæ: quia aptissimè hæc materia, inquit Cathechismus Romanus, significat illud, quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur; nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ità Sacramenti virtus, animæ tristitiam ac dolorem minuit

Dixi: Oleum Olivarum; quia illud solum est commune & usuale; & aliundè liquores ex Nucibus, Amygdalis, Rosis &c. expressi, non nisi cum addito dicuntur Oleum. Sed quid si Oleo parum Balsami admisceatur? Erit adhuc materia Extremæ-unctionis, modò mixtio sit ità modica, ut totum moraliter reputetur oleum, aliàs non. Cujus ratio est, quòd in Sacramentis, utpotè entibus moralibus, magis attendatur communis hominum sensus, quàm physica rei natura.

CONCLUSIO II.

NEcessarium est necessitate Sacramenti, ut oleum sit ab Episcopo, aut saltem à Presbytero ex dispensatione consecratum. Est communior & verior.

Prob. 1. Ex Conciliis Florentino & Tridentino sup. ubi expressè requirunt, ut Oleum sit ab Episcopo benedictum. Id autem per Traditionem acceperant ab Innocentio I. Epist ad Decentium, Gregorio Magno in Sacramentario; Innocentio III. Cap. *Cum venisset*, & ab aliis: undè V. Beda in cap. 6 Marci, ait: *Patet ab ipsis Apostolis hujus S. Ecclesiæ morem esse traditum, ut Energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato.*

Prob. 2. Authoritate DD. Angelici, Seraphici, & Subtilis: quorum primus sic habet q 30. art 6. *In aliis unctionibus etiam Materia per Episcopum consecratur: ergo ita debet esse in ista.* Secundus Dist. 23. art. 1. q. 3. *Debet signari . . . per oleum consecratum ratione ordinationis ad supereminentem curationem.* Tertius verò eadem Dist. n. 5. *Consecratio autem Episcopalis est necessaria ad hoc, ut sit Materia apta.* Loquitur autem de necessitate Sacramenti, non præcepti, ut contextus evidenter indicat.

Prob. 3. Ideò colligimus Materiam Confirmationis necessariò debere esse ab Episcopo consecratam, quia per Traditionem id accepimus ab Apostolis; sed idem accepimus de oleo Infirmorum, cùm illius benedictionis non possit assignari aliud initium, quàm Ecclesiæ nascentis: ergo. Si dicas inde colligi quidem benedictionis obligationem, non necessitatem: Petam ego cur D. Th. omnesque alii Theologi Veteres unanimiter asseruerunt illius necessitatem, si Traditio tantùm importabat obligationem?

Prob. 4. Patres Florentini & Tridentini assumunt pro materia Baptismi aquam naturalem, nullam facta mentione benedictionis, licèt ex præcepto debeat consecrari: ergo cum assignantes Materiam Extremæ-Unctionis requirant Episcopi benedictionem, signum est plusquam ex præcepto requiri.

Dices 1. Scriptura faciens mentionem olei, non meminit benedictionis: ergo.

Resp. Quòd Scriptura non meminerit explicitè omnium ad Sacramenta necessariorum, ut patet de Confirmatione, Ordine &c. Unde sicut ibi sequimur Traditionem, ita & hic.

Dices 2. Colligimus ex Scriptura sufficere, ad Baptismi valorem, aquam sine benedictione, quia solius aquæ meminit Scriptura: atqui hic solius meminit olei: ergo.

Resp. Dist. Ma. Colligimus &c. quia solius aquæ meminit Scriptura tantùm: N. Scriptura & Traditio: C. hic autem licèt Scriptura meminerit solius olei, meminit tamen Traditio benedictionis.

Dixi in Conclusione: Aut saltem à Presbytero ex dispensatione; quia, quidquid negent aliqui, probabilius est id posse Sacerdotem ex dispensatione Papæ aut Episcopi.

Ratio est; quia Presbyteri Græci, teste Arcudio lib. 5 cap. 2. circa finem, non solùm post Schisma, sed etiam ante ungebant oleo à se benedicto permittentibus Episcopis: de quo nunquam fuerunt reprehensi, imo Clem. VIII. in sua instrutione ad Episcopos Latinos data anno 1595. Non sunt cogendi Presbyteri Græci, inquit, olea sancta, præter Crisma, ab Episcopis Latinis Diæcesanis accipere, cùm huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.

Petes 1. An ritum benedictionis instituerit Christus?

Resp. Nullum esse affirmandi fundamentum: unde dicendum est id reliquisse Ecclesiæ suæ determinationi, cujus Formulam, saltem ex præcepto, sequi debent Episcopi.

Sed numquid validè benediceret, qui uteretur benedictione Chrismatis, aut olei Catechumenorum? Distinctione opus est: vel enim intenderet benedicere oleum infirmorum, vel aliud: si primum, valida esset benedictio, licèt illicita: si secundum, docent plurimi esse invalidam; quia licèt Christus non præscripserit certam formam, voluit tamen, ajunt, ut benedictio ordinata ad consecrandam materiam Confirmationis v. g non censeretur ordinata ad consecrandam materiam Extremæunctionis independenter ab intentione benedicentis: quidquid sit, res est dubia; & ideò extra veram necessitatem, nunquam ungendus esset infirmus Crismate

Petes 2. An possit dari necessitas utendi Materia dubia in hoc Sacramento?

Resp. Affirm. Si nempè infirmus non possit voce, aut signo confiteri; quia cùm tunc Absolutionis valor sit incertus, poterit ille mediante Extrema-unctione, si sit tantùm attritus, justificari, cum probabile sit Sacramenta vivorum per accidens causare gratiam primam, ut suo loco diximus.

Petes 3. An sit necesse oleum esse eodem anno benedictum?

Resp Affirm. De necessitate præcepti, non Sacramenti; imò de præcepto graviter obligante dubitant aliqui; quia non habetur in jure expressum de oleo præceptum, sicut de Crismate: sed quidquid sit declaravit saltem S. Episcoporum Congregatio die 20. Martii 1590. teste Gavanto, posse Sacerdotem, adeoque teneri, uti oleo veteri, si desit hoc anno benedictum.

CONCLUSIO III.

MAteria proxima hujus Sacramenti est unctio. Patet tùm ex Jac. 5. *Ungentes eum oleo.* Tùm ex Conciliis sup. tùm etiam ex eo, quòd in Sacramentis transeuntibus, quale est hoc, Materia proxima sit applicatio Materiæ remotæ; applicatio autem olei, est unctio. An autem hæc unctio fieri debeat per modum crucis? Affirmat Cap *Numquid de* Consecrat. Dist. 5. sed loquitur de necessitate præcepti, non Sacramenti; cùm Patres Florentini & Tridentini accuratè referentes Sacramentorum Materias & Formas, non meminerint crucis, sicut meminerunt in Confirmatione.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex adhiberi debeat unctio, & in quibus corporis partibus?

SUppono 1. Non esse necessarium, saltem necessitate Sacramenti, ut gemina adhibeatur unctio in geminis sensus partibus, sed sufficere unam in una parte v. g. in uno oculo, in una manu, in una aure, &c. cùm per unius unctionem, rectè dicatur sensus unctus. Etiam indifferens est ad valorem Sacramenti, an priùs inungatur auris, quàm oculus, aut manus, cùm ordo ille sit cæremonialis, non essentialis.

Dixi: *Saltem necessitate Sacramenti*; quia tenetur quilibet in illis servare morem suę Ecclesiæ sub gravi aut levi peccato, prout cæremonia censetur gravis aut levis.

Suppono 2. Pro numero unctionum varias admodum esse sententias: Monet autem Rituale Romanum, ut, dum sub unica Forma inunguntur duo corporis membra, v. g duæ aures, duo pedes &c. non priùs Sacerdos Formam absolvat, quàm utrumque inunxerit. Porro alii volunt ad effectum Sacramenti totalem, sufficere unicam unctionem in quacumque corporis parte, modò Forma exprimat omnes corporis sensus. Alii requirunt quintuplicem cum hac Forma: *Per istas sanctas unctiones, &c. indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum deliquisti.* Alii docent requiri septuplicem assignatam à Florentino cum septu-

septuplici Forma. Alii quintuplicem cum Forma quintuplici, alii denique aliter loquuntur. His suppositis

CONCLUSIO I.

AD effectum totale hujus Sacramenti requiritur & sufficit unctio quintuplex in sensu quintuplici, cum totidem Formis correspondentibus. Ità tenent DD. Thomas & Bonaventura, quos secuti sunt DD. satis communiter.

Ratio est; quia licèt in certis Ecclesiis aliquæ unctiones ex assignatis à Florentino omittantur, ubique tamen quintuplex memorata constanter adhibetur: quod signum est, talem esse Christi voluntatem nobis per traditionem manifestatam. Deinde si quælibet sufficeret ad effectum totalem, cur præcepisset Ecclesia, ubi post primam aut secundam deficit Sacerdos, reliquas ab alio perfici? Præterea, ut docent Adversarii, ubi fit unica unctio cum unica Forma, debet exprimi sensus quintuplex, quidni & sensus quintuplex inungi?

Dices 1. Habemus ex Scripr. eodem modo esse ungendum ac baptizandum; sicut enim dicitur *Baptizantes eos*, ita dicitur, *ungentes eum*: atqui ad effectum Baptismi totalem, sufficit ablutio unica: ergo & hic unica unctio.

Resp. Quòd sicut non habemus ex Scriptura, sed ex Traditione Materiam hujus Sacramenti debere esse benedictam: ità non ex Scriptura, sed ex Traditione habemus unctionem debere esse quintuplicem.

Dices 2. Inunctus in unica corporis parte, potest dici simpliciter inunctus: ergo.

Resp. Neg. Conseq. Sicut enim remitti debent per hoc Sacramentum quinque sensuum peccata venialia, ità & debent quinque sensus inungi, non ut infirmus dicatur inunctus simpliciter, sed ut dicatur inunctus ibi, ubi commissa fuere peccata remittenda.

Dices 3. Juxta Pastorale Mechliniense (approbante Facultate Lovaniensi anno 1588.) sufficit unctio unius sensus magis expositi, si ob pestem aut aliud contagiosum, periculum immineat Sacerdoti, modò tamen Formam exprimat omnes sensus v. g. *Indulgeat &c. quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti*: ergo

Resp. Hoc docuisse, non quia credebant sententiam illam certam in ordine ad effectum totalem, sed quia putabant probabilem adeoquè in necessitate practicabilem: undè ne universaliter intelligeretur, Synodus posterior habita anno 1608. id correxit reduxitque ad normam Pastoralis Romani, ubi id non permittitur.

Sed quid agendum in necessitate valdè urgenti? Inungendi sunt celeriter sensus omnes exprimente, id est unus oculus, una auris, una naris, unum labium, una manus, vel alia pars corporis magis obvia, cùm tactus in toto corpore resideat, licèt extra necessitatem ungenda sit manus, ob laudabilem Ecclesiæ morem. Interim initio Formæ dici debet: *Per istas sanctas unctiones*, &c. Quod si infimus timeatur moriturus ante finem, inungi potest sola frons sub hac Forma: *Per istam sanctam unctionem, &c. indulgeat tibi Dominus quidquid per omnes sensus deliquisti*; quia in extremis extrema tentanda sunt: hoc tamen casu apponenda est conditio interior, ut sic abstergatur omnis Sacramenti irreverentia, si quæ sit.

Dices 4. Ad quid recensuit Florentinum unctionem septuplicem, si sufficiat quintuplex?

Resp. Id fecisse, nè condemnaret sententiam quorumdam Catholicorum eo tempore id asserentium, ut docet Faber dist. 23. Disp. Unic. non intendisse autem unctiones renum & pedum esse de Sacramenti necessitate, satis declarat praxis contraria; cùm prima nullibi fiat nunc in fœminis, imò nec in viris in Belgio, & fortè adhuc alibi: secunda verò variis quidem in locis practicetur, non tamen ubique, saltem respectu omnium personarum; cùm, teste Mastrio Venetiis scribente, ob modestiam non adhibeatur ibi Monialibus & Monachis.

Dices 5. Quælibet unctio habet suam integram significationem independenter ab aliis: ergo

Resp. Dist. Ant. Quælibet integram significationem, id est, significat & causat totum effectum hujus Sacramenti: N. id est, significat & causat effectum sibi proportionatum, seu aliquem gradum gratiæ, ac remissionem venialium sensui inuncto correspondentium: C. Undè non nego quamlibet unctionem esse Sacramentum partiale sed nego esse totale, seu causare totalem hujus Sacramenti effectum, licèt quælibet, ut dixi, sivè in necessitate, sivè extrà necessitatem, causet effectum sibi proportionatum. Ex dictis

Resolve, hoc Saramentum non esse unum unitate indivisibilitatis, quasi verò una unctio non posset subsistere, & effectum suum producere sine alia; sed tantùm esse unum unitate integritatis, in quantùm quælibet cum Forma sibi correspondente concurrit ad Sacramentum totale, totalemque ejus effectum: undè Scotus 4. dist. 23. q. un n. 7. *Dico quòd est unum Sacramentum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis, sicut effectus ejus non est unus indivisibiliter.*

CONCLUSIO II.

NEcesse est, ut unctiones fiant in quinque corporis sensibus, id est, in oculis propter visum, in auribus, propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, & in manibus propter tactum, vel certè, si deficiant, in partibus vicinioribus.

Prob. 1. Pars tùm ex communi Ecclesiæ praxi, Christi voluntatem nobis exponente; tùm ex singulis Formis singulos sensus exprimentibus; & certè mirum esse si pro remittendis peccatis per oculos v. g. commissis, inungerentur genæ, & sic de aliis.

Prob. 2. Pars tùm ex uniformi DD. consensu; cùm authoritate D. Thomæ, tùm etiam ex consuetudine ubique recepta.

Dices cum Dicastillo: Quomodo verificabuntur hæc verba in cœco: indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti, cum nunquam per oculos peccaverit, imò nec peccare poterit?

Resp. Quòd sicut per Formam præfatam, non tantùm remittuntur venialia de facto per oculos commissa, sed etiam committi desiderata; ità etiam hæc in cœco remittuntur, si fortè desideraverit oculos sibi restitui ad illicitorum visionem.

QUÆSTIO II.

Quæ sit Forma hujus Sacramenti, & an debeat esse deprecatoria?

CONCLUSIO I.

FOrma hujus Sacramenti ordinaria est hæc: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum*, ubi unctio fit in oculis; in auribus autem, *per auditum*, & sic de aliis. Patet ex Conciliis Florentino, & Tridentino, Rituali Romano, & ex universa Ecclesiæ modernæ praxi, saltem apud Latinos.

Non modica tamen est apud Theologos controversia, quænam præcisè ex præfatis verbis sint Formæ essentialia. 1. Conveniunt omnes ly *sanctum*, aut *sacram* non esse de essentia, cùm in Florentino omittatur. 2. Etiam ferè conveniunt omnes ly *Per istam unctionem* esse de necessitate Sacramenti; ità qui illa omitteret, etsi ungeret, non conficeret Sacramentum, sicut non conficeret Baptismum, qui ablueret non dicens, *Ego te baptizo*. Fatendum tamen, non videri necessariam expressam *unctionis* appellationem, sed sufficeret, si actio ipsa aliqualiter exprimatur, licèt tantùm implicitè; aliàs dicendum esset, nullam esse ordinariam Græcorum Formam, quam refert Arcudius lib. 5. cap. 5. his verbis: *Pater Sancte Medice animarum & corporum*, &c. ubi nulla fit unctionis mentio, nisi sub verbis *Medice, Sana*. 3. Nullatenùs ad essentiam Formæ pertinent hæc verba: *Et suam piissimam misericordiam*; volunt quidem aliqui, quòd, sicut necessaria est in Baptismo invocatio SS. Trinitatis, quia tunc vita & militia Christiana inchoatur, ita & hic invocatio divinæ misericordiæ, qua vita periculis plena finitur; sed hoc ostendit magnam convenientiam, non necessitatem; cùm Forma Sacramenti non requirat ordinariè expressionem causæ principalis sui effectus. Deinde causa illa sufficienter exprimitur per hæc verba: *Indulgeat tibi Deus*, quæ secundùm omnes, sunt essentialia.

Sed quid hæc: *Quidquid deliquisti?* Etiam essentialia affirmat sententia communior contra paucos violentes subintelligi in his prioribus: *Indulgeat tibi Deus*; sed certè sicut sunt valdè universalia, ita nec videntur satis determinata ad declarandum principalem hujus Sacramenti effectum, qui est peccatorum remissio.

Tandem de expressione cujuslibet sensus in particulari ambigitur, nec immeritò; cùm nec Forma Græca, nec Ambrosiana, nec Veneta à Leone X. confirmata, ullius sensus meminerit. Nihilominus expressionem illam tamquam essentia-

tialem requirunt plures Theologi, eo quòd per unctionem illam, & Formam correspondentem non remittantur quælibet venialia, sed venialia per sensum illum particularem commissa; & ideò videtur exprimendus: quidquid sit res est dubia.

Quoad praxim tamen omnia Conclusione assignata sunt exprimenda, idque sub gravi, aut levi peccato, prout materia gravis fuerit aut levis: semper autem gravis est, ubi dubium est, an sint de necessitate Sacramenti, propter ejusdem nullitatis periculum.

CONCLUSIO II.

FOrma hujus Sacramenti necessariò debet esse deprecatoria. Est communior & verior, quam docent D. Thomas, D. Bonaventura & supponit Scotus cum suis communiter.

Prob. 1. Ex Scriptura Jac. 5. ubi legitur: *Orent super eum . . . . & oratio fidei salvabit infirmum*: quibus ostenditur, verba Sacerdotis hoc Sacramentum conficientis debere esse deprecatoria.

Prob 2. Ex Conciliis Florentino & Tridentino, ubi forma tota est deprecatoria.

Prob. 3. Ex praxi universalis Ecclesiæ Græcæ & Latinæ: undè Arcudius Autor Græcus lib. 5 cap. 5 *Forma Extremæ unctionis est deprecatoria, etiam apud Latinos.*

Prob. 4. Ex Traditione Apostolica, ex qua intellexit Ecclesia, ut ait Tridentinum Sess 14. cap. 1. de Extr. unct. *Formam esse illa verba*: *Per istam unctionem*, &c.

Dices 1. Leo X. approbavit Sacramentale Venetorum, ubi legitur hæc Forma: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas in nomine Patris*, &c. Eamdem ferè adhibebat Ecclesia Mediolanensis tempore D Ambrosii.

Respondent Salmanticenses ab Ecclesiis præfatis verba illa fuisse usurpata, non tanquam Formam Sacramenti, sed tanquam dispositionem ad illam; sed ut advertit Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium D. Greg. sicut abluens non censetur dispositionem ad Baptismum proferre, dum dicit: *Ego te baptizo*, ità nec ungens, cùm dicit: *Ungo te*, *&c.* Undè

Resp forma illam, & similes esse deprecatorias, quia ly *Ungo* non dicitur absolutè, sed relativè ad sequentia, nempè *Ut fortiter stare valeas*, & quidem *in nomine Patris*, &c. ubi optatur inuncto auxilium SS. Trinitatis, ut fortiter stare valeat, &c. quod est deprecatorium.

Dices 2. Ex ly *Baptizantes eos*, colligimus *Ego te baptizo* esse Formam Baptismi; ergo ex ly *Ungentes eum*, colligimus, *Ungo te*, esse Formam Extremæ-unctionis adeoque indicativam.

Resp. Quia sicut his verbis *Baptizantes eos*, additur: *In nomine Patris*, &c. colligimus non solùm *Baptizo te*, sed etiam invocationem SS. Trinitatis esse de essentia formæ Baptismi; ità quia his verbis: *Ungentes eum* præmittitur, *Orent super eum*, colligimus, *Ungo te* non esse de essentia Formæ hujus Sacramenti, nisi deprecatoriè proferatur.

Dices 3. Orationis effectus non est infallibilis: sed infallibilis est effectus Sacramenti, quantùm est de se: ergo Forma non est deprecatoria.

Resp. Dist. Maj. Orationis, ut est opus operantis, non est infallibilis effectus: Transeat. Dico *Transeat*, quia etsi orans non semper obtineat effectum petitum semper tamen obtinet aliquid. Orationis, ut est opus elevatum ad esse Sacramentale: N. Huic enim, sicut aliis, annexuit Christus effectum infallibilem.

Dices 4. Voluntariè distractus, secundùm nos, non orat: ergo qui Forma hujus Sacramenti proferens, voluntariè distraheretur, non conficeret Sacramentum.

Resp. Conced. totum: sicut enim non intenderet orare, ità nec intenderet hoc Sacramentum conficere. quod non subsistit sine oratione.

QUÆSTIO VI.

Quis sit Minister hujus Sacramenti?

CONCLUSIO I.

MInister hujus Sacramenti validus, est solus & omnis Sacerdos.

Prob. 1. Pars, nempè quod *solus*, tùm ex Jac. 5. ubi legitur introducendos esse ad infirmum, non laicos, non quoslibet sicut in Baptismo, sed *Presbyteros Ecclesiæ* Tùm ex perpetua Ecclesiæ Traditione, secundum quam, non ab alio quàm à Sacerdote legitur ministratum esse hoc Sacramentum. Tùm denique ex Florentino, novissimè Tridentino sess. 14. cap. 3. de Extrema-unct. ubi docetur, *Proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros*; *quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut Primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes*, &c. Ubi confunduntur Lutherus & Calvinus volentes per *Presbyteros* intelligi seniores. Non diffiteor quidem ly *Presbyterum* usurpari posse pro *Seniore*; sed hic varia obsunt. 1. Quòd Traditio hic intelligat Sacerdotem. 2. Quòd illo sensu debuissent potiùs introduci ad infirmum laici seniores, quam Sacerdotes, aut Episcopi juniores. 3. Quòd vix semel in novo Testamento ly *Presbyter* sit nomen ætatis, sed semper dignitatis aut Ecclesiasticæ, aut civilis: hic autem esse dignitatis Ecclesiasticæ, evidenter ostendit Apostolus dicens introducendos esse, non Presbyteros simpliciter, sed *Presbyteros Ecclesiæ*.

Dices 1. Innocentius I. interrogatus à Decentio de usu olei infirmorum, sic respondet: *Quo*, oleo, *ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet in sua, aut suorum necessitate inungendo*: ergo censet etiam laicum esse Ministrum hujus Sacramenti.

Resp. Neg. Conseq Ad id autem moveor, non quia agit ibi Pontifex de usu passivo, seu subjecto unctionis, ut immeritò volunt aliqui, cùm usum activum demonstret tùm ly *inungendo*, tùm interrogatio Decentii; sed quia agit de usu extra-sacramentali, seu devotionis causa, ideoque exemplo plurimorum Sanctorum, qui varios morbos & languores olei benedicti unctione, aut infusione sanabant. Agit quidem posteà de usu Sacramentali, cùm dicit, si usus ille liceat Presbyteris, à fortiori Episcopis; sed tantùm abest, ut hoc enervet allegata, quin potiùs confirmet, nam si egisset antea de usu Sacramentali, cur diceret id etiam licere Episcopis, cùm jam dixisset licere laicis.

Dices 2. Scribit V. Beda in Cap. 5. Jac. *Infirmos moneri debere, ut Seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores minusvè doctos causam suæ imbecillitatis referant*: ergo per ly *Presbyteros* intelligit *Seniores*, adeoque etiam laicos.

Resp. Bedam ibi loqui de Confessione, quam tunc infirmi, si anteà non fecerint, facere debent Presbytero, ut patet ex his verbis: *Causam suæ imbecillitatis referant*; quod fit in Sacramento Pœnitentiæ, non Extremæ-unctionis: undè monet potiùs pro Confessario eligendum esse Sacerdotem seniorem & doctum, quàm juniorem, minùsque doctum: quod verissimum est.

Prob. 2. Pars; nempè quod *omnis*; quia potestas illa competit Sacerdoti, non ratione jurisdictionis sed ratione Ordinis, ut confirmat communis Ecclesiæ sensus, insinuatq; Apostolus, cùm dicit *Inducat*, non Episcopum, non Parochum, sed *Presbyteros Ecclesiæ*, ut ostendat potestatem illam cuilibet Sacerdoti competere. Undè validum est hoc Sacramentum, etiamsi conferatur à Sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, etiam contradicente Parocho, quia sicut retinet potestatem Ordinis, ita & potestatem hujus Sacramenti validè ministrandi.

Dices: Minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos habens jurisdictionem: sed hoc Sacramentum Pœnitentiæ consumativum: ergo debet esse idem Minister.

Resp. Neg. Conf. Disparitas est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ nec licitè, nec validè exerceatur, nisi per modum judicii, adeoque necessariò præsupponat jurisdictionem in Judice; non sic hoc Sacramentum, & ideò licèt jurisdictionem requirat ad licitam administrationem, ut jam dicemus, non tamen ad validam.

CON-

CONCLUSIO II.

MInister hujus Sacramenti licitus, est solus Parochus, aut alius de ejus licentia, saltem tacita. Est communis & certa.

Ratio est; quia Pastoris est oves pascere, adeoque Sacramenta, quæ sunt præcipua vitæ spiritualis pascua, ministrare: undè etiam Baptismus, licèt adeò necessarius, & à quolibet in necessitatem ministrabilis, debet tamen extrà necessitatem à Parocho ministrari.

Confirm. quia Clement. I. *De Privilegiis* prohibentur quilibet Sacerdotes (imò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, si sint Religiosi) Sacramentum hoc conferre sine proprii Pastoris licentia. Non est tamen credibile Sacerdotem peccare, aut Religiosum excommunicationem incurrere, si, absente Parocho, & aliundè urgente mortis periculo, Sacramentum hoc ministret ex præsumpta Pastoris licentia, quia prohibitio Clementina reprimit quidem abusus usurpantium jura Pastorum, non tamen vergit in perniciem animarum; adeòque non intendit Ecclesia in præfato casu hoc Sacramento adeò salutari moribundum privare. Perindè est aut in necessitate, sivè quis sit Confessarius, sivè non; imò nulla inter hunc & illum servanda est præferentia; cùm jurisdictio ad Sacramentum Pœnitentiæ, sit omninò impertinens ad hoc Sacramentum.

CONCLUSIO III.

NOn opus est pluribus Sacerdotibus ad ministrandum hoc Sacramentum, possunt tamen plures ministrare sensu posteà explicando.

Prob. 1. Pars, quam impugnat, vel potiùs irridet Lutherus lib. de Capt Babil his verbis: *Vix unus Sacerdotulus mittitur, cùm Apostolus velit multos adesse, non propter unctionem, sed propter orationem*: Prob. inquam; quia licet D. Jacobus dicat *Presbyteros* & non *Presbyterum*; pluralitatem tamen esse solemnitatis, & non necessitatis, declarat Traditio, quæ est optima voluntatis Christi Interpres: unde nullibi legitur, condemnatam esse tanquam irritam praxim Ecclesiarum, Sacerdotem unicum adhibentium. Dico *Tamquam irritam*; quia non diffiteor esse illicitam apud Græcos: nam, ut ait Arcudius lib. 5. cap. 3. *Septem numero Presbyteros Græcorum Ecclesia exigit, sive propter septem peccata mortalia, sive quia septenarius numerus in sacra Scriptura valde commendatur*. Imò etiam olim apud Latinos plures ex præcepto requirebantur, ut colligitur apud Reynerium ex Vvaldensibus hoc Sacramentum rejicientibus propter plures Sacerdotes ibi necessarios: undè legitur apud Ledesma p. 2. q. 33. art. 1. *Habet consuetudo Ecclesiæ universalis, quòd plures Sacerdotes conveniunt ad ministrandum hoc Sacramentum*. Nullum tamen est hoc tempore præceptum, ut satis innuit praxis quotidiana.

Prob. 2. Pars; quia nihil adversatur valori Sacramenti, quòd primus ungat oculos, proferendo Formam proportionatam, secundus aures, tertius nares, &c. sive interim simul ungant, & Formam proferant, sivè successivè; quia quælibet unctio cum Forma correspondente constituit unum Sacramentum, incompletum quidem respectu totius quod integrat, completum verò respectu effectus sibi correspondentis, ut antea diximus: hocque videtur insinuare Sacramentarium D. Greg. ubi habetur: *Multi Sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensibus corporis*.

Advertendum tamen 1. Sacramentum fore invalidum, si unus ungat, & alter Formam unctioni correspondentem proferat; quia tunc Forma censetur falsa, cùm denotet unctionem ab ipso loquente procedentem, & tamen procedat ab alio. Hoc, inquis, verum est in Baptismo, ubi, cùm Forma sit indicativa, non potest unus abluere, & alter Formam proferre sine mendacio; non autem hic, ubi, cùm Forma sit deprecativa, tam potest verificari de unctione ab alio facta, quàm ab ipso proferente. Quid enim impedit quominùs dicam de unctione à Petro facta super Joannem moribundum: *Per istam unctionem &c. indulgeat tibi*, &c? Sed quid etiam impedit, quominus Clericus Parochi abluat, & Parochus dicat: *Ego te baptizo*, cùm Herus dans eleemosynam per famulum, possit verè dicere: *Ego do eleemosynam*? Undè sicut ex Traditione habemus ablutionem in Baptismo debere physicè ab eo procedere, qui Formam profert; ità & unctionem in hoc Sacramento.

Advertendum 2. licèt dixerimus Extremam-unctionem validè conferri à diversis Sacerdotibus, si singuli singulam unctionem adhibeant cum Forma correspondentem; non tamen licitè, saltem apud nos. 1. Quia est contra praxim ordinariam. 2. Quia non est certum, singulas unctiones cum Forma proportionata Sacramentum partiale constituere; cum secundùm nonnullos, Sacramentum hoc sit unum unitate indivisibilitatis, adeoque ab unico Ministro conferendum.

QUÆSTIO VII.

Quodnam sit subjectum hujus Sacramenti?

COntra Ecclesiæ Catholicæ praxim circa Extremeunctionis Subjectum insolenter insurgunt Lutherus & Calvinus volentes (quia non solemus illam conferre nisi iis, de quorum morte timetur) nos in sensum falsum detorquere verba Apostoli, potiùsque infirmorum mortem quærere, quàm sanitatem: unde Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. ait: *Jacobus omnes infirmos vult inungi: isti*, Catholici; *non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, cùm jam jam anima in primoribus labris laborat*. Idem effutit Lutherus lib. de Capt. Babyl. *Apostolus in hoc ungi & orari præcepit, ut infirmus sanetur, & allevietur . . . . illi contra dicunt non esse dandam unctionem, nisi decessuris, hoc est, ut non salventur & allevientur*. Quem errorem hauserant ex Simeone Thessalonicensi, qui lib. de septem Sacramentis sic ait: *Hi verò censent dandam esse* Extremam unctionem, *non ut curentur, sed ut sint insanabiles & moriantur*.

CONCLUSIO UNICA.

SUbjectum hujus Sacramenti est homo baptizatus periculose ægrotans, qui aliquando peccavit actualiter.

Dicitur 1. *Homo baptizatus*: quia Baptismus tamquam janua, necessariò præsupponitur ad alia Sacramenta.

Dicitur 2. *Periculosè ægrotans*; quia *Hoc Sacramentum*, ut ait Florent in Decreto unionis, *nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*.

Dicitur 3. *Qui peccavit actualiter*; quia, cùm juxta Trid. Sacramentum hoc sit Pœnitentiæ consummativum, qui incapax est Pœnitentiæ ob defectum peccati actualis, etiam incapax est Extremæ-unctionis. Hinc

Res. 1. Non esse hoc Sacramento donandos, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut præliaturi, tempestate impediti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinæ, &c. quia licèt de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi.

Resol. 2. Inungendos esse veneno infectos, lethaliter vulneratos, morsu rabido læsos, &c. quia licèt per vim aut fraudem infirmentur, verè tamen sunt infirmi.

Resol. 3. Non esse conferendum hoc Sacramentum, iis, quorum infirmitas non est ad mortem; quia licèt D. Jacobus non videatur distinguere inter infirmum & infirmum; id tamen insinuat Ecclesiæ praxis & Traditio, imò in Textu Greco, loco *infirmum*, quod continetur in his verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum*, habetur κάμνοντα quod sonat ex morbo ferè *deficientem*.

Resol 4. Unctionem, quam Græci adhibent quandoque sanis, teste Arcudio, Goario, & aliis, non esse sacramentalem, licèt Materia hujus Sacramenti utantur, imò & Forma; quis enim dicat id, quod pro infirmis institutum esse testatur Scriptura sacra, indifferenter omnibus valere, sive sanis sive infirmis? Ad quid enim dixit Deus per os Jacobi: *Infirmatur quis in vobis?* ad quid *Et oratio fidei salvabit infirmum*, si Sacramentum hoc sit commune sanis & infirmis? Imò ita commune, ut scribat Goarius in suis Notis de officio Olei sancti: *Unumquemque oleo sancto ab Episcopo benedicto sese in Ecclesia orientali ungendum offerre Feria 5 in Cœna Domini, unctionemque ejusmodi, ut peccatorum Antidotum & sanctitatis largitricem sacræ Communioni præviam Episcoporum manu suscipere*. Deinde, ut testatur ipsemet Arcudius, mos ille inungendi sanos in Græcia, ex eo processit, quòd quidam homines pii videntes nonnullos ex inunctis convalescere, cœperint extra Sacramentum tùm se, tùm alios oleo sancto inungere, idque devotionis causa: unde sicut ab initio unctio illa non fuit sacramentalis, nec fuit in decursu.

Resol. 5. Licèt inungendus debeat periculosè ægrotare, non debeat propterea expectari ultima vitæ periodus; in qua sæpè infirmus omninò ratione destituitur: unde conferri debet, si fieri potest, ratione & sensibus adhuc integro, ut Sacramenti efficaciam possit cognoscere, &

ad

ad illius fructum se disponere : unde Concilium Mediolanense sub D. Borromæo : *Extremę unctionis Sacramentum curet Parochus , ut ęgroto , dum integris est sensibus , adhibeatur.*

Resol. 6. Non esse conferendum hoc Sacramentum perpetuò amentibus, sicut nec pueris ante usum rationis; quia sicut inhabibiles sunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, cujus materia sunt tantùm peccata actualia, ita & Sacramentum, Pœnitentiæ consummativum.

Sed quid de pueris usum rationis possidentibus? Non solent inungi, saltem in his partibus, si necdum fuerint Eucharistia refecti: quamvis non videam rationem, cur Sacramento illo priventur; quandoquidem sint Pœnitentiæ capaces; & aliunde Extrema unctio nullatenus præsupponat Eucharistiæ receptionem.

Resol. 7. Non debuisse inungi B. Virginem, quidquid dicant aliqui; quia ultra quòd esset, ob omnimodam à peccato immunitatem, pœnitentiæ incapax, adeoque & Extremæ-unctionis, dedecebant tantam puritatem hæc verba: *Indulgeat tibi Deus quidquid . . . deliquisti.*

Non dedecuerunt, inquis, hæc verba; *Baptizo te*, cur dedecuissent præfata? An non utrobique insinuatur peccati remissio, saltem facienda, si in subiecto esset pecatum? Insinuatur quidem, sed cum hac distinctione, quòd in Baptismo non necessariò præsupponatur peccatum, aliàs invalidus fuisset Virginis immaculatæ Baptismus; præsupponatur autem in Extrema-unctione aliquando commissum, cùm aliquo modo sortiatur rationem Pœnitentiæ, cujus est consummativum. Plura circa hoc V. in Tract. de Bapt. & Pœnit.

Resol. 8. Ministrandum esse hoc Sacramentum senibus ad oculum deficientibus, licèt nullo morbo speciali videantur laborare; quia equidem senectus ipsa morbus est & aliunde quid aliud est virium defectus, nisi naturæ deficientia & infirmitas?

Resol. 9. Etiam inungendos esse illos, qui christianè vixerunt, etsi id non petierint, nec jam petere possint; quia per hoc quòd christianè vixerint, censetur velle christianè mori, adeoque christianorum Sacramenta suscipere: & talis est recepta Ecclesiæ praxis.

Dices 1. Contra Conclusionem: Qui nunquam peccavit est capax augmenti gratiæ: ergo & hujus Sacramenti.

Resp. Retorquendo Argumentum: Qui nunquam peccavit, est capax augmenti gratiæ: ergo & Sacramenti Pœnitentiæ; cùm gratiam secundam conferat habentibus primam: unde sicut Sacramentum Pœnitentiæ non confert gratiam sive primam sive secundam, nisi iis qui aliquando actualiter peccaverunt, ita nec Extrema-unctio propter rationem sæpiùs repetitam.

Dices. 2. Qui nunquam peccavit, est capax sanitatis recuperandæ: ergo ad hunc effectum potest inungi.

Resp. Neg. conseq. Quia propter effectum secundarium, qualis est sanitas recuperanda, non est ministrandum Sacramentum incapaci effectus primarii.

QUÆSTIO VIII.

Qualis sit circa hoc Sacramentum obligatio Ministri, & qualis Subjecti?

CONCLUSIO I.

TEnetur ex justitia quilibet animarum Pastor requisitus hoc Sacramentum suis ovibus ministrare: alius autem Sacerdos, deficiente Parocho, tenetur ex charitate. Communis est utraque Pars.

Prob. 1. Pars; Quia Pastoris est oves suas pascuis ordinariis pascere: inter autem ordinaria salutis aut vitæ spiritualis alimenta, aut remedia, certum est Extremam-unctionem concurrere. Quod supponit Catechismus Romanus n. 9. Ubi asserit, gravis peccati reos esse Parochos, qui non tantùm hoc Sacramentum ministrare omittunt, sed etiam qui tempore opportuno (nempe dum sui compos est infirmus) ministrare negligunt.

Prob. 2. Pars; Quia tenemur ex charitate, ubi possumus, succurrere proximo in necessitate constituto: sed censetur moribundo necessarium illud Sacramentum, tum ut leviùs ferat morbi molestias, tum ut vincat tentationes dæmonis tunc maximè insidiantis: ergo &c. An autem hæc charitatis obligatio sit gravis? Disputant Authores: Gravem saltem existimo, ubi moribundus nec recepisse nec recipere posset Eucharistiæ vel pœnitentiæ Sacramentum (si talis casus dari possit cùm tunc posset ipsi hoc Sacramentum gratiam primam per accidens conferre. Imò idem opinor, dum infirmus, tantùm ob quædam signa, aut vitam Catholicam, fuisset absolutus; cùm hujus absolutionis valor non sit omnino certus.

Restat alia difficultas, an teneatur animarum Pastor cùm vitæ periculo Sacramentum hoc peste infectis ministrare? Affirmant aliqui, negant alii. Ego distinguendum existimo: vel enim supponitur recepisse absolutionem certam vel tantùm dubiam, ob rationes paulò ante expositas: si primum, non obligatur; quia licet debeat Pastor pro ovibus aliàs fortè perituris animam ponere; non tamen pro solo majori eorum modo spirituali, quod eveniret ex susceptione hujus sacramenti. Et certè si non teneatur subditus Sacramenta vivorum suscipere cum periculo vitæ, v. g. Eucharistiam, Confirmationem, &c. quia nempe non conferunt vitam spiritualem, sed collatam supponunt, cur teneretur Parochus cum periculo vitæ saltem illa ministrare, quæ non sunt tantæ utilitatis? Casum tamen excipio, quo infirmus tot aut talibus urgeretur tentationibus, ut nisi Extrema-unctione corroboratus, periculum esset succumbendi, cùm tunc non sit tantum utilis, sed necessaria.

Si secundum, obligatur Parochus; quandoquidem per hoc possit salvari infirmus, aliàs damnandus, nam cùm absolutionis valor sit dubius, & aliundè moribundus possit esse tantum attritus, poterit per accidens, mediante hoc Sacramento, justificari.

Porrò Sacerdos tempore pestis (verba sunt Sylvii hic q. 32. art. 3.) ad contagionem vitandam, potest infirmum ungere virgula argentea, aurea, vel lignea, &c. verè tamen oleo tincta, sic ut perficiatur unctio. Peracta autem unctione, virgam hujusmodi aut purgabit ac in similem usum servabit, si sit aurea vel argentea; vel igne comburatur si sit lignea. Ubi autem unctio ita peragi posset sine periculo vitæ, etiam primo casu teneretur ex Justitia Parochus.

CONCLUSIO II.

NOn tenetur infirmus sub peccato mortali (per se loquendo) hoc Sacramentum suscipere; tenetur tamen scandalum & contemptum vitare.

Prob. 1. Pars, quæ est communis; quia non apparet unde desumatur obligatio illa gravis: non quidem *ex natura rei*; cùm non sit Sacramentum necessitatis, sed utilitatis: non *ex Scriptura*; quia licèt dicat Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ly *inducat* non sonat præceptum, sed documentum; vel certè si præceptum, tantùm leviter obligans, ut insinuat ferè universalis Theologorum sensus, per quos ex traditione ad nos ita descendisse præsumendum est; cùm Estius id probet ex Epist. Innocen. 1. ad Decentium, ubi legitur: *Fideles ęgroti S. Oleo perungi possunt*. Et iterùm; *Et omnibus Christianis uti licet*. Ubi nulla apparet necessitas Sacramenti, aut præcepti, saltem graviter obligantis: Nec etiam *ex Conciliis*; quia Concilium Coloniense anno 1538 frequentia proferens. *Hæc Sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici*, non vult mandatum esse fidelibus illam suscipere, sed Pastoribus ministrare, ubi requiruntur; vel certè loquitur de mandato sicut loquitur Trident. sess. 14. cap. 3. de Extrema unctione, ubi ait: *Nulla ratione audiendi sunt, qui . . . . docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec* MANDATUM DEI, *nec promissionem gratiæ habentem*: Mandatum autem non sumitur ibi pro præcepto, sed pro ipsa Christi institutione, seu jussione, ut extaret in Ecclesia. Neque tandem *ex consuetudine*; quia non omnis consuetudo est obligatoria, ut patet ex consuetudine salutandi B. Virginem ad pulsum horæ, sumendi aquam lustralem intrando Ecclesiam, &c sed tantùm introducta animo obligatorio, de quo hic non constat; imò potiùs contrarium patet ex eo, quòd concedat quidem Ecclesia tempore Interdicti Eucharistiam & Pœnitentiam graviter infirmis, non tamen Extremam-unctionem Cap. *Quod in te*, de Pœn. & Remiss. quam sanè etiam tunc non recusaret, si foret in præcepto.

Dixi tamen in Conclusione: *Per se loquendo*; quia tunc gravibus aut importunis agitatus Dæmonum tentationibus, teneretur ad hoc corroborationis antidotum recurrere: si enim obligatoria sit Confirmatio, ubi imminet Fidei periculum, ut suo loco diximus; ita & obligatoria est Extrema-unctio, ubi periculum est succumbendi in ultimo certamine.

Prob. 2. Pars; quia tenemur, præsertim quando commodè possumus, proximi ruinam spiritualem cavere: nec unquam res divinas contemnere; cùm illarum contemptus in ipsum Deum redundet. Per contemptum autem hic, non

non solùm intelligo formalem, sed etiam virtualem, quem censetur habere in actu exercito, qui sibi oblatum hoc Sacramentum sine ulla ratione recusat. Aliud esset si tantùm postularet differri ob spem sanitatis melioris. Vide circà hoc Tract. de Confirm. pag. 315.

Petes An qui semel recipit hoc Sacramentum possit quandoque in eadem Infirmitate illud iterùm recipere? Dico *in eadem infirmitate*; quia si à primo morbo convaluerit, & in alium aut similem æquè periculosum reinciderit, certum est ex praxi communi posse iterùm inungi, imò quandoque debere sensu anteà explicato; cùm unctio illa utpotè non imprimens characterem, sit iterabilis. Ad Quæstionem

Resp. Cum distinctione; vel enim morbi violentia ita fuit temperata, ut moraliter cessaverit mortis periculum, vel non: si non, non potest iterari, imò iteratum foret irritum, ut censent communiter DD. & ideò Tridentinum solùm concedit hujus Sacramenti reiterationem sub conditione novi, aut quasi novi morbi. Si sic, reiterari potest post intervallum notabile, si succedat novum mortis periculum, quia hic non tam habetur ratio morbi, quàm morbi periculosi; ubi autem novum mortis periculum, ibi novus morbus periculosus in ratione periculosi.

QUÆSTIO IX.

Qui sint effectus & ritus hujus Sacramenti?

SUppono 1. Sibi præsentem, qui tamen exteriùs nec voce nec signo potest confiteri, debere, quantùm in se est ad affectum hujus Sacramenti, elicere actum contritionis perfectæ, si sit aliquo peccato inquinatus; quia cùm hoc Sacramentum sit vivorum, præsupponit ordinariè vitam spiritualem in suscipiente.

Suppono 2. Sine justa causa non esse ministrandum hoc Sacramentum ante susceptionem Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ut declarant Rituale Romanum, & Catechismus Romanus, qui vocat hanc Ecclesiæ consuetudinem perpetuam: *Servanda est*, inquit n. 12. *catholicæ Ecclesiæ perpetua consuetudo, ut ante Extrema-unctionem, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum administretur*: & ideò vocatur ultimum Sacramentum: Non condenarem tamen peccati mortalis Parochum, qui, secluso scandalo & contemptu, infirmum ritè dispositum priùs ungeret, quàm Eucharistia reficeret, cùm ordo ille non videatur ita obligatorius. Imò ità fieri oportet, si mors credatur imminere, nec tunc Eucharistiæ suscipiendæ sit capax moribundus; qui tamen posteà sui compos factus, potest, recepta unctione, Eucharistia refici.

Suppono 3. Licèt ad hujus Sacramenti effectum non requiratur in eo, qui jam Pœnitentia & Eucharistia refectus est, alia dispositio; expedit tamen ut tunc variis virtutum actibus sese occupet, Deum summè diligendo, peccata detestando, tempus inutiliter perditum deflendo, ac Dei misericordiam suppliciter invocando: quia per hoc & augebitur Sacramenti effectus, & fœlicior erit vitæ exitus. His suppositis.

CONCLUSIO I.

QUadruplicem præsertim assignare possumus hujus Sacramenti effectum; 1. Collationem gratiæ sanctificantis ut connotantis certa auxilia, tùm ad superandas Dæmonum tentationes, tùm ad erigendam nostram in Deum confidentiam, tùm ad leviùs tolerandas morbi molestias. 2. Remissionem venialium. 3. Abstertionem à peccatorum reliquiis. 4. Corporis sanitatem, si expediat.

Prob. 1. Pars de collatione gratiæ ex Jac. 5. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus?* quod explanans Tridentinum cap. 2. ait: *Hæc gratia est Spiritus S. cujus unctio . . . ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando qua infirmus sublevatus & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis, faciliùs resistit.*

Prob. 2. Pars de remissione venialium ex eodem Apostolo: *Si in peccatis sit, remittentur ei*, ubi mentio fit de peccatis venialibus; nam cùm hæc unctio non sit quædam spiritualis regeneratio sicut Baptismus, nec quædam spiritualis suscitatio sicut Pœnitentia, sed tantùm spiritualis quædam sanatio, supponit vitam spiritualem in eo, quem sanat, adeoque omnis peccati mortalis absentia, sicque solùm remittit venialia, quibus spiritualiter infirmamur, non morimur. Non diffiteor tamen extraordinariè & per accidens posse remittere mortale, si nempe homo illius immemor aut confiteri incapax de eo atteratur. Quod in terminis docet D. Borromæus in Instruct. de Extrema-unctione, ubi ait: *Potest fieri, ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus.*

Dices: Quomodo remissio venialium potest esse effectus hujus Sacramenti, cùm ad omnium peccatorum sive mortalium, sive venialium remissionem instituta sit confessio?

Resp. Effectum hujus Sacramenti non esse remissionem venialium simpliciter, sed remissionem in extremo vitæ periculo, ne sint impedimentum retardativum gloriæ possidendæ; seu est venialium remissio finalis, aut quasi finalis: id autem congruebat ut à venialibus, in quę frequenter labimur, etiam post receptum Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum, mundaremur ante hujus mundi exitum: undè D. Thomas 4. contrà gentes cap. 73. *Sicut etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, à quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum mundari, &c.*

Prob. 3. Pars de abstersione reliquiarum peccati, quo nomine intelligitur tùm reatus pœnæ temporalis, tùm pravæ dispositiones ex peccato remanentes, tùm torpor, fastidium, tristitia, anxietas & similia, quæ ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri solent, Prob. inquam, ex Trident. sup. dicente: *Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*: qui effectus continetur etiam sub his Apostoli verbis: *Alleviabit eum Dominus.*

Prob. 4. Pars de sanitatis recuperatione ex eodem Apostolo: *Oratio fidei salvabit infirmum*, si nempè expediat; undè Tridenrinum de hoc Sacramento sic loquitur supra: *Sanitatem corporis interdum, ubi animæ saluti expedierit, consequitur.* Cur autem alii effectus conferantur absolutè dispositis, hic autem non nisi conditionatè, nempè si expediat animæ? Inde oritur, quòd alii semper sint utiles Sacramentum suscipienti; non sic sanitas, quæ potest esse causa damnationis illi, qui salvaretur, si jam moreretur.

CONCLUSIO II.

RItus in administratione hujus Sacramenti observandi, consuli debent ex Rituali cujusque Diœcesis. Hic tamen observandum, quòd licèt Psalmi Pœnitentiales non sint ex præcepto recitandi, recitandæ sint tamen ex præcepto Ecclesiæ orationes; & ideò illas omittens extra urgens periculum, graviter peccaret. Imò ubi ob periculum morti ministratur hoc Sacramentum prætermissis Psalmis Pœnitentialibus & orationibus, supplendæ sunt posteà Orationes, si supervivat infirmus. Ita Possevinus cum pluribus aliis.

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

SExtum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum Patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdorii talis est: Accipi potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et sic de aliorum Ordinum Formis, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ordinarius Minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Christi Minister. Hæc Florentinum in Decreto unionis.

Hanc materiam tractat Doctor noster 4. dist. 24. q. unica, ubi

ubi advertit vocem *Ordo* generaliter sumptam importare quemdam respectum prioris & posterioris: quo sensu dixit Catechismus Conc. Trid. *Ordo est dispositio superiorum & inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur*. Specialiùs sumitur pro aliquo statu in Republica, quo sensu dicimus tres esse in Regno Status, seu Ordines, nempè Ecclesiasticum, nobilem, & plebeium: vel etiam pro aliquo gradu eminenti, ut Ordo Senatorius, equestris, &c. Unde dictus est Ordo clericalis, qui est personarum in Ecclesia suo officio, suoque charactere eminentium. Denique sumitur hic Ordo nonnunquam, imò sæpiùs pro ordinatione, seu actione, qua confertur Ordo ille clericalis, sive interim sit Presbyteratus, sive Diaconatus, sive alius inferior. Ex quo sequitur diligenter hic distinguendum esse inter Ordinem & Ordinationem; cùm hæc sit causa ille effectus; hæc sit transiens, ille permanens; hæc sit Sacramentum, non ille; hæc sit sensibilis utpotè consistens in rebus, verbis, & actionibus exterioribus, ille insensibilis, utpote potestas spiritualis.

DISPUTATIO UNICA.

De omnibus hoc Sacramentum concernentibus.

QUÆSTIO I.

An Ordo vel potiùs Ordinatio sit Sacramentum, & qualiter definibile.

DAri in Ecclesia Ordinem non negant Hæretici moderni; sed Ordinem illum esse Sacramentum, negant pertinaciter: unde volunt aliquem esse ordinatum ad obeunda munia, quæ per Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, &c. Obire solemus, per hoc quòd sit ad illa per Communitatem electus: qua electione revocata, statim redit ad statum laicorum, non minùs ac si muniis Ecclesiasticis nunquam fuisset perfunctus. Ita cum suis tenet Lutherus lib de Captivit. Babil. Et licèt idem teneant Calvinistæ, duo tantùm admittentes Sacramenta, Baptismum nempe, & Cœnam, non tamen constat Calvinum fuisse illius sentimenti; cùm lib. 4. Instit. videatur Ordinationem Sacramentis annectere, dicatque se quidem alibi tantùm admisisse duo Sacramenta, sed toti populo communia, qualis non est Ordinatio.

CONCLUSIO I.

ORdinatio, seu actio qua confertur Ordo, est verum novæ legis Sacramentum. Est de fide in Trident. sess. 23. can. 3. *Si quid dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum . . . anathema sit*. Quod ad minimum verum est de Presbyteratu.

Prob. Conclusio: Illud est Sacramentum, quod est signum sensibile perenniter institutum ad hominis sanctificationem: sed talis est Ordinatio: ergo. Prob. Min. 1. est *signum sensibile*; cùm non tantùm hoc tempore, sed etiam ab ipsismet Apostolis fieret per impositionem manuum, ut docet Apostolus 1. ad Timot. 4. & 2. ad eumdem 1. 2. est *perenniter institutum*; cùm ordinetur ad confectionem Eucharistiæ apud nos ad finem mundi permansuræ, juxta illud Christi Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Deinde quamdiu vigebit Ecclesia, vigebunt & Ecclesiæ Ministri, ut satis insinuat nunquam interrupta Ecclesiæ praxis. 3. *Ordinatur ad hominis sanctificationem*, nempè recipientis, ut apertè traditur locis citatis, in quibus monet Apostolus Timotheum, ut non negligat, ut resuscitet gratiam, quam recepit per manum impositionem seu Ordinationem, adeoque supponit per illam fuisse sanctificatum: unde concludendum est, esse verè Sacramentum, quod in terminis docet Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. ubi ait: *Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti . . . Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat cur illud non amittitur, & istud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est*.

Objiciunt 1. Hæretici ordinatos fuisse à Christo Apostolos sine cæremonia sensibili.

Resp. Negari posse Assumptum, cùm usus fuerit verbis dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*, & materia sensibili, porrigendo corpus & Sanguinem sub speciebus sensibilibus. Sed esto, non adhibuerit signum sensibile, poterat, cùm esset Sacramentorum Author, illa aliter conferre, & illorum aliter collationem nobis præcipere, sicut de facto præcepit Apostolis, ut Ordinem sensibiliter conferrent, ut patet ex eo quòd ordinarent per manum impositionem.

Obji. 2. Etsi foret sensibilis manuum impositio, de qua Apostolus ad Timotheum, illa tamen non respiciebat solos ordinandos, sed omnes per orationem Deo commendandos.

Resp. Neg. Assum. Aliàs non scripsisset Paulus ad Timotheum 1. c. 5. *Manus cito nemini imposueris*; cùm ad orandum præcisè pro aliquo non requiratur aliqua præcautio, sicut requiritur ad ordinandum.

Obj. 3. Sacerdotium tribuitur quandoque à Scriptura fidelibus laicis.

Respond. Ibi agi de Sacerdotio improprio, quod confertur non per externam actionem, sed per internam Spiritus Sancti unctionem, seu gratiam: unde S. Leo serm. 3. anniversariæ suæ Consecrationis: *Sancti Spiritus unctio consecrat Sacerdotes*. Prætereà fideles vocantur à Scriptura Sacerdotes, sicut vocantur Reges, constat autem non nisi impropriissimè esse Reges.

Obji. 4. Illud Tertulliani lib. de exhortat. ad castitat. cap. 7. *Nonnè & laici Sacerdotes sumus?* & infra: *Differentiam inter Ordinem & plebem, Ecclesiæ constituit authoritas*; Ecclesia autem non habet authoritatem instituendi Sacramenta.

Resp. Laicos esse Sacerdotes sensu antea exposito; Ecclesiæ autem authoritas, de qua ibi est authoritas quam habet, non à se, sed à Deo per ordinationem, & ideò immediatè subditur: *Et honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo*: sicque nihil contra Conclus. prætereà liber ille nullius est authoritatis, cùm teste Bellarminio, illum scripserit post lapsum.

Obji. 5. Sacramentum institutum est ad sanctificandum recipientem: sed Ordo institutus est ad sanctificandum illos, quibus Ordinatus Sacramentum ministrat: ergo.

Resp. Dist. Ma. Institutum est primariò vel secundariò ad sanctificandum recipientem: C. tantùm primario: N. licèt enim id aliis Sacramentis competat, non tamen Ordini, qui fuit primariò institutus ad aliorum salutem, & secundariò ad salutem ipsius Ordinati.

Obji. 6. Gratia, de qua Apostolus ad Timoth. non est gratum faciens, sed gratis data, & sic nihil inde eruitur pro Conclusione.

Resp. Neg. Assumpt. Quia manifestè loquitur Paulus de gratia conferente ad salutem sui Discipuli: nam 1. cap. 4. antequam dicat: *Noli negligere gratiam*, &c. sic habet: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate in fide, in castitate*, & post illa verba: *Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus*.

CONCLUSIO II.

OMissis variis definitionibus Ordinis hanc ut clariorem subjicimus: Ordo est Sacramentum, quo traditur spiritualis potestas ordinato conficiendi Eucharistiam aut ministrandi in ordine ad illam. Singularum particularum intelligentia patebit ex dicendis infra.

QUÆSTIO II.

Quot sint Ordines, & an omnes sint Sacramenta?

CONCLUSIO I.

SEptem communiter recensentur Ordines, nempè Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Ostiariatus, Lectoratus, & Exorcistatus. Ex quibus tres primi dicuntur *Majores* & *Sacri*: Majores quidem, quia magis accedunt ad magnum Eucharistiæ Sacrificium & Sacramentum, quàm alii quatuor, qui ideò dicuntur *Minores*; *Sacri* verò, non quasi Minores non sint sacri, cùm etiam versentur circa materiam sacram; sed quia excellentiùs sacrant sua subjecta, tùm per accessum propinquiorem ad sacratissimum Sacramentorum, tùm per votum aut quasi votum castitatis ipsis annexum, per quod Ordinati specialiter Deo consecrantur.

Ratio

Ratio Conclusionis est voluntas divina nobis per Traditionem manifestata: unde Trident. sess. 23. cap. 2. postquam recensuit Presbyteratum & Diaconatum, *Ab ipso Ecclesiæ initio*, inquit, *sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii in usu fuisse cognoscantur*.

Dixi: Septem communiter; quia an præter illos, non sint alii admittendi, dicemus Quæst. seq.

CONCLUSIO II.

Sacerdotium est verum Sacramentum. Est de fide.

Prob. De fide est in Tridentino, Ordinem, seu Ordinationem esse verè & propriè Sacramentum, ut diximus: sed inter Ordines primum locum obtinet sacerdotium: ergo si quis Ordo est Sacramentum, præsertim illud.

Sed est nè Sacramentum quoad utramque sui partem, id est, tum quoad actionem, qua confertur potestas consecrandi, seu in Corpus Christi verum, tum quoad actionem, qua confertur potestas absolvendi, seu in Corpus Christi mysticum?

Resp. Affirm. Quia ultrà quòd utraque constet materia & forma, utraque conferat potestatem specialem, utraque distinctum imprimat characterem, in secunda dicitur expressè ex institutione divina: *Accipe Spiritum S. quorum remiseris*, &c. Ubi signo sensibili insensibilis gratiæ promissio annectitur: Si autem secunda sit Sacramentum, quidni & prima; cùm hæc sit longè nobilior, longeque nobiliorem conferat potestatem? Imò secunda non posset subsistere sine prima, licèt hæc subsistere possit sine illa: undè si cui conferretur potestas absolvendi, antequam conferretur potestas consecrandi, irrita esset ordinatio, quidquid dubitent aliqui. Valeret autem ordinatio & potestas consecrandi, licèt non sequeretur ordinatio & potestas absolvendi.

CONCLUSIO III.

Licèt fortè non sit de fide Diaconatum esse propriè Sacramentum; est tamen Theologicè certum.

Prob. 1. Ex Trident. sess. 23. can. 4. ubi legitur: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum S. ac proindè frustrà Episcopos dicere. Accipe Spiritum Sanctum ..... Anathema sit*; ergo cùm ordinans dicat Diacono: *Accipe Spiritum S* & non dicat frustrà, confert illi, per cæremoniam illam sensibilem, Spiritum S. seu gratiam, adeoque verum conficit Sacramentum. Ex quo sequitur, si Anathematizatio cadat super omnes propositionis partes. Conclusionem nostram videri de fide.

Si dicas propositionem tantùm respicere Sacerdotium, dicam ego propositionem indefinitam in materia fidei æquivalere universali, adeoque in præfata propositione comprehendi omnem Ordinationem, in qua dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum*.

Prob. 2. Quia competunt Diaconatui omnia ad Sacramentum requisita: 1. Est cæremonia sensibilis, cùm septem Diaconi Act. 6. ordinati fuerint per manuum impositionem, quam usque nunc usurpavit Ecclesia. 2. Fuit divinitùs institutus, cùm Trident. can. 6 *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit*. Sub Ministris autem Hierarchiam illam divinitus institutam componentibus, primum locum obtinent Diaconi, utpotè immediatè sacerdoti assistentes. 3. Est ipsi annexa collatio gratiæ, cùm Episcopus illum conferens dicat, & non frustrà, ut patet suprà *Accipe Spiritum Sanctum*, undè Anastasius II. Epist. ad Anastasium imperatorem, docet conferri gratiam sacramentalem in Ordinatione Diaconi.

Dices 1. Aliter nunc ordinantur Diaconi, quàm initio Ecclesiæ: cùm nunc dicat Episcopus: *Accipe potestatem legendi Evangelium*, quod tunc non usurpabatur, sed sola manuum impositio: ergo videtur cæremonia Ecclesiastica.

Resp. Materias & Formas Ordinum non esse à Christo determinatas in specie infima, sed tantùm sub signo potestatem conferendam designante, relinquendo earum determinationem Ecclesiæ; & sic eo quòd aliter nunc conferatur quàm tunc, & non sequitur esse cæremoniam Ecclesiasticam, sed de his fusiùs infrà.

Dices 2. Ex Ordinatione Diaconorum Act. 6. nihil potest confici, cum eorum ministerium esset præcisè ministrare mensis, ut indicat Textus.

Resp. Ministerium illud fuisse quidem occasionem, cur ordinarentur, non tamen Ordinationis effectum; quandoquidem utpotè omninò civile, & laicale, nullam Ordinationem seu manuum impositionem requireret in ministrantibus: unde ad illud ordinati sunt Diaconi, non quia necessaria erat ad illius exercitium Diaconatus potestas, sed quia ad melius esse requirebantur viri eminentiores, majorisque super plebem authoritatis, quam eminentiam & authoritatem recipiebant per Diaconatum.

Instabis: Hieron. Epist. ad Evagrium vocat Diaconos *mensarum & viduarum Ministros*: ergo supponit in hoc consistere eorum officium.

Resp. Ita fuisse locutum ad reprimendam certorum Diaconum insolentiam, qui volebant pari gradu cum Presbyteris incedere: unde ad eorum humiliationem objiciebat ipsis hoc eorum munus, non quidem essentiale, sed accidentale. Aliam autem Diaconorum potestatem agnovisse S. Doctorem, inde patet, quòd in eadem Epistola comparet Diaconos Ecclesiæ, Levitis Synagogæ: essent autem Levitis longè inferiores, si tantùm mensarum ministerio addicerentur.

Dices 4. Anacletus Ep. 3. sic habet: *Ampliùs quàm isti duo Ordines*, nempè Episcopatus, & Presbyteratus, *nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt*.

Resp. Epistolas illas à pluribus doctissimis haberi tanquam spurias; sed esto legitimæ forent, non vult tantum esse duos Ordines generatim, sed tantum duos Ordines sacerdotum, nempe Episcopos & Presbyteros; nam paulò ante dixerat: *Sacerdotum Ordo bipartitus est*, scilicet in Episcopatum & Presbyteratum, & tunc subdit: *Ampliùs quàm isti*, &c.

Dices 5. D. Cyprianus Epist. 65. asserit Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis fuisse Constitutos.

Resp. Dist. Assumpt. Asserit fuisse constitutos, id est ordinatos: C. id est, institutos, seu Apostolos instituisse Diaconatum: N. undè constituere, ibi non sumitur pro prima institutione Diaconatus ad dignitatem Sacramenti, sed pro creatione Diaconorum, supposita jam Diaconatus divina institutione.

CONCLUSIO IV.

Longè probabilius est etiam Subdiaconatum & Minores esse verè & propriè Sacramenta. Est satis communis inter Theologos, licèt contradicant aliqui, præsertim juniores.

Prob. 1. Ex Concil. Florent. ubi postquam dixit, Ordinem in genere esse Sacramentum, ejusque materiam esse id, per cujus traditionem confertur Ordo, ponit sub Ordine, tanquam speciem sub genere, Subdiaconatum, & reliquos: quod autem convenit generi, convenit & speciei, adeoque si ratio Sacramenti competat Ordini ut sic, competit & Subdiaconatui ac reliquis. Quod & apertiùs docet Trident. nam postquam docuit sess. 23. cap. 2. septem esse Ordines, eosque singulatim specificavit, tradit indefinitè c. 3. Ordinem esse verum Sacramentum; jam autem cùm propositio indefinita in materia fidei, æquivaleat universali, ut adhuc diximus dicens: *Ordo est verum Sacramentum*, censetur dicere: *omnis Ordo est verum Sacramentum*.

Prob. 2. Quia quilibet ex illis quinque Ordinibus habet Materiam & Formam propriam: quilibet confert potestatem specialem ad quædam munia solemniter exhibenda: quilibet exprimit characterem: cum in Pontificali Romano tit. *de Ordinibus conferendis* doceatur Episcopus, ut moneat Ordinandos, quatenus tangant instrumenta, quibus character imprimitur. Tandem quilibet est initerabilis, ut docet praxis Ecclesiæ perpetua. Ex quibus colligo, cæremonias illas quoad substantiam non ab Ecclesia, sed à Christo fuisse institutas: & certè si essent Ecclesiasticæ, quidni aliquando Subdiaconi, aut Minoristæ impii ad statum laicalem reducerentur? Quandoquidem, per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvatur.

Dices 1. Subdiaconatus non est institutionis divinæ: ergo Prob. Ant. ex Concilio Beneventano, ubi Urbanus II. *Sacros autem Ordines*, inquit, *dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; super his solis præceptum Apostolicum habemus*.

Resp. Neg. Ant. Ad probationem dico: indè quidem haberi quòd tunc Subdiaconatus non foret Ordo sacer,

non tamen quod non foret Sacramentum, cùm etiam nunc Ordines Minores dicamus Sacramenta, non tamen Ordines sacros: unde quando ipsemet Urbanus subdit: *Subdiaconos verò, qui & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus*, non instituit tunc Subdiaconatum, sed ipsum sacris Ordinibus annumerat, ut convincit contextus. Alia verò Objectionis verba tantùm indicant in primitiva Ecclesia ordinatos fuisse solos Presbyteros & Diaconos, & de illis necessariò ordinandis esse præceptum Apostolicum, quamvis alios Ordines à Christo institutos posset Ecclesia pro libitu, ubi expedire judicaret, usurpare, ut de facto posteà usurpavit.

Dices 2. Nulli Patres docuerunt per Subdiaconatum aut alios Ordines inferiores conferri gratiam sanctificantem: ergo non crediderunt esse Sacramenta.

Resp. Patres antiquos id quidem non docuisse explicitè, quia cùm primis Ecclesiæ sæculis, propter Ministrorum paucitatem ferè semper omnia inferiora ministeria Diaconis committerentur, vix fiebat Subdiaconorum mentio; implicitè tamen id docuerunt, dum illos, Ordines esse dixerunt, aut de illis tanquam Ordinibus locuti sunt; cùm Ordo indiscriminatim, ut ea Traditione docent Florentinum & Trident. sit Sacramentum.

Dices 3. Nullum est officium Subdiaconi, aut Minoristæ, quod non possit à laico exerceri: ergo.

Resp. Dist. Ant. Nullum est, &c. quod non possit à laico exerceri validè: C. licitè: subdist. si non fiat solemniter & ex officio: Transeat, si secùs: N. quia tunc peccatum est grave, aut leve juxtà materiæ capacitatem: undè peccat graviter laicus serviens in Missa solemni, ut Subdiaconus cum Manipulo: aliud esset si Manipulum non assumeret. Quia tunc non censeretur agere ex officio: sicut nec censentur agere ex officio laici exercentes munia Minoristarum, si mos ibi invaluerit, ut a laicis exerceantur.

Præterea esto, liceret laico exercere communiter præfata munia, equidem non sequeretur Subdiaconatum, &c. non esse Sacramenta; nam sicut ex eo quòd possit non Confirmatus resistere Tyrannis, fidem auferre nitentibus, malè inferretur Confirmationem ad id gratias præbentem, non esse Sacramentum, ita & in nostro casu; undè sufficit ad Sacramentum, si non det simpliciter posse, saltem det posse perfectius, melius, & religiosius: quod hic accidit.

Dices 4. Si quilibet Ordo esset Sacramentum, essent plusquam septem Sacramenta.

Resp. Dist. Assumpt. Essent plusquam septem in specie infima: C. in specie subalterna, juxtà quam in numero Sacramentorum sumitur Ordo: N.

QUÆSTIO III.

An præter septem Ordines recensitos, admittendi sint alii?

Ratio dubitandi indè oritur, quòd aliqui velint Episcopatum esse Ordinem à Sacerdotio distinctum; alii verò præsertim Canonistæ, Ordinibus annumerent primam Tonsuram.

CONCLUSIO I.

Prima Tonsura non est Ordo, sed mera præparatio ad Ordines ab Ecclesia introducta. Est communis inter Theologos, paucis contradicentibus.

Prob. 1. Ex Trident. Sess. 23. cap. 2. ubi enumeratis ex professo Ordinibus, non meminit inter illos Tonsuræ, imò illam ab ipsis evidenter distinguit tanquam præambulum ad ad ipsos, cùm ait: *ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per Minores* (Ordines) *ad Majores ascenderent*, supponens nec in Minoribus nec in Majoribus contineri, sed ad illos præsupponi.

Prob. 2. Per Ordinem confertur potestas aliqua spiritualis in ordine ad Eucharistiam, ut patet ex Ordinis definitione communiter recepta: sed per Tonsuram nulla confertur talis potestas; cùm tonsuratum præcisè à statu laicali ad clericalem transferat: ergo.

Dices 1. Innocentius III. Cap. *Cùm contingat* sic loquitur: *Per primam Tonsuram, juxta formam Ecclesiæ datam, clericalis Ordo confertur*: ergo &c.

Resp. Per Ordinem ibi non intelligi Sacramentum Ordinis sed statum quemdam, per quem Clerici à statu laicorum secernuntur: sicut dicuntur Religiosi per suum Ordinem, id est, statum specialem, ab aliis distingui.

Inst. In Forma degradationis Tonsurati, à Pontificali Romano relata, sic loquitur Episcopus: *Exuimus te Ordine, Beneficio, & privilegio clericali*: quomodo autem exueretur Ordine, si non haberet Ordinem?

Resp. Ibi evidenter fieri mentionem Ordinis pro ut est certus gradus, à quo dejectus Tonsuratus de facto fit laicus, nam cùm Ordo, de quo hic, sit indelebilis, & inauferibilis, saltem ab homine, quomodo exueretur illo Ordine?

Dices 2. In eodem Pontificali tit. *de Ordin. conferendis*, dicitur Pontifex ordinare ad Tonsuram post *Kyrie eleyson*, sicut dicitur Ordinare, ad Minores post *Gloria in excelsis*: atqui ordinare in 2. casu sumitur pro ordinatione propria: ergo & in 1.

Resp. Idem quidem nomen usurpari pro utroque, sed inde oritur, quòd communiter dicatur Pontifex ordinare, sive interim conferat Ordines, sive solam Tonsuram, quamvis ly ordinare aliter significet in 1. casu, quàm in 2.

Dices 3. Sixtus V. in Bulla Sanctum & salutare, Tonsuram vocat characterem. Et ibidem generaliter suspendit ab Ordinum ministerio Clericos malè promotos.

Resp. Dist. Primum membrum: Vocat characterem, quia characterem imprimit, sicut Ordo: N. quia confert gradum aliquem, ut diximus ante: C. Ad secundum dico suspendere quidem Clericos ab Ordinum ministerio &c. sed Clericos Ordinibus initiatos, non simpliciter tonsuratos, quos tantùm suspendit à Tonsuræ executione v. gr. recipiendi aliquod Beneficium, ut videre est in dicta Bulla.

CONCLUSIO II.

Episcopatus est verus & proprius Ordo à Sacerdotio simplici distinctus, adeoque & Sacramentum distinctum. Est communior.

Prob. Quia Episcopatus ut à simplici Sacerdotio distinctus habet omnia requisita ad verum Ordinem, verumque Sacramentum: ergo. Prob. Ant. quia 1. est cæremonia sensibilis; quandoquidem, ut alia taceam, conferatur per manuum impositionem cum verbis proportionatis. 2. Fuit à Christo instituta, cùm hujus non legatur in Ecclesia initium: undè semper & ubique gentium servata fuit à in Episcoporum consecratione manuum impositio, etiam ab ipsismet Apostolis, ut patet ex utraque D. Pauli Epist. ad Timoth. quod signum est à Christo descendere. 3. Confert gratiam; quia Episcopo ordinando dicitur: *Accipe Spiritum S.* quod aliàs esset falsum: unde hæc Apostoli verba: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, diriguntur ad Timotheum, quem consecraverat Episcopum. 4. Per Episcopatum ut Episcopatum confertur specialis potestas spiritualis, nempè confirmandi, conficiendi Chrisma, ordinandi Sacerdotes, Diaconos, &c. quæ potestas, utpote etiam à Summo Pontifice inauferibilis non est solius jurisdictionis, sed ordinis.

Dices 1. Hieronymus in Ep. ad Evagrium sic habet: *Idem ergo non est Presbyter, qui & Episcopus*: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Idem est quoad omnia: N. quoad potestatem conficiendi Christi Corporis: C. & hoc solùm videtur intendere Hieronymus; cùm dicat ibidem: *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos, quis patiatur ut mensarum & viduarum Minister suprà eos se tumidus offerat, ad quorum preces* (Nota) *Christi Corpus Sanguisque conficitur*.

Inst. S. Doctor facit Presbyteros Episcopis æquales quoad omnia: ergo. Prob Ant. quia docet ibidem, ad tollendum schisma, quo Presbyter quilibet volebat esse suos, quos baptizaverat: *In toto orbe decretum esse, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret*: ergo supponit fuisse antea omninò æquales.

Resp. Velle quidem fuisse etiam æquales quoad regimen populi, id est, in ordine ad ministranda Sacramenta, Verbum Dei annuntiandum, &c. non tamen quoad gradum, characterem, & omnimodam potestatem; cùm Episcopus crearet Presbyteros, & Diaconos; Presbyter autem nec Presbyteros nec Diaconos posset creare: quod sanè ipsemet agnovit, cùm ab Episcopo Presbyter creatus nunquam præsumpserit Presbyterum aut Diaconum creare.

Dices 2.

Dices 2. Epiſcopatus ut ſic nullum habet reſpectum ad Euchariſtiam; ſed omnis ordo talem habet reſpectum, ut patet ex dictis: ergo.

Resp. Diſt. Maj. Nullum habet reſpectum proximum & immediatum: Tranſeat Remotum & mediatum; N. Epiſcopus enim ordinat Sacerdotes, adeoque confert poteſtatem Euchariſtiæ conficiendæ.

Dices 3. Si Epiſcopatus eſſet ordo diſtinctus, poſſet quis validè ordinari in Epiſcopum, licèt non eſſet Sacerdos. Prob. Aſſumpt. quia ex eo, quòd reliqui ordines ſint diſtincti, poteſt quis validè ſuſcipere ordinem ſuperiorem, puta, Presbyteratum, licèt non habeat ordinem inferiorem, puta, Diaconatum.

Resp. Neg. Aſſumpt. Ad probationem dico diſparitatem eſſe, quòd ex uno ſequatur inconveniens, non ex alio: nam cum ordo ſuperior v. gr. Presbyteratus contineat eminenter quidquid eſt poteſtatis in inferioribus, poſſet eminenter quidquid eſt poteſtatis in inferioribus, poſſet eminenter Presbyter, quidquid poſſet Diaconus, in quo nullum eſt inconveniens: ſed cum Epiſcopatus non ſit ordo ſuperior reſpectu Presbyteratus, ipſius poteſtatem nullatenùs continet, & ſic Epiſcopus qui facit Presbyteros, non haberet poteſtatem Presbyteri quod videtur inconveniens, nec à Chriſto inſtitutum.

Inſt. 1. Si Epiſcopatus eſſet ordo deberet eſſe nobilior Presbyteratu, adeoque ipſo ſuperior.

Resp. Diſt. Aſſumpt. Deberet eſſe nobilior intenſivè: N. cùm enim actus Presbyteratus ſit conficere Chriſti corpus & Sanguinem, qui eſt omnium actuum ſacramentalium nobiliſſimum, non datur ordo entitativè nobilior illo. Deberet eſſe nobilior extenſivè, in quantum ultrà poteſtatem Presbyteri, continet poteſtatem confirmandi, ordinandi, &c. C. ſed cùm poteſtas illa non ſit quid præſtantius poteſtate conficiendi Chriſti corporis, non cenſetur Epiſcopatus ordo ſuperior reſpectu Presbyteratus; ſed benè, ſi adæquatè ſumatur ordo amplior, in quantùm poteſt Epiſcopus quidquid poteſt Presbyter, & aliquid amplius.

Inſt. 2. Epiſcopi ſunt ſuperiores Presbyteris etiam jure divino: ergo Epiſcopatus eſt ordo ſuperior Presbyteratu.

Resp. Superiores quidem eſſe Presbyteris Epiſcopos in Hierarchia Eccleſiaſtica, ſed vi poteſtatis amplioris ſeu extenſioris, non intenſioris, & ſic negari debet Conſequentia.

Dices 4. Epiſcopatus non imprimit characterem: ergo non eſt ordo.

Reſpondent aliqui non imprimere quidem novum, characterem, ſed tamen characterem Presbyteralem magis extendere, ſed dicendum, imprimere diſtinctum. Et certè mirum eſſet Exorciſtatum, characterem ſibi proprium imprimere, & non Epiſcopatum; cùm hic magis infinities conferat ad Euchariſtiam, Presbyteros conficiendo, quàm ille Dæmones expellendo.

Dices 5. Si Epiſcopatus, ſecundùm id quod addit ſupra Presbyteratum, ſit Ordo, malè aſſignant DD. ſeptem Ordines, cùm ſint octo.

Resp. Aſſignari ſeptem, quia Sacerdotium, qui eſt ſeptimus Ordo, dividitur in Epiſcopatum ſeu Sacerdotium magnum, & Presbyteratum, tanquam ſpecies ſubalterna in ſpecies infimas: undè ſicut Sacramenta dicuntur ſeptem, licèt Ordo in plures alios, adeoque in plura Sacramenta dividatur; ita & Ordines ſeptem dicuntur, licèt unus illorum dividatur ulteriùs.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit Materia & Forma ſingulorum Ordinum?

SAcramentum Ordinis conſtare Materia & Forma, ſicut & reliqua Sacramenta, commune eſt inter Catholicos. Porrò juxta Florentinum, illud eſt Materia ordinis, per cujus traditionem confertur Ordo: & hæc Materia dicitur remota, ad diſtinctionem proximæ, quæ eſt ipſa traditio. Forma autem ſunt verba ordinantis ſignificantia poteſtatem per ordinem communicandam. Quoniam autem de ſingulorum ordinum Materiis & Formis variæ occurrunt difficultates, ipſas faciliùs variis Articulis diſſolvemus.

ARTICULUS I.

Quæ ſit Materia Epiſcopatus & Presbyteratus?

CONCLUSIO I.

PRobabilius eſt, Materiam Epiſcopatus adæquatam eſſe manuum impoſitionem; Formam verò hæc verba: *Accipe Spiritum S.*

Prob. 1. Pars; quia alia in ordinatos, Epiſcopi concurrentia, non fuerunt ſemper & ubique adhibita, ſicut manuum impoſitio, quam ab initio uſurpavit Apoſtolus, ordinando Timotheum & alios; ac poſt ipſum omnes Eccleſiæ tùm Græcæ, tùm Latinæ, ut declarant Euchologia, & Ritualia antiquiſſima. Nunc quidem traditur apud nos Annulus & Baculus paſtoralis; ſed non apud Græcos, imò nec tradebatur apud Latinos ſæculo IV. quandoquidem Concilium IV. Chartaginenſe exponens ritum hujus Ordinationis, illorum non meminerit. Intercedit etiam unctio, cujus tanquam vetuſtiſſimæ meminuerunt SS. Leo & Gregorius; ſed nec refertur à præfato Concilio, nec illam adhibent Græci. Impoſitionem verò libri Evangeliorum ſuper caput Ordinandi refert quidem Concilium præfatum; ſed cùm illius ne minimum veſtigium habeamus ſæculo I. II. & III. imò afferat Alcuinus ſcribens de divinis officiis anno 760. cæremoniam illam non fuiſſe uſurpatam primis ſæculis ab Eccleſia Romana: ſicut nec uſurpabatur à Germanis initio ſæculi IX. ſi credimus Amalario lib. 2. de Eccleſiaſt. officiis cap. 14. concludendum eſt non fuiſſe Epiſcopatui eſſentialem.

Prob. 2. Pars; quia nihil convenientius aſſignari poteſt pro Forma, quàm verba prolata tempore applicationis Materiæ; tunc autem proferuntur aliata, & non alia: unde credibile eſt Apoſtolum ordinando Timotheum, illa verba adhibuiſſe, cùm dicat Trident. ſeſſ. 23. can. 4. *Per ſacram Ordinationem dari Spiritum S. ac proindè Epiſcopum non fruſtrà dicere: Accipe Spiritum Sanctum*: id autem præſertim colligat ex verbis Apoſtoli ad Timotheum.

Dices 1. Authores, qui tredecim primis ſæculis ſcripſerunt, non meminerunt illius Formæ.

Resp. Diſt. Aſſumpt. Non meminerunt explicitè, dicendo illa verba eſſe Formam Epiſcopatus: C. non meminerunt implicitè: N. Quomodo enim id per Traditionem haberet Tridentinum? Quomodo dicere poſſet non fruſtra Epiſcopos dicere: *Accipe Spiritum Sanctum?* Cùm non daretur per hæc verba Spiritus Sanctus, ſi alia eſſet Forma.

Dices 2. Illa verba: *Accipe Spiritum S.* ſunt valdè generalia, nec denotant poteſtatem Epiſcopis communicandam.

Resp. Eſſe generalia, quia Epiſcopis confertur poteſtas generalis ad omnia ſacramentalia, & ſic non fuit opus in Forma certam poteſtatem limitare.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt, cùm per Presbyteratum duplex conferatur poteſtas, una in corpus Chriſti verum, altera in corpus Chriſti myſticum, etiam duplici conſtare Materia & Forma: undè Materia Ordinationis Presbyteralis, qua confertur poteſtas in Corpus Chriſti verum, ſeu ad conficiendam Euchariſtiam, eſt calix cum vino, & patena cum hoſtia: Forma verò ſunt hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, &c.* Materia autem ejuſdem ut collativæ poteſtatis in corpus Chriſti myſticum, ſeu ad ſententiandos in foro Pœnitentiæ fideles, eſt impoſitio manuum Epiſcopi ſuper caput Ordinandi cum his verbis tanquam Forma: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata, &c.* Eſt communior contrà quoſdam, quorum aliqui volunt totam eſſentiam hujus Ordinis conſiſtere in prima Materia & Forma, alii in ſecunda.

Prob. autem 1. Concluſio: Tam eſſentiale eſt Sacerdoti adæquatè conſtituto poſſe abſolvere, quàm poſſe conſecrare, & è contrà: ſed nec prima Materia cum Forma correſpondente, nec ſecunda cum verbis proportionatis denotat hanc utramque poteſtatem: ergo neceſſe eſt, ut Presbyteratus completus conſiſtat in utraque.

Prob. 2. Quia 1. eſſentiales ſunt Materia & Forma ante conſecrationem adhibitæ; cùm per illas verè conferatur Ordinando poteſtas conſecrandi; imò vi illius, antequam adhibeatur manuum impoſitio, proferat ver-

ba consecrationis cum Episcopo: undè in Pontificali Romano ante cæremoniam illam Candidati vocantur *Ordinandi*, post autem vocantur *Ordinati*. Præterea Patres Florentini Armenos instructuri de Materiis & Formis Sacramentorum, dixerunt Materiam Presbyteratus esse calicem cum vino, & patenam cum pane: non esset autem instructio, sed illusio, si suppressa Materia essentiali, protulissent tantùm cæremonialem. 2. Etiam essentiales esse Materiam & Formam circà Communionem usurpatas, patet rùm ex Concilio Moguntino Cap. 35. ubi legitur: *Collatio Ordinum cum impositione manuum veluti signo visibiliter traditur*: quod ad minus verum est de Presbyteratu. Tum ex Concilio Chartaginensi idem asserente. Tum denique ex Tridentin. Sess. 14. cap. 3. ubi docet quòd Extremæunctionis Ministri sint *Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum*. Si autem essentialis est manuum impositio, essentialis est & Forma ipsi correspondens.

Obj. 1. Græci conferentes Presbyteratum utuntur sola manuum impositione cum unica Forma correspondente, ut testantur omnia Græcorum Euchologia: sed Ordinario illa est valida, cùm fiat Romæ sciente Summo Pontifice, approbante, imò & quandoque Episcopatum aut Cardinalatum taliter ordinatis conferente: ergo non est essentialis instrumentorum porrectio

Resp. Dist. Cons. Ergo non est essentialis apud Græcos: C. apud Latinos: N. Pro hujus intelligentia

Recolenda sunt dicta in Tract. de Sacramentis in genere, de Materiis & Formis Sacramentorum, nempè quòd Christus determinaverit quidem Materias & Formas Ordinum formaliter & in specie, id est, res & verba proportionata ad significandam potestatem, quæ per characterem Ordinando tribuitur; non tamen materialiter & individuo, id est, illas præcisè, & in individuo, quibus utitur Ecclesia Latina, aut Græca; adeoque liberum Ecclesiæ reliquit ut pro diversitate temporum aut locorum, has vel illas in particulari designaret: & hinc factum est, quòd Ecclesia universali consentiente, solam manuum impositionem usurpaverint Græci sub unica Forma; Latini autem insuper calicis cum vino, & patenæ cum hostia porrectionem cum alia Forma; ità tamen ut geminam potestatem, quam sub gemina materia & Forma conferunt Latini, sub unica conferant Græci.

Obj 2. Florentinum assignans in Decreto unionis materiam Presbyteratus, non meminit manuum impositionis: ergo

Resp. Concilium tantùm loqui de Presbyteratu inadæquato, seu ut tantùm conferr potestatem consecrandi; quia de potestate absolvendi dixerat agendo de Pœnitentia. Similiter de Sacerdotio inadæquato, seu ut conferente solùm absolvendi potestatem, loquitur Tridentinum, cùm asserit supra, quòd Extremæ-unctionis Ministri sint *Sacerdotes ... ritè ordinati per manuum impositionem*, quia nempè potestas inungendi sequitur potestatem absolvendi, sicut Extremaunctio sequitur Pœnitentiam tanquam ipsius complementum.

Objic. 3. Per manuum impositionem non constituitur quis Sacerdos, sed Judex: ergo ante illam posita est tota Sacerdotii essentia.

Resp. Dist. Ant. Non constituitur Sacerdos ad consecrandum; C. ad sententiandum: N. unde sicut est pars essentialia Sacerdotii posse consecrare, ita & posse judicare; cùm Sacerdos adæquatè sumptus sit essentialiter & Judex & Sacrificator.

Nec replices, non posse unam partem essentiæ existere ante aliam; quia licèt hoc sit verum in physicis, non tamen in moralibus, ubi sæpè essentia coalescit ex variis successivis; undè sicut Christus diversis temporibus Apostolos constituit Sacerdotes adæquatos (nam Sacrificatores ordinavit in die Cœnæ, & judices post Resurrectionem) ità & diversis Ordinationibus id præstat Ecclesia.

Obj 4. Nec instrumentorum porrectio, nec Formæ à nobis assignatæ ante annum millesimum erant in usu, etiam apud Latinos; cùm nec in Ritualibus, nec in Sacramentariis illorum fiat mentio: ergo.

Resp. Quidquid sit de Anteced. Neg. Conseq quia sicut potuit Ecclesia ab initio ex Christi commissione Materias & Formas Ordinum in individuo determinare; ità & potuit deinceps determinatas mutare: modò tamen semper forent proportionatæ ad significandam potestatem per Ordinem tradendam: unde quando docet Tridentinum, nihil posse Ecclesiam circà Sacramentorum substantiam, loquitur de illis quæ fuerunt à Christo determinata.

Objic. 5. Manuum impositio hic essentialis, non est illa, quæ adhibetur post communionem, sed illa quæ adhibetur ante Evangelium ab Episcopo, & Sacerdotibus adstantibus, extensa super Ordinandos dextera: undè legimus in Sacramentario D. Gregorii: *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manus super caput tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxtà manum Episcopi super caput ejus teneant*. Ante solutionem

Advertendum triplicem in Ordinatione Presbyteri intervenire manuum impositionem. 1. Fit ab Episcopo silente & utramque manum super caput cujuslibet Ordinandi successivè applicante, quod & faciunt adstantes Presbyteri. Hanc sequitur immediatè allata in objectione, ubi sola dextera extenditur simul & semel super omnes Ordinando, Episcopo interim sic orante: *Oremus Fratres charissimi*, &c. 3. Fit post Communiones. Ad Argumentum

Respond. Neg. Assump. Quia si illa esset essentialis, tunc conferretur potestas Sacerdotalis; & tamen diu post, interpositis variis orationibus, cæremoniis plurimis & longo cantu, dicitur: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare*, &c. ergo supponitur necdùm esse collatam: quod sanè etiam supponit Florentinum docens, præfata verba esse Formam Presbyteratus? quandoquidem Forma Sacramentalis, utpote practica, causet quod significat, & non supponat causatum. Idem ipsum insinuat Pontificale Romanum, vocans sæpiùs aspirantes, etiam facta illa manuum impositione *Ordinandos*, quos, prolaris verbis præfatis, vocat *Ordinatos*. Sed si tunc Ordinati dicuntur, inquit Juenin: ergo non est essentialis impositio manuum post Communionem. Admittat, ut nos, ordinationem duplicem, & non faciet illam objectionem.

Ad D. Gregorium dico referre quidem illam manuum impositionem, sed non asserere essentialem: sed esto, tunc foret essentialis, jam tamen non esse, saltem apud Latinos, evidenter patet ex Florentino, & Pontificali Romano. Ex dictis

Resol. 1. Per ordinem adæquatum Sacerdotis, duplicem conferri gratiam, sicut duplex imprimitur character; quandoquidem nulla sit ratio, cur una aut altera ordinatio partialis privetur suo effectu.

Resol. 2. Si, facta prima ordinatione, moreretur Episcopus, nec posset alius succedere, ordinatum posse quidem sacrificare, sed non absolvere, cùm necdum absolvendi receperit potestatem.

Resol. 3. Ecclesiam Latinam separatim conferentem potestatem consecrandi & absolvendi, magis imitati in hoc Christi exemplum, quàm Ecclesiam Græcam.

Resol. 4. Invalidam fore ordinationem, si porrigeretur calix sine vino, aut patena sine pane; quia magis habetur ratio contentorum, quàm continentium. An autem valeret, si porrigeretur panis sine patena? Videtur affirmativa probabilior, sed non omninò certa.

Resol. 5. Presbyteratum à Latinis collatum non esse specie distinctum à Presbyteratu, quem conferunt Græci; quia licèt non omninò conveniant in Materia & Forma materialiter sumptis; conveniunt tamen in eis formaliter consideratis, seu quatenùs ordinantur ad significandum & causandum eundem effectum.

ARTICULUS II.

Quæ sint Materia & Forma Diaconatus, & reliquorum Ordinum?

CONCLUSIO I.

Sicut admisimus duplicem Materiam & Formam Presbyteratus, ità videtur admittenda duplex Materia & Forma Diaconatus, nempè traditio libri Evangeliorum cum hac Forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium*, &c. & manus impositio cum his verbis: *Accipe Spiritum S.* &c. Hæc videtur probabilior, cui tamen contradicunt aliqui volentes esse solam manus impositionem cum verbis proportionaris; & alii è contrà solam libri Evangeliorum traditionem.

Ratio Conclusionis est, quòd sint concilianda duo Concilia in speciem contraria, nempè Charraginense Quartum assignans Can. 4. manus impositionem his verbis: *Diaconum cùm ordinatur, solus Episcopus manum suprà caput ejus ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium*

rium consecratur: & Florentinum ponens expressè, ut Diaconatus Materiam, *libri Evangeliorum dationem*; & cùm neutrum ex his Conciliis, inquit Mallrius, rejiciat, id quod alterum dicit, licèt ejus mentionem non faciat, utrumque videtur retinendum ad salvandam utriusque Concilii authoritatem.

Dices 1. Manus impositionem assignari à Chartaginensi tanquam cæremonialem, non tanquam essentialem. Sed

Contra est, quòd Concilium ibi referens omnium ordinum, etiam Minorum, Materiam essentialem, solius manuum impositionis meminerit pro Diaconatu. Docet præterea Can. 5. tradi Subdiacono calicem, *quia non fit super eum manus impositio*: ergo vult id esse respectu Diaconi manus impositionem, quod est respectu Subdiaconi traditio calicis; hæc autem est Materia essentialis, ut dicemus postea.

Dices 2. Non meminit Concilium præfatum traditionis libri Evangeliorum: ergo saltem illa non est Materia essentialis.

Resp. Satis probabile esse, non fuisse tunc usurpatam, sicut nec initio nascentis Ecclesiæ; cùm ante sexcentos annos ne in uno Pontificali sive Latino, sive Græco, illius traditionis fiat mentio: unde credibile est, fuisse postea assumptam ab Ecclesia, cui reliquit Deus, ut diximus, individualem Materiarum ordinis determinationem.

Dices 3. Cur Florentinum instruens Armenos, tacuit manus impositionem, si sit Materia necessaria?

Resp. Tacuisse, sicut & fecerat agens de Presbyteratu, tum quia non erant specialiter instruendi de eo, quod semper practicaverant, & etiam tunc practicabant; tum præsertim quia sciebat non esse ipsis necessariam curiosiorem hujus rei discussionem; quandoquidem, sub quocunque signo ab eorum Ecclesia usitato conferretur Diaconatus, equidem validè conferretur, eo quòd non determinasset Christus Materiam in individuo.

Dices 4. Gregorius IX. in cap. *Presbyter* de Sacramentis non iterandis, sic loquitur: *Presbyter & Diaconus cùm ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad ejusmodi ordines conferendos, cautè supplendum, quod per errorem extitit prætermissum*: atqui si manus impositio esset essentialis omnia essent iteranda cùm invalidum fuisset Sacramentum: ergo.

Resp. Neg. Min. Et dico tunc validum fuisse partiale Sacramentum, nempè quoad collationem potestatis Evangelii legendi, sicut validum est in simili casu partiale Sacerdotium quoad collationem potestatis consecrandi, de quo etiam ibi loquitur Pontifex; & ideò benè dicit, illud non esse iterandum, sed supplendam tantùm manus impositionem, ut nempè habeatur Sacramentum totale consistens in collatione duplicis potestatis: imò si omninò cæremonialem credidisset manus impositionem, ad quid ordinasset illius suppletionem? Quòd autem dicat introductam esse ab Apostolis manuum impositionem, nihil nocet Conclusioni; cùm potuerint determinare in individuo, ut dictum est quòd Deus tantùm determinaverat in specie.

Petes: Quandonam in ordinibus duas Materias & Formas essentiales habentibus imprimatur character & conferatur gratia?

Resp. Licèt dixerimus in Presbyteratu probabiliter conferri duplicem characterem, & duplicem gratiam, eo quòd conferantur duæ potestates valdè distinctæ, & in Ecclesia Dei valdè notabiles, imò fortè notabiliores; in aliis tamen ordinibus putamus verisimiliter, conferri unicum characterem, unicamque gratiam, quando nempè pars principalior absolvitur, sive interim sit prior, sive posterior, Deo, à cujus voluntate illa omnia pendent, sic disponente, ne in rebus minoris momenti multiplicentur characteres. In Diaconatu autem credimus partem principaliorem esse traditionem libri Evangeliorum cum verbis correspondentibus, cùm det majorem accessum ad Eucharistiam, quàm altera, per quam confertur tantùm animi fortitudo & robur ad annuntiandum Evangelium, non obstantibus Diaboli, & ministrorum ejus oppositionibus.

CONCLUSIO II.

PRo Materia Subdiaconatus assignatur communiùs traditio calicis vacui, & patenæ vacuæ cum hac Forma: *Videte, cujus ministerium vobis traditur, &c.*

Ratio est; quia videtur ita determinatum tùm in Concilio Chartaginensi supra, ubi legitur: *Subdiaconus cum ordinatur quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum.* Tum in Florentino dicente: *Subdiaconatus verò confertur per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem.*

Dices 1. Traditio libri Evangeliorum est materia partialis Diaconatus: ergo etiam traditio libri Epistolarum Materia partialis Subdiaconatus. Idem dic de Forma correspondente: nam si in 1. Casu dicitur: *Accipe potestatem legendi Evangelium*; dicitur etiam in 2. *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas.*

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd munus legendi Evangelium sit essentiale Diacono, & ex Christi institutione; munus autem legendi Epistolam sit Subdiacono accidentale, & solùm ex institutione Ecclesiæ; cùm olim Diaconus caneret Epistolam: undè Amalarius lib. 2. de officiis cap. 11. *Miror, qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissimè legat lectionem ad Missam, cùm hoc non reperiatur in ministerio sibi dato in consecratione, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo:* & sic cùm hoc munus sit Subdiacono accidentale, dicimus & cæremoniam, per quam confertur accidentalem; è contrà in Diaconatu.

Dices 2. Hæc verba: *Accipite librum Epistolarum*, cùm exprimantur verbo imperativo, potiùs sunt Forma, quàm hæc: *Videte, cujus ministerium vobis traditur*, cùm sint instructoria.

Resp. Esse quidem instructoria, sed simul potestatis collativa, ut satis insinuat vox, *Traditur*.

CONCLUSIO III.

MAteria Ostiariatus sunt claves ab Episcopo traditæ, Forma autem hæc verba: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis, quæ his clavibus recluduntur.* Aliqui addunt tanquam Materiam partialem contactum funis campanarum sed cùm traditio funis non fiat ab Episcopo, sed ab Archi-diacono, aut altero ejus vices supplente, solùm videtur cæremonia Ecclesiastica.

Materia Lectoratus apud Latinos est liber continens certas materias novi & veteris Testamenti; Forma verò: *Accipite & estote verbi Dei relatores*, &c. Patet ex Pontificali Romano.

Dixi *Apud Latinos*; quia apud Græcos est impositio manuum cum oratione ab Episcopo super Ordinandum prolata.

Materia Exorcistatus est liber Exorcismorum, cujus loco tradi potest Pontificale vel Missale, ut notant Rubricæ. Forma sunt hæc verba: *Accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos*, &c.

Materia Acolythatus est duplex: 1. candelabrum cum cereo extincto: undè antiquitùs Cero ferarii dicebantur, cui respondet hæc Forma: *Accipite ceroferarium cum cereo*, &c. 2. Urceolus vacuus, quem tradit Episcopus dicens: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam*, &c. Quoniam autem hic assignantur duæ Materiæ, dum duabus Formis proportionatis, dubitant aliqui, quænam ex illis sit essentialis: sed cùm Pontificale referat utramque, nec appareat ratio præferendi unam alteri, utramque essentialem credimus.

ARTICULUS III.

An ad sufficientem instrumentorum traditionem requiratur contactus physicus, & an instrumenta debeant esse consecrata?

ADvertendum hic nos in Conclusione præcedenti tantùm assignasse Materiam remotam singulorum Ordinum, quorum materia proxima est præfatorum instrumentorum traditio, cujus occasione hic quæritur, an, ut sit sufficiens ad valorem Sacramenti, debeat Ordinandus physicè instrumenta tangere? Dico *Ad valorem Sacramenti*; quia necessariam esse necessitate præcepti, expressè declaratur in Pontificali.

CONCLUSIO I.

PRobabilius est, ad valorem Sacramenti requiri contactum physicum, saltem mediatum. Est contra nonnullos volentes sufficere contactum moralem, seu quòd Ordinandus extendat manum, ostendens se Materiam oblatam acceptare: quorum sententiam probabilem judicat S. Thomas 3. p. q. 34. art. 5. licèt in nostram magis inclinet his ultimis Articuli verbis ad 3. *Tamen ipsa verba Formæ videntur ostendere, quòd tactus Materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur. Accipe hoc vel illud.*

Ratio Conclusionis est, quòd potuerit Christus, à cujus voluntate pendet Sacramentorum valor, contactum physicum requirere; quod autem de facto requisierit, insinuare videtur perpetua Episcoporum sollicitudo, ut ab omnibus Ordinandis verè & realiter tangatur Materia tradita: quod sanè non tam scrupulosè curarent, si tactum moralem crederent sufficere. Præterea impositio manus ab Episcopo super caput Ordinandi debet esse physica, quidni & physicus instrumentorum tactus? Accedit, quòd, juxtà communem & usitatam verbi *Accipe* significationem, requiratur ut is, qui dicitur accipere, ad minimùm tangat rem oblatam. Imò nisi praxis contrarium hic insinuaret, deberet Ordinandus instrumenta non solùm tangere, sed etiam manu comprehendere; cùm id importet ly accipere.

Dices: In traditione certorum Officiorum Ecclesiasticorum aut civilium sufficit tactus moralis instrumentorum ad hoc ordinatorum: ergo & hic, ubi traditur potestas ad ministeria Ecclesiastica.

Resp. Dissimulato Ant. de quo suo loco, Neg. cons. quia in his, quæ pendent à voluntate, nulla est rationis paritas. Quænam autem videatur esse circà hoc Christi voluntas, diximus suprà.

Dixi in Conclusione; Saltem mediatum; quia non videtur invalida Ordinatio tangentis instrumenta cum velo aut chirotheca; cùm verè accipiat: quamvis & hoc in praxi vitandum utpotè non omninò certum.

CONCLUSIO II.

ILlicita esset Ordinatio tam ex parte Ordinantis, quàm Ordinandi, si instrumenta, seu vasa, consecrari solita, ut sunt calix & patena, non essent consecrata.

Ratio est; quia violaretur Ecclesiæ praxis & usus in cæremonia magni momenti. An autem esset invalida? Disputant Authores: Pro negativa facit, quòd vasorum consecratio videatur cæremonia purè Ecclesiastica, & aliundè non sit credibile, consecrasse Christum in vasis consecratis; dicere autem consecrasse illa per manuum suarum contactum, est dicere consecrasse omnia quæ tetigit: in quo non est verisimilitudinis apparentia. Pro affirmativa confert quòd vasa illa non sint Ecclesiastica, nisi sint consecrata; & licèt validè possit in illis consecrare Sacerdos, non sequitur posse validè Subdiaconum per illa ordinari; cùm potuerit Ecclesia determinans in individuo ex Christi commissione Materiam Subdiaconatus, vasa consecrata requisivisse, undè cùm res sit dubia, dubia haberi deberet talis Ordinatio.

QUÆSTIO V.

Quæ sint munia & obligationes Ordinatorum?

QUoniam ad Ordines prærequiritur Tonsura, ideò non incongruè etiam Tonsuratorum munia & obligationes præmittemus.

CONCLUSIO I.

MUnia Tonsurati sunt 1. in Ecclesia canere; & ideo Psalmista vocatur in jure Canonico. 2. Coronam & habitum clericalem gestare. 3. Vitam & mores honestiùs componere. Duo tamen prima non inducunt specialem obligationem, saltem his temporibus & locis, ut satis declarat praxis contraria authorizata, aut tolerata. Tertium postulat ex decentia, novi status sanctitas.

Obligationes Tonsurati sunt sequentes. 1. Debet esse vir baptizatus, confirmatus, septennis ætate, nulla censura aut irregularitate ligatus. 2. Debet nosse rudimenta Fidei, sicut modum legendi & scribendi; aliàs usus prudentissimus Ecclesiæ sese opponit eorum promotioni. 3. Non poterat olim Clericatum abjicere, ut patet ex Can. 7. Concilii Chalcedonensis abjicientem anathematizantis. Imò idem sentiebat sæculo XIII. S. Raymundus de Pennafort, ut patet ex ejus Summa pag. 50. ubi ait: *Quòd si aliquis accepit primam Tonsuram tantùm, numquid potest eam deserere? Credo quòd non; quia Clericus, & Clericus quilibet compellitur per Anathema vivere clericaliter.* Contrarium tamen paulo post introductum est; ita ut nec Tonsuratus, imò nec Minorista, reprehendatur ut Apostata, si ad nuptias convolaverit.

Sicut suas habet obligationes Tonsuratus: ità & sua habet privilegia. 1. Gaudet privilegio Fori, ut non possit sub sæculari Judice conveniri. 2. Privilegio Canonis *Si quis suadente, &c.* 3. Fit capax Beneficii Ecclesiastici. 4. Eximitur à sæcularium collectis. Non gaudet tamen privilegio Fori, nisi Tonsuram & habitum clericalem deferat. Vide Tridentinum Sess. 23. cap. 6. de Reform.

CONCLUSIO II.

MUnia Minoristarum sunt sequentia: 1. Ostiarii erat, Ecclesiæ fores aperire & claudere; dignos admittere, indignos repellere: indigni autem reputabantur olim, non solùm Ethnici omnes, sed etiam Energumeni, Interdicti, Excommunicati, Flagitiosi, & publicè Pœnitentes; Cathechumeni autem admittebantur ad offertorium usque; quod propterea dicebatur Missa Catechumenorum. Item eorum muneris est campanas pulsare, res sacras, sicut & fidelium deposita custodire.

2. Lectoris officium est ex utroque Testamento in officiis divinis legere, vel simpliciter recitando, vel etiam canendo non tamen populo prædicare, quod est ad summum Diaconi, & ideò ly prædicat positum in Pontificali Romano, sumitur pro recitare, clarè, distinctè. Etiam olim Lectoris erat panes & fructus novos à fidelibus oblatos benedicere, sicut & Cathecumenos Fidei rudimenta edocere: sed hæc in desuetudinem abierunt.

3. Exorcistæ munus est, Dæmones è corporibus obsessis expellere ritibus & Exorcismis ab Ecclesia approbatis, & non à se, aut ab aliis inventis. Scire autem debet, facilè in his materiis fraudem reperiri, præsertim apud fœminas quæ ex qua, nescio, phantasia sese obsessas dicunt, cùm reverà non sint.

4. Acolytho convenit, cereos præparare, accendere, deferre in Missæ Sacrificio, & alibi: undè etiam Ceroferarius dicitur. Item & præsertim urceolos cum vino & aqua pro Missis præparare, ac Ministris offerre, non tamen in calicem immittere in Missa solemni: quod est Subdiaconi.

Obligantur Minoristæ, si saltem Beneficium habeant, deferre Tonsuram & habitum clericalem; quia justum est, ut qui ex Ecclesiæ proventibus aluntur, Ecclesiæ signa deferant: undè Trident. Sess. 14 cap. 6. de Reform. *Etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen, Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.* Imò vult posteà, ut Clerici beneficiati (idem est de iis qui sunt in Sacris) si per edictum Episcopi publicum fuerint moniti, & tamen vestes congruentes non habuerint ab ordinibus, Officio, Beneficio, & fructibus suspendantur; imò Officio & Beneficio priventur, si semel correpti, denuò deliquerint. Volunt tamen Authores à mortali fore excusandos, si id fiat per breve tempus, præsertim si aliquod signum sui status conservent: sicut & quando intervenit justa causa.

Dixi: Si saltem beneficium habeant; quia Minoristæ simplices, qui nec Officium, nec Beneficium habent Ecclesiasticum, non videntur peccare, saltem mortaliter, attenta præsenti Ecclesiæ constitutione.

CONCLUSIO III.

MUnia Subdiaconi sunt sequentia, primò & præcipuè deservire Missæ Sacrificio, patenam & calicem Diacono ministrando, & aquam modicam vino, quod infudit Diaconus, super infundendo. 2. Epistolam in Missa solemni canere. 3. Oblationes populi recipere. 4. Crucem in Processionibus deferre.

Obligationes ejus sunt. 1. Habitum & Tonsuram clericalem deferre sub iisdem pœnis, sub quibus tenentur Minoristæ beneficiarii. Patet ex Trident. sup. 2. Horas canonicas quotidie persolvere, ad quod etiam tenentur Diaconi, Presbyteri, imò & simplices Clerici beneficiati, ut suo loco fusè diximus. 3. Castitatem perpetuam servare, absti-

abstinendo non tantùm à nuptiis, sed etiam ab omni actu & delectatione venerea, etiam merè interna, ut abundè declaratur Cap. *Ut Clericorum*, de vita & honestate Clericorum, & alibi. Hæc tamen obligatio, quæ etiam communis est Diaconis & Presbyteris, non oritur vi ordinis præcisè, cùm Orientalium ordinatio sit vera, & bona, & tamen non habeat annexam obligationem illam; imò permittit Ecclesia Romana Græcis etiam suæ communionis, uxorem uxorisque commercium: ex quo sequitur ulteriùs nec oriri ex præcepto divino; aliàs non posset Ecclesia id permittere: unde concludendum est originem habere ex lege Ecclesiastica: quòd non obscurè declarat Trident. sess. 24. can. 9. ubi legitur: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos ...... posse matrimonium contrahere .... non obstante lege Ecclesiastica, Anathema sit*. Quod adhuc clariùs expresserat Concilium Eliberitanum Can. 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus abstinere se à conjugibus suis, & non gerare filios*, ubi prohibet Ecclesia, ne ad suas, cum quibus ante ordinationem contraxerant, præsumant accedere, & ita sentit D. Thomas a. 2. q. 88. art. 11. *Non est essentialiter annexum*, inquit, *Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ*.

Petes 1. Quandonam cœperit hæc obligatio in Ecclesia Dei?

Resp. Apostolorum tempore, saltem quoad Presbyteros & Diaconos, ut patet ex Concilio Chartaginensi II. Can. 2. ubi habetur: *Placuit, Sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus ...... ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*: undè ipsimet Apostoli, qui ante vocationem uxores habebant, si unicum Joannem excipimus, ad Apostolatum assumpti, omnia reliquerunt, adeoque & uxores, & carnale commercium.

Dixi: *Saltem quoad Presbyteros & Diaconos*; quia volunt aliqui, quòd sicut Subdiaconatus non fuit semper Ordo sacer, modo superiùs explicato, ita nec semper fuit ipsi annexa præfata continentia, sed debile est Argumentum illud; cùm fuerit annumeratus ordinibus sacris ab Urbano II. non propter continentiam servandam, sed ut ex Subdiaconis eligi possent Episcopi, qui, juxta Canones, non nisi ex ordinibus sacris poterant assumi: undè dicendum, etiam ab initio præceptam fuisse Subdiaconis continentiam, ut declarant hæc citati Concilii verba, *vel qui Sacramentis divinis inserviunt*, sub quibus, ut patet ex textu, ad minus intelliguntur Subdiaconi: undè can. 27. Apostolorum permittitur tantùm Lectoribus & Cantoribus, per quos Minoristæ omnes intelliguntur, accipere uxores. Fatendum tamen posteà diversis in locis non fuisse in usu legem continentiæ respectu Subdiaconorum.

Petes 2. Cur aliquando in jure, & à Theologis Moralibus & Scholasticis dicatur votum obligatio continentiæ servandæ annexa ordinibus sacris?

Resp. Vocari Votum similitudinariè; in quantùm sicut emittens Professionem Religiosam, spontè & voluntariè sese obligat ad castitatem perpetuam, sibique interdicit matrimonium; ita & assumens ordinem sacrum; cùm possit ordinem illum non assumere, adeoque nec obligationem continentiæ illi annexæ: undè quando dividunt votum in simplex & solemne, solemnique annumerant, susceptionem ordinis sacri, sicut Professionem Religiosam, ideò sic loquuntur, quia obligationem illam suscipiunt Subdiaconi, & alii, non privatim & secretò, ut fit in voto simplici, sed publicè & coram omnibus, sicut in Religiosa Professione. Et certè quomodo esset votum propriè; cùm expressè nolens vovere; tamen obligationem illam assumat, ubi sacrum assumit Ordinem? An ergo nolens promittere, promittit? Si dicas promittere tacitè, in quantùm assumit statum, cui scit annexam esse talem obligationem: Dicam ego posse ignorare annexionem illius obligationis; sed esto, noverit, etiam novit obligationem illam esse annexam, non quia promittit, sed quia Ecclesia sic statuit; & sic tota obligatio refundenda est in præceptum Ecclesiasticum, & non in votum.

Confirm. Quia sicut assumens Christianismum tenetur certis diebus jejunare, non quia vovit; aliàs non jejunando committeret sacrilegium, quod nemo somniavit; sed quia voluit Ecclesia, ut jejunarent Christiani; ita assumens sacros Ordines tenetur specialiter continens esse, non quia illud promisit, sed quia Ecclesia id ab illo exigit.

Petes 3. An in infantia Ordinati ligentur hoc vinculo?

Resp. Neg. Quia cùm continentia perpetua sit res valdè ardua, nullus potest ad id ab Ecclesia obligari, nisi volens. Imò nec obligatur coactus per metum gravem & injustum, licèt, ne grave malum intentatum incurreret, in Ordinationem consenserit; quia votum sic emissum declaratur nullum, adeoque non obligare cap. *Perlatum*: ergo à fortiori præceptum Ecclesiæ.

CONCLUSIO IV.

MUnia Diaconi sunt præsertim quinque. 1. Sacerdoti sacrificanti immediatè assistere, & Ministrare. 2. Evangelium in Missa solemni canere. 3. Ex commissione Episcopi aut Parochi solemniter baptizare, non tantùm in extrema, sed etiam gravi necessitate. 4. De licentia Episcopi populo prædicare. 5. Ex commissione Parochi Eucharistiam fidelibus ministrare, saltem si adsit necessitas. Diaconi autem obligationes sunt eædem ac Subdiaconi.

CONCLUSIO V.

MUnia Presbyteri inter alia quatuor assignantur communiter. 1. Eucharistiam conficere. 2. Fideles absolvendo aut ligando sententiare, ubi accesserit jurisdictio. 3. Alia Sacramenta, Ordine & Confirmatione exceptis, ministrare, non tamen sine Episcopi aut Parochi commissione. 4. Populum in Missa benedictione simplici benedicere. Dico simplici; quia solemniter benedicere, cum Adjutorium nostrum, &c. Episcoporum est in suis Diœcesibus, Archiepiscoporum in tota Provincia tempore visitationis, Legatorum in termino suæ Legationis, & Abbatum in Ecclesiis sibi de jure concessis.

Obligationes Presbyteri sunt, ut de Subdiaconis diximus, continentiam servare, Officium divinum persolvere, habitum clericalem gestare, imò & talarem: undè Concilium Mechlin. anno 1570 *Pileum Sacerdotalem, & vestem gestent talarem*: quod posteà Concilium Rhemense anno 1583. ad omnes Clericos extendit Cap. 16. *Veste Ecclesiastica*, inquit, *eaque talari ac decenti utantur omnes Clerici, nec sine illa pallium breve aut longum deferant, aut nunquam prodeant in publicum*; quod à fortiori servandum est pro Missæ celebratione; cum id insinuet Sacrificii majestas, & Sacrificantis dignitas.

QUÆSTIO VI.

Quis sit Minister Ordinis, seu Ordinationis?

QUæstio hæc diversas continet materias, pro quibus discutiendis pono sequentes Articulos.

ARTICULUS I.

Quot ad Ordinationem Episcopalem requirantur Episcopi?

CONCLUSIO I.

AD Ordinationem Episcopalem requiruntur ex præcepto Ecclesiæ tres Episcopi, ita ut ordinans & ordinatus sine tali assistentia peccarent graviter.

Prob. Ex Concilio Nicæno I. Can. 4. ubi postquam dixit convenire, Episcopum ab omnibus Provinciæ Episcopis ordinari, subdit: *Tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus*. Quod & præcepit Concilium Chartaginense II. can. 12. & Chartaginense III. can. 39. Idque confirmat religiosa omnium Ecclesiarum observantia. Tempore tamen Apostolorum sufficiebant duo; cùm Canone 1. Apostolico dicatur: *Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinetur*.

CONCLUSIO II.

NOn est tamen necessaria necessitate ordinis trium Episcoporum assistentia, sed sufficit ad illius valorem, si unicus assistat & ordinet. Est communior & verior.

Prob. 1. Quia Can. Apostolorum citato requiruntur duo aut tres: ergo tres non sunt absolutè necessarii. Duo, inquis, requiruntur, sed præter Metropolitanum; verùm cùm ostenderis mihi fuisse initio Ecclesiæ Metropolitanos in omnibus Provinciis, ubi ordinati sunt Episcopi, libenter tibi dabo manus. Imò non est verisimile Aposto-

os per orbem dispersos, ubi primò ad certam Provinciam pervenirent, ibique aliquem in Episcopum consecrarent, adhibuisse alios Episcopos; cùm nulli ibi reperirentur, nec aliquos, secum ideò duxisse legatur: undè Clemens lib. 8. constit. Apost. cap. 33. *Quod si necessitas postulet, ab uno ordinari* (Episcopum) *eo quòd propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum*; & consequenter sufficit unicus. Aliorum autem commissionem requirit, non quasi necessariam necessitate Sacramenti, sed statuti Ecclesiastici. Corruptus est, inquit Gonet, hic locus; sed qua facilitate id affirmatur, eadem negatur.

Prob. 2. Ex Pontificali Rom. ubi, licèt ad ordinationem Episcopalem tres requirantur Episcopi, unicus tamen dicitur Consecrator, alii autem solùm Assistentes: quod signum est, eorum concursum esse solemnitatis, non necessitatis.

Prob. 3. Non potest dispensare Papa in essentialibus Sacramento: sed sæpè dispensatum est, ut Episcopus consecraretur ab unico Episcopo: ergo. Prob. Min. quia, ut referunt Salmanticenses Tract. 8. de ordine cap. 4 authoritate Alexandri VII consecratus est in Episcopum Megarensem Alexander de Canapo ab unico Carmelita Episcopo, Assistentibus duobus Presbyteris Lusitanis. Item concessit Gregorius XIII. teste Henriquez Tom. 4. cap. 20. ut Patriarcha Æthiopiæ Jesuita, solus Episcopos consecraret. Imò P. Herinx asserit se vidisse & retinuisse duo Transumpta Innocentii X. quorum uno concedebat, ut Jacobus De La Torre consecraretur Archiepiscopus Ephesinus à solo Episcopo Neritensi posteà Alexandro VII. modò assisterent duo in Ecclesiastica dignitate constituti: & altero permittebat Suffraganeo Leodiensi, consecrari in Episcopum Dionysiensem à quolibet Antistite Catholico, modò concurrerent duo Abbates Mitrati.

Obj. 1. Anicetus Epist. ad Episcopos Galliæ relata Tom. 1. Conciliorum, refert ex Anacleto D. Jacobum primum Hierosolymorum Antistitem ordinatum fuisse à SS. Petro, Jacobo, & Joanne, ac deindè subdit: *Si autem non minùs, quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus, patet profectò eos formam instituente Domino, tradidisse, non à minus quàm à tribus Episcopis Episcopum ordinari debere*: ergo si tres requiruntur ex institutione divina, etiam ex necessitate Sacramenti requirantur.

Resp. Cum Glossa in cap. *Porrò* dist. 66. *Quòd non ordinaverunt eum*, cum jam esset, sicut alii Apostoli, à Christo ordinatus, *Sed tantùm formam ordinandi aliis ostenderunt; vel quòd inthronizaverunt eum ad ministrationem certi loci; prius enim erat Episcopus sine titulo*: Undè cùm, instituente, id est, jubente Domino, tantùm astiterint solemnitati, non ordinationi, nihil indè contra nos inferri potest.

Obj. 2. Joannes III. Epist. unica inserta Tomo 2. Concil. sic loquitur. *Omnia quoque maxima Concilia affirmant eum non esse Episcopum, qui minùs quàm à tribus Episcopis, authoritate etiam Metropolitani, fuerit factus*; ergo.

Resp. Dist. Ant. Affirmant non esse Episcopum quoad characterem: N. quoad usum, in quantùm talis est ab Ecclesia deponendus à dignitate, & habendus quoad exercitium, ut non Episcopus: C. Sic autem intelligi debere, patet ex Concilio Rhemensi Cap. 1. ubi ordinatio Armentarii à duobus tantùm Episcopis, dicitur quidem irrita, sed tamen permittitur ipsi confirmare baptizatos: quod necessariò supponit characterem Episcopalem; & ideò tantùm est irrita, quoad usum, in quantùm prohibente Ecclesia in pœnam delicti, nihil potest pontificaliter agere, nisi ipsi specialiter permittatur. Deindè sic requiruntur ibi tres Episcopi, sicut authoritas Metropolitani: sine autem hujus consensu validam esse ordinationem, dubitat nemo.

Eodem modo responderi debet ad Damasum I. Papam Epist. 5. contrà Chor-episcopos, ubi sic habetur; *Quòd enim Episcopi non sint, qui minùs, quàm à tribus sunt ordinati Episcopi, omnibus patet*. Dicuntur quidem ab aliquibus spuriæ Joannis & Damasi Epistolæ; sed, quidquid sit, authoritatem sumpsisse ex Litteris Leonis III. asserit Morinus exercitat. 4. cap. 2. n. 13.

Obj. 3. Non potest ordinari Presbyter à Presbytero, nec Diaconus à Diacono: ergo nec Episcopus ab Episcopo; quia ut ait Apost. Hebr. 7. *Quòd minus est, à meliore benedicitur*: ergo requiruntur plures, qui simul considerati, meliores sunt seu digniores unico.

Resp. Argumento nullam vim inesse; aliàs sicut non potest Presbyter à tribus Presbyteris, nec Diaconus à tribus Diaconis ordinari, nec posset Episcopus à tribus Episcopis. Debet quidem alium benedicens propria authoritate esse melior, seu dignior; non tamen si benedicat authoritate Dei seu ut ejus Minister.

ARTICULUS II.

Quis sit Minister Ordinis sacerdotalis?

CONCLUSIO I.

MInister ordinarius ordinis sacerdotalis est solus Episcopus, nempè consecratus. Ita Concilium Florentinum in Decreto unionis, ubi Episcopus dicitur *Ordinarius Minister hujus Sacramenti*, & consequenter Sacerdotii. Hocque confirmat perpetua Ecclesiæ Græcæ & Latinæ praxis.

Ratio à priori est voluntas Christi: ratio autem congruentiæ, quòd sicut est Principis supremi distribuere per se excellentiora Status sui officia, ità & Episcopi, qui in sua Diœcesi est quasi Princeps supremus spiritualis, creare per se præcipuos Ecclesiæ suæ Ministros.

Dices 1. Potest Episcopus Episcopum consecrare: ergo & Presbyter Presbyterum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Presbyter ratione ordinis habeat superiorem, nempè Episcopum, non sic Episcopus; cùm Episcopatu non detur ordo superior; & sic vel debet ab Episcopo ordinari, vel ordinari non posset.

Dices 2. Plus est conficere Christi corpus, quàm ordinare Sacerdotem: potest Presbyter primum: ergo & secundum.

Resp. Neg. Conseq. Et dico illud Axioma: *Qui potest plus, potest minus*, solùm verificari, quando minus continetur sub majori: sub potestate autem consecrandi, non posuit Christus potestatem ordinandi, saltem Presbyteros. Hinc

Dixi in Conclusione: Nempè consecratus; quia ante consecrationem non est verè & completè Episcopus; & ideò solùm electus & confirmatus, licèt permittere possit suis subditis, ut ab alio Episcopo consecrato ordinentur, non potest tamen illos ordinare; quia primum est jurisdictionis, quam statim à confirmatione recipit, secundùm verò est ordinis; & ideò post consecrationem factus Hæreticus, excommunicatus, imò & degradatus, adeoque privatus jurisdictione, potest adhuc, ratione ordinis, & characteris indelebilis, ordinare.

CONCLUSIO II.

NOn potest Sacerdos, etiamsi accederet dispensatio Pontificis, esse Minister extraordinarius hujus ordinis. *Est* communis & omninò tenenda cum D. Thom. 3. p. q. 38. art. 1. ad 3.

Ratio est; quia si illam dispensandi facultatem in seipsis agnovissent Summi Pontifices, jam dudum debuissent in necessitate illam concedere: nullibi autem legitur unquam concessa, nequidem remotissimarum Regionum Missionariis, licèt Episcoporum penuria, & aliundè animarum salus videretur id exigere.

Dices 1. Olim Chor-episcopi poterant de licentia Episcopi ordinare Presbyteros: sed illi erant Sacerdotes simplices: ergo. Prob. Maj. ex Can. 13. Concilii Ancyrani sub Sylvestro Papa; ubi, juxta interpretationem Gentiani Herveti, sic legitur: *Chor-episcopo non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque Urbis Presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit*. Idem habetur alibi. Prob. etiam Min. 1. Quia de Chor-episcopis, & Presbyteris dicitur in Concilio Hispalensi II. cap. 7. *Juxtà Canones unum sunt*, id est, sunt quid idem 2. Quia Chor-episcopi tantùm erant pro pagis & villis: sed juxtà Canones: *Non oportet in villulis vel in agris constituere Episcopos*: ergo 3. Quia *Chor-episcopi*, ut loquitur Concil. Neocæsariense Can. 14. *sunt quidem in figura Septuaginta*: Septuaginta autem Discipuli non erant Episcopi. Hoc totum confirmat Isidorus lib. 2. de officiis ecclesiast. cap. 6. ubi ait: *Chor-episcopi, id est, Vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum septuaginta Discipulorum, tanquam Sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. Hi in villis & vicis constituti gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas: Presbyteros & Diaconos ordinare non audeant, præter conscientiam Episcopi.*

Resp. Duplicis generis fuisse Chor-episcopos; alios, qui non erant verè Episcopi, sed tantum Episcoporum Coadjutores in villis & pagis, erantque instituti ad instar septuaginta duorum Discipulorum, sicut nunc ferè Decani Rurales: & illis,

& illis, qui erant Chor-episcopi per se, nunquam licuit ordinare Presbyteros aut Diaconos, etiam accedente Episcopi commissione. Alios verò, qui de facto insigniti fuerant charactere Episcopali, sed quia in aliquo deliquerant, aut Canones violaverant, v. gr. permittendo se ab uno, aut duobus tantùm Episcopis ordinari, suspensi ab Episcopali dignitate quoad usum, ut suprà diximus, redigebantur ad Officia Chor-episcopi per accidens, poterant ex commissione Episcopi loci, Presbyteros ordinare. Ex quibus patet Isidorum suprà, non satis inter hos & illos distinxisse.

Dices 2. Leo Magnus inquisitus à Rustico Narbonensi de Clericis ordinatis à Presbytero, qui se Episcopum mentiebatur, sic respondet Epistola 92. cap. 1. *Si ordinatio facta est de consensu Episcoporum loci, potest rata haberi*: ergo supponit esse à Presbytero Presbyterum ordinari, saltem de consensu Episcopi proprii.

Resp. Cùm non constet de quibus Clericis loquatur Pontifex, intelligi posse de Clericis Minorum Ordinum, qui sæpè, imò sæpiùs veniunt nomine Clericorum, & sic nihil inde contra Conclusionem. Fortè autem tunc ex concessione Apostolica poterant certi Episcopi ob magnam suæ Diœcesis extensionem, permittere Presbyteris Ordinum Minorum collationem.

ARTICULUS III.

Quis sit Minister aliorum Ordinum?

CONCLUSIO I.

MInister ordinarius aliorum Ordinum est solus Episcopus.

Ratio est; quia Florentinum suprà asserit sine ulla alicujus Ordinis distinctione: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus*. An hic autem permittere possit Presbytero Ordinum Minorum collationem? Videtur quòd non; cùm hoc nullibi reperiatur Episcopis concessum: & ideò si quid simile reperiatur factum, accesserat dispensatio Papalis, ut anteà diximus.

CONCLUSIO II.

POtest Presbyter, dispensante Papa, esse Minister extraordinarius Minorum Ordinum, imò & Subdiaconatus. Est satis communis hoc tempore quoad utramque partem, licèt contradicant aliqui quoad secundam, innixi authoritate D. Thomæ q. 38. art. 3. ad 3. id concedentis quantùm ad Minores Ordines, sed negantis quantùm ad Subdiaconatum; quia Majores ordines *habent immediatam relationem*, inquit, *ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quàm simplex Sacerdos*. Sed si vidisset S. Doctor tot & tot dispensationes à tot & tot Pontificibus posteà factas, aut confirmatas, certè aliud sensisset, nedùm cogeretur, ipsos Sacramentum hoc exposuisse periculo nullitatis.

Prob. 1. Pars ex cap. *Cùm contingat*, de ætate & qualitate ordinandorum, ubi Innocentius III. id docet terminis apertis de Tonsura, & Lectoratu, & consequenter de aliis Minoribus, cùm non videatur alia ratio pro uno, quàm pro alio undè Cardinales tantùm Presbyteri ex recepta consuetudine ordines illos conferunt suis Familiaribus: quod & faciunt Abbates multi, ut dicemus posteà.

Prob. 2. Pars; quia non est præsumendum velle Summos Pontifices exponere Sacramenta periculo nullitatis: ergo cum dispensaverint in collatione Subdiaconatus cum variis Abbatibus, & Missionariis dicendum est certò credidisse illam potestatem inesse Presbyteris, ubi accederet eorum concessio. Secuti sunt, inquis, sententiam probabilem, sicut quando dispensarunt in Matrimonio rato, & in voto castitatis cum Religiosis: sed nunquid sententiæ probabilitas auferet periculum nullitatis Sacramenti? Aliud est in Matrimonio & Voto. Id fecerunt, addis, in necessitate; sed quænam necessitas id concedendi Abbatibus in Provinciis, ubi sunt Episcopi?

Dices; Si id concedere possent Summi Pontifices, vel ratione jurisdictionis, vel ratione ordinis: si ratione ordinis, id etiam poterunt Episcopi, cùm ratione illius sint æqualis potestatis: si ratione jurisdictionis: ergo illa se extendit etiam ad actus, qui respiciunt Corpus Christi verum, saltem mediatè, & non tantùm mysticum.

Resp. Id posse ratione concessionis sibi à Christo factæ; & ex Antecessoribus successivè sibi per Traditionem communicatæ: undè fortè ideò Florentinum assignans ordinis Ministrum, dixit: *Ordinarius Minister est Episcopus*, insinuare volens, quòd extraordinarius posset esse Presbyter, sicut potest esse Sacramenti Confirmationis, cujus Minister ordinarius est etiam Episcopus.

CONCLUSIO III.

POtest etiam Presbyter ex concessione papali, conferre sacrum Diaconatus ordinem. Hæc non est ita communis; quia multi id concedentes de Subdiaconatu, negant de Diaconatu, eo quòd valdè propè accedat ad Eucharistiam Diaconus, cùm possit illam tangere, imò & fidelibus distribuere; sed nunquid etiam id faciebant in primitiva Ecclesia fideles laici, cùm accepta in Templo Hostia in linteo mundo, seipsos domi communicabant? Non faciebant quidem ex officio, sed tamen licitè faciebant; & consequenter non videtur ratio illa sufficiens, ut non possit Pontifex collationem Diaconatus Sacerdoti permittere.

Prob. Igitur Conclusio; quia de facto Summi Pontifices id Presbyteris concesserunt, & ab ipsis practicari certa scientia noverunt; cùm Cisterciensium Generalis Romæ anno 1662. sciente & annuente Alexandro VII. & Gandavi in Flandria anno 1663. subditos suos ordinaverit Subdiaconos & Diaconos: idque vi concessionis Apostolicæ factæ ab Innocentio VIII. cuidam Joanni Abbati Ordinis Cisterciensis, & aliis quatuor Abbatibus ejusdem instituti. In Bulla autem concessionis, quæ est quinta, Innocentii in Bullario Rodriguez, privilegium exprimitur his verbis num. 6. *Ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus & Diaconatus Ordinibus, extra Claustrum hinc indè discurrere cogantur, tibi & Successoribus tuis, & quibuscumque dicti Ordinis Monachis, aliis verò quatuor Abbatibus præfatis ac eorum Successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus & Diaconatus Ordines hujusmodi aliàs ritè conferre...... possitis, & possint, Authoritate Apostolica, & ex certa scientia tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus*. Eamdem facultatem concessam fuisse Prælatis Francíscanis in India, testantur viri fide digni, ut asserit N. Hetinx, post Tannerum & Vasquez. Summos autem Pontifices id concedendo errasse, ac limites suæ potestatis excessisse, & quidem sine necessitate, in re adeò gravi, & à qua pendet valor Sacramenti, dicat qui voluerit, non dicam ego: nec dicerent D. Thomas & Scotus, si nunc viverent: licèt suo tempore contrarium senserint.

ARTICULUS IV.

Quinam de facto habeant ex privilegio juris, potestatem Ordines conferendi?

NOn loquor de particularibus personis, quibus ex favore speciali id concedit quandoque unus aut aliter Pontifex, sed de iis, quibus id competit ex jure, ratione status aut dignitatis.

CONCLUSIO I.

POssunt Cardinales Presbyteri primam Tonsuram, & Minores Ordines suis Familiaribus, seu domesticis conferre. Patet ex consuetudine à Summis Pontificibus recepta.

Dico: *A Summis Pontificibus recepta*; quia sola consuetudo, etiam à tempore immemoriali, non potest in hoc præscribere; cùm potestas conferendi ordines sit effectus ordinis, aut legitimæ delegationis, quæ à solo Papa potest procedere.

CONCLUSIO II.

POssunt omnes Abbates habentes jurisdictionem Episcopalem, aut quasi Episcopalem, conferre primam Tonsuram, & Minores Ordines suis respectivè Religiosis. Quod & possunt Abbates Monachales, modò sint Sacerdotes, mitrati, & benedicti. Patet ex cap. *Quoniam*, Dist. 69. ubi id conceditur non obstante consuetudine, etiam longitemporis. Et ex cap. *Cùm contingat*, de ætate & qualit. Ordinand.

Dixi: *Suis respectivè religiosis*; quia potestatem, quam habebant conferendi ordines non tantùm subditis suis Regularibus, sed etiam sæcularibus, in quos jurisdictionem habebant temporalem, restrinxit Tridentinum sess. 23. cap. 10. de Reform. ad solos Regulares. Excipe tamen nisi sæcula-

culares aut Regulares extranei veniant cum dimissorialibus, illi à proprio Episcopo, hi à suo Superiore; quia exceptionem illam factam esse à Cardinalium Congregatione, referunt nonnulli.

Dixi 2. *Modò sint Sacerdotes, mitrati, & benedicti.* 1. *Sacerdotes*; quia expressè habetur cap. 1. dist. 69 *Et constet illum esse Sacerdotem*: cujus ratio est, quòd potestas conferendi ordines supponat potestatem in Corpus Christi verum, cap. *en Litteris*, de excessib. Prælat. undè nunquam legitur delegata illa potestas minori, quàm Sacerdoti. 2. *Mitrati*, id est, habentes jus Anulum, Baculum, Mitram deferendi; & ideò licèt Superiores & Prælati Ordinum Mendicantium, ut Priores, Guardiani, &c. communicent in privilegiis Monachorum, non tamen in hac facultate, quæ tantùm conceditur Abbatibus illis ratione dignitatis specialis & propriæ, cui annexum est jus præfatum. 3. *Benedicti*, nempè ab Episcopo per manus illius impositionem. Patet ex cap. *Cùm contingat*, ubi Innocentius III. concedens illis dictam facultatem, *Dummodò ipsis*, inquit, *ab Episcopo manus impositio facta noscatur*.

Si tamen Episcopus tertiò humiliter & devotè rogatus, Abbati sine justa causa benedictionem recusaverit, poterit hic Ordines præfatos suis conferre, sicut & alia sui officii exercere, cap. 1. de supplend. neglig. Prælat. Imò concessit Eugenius VI. Cisterciensibus, & Monachis S. Justinæ de Padua (quod & fecit Julius II. Congregationis Vallis Umbrosæ) ut etiam Abbates nec benedicti, nec benedicendi, eo quòd sint ad tempus v. g. triennales, possint dicto privilegio uti.

Petes 1. An Abbates ordinare possint Novitios suos?

Resp. Rem esse dubiam, negantibus aliquibus, eo quòd Novitii non sint plenè Regulares, adeoque nec plenè subditi: aliis autem affirmantibus; quia Novitii reputantur in favorabilibus Religiosi; & licèt affirmativa videatur probabilior, non est tamen ad praxim reducenda, tùm propter periculum nullitatis Sacramenti, tùm propter periculum mutationis status.

Prob. 2. An Abbates illi validè ordinare possint alios quàm sibi subditos? Dico Validè, quia certum est non posse licitè post expressam Tridentini sup. inhibitionem.

Resp. Probabiliùs neg. quidquid dicant aliqui. Ratio est; quia cùm ordinandi potestas non competat Abbatibus illis vi Ordinis, sicut competit Episcopis, qui ideò possunt non sibi subditos validè ordinare, sed tantùm vi delegationis sibi factæ, sequitur eorum potestatem intrà limites suæ delegationis coarctari; hanc autem fortè anteà universalem, modò illam exercerent in proprio Monasterio, restrinxit Tridentinum ad solos subditos Religiosos. Scio aliquos velle hoc sensu restrictam esse potestatem, ut deinceps talis Ordinatio fieret illicitè, non tamen invalidè; sed si Episcopus dedisset alicui facultatem audiendi Confessiones in sua Diœcesi, & posteà, superveniente causâ, diceret ipsi: tibi non liceat in posterùm in Diœcesi mea Confessiones excipere: numquid datam facultatem absolutè revocaret? Idem dic in nostro casu; cùm iisdem verbis revocatoriis utatur Concilium.

Si quæras cur ergo possunt extraneos accedentes cum Dimissorialibus validè, imò & licitè ordinare, etiam ex Cardinalium declaratione? Quia, ut aiunt Salmanticenses, ratione Dimissorialium fiunt subditi, pro illo actu, Abbatis Ordinantis, sicque censetur suos ordinare. Si hæc ratio non placeat, dic mentem Concilii, quam nobis exposuit S. Cardinalium Congregatio, tantùm fuisse excludere non subditos, qui accederent sine proprii Episcopi aut quasi Episcopi Dimissorialibus.

Petes 3. An Abbas electus & confirmatus in Episcopum, sed nondùm consecratus, possit Diœcesanis suis Tonsuram & Ordines Minores conferre?

Resp. Affirm. Ratio est; quia tunc potest Diœcesanos suos cum Dimissorialibus ad alios Abbates mittere, ut ordinentur, sicut diximus: ergo à fortiori potest ipsemet ordinare, cùm ad minimum sit ejusdem potestatis.

ARTICULUS V.

Quis dicatur Episcopus proprius Ordinandi?

Licèt Episcopus quilibet possit quoslibet idoneos validè ordinare, ut diximus; quia tamen graviter prohibitum est, tum Ordinariis, ut Diœcesanum alienum ordinent, tùm Ordinando, ut ab alieno Episcopo ordinetur, ita ut sic ordinatus suspendatur ab executione Ordinis suscepti, quamdiu Episcopo proprio visum fuerit; taliter autem ordinans ab Ordinum collatione per annum: quæritur quis censeatur proprius Episcopus, & à quo quis possit licitè ordinari?

CONCLUSIO UNICA.

Ille est proprius Episcopus, in cujus Diœcesi, qui ordinari desiderat, vel est oriundus, vel incola, vel Beneficiarius; ita ut acquirat quis Episcopum proprium in ordine ad Ordines suscipiendos, vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione Beneficii. Patet ex Cap. *Cum nullus*. 3. De tempore Ordinandorum in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *Superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cujus Diœcesi est hic, qui ad Ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cujus Diœcesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, licèt alibi natus fuerit, domicilium in eadem*, Ex quo sequitur habentem Antuerpiæ Domicilium, Namurci Beneficium, sed Tornaci natum, posse à quolibet locorum præfatorum Episcopo licitè ordinari, nisi quid obstet. Licèt autem illa sint certa: variæ tamen circumstantiæ occurrunt discutiendæ.

1. Censetur quis *Episcopus originis*, quando ordinandus naturaliter ortus est in ejus Diœcesi, *Dummodò tamen* (verba sunt Innocentii XII. Bulla *Speculatores*, data Romæ 6. Novemb. ann. 1694.) *ibi natus non fuerit ex accidenti occasione, nimirum itineris, Officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius moræ temporalis, seu permanentiæ ejus patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda*. Subdit autem dictus Pontifex: *At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi verè domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejus filii attendi debeat*; ita ut Episcopus illius loci sit filio Episcopus originis. Idem est si pater, relicto originis loco, domicilium acquisierit in loco, ubi non est natus filius: id est, si pater sit natus Tornaci, & domicilium acquisierit Attrebati, filius autem nascatur ex accidenti Parisiis, Episcopus Attrebatensis erit filio Episcopus originis, sicut si natus fuisset Attrebati.

Sed quis Episcopus originis parvulis expositis? Episcopus loci, ubi reperiuntur, si ignorentur parentes & locus nativitatis. Locus autem Baptismi censetur locus originis, quando non constat de alio originis loco: aliàs non; cùm hic attendatur origo naturalis, non spiritualis.

2. *Episcopus domicilii* hic reputatur, ubi quis, *licèt alibi natus fuerit* (prosequitur Innocent. XII.) *Domicilium tamen adeò stabiliter constituerit . . . . . . ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum ejusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominùs ulteriùs utroque casu verè & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet*. Requirit ulteriùs Papa, si quis in ea ætate reliquerit locum originis, qua potuit canonico aliquo impedimento irretiri, ut testimoniales Litteras Ordinarii suæ originis super suis Natalibus, ætate, moribus, & vita Episcopo Ordinanti exhibeat. Quod & vult fieri, dùm quis in loco, ubi ex accidenti natus est, potuit ratione commorationis sufficientis, præfato impedimento obnoxius esse. Quoad familiares seu domesticos Episcopi, qui non sunt aliundè ejus subditi, præcipit dictus Pontifex, ut Episcopus ipsos nec tonsuret, nec ordinet, nisi ipsos per triennium completum in suo actuali servitio secum retinuerit: ac suis sumptibus aluerit, & Beneficium insuper, quod ad vitæ sustentationem sufficiat, etiam extractis oneribus statum cessante omni fraude, ipsis conferat, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ Ordinationis.

3. *Episcopus Beneficii*, vel potiùs ratione Beneficii, est ille, in cujus Diœcesi quis habet Beneficium, non chimericum, non dubium, non litigiosum, sed verum, certum, & pacificum. *Licèt verò Clericus ratione cujusvis Beneficii* (loquitur idem Innocentius) *in altera Diœcesi obtenti, subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hanc inconcussè servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxtà morem Regionis, pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat*, id est, ut se infrà explicat, sine adjectione patrimonii.

An

An autem Beneficium debeat esse tale, ut debeat residentiam? Affirmant novissimè Genettus: sed contrarium tenuisset, si benè inspexisset Bullam citat. Innocentii XII. quam ipsemet refert in fine Tomi sui 5. postquam enim dixit Pontifex: *Licèt verò Clericus* RATIONE CUJUSVIS BENEFICII *in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi*, tantùm excludit Beneficium tenue, nulla facta mentione Beneficii à Residentia exempti, vult tamen (per quod destruit prætensum Generti abusum) ut Beneficiarius ordinandus exhibeat Ordinanti testimonium proprii Episcopi, de moribus, vita, &c. ut suprà.

ARTICULUS VI.

Quorum sit Litteras dimissoriales Ordinationis causa præbere?

CONCLUSIO I.

POssunt Episcopi ægritudine, aut alia justa causa impediti, subditis suis, priùs tamen probatis & examinatis, Litteras dimissioriales concedere, ut ab alio Episcopo ordinentur. Patet tùm ex praxi ubique recepta; tùm ex Tridentin. Sess. 23. cap. 3. de Reform. ubi legitur; *Si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quàm jam probatos & examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant*. Ubi sola quidem assignatur Episcopi infirmitas, sed quia raro alia causa potest subesse: si tamen alia justa & rationabilis occurreret, ut si Episcopus deberet Legatione fungi pro Papa, pro Rege, pro componenda pace, &c. si ex officio teneretur Pruvinciæ Statibus interesse posset idem præstare; cùm videatur par ratio.

Sed debet ne Episcopus, ad quem dimittuntur Ordinandi iterùm ipsos examinare? Potest, sed non tenetur: Potest quidem; quia jus habet videndi, an non admittat inidoneos aut incapaces: & ideò sicut non obligatur ab initio ipsos ordinare, à fortiori potest, si ineptos reperiat, reprobare. Non tenetur verò; quia stare potest examini in alia Diœcesi instituto, sicut stare potest examini Vicariorum suorum; imò nisi constaret in Diœcesi, undè mittuntur ordinandi, nimis leviter probari Candidatos, prudentiæ est novum examen non instituere.

CONCLUSIO II.

QUamquam licentia dimissorialis pro Ordinibus ab alio Episcopo recipiendis, non necessariò debeat esse scripta, modò aliundè de illa sufficienter constet; non sufficit tamen sperata rati-habitio, quidquid dicant aliqui volentes illam sufficere, ubi Episcopi sunt valdè amici, aut quando ordinandus multùm familiaris est Episcopo proprio; quia tunc facilè præsumitur, inquiunt, illius consensus.

Ratio Conclusionis est; tùm quia Tridentinum requirit Episcopi proprii licentiam; tùm quia in re tanti momenti, non est prudentiæ præsumere; tùm etiam quia si semel hoc concedatur, facilè lites ob jurisdictionis conflictum suborientur, imò & maxima inconvenientia. Et ideò sic ordinans, sicque ordinatus incurrunt pœnas initio Art. V. positas.

CONCLUSIO III.

NOn potest Capitulum Sede vacante, sicut nec Vicarii generales ab Episcopo deputati, concedere Litteras dimissoriales, nisi elapso anno ab obitu Episcopi; aut nisi quis Beneficii Ecclesiastici accepti, sivè accipiendi occasione arctatus fuerit, nempè ad suscipiendos Ordines v. g. Sacerdotium pro exercendo Pastoratu. Ita Trident. Sess. 7. de Reform. cap 10. ubi Capitulum contraveniens, Ecclesiastico subjacet Interdicto; Ordinatus verò si Ordines Minores susceperit, privatur Ecclesiastico privilegio: si Majores, suspenditur ab Ordinum executione ad nutum Episcopi futuri.

CONCLUSIO IV.

NOn possunt Abbates, etiam mitrati, dare subditis suis sæcularibus Litteras dimissoriales, ut ab alieno Episcopo ordinentur: possunt tamen subditis suis Religiosis pro Tonsura & Minoribus Ordinibus, quos possunt ipsis conferre.

Prob. 1. Pars ex Trid. Sess. 23. cap 10. *Nec ipsi Abbates, & alii exempti ... Litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium Ordinatio ..... ad Episcopos, intrà quorum Diœcesis fines existunt, pertineat*.

Prob. 2. Pars; quia sicut possunt per se independenter ab Episcopo loci subditos Religiosos ordinare, ità, & eorum Ordinationem alieno Episcopo, aut Abbati committere. Prætereà exceptio firmat legem; & consequenter prohibens Concilium suprà ne dimissorias concedant suis subditis sæcularibus, approbat, ut illas concedant suis Regularibus.

Dixi: Pro Tonsura & Minoribus; quia pro Majoribus omninò subduntur Episcopo loci, quocum expedit semper, quantùm fieri potest, pacificè in omnibus convenire.

CONCLUSIO V.

REgulares exempti dare debent subditis suis Litteras dimissoriales, vel, ut dicitur communiter, Præsentationem ad Episcopum loci, in quo situm est eorum Monasterium, nisi ille abesset, aut Ordines non conferret.

Prob. 1. Pars: nempè quòd dare debeant Præsentationem; qui, juxtà Tridentinum, nullus Regularium admitti potest ad Ordines, nisi à suo Superiore legitimè præsentetur; imò ordinatus sine tali præsentatione incurrit suspensionem à Pio II. & Sixto V. impositam, adeoque peccat graviter.

Prob. 2. Pars; nempè quod dimissoriales, seu Præsentatio dirigi debeat ad Episcopum Diœcesanum; quia ita mandavit Clemens VIII. (quod & posteà declaravit S. Cardinalium Congregatio) addens tamen præfatam limitationem; & ideò Episcopo absente, aut non ordinante, dirigi possunt præfati Regulares ordinandi ad quemcumque Episcopum cum solis Prælati sui dimissoriis, seu præsentatoriis; modò tamen exprimatur in illis, quòd Episcopus Diœcesanus vel absit, vel non ordinet, idque sub pœna privationis Officii, dignitatis, & vocis activæ & passivæ. Regularium Privilegia circà Ordinationem, eorumque tempora vide apud Salmanticenses Tom. 2. Theolog. moral. pag. 32.

QUÆSTIO VII.

Quid dicendum de subjecto Ordinis?

SUppono 1. Ordinandum debere esse baptizatum, ita ut Ordo ante Baptismum collatus sit irritus; cùm Baptismus sit janua reliquorum Sacramentorum. Hæc vide fusè examinata in Tract. de Baptismo.

Suppono 2. Debere esse in statu gratiæ, cùm id requirat omne Sacramentum vivorum: sicut, & immunem ab omni censura, & irregularitate, sive proveniat ex culpa, sive non; cùm irregularitas sit inhabilitas ad ordines suscipiendos, non quidem validè, sed licitè, imò si hoc attentet Irregularis, manet ab ordinum executione suspensus.

Suppono 3. Juxtà Tridentinum sess. 23. cap. 11. promovendum ad altiorem ordinem, debuisse anteà exercuisse munus Ordinis suscepti: *In unoquoque munere*, inquit, *juxtà præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea, cui adscripti sunt, Ecclesia*: quæ verba tamen non sunt præcepti, sed consilii; & ideò nisi superveniat Ordinarii præceptum, excusabitur à peccato, saltem graviori, omittens Ordinis suscepti ministerium. His suppositis, restant aliæ conditiones Ordinandorum exponendæ; quas sequentibus Articulis exponemus.

ARTICULUS I.

Cujus ætatis & sexus debeat esse Ordinandus?

CONCLUSIO I.

LIcèt olim variæ ætates pro recipiendis Ordinibus assignarentur; nunc tamen nulla legitur præscripta pro Tonsura, aut Minoribus. Docet quidem Trident. sess. 23. de Reform. cap. 4. solos illos esse Tonsura donandos, qui jam norunt Fidei rudimenta, sicut & legere ac scribere, Deoquè fideliter servire; sed cùm hæc notitia seriùs in his, citiùs in illis adveniat, non potest indè ætas determinata pro omnibus assignari: Undè hoc relinquitur prudentiæ Epi-

Episcoporum, sicut & pro Minoribus suscipiendis, pro quibus etiam nulla jam assignatur ætas. Monet tamen Concilium sup. nullum Tonsura aut Minoribus initiatum posse ante annum 14. Beneficium obtinere. Imò si Beneficium illud, annexum habeat certum Ordinem, Beneficiandus debet talis esse ætatis, ut intra annum à suscepto Beneficio Ordinem illum possit exercere: ita Trident. sess. 22. cap. 4. de Reform. Pro aliis autem Ordinibus sic loquitur sess. 23. cap. 12. *Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Sufficit tamen si annus postremus sit inchoatus licèt tantùm per unicam horam; & ideò natus die 4. Octobris hora 6. Potest intra 21. annos die 4. Octobris, aut 5. Si annus sit Bissextilis, ordinari Subdiaconus hora 7. Non assentior tamen illis qui volunt natum hodie hora 12. Matutina, posse intrà 21. Annos præcisè ordinari hora 9. Etiam matutina, existimantes diem inchoatum in favorabilibus haberi pro completo: & sic posse dici ex quadam juris fictione habere annum ætatis 22. inchoatum: Non assentior, inquam, quia ridiculum est, ut ille qui nec physicè, nec moraliter haber annum 21. completum, dicatur habere 22. inchoatum.

Pro Episcopatu requiritur annus trigesimus completus, Cap. *Cùm in cunctis*, de Electione. Sicut & pro Cardinalatu. Excipitur tamen Cardinalis Diaconus, qui ex Constitutione Sixti V. fieri potest anno ætatis 22.

Pœna suscipientium Ordines sacros ante ætatem requisitam (sub quibus non comprehenduntur Episcopi; cùm Extravagans Pii II. de illis non loquatur) est Suspensio, non usque ad tempus ætatis completæ solùm, ut vult Soto, sed in perpetuum, ut docent communiter DD. ita ut nunquam tollatur illa Suspensio, nisi accedat dispensatio Papalis, aut saltem Episcopalis, si delictum sit occultum, ut docet Trident. Sess 24. cap. 6. de Reform. Ministrans autem in Ordine suscepto ante obtentam dispensationem incurrit Irregularitatem Papæ reservatam. Ubi quis tamen fuisset ordinatus existimans bona fide sufficientis esse ætatis tantùm esset suspensus ab Ordine exercendo usque ad completam ætatem: qua posita, posset sine ulla dispensatione Ministrare; si autem anteà ministraret, peccaret quidem graviter ob inobedientiam, non incurreret tamen Irregularitatem; cùm hæc imponatur præsumentibus ordinari sine debita ætate sicque ministrare.

CONCLUSIO II.

DEbet Ordinandus esse sexus virilis, ita ut mulieres sint incapaces Ordinis suscipiendi, non solùm ex prohibitione Ecclesiæ, ut voluerunt aliqui Hæretici, sed etiam ex Christi institutione, qui solos viros ordinavit, solosque viros ordinandos docuit, ut patet ex perpetua & universali praxi Ecclesiæ tùm Græcæ, tùm Latinæ.

Prob 1. Ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. *Mulieri*, inquit, *docere non permitto* scilicet publicè & in Ecclesia, sicut expressius prohibuerat 1. Cor. 14. his verbis, *Mulieres in Ecclesiis taceant*. Sed si posset ordinari mulier, præsertim Presbytera, posset in Ecclesia docere; cùm hoc sit officium sacerdotale: ergo. Præterea si posset ordinari mulier, cur non ordinasset Christus B. Virginem; Cùm non esset inter mulieres sanctior, doctior, & prudentior.

Prob. 2. Ratione Scoti 4. dist. 25. quæst 2. quia non est credibile, si Christus ab ordinibus sexum muliebrem non exclusisset, ad Ecclesia sine sua culpa fuisse excludendum; cùm susceptio ordinum & sibi & aliis potuisset conferre ad salutem, sibi quidem per receptionem gratiæ sanctificantis; aliis autem per ministeria, deficientibus viris, populo exhibenda.

Dices 1. Fuerunt in lege veteri mulieres Prophetissæ, ut soror Moysis, filia Phanuel: ergo & possunt nunc ordinibus initiari; cùm hoc videatur minùs.

Resp. Neg. Conseq. Quia ille, à quo unum & aliud dependet, voluit ipsis concedere Prophetiam, non ordinem, ut constat ex Traditione. Si rationem quæras: Dicam fortè hanc esse, quòd Prophetia nullam conferat superioritatem super alios, sicut confert ordo, præsertim sacerdotalis, aut Episcopalis; non expediebat autem, ut mulier, cui dictum erat in pœnam peccati, *Sub viri potestate eris*, dominaretur viro.

Dices 2. Joanna Anglicana fuit inter Leonem IV. & Benedictum III. ad Papatum assumpta, ut etiam referunt quidam Catholici.

Resp. Hoc esse meram fabulam; cùm nequeat assignari à quo, ubi, aut quando ordines susceperit: Huic autem fabulæ occasionem dedit Joannes XII. cùm enim Joannam haberet Domesticam, & hæc inter omnes quasi dominaretur, ac nimiùm in Papatus administrationem se ingereret, dicta est à vulgo Papissa, & tandem sensim, crescente fama, inter Papas ab aliquibus fuit annumerata.

Dices 3. Fuerunt olim in Ecclesia Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ, imò & Episcopissæ: ergo.

Resp. Verisimiliùs hoc originem habere à Græcis, quorum fœminæ, quibuscum ante Ordinis susceptionem contraxerant, viri nomen gerebant; ita ut si ille esset Subdiaconus uxor diceretur Subdiaconissa, si Diaconus, Diaconissa, &c. Non diffiteos tamen fuisse Diaconissas alio sensu, nempè Sanctimoniales, quibus ob specialem Ecclesiæ benedictionem licebat Evangeliorum Homilias in choro legere, aut cantare; quæ ob quamdam officii similitudinem cum Diaconis, dictæ sunt Diaconissæ, licèt nullum Ordinem recepissent. De Diaconissis fusè tractat Juenin in suo Commentario Histor. & Dogmat. ipsum consule.

ARTICULUS II.

Qualis debeat esse intentio suscipientis Ordines?

QUæritur, quid sibi pro fine debeat proponere suscipiens Ordines?

CONCLUSIO I.

CUm status Ordinatorum debeat esse specialiter status perfectionis, in Episcopis quidem acquisitæ, in aliis autem acquirendæ, debet Ordinandus id præsertim intendere, ut abjectis sæcularibus negotiis, despectoque importuno mundi strepitu, liberiùs Deo vacet in sanctitate vitæ, morum innocentia, virtutum exercitio, omniumque fuga vitiorum, & præsertim impudicitiæ; cùm enim Sancta sanctè tractanda sint, nihil magis dedecet purissimarum serum Ministros, quam impuris succumbere passionibus, ac Munditiem ipsam immundis attingere manibus; *Erubescant impii*, inquit Innocen. III. can. *A multis* de ætat. qualit. & Ord &c. *Et intelligant judicio Spiritus Sancti eos, qui in sacris Ordinibus sunt positi, si castè non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. Nemo ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis existat.*

Dixi in Conclusione: *Id præsertim intendere*; quia maximè laudandus scopus eorum, qui Ordines suscipiunt, primariò quidem ut attentiùs invigilent suæ saluti: secundariò tamen ut quærant aliorum salutem, ad impendenda talenta sibi desuper data juxtà prudentem Episcopi sui dispositionem.

CONCLUSIO II.

NOn peccat qui suscipit Minores Ordines, vel Subdiaconatum, aut Diaconatum cum intentione non ascendendi ad ulteriores ordines, sed præcisè in eo gradu perseverandi, ac devotè ministrandi: nisi certè aliud ab ipso exigeret Beneficium.

Ratio est, quia licèt ordines omnes Instituti sint in ordine ad Eucharistiam; non tamen omnes in ordine ad Eucharistiam conficiendam, sed vel conficiendam, vel distribuendam, vel disponendam, saltem in sua materia aut subjectis, & consequenter cùm id præstet hic vel ille ordo, censetur quilibet quemlibet ordinem suscipiens, & ad altiorem non ascendens, nec Christi nec Ecclesiæ intentioni contrarius esse: undè tantùm abest, ut condemnetur S. P. N. Franciscus Diaconatu contentus, ut è contrà tanquam humilis honoretur. Imò id insinuatur cap. 5. *de Filiis Presbyterorum* in 6. ubi permittitur Episcopis dispensare eum illegitimis pro suscipiendis Minoribus Ordinibus, non tamen pro Majoribus.

Dixi: *Nisi id exigeret Beneficium*; quia tenetur Beneficiatus in omnibus secundùm mentem Fundatoris se gerese.

CONCLUSIO III.

QUi suscipit ordines primariò & principaliter ut possideat Beneficium pingue, sicque lautiùs & commodiùs vivat, non excusatur à mortali: aliud esset si Dei servitium intenderet primariò, & fructus Beneficii secundariò.

Prob. 1.

Prob. 1. Pars tùm ex D Thoma id docente de eo, qui propter emolumento temporalia Episcopatum desidetat 2. 2. quæst. 185. atticul. 1. quidni & de eo, qui Presbyteratum aut alium ordinem inferiorem? Tùm ex eo quòd sit gravis deordinatio res adeò sacras, ut sunt Sacramenta, ad divitias, vitamque molliorem primariò & principaliter ordinare: undè videtur in te momentola à frui utendis, & uti fruendis, assumendo medium pro fine, & finem pro medio: contrà quos mirabiliter invehit Doctor Seraph. Opusc. de præparat. ad Miss. cap. 8. *Væ, væ, væ*, inquit, *Domine Deus, quanti hodie infælices ad sacros Ordines accedunt, & divina Mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes: non spiritum, sed lucrum. non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum: non Christo servire mundo corde & corpore in sacris Mysteriis, sed deliciarii, ditari, superbire, & luxuriari de Patrimonio Christi, & de eleemosynis pauperum, &c.*

Prob. 2. Pars; quia non apparet ibi tanta deordinatio; cùm primariò intendat finem, ad quem instituti sunt ordines, nempè Dei servitium & cultum, tùm in se, tùm in aliis: non excusatur tamen ab omni peccato; cùm ordo sacer, ejusque ministerium purissimum puram exigat intentionem, adeoque ab omni bonorum temporalium cupiditate defæcatam: undè potest equidem Deo deserviens in ordinum ministerio necessaria recipere, cùm sit justum ut qui Altari servit, de Altari vivat: non debet tamen propter ista servire nequidem secundariò; nam *qui gradus Ecclesiasticos*, inquit D. Bern. *& ministeria sanctuarii, eo quærit aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria, evangelizat ut manducet, & perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercator.*

Sed quid de eo, qui susceptionem Tonsuræ aut Minorum Ordinum dirigit ratione Beneficii ideò obtinendi, ad suam tempore studiorum sustentationem, intendens, illis absolutis, Clericatum dimittere, & uxorem ducere? Videtur prima fronte non esse adeò inordinatum; cùm liceat unicuique sustentationem suam mediis honestis quærere: nihilominus si Tonsuram aut Minores Ordines primariò & principaliter in hunc finem dirigat, aliàs nec Tonsuram, nec ordines suscepturus, non videtur à mortali excusandus; quandoquidem in re gravi omninò pervertat finem à Christo, aut ab Ecclesia intentum. Media sunt quidem in se honesta, sed cùm tunc ad finem ipsis omninò indignum referantur, à fine extrinsecè deturpantur. Si tamen primariò quæreret per statum illum Deo servire tempore studiorum, & secundariò sustentari, posset excusari, saltem à mortali, ut patet ex dictis.

Dices: Suscipit Tonsuram, aut ordines cum animo illos aliquando dimittendi: ergo semper graviter peccat.

Resp. Neg. Conseq Quia si dimittens illos jam susceptos non peccet graviter, cur peccaret graviter suscipiens cum animo aliquando dimittendi, modò intendat illo tempore conformiter ad statum suum vivere? Unde nullibi reperitur præceptum positivum hoc prohibens. Datur quidem naturale arguens inconstantiam illam, sed tantùm obligat sub veniali.

ARTICULUS III.

Quæ sanctitas, & quæ scientia sit Ordinando necessaria?

SAnctum debere esse ordinibus sacris initiatum, non dubitabit, qui advertit sanctum debere esse quemlibet Christianum, juxta illud Christi 1. Petri 1. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*; & ideò non quærimus an sanctitas, sed quæ sanctitas in ordinando requiratur?

CONCLUSIO I.

TAlis debet esse ordinandi sanctitas, ut lucere possit aliis exemplo, & pro aliis apud Deum intercedere suffragio.

Prob. 1. Pars; quia de Clericis præsertim dixit Christus Matth. 5. *Vos estis lux mundi*, id est, esse debetis, seu reipsa eritis, si meæ electioni & voluntati respondeatis: quod & confirmat Chrysostomus Homil. 10. in 1. ad Timoth. ubi sic de Sacerdote loquitur: *Debet vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illam, & ejus vitam, veluti in aliquod exemplar excellens intueantur*: Et certè qua ratione, ut ait Cornelius à lapide, docebit contemptum vanæ gloriæ, veneris, opum, &c. qui ea quærit & ambit? Quomodò humilitatem persuadebit vanus, castitatem luxuriosus, liberalitatem avarus, mansuetudinem cholericus, devotionem impius? *Hic est ordo naturalis*, inquit Nazianzenus Orat. 1. *purgari priùs, deindè purgare: sapientia instrui, atque alios deinùm sapientia instruere: lux fieri, & alios illuminare: ad Deum appropinquare, & ità alios deducere: sanctificari, & posteà sanctificare.*

Prob. 2 Pars; quia Sacerdos debet esse velut Christi Minister, Mediator inter Deum & homines; & consequenter, si velit exaudiri à Patre, debet illius, cujus est imago Agens, imitari sanctitatem. Et certe quis præsumit ad ipsum sanctitatis fontem sine sanctitate accedere? Quis audeat in peccatis gravioribus habituatus pro peccatoribus interpellare? Numquid iram merebitur & non veniam? Numquid irritabit in se, quem postulat aliis placatum esse? *Væ Ministris infidelibus*, inquit D. Bernard. de conversione ad Clericos cap. 27. *qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendant. Væ filiis iræ, qui se Ministros gratiæ profitentur! Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus & nomina non verentur! Væ filiis iræ, qui fideles sese Mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur!*

CONCLUSIO II.

SCientia Ordinandi debet esse proportionata ordini suscipiendo: ita ut eò majorem habeat Candidatus, quo majori initiandus est ordine.

Ratio est; quia Ordo major majorem imponit obligationem, tùm respectu sui, tùm respectu aliorum, & consequenter majorem præsupponit scientiam pro discernendo obligationis vinculo. Ut autem horum majorem magisque determinatam intelligentiam ingeramus, pauca de singulis ordinibus subjiciemus.

Quoad Episcopum, hoc statuit Tridentinum sess. 22. cap. 2. de Reform. *Scientia hujusmodi polleat, ut muneris sibi injuncti necessitati possit satisfacere; ideoque anteà in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia vel in jure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quòd si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.* Hinc colligere potes, quanta scientia pollere debeant illi, qui sunt quasi Episcopi, ut Provinciales in Ordinibus Mendicantium.

Pro Sacerdotibus ità decernit idem Concilium Sess. 23. cap. 14. de Reform. *Ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* Quod generaliter pro omnibus Sacerdotibus exigit. Requirit insuper, ut hoc Sacrificium intelligant, ejus materiam & formam noverint, quomodo sit formanda intentio, & qualis requiratur: qualiter Missa applicanda; qualis animæ & corporis requiratur dispositio; quomodo supplendi defectus in Missa occurrentes; an omnes Missalis Rubricæ, quas ad amussim possidere debent, obligationem imponant, & qualem. Item scire debent Formam Absolutionis, ut possint, si casus necessitatis occurrat, moribundum absolvere. Quantùm autem ad casus conscientiæ non requiritur tanta scientia in Sacerdote simplici, quanta in eo, cui demandatur animarum cura; quandoquidem obligatio absolvendi à peccatis huic sit ordinaria, illi rarissima. Debet tamen casuum ordinatiorum aliqualiter nosse gravitatem aut levitatem, cùm dedeceat Sacerdotem cujus *labia custodiunt scientiam*, ut legitur Malach. 2. non esse in hoc doctiorem communi laico: quod non obscurè insinuat D. Hieronymus in cap. 2. Aggæi dicens: *Si Sacerdos est, sciat legem Domini, si legem Domini ignorat, convincit se non esse Domini Sacerdotem.* Non immeritò igitur à Sacerdotio repelluntur ignorantes & illiterati, maximè cum dicat Deus Oseæ 4. *Quia repulisti scientiam, ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Pro Diaconis & Subdiaconis facit illud Concilii Tolet. VIII. Can. 8. *Nullus ad sacra veniat indoctus, nullus ignorantiæ tenebris cæcutiens, sed quem morum innocentia, & litterarum splendor reddant illustrem.* Item illud Gelasii Epist. 19. Relat. cap. *illiteratos* dist. 36. *Nemo illiteratos ad Clericatus Ordinem promovere præsumat: quia litteris carens, sacris non potest aptus esse Officiis*: undè scire debent ultra Catechismum, Ordinum suorum materias & formas, officia, obligationes, v. g. quòd teneantur ex voto, aut saltem ex speciali præcepto, ad castitatem, quòd debeant Horas Canonicas quotidie recitare,

tare, &c. Item debent aliqualiter Scripturam Sacram intelligere, saltem Epistolas, Evangelia & Lectiones in Officiis divinis occurrentes; cùm sit indecorum id, quod aliis legitur aut canitur, non intelligere.

Etiam in Minoristis, ultrà scientiam Christianis omnibus communem, aliam specialem requirit D. Hieronymus in cap. 2. Epist. ad Tit. *Qualis enim erit ædificatio Discipuli*, inquit, *si se intelligat Magistro esse majorem? Undè non solùm Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, & scientia præcedant, verùm etiam & Inferior gradus, Exorcistæ, Lectores, Æditui, & omnes omninò qui Domui Dei deserviunt: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores esse laicos, quàm Clericos*: undè scire debent omnia, quæ tangunt Ordines suos: scire debent & linguam Latinam, idque ex præscripto Tridentini sess. 23. cap. 11. super quo dispensare non potest Episcopus; quia licèt ibi dicatur: *Nisi aliud Episcopo magis expediens videretur*; illud tamen non afficit linguæ latinæ intelligentiam, sed Interstitia, de quibus immediatè ante.

Pro Tonsuratis exigit Trid. sess. 23. cap. 4. ut Fidei rudimentis instructi noverint legere & scribere, ut diximus suo loco. Ex dictis

Resolve graviter delinquere Episcopos, qui ad Ordines admittunt illitteratos, idiotas, ac præsertim ignorantes ea, quæ à Tridentino requiruntur; cùm Ecclesiam gravando Ministris inutilibus & inidoneis, ipsi gravem inferant injuriam: undè tenentur vel per se, vel saltem per alios capaces, omnes ordinandos examinare, nisi certè testimonium haberent à suo Prælato de sua sufficientia, ut exhibere solent Regulares, quos ideò potest Episcopus sine alio examine ordinare, licèt non teneatur.

ARTICULUS IV.

An Ordinandus debeat esse vocatus, & quæ sint divinæ vocationis signa?

CONCLUSIO I.

SIcut nullus præsumere debet Ingredi Religionem, nisi à Deo vocatus, ità nec suscipere ordines præsertim sacros.

Prob. 1. Ex Scriptura Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: quasi diceret: Nullus debet se ingerere & intrudere, sed assumi & eligi à Deo ad Sacerdotium, sicut electus est Aaron, ejusque posteri: undè Apostoli scientes non à semetipsis, sed à Deo ad Apostolatum esse vocatos, noluerunt in locum Judæ prævaricantis quemquam sufficere, nisi priùs nossent divinam circà Eligendum vocationem; & ideò dicebant Act. 1. *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum.*

Prob. 2. Quia si solus vocatus debeat ingredi Religionem, ne tanquam temerarius se exponat periculo transgrediendi obligationes statui illi annexas; non ne idem, imò majus periculum reperitur in Clerico sæculari respectu obligationum ex Ordinibus sacris resultantium?

CONCLUSIO II.

SIgna, vel potiùs indicia, ex quibus poterit quis colligere, an sit ad Clericatum vocatus, sunt sequentia. 1. Si finis sit rectus, nempè cultus Dei, salus propria & proximi. 2. Si sibi complaceat in cæremoniis, solemnitatibus, & Officiis Ecclesiasticis. 3. Si propensionem habeat ad studia sacrarum litterarum. 3. Si sæculi vanitates, ut venatio, ludus, comœdia, mulierum familiaritates, vita otiosa, &c. sint ipsi exosæ. 5. Si videat se sobrium, prudentem, castum, non litigiosum, &c. 6. Si ad statum clericalem propendeat ex proprio motu, nullis intervenientibus parentum importunitatibus. Si Ordinandus hæc omnia in se videat, dicat audacter: *Hic digitus Dei est*. Exod. 8. v. 19.

ARTICULUS V.

Quem titulum habere debeat Ordinandus?

CUm non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, inquit Trident. sess. 21. cap. 2. de Reform. ideò nullus ad sacros Ordines admittitur, nisi Titulum habeat sufficientis sustentationis. Porrò triplex est Titulorum genus, nempè Titulos Beneficii, Patrimonii, & Religiosæ Paupertatis.

Titulus Beneficii est ipsummet Beneficium Ecclesiasticum pacificè possessum, honestè sufficiens ad victum ordinandi. Ita Trident. sup. Nullum alium Titulum agnovit Antiquitas ante Concilium Lateranen. III. & ideò nisi quis certæ Ecclesiæ undè vivere posset, foret adscriptus, non ordinabatur.

Titulus Patrimonii est certus redditus solidè fundatus proveniens ex bonis patrimonialibus, aut aliundè, qui satis sit ad vitam Clerici sustentandam. Colligitur ex eodem Concilio. Pendet autem ab Episcopo valorem redditus taxare; & ideò non est eadem taxa in omnibus Diœcesanis, sed in una major, in altera minor, prout modus vivendi, & victualium ubertas, aut raritas postulaverit: ubi autem Patrimonium esset nimis tenue, posset quis, habens etiam tenue beneficium, cujus fructus supplerent defectum Patrimonii, vi illorum ordinari, quia censerentur in unum Titulum coalescere.

Titulus Religiosæ Paupertatis, est jus quoddam, quod habet solemniter Professus in aliqua Religione, ut alatur ex communibus Monasterii redditibus, aut eleemosynis, quod supplet Titulum Beneficii, aut Patrimonii. His positis

CONCLUSIO I.

NUllus Clericus sæcularis promoveri potest ad Ordines sacros, nisi habeat Titulum Beneficii, aut Patrimonii, vel ex utroque coalescentem.

Prob. Ex Can. 5. Concil. Lateran. III. ubi legitur: *Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, aut Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua Ecclesia, convenientia ei stipendia militiæ clericalis assignet: nisi fortè talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.* Ubi in pœnam cogitur Episcopus, qui aliquem sine titulo aut Beneficii, aut Patrimonii ordinaverit, ipsum alere, donec de titulo providerit: ergo supponit Concilium unum ex præfatis necessarium esse. Quod & apertissimè declarat Trid. Sess. 21. cap. 2. innovando contra aliter facientes antiquorum Canonum pœnas, id est, suspensionem, & carentiam ab Ordinum executione, aut irregolaritatem, si in eis ministraverint, ut habetur in Bulla Pii V. Romanus Pontifex. Ex dictis.

Resol. 1. Pœnas illas incurrere, qui ordinantur cum titulo ficto, quia titulus fictus, & nullus pro eodem habetur.

Resol. 2. Eisdem pœnis subjacere, qui fraudulenter titulum erigunt v. gr. obtinendo per scriptum unum bona ad titulum sufficientia, & obligando se per aliud ad nihil unquam indè percipiendum; cùm sit per fraudes illas illudere Ecclesiæ intentioni. Hanc utramque resolutionem confirmavit, teste Fagnano, S. Cardinalium Congregatio 27. Novemb. anno 1610. his verbis: *Sacra Congregatio Cardinalium censuit Clericum, qui, adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque Ordinum executione.*

Resol. 3. Cùm titulus tamdiu durare debeat, quamdiu vivit Clericus indè sustentandus, prudentissimè ordinatum esse à Tridentino, quòd *Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quòd ad illius Beneficii titulum sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliundè vivere commodè possit & aliter facta resignatio, nulla sit.*

Resol. 4. Eadem prudentia statuisse, quòd Patrimonium, seu pensio deinceps sine licentia Episcopi alienari, extingui, vel remitti nullatenùs possint: donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliundè habeant, unde vivere possint. Ubi autem hoc accidit, licèt expediat Episcopum monere ante alienationem aut remissionem Patrimonii, non videtur tamen obligatorium; cùm tantùm prohibeat Concilium alienationem, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, &c.

Resol. 5. Non sufficere ad titulum patrimonialem, quòd quis expectet pinguem hæreditatem, aut sit filius patris admodùm divitis, quia titulus ille debet esse formatus & appropriatus Ordinando ante ipsam Ordinationem, ut satis colligitur ex Concil. cit.

Resol. 6. Contrà Henriquez, Barbosam, Cordubam & alios, non satis esse titulum sufficientiæ, seu quòd quis sit in litteris valdè versatus, in Theologia aut sacris Canonibus graduatus, &c. undè ad pinguem dignitatem, aut Benefi-

Beneficium certò creditur elevandus; quia requirit Tridentinum Beneficium, non possidendum, sed possessum, & quidem pacificè. Prætereà si talis ob infirmitatem, aut aliud accidens spe sua frustraretur, teneretur Episcopus ipsum alere.

CONCLUSIO II.

SUfficit, ad susceptionem sacrorum Ordinum Religioso verè professo in Religione à S. Sede approbata, titulus Religiosæ Paupertatis. Patet ex praxi per universalem Ecclesiam recepta.

Dixi: Verè professo; quia Novitii ordinati, si Beneficium aut Patrimonium sufficiens non habeant; suspenduntur per Bullam Pii V. Romanus Pontifex ab Ordinum executione, sicut & fictè, aut invalidè professi, ac etiam illi, qui viventes in communi, nunquam, aut nonnisi ad certum tempus Professionem emittunt: sub quibus tamen Constitution. Greg. XIII. & Greg. XIV. non comprehenduntur PP. Societatis, qui post vota simplicia præmisso Probationis biennio, possunt Sacris initiari, absque eo quòd ullam Ordinum conferendorum suspensionem incurrat Episcopus, quam tamen per annum incurrit ordinans præfatos.

Petes 1. Cujus sit alere Ordinatum sine titulo, cùm ex alia Diœcesi mittitur cum litteris dimissoriis?

Resp. Esse illius, qui litteras concessit, sivè sit Episcopus sivè Vicarius, sive Capitulum Sede vacante. Ratio est; quia erat dimittentis, & non Ordinantis ex charitate, Titulum examinare.

Petes 2. An qui Patrimonium obtinuit ab aliquo, data antapocha, seu contra scriptura (idem est si cum fide aut juramento redonationis post Ordinationem faciendæ) teneatur illud reddere?

Resp. Quidquid sit pro foro externo, ubi, in pœnam donantis cum obligatione redonandi, nulla datur actio contrà Clericum, ordinariè in foro conscientiæ esse reliquendum Patrimonium donanti; eo quòd talis donatio soleat esse nulla, cùm non intendatur translatio dominii à donante in donatarium, sed deceptio Episcopi: & certè quomodo intenderent donationem veram, cùm, illa subsistente, redonatio non possit fieri sine licentia Episcopi nullatenùs consensuri? Undè taliter ordinatus, utpote sine titulo vero, incurrit suspensionem, peccantque graviter donans & donatarius.

Petes 3. An renuntiatio Patrimonii aut pensionis, ad cujus titulum ordinatus est Petrus, sit valida, ubi non accedit licentia Episcopi, aut Tridentini?

Resp. Probabilis Neg. quia Episcopus, sic ordinante Ecclesia ex Principum consensu, acquisivit in illud quoddam jus, fuitque illi quodammodo hypothecatum, ne aliàs teneretur Ordinatum alere; & ideò dixit Tridentinum nullatenùs posse remitti aut alienari.

Petes 4. Ordinatus sine titulo ex consensu expresso aut tacito Episcopi, an incurrat suspensionem? Negat Neesen; quia Innocen. III. (inquit) relaxavit tunc rigorem antiquorum Canonum, tantùm relinquendo Episcopo onus ipsum alendi. Sed

Resp. Affirm. Quia Trident. suprà ait expressè: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*, ubi per ly *innovando* satis insinuat se non tantùm confirmare pœnas tunc in vigore extantes, sed etiam revocatas & antiquatas renovare. Quod à fortiori verum est, ubi inscius est Episcopus tituli ficti.

Petes 5. An concedens Ordinando titulum Patrimonii, apponere possit conditionem illud restituendi, si Beneficium sufficiens obtinuerit?

Resp. Affirm. Quia conditio illa non opponitur scopo Tridentini, modò restitutio fiat cum circumstantiis hic requisitis.

Petes 6. An sit Episcopi alere Clericum, qui incendio, bello, aut alio casu fortuito Patrimonium perdidit.

Resp. Neg. Quia nullibi id ipsi præcipitur: conveniret tamen pro status clericalis honore, ut ipsi necessaria ministraret si illa habere non posset, nisi mendicando, aut indecorè vivendo.

Petes 7. An domus v. gr. creditori hypothecata, possit esse titulus sufficiens?

Resp. Neg. Quia cùm bona transeant cum onere hypothecæ, Clericus non posset indè sustentari: & ideò cum simili titulo ordinatus incurrit suspensionem: non incurreret, si tantùm esset debitis gravata; quia tunc Ordinatus illius dominium acquireret sine obligatione solvendi debita; cùm obligatio illa afficiat personam, non rem: peccaret tamen graviter cedens domum, sicut & illam acceptans, eo quòd debita non essent aliundè solubilia.

QUÆSTIO VIII.

Quænam in Ordinationibus servari debeant interstitia & quænam anni tempora?

CONCLUSIO I.

SErvari debere in Ordinationibus quædam interstitia, seu quædam temporis spatia, expressimè declarat Trident. Sess. 23. cap. 11. 13. & 14. de Reform. ac 1. Quantùm ad Minores, hoc relinquit Ordinarii prudentiæ Cap. 11. nam postquam inter illos quædam interstitia requisivit, addit: *Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur*; undè ut simul conferantur, sufficit quælibet causa, etiam levis: imò in his partibus consuetudo invaluit, ut nonnisi simul conferantur. 2. Quantùm ad Majores requirit Concilium inter unam & alteram Ordinationem, annum integrum; non quidem physicè computatum de die in diem, quasi verò ordinatus hoc anno 20. Aprilis, non posset anno sequenti ante 20. Aprilis ordinari. Sed moraliter de solemnitate in solemnitatem v. gr. de Paschate in Pascha licèt citiùs occurrat uno anno quàm altero. Major autem requiritur causa, ut dispenset Episcopus super interstitio inter Diaconatum & Presbyteratum, quàm super interstitio inter Subdiaconatum & Diaconatum; cùm de 1. dicat Trident. cap. 14. *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur*; de 2 Autem dicat simpliciter cap 13. *Nisi aliud Episcopo videatur*, non allegata Ecclesiæ utilitate aut necessitate. Jam tamen satis usitatum est in aliquibus Belgii Diœcesibus, ut inter susceptionem unius & alterius Ordinis Sacri, tantùm requiratur Ordinatio intermedia.

Quantùm ad Regulares Mendicantes poterant, saltem ante Tridentinum, tribus diebus Dominicis aut Festis consecutivè tres Ordines sacros suscipere, idque ex Privilegio Alex. VI. Dico *Ante Tridentinum*; quia volunt aliqui Privilegium illud esse à Concilio revocatum, sed ubi, & quibus particulis, non video. Dicit quidem Cap. 13. *Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur:* sed hoc nullatenùs enervat Privilegium præfatum. Scio aliquos velle revocari per hæc verba contenta in fine sessionis 25. de Regularibus, cap. ult. *Hæc omnia & singula in superioribus decretis contenta, observari S. Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis* &c. Sed etiam scio tantùm ibi fieri mentionem decretorum in hac Sessione Regulares concernente contentorum; non autem contentorum in aliis Sessionibus. Sed esto esset revocatum, illud posteà concessit Gregorius XIV. Bernardinis reformatis per Bullam Romanus Pontifex, quæ est 3 apud Rodriguez sicut & Clemens VIII. Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quibuscum in Privilegiis participant. Id quidem etiam Jesuitis concessit Gregor. XIII. sed inhibuit, per communicationem ad alios extendi.

Petes: Cujus sit super interstitiis dispensare, cùm ordinatur quis ab alieno Episcopo vi dimissorialium?

Resp. Non esse Ordinantis, sed mittentis, sive sit Episcopus, sivè Capitulum Sede vacante; quia dispensatio est actus proprii Superioris.

CONCLUSIO II.

LIcèt prima Tonsura conferri possit quolibet anni & diei tempore, ut docet Pontificale Rom. Ordines tamen Minores conferri solent Feria VI. præcedente Sabbathum, in quo conferuntur Majores. Dico conferri solent, quia permittit idem Pontificale ut etiam conferri possint quibuslibet Dominicis, & Festis duplicibus. Sextuplex autem assignatur Sabbathum, in quo conferri debent Ordines Majores, nempè ante Dominicam secundam Quadragesima, ante Dominicam Passionis, ante Pascha, ante Dominicam Trinitatis, ante Dominicam 4. Septembris, & ante Festum Nativitatis, nisi inciderit in Dominicam, quia tunc est Sabbathum præcedens. Ordinati autem extrà illa tempore sine licentia summi Pontificis, incurrunt ipso facto suspensionem ab executione sacrorum Ordinum. Quantùm ad Regulares Mendicantes, etiam nunc possunt extrà tempora ordinari vi suorum Privilegiorum; cùm, ut alias concessiones taceam, id concesserit Urbanus VIII. certis Benedictinis, Hieronymitis, Discalceatis Sanctissimæ Trinitatis, imò & Carmelitis.

Agunt hìc aliqui de effectibus Ordinis, qui sunt duo, nempè character & gratia sanctificans cum certis auxiliis actuali-

actualibus suo tempore conferendis ad debitam Ordinis suscepti executionem; sed cùm de primo hinc indè diximus Initio hujus Tract. quærendo an singuli Ordines essent Sacramenta, & an Episcopatus esset Ordo distinctus à Presbyteratu: de secundo autem, notitia sufficiens haberi possit ex dictis de effectibus Sacramentorum in genere, nihil hic addendum duximus.

QUÆSTIO IX.

Seu variæ Quæstiunculæ ad hanc materiam aut pertinentes, aut reducibiles?

PEtes 1. An supplendi sint defectus in Ordinatione occurrentes?

Resp. Vel defectus illi sunt essentiales, vel accidentales: si essentiales, necessariò repeti debet tota Ordinatio, utpotè invalida; nisi certè constaret Ordinatio duplici parte essentiali, quarum una non dependeret ab alia, ut in Sacerdotio, cujus pars 1. subsistit sine 2. non tamen è contrà, ut fusè diximus sup. Si accidentales, non debent suppleri leviores, secùs graviores; non quidem necessitate Ordinis cùm supponatur valere Sacramentum, sed necessitate præcepti Ecclesiastici: undè si ordinatus Sacerdos non legisset Canonem cum Episcopo celebrante, nihil esset supplendum, secùs si non protulisset verba Consecrationis; quia illud respectu totius Ordinationis reputatur quid leve, hoc grave: & ideò si ante supplementum celebraret, peccaret graviter, non tamen esset irregularis; quia valida fuit Ordinatio.

Petes 2. An possit quis validè ordinari in Presbyterum non susceptis priùs aliis Ordinibus?

Resp. Affirm. Quia connexio & subordinatio Ordinum inter se, non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti; non ex institutione Christi, sed Ecclesiæ statuentis nullum ad Ordinem superiorem promovere, nisi inferiori fuerit initiatus. Undè sufficeret taliter ordinato Ordines prætermissos recipere, modò accederet dispensatio Episcopi sine qua utpote propter delictum suspensus, nec potest in Ordine suscepto ministrare, nec prætermissos suscipere.

Petes 3. An reluctans validè ordinetur?

Resp. Vel reluctatio est omnimoda & nulla est Ordinatio; cùm ex jure divino requiratur consensus in Adultis, ut fusè diximus de Sacramentis in genere: Vel tantùm secundùm quid, ita ut consentiat quidem, sed non consensurus, nisi gravis mali incuteretur metus, & tunc valida est, quia reperitur voluntarium sufficiens, ut patet in Baptismo, de quo suo. Non teneretur tamen ita ordinatus ad lectionem Horarum, sicut nec ad castitatis votum, possetque Matrimonium inire: cùm non censeatur Deus aut Ecclesia obligationes illas acceptare.

Petes 4. An peccet mortaliter suscipiens minores ordines, aut ministrans in illis, si non sit in statu gratiæ?

Resp ad 1. Affirm. Quia secundùm nos, quilibet Ordo est Sacramentum vivorum, peccat autem graviter, qui Sacramentum vivorum suscipit in statu peccati, ut dictum est de Sacramentis in genere.

Ad 2. Respondet D. Thomas etiam affirm. *Peccat mortaliter*, inquit 3. p. qu 36 art. 5. *qui cum peccato mortali ad Ordines accedit; ergo multò fortiùs peccat mortaliter in qualibet executione Ordinis*; sed, ut ipsum explicat D. Antoninus loquitur de exequente ut Ministro Ecclesiæ, qualiter non censetur ordinarie se gerere exequens Ordinum Minorum Officia, eo quòd jam sint Clericis & laicis communia, & ideò diximus Tract. 1. Disp. 4. q 3. art. 3 tantùm peccare venialiter. Advertendum hic propter hunc S. Thomæ textum non minùs probabilem esse sententiam accusantem peccati gravis Subdiaconum ministrantem in malo statu, quàm excusantem?

Petes 5. An differant in Ordine Papa, Patriarcha, Primas, & Archiepiscopus?

Resp. Neg. Quia conveniunt omnes in Ordine Episcopali, & tantùm differunt juxtà majorem aut minorem jurisdictionem, quæ secundùm plus aut minùs descendit ab Ordine; sed vel à Christo, ut in summo Pontifice, vel ab Ecclesia, ut in aliis.

Petes 6. An Parochi ex institutione divina, vel humana?

Resp. Longè probabilius esse ex divina institutione: Ratio est, quia sunt successores 72 Discipulorum: sed hi fuerunt à Christo immediatè instituti pro animarum regimine: ergo & Parochi. Prob. Maj. ex Beda lib. 3. c. 10. in Evang. Lucæ, ubi expressè docet Apostolos exhibere formam Episcoporum, & Septuaginta duos Discipulos figuram Presbyterorum, seu Sacerdotum secundi generis, id est, Parochorum, undè Gerson parte 1. de potestat. Eccles. consid. 15. litt. N. *Qui dicuntur successores septuaginta duorum Discipulorum, & dicuntur Prælati secundi Ordinis, dignitatis, vel honoris, quales sunt Curati, quibus stata & ordinario jure conveniunt tres actus Hierarchici, primariè essentialiter, & immediatè à Christo qui sunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per Sacramentorum ministrationem*. Prob. etiam Min. ex Luc. 10. *Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*, & infrà. *Ecce ego mitto vos* &c. 2. ergo concludendum est, Parochos esse immediatè à Christo institutos. Undè Facultas Parisiensis: *Hæ sex propositiones* (quæ prodiderunt à Jacobo de Vernant anno 1658.) *quatenus asserunt vel inferunt potestatem jurisdictionis curatorum non esse immediatè à Christo, quantùm ad institutionem primariam, falsa sunt, & Decretis S. Facultatis contrariæ; salva semper immediata Episcoporum in Prælatos minores, seu Curatos, & plebem subditam authoritate*.

TRACTATUS VIII.

DE MAGNO

Matrimonii Sacramento.

„ SEptimum est Sacramentum Matrimonii (verba sunt
„ Florentini in Decreto unionis) quod est signum con-
„ junctionis Christi & Ecclesiæ, secundùm Aposto-
„ lum dicentem *Sacramentum hoc magnum est, ego autem*
„ *dico, in Christo & in Ecclesia*. Causa efficiens Matrimo-
„ nii, regulariter est mutuus consensus per verba de præ-
„ senti expressus. Assignatur autem triplex bonum Ma-
„ trimonii. Primum est proles suscipienda & educenda ad
„ cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conju-
„ gum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Ma-
„ trimonii, propter hoc quòd significat indivisibilem con-
„ junctionem Christi & Ecclesiæ. Quamvis autem ex cau-
„ sa fornicationis liceat thori separationem facere, non ta-
„ men aliud Matrimonium contrahere fas est, cùm Matri-
„ monii vinculum legitimè contracti, perpetuum sit. Hæc
„ Florentinum.

Huic Sacramento quatuor præsertim à DD. tribuuntur nomina 1. Dicitur *Matrimonium* à Matre, potiùs quàm *Patrimonium* à Patre, eò quòd ad prolem, cujus gerandæ causa institutum est Matrimonium, magis concurrat Mater, ipsam in utero cautè gestando, sollicitè nutriendo, difficulter pariendo, accuratè educando. 2. Dicitur *Conjugium* à jugo mutuo quod sibi imponunt nubentes. 3. *Connubium*, eo quòd olim sponsa post Matrimonium velo obnuberetur, idque pudoris gratia. 4 *Nuptiæ*, ob eamdem rationem Varias de Matrimonio instituemus Disputationes, ac primam de Sponsalibus, utpotè ad Matrimonium præambulis.

DISPUTATIO I.

De Sponsalibus.

SPonsalia propriè à spondendo, id est, promittendo sunt dicta; & ideò illa contrahentes *sponsus* & *sponsa* nuncupantur: *Sponsæ vel sponsi nomen*, inquit D. Bernardus serm. de Virginibus, *ab eo quod est spondere Grammatici derivant. Dicuntur autem sponsus & sponsa, quia se sibi alterutrum spondent, ut nec illa alteri nubat*.

Dixi: Propriè quia impropriè sumuntur 1. Reg. 18. pro muneribus sponso aut sponsæ oblatis, cùm dicitur: *Non habet Rex sponsalia necesse*. v. 25.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid Sponsalia, ad quid instituta, & quam pariant obligationem?

CONCLUSIO I.

SPonsalia sunt mutua promissio futuri Matrimonii sensibiliter expressa.

Dicitur 1. *Mutua*; quia L. 1. ff. de Sponsal. dicuntur *Repromissio*, seu utriusque promissio: nec mirum; quia si in Matrimonio requiratur mutua traditio dominii in corpus, utpote contractus onerosus, quidni in Sponsalibus mutua promissio futuræ traditionis propter eamdem rationem?

Dicitur 2. *Promissio*, nempè vera, & ideò fictè promittens, licet peccet mortaliter ob deceptionem in re gravi, teneaturque scandalum auferre, & damnum inde proveniens reparare, non contrahit tamen obligationem vi Sponsalium illorum: cujus ratio est, quòd obligatio promissionis proveniat à solo promittente, & non aliunde; & ideò ubi non vult promittere, non vult se obligare. Imò quamvis vellet promittere, si tamen per hoc nollet se obligare (quod esset frivolum & nugatorium) non obligaretur; quia obligatio sequitur intentionem promittentis, sicut obligatio legis intentionem Legislatoris: unde sicut si promittens intendat se obligare graviter, gravis est obligatio, si leviter, levis; ita si ad nihil, nulla est obligatio. Sed fatendum tunc in rigore non stare promissionem; quia sicut non stat vera lex sine obligatione, ita nec vera promissio; & ideò dixi modum illum agendi fore nugatorium.

Dicitur 3. *Futuri Matrimonii*; & in hoc distinguuntur Sponsalia à Matrimonio, quòd hoc contrahatur per verba de præsenti: *Accipio te in meam*; illa verò ordinariè per verba de futuro, *Accipiam te in meam*.

Dicitur 4. *Sensibiliter expressa*, nempè per verba aut signa. Ratio est; quia cùm Sponsalia sint contractus humanus; humano modo debent celebrari, adeoque debet exteriùs manifestari, quod interiùs intenditur; aliàs quomodo sponsalia à comparte acceptarentur? Cùm tamen promissio, etiam sponsalitia, non obliget ex justitia, nisi acceptetur, ut dicemus postea. Ex dictis

Resol. 1. Etsi stet promissio Petri promittentis nuptias Joannæ illas acceptanti per hæc, aut similia verba: *Placet*, *admitto*, *regratior* &c. non stare tamen Sponsalia, si Joanna non repromittat; quia non est promissio mutua; & ideò non inducitur ex illa promissione impedimentum publicæ honestatis, licèt vim habeat obligandi Petrum, non Joannam, ad contrahendum Matrimonium; sicut vim habent obligandi omnes aliæ promissiones acceptatæ quamdiu acceptans non remittit.

Resol. 2. Hæc verba etiam reciprocata: *Non ducam aliam præter te*, non esse propriè sponsalia; quia non sunt promissio Matrimonii absoluta, sed tantùm conditionata; quasi diceretur: Si semel ineam Matrimonium, inibo tecum. Excipe tamen nisi ex circumstantiis, aut ex intentione proferentis illa verba aliud colligeretur.

Resol. 3. Non esse necesse ad contrahenda sponsalia, ut quis dicat: *Promitto*, aut *spondeo*, sed satis esse, si ex verbis aut signis intelligatur moraliter promissio; & ideò verè contraheret dicens: *Habeas me pro infami, pro mendace, pro infido, nisi contraxero tecum*.

Resol. 4. Licèt Sponsalia contrahantur ordinariè per verba de futuro, ut diximus, ubi tamen verba de præsenti ex juris dispositione, vel interpretatione continent promissionem, valida sunt Sponsalia, & ideò impuberes (idem est de impubere cum pubere) contrahentes per verba de præsenti Matrimonium, quod invalidum est defectu ætatis, censentur contrahere Sponsalia valida; ut constat ex cap. ult. *de desponsat. impub.* & ratio redditur cap. unico *de desponsat. impub.* in 6. quia actus, qui non valet ut fit, valet tamen, ut fieri potest, nempe suo tempore, ubi accesserit ætas sufficiens, aut conditio requisita. Ex quo principio sequitur etiam clandestinè, adeoque invalidè, Matrimonium contrahentes, valida contrahere sponsalia, quamvis hoc non sit ita certum, ac illud; cùm jus id statuat in terminis de 1. non tamen expressè de 2. imò dicitur esse declaratio Cardinalium decernentium nulla esse sponsalia.

Resol. 5. Si alicubi vigeret consuetudo, ut manuum porrectio, annuli in digitum immissio, aut alterius rei traditio haberentur tamquam promissio sponsalitia, sine ullis verbis valida forent sponsalia: quia juxta morem illius loci sensibiliter adeoque sufficienter, exprimerent promissionem futuri Matrimonii.

CONCLUSIO II.

RAtiones cur præmittantur Matrimonio Sponsalia, assignari possunt sequentes, 1. ut tempore intermedio deprehendi possit, an nihil sit quod Matrimonium futurum impediat, aut dirimat. 2. Ut tunc diligentior fiat de moribus, statu, vita, aut conditione compartis inquisitio. 3. Ut ferventiùs illo tempore sponsus & sponsa vacent orationi pro obtinendo fœlici Matrimonio. 4. *Ut jam pactæ sponsæ*, inquit Aug. lib. 8. Confess. cap. 3. *Non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam*. 5. Ut Matrimonium tot oneribus, tot molestiis, tot difficultatibus implicatum maturiùs celebrent & deliberatiùs.

CONCLUSIO III.

OBligant Sponsalia ad contractum matrimonialem sub peccato gravi: idque tempore præfixo; vel si nullum est præfixum, ubi commodè fieri poterit attenta loci consuetudine.

Prob. 1. Pars; quia ex promissione acceptata, præsertim mutua, adeoque utrimque onerosa oritur obligatio justitiæ: sed in re gravi, qualis est materia præsens, graviter obligat justitia: ergo. Unde D. Thomas 4. dist 27. q. 1. art. 1. ad 2. *Ex tali promissione sponsalium obligatur unus alii ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens, nisi legitimum impedimentum interveniat.*

Prob. 2 Pars: quia in omnibus aliis contractibus, ubi executioni faciendæ tempus præfixum est, servari debet, quidni & in hoc contractu, ubi compars nec expressè, nec tacitè in dilationem consentit? Sicut tamen in aliis contractibus admittitur in dilatione materiæ parvitas, ita & hic: unde non condemnarem peccati mortalis differentem ad unam aut duas septimanas, modò tamen absit scandalum, infamia compartis, & utrimque periculum incontinentiæ.

Prob 3. Pars; quia ubi tempus indeterminatum est, nullum commodius determinari potest, quàm commodæ opportunitatis. Volunt quidem aliqui tunc solùm urgere obligationem contrahendi, quando ad id urget pars altera; sed hoc admitti quidem potest respectu sponsi, sed non semper respectu sponsæ, ex verecundia & pudore non audentis quandoque sponsum ad id compellere

Addidi tamen: *Attenta loci consuetudine*; quia ubi mos invaluisset, quòd Matrimonium ordinariè non contraheretur ante certum ætatis annum v. g. 17. aut 18. non esset obligatio præveniendi, licèt commodè fieri posset.

Petes à quo sit compellendus nolens aut differens contrahere?

Respond. *In foro conscientiæ* compelli debere à Confessario, qui debet compartem promissum adimplere renuentem inabsolutam dimittere. In foro autem contentioso, nisi causam sufficientem dilationis aut nolitionis allegaverit, compelli potest à Judice Ecclesiastico, etiam per censuras, carcerem, mulctas, aut alio modo. Patet ex Cap. 10. *de Sponsalibus*, ubi quidem agitur de eo, qui Sponsalia juravit, sed eadem est ratio de altero; cùm sit Judicis competentis subditorum jura custodire, ac defendere; jus autem habet compars ad Matrimonium, sive Sponsalia juraverit pars altera, sive non; Maxima tamen prudentia opus est in Judice, debetque diligenter attendere, an coactio non sit potiùs obfutura, quam profutura; cùm ex Matrimoniis taliter coactis nonnunquam sequantur exitus perniciosi; & ideò, ubi talia inconvenientia apprehendit Judex, nec potest monendo, rogando, obligationem inculcando, nolentem inducere, melius est quandoque obstinatè renuentem dimittere; ipsum tamen obligando ad resarciendum sponsæ damnum omne inde proveniens; imò ipsum egregiè mulctando. Unde hæc omnia relinquuntur prudentis Judicis arbitrio, attentis omnibus circumstantiis.

QUÆSTIO II.

An promissio sponsalitia debeat esse libera, an acceptata, an publica.

CONCLUSIO I.

PRomissio sponsalitia debet esse libera, non tantùm physicè, sed etiam moraliter; ita ut nec coactio interveniat, nec metus gravis injustè incussus. Est communis quoad utramque partem.

Prob. 1. Pars; quia contractus omnis, adeoque & sponsalitius, fieri debet humano modo: ad hoc autem requiritur plena libertas, & deliberatio perfecta, saltem pro tempore, quo celebratur contractus: quod addo, quia licèt amens aut insanus non possit tempore amentiæ sponsalia contrahere, potest tamen ubi lucida fuerint intervalla: sicut potest ille, qui insanit quidem in certis materiis, non tamen in præsenti. Sed quid de eo, qui ex subito calore iracundiæ aut luxuriæ sponsalia promittit? Tenetur implere, nisi passio (quod ratum est) advertentiam sufficientem, adeoque libertatem impedierit: unde quando Cap. *Divortium* de Pœn. dist. 1. contrarium videtur insinuari, agitur de iracundia mentem turbante.

Prob. 2. Pars; quia licèt metus gravis injustè incussus ad extorsionem contractus, relinquat ipsum naturaliter validum, ut diximus agendo de contractibus; jus tamen positivum invalidat Matrimonium taliter contractum: si Matrimonium, quidni & sponsalia; Cùm videantur, utpotè Matrimonium in fieri, eamdem rationem sortiri cum Matrimonio in facto esse, saltem ubi agitur de libertate, quæ valde necessaria est in utroque contractu. Id etiam probant aliqui ex Cap. *Ex litteris* de despons. impub. Sed si benè inspiciatur, non potest sufficienter colligi, an Judex Sponsalia irritet, an verò declaret fuisse ab initio irrita; & ideò sustinent nonnulli tale quidem Matrimonium esse irritum, sed Sponsalia irritabilia, non irrita. Multùm autem refert nosse, an Sponsalia fuerint ab initio irrita, an solùm postea irritata; quia hæc inducunt impedimentum publicæ honestatis, non illa.

CONCLUSIO II.

SPonsalia debent esse acceptata, ita ut ante acceptationem nullam imponant spondenti obligationem, possitque pro libitu resilire sine ulla injustitiæ nota.

Ratio est; quia censetur in omnibus promissionibus imbibi tacitè hanc conditionem: Si promissum acceptet Promissarius. Sed numquid Promissarii taciturnitas videtur acceptatio sufficiens? Affirmant aliqui, negant alii. Ego distinguendum existimo: Vel enim agitur de acceptatione simplici, vel de acceptatione juncta cum repromissione: si primum, sufficit taciturnitas; quia in favorabilibus valet illa Regula 43. juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*: favorabile est autem alterum sibi obligari, & non obligari alteri. Si secundum, non videtur sufficere; quia ibi favor est alteri & non tacenti; sicut in repromissione locum habet Regula 44. *Qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.* Excipe tamen nisi parentes sponsalia acceptaverint pro filiis præsentibus nec contradicentibus; quia cap. un. *de despons. impub. in 6.* legitur: *Ex Sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus vel impuberibus contrahunt, si filii expressè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicæ honestatis.*

Petes: An acceptatio expressa non censeatur eo ipso repromissio.

Resp. Neg. Conformiter ad dicta Corollario 2. q. 2. quia acceptatio fidei alienæ, non est datio fidei propriæ, nequidem in contractibus, qui ad sui executionem requirunt actionem & consensum utriusque; nam potest quis acceptare promissionem Petri, domum suam vendere spondentis, nec tamen ad ejus emptionem se obligare, licèt venditio realiter fieri non possit à promittente, nisi & emptio fiat à promissario. Quid mirum igitur, si acceptari possit promissio Matrimonii sine repromissione, quamquàm Matrimonium ipsum celebrari non possit sine consensu & traditione utriusque? Inde patet non posse quidem Matrimonium claudicare, seu stare sine utriusque obligatione, posse tamen promissionem Matrimonii; & ideò si quis dicat coram Parocho & testibus: *Accipio te in meam*, & puella respondeat *placet*, valet Matrimonium, non valent autem propterea Sponsalia, si illa promittenti respondeat, *placet*, licèt valeat & juvenem obliget promissio (quæ tamen non est sponsalitia, ut diximus, defectu repromissionis) ad contractum matrimonialem, ubi puella voluerit; hac interim immuni à tali obligatione permanente.

Fatendum tamen, si promittens non intendat se obligare, nisi vicissim se obliget promissaria, nullam fore promissionem sine repromissione. Ubi autem intentionem illam novisset puella, & acceptaret, statim repromitteret, perficerenturque Sponsalia, ut per se patet.

CONCLUSIO III.

UT valeant & liceant Sponsalia, non est necesse, ut sint publica seu fiant coram Parocho & testibus. Est contra quosdam volentes esse nulla; quia inquiunt, inhabiles ad clandestinè contrahendum Matrimonium, sunt etiam inhabiles ad illud clandestinè promittendum: quorum tamen ratio nulla est; quia Tridentinum inhabilitans ad unum (ne Matrimonio clandestinè contracto cum una, publice postea contraheretur cum altera cum perpetuo concubinatu) non inhabilitat ad alterum, ex quo non sunt nata sequi illa inconvenientia.. Item & contra alios docentes esse quidem valida, sed illicita.

Ratio Conclusionis est; quia nulla datur lex positiva civilis, aut Ecclesiastica Sponsalia clandestina irritans, aut prohibens; & consequenter cùm valida sint & licita jure naturæ non est unde fiant nulla aut prohibita. Fiunt quidem ordinariè publicè sed solemnitatem, non necessitatem, & ut de ipsis constet in facie Ecclesiæ. Imò vix unquam fiunt coram Parocho, nisi ante contracta fuerint inter amasium & amasiam, de quo tamen non solent reprehendi.

Quia tamen plurimi credunt, non fieri Sponsalia, nisi coram Parocho, monendi sunt à Superioribus de valore sponsalium clandestinorum, ex quibus inducitur etiam impedimentum publicæ honestatis; & ideò nisi sint antea instructi, interrogari debent à Parocho ante Matrimonium, an non promiserint Matrimonium personæ, quæ sit consanguinea suæ comparti in 1. gradu.

Petes: An Sponsalia sint ante Matrimonium necessaria?

Resp. Neg. Quia potest fieri mutua traditio dominii in corpus comparis, absque eo quòd præcesserit promissio tradendi, ut per se patet: unde S. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. *Non est necessarium, quòd Sponsalia præcedant, quia absque promissione facta de futuro, potest quis subitò contrahere per verba de præsenti.*

QUÆSTIO III.

Quinam contrahere possint Sponsalia.

CONCLUSIO I.

OMnes illi, qui prohibentur Matrimonium contrahere ob impedimentum dirimens aut prohibens, invalidè tentant contractum sponsalitium. Est communis & certa.

Ratio est; quia est promissio de re illicita, & consequenter cùm nullus obligari possit ad illicitum, nec obligari potest ad illa Sponsalia: ubi autem nulla obligatio, nulla promissio. Et ideò non tantùm invalidè contrahit Sponsalia consanguineus cum consanguinea, affinis cum affine, baptizatus cum non baptizata &c. Ob impedimentum dirimens; sed etiam catholicus cum Hæretica, ligatus voto simplici cum libera, ob impedimentum prohibens. Hi, inquis, validè contrahunt Matrimonium, quidni & sponsalia? Ratio discriminis est, quòd licèt contrahendo Matrimonium, faciant rem illicitam, ob Ecclesiæ prohibitionem, non tamen se obligent ad illicitum, sicut in promissione præfata. Jam autem ratio naturalis, quæ dictat non posse aliquid esse vinculum iniquitatis, seu obligare ad illicitum, non dictat invalidum esse actum, quem Ecclesia tantùm prohibet, & non irritat.

Sed numquid valent sponsalia consanguinei cum consanguinea, ubi conveniunt cum hac conditione. Si Papa dispensaverit? Negant aliqui, sed debili nixi fundamento, nempe quod conditio pendens à voluntate Principis, adeoque & summi Pontificis reputetur in jure impossibilis, habeaturque pro non apposita; sed ruit fundamentum illud, ubi rogatus Princeps solet, quod ab ejus voluntate pendet, concedere, ut hic accidit; & ideò cùm promissio præfata sit de re licita & possibili, ac usitata inter fideles, stat conditionatè, ita ut, ante recusatam dispensationem, neutri parti liceat resilire; & hac obtenta, transeat promissio in absolutam, inducatque impedimentum publicæ honestatis. Ubi quis tamen ligatus voto Religionis suscipiendæ promisisset Matrimonium sub conditione obti-

nendæ

nendæ dispensationis, non teneretur dispensationem petere; imò posset, illa obtenta, resilire; cùm sit ipsi liberum post Sponsalia etiam absoluta, imò & bimestri post Matrimonium ratum, ad statum altiorem, qualis est Religio, ascendere ut suo loco diximus.

CONCLUSIO II.

Licitum est parentibus pro filiis, imò Tutoribus & Curatoribus pro pupillis Sponsalia contrahere, modò tamen filii & pupilli aut expressè consenserint, aut præsentes non contradixerint, aut absentes vel ignorantes posteà expresse aut tacite factum ratificaverint. Ità ferè in terminis declaratur Ca. unico *De desponsat. impub in 6.*

CONCLUSIO III.

Licèt ex jure naturæ possit quilibet qualibet ætate Sponsalia contrahere, modò adsit usus rationis; ex jure tamen Ecclesiastico nullus id potest septennio completo minor. Ità Cap *Litteras De desponsat. impub.* & alibi. Assignatur autem illa ætas, quia tunc in masculis & fœminis solet esse usus rationis ad contrahendum necessarius. Ubi tamen deesset, non valerent Sponsalia, utpotè non humano modo contracta. In dubio autem de sufficientia usus rationis, præsumitur adfuisse. Imò in foro contentioso semper sic præsumitur, nisi contrarium probetur. Sed quid si ante septennium malitia suppleat ætatem? Equidem invalida erunt Sponsalia, quidquid dicant aliqui; quia standum est legibus quæ, cùm potuerint exceptionem illam facere (sicut fecerunt de facto in Matrimonio, decernentes ab impubere contractum esse validum, ubi ætatem suppleret malitia) tamen universaliter & indeterminatè statuerunt à septennio minoribus invalide contrahi Sponsalia.

QUÆSTIO IV.

An in Sponsalibus apponi possit obligatio pœnalis?

Duplex hic distingui potest pœna, una de præsenti, altera de futuro. Pœnam de præsenti voco, cùm quis in ipso contractu sponsalitio aliquid tradit cedendum in favorem alterius v. g. annulum, torquem, horologium portatile &c. casu quo resilierit recipiens, illud reddet, & insuper æquivalens, aut etiam duplum, si ità conventum fuerit. Hæc pœna vocatur *Arrha*, quasi pignus promissionis adimplendæ. Pœna est de futuro, cùm quis nihil quidem tradit, sed se obligat ad tradendum in futuro v. g. centum aureos, si non steterit promissis

CONCLUSIO I.

Apponi potest in Sponsalibus pœna de præsenti, seu arrha; casu quo alter contrahentium sine justa causa resilierit, sicque apposita obligat resilientem ad executionem. Patet ex L. *Mulier* C. de Sponsalibus.

Dixi: *Sine justa causa*; quia nunquam censetur apponi pœna nisi propter culpam; ubi autem quis resilit à Sponsalibus ob justam causam, non est culpabilis: & ideò non censetur tali casu ad arrham perdendam se obligasse. Deindè Cap. *Gemma* de Sponsal declarat Pontifex appositionem pœnæ de futuro, de qua postea, nullam esse, quia nocet Matrimonii libertati; sed quòd quis habens justam causam resiliendi, non possit tamen resilire, nisi arrham perdendo, etiam nocet illius libertati; cùm arrha possit æqualis, imò majoris esse valoris, quam pœna: ergo.

CONCLUSIO II.

Pœna de futuro apposita in Sponsalibus non obligat ad sui executionem, si apponatur justè resilienti, aut sine distinctione justè vel injuste resilienti; secùs si injustè fidem frangenti

Prob. 1 Pars; quia appositio talis pœnæ manifestissimè lædit Matrimonii libertatem: possetque aliquis, ne pœnam solvere teneretur, præsertim ubi esset notabilis, inire Matrimonium, ex quo jurgia, dissentiones, aliaque majora inconvenientia prævideret obventuram: undè tam jure canonico Cap. *Gemma*. de Sponsal. quàm jure Civili L. *Titia* ff. de verb. obligat prohibetur & irritatur promissio illa pœnalis sub tali conditione.

Prob. 2. Pars; quia pœna apposita indistinctè, sive quis justam causam debeat resiliendi, sivè non, etiam nociva est libertati; cùm ità stipulans exponat se periculo non resiliendi, ne cogatur ad pœnam, ubi omninò expediret resilire ob supervenientem aut antea ignoratam rationem: undè jura irritantia hic appositionem pœnæ loquuntur indistinctè, ut ostendant se annullare omnem appositionem pœnæ libertati Matrimonii contrariam.

Prob. 3. Pars; quia appositio pœnæ injustè resilienti non lædit Matrimonii libertatem; cùm nec ratio naturalis, nec jura, nec Superiores concedant libertatem ad injustam fidei fractionem, imò è contrà injustè resilientem compellant ad Matrimonium per censuras, imò & carceres; & ideò annullatio juris circa pœnam Sponsalibus appositam non respicit casum præsentem. Et certè cùm pœna tunc urgeat ad executionem rei, ad quam in illis circumstantiis urget ipsumet jus canonicum & civile, etiam per appositionem pœnæ, ad quid promissionem illam pœnalem annullaret? Accedit quòd Cap. *Gemma* supra cit. agatur de Sponsalibus, à quibus juste poterat resiliri: hoc autem non accidit in nostro casu, ut diximus.

Dices: L. *Mulier* C. de Sponsal. permittuntur arrhæ, prohibentur pœnæ: sed nos eodem modo loquimur de arrhis ac de pœnis volentes utrasque esse nullas appositas contra resilientem justè, & utrasque subsistere appositas contra resilientem injustè: ergo.

Resp. Nos quidem forte adversari in hoc juri civili; sed tamen conformes esse juri canonico, & praxi Ecclesiæ, quæ pœnas Sponsalibus annexas irritat, in quantùm præcisè lædunt Matrimonii libertatem, ut patet ex Cap. *Gemma*, ita ut ubi non lædunt, non censeantur irritæ; cùm tunc nulla excogitari possit ratio irritationis. Huic autem Ecclesiæ praxi conformes sunt Resolutiones præcedentes.

Dixi: *Nos fortè adversari*; quia in quantùm hic nobis contrariatur, non videtur usu receptum, inquit Vanroy.

Petes 1. Quid dicendum de pœnis, quæ ab aliis, quàm à sponsis apponuntur?

Resp. Idem esse dicendum de illis, ac de aliis, si apponantur à parentibus, aut veris amicis; secùs si ab omninò extraneis.

Ratio est; quia cùm damnum parentum aut amicorum tangat sicut, aut ferè sicut proprium, (non sic omninò extraneorum) censentur pœnæ in 1. Casu nocere libertati Matrimonii non in 2.

Petes 2. An si apponens pœnas juret se illas soluturum, etiam si juste resiliat, teneatur ad solutionem, ubi ex causa justa resilit?

Resp. Probabiliùs non teneri: non quidem ex justitia, cùm promissionem dixerimus irritam: non etiam ex virtute Religionis; quia Deus, qui voluit Matrimonium esse liberrimum, non censetur juramentum illius libertatis læsivum acceptare; ubi non fit majoris perfectionis causa, ut in juramento Cœlibatus.

QUÆSTIO V.

Quomodo dissolvantur Sponsalia?

CONCLUSIO I.

Dissolvuntur 1. Sponsalia mutuo & libero puberum contrahentium consensu. Est communis & certa apud omnes.

Ratio est; quia sic dissolvuntur alii contractus qui non sunt perpetui, ut Matrimonium, quidni & contractus sponsalitius? Præterea per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur: atqui ex mutuo contrahentium consensu nascuntur Sponsalia: ergo eodem dissolvuntur.

Dixi 1. *Mutuo*, nempè expresso aut tacito: unde absolutè recusans Matrimonium contrahere, censetur comparti obligationem sponsalitiam remittere, quamvis ipse non absolvatur ex parte sua, quamdiu pars altera non contraxerit cum alio.

Dixi. 2. *Et libero*; quia si unus contrahentium extorqueat alterius consensum per vim, dolum, metum injustum, aut preces importunas, non cessabit obligatio sponsalitia.

Dixi 3. *Puberum*, quia Cap. *A Nobis* de despons. impub. prohibentur impuberes resilire, etiam mutuo consensu, à Sponsalibus contractis, donec pubertatem attigerint, quam ubi attigerunt, possunt statim, id est, intra triduum resilire, etiam invita comparte; post triduum autem nonnisi mutuo consensu; quia censentur illa ratificare, Cap. *A Nobis*. Quòd si unus prior pubes factus sit, resilire potest non expectata alterius pubertate: Si autem unus contrahentium sit pubes, alter impubes, potest hic, adepta

pubertate, pro libitu resilire; ille verò nunquam, nisi accedente compartis consensu, cap. *de illis* 5. eod. tit. Etsi autem authorizati à jure ad resiliendum, sint in foro conscientiæ ab omni obligatione liberi, si id secretò fecerint; non tamen in foro externo, nisi testes adhibuerint. Porrò præfata intelligenda sunt de sponsalibus non juratis; quia jurata, etiam ab impuberibus, nunquam dissolvuntur sine mutuo consensu ca. *Ex litteris Sylvani* de Sponsal. Accedente autem consensu, sicut cessat onus sponsalitium, cessat & confirmatio oneris, seu juramentum.

CONCLUSIO II.

Dissolvuntur 2. Sponsalia per susceptionem Ordinis sacri, non tamen per votum illius, sicut nec per votum castitatis aut Religionis, si sponsalia subsequatur: quod addo; quia si præcedat, nulla sunt sponsalia, eo quòd sint promissio rei illicitæ.

Prob. 1. Pars; quia susceptio Ordinis sacri est impedimentum dirimens seu irritans Matrimonium subsequens; ubi autem promissionis executio fit impossibilis, desinit & ipsa promissio obligare; cùm nemo teneatur ad impossibile. Verisimilius est tamen suscipientem Ordinem sacrum sine alterius consenso peccare graviter ob violatam fidem; quandoquidem in promissione sponsalitia, nec ex jure naturæ, nec ex jure positivo includatur hæc conditio: Nisi sacrum Ordinem suscepero, sicut includitur hæc: Nisi Religionem professus fuero.

Prob. 2. Pars; quia illicitè & invalidè promittitur Deo, quod validè promissum fuit homini: atqui per contractum sponsalitium sic promissum fuit corpus comparti: ergo. Unde non censetur Deus votum illud acceptare in præjudicium compartis, licèt acceptet in quantùm præcisè respicit voventem; & ideò licèt hic possit ad requisitionem compartis, non suscepto Ordine aut Religione, Matrimonium inire, debet tamen mortua conjuge, aut adulterante, aut consentiente, Ordinem, aut Religionem suscipere. Quantùm ad debitum matrimoniale, si castitatem vovit, reddere potest, non petere: si Ordinem sacrum, petere potest & reddere; quia necdum vovit castitatem: si autem Religionem, nec petere potest, nec reddere primo bimestri, cùm ex juris dispositione sit adhuc liber ad voti executionem. si autem transacto bimestri, aut anteà Matrimonium consummaverit (in quo peccavit, si debitum petierit, imò & si reddiderit ante finem bimestris) potest deinceps petere & reddere; quia non censetur castitatem vovisse, & aliundè adimpletio voti facta est ipsi pro tunc impossibilis.

Dices contra hanc 2. Partem: In promissione sponsalitia includitur implicitè hæc conditio: *Nisi voluero assumere statum meliorem mihi magis proficuum, & Deo magis gratum*: ergo per votum præfatum dissolvuntur sponsalia.

Resp. Neg. Ant. Alias cùm per se loquendo melius sit & Deo gratius non nubere, quàm nubere contrahens sponsalia, poneret tacitè hanc conditionem: *Nisi voluero abstinere à Matrimonio*: quod nemo dixerit: unde nequidem includeretur hæc: *Nisi Religionem professus fuero*, nisi ex speciali juris dispositione, aut divina concessione intelligeretur inclusum. Liberum est tamen illi, qui Religionem vovit, Religionem profiteri, & sua sponsalia dissolvere, etsi illi, qui vovit Ordinem sacrum, non liceat illum suscipere sine sponsæ consensu, ut diximus.

CONCLUSIO III.

Religionis approbatæ Professio etiam dissolvit sponsalia.

Ratio est; quia ultra quòd sit impedimentum dirimens sicut Ordo sacer, habet etiam vim dissolvendi Matrimonium ratum, ut patet ex Trid. sess. 24. can. 6. ergo à fortiori sponsalia. Quod etiam verum est, licèt sint jurata; cùm juramentum, utpotè promissionis tantùm confirmatorium, sequatur naturam illius; & consequenter cùm hic promissio sit conditionata: *Nisi Religionem suscepero*, conditionatum est & juramentum.

Disputant hic aliqui an sponsalia dissolvantur, non tantùm per Religionis professionem, sed etiam per ingressum? Nos nec affirmantibus, nec negantibus suffragantes viam mediam inimus, volumusque dissolvi respectu remanentis in sæculo, non alterius, & sic potest prior cum alio nubere, non posterior; si egrediatur, & à comparte requiratur.

Ratio 1. Partis est, quod ingrediens Religionem censeatur cedere juri suo. Prætereà ponit se in statu deteriori, cùm plurimi contrahere nolint cum deserente Religionem.

Ratio 2. Partis est, quòd Religio in tantùm censeatur sponsalia dissolvere, in quantùm reddit suscipientem inhabilem ad contractum matrimonialem; jam autem non ingressus, sed Professio id præstat.

Dices: Obligatio sponsalium non claudicat: ergo si cesset respectu remanentis in sæculo, cessat & respectu ingredientis Religionem.

Resp. Dist. Ant. Non claudicat in fieri; C. quia obligatio debet esse mutua, ut sit sponsalitia, ut dictum est ante. Non claudicat in facto esse, seu non potest remanere ex parte unius, cessante respectu alterius N. dissolvitur enim per fornicationem ex parta innocentis, non ex parte fornicantis.

CONCLUSIO IV.

Etiam cessat sponsalium obligatio, ubi supervenit inter sponsos impedimentum dirimens Matrimonium v. g. impedimentum affinitatis, eo quod sponsus copulatus fuerit alicui, quæ esset sponsæ suæ consanguinea in 1. aut 2. gradu. Si tamen sponsa innocens vellet cum nocente Matrimonium inire, teneretur hic dispensationem petere; cùm in tantùm præcisè à sponsalium obligatione liberetur, in quantum factus est ad tale Matrimonium inhabilis, ad quod per dispensationem rehabilitaretur. Si autem nollet, teneretur nocens damnum, si quod esset, reparare.

CONCLUSIO V.

Sponsalia posteriora, etiam jurata, non irritant priora.

Ratio est; quia nullus potest se obligare ad dandum id, quod debitum est alteri. Juramentum autem superveniens sicut reperit secundam promissionem nullam, ita & nullam relinquit; cùm per juramentum non firmetur contractus invalidus, ut diximus in Decalogo disp. 2. q. 2. a. 7. Sed quid si contrahens nova sponsalia, cognoscat carnaliter secundam sponsam? Vel novæ sponsæ ignota erant priora sponsalia, vel non: si secundum, certissimè nulla sunt posteriora, cùm non potuit hæc acceptare validè, quod novit esse debitum alteri, & in hoc conveniunt DD. omnes. Si primum, volunt nonnulli valida esse posteriora, adeoque irritari priora. Sed omnino tenendum est contrarium; quia si nova Sponsalia fierent sine copula, nulla essent, ut fatentur illi: atqui fornicatio superaddita non validat contractum invalidum, cùm nequidem hoc faciat juramentum, ut diximus: ergo.

Dices 1. Potior est rei promissio & traditio, quàm sola promissio: sed per sponsalia priora sponsus tantùm corpus promittit, per posteriora, promittit & tradit: ergo.

Resp. Dist. Ma. Potior est rei promissio & traditio *valida*: C. sic promittens & tradens corpus per verum Matrimonium, dissolvit sponsalia priora, quamquàm peccet; quia valida est traditio. Promissio & traditio invalida: N. per copulam autem præfatam invalidè traditur corpus.

Dices 2. Jus fortius destruit jus minus; sed per sponsalia cum copula, jus fortius acquirit sponsa, quàm acquisierit altera per sola sponsalia: ergo &c.

Resp. Neg. Suppositum; quia tantùm abest, ut jus posterioris sit fortius, ut è contra sit nullum: undè sicut nullum jus acquireret tali casu per sponsalia solitaria, sicut & per solam copulam, ita & per utrumque simul; cùm copula illa, ut dixi, non habeat vim validandi promissionem invalidam.

Dices 3. Ratio postulat, ut prior sponsa cedat posteriori, utpotè grave detrimentum aliàs passuræ: ergo

Resp. Dist. Ant. Ratio postulat, ut cedat ex justitia: N. ex charitate: Transeat.

CONCLUSIO VI.

Matrimonium subsequens suspendit Sponsalitia priora, si cum alio fuerint contracta; non tamen extinguit.

Prob. 1. Pars; quia quamdiu durat Matrimonium contractum, non potest promissio adimpleri; cùm non possint cum duobus duo Matrimonia simul celebrari: ergo

Prob. 2. Pars; quia etsi Matrimonium subsequens sit impedimentum dirimens Sponsalia; quia tamen non est impedimentum perpetuum, sicut Ordo sacer, aut Professio Religiosa, sed quamdiu vixerit conjux; ideò mortua conjuge, censetur prior obligatio sponsalitia reviviscere: & certè si quis post votum Religionis suscipiendæ, iniret Matrimonium, teneretur, dissoluto Matrimonio, Religionem suscipere: quidni ergo tenetur in nostro casu ad priorem sponsam redire,

redire, si hæc vellet? Cùm jam incompatibilitas, ratione cujus præcisè non obligabaot sponsalia priora, sit totaliter ablata.

CONCLUSIO VII.

Dissolvi possunt Sponsalia, si superveniat comparti mutatio talis intrinseca, aut extrinseca, quæ si aote sponsalia accidisset, meritò homines ejusdem conditionis à spondendo retraxisset.

Ratio est; quia ex communi hominum sensu censetur hæc conditio tacitè apponi: *Nisi superveniat tale quid, ratione cujus homo prudens ejusdem status non erat aliàs promissurus*. Dico *Homo prudens* &c. Quia non assentior illis, qui volunt sufficere universaliter, si contrahens asserat se minimè promissurum fuisse, si ratio superveniens anteà extitisset; quia si hoc esset, quilibet facti pœnitens fingeret sibi facilè rationem sufficientem ad resiliendum.

Dices: Inde sequitur sponsalia nunquam esse absoluta, adeoque nunquam inducere impedimentum publicæ honestatis; quia semper pendent à conditione fortè obventura.

Resp. Neg. Sequel. & dico esse absoluta; quia conditio illa non suspendit valorem sponsalium, sed dat facultatem resiliendi, ubi ratio sufficiens advenerit. Ex dictis hac Conclusione

Resol. 1. Posse rescindi sponsalia ob supervenientem infirmitatem gravem & habitualem v.g. lepram, paralysim, morbum caducum, male olentiam stomachi &c. Idem est, si compars fiat multùm deformis per amissionem alicujus membri v.g. oculi, nasi, manus &c. Imò etiam sine amissione membri: quod præsertim verum est respectu sponsæ. Ratio est; quia non censetur, spondens, ad Matrimonium se obligare, nisi rebus in eodem statu permanentibus.

Resol. 2. Idem esse dicendum, si compars committat crimen, unde sequatur dedecus in fama, & in honore: & idem est si committatur ab ejus parentibus ita propinquis, ut censeatur infamia in ipsam redundare; quia in hominum existimatione graviter deterioratur.

Resol. 3. Etiam rescindibilia esse sponsalia, si ob casum supervenientem non possint parentes sponsi aut sponsæ dotem habere, aut si alteruter depauperetur; quia onus Matrimonii redditur difficilius: homo tamen generosus & ex amore sincero procedens, non deberet ad illa respicere, modò aliundè posset aliqualiter onera Matrimonii sustinere.

Resol. 4. Si unus contrahentium fiat notabiliter ditior ob adventum hereditatis inexpectatæ, aut aliunde, non posse proptereà resilire; quia talis noo fuit deceptus circa compartem, sed circa seipsum, qui non est objectum sui consensus.

Resol. 5. Fornicationem alterutrius esse causam sufficientem ad sponsalium dissolutionem Patet ex cap *Quemadmodum* de jurejurando, ubi licèt fiat tantùm mentio sponsæ fornicantis, etiam extendi debet ad sponsum, cùm frangenti fidem, fides possit reciprocè frangi. Sed quid si sponsa per vim fuerit oppressa? Eadem est Resolutio, quia vilior facta est. Imò idem teneo, si tactus impudicos sponte, non violenter, admiserit; quia licet tactus illi noo sufficiant in viro, si fiant raro, transeunter, & sine affectu speciali, sufficiunt tamen in fœmina; quia communi existimatione facti à sponso non cedunt io dedecus sponsæ, sicut admissi à sponsa cedunt in dedecus sponsi, ubi fiunt publici.

Resol. 6. Si uterque fornicetur, neutrum posse resilire; quia datur compensatio delicti. Gravius quidem dedecus inde oritur viro; sed si, hoc non obstante, non liceat viro maritato divortium facere in simili casu, nec licebit à sponsalibus resilire. Nec facit contrà, quod diximus de tactibus; quia si respectu sponsi imputari possit levitati tactus transitorius, non tamen actus completus, seu fornicatio.

CONCLUSIO VIII.

Si comparti ignoranti innotescant causæ aut circumstantiæ antecedentes sponsalia tales, ut si supervenissent sponsalibus, retraxissent virum prudentem ejusdem status à promittendo, sufficiunt regulariter ad dissolvenda sponsalia.

Dico: *Si comparti ignoranti*; quia si spondendo illas noverat, censetur juri suo cessisse, ac voluisse cum illo onere Matrimonium contrahere. Excipe tamen, nisi ex tali Matrimonio justè timerentur gravia scandala, aut dissentiones mortales inter familias ob alterutrius ignobilitatem, morum corruptionem &c. quia tunc etiam defectus illos cognoscenti liberum est, imò obligatorium resilire.

Ratio autem Conclusionis est, quòd etiam tacitè censetur apponi sponsalibus hæc conditio: *Nisi superveniat cognitioni meæ tale quid, ratione cujus* &c. sicut diximus Conclusione præcedenti: & ideò ubi reperit quis corruptam, quam prudenter crediderat virginem; pauperem, quam divitem; ignobilem, quam nobilem &c. non tenetur cum illa Matrimonium inire.

Dixi: *Regulariter*; quia non licet ob fornicationem viri ante sponsalia factam, sed post illa cognitam resilire, quamquam liceat, ut dixi, ob fornicationem sponsalia subsequentem.

Ratio est; quia non fregit fidem, & aliundè non censetur inde vilis sicut fœmina. Excipe tamen, nisi ex fornicatione illa nata esset proles adhuc vivens, & familiæ expensis nutrienda; quia posset esse discordiarum origo.

Petes: An unus contrahentium laborans certa infirmitate aut vitio, teneatur defectum comparti aperire ante Matrimonium?

Resp. Vel defectus ille occultus, est comparti probrosus, aut positivè injuriosus, vel tantùm minùs utilis, aut minùs gratus: si primum, debet aperiri, & quidem ante sponsalia, à fortiori ante Matrimonium; quia non debet quis commodum proprium quærere cum alterius incommodo & damno; & ideò sicut læderet justitiam vendens rem cum vitio occulto ementi nocivo; ita & puella graviter peccaret, si ex alio gravida, si habens prolem aliquandò manifestandam, si laborans morbo generationis impeditivo &c. id non manifestet. Si secundum, non est obligatio aperiendi, saltem ubi de illo non inquirit compars, quia nemo tenetur defectum suum propalare, ubi ex ejus silentio non evenit alteri probrum aut injustitia; & ideò si puella, quam putabas virginem, sit corrupta, sed secretò & sine prole; si quam credebas divitem, sit pauper; si quam nobilem, sit ignobilis &c. non peccat tacendo; quia tuum erat inquirere, non ipsius proclamare.

Dixi: *Saltem ubi de illo non inquirit compars*; quia tunc licèt possit puella dissimulare se esse corruptam, ubi id secretum est, non potest tamen negare, se esse pauperem aut ignobilem; cùm enim ille jus habeat interrogandi, puellæ inest obligatio veraciter & nudè respondendi: cùm inde nullum patiatur dedecus: sicut pateretur ex revelatione suæ corruptionis.

CONCLUSIO IX.

Denique dissolvuntur sponsalia, quandò pars altera ita se gerit vel differendo, vel recedendo, vel loquendo, vel agendo, ut moraliter credatur resilire.

Ratio est; quia cùm sponsalia sint contractus humanus, hominum est ex circumstantiis judicare, quandò censeantur perseverare aut desinere. Hinc

Resol. 1. Si sponsalia inita sunt, præfixo illorum executioni certo tempore, statim desinere obligationem ex parte illius, qui paratus est adimplere, si, transacto tempore ad finiendam obligationem posito, non impleat alter, nisi certè esset legitimè impeditus, impedimento saltem breviter minando; quia licet contrahentes expressè exceptionem illam non posuerint, censetur tamen subintelligi secundùm moralem existimationem. Prætereà legitimè impedito non currit tempus, ut jure privetur, cap. *Quia diversitatem*, de concess. Præb.

Resol. 2. Ubi tempus præfixum est, non ad finiendam, sed sollicitandam obligationem, debere, secluso impedimento, statim moraliter adimpleri; quia talis est contractuum natura, & ideò si unus contrahentium post illud tempus ad executionem bis aut ter expressè aut tacitè requisitus, adhuc ulteriùs differat, nullo allegato impedimento, censetur alter deobligatus.

Resol. 3. Quandò nullum fuit tempus determinatum, tunc terminari obligationem ex parte illius, qui non est causa dilationis, quandò, spectatis omnibus circumstantiis, adest commoda contrahendi opportunitas, nec ulla allegatur dilationis causa sufficiens, & tamen ter aut quater ulteriùs differtur.

Ratio est; quia ille, qui tamdiu est in mora, censetur moraliter juri suo cedere, cùm scire debeat non fuisse intentionem compartis se tanto tempore Matrimonio privare.

Resol. 4. Etiam liberam esse sponsam ab obligatione sponsalium, si sponsus in alia urbe figat domicilium. Patet ex ca. *De illis* de Sponsalibus, ubi legitur: *Qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & posteà dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, liberum erit mulieribus ad alia vota se transferre.* Sed quid si abeat in Regionem longin-

quam animo redeundi? Vel in decentum consensit puella, & tunc debet rediturum expectare, modò non ausit diutiùs, quàm promiserit: Vel non consensit; & tunc potest ab initio, si absentia debeat esse notabilis v. g. ultrà biennium in eodem Regno, & ultra triennium in alieno, cum alio Matrimonium inire. L. 2. C. *de repudiis*.

Petes: In quibus ipso jure Sponsalia dissolvantur.

Respond. Cum D. Thoma 3. par. qu. 43. art. 3. in Supplement. *In duobus scilicet cùm quis ad Religionem confugit: & cum alter conjugum cum altera per verba de præsenti contrahit, ipso jure Sponsalia dirimuntur, sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiæ*. Hoc tamen intellige, ubi Sponsalia sunt publica, & de causa ad dissolutionem sufficienti non constat publicè; nam ubi occultè celebrata sunt, possunt per unum contrahentium dissolvi, modò sit causa sufficiens, & indè nullum natum sit sequi scandalum: ubi autem publicè fuerunt peracta, etiam possunt ita dissolvi, si causa sit evidens & publica; quia cùm fuerint contracta sub conditione: *Nisi supervenìat* &c. ubi tale quid publicè intervenit, publicè constat Sponsalia non obligare, & sic frustrà recurreretur ad Judicem. Ad quem tamen recurrendum, ubi Sponsalia sunt publica, & causa occulta, sicut & quando timetur scandalum indè obventurum

Sed si quis causam occultam non posset in judicio probare, ut si nosset fornicationem suæ sponsæ, quam cum alio solo deprehendit? Posset, secluso scandalo, propria authoritate resilire; quia recursus ad Judicem esset sibi inofficiosus, cùm defectu probationis compelleretur eam ducere. Imò si Fornicaria, quia novit deesse testes, ipsum sollicitaret, & juridicè compelleret ad Matrimonium, deberet, suppresso illius crimine, acquiescere, nisi posset fugiendo evadere; quia crimen, quod non potest probari, injustè aperitur.

QUÆSTIO VI.

Quid dicendum de Bannis seu Denuntiationibus, inter Sponsalia & Matrimonium requisitis?

SAcra Synodus Tridentina sess. 24. de Reform. Matrimon. cap 1. *Præcipit, ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur*. Hujus præcepti occasione varia hic sunt resolvenda.

CONCLUSIO I.

ILlicitè contrahitur Matrimonium sine denuntiationibus, non tamen invalidè. Est certa quoad utramque partem.

Prob. 1. pars ex Concil. Lateran Cap. ult. *de clandest. desponsat* ubi legitur: *Statuimus ut, cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur competenti termino præfinito, ut intrà illum qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat*. Quod præceptum strictissimè innovavit Trident. sup. ità ut, cùm materia sit gravis, graviter peccet illi contraveniens, sive sit Parochus, sive contrahens: imò Parochus assistens Matrimonio sine præviis denuntiationibus celebrando, (idem est de alio Sacerdote) suspendi debet ab Officio per triennium à data sententiæ computandum, Cap *Cum inhibitio* de clandest. desponsat. Contrahens autem sine illis, si Matrimonium sit etiam ignoranter intra gradus prohibitos, *spe dispensationis consequendæ careat*, inquit Triden. Cap. 5. *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit*. Et ideò subreptitia esset dispensatio, si illam petens, defectum illum non expressisset. Insuper licèt Cap *Ex tenore*, legitimentur filii nati ex Matrimonio in gradibus prohibitis ignoranter contracto; favor tamen ille non subsistit, ubi non præcesserunt denuntiationes, Cap. *Cum inhibitio*.

Porro etsi verisimilius sit, omittentem unicam tantùm denuntiationem non incurrere pœnas præfatas, cùm non possit dici simpliciter solemnitates requisitas neglexisse, aut Matrimonio sine bannis assistere: crediderim tamen adhuc graviter peccare; quia posset fieri, quòd plurimi scientes impedimentum, adsint in tertia denuntiatione, qui non adfuerunt in aliis, quod sæpè accidit in magnis Parochiis; vel etiam quod quis ad tertiam usque denuntiationem distulisset, impedimentum aperire.

Prob. 2. Pars; quia etsi Concil. Lateran. & Trident. prohibeant sine denuntiationibus Matrimonium contrahi, nullibi tamen illud irritant, si aliter contrahatur: & hinc fit, quòd licèt graviter puniantur aliter contrahentes, nunquam tamen declarentur invalidè maritati.

CONCLUSIO II.

PRoclamatio Bannorum fieri debet in propria contrahentium Parochia; idque tribus diebus festivis continuis: nisi aliud expedierit. Colligitur 1. Pars ex Tridentino sup. præcipiente fieri in Ecclesia à proprio Parocho. Dico *à proprio Parocho* nempè utriusque: & ideò si sint diversæ Parochiæ, fieri debet in utraq; Parochia juxta præscriptum Ritualis Romani, & Cardinalium declarationis. Sed quid si contrahere volentes sint vagi? *Parochis præcipit* Trident. Sess. 24. Cap. 7. *nè illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint*, scilicet in locis ubi nati, aut diutius fuerunt commorati, *& re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerit*. Quando vero quis noviter habitat in aliqua Parochia, utiliùs fierent proclamationes in alia Parochia, ubi ob diuturniorem habitationem meliùs cognoscitur; quandoquidem fiant denuntiationes, *ut, si aliqua subsint impedimenta, faciliùs detegantur*, ut ait Trid. cap 1. In hoc tamen sequatur unusquisque praxim suæ diœceseos, &, ubi dubitandi ratio occurrit, consulat consulendos.

Prob. 2. pars ex eodem Concilio sup. id in terminis requirente. Censentur autem dies festivi continui, (quo nomine venit etiam dies Dominica) quandò inter unum & alium non intercedit alius dies festus, sed tantùm dies feriati. Expedit tamen ut, quandò festa sunt omninò continua fiat aliqua interpolatio, ut sic detegendis impedimentis tempus sufficiens concedatur; & ideò mos obtinuit in aliquibus Diœcesibus, ut non fiant proclamationes nisi diebus Dominicis, aut festivis discontinuis. Debent autem repeti denuntiationes, nisi Episcopo aliter visum fuerit, quandò ab ipsis factis effluxit plusquam bimestre, ut præscribit Rit. Rom.

Petes, an graviter peccaret Parochus, qui proclamaret Banna extrà Ecclesiam in aliqua concione solemni, aut etiam die feriato, ubi esset magnus populi concursus?

Resp. Neg. Quia finis Trident. Ecclesiam & diem festivum assignantis, fuit ut faciliùs, ob fidelium ibi & tunc copiosiùs concurrentium multitudinem, impedimenta, si quæ sint, detegantur: quod hic magis evenit.

CONCLUSIO III.

TEnetur quilibet sciens aliquod impedimentum *sivè* prohibens, sivè dirimens, sivè occultum, sivè publicum, illud denuntiare, etiamsi noverit ex secreto naturali, nisi posset impeditos per monitiones privatas secundum leges charitatis adhibendas, à contrahendo removere.

Ratio est: quia si non denuntiet impedimentum dirimens, erit in causa, cur contrahentes sint victuri in continuo concubinatu, aut sint cogendi posteà ad separationem cum magno scandalo: si impedimentum sit tantummodo prohibens v. g. votum castitatis, Religionis &c. cooperabitur suo modo contrahentium sacrilegio cum magna in utroque casu Sacramenti injuria: honori autem Sacramenti, sicut & saluti proximi cedere debet secretum naturale, imò & infamia denuntiati.

Petes. Sed quid si novisset Parochus impedimentum ex Confessione Sacramentali?

Resp. Vel id novit per Confessionem impediti, aut ejus compartis; vel ex Confessione tertii: si primum, debet ipsum monere de invaliditate Matrimonii contrahendi, omnibusque modis efficere ut resiliat à proposito sacrilego. Quod si tamen his non obstantibus, se offerat ad contrahendum, non potest repelli, nè reveletur sigillum Confessionis. Si secundum, monere debet personam de obligatione quam habet, illud extra-Sacramentaliter aperiendi: quod si renuat, inabsolutus debet remitti.

CONCLUSIO IV.

UBi verò novit Parochus impedimentum aliquod ſive dirimens, ſive prohibens, etiam occultiſſimum, licèt ex ſolo denuntiantis teſtimonio, ſi non ſit fidei rejiciendæ, debet volentes contrahere ſeriò monere; & interim, ſi perſiſtant in impia voluntate, ipſorum Matrimonio aſſiſtentiam fortiter denegare: imò & litem, ſi coram Officiali intentare voluerint, pro Dei gloria ſuſtinere; quia ſufficit Judici ut Matrimonium impediat, præfatum teſtimonium, ut colligitur ex cap. 1. *de Conſanguin.* ex cap *Juravit*, de Probationibus, & ex cap. *ad audientiam*, de Sponſalibus; quia non agitur de puniendo reo, ſed de avertendo malo. Debet tamen teſtis ille eam deponere ex certa ſcientia, & quidem ſub juramento, Plura Vide apud Canoniſtas.

CONCLUSIO V.

SUper denuntiationibus diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi juſta occurrat diſpenſandi cauſa.

Ratio eſt; quia licèt ante Tridentinum id tantùm poſſent ex conſuetudine à Summo Pontifice tolerata, eo quòd eſſent à Concilio Generali præceptæ; id tamen jam poſſunt ex conceſſione Trid. cap. 1. ubi legitur: *Niſi Ordinarius ipſe id expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittuntur: quod illius prudentiæ & judicio ſancta Synodus relinquit.* Quia autem Ordinarii nomine, etiam venit Epiſcopi Vicarius Generalis, eadem ipſi conceditur facultas, ubi illam ſibi non reſervavit Epiſcopus, qui, cùm poſſit totum Vicarii officium revocare, ita & partem.

Dixi: *Si juſta occurrant diſpenſandi cauſa*; quia hoc non relinquitur Ordinarii arbitrio, ſed prudentiæ & judicio, & ideò, ut egregiè monet S. Antoninus p. 1. tit. 17. cap. un. § 2. *Si prælati . . . pro ſola voluntate licentiam tribuant veniendi contra leges, ſecundùm Bernardum, non erunt diſpenſatores, ſed diſſipatores, & peccabunt ipſi diſpenſantes cum diſpenſatis, ſi eis utuntur.*

Porrò licèt unicam diſpenſationis cauſam alleget Tridentinum, nempè probabilem ſuſpicionem Matrimonii malitiosè impediendi; aliàs tamen non excludit, ut patet ex praxi quotidiana etiam à DD. timoratis approbata. Non debet tamen admitti frivolè, nè meritò exprobrent Hæretici, ſe eſſe nobis obſervantiores in denuntiationibus ſervandis. Ad quod ſeriò reflectere debent Epiſcopi.

Petes 1. Quid agere debeat Parochus cum mulieribus, quæ ſub prætextu diuturnæ maritorum abſentiæ, ſe dicunt viduas voluntque cum alio contrahere?

Reſpondet ad Quæſt. Clemens III. cap. *In præſentia*, de Spouſ. & Matrim. *Conſultationi tuæ*, inquit, *taliter reſpondemus, quòd quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium convolare canonicè; nec authoritate Eccleſiæ permittas contrahere* (nota) *donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

Petes 2. An poſſit Parochus aſſiſtere Sponſalibus illius, qui quidem cum alia anteà contraxit, ſed, ut ait, fictitiè?

Reſp. Non poſſe, niſi probetur fictitiam fuiſſe priorem promiſſionem? aliàs cùm priora Sponſalia in facie Eccleſiæ habeantur valida, ſemper habebuntur talia, niſi etiam in facie Eccleſiæ contrarium probetur.

Petes 3. Quæ ſit pœna Sacerdotis ſine licentia Parochi Matrimonio aſſiſtentis, aut ſponſos benedicentis?

Reſp. Eo ipſo eſſe ſuſpenſum, & quidem tamdiù quamdiù ad Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio accipienda erat, abſolvatur. Ita Trid. cap. 1.

Petes 4. Quid agere debeat Parochus cum ignorantibus rudimenta fidei.

Reſp. Differendam eſſe ipſis Sponſalium benedictionem, donec ſint ſufficienter inſtructi. Patet ex Rituali Rom. ubi habetur: *Uterque ſciat Rudimenta Fidei, cùm ea deindè filios ſuos docere debeant.*

DISPUTATIO II.

De Natura, partibus, & Miniſtro Matrimonii.

TRiplex aſſignatur communiter Matrimonium, nempè legitimum, ſeu validum; ratum, & conſummatum. Primum eſt illud quod contrahitur ſecundum lege, mutuo perſonarum idonearum conſenſu, quale etiam reperitur inter non baptizatos; cùm ut ſic abſtrahat ratione Sacramenti. Secundum, eſt idem contractum à fidelibus, ſeu pro ut ipſi accedit ratio ſacramenti, vi cujus dicitur ratum; quia magis indiſſolubile; cùm tamen contractus ab infidelibus ſit diſſolubile; per converſionem alterutrius ad Fidem; & ideò non ſolet dici ratum: quamquàm ſi matrimonium ratum ſumatur pro Matrimonio cui necdum acceſſit copula, ut non nunquam accipitur, conveniat cuilibet Matrimonio legitimè contracto, ſivè ſit Sacramentum, ſivè non. Tertium eſt illud, cui acceſſit copula.

Porrò Matrimonium ſivè legitimum, ſivè ratum conſiderari poteſt dupliciter, nempè prout eſt tranſiens, ſeu in ratione contractus, & prout eſt permanens, ſeu in ratione vinculi ex tali contractu moraliter remanentis; & de ipſo ſub hac duplici conſideratione hic agimus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Matrimonium, An præceptum?

CONCLUSIO I.

MAtrimonium in ratione contractus, ſeu *Contractus Matrimonii eſt maris & fœminæ mutua translatio corporum ſuorum pro uſu perpetuo ad procreandam prolem debitè educandam.* Ità Scotus 4. *diſt.* 26. q. unic. n. 17. qui ibi etiam definit Matrimonium in ratione vinculi his verbis: *Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile inter marem & fœminam ex mutua translatione poteſtatis corporum ſuorum in ſe invicem facta ad procreandam prolem debitè educandam.*

Dicitur 1. *Vinculum*, quod eſt denominatio extrinſeca, ſeu ens quoddam morale, reſultans & remanens ex præterito contrahentium conſenſu: & in hoc mutuo conjugum vinculo conſiſtit formaliter matrimonium ut eſt ſtatus permanens: quandoquidem illo poſito, ponatur Matrimonium, & illo ſepoſito, ſeponatur & ratio Matrimonii. Dico *ut eſt ſtatus permanens*; quia ut eſt quid tranſiens, ſeu contractus actualis, conſiſtit in mutuo contrahentium conſenſu.

Dicitur 2. *Indiſſolubile*; quia ubi Matrimonium conſummatum eſt; ſola morte alterius conjugum diſſolvitur: niſi certè unus conjugum infidelium fidem amplecteretur, ut anteà diximus.

Dicitur 3. *Ex mutua translatione poteſtatis corporum ſuorum*; quia in ordine ad uſum conjugalem, vir tradit corporis ſui poteſtatem mulieri, & mulier, ſui viro, juxta illud 1. Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet ſed mulier.*

Dicitur 4. *Ad procreandam prolem* &c. quia finis primarius & primariò intentus Matrimonii, eſt prolis procreatio & educatio, & conſequenter naturæ multiplicatio; ideò enim creavit Deus in hominibus ſexum diverſum, ut colligitur ex hoc Gen 1. *Maſculum & fœminam creavit eos, benedixitque illis dicens: Creſcite & multiplicamini.* Datur quidem alius Matrimonii finis, nempe remedium concupiſcentiæ, ſeu incontinentiæ; ſed hic tantùm eſt ſecundarius fuitque introductus occaſione naturæ per peccatum primi parentis vitiatæ, & ad carnalia propenſioris factæ, ut ii, quibus continentia nimiùm eſſet difficilis, poſſent fornicationem vitaturi, Matrimonium inire: unde Apoſtolus ſup: *Propter fornicationem autem*, nempe vitandam, *unaſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque ſuum virum habeat*, & infra: *Si non ſe continent, nubant.* An autem ſit peccatum veniale ob illum finem Matrimonium contrahere, aut conſummare dicemus agentes de uſu Matrimonii.

CONCLUSIO II.

Leitum est Matrimonium, sicut & usus illius, modò sit moderatus, & finis debitus intendatur. Est de fide in variis Conciliis contra varios hæreticos, quorum Antesignanus teste S. Irenæo lib. 2. cap. 22. fuit quidam Satrninus tempore Trajani Imperatoris. Hunc secuti sunt Marcionistæ, ut refert D. Hieronym. lib. 1. contra Jovinianum. Item Manichæi & Adamitæ juxta D. August. lib. de Hæresib. c. 51. Similiter Priscillianistæ, ut testatur D. Leo Epist. 41 quibus adjungit Albigenses S. Antoninus p. 4. tit. 11. c. 2. §. 5.

Fundamentum Conclusionis petitur tum ex Script. 1. Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccavit*, & infra: *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit*. Imò Hebr. 13. vocatur Matrimonium *honorabile conjugium*. Tum etiam ratione; quia licitum est medium, quod est necessarium ad finem licitum, ut per se patet: sed necessarium est Matrimonium ad debitam naturæ humanæ multiplicationem, quod est quid licitum, imo bonum & honestum: ergo. Prob. Min. Quia licèt per concubitum vagum & fornicarium procreantur proles, nunquam tamen debitè educarentur, ob patris incertitudinem, nisi liceret Matrimonium & sic multiplicaretur quidem natura, sed modo brutali, & non rationali, qualem decet creaturam rationalem.

Dices Exo. 19. præcepit Deus Israelitis, ut abstinerent ab uxoribus, quando legem erat daturus; imo etiam nunc id consulitur conjugibus nocte, antequam accedant ad sacram synaxim: ergo signum est non esse quid bonum, sed potiùs malum, utpote vitandum.

Resp. Neg. Conse. Quia licèt sit licitus, imò possit esse bonus usus Matrimonii, melior est tamen secundum se ejus abstinentia; & ideo aliquando hæc præcipitur aut consulitur, sicut præcipitur quandoque ob eamdem rationem abstinentia à secunda refectione, licèt duæ refectiones in die sint secundùm se licitè.

CONCLUSIO III.

Licèt præceptum nubendi obligaverit ab initio, propter naturam multiplicandam juxta illud Gen 1. *Crescite & multiplicamini*; jam tamen, dudum multiplicata sufficienter natura, non amplius obligat particulares, sed tantùm communitatem, sub conditione naturæ deficientis.

Prob. 1. pars; quia nequidem particulares obligabat in lege veteri; cùm in cœlibatu vixerint, Elias, Elisæus, Jeremias, Daniel, & quidam alii Prophetæ. In lege autem nova, exemplum de contrario dederunt nobis Sancti innumeri qui id didicerant à D. Paulo, qui postquam dixit 1. Corin. 7. *Qui Matrimonium jungit virginem suam, bene facit*, subdit: *& qui non jungit melius facit*. Non faceret autem meliùs, si præceptum foret nubendi: & indè retunditur garrulitas certorum hæreticorum castitatem in Clericis condemnantium.

Prob. 2. Pars; quia si teneatur communitas subditorum suorum conservationi incumbere, quanto magis teneretur toti naturæ deficienti succurrere, præcipiendo nuptias aliquibus, qui tenerentur eo ipso obedire. Imò si pauci remanerent, & appareret esse mundi occasum, tenerentur singuli, etiam Religiosi, aut sacris Ordinibus initiati, nubere propter eamdem rationem.

QUÆSTIO II.

An Matrimonium sit novæ legis Sacramentum?

Quadruplex est circa hanc quæstionem opinio. 1. Lutheri & Calvini, aliorumque hujus temporis Sectariorum negantium absolutè Matrimonium esse Sacramentum. 2. Durandi dicentis esse quidem Sacramentum hoc sensu quòd sit signum rei sacræ, nempè conjunctionis Christi cum Ecclesia; non tamen signum gratiæ sanctificantis. 3. Nonnullorum Catholicorum volentium fuisse sacramentum propriè dictum à Mundi exordio, quando nempè Deus conjunxit Adam cum Eva in statu innocentiæ; in statu verò peccati fuisse reparatum ad sacramenti dignitatem ex prævisis Christi meritis; & ita semper perseverasse ad Christum usque, qui illud in ratione sacramenti non instituit, sed institutum confirmavit. 4. Communis & vera tenens esse novæ legis Sacramentum ab ipso Christo primò institutum.

CONCLUSIO I.

Matrimonium non fuit ab exordio Sacramentum conferens gratiam.

Prob. 1. ex Triden. sess. 7. can. 7. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis* (inter quæ numerat Matrimonium) *non fuisse omnia à* JESU CHRISTO *instituta .... Anathema sit*. Imò sess. 24. can. 1. idipsum definit specialiter de Matrimonio his verbis: *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis à Christo Domino institutum .... Anathema sit*. Ex quibus patet Christum dici hujus sacramenti institutorem, sicut dicitur aliorum: atqui aliorum non tantùm fuit confirmator, sed verus institutor, ut fatentur Adversarii: ergo.

Prob. 2. Quia Baptismus, ut suo loco ostendimus, est janua aliorum sacramentorum, non tantùm quoad effectum, sed etiam quoad valorem, atqui hoc esset falsum, cùm posset Judæus, adeoque non baptizatus, validè Matrimonii sacramentum suscipere, præsertim cùm Christus legem veterem abrogando, Matrimonium in ratione sacramenti non abrogaverit, sed confirmaverit, ut ajunt Adversarii: ergo.

Dices 1. Postquam creavit Deus masculum & fœminam, benedixit illis dicens: *Crescite & multiplicamini*, Gen. 1. atqui credibile est benedictionem illam fuisse signum gratiæ pro primis parentibus eorumque posteris: ergo.

Respond. Neg. Min. Sed tantùm fuit approbatio operis patrati, sicut fuit benedictio data priùs volatilibus & aquatilibus.

Dices 2. cap. *Gaudemus*; de divortiis, legitur *Cùm sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat*; ergo satis insinuatur ante Christum extitisse.

Respond. fieri ibi mentionem sacramenti, prout est signum speculativum rei sacræ, seu præcisè repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia; non autem prout est signum practicum, seu effectivum gratiæ sanctificantis, de quo hìc agimus, & hoc sensu veniunt intelligendi SS. Patres, cùm nomen sacramenti tribuunt cuilibet Matrimonio legitimo.

CONCLUSIO II.

Matrimonium est verum novæ legis sacramentum, est de fide.

Prob. 1. ex Script. ad Ephes. c. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia* Scio aliquibus, etiam Scoto, non videri textum illum convincentem, eo quòd intelligi possit de signo repræsentativo conjunctionis præfatæ: sed etiam scio, cùm ad id assumatur à Tridentinis Patribus, magni esse ponderis: & certè pronomen *Hoc* refertur ad id quod immediatè præcesserat: non præcesserat autem conjunctio Christi cum Ecclesia, sed viri cum muliere his verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. v 31.

Prob. 2. Ex Conc. Flor. in Decreto unionis, ubi computato inter alia Matrimonio, definit esse septem novæ legis sacramenta. Idem apertè definit Trid. l.c; Concl.e.

Prob. 3. Ex Aug. lib. de bono conjugali cap. 18. *In nostratum quippè nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas uteri*. Et lib. de fide & operib. cap. 7. *In Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, verùm etiam sacramentum ita commendatur*, ut &c. Idem docent alii Patres, quos consule apud Bellarminum.

Prob. 4. Si Matrimonium esset contractus purè civilis, seu non elevatus ad dignitatem sacramenti, cur ab Ecclesiæ incunabulis semper tractatum fuisset ut cæremonia sacra, in loco sacro, ritibus sacris, & à Ministro sacro, cùm alii contractus civiles non sic tractentur?

His omnibus accedit perpetua & constans Ecclesiæ traditio: unde Trid. in Proœmio sess. 24. *Meritò*, inquit, *inter novæ legis sacramenta annumerandum* (Matrimonium) *SS. Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ Traditio semper docuerunt*.

Obji. 1. Matrimonio junctus non potest Ordinibus sacris initiari, & è contrà: sed sacramentum sacramento non repugnat: ergo vel Ordo non est sacramentum, vel Matrimonium.

Resp. Dist. Ma. Non potest &c. vi ipsius sacramenti: N. contrarium enim patet apud Græcos, ubi maritati ordinantur Presbyteri. Vi statuti Ecclesiæ latinæ requirentis, ad melius esse,

eſſe, in tractantibus ipſiuſmet puritatis fontem, corporis & animæ munditiem: Tranſeat. Dico *Tranſeat?* quia etiam permittitur Latinis non bigamis, ordinati, ſi adſit conſenſus uxoris continentiam eligentis.

Obji. 2. Id non poteſt eſſe Sacramentum, à quo melius eſt abſtinere: ſed melius eſt non nubere, quàm nubere, ut patet ex illo Apoſtoli 1. Corinth 7. *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit, & qui non jungit, melius facit:* ergo.

Reſp. Neg. Ma. Quia licèt ſit perfectior cœlibatus, perfectus eſt tamen contractus matrimonialis, cui proindè, ad ſuſtinenda chriſtianè illius onera, gratiam annectere potuit Chriſtus. Imò dici poteſt contractum illum in ratione Sacramenti eſſe perfectiorem cœlibatu, licèt ſtatus conjugalis non ſit ita perfectus, ac ſtatus virginalis.

Obji. 3. Idem eſt omninò Matrimonium apud infideles, ac apud fideles: ſed apud illos non eſt Sacramentum: ergo nec apud nos.

Reſp. Eſſe quidem idem in ratione contractus; ſed quia infideles non intendunt Sacramentum, & aliunde ſunt illius incapaces defectu Baptiſmi, licèt contrahant ſicut fideles, non recipiunt tamen Sacramentum, ſicut hi.

Obj. 4. Eccleſia varia mutavit circa ſubſtantiam Matrimonii: ſed nihil poteſt circa ſubſtantiam Sacramentorum, ut expreſſè docet Tridentinum: ergo ſupponit Matrimonium non eſse Sacramentum.

Reſp. Diſt. Ma. Varia mutavit circa Matrimonium, ut eſt contractus: C. ut eſt Sacramentum: N. nam ſubſtantia Matrimonii ut Sacramenti, eſt contractus legitimus; jam autem licèt Eccleſia, ad tollendos abuſus, certas conditiones aut circumſtantias requiſierit ad contractum matrimonialem legitimum; nunquam tamen fecit ut, quod non eſt contractus legitimus, ſit Sacramentum Matrimonii, quod eſſet Sacramenti ſubſtantiam mutare.

Obji. 5. Sacramenta conferunt gratiam, dum perficiuntur: ſed Matrimonium non confert gratiam, dum exercetur carnalis copula, per quam perficitur: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Dum perficiuntur ſuis intrinſecis: C. extrinſecis: N. Copula autem, licèt dicatur Matrimonii conſummatio, ipſum tamen non perficit intrinſecè in ratione contractus, aut Sacramenti; cùm verus ſit contractus, verumque Sacramentum, etiamſi non ſequatur copula, ut dicemus de Matrimonio inter B. Virginem & S. Joſeph.

Obj. 6. Contrahentes paciſcuntur de dote: ergo, ſi contractus ille ſacramentum eſt, ſimoniacus eſt.

Reſp. Diſt. Ant. Paciſcuntur de dote, ita ut pactum reſpiciat Matrimonium, ut eſt contractus purè civilis, ex quo ſequuntur varia onera per dotem ſuſtinenda: C. ut Sacramentum eſt: N. quia ex illo ut ſic, ſequitur favor & non onus

QUÆSTIO III.

Quandonam inſtitutum fuerit Matrimonium?

QUæritur de Matrimonio ſub duplici conſideratione, nempè ut contractus eſt, & ut Sacramentum.

CONCLUSIO I.

MAtrimonium in ratione contractus, ſeu vinculi perpetui & indiſſolubilis, inſtitutum fuit à Deo in principio mundi. Eſt comunis inter Thomiſtas & Scotiſtas, eorumque Principes contra Vaſquez, & quoſdam alios, qui volunt jure naturæ & non divino poſitivo, fuiſſe inſtitutum. Aſt licet jus naturæ dictet debere eſſe quemdam contractum inter marem & fœminam, ut debitè genus humanum propagetur & educetur; non dictat tamen debere eſſe perpetuum, & ad mortem alterutrius conjugum: cùm poſſet eſſe quamdiu uxor apta erit prolibus generandis, & aliundè proles generatæ erunt ſufficienter educatæ; & ideò, cùm ex lumine naturali non deducatur neceſſaria contractus illius perpetuitas, ſtandum eſt Concluſioni.

Prob. Autem; quia, cùm Matrimonium quatenus vinculum indiſſolubile, & perpetuum, non ſit de jure naturæ, ut jam diximus, & aliundè ut tale fuerit ab initio mundi, cùm ex tunc dictum fuerit: *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, nempe uſque ad mortem alterutrius, eò quòd nulla ponatur ibi temporis limitatio, concludendum eſt fuiſſe ab initio à Deo Inſtitutum; unde Auguſt. lib. 14. de Civit. Dei, cap. 24. *Nuptias Deus ante peccatum hominis conſtituit.*

Dices: Verba illa: *Relinquet homo* &c. non fuerunt à Deo, ſed à primo parente dicta: ergo malè infertur Deum fuiſſe illius authorem.

Reſp. Diſt. Ant. Dicta fuerunt à primo parente ut Matrimonii præcone: C. ut inſtitutore N. undè non loquebatur in perſona propria, ſed Dei, ut patet ex illo Matth. 19. *Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos, & dixit*, nempè per os Adami: *propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ* &c.

CONCLUSIO II.

MAtrimonium in ratione Sacramenti probabiliùs inſtitutum fuit, quando Chriſtus dixit Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Ita Scotus diſt. 26. n. 13. & alii communiter.

Prob. de fide eſt Matrimonium elevatum fuiſſe à Chriſto ad dignitatem Sacramenti: ſed nullus locus in toto Evangelio congruentior aſſignari poteſt: ergo.

Dices 1. Dici poſſet inſtitutum fuiſſe in Cana Galilææ, ubi Chriſtus nuptias ſua præſentia ſanctificavit.

Reſp. Licèt nuptias illas ſua præſentia honoraverit, nihil tamen ibi dixit aut fecit, undè colligi poſſit elevatio Matrimonii ad dignitatem Sacramentalem.

Dices 2. Chriſtus Matth. 19. tantùm confirmavit indiſſolubilitatem Matrimonii: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Tantùm confirmavit indiſſolubilitatem terminis explicitis: C. implicitis N. quia renovando indiſſolubilitatem, credimus annexuiſſe gratiam ſacramentalem: cùm conſtet id aliquando feciſſe, nec potuerit tempore opportuniori, quàm loquendo ex profeſſo de Matrimonio, ſicut ibi.

QUÆSTIO IV.

An dari poſſit in baptizatis Matrimonium, quod non ſit Sacramentum, & an poſſit eſſe Sacramentum in uno & non in altero?

DIco In baptizatis; quia certum eſt non baptizatos, licèt ſint capaces Matrimonii, ut eſt contractus civilis, non eſſe capaces Matrimonii ut Sacramenti; cùm defectu Baptiſmi ſint omnium Sacramentorum incapaces.

CONCLUSIO I.

DAri poteſt in baptizatis matrimonium validum in ratione contractus, quod tamen non ſit Sacramentum. Videtur probabilior, cui non contradicit Scotus, ſi benè inſpiciatur.

Prob. 1. Ad Sacramenti valorem requiritur intentio Miniſtri, ut patet ex antea dictis: ſed Miniſtri Matrimonii, qui ſunt contrahentes, ut dicemus infrà, intendere poſſunt contractum civilem, omniaque neceſſaria ad ejus ſubſtantiam ponere, & non intendere Sacramentum ergo.

Prob. 2. Quia ratio Sacramenti non eſt de intrinſeca ratione contractus matrimonialis; cùm hic contractui valido, & in ſua ratione completo, ſuperaddita ſit à Chriſto dignitas Sacramentalis; & conſequenter ſicut erat vetus contractus ante ſuam elevationem ſine Sacramento, ita & nunc poteſt eſſe ſine illo.

Dices 1. De fide eſt ex Florentino & Tridentino Matrimonia fidelium eſſe Sacramenta: ergo etiam de fide eſt, omnia fidelium Matrimonia eſſe Sacramenta, cùm propoſitio inde terminata in materia fidei æquivaleat univerſali.

Reſp. Diſt. Ant. De fide eſt, eſſe Sacramenta, ubi adeſt intentio Sacramenti C. ubi deeſt: N. nam Sacramentum juxtà Concilia præfata non ſubſiſtit ſine illa intentione.

Dices 2. Ubi adeſt intentio contrahendi in baptizatis, adeſt & intentio Sacramenti, etiam ſi videantur nolle Sacramentum: ergo. Prob. Ant. quia ipſemet contractus eſt ipſummet Sacramentum. Accedit quòd Matrimonium in ratione Sacramenti non habeat aliam materiam & formam, quàm in ratione contractus, cur igitur requireret aliam intentionem?

Reſp. Neg. Ant. & ejus probationem; quia licèt Chriſtus contractum matrimonialem fidelium elevaverit ad dignitatem Sacramenti, ſicut elevavit ablutionem corporalem factam cum hac Forma: Ego te baptizo &c. Noluit tamen ut eſſet de facto Sacramentum, niſi Sacramentum intenderet contrahens: undè ſicut abluens, etiam cum præfata Forma, non facit Sacramentum, ſi illud non intendat, ita nec contrahens.

Dices

Dices 3. Non potest subsistere Matrimonium ut Sacramentum, nisi subsistat ut contractus: ergo nec potest subsistere ut contractus, nisi subsistat ut Sacramentum.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd ratio Sacramenti sit superaddita contractui valido, adeoque necessariò contractum verum supponat; contractus autem matrimonialis non dependeat à sacramento, cùm esset verus contractus, antequam fieret sacramentum, & factus sacramentum aliam essentiam in ratione contractus non habeat.

Dices 4. Si ratio Sacramenti separari posset à contractu matrimoniali, licitè quandoque fieret, imò quandoque expediret, ut dum contrahens esset in statu peccati, de quo non pœniteret.

Resp. Neg. Assump. quia tenetur quilibet actionem, quam Christus sacramentalem instituit, sacramentaliter tractare, adeoque sacramentum intendere; quandoquidem eo ipso, quo actio aliqua sacra facta est, sacrè, & prophanè sit ponenda. Si quis autem affectum habeat ad peccatum, vel pœniteat, vel hic & nunc à Matrimonio abstineat.

Dices 5. Christus voluit independenter à contrahentibus, ut contractus matrimonialis esset Sacramentum: ergn nullatenus dependet ab illorum intentione, ut sit tale.

Resp. Dist. Ant. Voluit, id est, instituit independenter à contrahentibus: C. voluit, ut esset Sacramentum in actu independenter ab illis: N.

CONCLUSIO II.

POtest Matrimonium, etiam inter baptizatos, esse Sacramentum in uno contrahentium & non in altero.

Ratio est, quia potest unus illorum velle contractum, & nolle recipere Sacramentum. Dico *Nolle recipere*; quia ut sit sacramentum etiam in uno solo, debet uterq; contrahens velle illud conficere, cùm non unus sed uterque sit Minister hujus sacramenti. Debet tamen nollens sacramenti susceptionem, ità illius confectionem intendere, ut illud velit alteri, & non sibi ministrare

Dices: Quilibet contrahentium ministrat sibi sacramentum: ergo non requiritur concursus alterius ministrantis.

Resp. Dist. Ant. Quilibet ministrat sibi inadæquatè: C adæquatè: N. quia cùm unus non facit adæquatè contractum; ità nec unus conficit & ministrat adæquatè sacramentum sive sibi, sive alteri; & ideò si unus nolit sacramenti confectionem, nullus sacramentum recipit, quidquid intendat alter. Ex his

Resol. Si ex dispensatione Pontificia contraheret fidelis cum infideli, quidquid intenderet, non recepturum sacramentum, nisi infidelis intendat sacramentum conficere, & alteri ministrare: hac autem intentione posita, sacramentum reciperet fidelis, quia licèt sit incapax infidelis (utpotè non baptizatus) hujus sacramenti recipiendi, non est tamen incapax conficiendi; cùm Baptismus sit quidem janua sacramenturum recipiendorum, non tamen ministrandorum.

Fatendum tamen etiam probabilem esse sententiam tenentem, quemlibet contrahentium sibi ministrare sacramentum, quia dici potest ut ait Scotus dist. 26 q. 1. n. 15 quod uterque sit quidem minister integritatis, non tamen indivisibilitatis respectu sacramenti, licèt sit talis respectu contractus.

Petes, An Matrimonium à non baptizatis validè contractum, fiat sacramentum ubi baptizantur?

Resp. Neg. Licèt tunc consensum renovent & Sacramentum intendant; quia equidem non fit contractus matrimonialis, sed confirmatur factus: si autem ad sacramentum sufficeret facti confirmatio, aut ratificatio, possent fideles singulis diebus, imò pluries in die hoc sacramentum celebrare, & gratiam recipere: quod nemo somniavit.

Dices 1. Solus Baptismi defectus impediebat, ne contractum foret sacramentum: ergo ubi advenit Baptismus, ipsum contractum adhuc moraliter perseverantem reddit Sacramentum

Resp. Neg. Conseq. Quia ratio sacramenti non competit contractui in facto esse, seu in esse moraliter permanenti; sed contractui in fieri, seu quando applicatur actualiter materia & forma; quandoquidem sacramentum hoc, sicut quodlibet aliud, excepta Eucharistia sit actio transiens.

Dices 2. Post Matrimonium baptizatis conferuntur gratiæ actuales ad sustinenda Matrimonii onera, sed hæ gratiæ sunt effectus sacramenti Matrimonii: ergo.

Resp. Quidquid sit de majori, N. Min. undè si conferantur gratiæ auxilia, credibile est conferri intuitu Baptismi & fidei susceptæ, & non sacramenti Matrimonii, quod nunquam extitit, ut probavimus.

QUÆSTIO V.

Quæ sit materia & forma hujus Sacramenti?

VArii varias assignant hujus sacramenti materias & formas; ita ut Aversa decem referat circa materiam præsentem opiniones nec mirum; quia Florentinum in Decreto Eugenii determinans singulas aliorum sacramentorum materias & formas, hujus sacramenti nec materiã determinavit nec formam. Nos probabilioribus innixi fundamentis, probabiliorem eligemus.

CONCLUSIO I.

MAteria remota hujus Sacramenti est dominium in mutua contrahentium corpora in ordine ad usum conjugalem tantùm; Materia autem proxima, traditio ejusdem Dominii.

Prob. 1. Pars; illa est materia hujus Sacramenti, quæ est materia contractus matrimonialis; quandoquidem Christus hunc contractum non immutaverit, sed eundem ad dignitatem sacramentalem evexerit: atqui materia remota contractus matrimonialis est dominium seu potestas præfata: ergo. Prob. Min. quia materia in hoc contractu assignanda est sicut in aliis contractibus, id est res de qua contrahitur; hic autem contrahitur de mutuo corporum dominio.

Dixi 1. in Conclus. *Dominium in mutua corpora*, & non *mutua corpora*, sicut satis communiter asseritur; quia hæc in rigore non sunt nisi materia mediata hujus contractus; nisi quis dicat objectum hujus contractus esse dominium & corpora simul, sicut objectum emptionis Villæ, est simul dominium & Villa.

Dixi 2. *In ordine ad usum conjugalem tantùm*; & in hoc differt hic contractus ab aliis, in quibus conceditur res in omnem usum licitum.

Prob. 2. pars; quia sicut in aliis Sacramentis Materia proxima dicitur traditio Materiæ remotæ, ita & hic pariter. Traditio autem illa censetur fieri non per mutuum manus contactum; quandoquidem illo absente, adhuc subsisteret sacramentum, sed per consensum signo externo expressum.

CONCLUSIO II.

VErba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt Forma hujus Sacramenti. Ita in terminis Doctor Angelicus 4 dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 1. cui conformis est Doctor Subtilis eadem dist. qu. unica, num. 14. Per verba autem intelliguntur & alia signa æquipollentia, ut sunt nutus, ne aliàs excludantur à ratione Sacramenti Matrimonia mutorum.

Ratio Conclusionis est, quòd Forma contractuum sint verba consensum exprimentia, sive consensus per verba expressus: ergo similiter Forma hujus Sacramenti, quod est essentialiter contractus.

Dices 1. Consensus est causa efficiens hujus sacramenti: ergo non est illius Forma.

Resp. Neg. Conseq. quia etiam absolutio est causa efficiens Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen est illius Forma, imò tota illius essentia, secundum Nos. Cujus ratio est, quod licèt in physicis causa efficiens non sit ordinariè Forma compositi à se causati, in moralibus tamen, ubi eadem res sub vario respectu potest considerari, etiam varium munus potest obire: unde consensus in quantum causat vinculum obligatorium, dicitur causa efficiens contractum; in quantum verò determinat rem, de qua contrahitur, ut sit Materia contractus, dicitur Forma.

Dices 2. Consensus non determinat traditionem ad esse contractus: ergo respectu illius non habet rationem Formæ. Prob. Ant. quia traditio sequitur ordinariè contractum completum.

Resp. Neg. Ant. Ad Probationem dico, licèt illud esset verum de traditione rei physicæ, ut quando venditur equus, qui non solet tradi, nisi contractu completo, non tamen semper est verum de traditione rei moralis, ut est hic dominium seu potestas in mutua corpora, cùm illa fiat eo ipso quo proferuntur verba consensus expressiva. Imò quamvis traditio præfata sit posterior consensu, ut habet rationem causæ, est tamen prior ipso, ut habet rationem Formæ; quia ut sic consideratur ut acceptatio, quæ præsupponit traditionem saltem moralem.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quis sit Minister hujus Sacramenti?

Docuit Catharinus, Ministrum hujus Sacramenti esse Deum ipsum, quem vult virtute horum verborum *Relinquet homo patrem* &c. initio mundi prolatorum, & à Christo confirmatorum, sanctificare omnia Catholicorum Matrimonia, absque alterius Ministri, aut verborum interventu; sed omninò singularis est opinio illa. Alia non ita singularis asserit esse Parochum sponsos per hæc verba: *Ego vos conjungo*, benedicentem; sed huic etiam contradicit sententia communis, quæ est hæc.

CONCLUSIO UNICA.

Ministri hujus Sacramenti sunt ipsimet contrahentes; quilibet partialis, uterque totalis. Est Scoti dist. 26. q. un. n. 15. ubi ait: *Plurimùm ipsimet contrahentes ministrant sibi ipsis hoc Sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi*. Ponit autem *plurimùm*, non quia credit aliquando ministrari per Procuratores, de quibus posteà. Eamdem doctrinam tradit D. Thomas diversis locis, & præsertim 4. dist. 26. q. 2. art. 5. ad 1. ubi legitur: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt Forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale*. Si autem ejus verba non sint Forma Sacramenti, nec ipse ministrat sacramentum; cum non concurrat per aliud.

Prob. 1. juxtà Florentinum in Decreto unionis, contrahentes conficiunt hoc sacramentum mutuo consensu, ait enim: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus*: sed ille ministrat, qui conficit: ergo. Malè autem diceretur Concilium tantùm loqui de Matrimonio ut contractus est, nam loquitur de Matrimonio, quod dixerat esse unum ex septem sacramentis, de quibus ibi ex professo tractat ad instructionem Armenorum.

Prob. 2. ex Concilio Trident sess. 24. cap. 1. ubi docet quòd licèt Ecclesia semper detestata fuerit Matrimonia clandestina, id est, sine Parocho celebrata, semper tamen fuerunt vera & rata Matrimonia, quamdiu Ecclesia non fecit illa irrita. Ex quo sic argumentor: Ante irritationem Tridentini valida erant Matrimonia sine Parocho: ergo tunc Parochus non erat illorum Minister; atqui Tridentinum irritando Matrimonia illa non instituit novum Matrimonii Ministrum, cùm institutio Ministri Sacramenti, non Ecclesiæ, sed soli Deo competat: ergo sicut tunc soli contrahentes erant Ministri, ita etiam nunc.

Dices Concilium tantùm velle Matrimonia clandestina fuisse vera & rata in ratione contractus, non autem in ratione Sacramenti; Parochus autem Minister est Matrimonii ut Sacramenti. Sed

Contra est 1. quòd Ecclesia per Matrimonia rata intelligat Sacramenta: & ideò Innocentius III. asserit Cap. 7. *de Divortio*, Matrimonia infidelium esse vera, sed non rata; fidelium verò, esse vera & rata, quia hæc sunt Sacramenta, non illa.

Contra est 2. quòd Cardinales hujus Concilii Interpretes, declaraverint Episcopo Salamantino sufficere ad substantiam hujus Sacramenti præsentiam Parochi etiam dissentientis & contradicentis: quod falsum esset, si Parochus esset Minister, cùm ad valorem Sacramenti requiratur consensus & intentio Ministri: Non pertinet, inquiunt, ad substantiam Matrimonii, ut Parochus aliqua verba proferat; ideo valet Matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum prolata sint tantùm à contrahentibus, dummodò Parochus sit præsens & intelligat id quod agitur, licèt dissentiat & contradicat. Agunt autem ibi de matrimonio etiam ut Sacramento; cùm Episcopo dubitanti respondeant non requiri verba Parochi; nullus autem dubitavit valere Matrimonium in ratione contractus tantùm sine verbis Parochi.

Prob. 3. Conclusio: Iidem sunt Ministri Matrimonii ut Sacramenti, ac Matrimonii ut contractus: sed hujus Ministri sunt contrahentes, ut fatentur Adversarii: ergo & illius. Prob. Ma. Quia Christus nulla facta mutatione circà contractum hunc civilem, ipsum ad Sacramenti dignitatem elevavit; & consequenter sicut non mutavit illius Materiam aut Formam, ità nec Ministros.

Obji. 1. Præcipit Tridentinum sess. 24 cap. 1. ut Parochus, intellecto contrahentium consensu, dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo* &c: ergo de facto conjungit, aliàs falsum proferret: sed non conjungit in Matrimonium sub ratione contractus, utpotè jam per consensum mutuum completi: ergo in ratione Sacramenti, adeoque illius est Minister.

Resp. Dist. Primum consequens ergo conjungit effectivè: N. aliàs ejus verba non essent *quoddam sacramentale*, ut loquitur S. Thom. sed Sacramentum partialiter, utpotè forma. Conjungit approbativè, seu approbat conjunctionem jam factam: C. Accedit quod Concilium non præcipiat Parocho, ut dicat præcisè: *Ego vos conjungo*, sed vel illis *vel aliis utatur verbis juxtà receptum cujusque Provinciæ ritû* quod sanè non addidisset si credidisset prætata verba proferri à ministro tanquam Formam; nam cum sciret in nulla, aut ferè nulla mundi Christiani Provincia verba illa aut æquivalentia haberi pro Forma, sed pro sola cæremonia (ferè enim omnes Tridentini Patres ità sentiebant, ut testatur Palavicin. lib. 20. c. 4. n. 1.) non reliquisset cuilibet provinciæ verborum determinationem.

Obji. 2. Quosdam Patrum textus, quibus insinuant Sacerdotem Matrimonium *subsignare*, ut Tertull. lib. 2. ad uxorem cap. 9. *sanctificare*, ut Ambrosius Epist 70. *Consolidare*, ut Augustinus in Psalm. 149. sed illa non præstarent, nisi essent illius Ministri: ergo.

Resp. illa potiùs nobis favere, cùm *subsignare* & *consolidare*, non importent efficientiam, sed rei effectæ approbationem. Dicitur autem Parochus *sanctificare*, sed negativè, in quantùm si Matrimonio non adfuisset, etiam ante Tridentinum, non fuisset Sanctum, sed illicitum.

Obj. 3. In Synodo Cameracensi an. 1567. ca. 1. In Rituali Romano Pauli V. In Manuali Mechliniensi 1589 & 1607. Iprensi 1576. dicitur Parochus hujus Sacramenti Minister.

Resp. Dici Ministrum, non quia Sacramentum conficit, sed quia ad ejus cæremonias & solemnitatem principaliter concurrit: quod satis insinuat Concilium Viennense sub Clemente V. ubi, lata in Religiosos Matrimonia celebrantes excommunicatione, vocantur assistentes Matrimonio, non *conficientes*, sed *solemnizantes*.

Obji. 4. Evaristus Papa ut refertur 30. q. 5. ca. 1. dicit Matrimonia sine benedictione Sacerdotis contracta, non esse conjugia, sed adulteria: ergo supponit sacerdotem esse illorum Ministrum.

Resp. Sic ab Evaristo vocari, non quia non essent vera Matrimonia, & sacramenta, cùm doceat Tridentinum sup. fuissa vera & rata, sed quia illicitè contracta; undè loquitur per quandam exagerationem, ad incutiendum majorem Matrimoniorum clandestinorum horrorem.

Obji. 5. Cum Vanroy: Omnia Sacramenta conferuntur vice Christi; ita ut sivè Petrus, sivè Paulus illa ministret, verum sit dicere: Christus baptizat, Christus absolvit, Christus ordinat: sed sponsi dicentes: *Accipio te in meum, vel in meam*, non loquuntur vice Christi; aliàs videretur Christus principaliter quasi uxorem ducere: ergo contrahentes non sunt Ministri.

Resp. Dist. Min. Non loquitur vice Christi in quantùm faciant contractum civilem, seu inquantùm sese invicem accipiunt & acceptant in ordine ad carnale commercium: C. in quantùm faciunt Sacramentum, seu in quantùm sese invicem quasi uniunt per gratiam, quam sibi mutuò ministerialiter communicant: N. sic enim Christus per gratiam accipit sponsum in suum, & sponsam in suam

Obji. 6. Cum eodem: Ante Tridentinum copula carnalis sponsorum supplebat vices horum verborum *Accipio te* &c: sed actio illa non fiebat vice Christi: ergo.

Resp. Dist. Ma. Copula carnalis præcisè: N. erat enim etiam tunc secundùm se indifferens, ut fieret in ordine ad contrahendum Matrimonium, vel ad explendam fornicariè libidinem. Copula cum manifestatione mutui consensus in ordine ad contractum matrimonialem: C. sed tunc non copula, sed utriusque consensus externè manifestatus fiebat vice Christi prout ordinabatur ad Sacramentum.

Obji. 7. Ut sit Sacramentum, debet Minister illud intendere: sed plurimi idiotæ contrahentes non intendunt facere Sacramentum, cùm nesciant se esse illius Ministros: ergo.

Resp. Dist. Min. Non intendunt explicitè: Transeat. implicitè. N. volunt enim facere, quod vident ab aliis fidelibus fieri & consequenter cum hi faciant Sacramentum, volunt & facere illi; undè sicut nescientes Matrimonium esse Sacramentum, illud tamen suscipiunt, si idem velint quòd alii, ità nescientes se esse illius Ministros, illud tamen ministrant, si facere velint, quod solent ab aliis fieri; quia sufficit intentio implicita ad Sacramenti confectionem, sicut ad illius susceptionem.

Obji. 8. In aliis Sacramentis alius est conferens, alius suscipiens: sed hic idem esset conferens & suscipiens: ergo non contrahens, sed Parochus est Minister.

Resp.

Resp. Retorquendo Argumentum ad hominem: In aliis Sacramentis non potest unum Sacramentum esse in duobus: ergo nec hic: quod tamen falsum est; quia sicut unicus est in utroque contractus, ita unicum est in utroque Sacramentum; unde sicut voluit Christus, ut hic contractus esset Sacramentum; ità voluit, ut facientes hunc contractum, facerent & Sacramentum.

Obji 9 Ridiculum est asserere laicum, imò fœminam, esse Ministrum substantiæ Sacramenti, sacerdotem verò tantùm esse ministrum cæremoniæ.

Resp. Sicut non est ridiculum asserere fœminam esse Ministram hujus contractus; ita nec Sacramenti, quod illi contractus annexui Christus: In quo nulla fit dignitati sacerdotali injuria.

Obji. 10. Concilium Florentinum requirit ad omnia Sacramenta Materiam, Formam, & personam Ministri adeoque supponit debere Ministrum esse à Materia distinctum: hic autem contrahentes simul sunt Materia & Ministri.

Resp. Licèt contrahentes sint Materia secundùm corpus, non sunt tamen propriè Ministri secundùm illud, sed secundùm animam consensum exprimentem, licèt consensus ille debeat exteriùs manifestari: sicque dici potest esse distinctionem realem, saltem inadæquatam inter Materiam & Ministros.

QUÆSTIO VII.

An valeat Matrimonium inter absentes celebratum?

Dico, *Inter absentes*, quod fieri potest tripliciter. 1. Per Procuratores, qui induunt personas contrahentium, eodemque modo exteriùs se gerunt coram Parocho & testibus, ac si essent ipsimet contrahentes, excepto quòd contrahendo utantur his verbis, aut æquivalentibus: *Accipio te in uxorem nomine Petri*, & fœmina: *ego te mediante duco Petrum*. 2. Per litteras, ut si vir scribat ad fœminam quòd se illi tradat in virum, & hæc, viri traditione acceptata, rescribat quòd se illi tradat in uxorem; vir autem similiter acceptet fœminæ traditionem: modò tamen uterque legat Epistolas coram Parocho & testibus. 3. Per nuntium aut nuntios, qui patefaciant coram Parocho & testibus utriusque traditionem & acceptationem.

CONCLUSIO I.

Matrimonium inter absentes celebratum, sivè interim fiat per Procuratores, sive per litteras, sive per nuntios validum est in ratione contractus, si certę adhibeantur conditiones. Est communis contra utrumque Ledesma, Bartholomæum scilicet & Petrum.

Ratio est quia natura cujuslibet contractus est, ut fieri possit inter absentes, ut patebit singulos examinanti: sed nec Christus Matrimonium ad Sacrament. dignitatem elevando, nec Ecclesia certas conditiones ad ejus valorem requirendo, ipsum extraxit à natura contractus, ergo. Conditiones autem à Tridentino requisitæ, nempè ut fiat coram Parocho & testibus, servari possunt in Matrimonio inter absentes celebrato, ut satis patet ex hujus quæstionis præambulo.

Dices: Supponit Trident. sponsos per se immediatè, & præsentialiter debere consensum exprimere; cùm dicat sess. 24 cap 1. *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo* &c.

Resp. Concilium ibi tradere modum ordinarium Matrimonii celebrandi, quod inter præsentes solet fieri: non autem cujuslibet Matrimonii; quandoquidem approbet Ecclesia Principum Matrimonia per Procuratores celebrata, ubi non possunt principaliter contrahentes, ut pote absentes interrogari, nec eorum immediatus consensus intelligi.

Dixi in Conclus. *Si certę adhibeantur conditiones*; quia tres requirit Bonifacius VIII. Cap. finali *de Procurat*. In 6 Ut Matrimonium validè contrahantur per Procuratores 1. Ut Procurator specialiter habeat commissionem contrahendi cum determinata & specificata fœmina; & ideò non stat Matrimonium, si Procuratori commissum est contrahere cum qualibet, L. generali 34 ff. de ritu nupt. 2. Ut Procurator per se, & non per substitutum, id exequatur, nisi certè expressam licentiam haberet à mandante. 3. Ut mandans non revocaverit ante executionem mandatum; & ideò si anteà revocavit, licèt inscio Procuratore, imò solùm internè, nullum est in foro conscientiæ Matrimonium; quia tempore contractus nec physicę nec moraliter perseverat contrahentis consensus ad valorem Matrimonii essentialiter requisitus reputabitur tamen validum in foro externo, nisi revocatio sufficienter probetur 4. Conditio addenda est, nempe ut mandatarius non excedat limites mandantis: unde si in dote, aut aliis conditionibus non servet mandantis voluntatem, nihil efficit. L. *Diligenter* ff. *Mandati*.

CONCLUSIO II.

Matrimonium inter absentes celebratum per Procuratores, litteras aut nuntios, etiam valet in ratione Sacramenti. Huic contradicunt Cajetanus, Sylvius, Vauroy, & quidam alii, volentes quidem esse validum in ratione contractus non tamen in ratione sacramenti.

Prob. 1. Concl. Omne Matrimonium inter baptizatos validum in ratione contractus, factum est ex Christi institutione Sacramentum: sed Matrimonium inter baptizatos absentes est validum in ratione contractus, ut diximus: ergo est sacramentum. Prob Ma. Quia nulla est ratio, cur potiùs elevasset Christus Matrimonium inter præsentes ad dignitatem sacramenti, quàm Matrimonium inter absentes; cùm hoc & illud sint omninò ejusdem rationis, & speciei in esse naturali, & civili. Prætereà ubi Christus aut Ecclesia non distinguit, nec nos distinguere debemus

Pr. 2. Quando sponsi contrahunt per se, eorum Matrimonium est sacramentum, sed quando contrahunt per Procuratores, litteras, aut nuntios, censentur contrahere per se, cùm hi, secundùm communem hominum existimationem sint tantùm instrumenta contrahentium, & non contrahentes, utpotè non suum, sed alienum consensum exprimentes: ergo

Prob. 3. Ideò Matrimonium inter præsentes est sacramentum, quia reperiuntur Materia, Forma, & intentio *Ministri*. sed hæc reperiuntur in Matrimonio inter absentes: ergo. Prob. Min. 1. adest Materia, nempe contrahentium corpora, quæ sicut aliæ res tam absentia quàm præsentia possunt esse Materia contractus: 2. Forma, nempe sponsorum consensus per Procuratores, litteras, aut nuntios sensibiliter expressus. 3. Intentio Ministri, nempè principaliter contrahentium, ideò Procuratores, litteras, aut nuntios mittentium.

Obji 1. Licèt Pœnitentia sacramentalis induat rationem judicii, quod est inter absentes practicabile, non est tamen sacramentum, ubi fit inter absentes: ergo licet Matrimonium sit contractus inter absentes practicabilis, non est sacramentum, nisi fiat inter præsentes.

Resp Pœnitentiam sacramentalem induere rationem judicii, non talis qualis, seu in quo sufficiat cognoscere crimen Rei; sed judicii, in quo debet cognoscere Judex & crimen, & dispositionem actualem pœnitentis: hanc autem ut actualem non potest cognoscere per litteras, sicut potest cognoscere consensum habitualem, qui sufficit ad valorem hujus contractus.

Obji. 2 Alia sacramenta non possunt ministrari absentibus, ergo nec Matrimonium.

Resp. Nego conseq disparitas est, quod alia sacramenta non sint contractus, qui tam potest inter absentes quàm præsentes celebrari.

Obji 3. Parochus dicere debet ex præcepto Tridentini: *Ego vos conjungo*: sed ly *vos* non afficit Procuratores, cùm possint esse ejusdem sexus, nec sponsos absentes, cùm designet personas pręsentes: ergo.

Resp. Verba illa utpotè cæremonialia, & nullatenùs essentialia, ut dictum est, tunc posse omitti, præsertim cùm soleant, ubi posteà supplentur in præsentia conjugum solemnitates, à Parochos proferri. Deindè cùm ly *Vos conjungo* non significet, ut antea diximus, efficientiam conjunctionis, utpote anteà factæ, sed tantùm ejusdem approbationem, quid implicat, quominùs per verba illa approbet conjunctionem à Procuratoribus aliorum nomine factam?

Obji. 4 Confectio Sacramenti est actio personalis: ergo non potest per alium fieri.

Resp. Dist. Ant. Est actio personalis in aliis Sacramentis: C. in hoc Sacramento: N. sicut enim contractus fieri posset per alium, ita & hoc Sacramentum consistens in contractu. Imò etiam in nostro casu confectio Sacramenti dici potest personalis; quandoquidem principalis mittens sit illius Minister & non Procurator, aut nuntius, qui se habet ut instrumentum, aut charta exponens alterius verba, & voluntatem, quibus expositis, completur contractus & Sacramentum. gratiamque recipiunt, non Procuratores, sed sponsi.

Obji. 5. Ex hac Sententia tria sequuntur inconvenientia 1. Quòd Sacramentum confectum Romæ gratiam causaret Parisiis, si ibi essent sponsi. 2. Quòd quis dormiens posset gratiam reci-

recipere, si nempè tunc contraheret ejus Procurator. 3. Quòd quis in somno posset peccare, ob positum gratiæ receptioni obicem, si tunc non esset in gratia

Resp. Nulla esse inconvenientia illa. 1. Cum Sacramenta secundùm nos, non causent gratiam physicè sed moraliter, Deum nempè movendo, tam facilè potest Deus à Sacramento Romano motus conferre gratiam Parisiis, quàm Romæ 2. Si quis possit gratiam in amentiam recipere, si nempè anteà confessus & contritus tunc absolvatur quidni posset in somno? 3 Ponens obicem non peccaret in somno sed immediatè antè, cùm prævideret fortè tempore somni celebrandum esse Matrimonium. Ex dictis

Resol. 1. Non peccare Procuratores contrahentes in statu peccati; quia nec sunt Ministri, nec subjecta Sacramenti, sed mera instrumenta conficientium & recipientium. Peccant tamen sponsi, si tempore contractus non curent esse in gratia: & quidem probabiliùs duplici peccato, uno in quantùm Sacramentum conficiunt, & altero, in quantum recipiunt in malo statu. Vide dicta de Sacramentis in genere.

Resol. 2. Licèt sponsi reiterarent consensum, dum supplentur solemnitates, non fore tunc Sacramentum; quia annexuit quidem Christus Sacramentum contractui matrimoniali, non tamen ejus iterationi, saltem quando antea fuit Sacramentum.

DISPUTATIO III.

De consensu ad Matrimonium requisito.

QUoniam causa efficiens Matrimonii est mutuus contrahentium consensus, ut declarat Florentinum in Decreto unionis, ordo postulat, ut explicata Matrimonii natura, de illo consensu pauca dicamus.

QUÆSTIO I.

An ad Matrimonium sit absolutè necessarius sponsorum consensus?

NOn quærimus hic de Matrimonio, prout est actualis contractus; cùm enim essentialiter consistat contractus in contrahentium consensu, clarum est nequidem divinitùs posse Matrimonium, ut contractum, sine illorum consensu subsistere; aliàs essentiæ rerum essent mutabiles. Neque de Matrimonio, ut Sacramentum est; quia ut sic essentialiter importat contractum actualem, qui, ut diximus, non subsistit sine contrahentium consensu; sed quærimus de Matrimonio, prout est status, seu quatenùs est vinculum ex præfato contractu remanens: respectu cujus dicit Florentinum suprà, contrahentium consensum esse causa efficientem.

CONCLUSIO I.

ITa necessarius est conjugum consensus ad Matrimonium quatenùs vinculum, ut nec Respublica, nec Ecclesia, nec ulla potestas, saltem inferior divina, possit illum supplere Est communis & certa.

Prob. 1. Vinculum matrimoniale in eo consistit, quòd vir dominium habet in corpus mulieris, & mulier dominium in corpus viri: sed hoc dominium tradere non potest ulla potestas creata sine conjugum consensu: ergo. Prob. Min Quia potestas creata sivè civilis, sivè Ecclesiastica ad summum jus habet in subditorum corpora, in quantùm id exigit bonum commune, aut privatum alicujus sivè temporale, sivè spirituale: sed nullum bonum publicum aut privatum temporale aut spirituale, exigit ut vir & fœmina sine consensu, inviti matrimonialiter conjungantur, cùm ex tali matrimonio nata essent sequi grandia mala: ergo.

Prob. 2. Quia tali jure nunquam usa est Ecclesia aut Respublica, etiam ubi certa Matrimonia videbantur necessaria ad conservationem Regnorum, aut ad fidei augmentum: ergo signum est potestatem illam in se non agnoscere.

Dice 1. Potest quandoque Respublica subditum reluctantem tradere in servitutem; imò quandoque in mortem: ergo à fortiori in Matrimonium.

Resp. Neg. Conseq. Quia primum exigere potest bonum communitatis, non secundum, ut diximus.

Dices 2. In casu necessitatis cogi potest invitus ad Episcopatum, quod est Matrimonium spirituale Episcopi cum sua Ecclesia: ergo etiam cogi potest invitus ad Matrimonium corporale.

Resp. Dist. Ant. Cogi potest per præceptum: C. ità etiam potest quis præcepto urgeri ad Matrimonium, Cogi potest; ita ut sit Episcopus sine consensu: N. sic nec potest quis cogi, ut absque consensu sit maritatus.

Dices 3. Potest Princeps supremus subditum compellere ad alios contractus v. g. venditionis certarum rerum usui communi necessariatum: ergo etiam ad contractum matrimonialem.

Resp Ant. esse falsum intellectum de coactione ad contrahendum sine consensu, cùm res non possit esse sine sua essentia: unde siquis non consentiens in venditionem, tradat coactus rem suam, non contrahit, sed contrahit Princeps de bonis ipsius de quibus potest disponere ob exigentiam boni communis; quod tamen non potest in nostro casu, id nunquam exigente bono publico

Dices. 4. Decrevit Ecclesia ante Tridentinum Sponsalia transire in Matrimonium per copulam, Cap. 3. *de Sponſ.* Item validum esse Matrimonium sub conditione impossibili cap. ult. *de cond. apposit.* sed tunc potuit nullus fuisse in Matrimonium consensus: ergo Ecclesia potest illum supplere.

Resp. Matrimonia illa haberi ab Ecclesia ut valida in foro externo; quia præsumit adfuisse in 1. affectum adeoque consensum maritalem; in 2. autem conditionem, ut potè nugatoriam, habitam esse pro non apposita: nulla sunt tamen coram Deo, si defuit consensus.

Dices 5. Juxta Florentinum sup. *causa efficiens Matrimonii regulariter*, adeoque ordinariè, *est mutuus consensus*: ergo extraordinariè potest esse aliud.

Resp. *Ly Regulariter* non afficere *mutuus consensus*, sed quod immediatè sequitur, *per verba de præsenti expressus*, ut ostendat etiam exprimi posse extraordinariè per nutus. Ex dictis

Res. Si quis per sententiam Judicis compulsus ad Matrimonium, omnia quidem necessaria exteriùs operetur, sed absque consensu, aut nonnisi ficto & simulato, nihil efficere, etsi millies postea cum eadem dispositione uxori putativæ copuletur; quia non cæremonia, non ritus exterior, non copula, sed consensus Matrimonium facit & voluntas: sicut autem contractus ille nullus est; ita nullum est vinculum indè oriri solitum.

CONCLUSIO II.

VErisimilius est, posse Deum inducere vinculum matrimonialem inter virum & fœminam absque illorum consensu Est contrà nullos volentes Deum posse quidem dare viro potestatem in corpus mulieris, & è contrà, idque ad mortem alterius, absque illorum consensu; negant tamen ex tali potestate tradita oriri posse vinculum & obligationem ex parte conjugum, si desit consensus.

Prob 1. Conc. Potest Deus independenter à conjugum consensu tradere viro potestatem in corpus mulieris, & è contrà, ut fatentur Adversarii; quia majus habet dominium in corpora conjugum, quàm ipsimet: sed, facta illa traditione, oriretur vinculum conjugale: ergo. Prob. Min. Quando vir tradit potestatem sui corporis mulieri, & mulier viro, oritur vinculum illud, quia tradunt: ergo etiam quando tradit Deus, cùm sit eadem specie traditio utpote idem traditionis objectum.

Prob. 2. Quia licèt vinculum matrimoniale à dissentientibus, aut non consentientibus contractum, natum esset habere infœlices exitus, non tamen quando inducitur à Deo qui potest in eos, quos sine consensu copulavit carnaliter, amore sincero copulare cordialiter.

Dices 1. Cum Sanchez: Consensus est causa formalis vinculi matrimonialis, sed res non potest esse, etiam divinitùs, sine sua Forma: ergo.

Resp Neg. Ma. Quia licèt consensus sit causa formalis Matrimonii, ut contractus est, aut sacramentum, respectu tamen Matrimonii, ut vinculum est non est causa formalis, sed efficiens, ut patet ex Tridentino sæpiùs citato; & consequenter, cum sit quid omninò extrinsecum illi vinculo, potest à Deo suppleri.

Dice 2. Definitur Matrimonium animorum, corporumque conjunctio: sed non conjunguntur animi sine consensu: ergo.

Resp. Non dici conjunctionem animorum, quasi verò essentialiter consisteret in illa conjunctione, aliàs ubi desinerent conjuges esse animo conjuncti, desineret vinculum matrimoniale, sed quia solet esse mutui amoris occasio, & fomentum.

Dices

Dices 3. Nullus contrahere potest vinculum Religionis, quod ordinariè contrahitur ex voto, sine consensu: ergo nec vinculum Matrimonii.

Resp. Neg. Ant. Quia nulla est repugnantia, quòd Deus impingat invito omnes omninò obligationes, quas quis sibi imponit per votum Religionis. Si quis tamen disputare volens de nominibus, prætendat non esse vinculum Religionis, quia solùm illud credit Religionis vinculum, quod oritur ex voto, aut promissione, dabimus ipsi manus, modò concedat à parte rei esse vinculum & obligationem omninò similia. Idem dicendum proportionatè in Matrimonio: unde nolumus in casu nostro esse vinculum matrimoniale denominatione matrimonialis desumpta à Matrimonio præterito, cùm nullum præcesserit, sed desumpta à similitudine, eo quòd nempè sit vinculum tale, quale oritur ex Matrimonio.

Dices 4. Non potest Deus facere, ut quis sit pater sine generatione: ergo nec ut sit maritatus sine Matrimonio, quod non reperitur sine consensu.

Resp. Dist. Conseq. Ut sit maritatus sine Matrimonio formali, aut æquivalenti: C. sine formali: N. quia facit hic Deus per suam traditionem, quod facerent conjuges per traditionem mutuam.

Dices 5. Non datur relatio sine fundamento: sed est relatio mutui juris & mutuæ obligationis inter conjuges: ergo dari debet illius fundamentum, nempe eorum consensus.

Resp. Relationis illius fundamentum esse quidem ordinariè consensum contrahentium; ubi tamen Deus ipsos conjungeret modo præfato, ejus fundamentum esse Dei voluntas, seu ejus præceptum.

QUÆSTIO II.

An ad Matrimonium requiratur consensus Parentum?

CONCLUSIO I.

AD valorem Matrimonii non est necessarius parentum consensus. Est de fide in Trid. sess. 24 cap. 1. ubi anathemate damnat eos, qui *falsò affirmant Matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse.*

Prob. 1. Quia Scriptura varia refert Matrimonia sine parentum consensu contracta, quæ tamen non reprehendit, sed laudat, ut Matrimonium Tobiæ junioris, Tob. 7. Matrimonium Jacob cum Lia, Gen. 28. & alia alibi.

Prob. 2. Quia filius sufficientis rationis ac legitimæ ætatis, habet dominium plenum & integrum in corpus proprium independenter à parentibus: ergo sine illorum consensu potest illud validè in Matrimonium tradere.

Dices 1. Evaristus Papa Cap. *Aliter* 30. q. 5. vocat Matrimonium illud adulterium, stuprum, aut fornicationem: ergo supponit esse nullum.

Resp. Sic etiam vocasse Matrimonia clandestina, quæ tamen Tridentinum docet fuisse vera & rata: unde sicut ibi ita & hic exaggerat, insinuare volendo esse rem illicitam.

Dices 2. Parentes irritare possunt vota filiorum: ergo & eorum Matrimonia.

Resp. Dist. Ant. Irritare possunt vota filiorum ante pubertatem emissa: C. post pubertatem: subdist. vota realia: Transeat. Dico *Transeat*; quia de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus non sunt irritabilia. Vota personalia saltem illa quæ respiciunt vocationem: N. unde sicut possunt sine parentum consensu validè Religionem profiteri; ita & validè Matrimonium inire.

Dices 3. L. 2. ff. *de Rit. nupt.* & pluribi in jure civili requiritur consensus parentum ad valorem Matrimonii.

Resp. Vel jura illa esse correcta per jus canonicum cap. *Sufficiat* 27. q. 2. & cap. *Cum virum* de Regularibus, vel plus dicere, & minus velle intelligi.

Dices 4. In Gallia Matrimonia filiorum ante certam ætatem contracta sine parentum consensu, habentur nulla: ergo.

Resp. Dist. Ant. habentur nulla in foro conscientiæ: N. in foro externo civili; Transeat; sed hoc non nocet nostræ Conclusioni.

CONCLUSIO II.

AD licitum Matrimonium debent ordinariè filii parentes consulere, eorumque consensum postulare & obtinere, idque sub gravi peccato, nisi sint irrationabiliter inviti.

Ratio est; quia exigit honor & reverentia parentibus debita, ut rem tam arduam, tantumque onus non suscipiant liberi nisi ipsis consultis & consentientibus; cùmque res sit gravis, videtur & gravem inducere obligationem.

Dices 1. Juxta D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5: *Non tenentur nec servi Dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo*; ergo non peccant saltem mortaliter, si contra eorum voluntatem contrahant.

Resp. S. Doctorem velle quidem quòd non possit Pater præcipere Matrimonium filio nolenti, nec possit volentem nubere, à quolibet Matrimonio retrahere; quia in eligendo illo statu est sui juris: non vult tamen quòd non possit inhibere, ne cum tali vel tali persona contrahat, ubi justæ concurrunt rationes.

Dices 2. Libera est electio vitæ, ac determinatio status: ergo.

Resp. 1. Id nimium probare, cùm indè sequatur nubentes sine consilio & consensu parentum, ne quidem venialiter peccare.

Resp. 2. Dist. Ant. Libera est determinatio status, id est, potest filius vel Matrimonium, vel cœlibatum, vel Religionem &c. eligere: C. id est, potest Matrimonium cum quolibet contrahere: Subdistinguo, ubi nihil obest: C. ubi obsunt rationes sufficienter: N.

Dixi 1. in Conclusione: *Ordinariè*; quia si quis absit à parentibus, & aliundè urgeat Matrimonium dignum, & utile, potest parentum voluntatem præsumere, sicut præsumpsit Tobias junior. Idem poterit quis, parentibus inconsultis, aut etiam reclamantibus, si prudenter credat Matrimonium suum injustè ab ipsis impediendum; & ideò.

Dixi 2. *Nisi sint irrationabiliter inviti*, ut si nimium differant, si nullam rationem allegent aut futilem; si impediant, ne dotem teneantur solvere, aut ne priventur filii operibus, sine quibus possunt vivere &c. sunt tamen rationabiliter inviti, si ex tali Matrimonio justè apprehendantur discordiæ graves, scandala, odia, notabilis domus ignominia, ac dedecus.

Petes 1. An filius teneatur obedire parenti præcipienti nuptias cum tali persona aliundè honesta, & statui proportionata?

Resp. Neg. Quia in eligendo tanto onere, debet amor & propensio intervenire; & ideò cùm id docetur Cap. 1. *de despons. impub.* insinuatur esse decentiæ, non obligationis.

Petes 2. An justæ leges civiles permittentes parentibus exhæredare liberos, contra eorum voluntatem contrahentes? Negant aliqui hoc freti fundamento, quòd sint per jus canonicum aut correctæ, aut revocatæ, utpotè nocentes libertati Matrimonii: sed

Resp. Probabiliùs affirm. ubi supponunt justum & rationabilem parentum dissensum. Ratio est; quia natæ sunt refrænare stultas, imprudentes, & præcipitatas adolescentum cupiditates, ex quibus cum magno Reipublicæ detrimento, tot infœlicia, scandalosa, imò & cruenta sequuntur Matrimonia. Ad id autem quod objicitur, leges illas nocere libertati, dicendum est nocere libertati effrænatæ, sed non honestæ, & per prudentiæ leges moderatæ: nam ubi probatur injustus parentum dissensus, aut talis à Judice declaratur, nulla est exhæredatio; quia non censentur leges tali casu illam permisisse.

Petes 3. Quibus pœnis subjaceant illi, qui filios, aut alios quoscumque subditos cogunt ad Matrimonium contrahendum?

Resp. Magistratus, sicut & Dominos temporales, injustè ad Matrimonium cogentes, incurrere ipso facto excommunicationem. Patet ex Trident. Sess. 24. c. 9. de Ref. ubi legitur: *Præcipit S. Synodus omnibus ... sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus Matrimonia liberè contrahant.*

Dixi *Injustè cogentes*: Quia si coactio sit justa, qualis potest esse respectu defloratoris virginis, non incurritur illa pœna; cùm tunc nulla supponatur culpa. Imò illam non incurrunt injustè Matrimonium impedientes aut prohibentes, cùm aliud sit Matrimonium impedire, & aliud ad Matrimonium cogere; verba autem, præsertim pœnam inferentia, non sunt ultra proprietatem extendenda, nisi aliud constet. Quantùm verò ad parentes filios ad Matrimonium cogentes, non incurrunt prælatam excommunicationem; quia Concilium solùm loquitur de Magistratibus, & Dominis temporalibus cujuscumque gradus & dignitatis, ut evidenter legenti patebit.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quodnam debeat esse objectum consensus matrimonialis.

CONCLUSIO I.

CONsensus matrimonialis necessariò ferri debet in tria, nempè 1. in traditionem irrevocabilem potestatis in mutua corpora. 2. In obligationem debiti reddendi, ubi compars rationabiliter id postulaverit. 3. In vinculum Matrimonii perpetuum, seu donec alter conjugum interierit.

Ratio est; quia illa omnia vel pertinent ad materiam substantialem Matrimonii, vel eam necessariò concomitantur, aut subsequuntur, ut per se patet. Quantùm ad hoc non est difficultas; sed an etiam ferri debeat in commercium carnale, seu copulam; Disputatur, aliquibus absoluté affirmantibus, aliis absoluté negantibus, aliis verò requirentibus in eam consensum implicitum, non explicitum.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est non requiri ad valorem Matrimonii ullum consensum in copulam. Est communior & verior.

Prob. 1. Inter B. Virginem & Ioseph fuit verum Matrimonium sed B. Virgo nec consensit, nec consentire potuit in copulam ob votum virginitatis: ergo, Prob. M. tum ex Script. quæ sexies vocat Mariam conjugem, & Joseph virum ejus Tùm ex August. lib. 23. contra Faustum cap. 8. ubi docet fuisse inter ipsos verum conjugium *non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione (quod charius est) animorum.* Idem docet alibi. Tum ex D. Thoma p. 3. q. 29. art. 2. ubi ait *omninò verum fuisse Matrimonium Virginis Matris Dei, & Joseph.* Tum ex Scoto 4. dist. 30. q. 2. ubi rem fusè probat, ac quomodo id fieri potuit cum voto virginitatis, tribus illustrat exemplis num. 6.

Dices: Hieronymus lib. adversus Helvidium asserit B. Joseph fuisse quidem Mariæ sponsum, sed non virum; *Cum virum*, inquit, *audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vocentur uxores.*

Resp. S. Doctorem tantùm velle non fuisse inter B. Virginem & Joseph nuntias consummatas, seu Matrimonium consummatum; sed tantùm Matrimonium ratum, & ideò vult non fuisse conjuges sed sponsos; quia etiam hoc tempore mos invaluit, ut nubentes ante consummationem vocentur sponsi. Quandò autem idem Doctor lib. 1. Comm. in C. 1. Matt. dicit quod Joseph *futuræ uxoris omnia noverat*, nobis non nocet; quia si futura erat uxor, sequitur nunc aliquando fuisse. Fatendum tamen D. Basilium & Origenem, quibus fortè adhæsit Hieronymus, tantùm admisisse inter illos Sponsalia, non Matrimonium; sed clarior est Scripturæ textus, ut à sententia communi recedamus.

Prob. 2. Conclusio: Si quis contras matrimonium cum intentione Religionem amplectendi ante consummationem, validè contrahit, ut patet ex Cap. *Commissum*, de Sponsalibus: sed talis nec explicitum nec implicitum habet consensum in copulam: ergo.

Prob. 3. Certum est copulam actualem non esse de essentia Matrimonii, sed quid ipso posterius, ut contra Julianum docet Augustinus lib. 5. Cap. 9. ubi ait *Conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium; at per hoc, secundùm te, cùm destiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges*, ergo potest esse consensus in Matrimonium sine consensu in copulam.

Prob. 4. Aliud est jus in copulam, & aliud usus copulæ: ergo potest quis tradere primum, non intendendo secundum: sed in traditione primi consistit essentia Matrimonii: ergo. Undè sicut potest quis vendere dominium agri directum seu proprium, retento dominio utili seu usufructuario, ità & tradere possunt conjuges dominium in mutua corpora, non tradito dominio utili, seu usu in actum carnalem, eo quòd usus ille sit ipsis prohibitus, ob promissionem Deo factam.

Confirm. Promittentis Deo jejunium, & non intendentis jejunare, stat promissio, ut suo loco diximus: ergo tradentium sibi mutuò jus in copulam, & non intendentium illam exercere, verè stat traditio, adeoque & Matrimonium.

Dices 1. Qui transfert dominium equi ad certum usum censetur & ipsum usum transferre: ergo qui concedit dominium corporis ad usum copulæ, censetur & copulam concedere.

Resp. Concesso Ant. Dist. Conseq. Qui concedit &c censetur & copulam concedere, ordinariè loquendo: C. si pactum contrarium interveniat: N. Cur autem in 1. Casu concedens rem ad certum usum, semper concedat & ipsum usum, non autem in 2. Indè oritur, quòd concessio equi ad talem usum sine usu, sit omninò inutilis & nugatoria, imò nociva, non sic concessio corporis in ordine ad copulam sine copula; cùm suas habeat utilitates, suosque effectus, qui sunt 1. Ut taliter juncti non possint cum alio nubere. 2. Ut, si copularentur inter se, non essent Rei fornicationis, sed tantùm sacrilegii ob continentiæ votum, quod hic supponimus emissum. 3 Ut se mutuò juvent in regimine familiæ 4. Ut sint sibi invicem auxilio & solatio in rebus adversis. 5. Ut servent individuam vitæ societatem &c.

Dices 2. Potestas utendi comparte ad copulam, cum obligatione non utendi, non est vera potestas: ergo.

Resp. Dist. Ant. Non est vera potestas proxima & expedita: C. radicalis & remota: N. Hæc autem sufficit ad Matrimonium.

Dices 3. Matrimonium ex natura sua ordinatur ad generationem: atqui non intendens copulam, non intendit generationem: ergo nec intendit Matrimonium.

Resp. Dist. Ma. Ordinatur ad generationem tantùm: N. *alioqui jam non diceretur conjugium in senibus*, ut infert Augustinus lib. *de bono conjugali* cap. 1. Ad generationem, vel individuam vitæ societatem, vel utrumque simul: C. Malè tamen inferres posse duos masculos Matrimonio conjungi: quia licèt possint conjungi societate & animo, non tamen cum jure radicali ad copulam conjugalem, sine qua non stat Matrimonium.

Dices 4. *Non ob aliud debet fœmina nubere, quàm ut mater fiat*, August. lib. 19. contra Faustum cap. 26.

Resp. Ly *nubere* ibi sumi pro *copulari*, vel, si pro *contrahere*, tantùm fit mentio de conjugio ordinario; aliàs sibi contradiceret S. Doctor.

Dices 5. Requirit S. Thomas 4. dist. 3. q. 2. art. 1. quæstiun. 2 ad 3. consensum in copulam, saltem implicitum: ait enim; Dicendum quòd copula carnalis cecidit implicitè sub consensum B. Virginis: ergo.

Resp. Dist. Ant. Requirit consensum implicitum ex parte contractus: C. quia vult contractum, qui ex natura sua ordinatur ad potestatem in copulam, ordinari & ad ipsam copulam, eo quòd hæc contineatur in illa tamquam effectus in potentia, ut loquitur. Requirit consensum ex parte contrahentium: N. quia tradere possunt potestatem in mutua corpora in ordine ad actum conjugalem, non intendendo, imò positivè excludendo actum ipsum. Et sic quando asserit B. Virginem implicitè in copula consensisse, tantùm vult consensisse in contractum, qui implicitè ordinatur ad copulam sensu explicato.

Dices 6. Traditio potestatis in copulam sine obligatione ad illam, obest bono prolis: ergo.

Resp. Dist. Ant. Obest positivè: N. obest negativè, seu nihil confert ad bonum prolis: C. sed ad hoc nihil tenentur conferre nubentes; nam si possint post Matrimonium ex mutuo consensu continentiam servare, ut fecit S. Elzearius cum B. Delphina, quidni possent nubendo illam Deo promittere salvo Matrimonio? Ex dictis

Patet potuisse B. Virginem, non obstante voto castitatis, licitè contrahere cum B. Joseph, vel quia convenerant de mutua continentia, vel quia divinitùs noverat B. Virgo, virginitatem suam nullatenus à Sponso violandam.

QUÆSTIO IV.

Quænam conditiones requirantur ad consensum Matrimonialem.

CONCLUSIO I.

COnsensus matrimonialis debet esse verus, seu non sufficit, quòd Sponsi serio exteriùs contrahant, si interiùs non intendant contrahere. Est communis.

Ratio est; quia ad subsistentiam cujuslibet contractus, requiritur consensus, & non sola consensus larva, aut apparentia: sed Matrimonium est verus contractus: ergo &c Minor certa est. Prob. Ma. tùm ex definitione contractus in genere, tum ex L. 2. ff. *de verb. signif.* Deindè nullus sibi imponit obligationem, nisi velit adeoque nisi consentiat; in Matrimonio autem gravem sibi imponant sponsi obligationem, cùm vir potestatem sui corporis non habeat, sed mulier, nec mulier sui, sed vir. Hinc

Resol. Quod licèt fictè contrahentis validum habeatur Matrimonium in foro Ecclesiæ, quæ non judicat de internis coram

·· m Deo tamen nullum sit. Id in terminis docet D. Bonav. 4. dist. 27. a. a q. 2. *Si sit consensus exterior sine interiori, non est Matrimonium secundùm veritatem, nec secundùm divinum judicium, nec secundùm conscientiæ forum, quamvis esse videatur & judicetur secundùm judicium Ecclesiasticum.* Tenetur tamen qui fictè contraxit, de novo verè contrahere; cùm non possit aliter injuriam comparti factam reparare, nisi certè hæc consentiret, in Religione aut cælibatu usque ad mortem conjugis putativi vivere. Huic interim non permitteretur ad alias nuptias transvolare; cùm, ut dixi, primæ habeantur validæ in foro Ecclesiæ.

CONCLUSIO II.

Hic consensus non debet esse ex parte contrahentium physicé simultaneus; debet tamen esse moraliter, seu requiritur & sufficit simultas talis, quæ, secundùm prudentem hominum existimationem, censeatur utriusque consensum in unum coadunare, attenta contractus natura, & particularibus personarum, locorum, & temporum circumstantiis; cùm certum sit non requi tantam simultatem inter absentes, quantam inter præsentes. Quod etiam verum est de Matrimonio, ut Sacramentum est; cùm per hoc quòd fuerit ad Sacramenti dignitatem elevatum, non fuerit in illo mutata contractus natura.

CONCLUSIO III.

Consensus matrimonialis debet esse signis externis expressus.

Ratio est; quia id exigit tùm natura Sacramenti, quod est signum sensibile, tùm natura contractus, qui est actio, non Angelorum, qui immediatè agnoscunt mutuos conceptus, sed hominum, qui non communicant inter se, nisi mediantibus signis externis; & ideò non est audiendus Cujacius in Cap. *Tuæ fraternitati.* de spons. volens requiri quidem verba ad Matrimonium ex præcepto Ecclesiæ, non tamen ex natura rei nisi certè loquatur de verbis ut verbis reduplicativé, non autem de verbia ut signis externis; quia nec nos requirimus ex natura rei verba, nisi ut sunt signa externa, quorum ideò vices supplere possunt nutus in mutis, imò & in aliis.

Dices: Innocentius III. cap. cit. expressè insinuat sententiam Cujacii, ait enim: *necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia*: ergo supponit non requiri ex natura rei.

Resp. Nobis non adversari Pontificem: volens enim necessaria esse verba ex præcepto Ecclesiæ, non negat necessaria esse signa externa ex natura rei, sivè sint verba, sivè nutus, sivè quid aliud consensum manifestans: undè quando cap. *Sufficiat* 27. q. 2. asseritur ad Matrimonium sufficere solum contrahentium consensum, iy *solum* non excludit signa consensum exprimentia, sed cæremonias accidentales.

Petes: Quænam signa sufficiant ad expressionem consensus?

Resp. Sufficere illa, quæ, attenta Patriæ consuetudine, censentur moraliter utriusque contrahentis voluntatem manifestare; sivè interim sint verba, sivè nutus, sivè inclinatio capitis, sivè manuum contactus, sivè osculum, sivè appositio Annuli in digitum, sivè quid aliud. Ubi autem ambigua sunt signa, colligendum est ex contrahentium intentione. Sed quid, si uno contrahentium consensum exprimenta, alter taceat? Resolvendum est sicut priùs de Sponsalibus.

CONCLUSIO IV.

Hic consensus exprimi debet per verba, aut alia signa de præsenti. Est certa.

Ratio est; quia Matrimonium sicut alia Sacramenta, id præcisè efficit quod significat: sed verba de futuro non significant potestatem in mutua corpora traditam, sed tradendam: ergo non sufficiunt ad Matrimonium.

Dices: Cap. *Ex parte.* de Spons. dicuntur hæc verba sufficere. *Tenebo te in uxorem*: ergo.

Resp. Dist. Ant. Dicuntur sufficere ratione sui præcisè: N. ratione ibi adjunctorum, scilicèt *ex nunc, ex hoc tempore*: C. sed tunc habent sensum de præsenti: undè sensus non est semper ex cadentia grammaticali petendus, sed quandoque ex addito: undè hæc verba: *Accipio te in meam pro Paschate sequenti*, licèt secundùm cadentiam grammaticalem sint de præsenti, faciunt tamen sensum de futuro ratione additi: hæc verò: *Tenebo te in uxorem ex nunc.* faciunt ratione additi sensum præsentem, quamquam cadentia grammaticalis sit de futuro. Ubi autem, omnibus attentis, nec ex cadentia grammaticali, nec ex addito colligi potest, an sensus sit de præsenti, an de futuro, recurrendum est ad contrahentium intentionem.

CONCLUSIO V.

Consensus conjugalis debet esse immunis à metu gravi, à causa libera injustè ad hoc incusso. Patet ex variis juris canonici locis, ut ex Cap. *Cum locum*, Cap. *Veniens*, Cap. *Consultationi* de Sponsa. & Cap. *significavit* ubi Matrimonium ex tali metu initum declaratur nullum in utroque foro, id est conscientiæ & Ecclesiæ.

Dixi 1. *A metu gravi;* quia si metus sit levis non irritat Matrimonium: non quidem jure naturæ; cùm jus naturæ nequidem irritet Matrimonium ex gravi metu extortum, ut infrà dicemus: non etiam ex jure positivo, cùm in illo jure metus levis reputetur pro nihilo, L. *Nec timorem* ff. de eo quod metus causa fit. Lædit quidem metus levis aliqualiter libertatem; sed sicut levis est ità & leviter, adeòque non sufficienter ad invalidandum Matrimonium. Sed quid, si metum levem patiens sit pusillanimis? Distinctione opus est. Vel respectu talis personæ metus censetur adhuc levis, & respondendum est sicut ante: vel attenta personæ conditione, sexu, qualitate, dispositione &c. reputatur gravis, & standum est Conclusioni.

Quantùm ad metum reverentialem, vel consideratur pro solo pudore & verecundia, quam habent proles respectu parentum, pupilli respectu tutorum, subditi respectu Magistratuum &c. si denegent exequi eorum voluntatem; & tunc metus ille reputatur communiter levis, adeòque insufficiens ad impediendum Matrimonii valorem: vel consideratur, ut adjunctam habet existimationem gravis mali futuri, ut sunt verbera, minæ atroces, privatio hæreditatis, indignatio diuturna, & quælibet alia actio severa, attenta Superioris & inferioris qualitate, & tunc metus ille censendus est gravis adeòque sufficiens, ut dirimat Matrimonium. Plura vide apud Canonistas.

Dixi 2. *A causa libera*; quia si metus ortum habeat à causa naturali v. g. à tempestate, à bello, à peste, ab ægritudine, ab inferno, à remorsu conscientiæ, non nocet Matrimonio; quia licèt illa aliqualiter minuant libertatem, nullam tamen afferunt injustitiam, ad quam magis attendit Ecclesia irritans Matrimonium ex metu factum: undè etiam stat votum, imò & Professio religiosa ex tali metu procedens.

Dixi 3. *Injustè*; quia si justè incutiatur, sivè à persona privata, sivè à publica, non irritat Matrimonium; cùm nulla fiat injuria coacto, qui censetur potiùs à proprio delicto, adeòque à seipso cogi, quàm ab alio: undè solet Ecclesia injustè renuentes quandoque urgere censuris, imò & Judex civilis virginum stupratores minitatione mortis. Si tamen pater aut consanguineus puellæ in fornicatione deprehensæ obliget adolescentem ad contrahendum cum ea sub minitatione mortis; hic verò ad mortem evadendam contrahat, aliàs non contracturus, non stat Matrimonium, ut patet ex Cap. *Veniens* de Spons. quia cùm non possint propria authoritate stupratori mortem inferre, metus ille censetur injustè incussus. Aliud esse, si stuprator videns se occidendum ex vindicta, offerret, mortem evasurus, inire Matrimonium cum puella: quia tunc voluntate propria Matrimonium eligeret: quod à fortiori verum est, si justè ad mortem damnatus, eligeret nubere cum meretrice, à morte liberandus.

Dixi 4. *Ad hoc incusso*; quia si metus ad alium finem incutiatur, valebit Matrimonium; & ideò puella validè contrahit cum sicario, si, ne interficiatur, offerat ipsi nubere, sicut teneret etiam votum in illa angustia emissum.

Dices 1. Contra Conclusionem: Si Matrimonium ex tali metu contractum sit nullum, sequitur, metuentem reum esse mendacii, & sacrilegii. Mendacii quidem, in quantùm dicit: *Accipio te in meam*, quod non intendit: Sacrilegii verò, in quantum utitur forma Sacramenti, non intendens Sacramentum.

Resp. Neg. Sequel 1. non est mendax; quia verba illa in talibus circumstantiis non significant acceptionem puellæ in uxorem, sed quòd materialiter proferantur psittacorum more ad evasionem mali imminentis 2. Nec est sacrilegus; quia taliter prolata verba illa, non habent rationem Formæ.

Dices 2. Jure naturæ validum est tale Matrimonium, ut diximus agentes de contractibus in genere: ergo non potest per jus positivum irritari, cùm hoc nihil possit in illud.

Resp. Dist. Conseq. non potest irritari jam factum: C. faciendum; N. quia potest jus positivum apponere contractui matrimoniali certas conditiones quibus non subsistentibus, nec sub-

subsistit ipse contractus, ut patet de præsentia Parochi & testium; nec per hoc jus positivum dominatur juri naturæ cùm jus naturale circa hoc habeat se permissivè, sicut circa bonorum divisionem, & similia.

Petes 1. An valeret Matrimonium, si per metum injustum ad contrahendum compulsus aut etiam per vim, illud firmaret juramento?

Resp. Neg. Quia cùm alii contractus invalidi nec firmentur, nec ratificentur per juramentum, ut diximus de contractibus in genere, ità nec matrimonialis; quia juramentum sequitur naturam contractus, cui conjungitur; & ideò si non stet Matrimonium; nisi liberum à metu præfato, nec stabit obligatio illius juramenti. Hocque declaratur cap. 2. *de eo qui duxit in Matrimonium* Qui tamen posteà spontè juraret se validaturum Matrimonium illud, ad id teneretur vi Religionis.

Petes 2. An copula subsequens ratificet tale Matrimonium?

Resp. Neg. Etiamsi habeatur spontè, & affectu maritali. Ratio est; quia sicut Matrimonium illud nullum fuit in facie Ecclesiæ, defectu conditionis ab ea requisitæ; ità nec validum habebitur, nisi in facie Ecclesiæ revalidetur: saltem ubi receptum est Tridentinum; quia valebit in aliis locis si comparti perseveret consensus, & coactus aliundè accedat affectu maritali sciens Matrimonii contracti nullitatem: quod addo, quia si putet Matrimonium fuisse validum, non censetur per copulam illud innovare, cum per hanc non intendat facere, quod credit jam factum.

QUÆSTIO V.

An Matrimonium cum consensu conditionato sit validum?

Suppono 1. Quòd sicut variæ possunt esse conditiones in Matrimonio, aliæ de præsenti, aliæ de præterito, aliæ de futuro, aliæ honestæ, aliæ turpes, aliæ necessariæ aliæ contingentes, aliæ impossibiles, aliæ bono Matrimonii repugnantes; ita & proportionatè multiplex consensus conditionatus.

Suppono 2. Ex Augustino lib. *de bono conjug.* cap. 24. tria esse Matrimonii bona essentialia, nempè bonum Sacramenti, bonum fidei, & bonum prolis. Bono Sacramenti, cui competit indissolubilitas, opponitur hæc conditio: *Accipio te in uxorem, si consenseris ut transvolem ad alias nuptias post tres annos.* Bono fidei, ad quod spectat obligatio reddendi debitum comparti, & non alteri, contrariatur hæc. *Contraho tecum, si quibus voluero, concesseris usuram tui corporis.* Bono prolis, ad quod pertinet ejus procreatio, conservatio, educatio, advertatur hæc; *Accipio te in meam, si puerum concipiendum impedieris*, vel, *si conceptum suffocaveris*, vel, *si natum non educaveris.* Fatendum tamen conditiones illas non nisi largo modo dici conditiones, cùm nec præcedant Matrimonium, nec sint illius valoris suspensivæ, sed tantùm obligativæ ad aliquid sustantiæ Matrimonii repugnans. His suppositis

CONCLUSIO I.

Matrimonium contractum cum consensu conditionato de præsenti, aut præterito, modò sit honesta conditio aut indifferens, validum est ab initio, si stet conditio; invalidum, si non stet.

Ratio est; quia vinculum matrimoniale dependet à contrahentium voluntate: ergo si obligationem velint aut non velint dependenter à conditionis existentia aut non existentia, existente conditione statim existit obligatio, non existente], non existit. Vult quidem Coninch suspendi contractum usque ad notitiam impletæ conditionis, v. g. si quis contraxit cum aliqua, si sit nobilis, donec cognoscatur ejus nobilitas; sed cùm non contraxerit sub conditione notitiæ nobilitatis, sed ejus existentiæ, non à cognitione, sed ab existentia rei dependet valor Matrimonii: quamquàm sit illicitus Matrimonii usus ante conditionis adimpletæ notitiam.

CONCLUSIO II.

Matrimonium sub conditione necessaria de futuro, statim subsistit; sub conditione autem contingenti, subsistit posita conditione, aliàs non.

Prob. 1. Pars; quia conditio necessaria de futuro, posita ab eo qui novit ejus necessitatem (quod addo. quia si conditionem necessariam credat contingentem & incertam, suspendetur valor ad adventum usque conditionis) potiùs est confirmativa contractus, quàm suspensiva ejusdem; cùm certus de rei futuritione, non possit humano modo agens, velle contractum suum ab illa futuritione dependere, nisi certè conditionem illam poneret non ad suspensionem contractus sed ad ejus dilationem. In foro tamen externo omnis conditio necessaria de futuro, ut si crastinus dies habeat 24. horas, si sol lucescat, si Petrus currens moveat pedes &c. habentur pro non appositis, statimque validum reputatur Matrimonium, licèt suspensionem intendat contrahens, & ideò necdùm sit in foro conscientiæ contractus absolutus. Sed quid de conditione contingenti cognita ut infallibiliter futura idem est judicium saltem pro foro conscientiæ, ac de conditione necessaria.

Prob. 2. Pars; quia donec adimpleatur conditio, non habet animum contrahens tradendi potestatem sui corporis. Semel autem celebrato sub conditione Matrimonio, neutri liberum est resilire, invita comparte, nisi talis interveniat causa, quæ ad Sponsalia dissolvenda sufficeret, quia sicut ex contractu matrimoniali absoluto oritur obligatio absoluta & in re ità ex eodem contractu conditionato oritur obligatio conditionata, & in spe.

Dixi Invita comparte; quia cùm Matrimonium illud ante conditionis existentiam necdùm sit absolutum, potest ex mutuo consensu dissolvi.

Advertendum hic 1. reos esse peccati mortalis contrahentes, Parochum, & testes, ubi celebratur Matrimonium sub conditione contingenti, sive de præsenti, sive de futuro, sive de præterito; quia exponitur Sacramentum periculo nullitatis, sine justa necessitate, cùm conditio possit esse aut non esse, evenire aut non evenire; & aliundè nulla ratio possit appositionem conditionis purificare, sicut aliquando fieri potest in Sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ.

Advertendum 2. Ante conditionis positionem illicitum esse actum conjugalem; cùm tunc necdùm sit verum & absolutum Matrimonium: quod indè confirmatur, quia si unus contrahentium ante impletam conditionem alteri nubat, illicitum quidem erit secundum Matrimonium, sed validum, quod non esset, si staret primum.

Advertendum 3. Quòd sicut in aliis contractibus conditionatis censetur contrahentium consensus perseverare, donec ponatur conditio, ità & hic; cùm ad illud tempus usque dirigatur contrahentium consensus. An autem in locis, ubi receptum est Tridentinum, debeat, posita conditione, renovari consensus coram Parocho & testibus, ubi anteà adfuerint Matrimonio conditionato? Affirmant aliqui, negant alii. Ego distinguendum existimo: vel enim aderant Parochus & testes, dum posita est conditio, vel non: si aderant, non est opus renovare consensum, adeoque nec coram illis; quia verum est ipsos adfuisse simpliciter Matrimonio: si non aderant, renovari debet consensus coram illis; quia prima eorum assistentia non fuit assistentia vera Matrimonio, cùm tunc non esset præsens, sed futura corporum traditio. Scio aliquos id non requirere, etiam satis probabili cum fundamento; sed cùm agatur de valore Sacramenti, non est res dubio committenda; vel meliùs, nunquam est in praxi conditio admittenda.

CONCLUSIO III.

Matrimonium celebratum sub conditione impossibili, aut turpi, statim valet in foro externo, non sic in foro interno.

Prob. 1. pars; quia, ut diximus agentes de contractibus in genere, Ecclesia, quæ jocos non admittit in rebus seriis, ut est Matrimonium, declarat per Greg. IX. cap. fin. de conditionibus appositis, quòd conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant, propter favorem ejus, pro non adjectis haberi, scilicet in foro externo, in quo præsumitur res tam seria seriò peracta, adeoque noluisse contrahens à conditione turpi aut impossibili consensum suum dependere. Excipit tamen Pontifex conditiones turpes substantiæ Matrimonii repugnantes, de quibus postea.

Prob. 2. pars; quia si quis absolutè velit, consensum suum à conditione impossibili aut turpi dependere, nihil efficitur; non quidem ubi impossibilis est conditio, cùm hæc nunquam possit evenire, adeoque nec consensus efficaciam suam aliquando sortiri; non etiam ubi turpis est, nam cùm petens à comparte conditionem turpem, non intendat se obligare, nisi alter vicissim se obliget, hic autem ad turpe, seu ad peccatum non possit se obligare, ne contractus sit vinculum iniquitatis, sequitur obligationem nullam reperiri, adeoque nec Matrimonium. Aliud esset, si apponens conditionem turpem non intenderet compartem ad id obligare, sed

tantùm contrahere dependenter ab illa; tunc enim, ipsa posita, staret Matrimonium; & ideò si Joanna dicat Petro: *contraho tecum, si Tutorem meum occideris*, nec tamen intendat Petrum ad occisionem obligare, nec Petrus seipsum; occiso Tutore perficietur Matrimonium. Plura circa hanc materiam in praxi hoc tempore rarissimam, ne dicam inauditam, vide in Tract. nostro de contractibus in genere.

CONCLUSIO IV.

Matrimonium initum sub conditione repugnanti substantiæ Matrimonii, est ipso facto irritum in foro interno, & externo. Est communis & certa.

Prob. 1. Pars; quia taliter contrahens censetur non velle contrahere, cùm volendo repugnantia substantiæ Matrimonii, convincatur nolle substantiam Matrimonii, adeoque nec Matrimonium. Et certè quomodo potest quis velle Matrimonium essentialiter indissolubile, qui apponit conditionem de ipso dissolvendo, ubi ditiorem aut pulchriorem invenerit? Quomodo potest velle id, cui essentiale est obligare ad debiti redditionem, & adulterii vitationem, qui per conditionem apponit comparti obligationem adulterandi, aut reservat sibi potestatem debiti non reddendi? Quomodo tandem potest velle essentialiter ordinatum ad prolis generationem & educationem, qui contrahit sub conditione prolis impediendæ, aut suffocandæ.

Prob. 2. Pars ex Cap. finali *de conditionibus appositis* Ubi Gregor. 9. Idipsum expressissimè decidit his verbis: *Si conditiones contrà substantiam conjugii inserantur puta, si alter dicat alteri contraho tecum, si prolis generationem evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, Matrimonii contractus, quantumque sit favorabilis, caret effectu.*

Dices 1. Si unus conjugum intendat, contracto Matrimonio, aut cum alio nubere, aut sterilitatis venenum sumere, aut debitum negare, valet Matrimonium; ergo etiam ubi per conditionem obligatur ad illos effectus.

Resp. Neg. Conseq. Quia nec effectus illi, nec illorum intentio adversatur substantiæ Matrimonii, sed tantùm obligatio illos ponendi; eo quod tunc occurrant duæ obligationes seipsas interimentes, nempè contractus essentialiter obligans ad illos impediendos, & conditio obligans ad illos ponendos: undè sicut vovens Religionem cum intentione inobediendi, non castè vivendi &c. profitetur validè, invalidè autem, si nolens se ad obedientiam, castitatem, & paupertatem obligare, ità & proportionate in nostro casu.

Dices 2. Qui submergit puerum baptizando; ne spiritualiter regeneretur, validè baptizat, & tamen ejus intentio adversatur fini Baptismi: ergo hic similiter.

Resp. Dist. Ant. Validè baptizat, si non intendit facere, quod facit Ecclesia: N. si intendat; C. & tunc alia ejus intentio est inefficax, cùm non sit in ejus potestate facere, ut Sacramentum fit, & non operetur, ubi non est obex ex parte recipientis. Aliud est in nostro casu, ubi obligatio contractus, utpotè pendens à contrahente, potest per aliam contrahentis obligationem contrariam impediri.

Dices 3. Valet Matrimonium sub hac conditione celebratum; *Contraho tecum, si te ad servandam castitatem obliges*: sed hæc conditio repugnat bono prolis: ergo.

Resp. Dist. Min. Repugnat bono prolis positivè: N. privativè; C. Vide dicta superiùs de objecto consensus matrimonialis.

Dices 4. Decernitur in Jure Validam esse Professionem mulieris voventis sub conditione repugnanti substantiæ voti solemnis, nempè reservandi aliqua, & manendi in domo propria: ergo.

Resp. Neg. Ant. Quia non relinquitur mulieri bonorum proprietas, sed solus usus ex licentia Superioris, etiam habitationem illam permittentis; ubi nihil voto solemni contrarium.

Advertendum hic Conclusionem intelligendam esse de conditionibus de futuro; & ideò si contrahas cùm hac conditione de præterito; si alus corporis tui usuram permisisti, aut, si venenum sterilitatis sumpsisti, stat Matrimonium, si stet conditio, quia conditiones illæ, cùm nullam imponant obligationem circà Matrimonium contractum non possunt obligationes Matrimonio essentiales destruere.

QUÆSTIO IV.

Quomodo validari debeat Matrimonium, defectu consensus, aut alterius invalidum?

Dico Aut alterius; quia etiam ex alio capite, quàm ex defectu consensus irritum potest esse Sacramentum, si nempè desit præsentia Parochi, aut testium, vel aliud impedimentum dirimens.

CONCLUSIO I.

Ubi Matrimonium fuit nullum defectu præsentiæ Parochi aut testium, necessariò debet coram ipsis renovari. Est certa.

Ratio est; quia si primò contractum Matrimonium fuit invalidum, quia defuerunt Parochus & testes, cur contractum secundò sine illis valeret, cùm sit eadem ratio? Undè vel accedere debet dispensatio, vel nihil fiet sine præfatis, saltem in locis, ubi receptum est Tridentinum.

CONCLUSIO II.

Matrimonium nullum ratione impedimenti dirimentis, etiam renovari debet (sublato priùs per dispensationem impedimento) coram Parocho & testibus, saltem si impedimentum sit publicum, id est, si plures illud noverint, vel si sit deductum ad forum contentiosum, vel probari possit duobus testibus sufficientibus. Est communis & certa.

Ratio est; quia finis & motivum Tridentini assistentiam illorum requirentis æquè hic militat, ac si Matrimonium illud nunquam fuisset attentatum; cùm indè nata sint [illegible] qui inconvenientia in Concilio posita, id est, aut concubinatus sine Matrimonio vero, aut Matrimonii veri dissolubilitas; quia licèt constet Ecclesiæ de Matrimonii celebratione, non tamen de Matrimonii valore, cùm possit probari nullum.

Dixi: Si saltem impedimentum sit publicum; quia ubi omninò occultum est, ità ut nullo modo posset probari, ut si quis ante Matrimonium habuisset copulam sine effectu cum sorore suæ uxoris jam defuncta, volunt nonnulli assistentiam illam non requiri; fundanturque in duobus, 1. quia ex tali Matrimonio non possunt sequi incommoda, propter quæ vitanda requirit Tridentinum assistentiam illam; cùm defectu probationis (nam si invalidum probari possit Matrimonium, impedimentum non esset occultum) nunquam possit una partium separationem, aut cum alio conjunctionem prætendere. 2. Quia, teste Navarro, ita declaravit Pius V.

Nihilominùs opposita sententia etiam duobus nititur fundamentis æqualis, aut etiam majoris ponderis; 1. quia ut refert Comitolus lib. 1. Resp. moral. q. 120. resolvit Clemens VIII. renovandum esse coram Parocho, & testibus Matrimonium mulieris, quæ tantùm animo dissenserat: ergo à fortiori id resolvisset, si fuisset quæstio de impedimento, licèt occultissimo. 2. Quia licèt motum fuerit Concilium ab inconvenientiis præfatis ad requirendam Parochi & testium assistentiam illam, tamen simpliciter absolutè & sine ulla distinctione requisivit: ubi autem jus non distinguit, nec nos distinguere debemus: jam verò nisi assistant Matrimonio renovato, verum erit dicere non astitisse Matrimonio, cùm primum nullatenus fuerit Matrimonium.

Prætereà negari potest à solis inconvenientiis præfatis motum fuisse Tridentinum ad statuendum illud impedimentum; aliàs satis fuisset requirere testes sufficientes sine Parocho, cùm per hoc evitari possent inconvenientia præfata. Si dicas testimonium Parochi certius esse, Dicam ego testimonium Decani. Abbatis, aut Episcopi alterius Diœcesis Matrimonio assistentis, ad minimum æquivalere testimonio Parochi, & tamen non sufficit; ergo aliunde moti sunt Patres Tridentini ad requirendam Parochi assistentiam Undè hanc sententiam credo probabiliorem & tutiorem, adeoque in praxi tenendam, & quamvis alia opinio prævaleret, equidem peccarem, secundùm me illam reducens ad praxim; cùm Sacramentum exponeret periculo nullitatis, ob sententiam probabilem necessitatis Parochi tanquam Ministri, qui per assistentiam præsentem nec physicè nec moraliter censetur adfuisse Matrimonio renovato.

CON-

CONCLUSIO III.

QUando Matrimonium fuit nullum defectu consensus, necessariò renovandus est, & quidem utrimque, licèt unicus dissensisset. Idem est quando nullum fuit Matrimonium ob gravem metum incussum.

Prob. 1. Ex resolutione Clemens VIII. requirentis tunc Matrimonii renovationem coram Parocho & testibus, ut anteà dictum est; hoc autem fieri non potest sine novo utrimque consensu.

2. Quia eodem modo loquendum est de Matrimonio revalidato, ac de Matrimonio ordinario, cùm prima cæremonia fuerit omninò irrita: sed ad hoc requiritur utrimque consensus: ergo ad illud.

3. Quia non potest renovari Matrimonium, nisi renovetur ejus essentia: ergo nisi renovetur utrimque consensus, in quo essentialiter consistit Matrimonium.

4. Quia consensus ab initio fuit utrimque nullus: ergo utrimque renovandus. Prob. Ant. Fuit quidem nullus ex parte dissentientis, ut per se patet: fuit etiam nullus ex parte consentientis, cùm esset acceptatio corporis quasi sibi traditi, cùm non esset traditum.

Dices 1. D. Thomas p. 3. q. 47. art. 4 ad 2. tantùm requirit consensum ex parte ejus, qui dissenserat, & perseverantiam consensus ex parte alterius: Dicendum, inquit, quòd ex consensu libero illius, qui primò coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantùm consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore.

Resp. Nihil ibi contra nos, cùm loquamur in supposito quòd non remaneat prior consensus, qui ordinariè non remanet, utpote non directus à contrahente in futurum, sed in præsens.

Inst. Consensus prior quamdiu non retractatur, censetur moraliter perseverare: ergo ordinariè sufficienter remanet, ut conjugatur cum consensu alterius de novo consentientis.

Resp. Dist. Ant. Censetur moraliter perseverare ut factivus Matrimonii: N. cùm enim Matrimonium putetur factum, nec physicè, nec moraliter tendit in illius factionem. Ut approbativus: C. sed cùm non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, consensus ille non potest invalidum revalidare.

Dices 2. Ad revalidandam Professionem religiosam, sufficit invalidè Professo ratione metus aut fictionis, consensum renovare licèt acceptationem non renovet Superior: ergo.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Papa declaraverit se in illis circumstantiis Professionem illam acceptare tanquam omnium Religionum Superiorem supremum, & sic non est opus acceptationis novæ ex parte Prælati inferioris: quod non militat in nostro casu, ubi solus contrahens potest acceptare.

CONCLUSIO IV.

UBi nullum fuit Matrimonium defectu consensus, aut alterius, debet (ablato priùs impedimento, si quod sit) Matrimonii nullitas utrique parti innotescere, saltem ordinariè loquendo.

Hujus fundamentum est 1. Bulla Cruciatæ, ubi tribuitur Commissario facultas dispensandi cum iis, qui contraxerunt in gradu prohibito, altero impedimentum ignorante, priùs de nullitate prioris consensus certificato: quod & requisivit Clemens VIII. juxtà Comitolum sup in Matrimonio, defectu consensus ex parte mulieris invalido. 2. Quia de novo contrahens inscius nullitatis Matrimonii, non censetur novum Matrimonium velle, cùm credat sibi impossibile, sed ad summum, priùs factum confirmare, & consequenter nihil efficit ob rationem anteà dictam.

Dices 1. Sæpe non potest compars nullitatem aperire, nisi detrahat proximo, ut si sit affinis uxori suæ ob copulam cum ejus sorore: ergo tunc non tenetur.

Resp Dist. Ant. Non potest nullitatem præcisè &c. nisi detrahat: N. Nullitatem cum ejus origine: C. sed Neg. Cons. cùm possit nullitas declarari, non declarata nullitatis causa.

Dices 2. Ablato impedimento, habilitantur conjuges ad validè contrahendum: ergo ubi adest utriusque consensus, licèt unus sit nullitatis inscius, validum contrahitur Matrimonium.

Resp Dist. Conseq. Ubi adest utriusque consensus in Matrimonium revalidatum: Transeat. In aliud: N. jam autem rarus est talis consensus ex parte ignorantis nullitatem prioris Matrimonii, ut patet ex dictis. Dixi etiam Transeat ad primum membrum; quia fortè ad vitandam fraudem, aut relinquendam majorem contrahentibus libertatem, etiam nullitatis notitiam in consentientibus requisierunt Summi Pontifices, ut diximus; quamvis stante utrimque consensu, notitia illa videatur tantùm esse præcepti.

Dixi in Conclus. Saltem ordinariè loquendo; quia ubi adesset periculum infamiæ, scandali, prolium expositionis, aut desertionis Matrimonii dissolutionis cum magno puerorum detrimento, ignoranti reticeri posset Matrimonii nullitas; quia non videntur Pontifices voluisse hos casus comprehendere, modo tamen habeatur utrimque verus in verum Matrimonium consensus; & ideò si conjux ignorans dicat Nisi essemus Matrimonio juncti, vellem jungi tecum, non est consensus sufficiens, quidquid dicant aliqui, cùm sit sola consentiendi voluntas.

Quid igitur agendum, dùm non expedit comparti nullitatem apertè indicare?

Resp. Convocato ad prandium, aut aliam recreationem honestam Parocho, aut Confessario ad id legitimè deputato, debere coram testibus conscium nullitatis ostendere alteri magna amicitiæ conjugalis signa, ipsumque eò adducere, ut dicat, Si nullum fuit Matrimonium nostrum, hic & nunc accipio te in meum, vel prudentius: Accipio te in meum, quasi nunquam accepissem: quod facilè obtinebit, si ipsa priùs dicat: Accipio te in meam quasi &c. quia tunc statim respondebit compars: Idem ego facio, aut quid simile. Ex dictis

Resol. Probabilius esse in omni casu nullitatis Matrimonii requiri ad ejus revalidationem non tantum consensum utrimque, sed etiam Parochi & testium assistentiam, idque propter rationes prius allegatas: & ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis ob defectum Parochi fortè illius Ministri. Debet Parochus aut alius ejus nomine assistens id eo tempore exequi, quo credit prudenter conjuges esse in statu gratiæ. Interim non potest conscius nullitatis, ante Matrimonii renovationem debitum exigere aut reddere; & ideò ad cautius id evitandum sumet occasionem alicujus peregrinationis, aut deambulationis faciendæ; conabiturque præfata in reditu peragere.

DISPUTATIO IV.

De unitate & indissolubilitate Matrimonii.

UNitati matrimoniali opponuntur Polygamia, id est, connubium unius viri cum pluribus uxoribus, & Biviratus, qui est conjunctio unius fœminæ cum pluribus masculis. Non opponitur autem Bigamia; quia licèt sit connubium cum pluribus uxoribus, successivè tamen, & interveniente prioris morte, ita ut quolibet tempore sit Monogamia, id est, tantùm unus cum una.

QUÆSTIO I.

Quo jure sit prohibita Polygamia, an fuerit aliquando licita, quibus, & quando?

SUppono 1. Biviratum esse jure naturæ illicitum; cùm opponatur primario Matrimonii bono, quod est prolis generatio & educatio; generationem siquidem impedit varium semen masculinum mixtum cum fœmineo, ut patet in meretricibus. Educationem verò incertitudo de vero patre; cùm unus super alterum curam educationis poneret sicque à nullo debitè educaretur: undè licèt dispensaverit Deus antiquitus in Polygamia (ex qua non est natum sequi inconveniens præfatum, cùm unus vir sufficiat pluribus fœminis fœcundandis, ac singulis prolibus educandis) non tamen in Biviratu.

Suppono 2. Polygamiam in lege Evangelica esse illicitam omnibus jure divino, ita ut dispensatio aliquando facta nullatenùs perseveret, etiam respectu infidelium. Ità tenent omnes Catholici contrà spurcissimos Mahumetanos, quibus adhæsit Lutherus, cùm duas uxores permisit Lantgravio. Tridentinum quidem Sess. 24. Can 2. loquitur de solis Christianis, ubi ait: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, Anathema sit*; sed hoc dixit non quasi credidisset Polygamiam licitam esse jam infidelibus, cùm Christus dicens Matth. 19. *Erunt duo in carne una*, sustulerit omnem dispensationem reduxeritque

xeritque Matrimonium ad eum statum, in quo erat ab initio cùm Deus dixit Genes. 2. v. 24. *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*; sed quia agebat contra Hæreticos, qui id etiam permittebant Christianis: unde Ecclesia Polygamum infidelem, inquit P. Herinx, cùm omnibus uxoribus conversum, permittit manere cum sola prima, data cæteris facultate nubendi quibuslibet; & consequenter supponit fuisse his invalidè, adeoque illicitè conjunctum. His suppositis

CONCLUSIO I.

POlygamia fuit omni tempore illicita jure divino; & forte etiam jure naturæ.

Prob. 1. Pars; quia Deus nunquam abstulit præceptum, quo voluit ab initio ut esset unus cum una, seu duo in carne una; quandoquidem pluralitas uxorum permissa fuerit Abrahæ, Jacob, & aliis ex dispensatione, ut expressè docet Innocen. III. in cap. *Gaudemus*, de Divortiis; dispensatio autem supponit legem in suo vigore permanere, licèt sopiatur ejus obligatio pro tempore dispensationis respectu illorum, cum quibus dispensatur.

Prob. 2. Pars; quia jus naturæ videtur exigere, ut sicut mulier totum corpus suum tradit uni viro, ità vir totum corpus suum tradat uni mulieri; aliàs non servaretur in contractu æqualitas: undè D. Thomas p. 3. q. 65. art. 2. in corp. *Lex autem de unitate uxoris non humanitus, sed divinitus instituta, nec unquam verbis aut litteris tradita* (nempè expressè & explicitè) *sed cordi impressa, sicut alia quæ ad legem naturæ qualitercumque pertinent*. Huic autem resolutioni non obstat dispensatio præfata, cùm Deus in iis, quæ sunt de jure naturæ largè sumpto, qualis est Monogamia, possit dispensare, vel propriè secundùm Scotistas, & quosdam alios vel impropriè secundùm Thomistas, mutando scilicet materiam, seu faciendo tanquam supremus omnium Dominus, ut jus in corpus viri ad unam restrictum extendatur ad plures.

CONCLUSIO II.

POlygamia, Deo dispensante, fuit aliquando licita. Patet tùm ex cap. *Gaudemus* sup. tum quia viri Sancti, ut Abraham, Isaac, Jacob. David &c. Plures habuerunt uxores, de quo nullibi reprehenduntur in Scriptura, imò id supponitur Deuter. 21. v. 15. ubi legitur: *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, alteram odiosam*, &c.

Dices 1. Nullibi legitur circa hoc divina dispensatio: ergo.

Resp. Cum D. Thoma p. 3. q. 65. art. 2. dispensationem illam factam esse per internam inspirationem principalioribus ex populo Israelitico, & per ipsos aliis; cùm non sit credibile, tot viros in Scriptura laudatos, tota vita in continuo adulterio vixisse

Dices 2. Uxores posteriorea dicebantur concubinæ: ergo Matrimonium cum illis non erat licitum; aliàs dictæ fuissent uxores.

Resp. Nonnunquam in Scriptura confundi illa nomina; cùm uxor Levitæ, Judicum 19. v. 10. dicatur ejus concubina. Prætereà non vocat Scriptura omnes, præter primam concubinas; cùm legatur de Roboam 2. Paralip. 11. v. 21. *Uxores decem & octo, duxerat, concubinas autem sexaginta*. Undè illæ dicebantur concubinæ, (quamvis essent verè uxores) quæ tantùm ad prolis generationem, & non ad domus gubernationem assumebantur: uxores verò, quæ ad utrumque destinabantur.

Dices 3. Reprehenditur Salomon 3. Reg. 11. de multitudine uxorum: ergo illicitè assumpsit alias præter primam.

Ref. Dist. Ant. Reprehenditur de multitudine præcisè: N. de nimia multitudine contrà præceptum factum Regibus Deuteron. 17. v. 17. non assumendi uxores sine numero, vel ne amor fœmineus ipsos retraheret à debito Regni regimine, vel ne fraudarentur aliis debitis uxoribus, vel ob alium finem: C.

CONCLUSIO III.

PRobabilius est permissam fuisse Polygamiam populo Judaico, immediatè quidem iis, quibuscum ordinariè loquebatur Deus, ut Abrahamo. Isaac, Jacob, Davidi &c. mediatè verò reliquis, in quantùm Patriarchæ illi, & populi Principes divinam dispensationem intimabant aliis verbo, exemplo aut consuetudine.

Ratio est; quia eadem videtur fuisse ratio dispensationis pro inferiori populo ac pro aliis, nempè prolium multiplicatio, ut multiplicarentur fideles & Dei cultores in populo Judaico satis modico. An autem Polygamia fuerit etiam tunc permissa Gentilibus? Sub Judice lis est. Aliqui negant, eò quòd respectu illorum cessaret ratio, ob quam concessa fuit Judæis, nempè veri Dei cultorum multiplicatio. Affirmant alii freti authoritate D. Augustini, qui lib. 22. contrà Faustum Cap. 44. docet in locis, in quibus Jacob quatuor assumpsit uxores, licitam fuisse Polygamiam ibi autem viguisse Gentilitatem, patet exemplo Laban Idola colentis. Imò Esther Regina Sanctissima nupta est Assuero Gentili jam plures uxores habenti undè hæc opinio videtur alteri præferenda.

QUÆSTIO II.

An licita sit Bigamia, an sit Sacramentum, & quæ certitudo de morte prioris uxoris sit necessaria?

CONCLUSIO I.

LIcita est Bigamia, Trigamia, imò & Octogamia, id est, conjunctio cum secunda, tertia, aut octava comparte, prioribus defunctis.

Prob. 1. Ex Script. 1. Corinth. 7. v. 39. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*. 2. Ex SS. Patribus, ex quibus lubet audire D. Hieronymum in Apolog. ad Pamach. *Non damno Bigamos, imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos*. Unde librum Tertulliani de Monogamia, ubi secundæ nuptiæ damnantur, asserit esse hæreticum in Comment. super cap. 1. ad Titum. 3. Ex praxi fidelium recepta. 4. Ratione; cùm secundæ aut tertiæ nuptiæ æque inservire possint ad prolis generationem, aut concupiscentiæ sedationem, ac primæ. Undè quando D. Ambrosius in Cap. 7. 1. *ad* Corinth. dicit nuptias secundas non esse bonas, non loquitur absolutè, cùm eas laudet in lib. de Viduis; sed respectivè ad continentiam vidualem; & ideò excessit Author operis imperfecti Homil. 32. in Matth. (non tamen Chrysostomus, cui falsò attribuuntur Homiliæ illæ erroribus sparsæ) cum nominavit secundas nuptias, fornicationem. Fiunt quidem irregulares bigami, & ab Ordinibus suscipiendis excluduntur; sed, ut ait D. Thomas 3. p. q. 63. art. 1. ad 4. *Irregularitas non semper inducitur propter culpam*, ut patet in deformitate corporis &c. Undè irregularitatem incurrit quis contrahens cum secunda, (idem est cum Vidua, aut corrupta) quia, ut ait D. Thomas q. 63. art. 2. ad 2. *Non est una unius, sicut est in Matrimonio Christi & Ecclesiæ*. Pœnas autem inflictas à jure civili contrà secundas nuptias, abstulit jus canonicum, & præsertim contraria fidelium praxis.

CONCLUSIO II.

SEcundum Matrimonium est verè Sacramentum, *sive fiat* cum Virgine, sivè cum corrupta, sive cum vidua. Est communis & certa; imò de fide, cùm definiat Tridentinum Sess. 24. Can. 1. verum inter fideles Matrimonium quale est illud, esse Sacramentum.

Ratio est; quia in secundis nuptiis reperiuntur omnia ad Sacramenta requisita, sicut in primis: ergo non est, undè à Sacramenti dignitate excludantur, præsertim cùm Christus ad Sacramentum elevaverit Matrimonium, non ut primam, sed ut contractum matrimonialem, qualis est secundus, sicut primus. Deindè iterabilia sunt alia Sacramenta non imprimentia characterem: quidni & Matrimonium, cùm inter hoc & illa in ratione iterabilitatis non distinguat *Ecclesia*?

Dices 1. Tale Matrimonium non est significativum unionis Christi cum Ecclesia, cùm non sit unius cum una: ergo &c.

Resp. Dist. Ant. Tale Matrimonium absolutè & in se consideratum, non est &c. N. ut sic enim est unius cum una adeoque repræsentativum præfatæ unionis. Consideratum respectivè ad prius Matrimonium: Transeat. Sed cùm ille respectus sit accidentalis huic Matrimonio, non excluditur propterea à ratione Sacramenti.

Dices 2. Non benedicuntur secundæ nuptiæ: ergo signum est non esse Sacramentum.

Ref. Neg. Cons. Quia subtrahitur benedictio à secundis nuptiis ob defectum præfatæ significationis per respectum ad prius Matrimonium, qui respectus cùm sit accidentalis secundo Matrimonio, ut dixi, non desinit esse Sacramentum. Imò non subtrahitur benedictio ab omnibus secundis nuptiis: Si enim virgo contrahit cum viro, verba sunt D. Thomæ supra qui habuit aliam uxorem, nihilominùs benedicuntur nuptiæ, quia tunc secunda censetur una cum priori in ratione virginitatis, secundùm quam hic magis attenditur dicta unitas.

CON-

CONCLUSIO III.

UT quis contrahat novas nuptias debet esse moraliter certus de morte prioris conjugis. Patet ex cap. *In presentia* 19. *de sponsalib.* ubi Clemens III. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad alterum consortium canonicè convolare, nec permittas authoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Et ideò non sunt audiendi, qui solam probabilitatem requirunt. Dicitur quidem cap. *Cùm per bellicam*, sufficere existimationem de morte conjugis; sed vel intelligit existimationem cum certitudine morali, vel, si tantùm cum probabili, correctum fuit per dictum Pontificem.

Ratio Conclusionis est; quod hic agatur de re gravissima, ex qua sequi possent inconvenientia horribilia, si post susceptas duas aut tres proles eum secundo marito, compareret primus; & ideò quo res gravior est graviorem requirit certitudinem. Hinc

Resol. 1. Non sufficere verbum aut scriptum unius attestantis mortem conjugis; quia nequidem sufficit testimonium illud in rebus minoris momenti. Aliud esset si adjungerentur certæ circumstantiæ, quæ, attento prudenti hominum judicio, censerentur cum illo certitudinem moralem efficere, ut si constaret aliundè laborasse morbo, aut vulnere incurabili, fuisse in conflictu militari, ubi occiderunt multi, & unde vix fugere poterant relicti &c.

Resol. 2. Nec sufficere, seclusis aliis adminiculis, rumorem communem; cùm ortum habere possit ab authore dubio, imò fallaci.

Petes 1. Quid faciendum mulieri, quæ postquam ad secundas nuptias bona fide transvolavit, reperit vivere priorem maritum.

Resp. Teneri ad priorem conjugem reverti, nec posse ampliùs deinceps debitum aut petere, aut reddere ut patet ex cap. *Dominus*; de secund. nupt. ubi sic legitur: *Si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis amplexibus; ad priorem conjugem revertatur*; cujus ratio est quòd secundæ nuptiæ fuerint nullæ; cùm priùs Matrimonium subsistens invalidet secundum. Ubi autem dubitat mulier de morte prioris conjugis, non potest debitum petere, potest tamen marito reddere, si hic sit in bona fide, nec expediat ipsi dubium aperire. Vide dicta in Tractat. de Act. hum. ubi de Conscientia dubia.

Petes 2. An dubitans aut credens priorem maritum vivere, valdè contrahat cum secundo, si defacto mortuus sit primus? Dico *validè*; quia certum est id esse illicitum, cùm ad minimum se exponat periculo nullitatis secundi Matrimonii.

Resp. Cum distinctione: vel intendit mulier, non obstante dubio aut credulitate contraria, contrahere eo modo quo potest, aut sub conditione, si sit mortuus maritus; & tunc valet Matrimonium; quia nihil ipsi deest ad valorem, ut singulis examinanti patebit. Vel credit secundum Matrimonium esse sibi impossibile, & tunc nullum est; cùm nemò feratur efficaciter in impossibile.

QUÆSTIO III.

An Matrimonium sit indissolubile, & quo jure?

CONCLUSIO I.

OMne Matrimonium legitimè contractum, sive interim consummatum sit, sive non, est ab ipsis contrahentibus indissolubile. Est de fide contra quosdam Hæreticos volentes posse pro contrahentium libitu dissolvi.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: atqui si dissolubile esset Matrimonium, posset homo separare quod Deus conjunxit: ergo. Et ne diceres locum illum tantùm intelligi de Matrimonio consummato, dicitur Luc. 16. v. 18. *Qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur*, ut autem aliqua sit uxor, non dependet à consummatione Matrimonii; & consequenter nec ante, nec post consummationem licet uxorem dimittere, propter Matrimonii indissolubilitatem.

Prob. 2. Ex Trid. in principio sess. 24. ubi habet: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit.* Quod anteà docuerat Greg. IX. cap. fin. *de cond. apposit.* ubi asserit conditionem perpetuitati Matrimonii repugnantem, adversari illius substantiæ.

Prob. 3. Quia id exigebat bonum commune; quandoquidem permissa Matrimonii dissolubilitate, neglecta fuisset prolium educatio; unde hæc Regula juris: Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur, licet habeat locum in aliis contractibus, utpotè per contrahentium voluntatem dissolubilibus; non tamen in Matrimonio. Unde autem oriatur indissolubilitas illa, disputant Authores, aliis volentibus ex jure naturæ, aliis ex jure divino positivo, aliis ex jure pontificio.

CONCLUSIO II.

INdissolubile est Matrimonium jure divino positivo. Est communis & certa, patetque ex Scripturæ passibus priùs allegatis, quibus addi potest illud 1. Cor. 7. *Iis, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Obj. 1. Matth. 19. permittit Christus dimittere uxorem ob fornicationem: ergo non est jure divino indissolubile Matrimonium. Prob. Ant. Quicumque, inquit, dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.

Resp. Neg. Ant. Ad probationem dico *Nisi ob fornicationem*, non referri ad totam sententiam, quasi verò liceret uxorem fornicariam & dimittere quoad thorum, & relinquere quoad vinculum aliam ducendo sine mœchia; sed tantùm ad primam partem, ita ut faciat hunc sensum: Quicumque dimiserit uxorem suam quoad thorum, quod non licet nisi ob fornicationem; & aliam duxerit ex quacumque causa etiam fornicationis mœchatur: Hunc sensum apertissimè innuunt alii Evangelistæ dùm dicunt sine ulla prorsus exceptione: *Quicumque*, ut Marcus cap. 10. v. 11. *Omnis* ut Lucas cap. 16. v. 18. *qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Unde Aug. lib. 1. de Adulterinis conjug. *Qui sumus nos, ut dicamus: est qui mœchatur uxore dimissa, alteram ducens; & est qui hoc faciens non mœchatur: cum Evangelium dicat OMNEM mœchari.* Præterea cur jubet Apostolus 1. Cor. 7. ut uxor adulteri maneat innupta, aut reconcilietur viro suo, si possit ad alias nuptias transvolare.

Ob. 2. In lege veteri permissus fuit libellus repudii, ut patet ex Deut. 24. sed non est credibile, Deum fecisse indissolubile id, cujus solutionem tanto tempore permisit: ergo.

Resp. Dist. Ma. Permissus fuit sine ulla Dei dispensatione N. ut enim ait Christus. Matth. 19. v. 8. *Ab initio autem non fuit sic.* Ex divina dispensatione: Transeat.

Dico *Transeat*; quia volunt nonnulli fuisse quidem toleratum ad vitanda graviora mala, puta uxoricidia, ad quæ proni erant Judæi, non tamen permissa ut licita, ita ut peccarent & uxorem dimittendo, & cum alia invalidè contrahendo: quod inde probant 1. quia Deut. 24. mulier repudiata si alteri nupserit, dicitur polluta & abominabilis coram Domino. 2. quia Christus Matth. 19. dicit Moysen ad duritiam cordis Judæorum permisisse libellum repudii, quæ verba videntur notare tolerantiam, non permissionem licitam unde hæc opinio est satis probabilis licet contrariam teneat Scotus volens mulierem repudiatam, fuisse quidem abominabilem & pollutam legaliter, sicut tangentem leprosum aut mortuum, non tamen Theologicè Moysen vere motum fuisse à duritia cordis Judæorum ut id permitteret, non tantùm toleraret. Quod insinuat Author Hom. 32. in Mat. ubi legitur: *A peccato abstulit culpam Legislator, quando permisit repudium*: nec fundatè; cùm Lev. 21. v. 7. prohiberentur Sacerdotes nubere *repudiatæ*: quod non fuisset ipsis specialiter prohibitum, si prohibitio fuisset generalis. Deinde si repudium erat illicitum, cur Prophetæ, quibus commiserat Deus reprehendere populos errantes, ut patet Isa. 58. *Annuntia populo meo scelera eorum*, nunquam ipsos de repudio reprehenderunt; Dicit quidem Aug. lib. de bono conjug. cap. 18. *A viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit*; sed loquitur seclusa dispensatione; cùm etiam nunc ex Dei dispensatione liceat.

CONCLUSIO III.

MAtrimonium ratum non est indissolubile jure naturæ; secùs consummatum.

Prob. 1. Pars; quia spectato solo jure naturæ non videtur magis indissolubilis contractus Matrimonii rati, quam alii contractus sed bi accedente utriusque contrahentis consensu, non sunt jure naturæ indissolubiles: ergo nec ille. Prob. Ma. quia rationes indissolubilitatis naturalis ab Authoribus allatæ, non militant pro Matrimonio rato, si bene considerentur:

tur: Ad quid enim hic concubitus vagus; Ad quid prolis educatio, ubi non agitur de Matrimonii consummatione? Præterea probabilius est, ut dicemus infrà, dispensare posse Summum Pontificem in Matrimonio rato: sed non potest dispensare in jure naturæ, ut suo loco diximus: ergo.

Dices 1. Homo in statu innocentiæ non habuit aliud præceptum positivum, nisi de non comedendo fructu vetito: sed tunc indissolubile erat Matrimonium, cùm tunc dictum fuerit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: ergo ab us indissolubilitas oritur ex jure naturæ.

Resp. Dist. Ma. Homo, id est, Adam cum uxore, non habuit aliud præceptum respiciens ipsum in particulari, nisi &c. C. Non habuit aliud respiciens totum genus humanum, quale est illud de non dissolvendo Matrimonio: N. Imò idipsum admittunt Adversarii: licèt enim dicant Matrimonium ex natura sua indissolubile, volunt tamen Deum per præceptum suum indissolubilitatem illam confirmasse. Imò cap. un. de Voto in 6 dicitur institutionem & indissolubilitatem accepisse à Deo, adeoque non à natura.

Dices 2. cap. finali *de conditionib. apposit.* dicitur conditionem contrahendi ad tempus, adversari substantiæ Matrimonii; non adversaretur autem, si esset ex natura sua dissolubile.

Resp. Fieri ibi mentionem Matrimonii ordinarii, adeoque consummandi, de quo infra.

Prob. 2. Pars; quia ex dissolubilitate Matrimonii consummati nata sunt sequi eadem inconvenientia, quæ sequuntur ex fornicatione: sed propter inconvenientia illa illicita est fornicatio ex jure naturæ: ergo & propter illa indissolubile est jure naturæ Matrimonium consummatum. Prob. Ma. quia si fornicatio, seu vagus concubitus adversetur bono prolis, quia indè natus est sequi defectus curæ paternæ aut maternæ, aut utriusque, ut diximus in Tract. super decalogum, numquid etiam eidem adversaretur Matrimonii consummati dissolubilitas, cùm ex eo quòd quis hodie relicta priori conjuge, contraheret & cohabitaret cum secunda, crastina die cum tertia, deinceps cum quarta, natus sit sequi prolium neglectus, imò & confusio, conturbatio, querela, ignominia in genere humano.

Dices: Possent contrahentes esse steriles, senes, aut sufficienter providisse prolium educationi: ergo tunc saltem posset, salvo jura naturæ, dissolvi.

Resp. Retorquendo Argumentum: posset fornicarius tantùm cognoscere mulierem sterilem, aut senem, aut convenisse de prolium educationa: ergo tunc non esset contra jus naturæ fornicatio. Sicut ergo illicita est jure naturæ fornicatio, non præcisè quia ex ea sequuntur inconvenientia præfata, sed quia nata sunt sequi, licèt per accidens non sequantur ob senium aut sterilitatem; ita & propter eandem rationem indissolubile est jure naturæ Matrimonium consummatum.

QUÆSTIO IV.

An nunquam ob causam dissolvi possit Matrimonium.

OB compartis adulterium dissolvi posse Matrimonium, docent Græci, docent & Lutherani, quibus associantur in hoc Anabaptistæ. Imò Lutherus causam dissolutionis sufficientem allegat molestam cohabitationem ob jurgia frequentia, aut diuturnam absentiam. Audacior adhuc fuit Bucerus volens dissolvi posse, dùm alteruter conjugum est incommodus; sed hos omnes anathematizat Tridentinum sess. 24. Can. 5. & 7. definiens nequidem ob hæresim posse dissolvi.

CONCLUSIO I.

DIssolvi potest Matrimonium ratum, non consummatum, per Professionem solemnem in Religione à S. Sede approbata.

Dico: *Non consummatum*; quia, ut constat ex VI. Synodo generali, refertur que cap. *si quis conjugatus* 27 q. 2. nec alterutrius, imò nec utriusque professio Matrimonium consummatum dissolvit & ideò si quis sine consensu aut culpa conjugis Religionem profiteatur, tenetur ad petitionem comparris exire, & cum ea cohabitare. Quòd si consenserit, non potest quidem repeti professus, aut professa; sed perseverat Matrimonium, ita, ut in sæculo remanens non possit alteri nubere vivente comparte; in Religione autem existens, committat adulterium, si alteri copuletur.

Prob. Autem Conclusio ex cap. *Ex parte tua*. De conversione conjug. ubi legitur: Ex sacri eloquii interpretatione, & divina revelatione in Ecclesia Christi semper fuit custoditum, ut ratum Matrimonium per Professionem solemnem dissolveretur. Quod expressè definit Tridentinum sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit Matrimonia rata, non consummata, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, Anathema sit.*

Hujus autem ratio est voluntas divina nobis per Traditionem manifestata; nunquam enim Ecclesia, inquit Scotus 4. d. 31. q un. num 7. *attentasset post Matrimonium ratum, unum licentiare ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset*, aut Deus revelasset unde dissolutio illa est de jure divino, non Ecclesiastico. Non habetur quidem textus in Scriptura vim illam concedens Professioni solemni; sed si multa alia habeamus ex Traditione etiam de Sacramentis, quæ non reperiuntur in Scriptura, quidni & hoc habere possemus.

Non diffiteor tamen dissolutionem illam etiam haberi ex natura rei: non quidem præcisè quia Religio status est perfectior Matrimonio; aliàs etiam dissolveretur per susceptionem Ordinis sacri, aut dignitatis Episcopalis, cujus tamen contrarium resolvitur Extra. *Antiquæ concertationi* De voto & voti redemptione. Imò si ratio ipsa valeret, etiam per Religionem dissolveretur Matrimonium consummatum, cum sit etiam ipso perfectior; sed quia, cum Professio Religiosa sit mors civilis (quod non competit susceptioni Ordinis aut Episcopatui) contractus civiles, qualis est Matrimonium ratum, dissolvit. Non dissolvit tamen Matrimonium consummatum; quia cùm hoc non sit tantùm contractus civilis, sed civilis simul & carnalis, etiam ad ejus dissolutionem requiritur mors civilis simul & carnalis.

Dixi 1. in Concl. *Per Professionem*, & non per solum ingressum ad Religionem, & ideò conjux manens in sæculo, non potest tempore Novitiatus suæ compartis ad alias nuptias transvolare; sed expectare debet, vel ut alteri nubere possit, si compars profiteatur, vel ut ad ipsam redeat, si non profiteatur.

Dixi 2. *Per Solemnem*; & ideò non dissolvitur per vota simplicia in Societate post biennium emissa, sicut nec per vota Coadjutorum, aut Oblatorum apud nos & Carmelitas; quia ultra quòd vota illa non sint absolutè perpetua ex parte recipientis, non continent Professionem SOLEMNEM, qualem requirit Trid. sup. & cap. *Ex parte tua*. Dicitur quidem indiscriminatim cap. *Ex publico* dissolvi per Professionem *Religiosam*; sed tunc temporis omnis Professio Religiosa erat solemnis, nunc autem præfata Jesuitarum Professio est quidem Religiosa ex jure novo, non tamen solemnis: unde quidam Coadjutor tempore S. Ignatii emisit Professionem solemnem (quod non solent Coadjutores) ut ejus Matrimonium ratum dissolveretur.

Petes: An Professio solemnis semper dissolvat Matrimonium ratum.

Resp. Affirm. Quia in jure sive novo, sive antiquo, nullum tempus determinatur: ideò si post 20. annos à contractu, Matrimonium necdum esset consummatum, adhuc esset per professionem solemnem dissolubile: potest tamen compars meditans Religionem compelli post bimestre, non ante; quia tempus illud ipsi conceditur cap *Ex publico* ad deliberandum; ita ut tunc sit libera ad debitum reddendum, aut denegandum, & ita libera, ut si per vim opprimeretur à conjuge, posset, ipso invito, Religionem profiteri, deberetque opprimens manere innuptus usque ad mortem Professæ; quia Matrimonium consummatum, ut diximus, per Professionem non dissolvitur.

CONCLUSIO II.

SImiliter dissolvi potest Matrimonium, etiam consummatum, si unus conjugum infidelium convertatur ad fidem, & alter nolit converti, nec habitare cum converso, aut non nisi cum injuria Creatoris, aut scandalo. Est communis & certa apud omnes Theologos & Canonistas: estque ità decisum in Ecclesia, ut patet ex Cap. *Quanto*, & Cap. *Gaudemus*. De Divortiis. Colligitur ex Apost. 1. ad Corinth. 7. v. 15. Ubi ait: *Si infidelis discedit, discedat: non enim servituti*, id est, priori conjugio, *subjectus est frater aut soror*. Hinc

Resol. 1. dissolubile esse Matrimonium præfatum in tribus. 1. si manens infideli noluit habitare cum converso, ex hoc præcisè quòd sit conversus: quod addo; quia si ob aliam causam, v.g. ob adulterium conversi ante aut post Baptisma patratum non est dissolubile. 2. Si infidelis velit quidem habitare, sed cum injuria Creatoris, ipsum blasphemando, Christi fidem, aut Religionem spernendo, cæremonias infidelium usurpando, Dei cultum impediendo &c. 3. Quando non tentat quidem conjugem conversum à fide avertere, pertrahit tamen ad peccatum mortale.

Resol.

Reſol. 2. Si uterque conjux ab infidelitate convertatur, nullatenùs diſſolvi poſſe Matrimonium; quia privilegium illud conceſſum eſt à Chriſto in favorem fidei.

Reſol. 3. Nec diſſolubile eſſe, ſi conjux nolens converti, velit habitare pacificè cum converſo ſine injuria Creatoris, aut ſcandalo; quia tunc ſupponitur nullum eſſe perverſionis, aut depravationis periculum: hocque evidenter inſinuat ca. *Gaudemus*.

Reſol. 4. Si converſus nolit manere cum infideli volenti pacificè cohabitare, neutrum poſſe ad alias nuptias tranſvolare; quia cùm non ſubſiſtat caſus Concluſionis, adhuc ſubſiſteret vinculum conjugale.

Reſol. 5. Non priùs diſſolvi Matrimonium præfatum, quàm fidelis pervenerit de facto ad alias nuptias; ita ut ſecundum Matrimonium ſit concomitanter diſſolutio alterius prioris; quia dicitur quidem in jure ob negationem converſionis & cohabitationis in alio, eſſe diſſolubile, non tamen diſſolvi de facto.

Reſol. 6. Non diſſolvi Matrimonium per hoc quòd infidelis tranſeat ad alias nuptias; quia cùm hoc privilegium concedatur fideli, non infideli, hujus nullæ ſunt nuptiæ ſecundæ.

Reſol. 7. Ubi ad alias nuptias tranſvolavit fidelis, poſſe ſimiliter ad alias validè tranſvolare infidelem; quia rupta ſunt vincula prioris Matrimonii. Dixi *Validè*; quia colligunt aliqui id ipſi eſſe illicitum ex can. *Si infidelis* 28 q 2.

Reſol. 8. Si infidelis convertatur, poſtquam fidelis alteri nupſit, non poſſe ad fidelem reverti defunctâ ſecunda ejus comparte, niſi de novo contrahant; quia prius Matrimonium fuit omninò diſſolutum.

Petes 1. An converſus poſſit conjugem nolentem converti, ſed volentem pacificè cohabitara, dimittere quoad thorum; Dico: *Quoad thorum*; quia diximus anteà non poſſe quoad vinculum.

Reſp. Neg. Patet ex Apoſtolo 1. Cor. 7. *Si quis uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo* (ſcilicet pacificè & ſine ſubverſionis periculo) *non dimittat illam*.

Petes 2. Quid dicendum de iis, qui convertuntur in his patriis & uxores habent infideles in locis remotiſſimis.

Reſp. ex Baſilio Pontio lib. 9. cap. 4 poſſe ad aliud conjugium tranſire, ſi conjux infidelis monita (ſemper enim, ubi fieri poteſt, præcedere debet monitio, ut ſciatur an infidelis non velit converti, aut ſaltem pacificè cohabitare) intrà tempus in monitione præfixum non reſponderit. Imò id etiam poterunt, ſi ob loci diſtantiam, aut ignorantiam, non poſſit compartis voluntas haberi; & ita, teſta Pontio, declaravit Greg. XIII. quia fortè ordinariè præſumitur nolle infidelem converti, nec cohabitare ſine ſcandalo, aut injuria Creatoris. Requiritur tamen illo caſu diſpenſatio Papalis, ut inſinuat ipſemet Gregorius; ſed hoc ad licitè, non ad validè; cum in tali Matrimonio nihil poſſit authoritas Pontificia, ut dicemus infra.

Petes 3. An infidelitas ſuperveniens uni conjugum fidelium reddat Matrimonium diſſolubile.

Reſp. Neg. Quia Matrimonium fidelium, utpotè Sacramentum, magis eſt firmum ob ſignificationem indiſſolubilis conjunctionis Chriſti cum Eccleſia.

QUÆSTIO V.

An Papa diſpenſare poſſit in Matrimonio.

CONCLUSIO I.

NOn poteſt diſpenſare Papa in Matrimonio fidelium conſummato, imò nec infidelium, quidquid dicat Sanchez.

Prob. 1. Pars tùm ex Script. Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*: quod ad minimum verum eſt de conjunctione omnimoda, nempè civili, ſacramentali, & carnali. Tum etiam ratione; cùm Papa non poſſit diſpenſare, ut ſuo loco diximus, in jure naturæ; matrimonium autem illud eſſe ex jure naturæ indiſſolubile, dictum eſt q. 2. concl. 2.

Prob. 2. Pars; quia licèt Matrimonium infidelium non ſit ita firmum, ac Matrimonium fidelium, defectu Sacramenti; quia tamen etiam jure naturæ indiſſolubile eſt, ut perſuadent rationes noſtræ q. 2. concl. 2. allatæ, in ipſo diſſolvendo nihil poteſt authoritas Papalis, quæ nihil poteſt in jura naturæ.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt Summum Pontificem nequidem poſſe in Matrimonio rato diſpenſare. Eſt communior & verior, cui videtur ſuffragari Scotus 4. d. 31. qu. unic. num. 7. ubi poſtquam dixiſſet Matrimonium ratum eſse indiſsolubile jure divino, exemiſsetque unicum Profeſſionis ſolemnis caſum, ſubdit: *Eccleſia nunquam attentaſſet poſt Matrimonia rata licentiare alterum ad Religionem; altero manente in ſeculo, niſi Chriſtus hoc inſtituiſſet*, quod ſanè non dixiſset, ſi crediſset eſse in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi in Matrimonio rato.

Prob. 1. Concl. Non poteſt inferior diſpenſare in lege Superioris, niſi id ipſi conceſſerit Superior, ut per ſe patet: ſed Matrimonium ratum eſt indiſsolubile ex lege divina, in quam nec Traditio, nec Scriptura, nec Ratio concedit Papæ poteſtatem: ergo. Prob. Min. Non quidem *Traditio*; quia ante Martinum V. teſte Ledeſma, inaudita fuit diſpenſatio in Matrimonio rato, licèt infinitæ per 14. ſæcula occurrerint diſpenſandi occaſiones. Non etiam *Scriptura*; quia contrarium inſinuat dicens Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet* quod univerſaliter dictum, etiam de Matrimonio rato intelligitur. Non denique Ratio; quia ſi hæc non dictet neceſſariam eſse talem poteſtatem in Eccleſia reſpectu Matrimonii conſummati, nec dictat reſpectu Matrimonii rati; cùm pro diſſolvendo Matrimonio conſummato infinities urgentiora & crebriora occurrant motiva, quàm pro diſsolutione Matrimonii rati, ut rem conſideranti patebit.

Confirm. Non poteſt diſpenſare Papa in præcepto divino Confeſſionis, aut Communionis, quia nullibi legitur id ipſi conceſsum: ergo nec in præcepto divino Matrimonio indiſsolubilis propter eamdem rationem.

Prob. 2. ex can. *Si quis Matrimonium*, ubi docet Nicolaus I. indiſsolubile eſse Matrimonium à ſanis contractum, quamquàm unus conjugum in amentiam aut furorem incidat, aut etiam violenter caſtretur. Hoc autem non dixiſset Pontifex, ſi crediſset ineſse ſibi poteſtatem diſpenſandi, præſertim cùm rationes illæ videantur urgentiſſimæ.

Dices 1. Plurimi Pontifices pii & docti in illo Matrimonio diſpenſarunt, ut Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. & IV. Julius III. Gregorius XIII. qui dicitur uno die cum XL. diſpenſaſse.

Reſp. Si poteſtatem illam in ſe agnoverint ipſi, hanc tamen ſibi ineſse negaverunt Innoc. VIII. Adrianus IV. & Pius V. unde aliam ſententiam amplectendo præfati Pontifices, ſecuti ſunt opinionem, quam crediderunt probabiliorem, idque ut evitarent gravia animarum pericula: quod non obſtat quominùs noſtra appareat nobis veriſimilior.

Dices 2. Papa diſpenſare poteſt in votis, ſaltem impropriè ergo & in Matrimonio rato.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd primum habeamus ex Traditione, non ſecundum. Præterea cùm difficultates circa votorum adimpletionem ſint valdè frequentes, circa autem Matrimonium ratum rariores, imò rariſſimæ, poteſtatem diſpenſandi in illis, non in hoc, exigebat pacificum Eccleſiæ regimen.

Dices 3. Poteſt accidere caſus, ubi poteſtas diſpenſandi ſit omninò neceſsaria, ne dicatur Deus Eccleſiæ ſuæ non ſatis providiſse, ut ſi quis, adhuc juvenis, ſit valdè proclivis ad venerea, & ejus uxor facta ſit impotens: ergo ſaltem illo caſu poteſt diſpenſara.

Reſp. Argumentum illud nimiùm probare: adeoque nihil: probat enim debuiſse Deum facultatem illam etiam circa Matrimonium conſummatum concedere; cùm inconveniens illud poſſit poſt Matrimonium conſummatum imò millies ſæpiùs, quàm poſt ratum accidere.

Dices 4. Permittit Alexand. III. cap. *Veniens* ut is, qui cognoverat matrem ſuæ uxoris, cum alia contrahat, modò Matrimonium non ſit conſummatum: ergo &c.

Reſp. Non eſse ibi mentionem de Matrimonio rato, ſed de Sponſalibus, ut evidenter indicant hæc verba: Cæterum ſi SPONSAM, nota, cognovit antequam matrem, vel poſt, nunquam eam vel aliam poſſit accipere in uxorem. Ubi per ly nunquam eam poſſit accipere in uxorem ſatis denotatur necdum eſse uxorem adeoque Matrimonium necdum eſse celebratum, ſed tantùm promiſsum.

Dices 5. Extravag. *Antiquæ concertationi*, de voto & voti redempt. deciditur per ordinem ſacrum non dirimi Matrimonium, quia nec jus divinum, nec ſacri Eccleſiæ Canones id ſtatuunt: ergo ſupponit Eccleſiam id poſse ſtatuere.

Reſp. Sic loqui Joannem XII. non quia credebat id poſse

Ecclesiam; sed ut obviaret etiam illis, qui credebant talem esse in Ecclesia potestatem.

Cæterùm advertere debet tenens sententiam oppositam, dispensationem fore illicitam, imò & nullam, nisi justa occurrat dispensandi ratio, ut esset impotentia superveniens uni conjugum, amentia, furor, graves familiarum aut conjunctorum discordiæ &c. Quia non censetur Deus, à quo est Matrimonii indissolubilitas, dispensationem ratificare, ubi ejus Minister illa utitur non in ædificationem, sed in destructionem. Scio Juristas nonnullos velle dispensationem sine causa datam esse validam; sed etiam scio sustinere indissolubilitatem Matrimonii rati esse juris humani, cujus contrarium suprà ostendimus.

DISPUTATIO V.

De Divortio & obligatione cohabitandi.

QUoniam diximus Disp. præced. de indissolubilitate & solubilitate Matrimonii quoad vinculum, postulat materiæ propinquitas, ut hic agamus de ejusdem indissolubilitate & solubilitate quoad thorum, seu quoad habitationem.

QUÆSTIO I.

Quid sit Divortium, An fieri possit, aut debeat ob compartis adulterium, & quando non?

CONCLUSIO I.

DIvortium (quod à divertendo dictum est, eo quòd unus conjugum ab altero divertat) est separatio conjugum quoad thorum & habitationem, integro perseverante Matrimonii vinculo. Est duplex, unum ad tempus, aliud in perpetuum, quod solum venit nomine divortii simpliciter dicti: unde L. *Divortium ff. de divortiis*, legitur; *Divortium non est verum, nisi quod animo constituendæ perpetuæ separationis fit.*

CONCLUSIO II.

LIberum est, imò aliquandò obligatorium innocenti facere divortium ob compartis adulterium. Est communis & certa.

Prob. 1. Pars; quia libertatem illam evidenter concedit Christus Matth. 19. ubi docens non esse dimittendam uxorem, excipit casum fornicationis seu adulterii. Licet autem ibi Christus tantùm loquatur de viro, non negat tamen eamdem libertatem fœminæ; cùm enim par sit utriusque conditio & obligatio quoad thorum, ita etiam par debet esse utriusque libertas, hocque fundatur in jure naturali dictante non esse servandam fidem, illam frangenti, sive interim frangens sit vir, sive mulier; unde Can. Præcepit. 32. qu. 5. *Neque enim adultera uxor dimittenda est & vir mœchus retinendus.*

Prob. 2. Pars, quia ubi prævidet aut sperat innocens avertendam esse compartem nocentem ab impudicis conversationibus per dimissionem, tenetur illam dimittere, saltem ubi non prosunt alia remedia, quæ possunt esse verba & verbera respectu mulieris adulteræ, ut docet D. Thomas q 62. art. 2. ad 1. Unde *Si vir sciens uxorem suam deliquisse (quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione) vixerit cum ea, reus erit, & ejus peccati particeps*, Cap. *Si vir*, de Adulter. Extra hunc casum non videtur ad dimissionem obligandus, potestque dimissa nocenti offensam ipsam retinere, nisi certè crederetur impudico mulieris commercio patrocinari aut connivere, idque cum subditorum aut aliorum scandalo.

Dixi in Concl. *Ob compartis adulterium*, sub quo comprehenditur omnis concubitus, adeoque & sodomiticus, & bestialis, modò sit completus; quia tunc adulter dividit carnem à propria conjuge, cum qua debet esse una caro; ubi autem non est completus, sive quia tantùm sunt oscula, tactus, amplexus &c. Sive quia semen non effunditur intra vas ordinarium, aut extraordinarium, non habet locum libertas dimittendi; quia non est carnis divisio cum alia carne; sicut nec censetur esse, ubi quis se solùm polluit, aut copulatur mulieri mortuæ. Non desunt tamen graves Authores, qui volunt pollutionem esse causam sufficientem divortii faciendi: Hinc Tollatus in Cap. 19. Matth. q. 66. Pro fornicatione autem, inquit, qualiscumque sit, potest peti divortium; unde si vir sit sodomita, si ad pecora coeat, si seipsum POLLUAT, poterit uxor petere divortium. Cui videtur præluxisse D. Th. 4. d. 32. art. 1. ad 4. ubi ait: Etiam propter vitium contra naturam potest procedi ad divortium. Imò idipsum non obscurè insinuatur Can. *Idololatria* 28. q. 1. ubi habetur: Ex quo intelligitur quòd propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in Stupris cum alienis viris, aut fœminis committuntur, sed omninò quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxor virum. Sed quidquid sit de illis Authoritatibus, videtur usus contrarius.

CONCLUSIO III.

NOn conceditur divortium ob adulterium in sequentibus casibus. 1. Ubi tantùm fuit materiale, ut si vir accesserit ad aliam credens invincibiliter esse suam; si conjux, credita prudenter morte compartis, alteri nupserit; si mulier per vim absolutam fuerit oppressa. Dico per vim absolutam; quia sicut per metum, etiam gravem, non excusatur à peccato, ita nec à divortio tolerando.

Ratio hujus exceptionis est, quòd adulterium materiale, apud Deum reputetur nullum; adeoque non tale, quale requisivit Christus ad divortium.

2. Si unus conjugum adulteretur, altero aut prostituente, aut consentiente, aut tolerante dum sine gravi incommodo potest impedire; quia non est æquum ut quis petat compartem puniri divortio ob crimen, cujus est ipsemet particeps. Non censebitur tamen conjux causa sufficiens adulterii, si tantùm dederit occasionem remotam; ut si uxor debitum marito negaverit, ipsi fores occluserit; si maritus uxorem è domo expulerit, alimenta negaverit, unde hic, aut illa sumpserunt ansam adulterandi; patet ex Cap. *Significasti* de divortiis.

3. Si conjux innocens offensam remiserit nocenti; quia tunc injuriam remittendo censetur juri dimissionis cessisse. Potest autem reconciliatio fieri verbis & factis: verbis quidem, ut si sincerè dicat innocens, velle se præteritorum oblivisci: factis verò, ut si conscius adulterii, & potestatis ideò compartem adulteram dimittendi, ad ipsam accesserit per copulam, oscula, aut amplexus animo reconciliativo: quod addo; quia si animus ille defuerit, non censetur in conscientia reconciliatus, potestque à comparte adultera recedere. Quod si in gratiam admissus relabatur: potest dimitti; quia cessit quidem Innocens, per reconciliationem, juri suo respectu adulterii patrati, non tamen respectu patrandi. Imò si labatur reconcilians & qui fuerat innocens potest reconciliatus & qui fuit nocens lapsum dimittere; quia ob remissam offensam, non datur injuriæ compensatio. Ex honestate tamen & decentia deberet alteri facere, quod vidit sibi fieri.

4. Si uterque fuerit adulteratus, Cap. *Ex litteris* de Divortiis; quia tunc est injuriæ compensatio. Parum autem refert quòd adulterium fuerit diversæ speciei, id est, quòd unus Sodomiam, aut bestialitatem, alter copulam ordinariam habuerit; quia equidem in ordine ad divortium reputatur quid idem; eo quòd utrobique sit carnis divisio cum carne aliena. Nihil etiam ad rem facit quod unus tantùm semel, alter bis, aut pluries fuerit alteri copulatus; quia jura præsertim attendunt ad fidei fractionem, quæ tam reperitur in 1. facinore, quàm in 3. aut 4. Erit tamen disparitas, si facta injuriæ compensatione & reconciliatione, unus tantùm relabatur, quia tunc poterit, qui non fuit relapsus, ad divortium procedere. Patet ex dictis.

QUÆSTIO II.

Qua authoritate fieri possit divortium ob adulterium, & an innocens per sententiam separatus, teneatur redire, si fiat nocens?

CONCLUSIO I.

DIvortium quoad thorum præcisè, seu quoad solam debiti reddendi obligationem, fieri potest authoritate propria, ubi constat de compartis adulterio. Est communis post D. Th. q. 62. art 3. ubi ait: *Vir potest uxorem dimittere dupliciter, uno modo quantùm ad thorum tantùm, & sic potest eam dimittere, quam citò sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti.* Dixi *ubi constat*;

quia

quia non sofficit suspicio, aut probabilitas, sed requiritur certitudo tanta, ut viro prudenti non relinquatur ambigendi locus.

Ratio Conclusionis est, quòd conjux contrahendo, non obliget se ad debiti redditionem nisi sub conditione fidei conjugalis servandæ; & conseqoenter ubi frangitur illa fides, frangitur & præfata obligatio sine ullo alio judicii apparatu. Accedit quòd debiti negatio, sicut redditio, sit actio privata, adeoque privata authoritate determinanda, ubi constat de causæ sufficientia. De hoc divortio nulla restat difficultas; sed magna est de divortio quoad habitationem: alii enim volunt fieri posse authoritate propria, sivè adulterium compartis sit privatum, sivè publicum, modò sit certum. Alii, fieri posse, si sit publicum, non autem si sit secretum. Alii denique non posse fieri sine judicis sententia, qualecumque sit adulterium. His, utpotè magis fundatis, adhæremus.

CONCLUSIO II.

NOn potest fieri divortium quoad habitationem, authoritate propria sivè publicum sit adolterium, sivè secretum. Est expressè D. Thomæ, estque conformior Conciliorum authoritati, & Ecclesiæ praxi.

Prob. 1. quia in Conc. Agathensi Cap. 2. qood desumptum est ex Concil. Chartaginensi, cui interfuit D. Augustinus, excommunicantur mariti, qui, non expectata Ecclesiæ sententia, uxores dimiserint nulla facta adulterii secreti aut publici distinctione: undè Cao. *Sæculares* 33. q. 2. *Si antequam . . . in judicio damnentur, uxores suas abjecerint, à communione S. Ecclesiæ & populi cætu, pro eo quòd fidem & conjugia maculant, excludantur.*

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ sup. ubi ait: *Alio modo quantùm ad thorum & habitationem; & hoc modo non potest dimitti, nisi judicio Ecclesiæ, & si aliàs dimissa fuerit, potest cogi ad cohabitandum.* Subdiit quidem S. Doctor: *Nisi posset ei vir incontinenti fornicationem probare:* sed non probatur indè, ut immeritò volunt aliqui, ipsum excludere casum, ubi publicum est adulterium; cùm per hoc solùm intendat non esse cogendum virum ad cohabitandum cum adultera dimissa, si statim possit probare, nempè in judicio Ecclesiæ, ipsam esse ream.

Prob. 3. Ratione; quia separatio quoad habitationem, est actio publica, publicamque respicit gubernationem, & ideò etiam fieri debet authoritate publica.

Dices 1. cap. *Significasti*, de Divort. legitur: *Si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir* (qui eam dimiserat) *cogi non debet.*

Resp. Ibi agi de adulterio, quod jam notorium est Ecclesiæ, quæ ideò censetur separationem illam quoad continuationem aothorizare, licèt ab initio non approbaverit.

Dices 2. cap. *Dixit Dominus* 32. qu. 1. legitur: *Ubicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur uxor:* ergo non requiritur judicium Ecclesiæ.

Resp. Dist. Aot. Liberè dimittitur aothoritate propria: N. accedente authoritate publica: C. de hac autem dimissione loquitur textus; cùm maritus non possit dimittere uxorem aothoritate propria ob fornicationis suspicionem, etiam vehementissimam.

Dices 3. Matth. 19. tantùm requiritur ad divortium fornicatio compartis: ergo.

Resp. Ibi quidem concedi facoltatem dimittendi compartem fornicariam; sed qua authoritate fieri debeat, non determinatur; determinavit autem Ecclesia fieri debere authoritate publica, idque ob justissimas rationes.

Dices 4. Ratio naturalis dictat non esse servandam fidem illam frangenti.

Resp. Hoc esse verum; sed quòd innocens teneator cohabitare usque ad judicis sententiam, non oritur ex fide conjugali, sed ex eo quòd separatio illa, utpotè publica, publicam requirat sententiam.

Dices 5. Joseph jostissimus voloit dimittere aothoritate propria B. Virginem ob fornicationis suspicionem: ergo.

Resp. Ex D. Thoma ad 2. *Quod tunc ex adulterio non solùm procedebatur ad divortium, sed ulteriùs ad lapidationem: non autem nunc quando agitur judicio Ecclesiæ.* Præterea non voluit ipsam dimittere publicè, sed occultè: Conclusio aotem intelligenda est de divortio publico, non de occulto, & sine scandalo practicabili: undè maritus conscios fornicationis uxoris suæ, quam præsertim non posset sufficienter probare, posset sine strepitu ab ea recedere, prætexendo militiam, peregrinationem, aut mercaturam in loco distanti.

CONCLUSIO III.

PRobabilius est eum, qui per judicem separatus est innocens, non teneri redire ad compartem adulteram, ante novam judicis sententiam, licèt etiam post separationem fuerit adulteratus. Est verior.

Ratio est; quia sicut non potuit innocens sine judicis sententia à nocente recedere, ità nec videtur factus nocens teneri sine nova sententia redire, præsertim cùm divortii sententia lata fuerit absolutè, & non sub cooditione, *si innocens castè vivat:* ubi tamen id exigit compars, tenetur judex ipsos conjungere, imò quamvis non exigeret; quandoquidem in illo casu necessaria sit conjunctio ad vitandum scandalum, & incontinentiæ periculum.

Dices: Non habet jus lapsa ante separationem, ut lapsus post separationem redeat: ergo non potest judex ipsos conjungere, nisi uterque consentiat. Prob. Aot. quia licèt retioeat jus radicale ad corpus mariti, ratione vinculi perseverantis, non tamen jus proximum, quod sibi per divortium ablatum est; peccans autem maritus post separationem, tantùm lædit jus proximum Matrimonii, non remotum, & sic non facit injuriam uxori.

Resp. (quidquid sit an tunc faciat injuriam uxori, ao tantùm Sacramento, sicut quando mulier adulteratur ex consensu mariti) posse nihilominùs Judicem cogere maritum ad thorum & cohabitationem, idque ratione criminis post separationem patrati.

Petes 1. An teneatur innocens per sententiam divortii separatus, recipere nocentem emendatum, & rejungi rogantem?

Resp. Non teneri ex justitia cùm fuerit ratione divortii, ab onere conjugali liberatus. Patet ex cap *Gaudemus* de conver. conjugat. ubi adulteræ dicuntur in Claustris Pœnitentiæ causa collocandæ, *si mariti . . . eas ad frugem melioris vitæ noluerint recipere.* Id tamen videntur exigere charitas & honestas, ubi reunio non est innocenti incommoda, & est nocenti salutifera: huic Can. *Quod autem*, 32. q. 1. *Quis non intelligat debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum?*

Petes 2. An possit innocens, facto per sententiam divortio, obligare nocentem, ut ad se redeat?

Resp. affirm. quia sententia divortii fuit in favorem innocentis, & in pœnam adulterii, & ideo debet nocens interpellatus sine nova sententia redire, & comparti reconciliari; quia, ut ait D. Thomas 4. d. 36. q. 1. art. 6. ad. 3. *illud, quod inducitur in favorem viri non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem: unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit revocata.*

QUÆSTIO III.

An non sint crimina præter adulterium, ob quæ fieri possit divortium?

NEgant Heretici moderni, subsannantes Ecclesiam Romanam, quòd ob alia delicta concedat divortium; sed hos anathematizat Trident. sess. 24. Can. 8. his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad habitationem, ad certum incertumvè tempus fieri posse decernit; anathema sit.* Porrò tria prester tim preter adulterium assignantur io jure crimina, ob quæ fieri potest divortium, nempè si uous conjugum fiat hæreticus aut infidelis; si sit comparti scandalosus; si sævus aat perniciosus: de quibus hic breviter.

CONCLUSIO I.

FIeri potest divortium authoritate publica & privata ob supervenientem Hæresim, aot infidelitatem scandalosam alterius coojugum. Dico *Scandalosam*; quia si nec verbo, nec exemplo inducat comparti, aut prolibus subversionis periculum, non videtur posse fieri, quidquid dicant aliqui: hocque evidenter colligitur ex Cap. *Quæsivit*, de Divort. ubi legitur; *Respondemus, quòd mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi Fidei suæ Religionem corrumpere vellet) ab eo separari non debet, Verùm si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit* (nota) *à viro poterit separari . . . In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur.*

Prob. Autem Conclusio ex Cap. *De illa* de Divort. ubi habetur: *De illa, quæ viro suo labente in heresim, ipsius consortium sine judicio Ecclesie declinavit, videtur, nobis quod mulier . . . cùm reversus fuerit, est reddenda, que, etiamsi*

tiamsi

etiamsi reverti noluerit, compellatur; si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam. Ubi manifestè ostenditur divortium ob hæresim fieri posse & judicio Ecclesiæ, adeoque authoritate publica, & arbitrio innocentis, adeoque authoritate privata; cùm mulier, quæ sine judicio Ecclesiæ, adeoque authoritate propria, virum hæreticum declinavit, dicatur restituenda, si fuerit ille conversus: ergo non restituenda, adeoque benè separata, si non fuerit conversus. Ex quibus deducitur ulterius non teneri innocentem ad compartem redire, licèt fuerit ab hæresi conversa, si separatio facta sit authoritate publica: secùs si authoritate privata. undè in 1. casu potest vir innocens religionem profiteri, etiam invita uxore, non in 2. imò si profiteatur, potest uxor conversa ipsum repetere, debetque vir utpote invalidè professus, ad eam redire.

Petes: An detur compensatio, si unus fiat adulter, alter hæreticus?

Resp. Neg. Quia nulla statuta est in jore pro his criminibus compensatio, sicut pro adulterio otrimque patrato: undè potest maritus hæreticus petere divortium ob adulterium uxoris, & hæc catholica idem petere ob hæresim mariti, quia caosæ sunt omninò disparatæ; cùm ratio divortii petendi in marito sit violatio fidei conjugalis; in uxore autem, periculum infectionis. Crederem tamen ubi uterque fieret hæreticus, compensationem fieri posse authoritate judicis, cùm tunc cesset causa divortii, nempè subversionis periculum.

CONCLUSIO II.

ETiam fieri potest divortium ad tempus ob scandalum compartis, id est, si vir molierem pertrahat ad peccatum mortale, aut è contrà. Est commonis: undè Glossa in Can. *Uxor*, 28. q. 1. *Fidelis fidelem benè potest dimittere si compellatur ab eo ad mortale peccatum, nec fortè resistere potest.*

Ratio est; quia tunc militat evangelicum illud præceptum Matth. 18. *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te*, id est, ot explicant SS. Patres, licèt aliqois sit tibi propinquus æquè ac pes aut manus, si sit tibi causa ruinæ spiritualis, ipsum dimitte; quia *melius est vitam solitariam ducere, quàm, ob vitæ præsentis necessaria, æternam vitam perdere*, Hieron. in locum præfat. Hinc

Resol. 1. posse, imò & debere uxorem à viro discedere, si ipsam prostituat, aut prostituere conetur; si ad sodomitica, pollutionem, usuras, perjuria, fraudes &c. aut impellat, aut cogat; quia nunquam se obligavit ad cohabitationem cum tali animæ periculo.

Resol. 2. Non teneri scandalizatum Judicis sententiam expectare, si sit periculum in mora, teneretur tamen, obi de emendatione constaret, statim ad compartem redire; quia divortium illud non est perpetuom, sed tantæ durationis, quanta necessaria est ad vitandum peccatum.

CONCLUSIO III.

SImiliter sollicitari potest divortium ob compartis sævitiam, aut perniciem. Sub *sævitia* comprehendo crudelitatem, asperitatem, odiom implacabile, stultitiam, furorem; quòd quis sit maleficus aut energumenos. Sub *pernicie*, morbum contagiosum, gravem infamiam; aut delictum, quod posset in compartem innocentem redondare.

Ratio Conclusionis est, quòd fides conjugalis promittatur in Matrimonio sub condictione, quòd compars maneat rationabilis, rationabiliterque illam exigat: quod non accidit io præfatis casibus. Illud tamen divortium, sicut præcedens, solùm est temporale, etiamsi per judicis sententiam (quod sic ordinariè fieri debet) concedatur: per accidens tamen esset perpetuum, si nempè causa divortii duraret perpetoò.

Tempore autem divortii temporalis quacumque authoritate facti, non potest innocens statum incompossibilem assumere v. g. Sacros Ordines suscipiendo, aut Religionem profiteodo; quia divortium illud tantùm eximit ab onere conjugali pro tempore, quod durat causa divortii; cùmque possit hæc cessare, potest & innocens ad redeundum obligari; & ideò si Sacros Ordines, invita comparte suscepit, tenetur ad exigentiam compartis redire, ac debitum reddere, non tamen petere: si autem Religionem professus est, tenetur similiter redire; sed cùm Professio talis sit noila, poterit debitum & reddere, & petere. Quod hic dicimus de ionocente, à fortiori etiam militat pro nocente, qoi etiam tempore divortii perpetoi (qoamdiu innocens statom immutabilem non assumpsit) non potest Ordines sacros suscipere; potest tamen, si post biennium nolit innocens nocentem emendatom recipere, licitè & validè Religionem profiteri. Patet Ant. *Sed hodie* C. de Adult. ubi legitur: *Sed hodie adultera in Monasterium mittatur, quam intra biennium vira recipere licet, biennio transacto, adultera tonsa monastico habitu suscepto, ibi dum vivit, permaneat*, Quam legem secuta est Glossa in Cap. *Gaudemus*; de conver. conjugat. diciturque tacito Ecclesiæ consensu recepta.

QUÆSTIO IV.

An sit conjugibus obligatio cohabitandi, & cujus sit habitationem eligere?

CONCLUSIO I.

OBligatur conjuges ad cohabitationem, ita ut graviter peccet renuens sine justa causa cohabitare. Est certa.

Prob. Tum ex Scriptura præcipiente Gen. 2. ut homo adhæreat uxori soæ & consequenter uxor viro suo. Tùm ex natura contractus matrimonialis requirentis individuam vitæ societatem, ut soo loco diximus. Tùm ex debito actus conjugalis, aliàs difficulter adimpiendo. Tùm etiam ex obligatione prolis educandæ; quæ nonnunquam utriusqoe parentis præsentiam requirit.

Dixi in Conclus. *Renuens sine justa causa*; quia si unus conjugum absit ad aliquod tempus aut honestè recreandos, aut negotiaturus, aut militaturus in bello necessario &c. non est ideò culpandus; quia non censentur conjuges ad omnimodam cohabitationem se obligasse, sed tantùm ad rationabilem. Non excusarem tamen illum, qui capricii caosa, diu militaret aut peregrinaretur.

CONCLUSIO II.

VIri est habitationem eligere, nisi aliter convenerint inter se.

Ratio est; quia cùm vir sit caput, non tantùm mulieris, sed etiam familiæ, cujus ideò incumbit ipsi regimen & administratio, postulat æquitas, ot ejus prudentiæ relinquatur habitationis electio. Hocque insinuat Cap. *Unaquæque* 13. q. 2. obligans uxorem ad sequelam viri domicilium determinantis, Imò sustinent plurimi teneri adhærere viro exuli; quia etsi non teneatur pœnam delinquentis subire, tenetur tamen jure matrimoniali exulantis infortunio participare. Ad idem autem reciprocè tenebitur vir, si per accidens obligetur mulier ob sanitatem, delictom, aut aliam necessitatem, domicilium mutare.

Dixi: *Nisi aliter convenerint*; quia tunc stare debent conventioni, degendo in urbe, aut patria stipolatæ: ità ut si absque causa speciali, alibi domicilium figat maritus, uxor non teneatur sequi. Dico; *Absque causa speciali*: quia non censetur conventio casum peculiarem comprehendere; & ideò si habeat vir Tornaci aut Insulis Officium Consularis, Procuratoris &c Et Officium illud (à quo dependet honesta familiæ sostentatio) transferatur Cameracum. debet uxor virom illuc transmigrantem comitari, non obstante pacto. Sed quid si maritus sit vagabundus? Non tenetur mulier ipsum sequi, nisi certè, contrahendo, vagari solitum novisset; quia modus ille vivendi dedecet mulieres, præsertim honestas.

DISPUTATIO VI.

De debito conjugali & usu matrimoniali.

QUoniam conjoges per Matrimonium sibi mutuò tradunt corporum suorum dominium in ordine ad copulam, hinc oritur aliquandò copulæ exercendæ debitum, de quo licèt aliquid dixerimus q. 8. in. 6. Decal. præceptum, obi conjugum peccata circà hanc materiam exposuimus; hic tamen pauca ibi intacta expediemus.

QUÆSTIO I.

Quæ, & quanta sit conjugibus obligatio debiti, & quandonam excusentur?

CONCLUSIO I.

Licèt non teneantur conjuges, per se loquendo, debitum exigere, tenentur tamen regulariter exigenti reddere. Est communis & certa quoad utramque partem.

Prob. 1. Pars; quia nemo tenetur uti jure suo, ubi ex non usu nullum alteri evenit incommodum, aut detrimentum.

Dixi; *per se loquendo*, quia per accidens tenentur sequentibus casibus exigere. 1. ubi quis videt, colligit, aut suspicatur compartem esse ad id inclinatam, sed ex verecundia aut rubore non audere exigere; quia tunc non est tam petitio; quàm redditio facta implicitæ alterius petitioni. 2. Ubi alter conjugum advertit in altero periculum incontinentiæ: tunc enim tenetur, si non ex justitia, saltem ex charitate, conjugis peccatum impediturus, non solùm petere, sed etiam blanditiis, aliisque modis allicientibus ipsum prævenire.

Prob. 2. Pars ex Script. 1. Corinth. 7. ubi legitur: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*, cujus rationem subjicit ibidem Apostolus; quia nempè *mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; alienum verò tenemur domino petenti reddere, idque ex justitia, ut patet in aliis contractibus.

Dixi: *Regulariter*; quia casus quosdam excipiunt DD. ac 1. dùm constat aut colligitur, quòd nolit petens debitum obligare ut dùm copula exigitur quidem sed ut grata, non ut debita. 2. Dùm rogans acquiescit precibus rogati, aut non tristatur, nec exasperatur ob denegationem. 3. Dùm unus conjugum sæpiùs, quàm par est, debitum exigit: illis enim casibus, secluso incontinentiæ, aut alterius peccati periculo, non est culpandus denegans; quia censetur alter in 1. & 2. cedere juri suo, in 3. autem, injustè exigere.

CONCLUSIO II.

Obligatio debiti reddendi est gravis; adeoque non excusatur denegans, ubi alter verè & justè exigit, à peccato mortali. Est communis.

Ratio est; quia obligatio strictæ justitiæ, ut hic, est gravis in re; gravem autem esse materiam præsentem, indè patet, quòd sit medium ad generis humani conservationem & multiplicationem ordinatum. Accedit, quòd ex denegatione copulæ nata sint sequi odia, rixæ, imprecationes, incontinentiæ &c. Hinc

Resol. 1. Conjugem, qui, se polluendo aut ad alias accedendo, reddit se impotentem ad satisfaciendum justæ compartis petitioni, ultrà mollitiem aut adulterium, incurrere aliam malitiam necessariò in Confessione exprimendam.

Resol. 2. Ejusdem peccati reum esse illum, qui ex jejuniis, vigiliis, aut mortificationibus indiscretis, fit incapax debiti solvendi. Ratio hujus, & præcedentis Corollarii est, quòd quis teneatur non tantùm rem præceptam ponere, sed etiam ponendam non impedire.

Dixi: *Indiscretis*; quia non tenetur quis ideò à jejuniis Ecclesiasticis, aut aliis moderatis abstinere, sicut nec à prudenti corporis maceratione, licèt indè reddatur minùs potens: & certè si non obligetur ideò ab exercitiis corporalibus ad vitæ, aut status conservationem conferentibus abstinere, cur teneretur à spiritualibus ad animæ salutem conducentibus?

Resol. 3. Non minùs culpabilem esse uxorem, quæ imprudenter ita se extenuat, ut ratione deformitatis præbeat marito occasionem ad alias accedendi. Aliud esset, si minueretur pulchritudo ex moderata mortificatione; quia tunc non esset scandalum datum, sed acceptum.

Resol. 4. Non peccare eum, qui ob studia sibi, aut suo officio proportionata, reddit usum copulæ rariorem; quia non censetur ad copulam cum illorum exclusione se obligasse.

Resol. 5. Nec peccare conjugem, saltem graviter, qui tantùm reddit se tardiorem ad copulæ executionem; quia sicut differens debita ad breve tempus, non censetur peccare, saltem graviter, si de facto solvat; ita nec in nostro casu. Peccaret tamen mortaliter, si mora esset alteri occasio incontinentiæ: ad quod reflectere deberent uxores in hoc sæpiùs morosæ.

CONCLUSIO III.

Excusantur conjuges à reddendo debito, quotiescumque occurrit causa rationabilis.

Ratio est, quia non censetur ad plus se obligasse, cùm nequidem in aliis contractibus teneatur debitor ad solutionem in omni casu. Hinc

Resol. 1. Non teneri compartem reddere debitum cum periculo vitæ; quia vita propria acquisita prævalet vitæ alterius fortè per copulam obtinendæ.

Resol. 2. Idem esse, si immineat periculum gravis infirmitatis, etsi non lethalis v. g. lepræ, morbi gallici &c. quia non fuit intentio conjugum sese obligare cum tanto sui detrimento: licèt autem copula hoc casu non sit obligatoria, non est tamen illicita, cùm supponatur morbum non esse lethiferum, & aliundè per redditionem foveatur amicitia conjugalis, impedianturque incontinentiæ, & rixarum pericula; imò ad id tenebitur conjux sanus, si periculum infectionis sit tantùm remotum ob copulæ petitæ raritatem, aut aliundè, quod pendet à Medicorum judicio.

Resol. 3. Qui scienter contraxit cum leproso, aut simili infirmitate infecto, non excusari ideo à congressu maritali; quia censetur onus illud sibi imposuisse.

Resol. 4. Non excusari conjugem à debito reddendo ob levem infirmitatem v. g. ob febriculam, dolorem capitis, stomachi, dentium &c. quia Matrimonium onus esset gravissimum si ob similia uxoribus satis communia, abstinendum esset à congressu.

Resol. 5. Nec excusari uxores ob incommoda, aut molestias, quas gravidæ experiuntur, sicut nec ob periculum partus ordinarium; quia nubendo ultrò necessitatibus illis se submiserunt. Dico *ordinarium*; quia, si aliundè sit extraordinarium, excusantur, ut dictum est suprà.

Resol. 6. Ex solo periculo inficiendæ per lepram prolis nasciturae, non liberari sanum à copula cum leprosa; quia quamvis proles generetur infirma, ut ait S. Thomas, melius est tamen ei sic esse, quàm non esse.

Res. 7 Posse excusari conjuges ab hac obligatione ob nimiam prolium futurarum multiplicationem, si non habeant in re aut in spe, undè possint illis, juxtà statum suum moderatum, providere, nec sit in aliquo illorum periculum incontinentiæ. Ratio est; quia cùm sit ipsis moraliter impossibilis procreandorum sustentatio; videtur adesse ad actionem procreativā excusatio. Dixi: *Nec sit periculum incontinentiæ*, quod cùm non sit ita rarum in eo, qui instanter exigit, ideò rarò ad praxim reducenda est hæc Resolutio. Imò nunquam reduci potest à pauperibus communibus; cùm possint prolibus omnibus mendicando providere.

Resol. 8. Uxorem, quæ non potest prolem vivam edere, non teneri ad copulam. Quia partus, fœtu mortuo, semper est vitæ periculosus. Et aliundè exponitur proles damnationis periculo. Sed potestne mulier agnoscens in marito periculum proximum incontinenciæ, debitum illo casu reddere; Potest, si non possit aliundè periculum illud impedire v. g. per mutuam thori separationem, per certas abstinentias &c. quia potest quis periculo mortis se exponere, ne ipse aut alter periculum animæ subeat. Exponitur quidem proles fortè formanda periculo damnationis defectu Baptismi; sed melius est alterius da[illegible]nationem permittere quàm peccatum incurrere. Nu[illegible] [illegible] facilè sibi abblandiatur; cùm volenti efficaciter vitare pecca[illegible]m, ordinariè non desint media.

Resol. 9. N[illegible] posse conjugem negare debitum comparti eo quòd dotem no[illegible] solverit; quia hoc non videtur causa sufficiens; cùm obligatio [illegible]ebiti non oriatur ex contractu dotali, sed matrimoniali.

Resol. 10. N[illegible] esse obligationem copulæ ubi indè imminet magnum in bonis [illegible]rtunæ, aut famæ detrimentum; cujus ratio est quia si nego[illegible]tio sit causa sufficiens, ut vir aliquamdiu absit ab uxore, etiam [illegible] suprà diximus, quidni grave detrimentum, ut de[illegible]anqu[illegible] deneget; Hoc tamen intellige, secluso incontinentiæ periculo.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An sit reddendum debitum injuste aut illicitè petenti ?

INjuste petit conjux debitum, cùm jus non habet, v.g. quando factus est uxori suæ affinis ob copulam cum ejus consanguinea in 1. aut 2. gradu; *Illicite* vero, cum jus quidem habet, sed prohibetur illo uti in talibus circumstantiis v. g. quia voto castitatis ligatus, & tunc dicitur copula illicita ex parte personæ: vel quia petit loco tempore, aut modo indebito, & tunc est illicita ex parte actus.

CONCLUSIO I.

UBi conjux debitum exigit injustè, non tenetur compas reddere; potest tamen, si velit, dum injustitia oritur ex affinitate præfata.

Prob. 1. pars; quia obligatio reddendi in uno, supponit jus petendi in alio, cùm sint reciproca; & consequenter ubi nullum jus petendi, ibi nulla obligatio reddendi.

Prob. 2. Pars; quia compars innocens potest illa casu debitum exigere: *cum suo jure non debeat sine sua culpa privari*, ut habetur Cap. *Discretionem*, de eo qui cognovit &c: ergo à fortiori reddere, cùm minus sit reddere, quàm petere.

Dices: Peccat exigens, quia dat operam rei illicitæ: ergo & peccat reddens, quia eidem actioni cooperatur.

Resp. Neg. Conseq. Quia quando actio est de se licita, & tantùm illicita ob meram prohibitionem, potest esse illicita uni, & licita alteri; innocens autem hic ad copulam concurrit, non quia alter petit, sed quia est actus sibi licitus. Et ideò si huic etiam esset illicita copula ad votum castitatis, aut aliud impedimentum, non posset reddere.

Sed quid faciendum mulieri voto, castitatis ligatæ, quando vir privatus jure petendi ob adulterium, aut quia necdum effluxit bimestre à contracto Matrimonio, copulam tamen exigit sub minitatione mortis aut gravis alterius nocumenti? Dico *quando vir privatus* &c. quia certum est teneri reddere quotiescumque maritus petierit, si jus petendi non amiserit.

Resp. Posse reddere; quia tali casu potest mulier eodem modo se gerere, ac si non vovisset; quia non censetur Deus pro tali angustia votum acceptare: & idem esset ob eamdem rationem, si ex negato congressu sequerentur blasphemiæ, graves discordiæ, odia implacabilia &c.

CONCLUSIO II.

QUando copula solùm est illicita petenti ex parte personæ v. g. quia post Matrimonium castitatem vovit, sustinent aliqui teneri compartem ad redditionem debiti; quia vovens, ut ajunt, per votum illud non amisit jus, quod per Matrimonium acquisivit, licèt sit impeditum ob continentiam Deo promissam; & consequenter injustitiam committit denegans; sed probabilior est sententia opposita.

Prob. 1. Quia talis, licèt fortè retineat jus radicale & remotum ad copulam, non tamen proximum & expeditum; quandoquidem continentiam vovendo, jus illud Deo consecravit. Ubi autem non datur jus expeditum, nec datur obligatio expedita, seu actualiter adstringens.

Prob. 2. Quia omne jus creaturæ dependet à Deo: sed non censetur Deus relinquere homini jus, quod non potest sine peccato exerceri: ergo nec obligationem correspondentem uxori relinquere.

Prob. 3. Quia, ut fatentur Adversarii, non tenetur compars debitum reddere, quando novit fore graviter nocivum corpori exigentis: ergo à fortiori, quando novit fore graviter nocivum ipsius animæ; cùm bonum spirituale prævaleat corporali.

Dices 1. Licèt jus illud Deo consecraverit, non tamen quidquam comparti remisit: ergo, sicut hæc ante votum tenebatur reddere, ità & post.

Resp. Dist. Ant. Non remisit directè: Transeat: indirectè, N. quia consecrando Deo jus suum, censetur & obligationem juri correspondentem consecrasse; adeoque juri expedito, quod habebat in mulierem, renuntiasse.

Dices 2. Teneor reddere pecuniam domino, illa ad impudicitias usuro, si charitativè monitus, velit absolutè illam habere: ergo & tenetur uxor commisceri marito, licèt sacrilege acturo.

Resp. Neg. Ant. Quia jus naturæ non dictat esse reddendum donum Creatoris, quale est omne illud, quod possident homines, dum non potest sine injuria Creatoris possideri; undè nisi ad redditionem cogat Judex, non potest reddi, quamdiu justè timetur malus redditionis eventus.

Advertendum hic, pro praxi, ut desinat copulam esse illicitam petenti, debere rogatum redditionem convertere in petitionem; quia sic utrique licita fiet executio.

CONCLUSIO III.

QUando copula illicita est petenti ex parte actus] v. g. quia in loco sacro, aut publico, quia cum pollutionia, aut fœtus suffocandi periculo &c. non tenetur, imò non potest alter debitum reddere.

Ratio est; quia cùm circumstantiæ illæ afficiant actum, ut ab utroque conjuge procedentem, etiam reddunt actu utrique conjugi illicitum.

Sed quid si actus sit tantùm venialiter illicitus, ut quia petitur modo extraordinario, licèt in vase solito, quia petitur tempore menstrui, aut purgationis sine periculo fœtus monstruosi, aut enormiter difformis; Volunt aliqui reddentem, non peccare; quia censentur amor & benevolentia, ut ajunt, culpam illam venialem excusare; sed omninò dicendum non excusari à culpa veniali, adeoque non teneri, imò nec posse reddere, nisi certè subsit causa aliqua v. g. quia debitum non potest aliter reddi, aut non nisi cum fœtus periculo, quia si differatur, periculum est incontinentiæ &c.

QUÆSTIO III.

An impediantur conjuges à debito petendo aut reddendo, ob supervenientem Matrimonio affinitatem &c ?

CONCLUSIO I.

QUi copulatus fuit uxoris suæ consanguineæ in 1. aut 2. gradu, non potest, ob affinitatem indè contractam debitum petere, debet tamen reddere, si compars in copulam incestuosam non consenserit.

Prob. 1. Pars ex Cap. 1. *de eo, qui cognovit &c.* ubi legitur: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere potest.* Nota ly *Scienter*; quia si ignoret eam ad quam accedit, esse uxori suæ consanguineam, aut putet tantùm esse consanguineam in 3. aut. 4. gradu, non privatur jure petendi debitum, sivè interim ignorantia sit invincibilis, modò non sit affectata; quia talis non censetur scienter operari quoad circumstantiam incestus prohibiti, cùm illius scientiam non habeat. Non requiritur tamen quòd sciat pœnam illam esse tali actui annexam, quia non imponitur hic pœna propter cognitionem pœnæ, sed propter *malitiam* actus.

Prob. 2. Pars ex Cap. *Discretionem* Eodem tit. sic *loquitur* Innocentius III Affinitas, quæ post contractum legitimè Matrimonium, inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei non debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, si autem possit innocens petere, reciprocum est, ut teneatur nocens reddere.

Dixi in Conclus. Si compars in copulam incestuosam non consenserit: quia si adfuerit compartis consensus, aut aliqua cooperatio, nec poterit hæc debitum exigere, quidquid dicant aliqui; cùm iniquitatis particeps extiterit quod videntur excludere jura, ut possit petere; imò addunt: Cùm suo jure non debeat sine sua culpa privari: ergo si culpa fuerit, volunt esse privandam.

Accedit, quod pœna illa sit inflicta propter affinitatem ex delicto: sed hic est affinitas ex delicto in utroque conjuge: ergo pœnam illam incurrit uterque. Quod in terminis docet D. Bonav. 4 d. 34 a. 3. q. 1. ubi ait: *Conjux factus affinis ex incestu, amittit jus petendi debitum, non tamen reddendi; quia non potuit peccatum ejus præjudicare uxori, nisi fuerit conscia sceleris.*

Fatendum tamen (cùm jura id expressè non statuant de comparte consentiente, cùm tamen potuerit; & aliundè pœna illa sit valdè odiosa, adeoque non extendenda, imò ejus ratione exponantur conjuges, nisi separentur, peccandi periculo) satis probabilem esse sententiam oppositam. Ex dictis.

Resol. 1. Si conjux uterque incestum cum consanguinea compartis admiserit, neutrum posse debitum exigere cùm sit par ratio de utroque simul ac de quolibet in particulari. Imò neuter potest reddere; quia quod possit nocens innocenti reddere, oritur ex eo quòd hic retineat jus petendi; cùm autem in præfato casu uterque privetur jure petendi, privatur & uterque potestate reddendi.

Resol. 2. Cùm jura præfata absolutè loquantur, non esse

hic

hic distinguendum inter copulam publicam & secretam; imò si publica requireretur, vix aut nunquam pœna illa incurretur.

Resol. 3. Mulierem omninò violenter cognitam à viri sui consanguineo, licèt contrahat affinitatem, non privari tamen jure petendi debitum; quia pœna non incurritur nisi propter culpam.

Sed quid si consentiat ob metum gravem? Asserunt aliqui non subjacere pœnæ, quia non præsumitur, inquiunt, velle benignam matrem Ecclesiam tanta pœna mulctare eos, qui non servant ejus leges in tali angustia; sed omninò dicendum pœnam incurrere; cùm enim Ecclesia pœnam illam statuat ob commissam in Deum offensam, sequitur quòd, ubi culpa incurritur, sicut hic, incurratur & pœna.

Quinam autem dispensare possint cum incestuoso, ut debitum exigere possit? diximus in Tract. super Decalog. ubi de incestu.

Hic tamen notandum 1. quòd licèt privilegium Julii II. (ratione cujus diximus ibidem posse Confessarios Ordinum Mendicantium à suis Provincialibus deputatos, cum Incestuosis dispensare in Tribunali sacramentali, modò existant in domibus & Ecclesiis suis) sit vivæ vocis oraculum; non sit tamen revocatum, obtineatque vim privilegii bullati; quia jussu Julii II. factum fuit à Ludovico S. Marcelli Presbytero Cardinali, & maximo Pœnitentiario, ac Officiali Papæ, & ab eo (verba sunt Bassæi) sub sigillo Officii Pœnitentiariæ subsignatum IV. Kal. Aug. Pontificatus Julii II. anno 1. Talia autem vivæ vocis oracula non esse revocata, declarat Urbanus VIII. Bulla *Aliàs fœlicis recordationis*, data 2. Aprilis 1635. ubi asserit, quòd priùs revocando vitæ vivis oracula, etiam manu cujuslibet Cardinalis firmata, noluerit comprehendere illa, quæ subsignata essent ab illis Officialibus, quibus ratione muniorum suorum antea de Summi Pontificis oraculo fides haberi solebat, inter quos erat maximus Pœnitentiarius.

Notandum 2. Præfatam concessionem malè extendi ab aliquibus ad impedimentum cognationis spiritualis superveniens Matrimonio, cùm ibi nulla hujus fiat mentio. Malè etiam extenderetur, ob eamdem rationem, ad dispensandum cum iis, qui cum voto simplici castitatis contraxerunt Matrimonium. Id quidem concessit Pius V. sed est vivæ vocis oraculum simplex, adeoque revocatum.

CONCLUSIO II.

Conjux qui culpabiliter contraxit, post Matrimonium, cognationem spiritualem cum sua comparte, baptizando aut suscipiendo in Confirmatione filium communem, aut filium suæ conjugis, privatur jure debiti petendi, non tamen reddendi. Hæc omnia patent ex dictis in Tract. de Baptis. disp. 5. q. 2. Concl. 2. in fine; illuc recurrere.

Quærunt hic aliqui, an peti aut reddi possit debitum, ubi dubitatur de valore Matrimonii? Sed huic quæstioni satisfecimus in Tract. de Act. hum. p. 192. & 189.

QUÆSTIO IV.

Quo fine debeat exerceri actus conjugalis?

Certum est actum conjugalem exercitum ob generationem prolis, sicut & debiti reddendi causa, esse licitum, ut patet tùm ex dictis initio hujus Tractatus, tùm ex eo quod propterea sit institutum Matrimonium. Sed an sit etiam licitus ob alios fines v. g. voluptatis ergo, aut fornicationis vitandæ causa hic discutiendum est.

CONCLUSIO I.

Copula exercita ob solam voluptatem est illicita saltem venialiter. Est communis.

Prob. 1. Ex condemnatione hujus Propositionis ab Innocentio XI. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

Prob. 2. Ex eo quòd taliter operans invertat ordinem à natura intentum, cùm natura non ordinaverit actum illum ad voluptatem, sed ad prolis generationem: undè sicut peccat, qui bibit aut comedit ob voluptatem, quia natura actiones illas non ordinavit ad delectationem, sed ad suppositi conservationem; ità & in nostro casu.

Prob. 3. Ex Conclusione sequenti, ubi dicemus ex Scriptura, Patribus, ac Scholæ Principibus nequidem licitam esse copulam ad vitandam fornicationem: ergo nec à fortiori ad captandam delectationem.

Sed numquid saltem à veniali excusatur, quando intenditur partim delectatio, partim prolis generatio? Nullatenus, quidquid dicant aliqui, volentes licitum esse intendere in usu Matrimonii voluptatem moderatam, quia equidem intenditur finis, ad quem actus ex natura sua non ordinatur, serviturque libidini, cùm agatur propter libidinem: undè Augustinus lib. de Bono conjug. cap. 10. *Concubitus necessarius causa generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est; ille autem qui ultrà necessitatem istam progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.*

Dices 1. Delectatio, quæ reperitur in copula, non est illicita: ergo nec illicitè copulatur conjux propter illam. Prob. Conseq. quia, secundùm nos, quando quis operatur ob finem indifferentem, actus manet indifferens.

Resp. Neg. Conseq. Ad Prob. Dist. Assump. Quando quis operatur ob finem indifferentem, si finis indifferens sit finis proprius ipsius actus. Transeat: sic non videtur peccare, qui audit suavem concentum ad delectationem moderatam aurium, cùm ad hoc à natura videatur ordinatus concentus. Si finis indifferens non sit finis proprius ipsius actus, sicut hic delectatio; N. quia tunc est quædam inversio finis à natura intenti, adeoque aliqua deordinatio. Vide Tract. de Act. hum. ubi de actu indifferenti.

Dices 2. Deus & natura annexuerunt actui conjugali delectationem: ergo non prohibetur appeti propter delectationem.

Resp. Dist. Ant. Annexuerunt delectationem, ut homo operaretur propter illam: N. ut operando ob finem debitum, illam sentiret: C. Aliud est ergo delectationem operando sentire, & aliud propter illam agere, saltem ubi non est finis proprius actionis.

Dices 3. Congressus maritalis, juxtà Aug. Serm. 17. De Verbis Apost. delectat licitè; ergo.

Resp. Dist. Ant. Delectat licitè, si delectatio intendatur: N. si congrediendo generationis ergo, delectatio permittatur: C.

CONCLUSIO II.

Probabilius est, & SS. Patrum doctrinæ conformius etiam illicitam esse venialiter copulam petitam, ad præcavendum propriæ incontinentiæ periculum

Prob. 1. Ex Script. 1. Corinth. 7. Ubi postquam dixit Apostolus; *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*, & inferiùs; *Iterùm revertimini in idipsum, nè tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*, subdit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*: ly autem secundùm indulgentiam denotare aliquem culpam declarat Augustinus Enchir Cap. 78. ubi ait: *Quis autem esse peccatum neget, cùm dare veniam facientibus Apostolica authoritas fateatur?* Item habet lib. 5. contra Julianum cap. 7. & alibi sæpè.

Prob. 2. ex PP. Gregorio Magno lib. 32. Moral. cap. 19. *Tunc solùm conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm pro suscipienda prole miscentur.* Undè in Respons. ad interrog. Aug. Angli interrogatione 10. asserit indulgentiam Apostoli suprà indicare culpam: Non enim indulgetur, inquit, quod licet & justum est, quod enim indulgeri dixit, culpam esse demonstravit. Augustino lib. de Bono conjug. cap. 7. *Reddere debitum conjugale, nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.* Quid clarius? quid expressius? Fulgentio Epist. 1. de conjugali debito, cap. 4. *maculam contrahit quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis, suæ miscetur uxori.*

Prob. 3. Authoritate DD. Angelici, Seraphici, & Subtilis, quorum primus sic habet 4. d. 31. art. 2. ad 2. *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicèt causa prolis generandæ, & debiti reddendi, aliàs autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.* Et anteà dixerat: *Si intendat vitare fornicationem in se sic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale.* Secundus eadem dist. art. 2. q. 2. *Dicendum*, inquit, *quòd qui coit causa fornicationis vitandæ, aut hoc est in se, aut in altero: si in altero, ut reddat debitum, hoc est puræ justitiæ . . . . . qui verò coit causa fornicationis vitandæ in se, & in hoc semper peccat venialiter* Tertius d. 26. n. 20. sic loquitur: *Contractas ad vitandam fornicationem, non habetur ità per rationem naturalem, imò vix tanquam licitum ex institutione divina, nisi ut Indulgente*; ubi autem Indulgentia, ibi aliqualis culpa, ut patet ex dictis.

Prob. 4. Ratione desumpta ex Scoto: Nec Deus, nec natura ordinavit Matrimonium ad vitandam fornicationem seu incontinentiam: ergo qui copulam ad illum finem dirigit,

inoc-

inordinatè agit. Prob. Ant. Non quidem Deus; quia quod solùm indulgetur, non verè ad aliud ordinatur. Non etiam natura, quia finis naturalis Matrimonii est sola hominis multiplicatio, sicut comestionis est sola nutritio.

Objic. 1. Tota ratio, cur dicant SS. Patres esse peccatum veniale accedere ad suam, causa fornicationis vitandæ, est quia postquam Apostolus suprà dixit: Revertimini in idipsum &c. subjungit; Hoc autem dico secundum indulgentiam, sed si esset verum peccatum veniale, non posset illud indulgere: ergo PP. per veniale intelligunt aliquid minùs perfectum, non autem verè illicitum.

Resp. Dissimulata Mai. (quæ posset negari, cùm etiam id asserant, quia fornicatio vitanda non est finis Matrimonii) Dist. Min. Non posset indulgere, id est permittere tanquam licitum: C. id est, consulere ad evitandum majus malum N. Undè scopus Apostoli est quòd, cùm minùs sit millena venialia committere, quàm unicum mortale, consultius sit homini ità infirmo, & ad carnalia ita propenso eligere primum, quàm secundum: & ideò

Advertendum hic seriò nunquam debere Confessarios avertere à Matrimonio contrahendo, aut à copula exercenda pœnitentes, qui dicunt se id velle, aut exercere in remedium concupiscentiæ; quia volendo esse doctiores Apostolo, eos præcipitant in varia mortalia, quos volebant ex zelo indiscreto à venialibus retrahere. Nec aliter agere debent cum iis qui accedunt ad uxores steriles, senes, aut gravidas, cùm sit par ratio. Imò expedit, ut nunquam de materia illa loquantur coram maritatis, nè sententia illa, quamvis verissima, sit potiùs ipsis in laqueum, quàm in remedium.

Obj. 2. Indè sequitur Matrimonii statum esse innumeris venialibus expositum.

Resp. Non esse ita expositum ratione sui, sed ratione hominum malitiæ & corruptionis, quam sectando nonnunquam sunt ipsis pecudibus immoderatiores; cùm hæ ubi semel gravem alvum sibi senserint, inquit D. Ambrosius lib. 5. in Lucam, *jam nec concubitui indulgent, nec lasciviam amantis, sed curam parentis assumunt*,

Obj. 3. Si hoc sit, imprudenter agit Ecclesia assistendo senum, aut sterilium Matrimonio, cum sciat copula usuros, vel ad delectationem, vel ad concupiscentiæ sedationem.

Resp. Neg. Assumpt. Sicut enim imprudenter non agit Apostolus, consulendo maritatis, ut revertantur in idipsum, ad evitandum majus inconveniens; ità nec Ecclesia sponsos senes aut steriles propter eandem rationem conjungendo, quamvis ipsi venialiter peccent, si id intendant contrahendo: quod addo; quia si non intendant commercium carnale, sed tantùm individuam vitæ sociatatem, certum est non peccare.

Obj. 4. Institutum est Matrimonium in remedium concupiscentiæ: ergo licitè adhibetur ad illam sedandam.

Resp. Dist. Ant. Institutum est in remedium concupiscentiæ tanquam finem proximum: N. tanquam finem remotum, & consequentem, sed ut concupiscentia satiata per copulam licitam, aut amore filiorum habitam, non ità stimulet ad fornicariam; ad quod etiam confert gratia sacramentalis: C.

Objici. 5. Bonum est vitare propriam incontinentiam, ergo.

Resp. Dist. Ant. Bonum est vitare per media ad id ordinata C. per media indebita: N.

Obj. 6. Licitum est reddere copulam, ut vitetur compartis incontinentia: ergo & petere ut vitetur propria.

Resp. Dist. Ant. Licitum est reddere, præcisè ut vitetur compartis incontinentia: N. Licitum est reddere, quia ipsi debetur ex justitia, quo jure non privatur ob finem illum venialiter malum, ut satis indicat Apostolus consulens, ut revertantur in idipsum, incontinentiæ periculum vitaturi: C. & sic neganda est Conseq.

Advertendum hic pro Coronide, ineuntem Matrimonium ex motivo incontinentiæ vitandæ, non peccare, si immediatè intendat prolis generationem, & mediante actu generativo concupiscentiæ minutionem; quia, ut diximus sup. ordinatum est Matrimonium in remedium concupiscentiæ, remotè & consequenter.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Impedimentis Matrimonii.

IMpedimentum Matrimonii est id, quod impedit quominùs Matrimonium ritè celebretur: si autem impediat, quominùs celebretur validè, dicitur dirimens, si quominùs licitè, prohibens, seu impediens.

QUÆSTIO I.

Cujus sit statuere Matrimonii impedimenta.

LOquimur hic de impedimentis dirimentibus; quia certum est non tantùm Papam aut Concilium generale, sed etiam Episcopos, aut Concilium Provinciale, imò etiam Supremos sæculares condere posse ex justa causa certas leges prohibentes Matrimonium taliter vel taliter celebrari; quia videtur hoc exigere bonum & tranquillum regimen sive spirituale, sive civile Reipublicæ; ita ut contravenientes, *illicitè* (non invalidè) Matrimonium contraherent.

CONCLUSIO I.

POtest Ecclesia statuere Matrimonii impedimenta.

Est de fide contra Hæreticos modernos in Tridentino sess. 24. Can. 4 ubi legitur: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse; anathema sit.*

Prob. 1. Ex antiquissima Ecclesiæ praxi, quæ pro diversis temporibus & circumstantiis, diversa induxit impedimenta.

Prob. 2. Ratione; quia non minoris est potestatis Respublica spiritualis in proprios subditos, quàm Respublica civilis in suos: sed hæc potest, ubi bonum publicum exigit, statuere impedimenta certos contractus irritantia, ut patet respectu uxorum, prodigorum, minorum, quos reddit inhabiles ad civiliter contrahendum sine consensu eorum, à quibus pendent: ergo id etiam potest Ecclesia inhabilitando certas personas ad contractum matrimonialem, à Christo ad dignitatem sacramentalem, adeoque spiritualem elevatum, ubi id requirit bonum spirituale subditorum.

Dices 1. Quos Deus conjungit, non potest Ecclesia separare: ergo quos Deus non inhabilitat ad Matrimonium, nec potest Ecclesia inhabilitare

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd Deus non dederit Ecclesiæ potestatem invalidandi Matrimonium *semel validum*, saltem ubi consummatum esset, dederit autem potestatem apponendi certas conditiones, quibus non servatis, non subsisteret Matrimonium; quandoquidem potestatem illam exigeret in Ecclesia animarum salus, pax & tranquillitas, ut patet in Matrimonio clandestino, quod ante invalidationem erat seminarium scandalorum, fornicationum, adulteriorum &c.

Dices 2. Ecclesia non potest inhabilitare quemquam ad validam Sacramenti receptionem; quia sicut valor Sacramenti non pendet ab ipsa, ità nec valida receptio.

Resp. Dist. Assumpt. Non potest inhabilitare directè: C. indirectè: N. quia inhabilitare potest ad contractum, quo non subsistente, nec subsistit Sacramentum, ipsi contractui à Christo annexum. Ex dictis

Resol. 1. Posse Summum Pontificem, sicut & Concilium generale statuere impedimenta dirimentia pro tota Ecclesia; quia sicut est Papæ, aut Concilii generalis totam Ecclesiam regere; ità & illa, quæ ad illius regimen tranquillum requiruntur, statuere.

Resol. 2. Id tamen non posse Episcopos pro sua Diœcesi, sicut nec Concilium provinciale pro Natione; quia etsi fortè potestas illa ipsis competat vi jurisdictionis, longæva tamen & universali consuetudine, est ipsis adempta

Resol. 3. Sicut potest Papa pro tota Ecclesia, ità & pro homine particulari, si justa causa subsit impedimentum statuere quia non est minoris potestatis in singulos, ac in omnes simul.

Resol. 4. Impedimenta ab Ecclesia constituta non afficere infideles, sive Principibus christianis, sive infidelibus subjiciantur; quia non subduntur Ecclesiæ jurisdictioni. Et ità declarat Innoc. III. Cap *Gaudemus*.

Resol. 5. Quòd sicut consuetudo rationabilis & legitima potest leges Ecclesiasticas introducere, ità & impedimenta præfata, ut supponitur cap. *Super eo*. De cognat. spirit. An autem etiam possit introducta abrogare; Non ità constat. Cujus ratio est,

eſt, quòd populus chriſtianus non poſſit impedimentum introducere, aut abrogare, niſi cum tacito Summi Pontificis conſenſu; jam autem licèt videatur tacitè conſentire pro introducendo impedimento, ut patet ex Cap. *Super eo*, non tamen pro abrogando; quandoquidem quacumque conſuetudinem contrahendi in gradu conſanguinitatis probibito, vocet corruptelam. Si tamen mutaretur cauſa, cur introductum eſt impedimentum, ità ut circumſtantiæ auferrent iniquitatem à conſuetudine, non video, cur tunc non poſſent etiam impedimenta per conſuetudinem abrogari; quia non videtur caſum illum comprehendere Pontifex.

CONCLUSIO II.

POſſunt etiam Principes ſupremi ſæculares, per ſe loquendo, impedimenta Matrimonium dirimenta reſpectu ſuorum ſtatuere. Ità D. Thomas 4. d. 34. q. unic. art. ad 4. ubi ait: *Ex qualibet dictarum legum* (nempè naturalis, divinæ & civilis) *poteſt aliqua perſona effici ad Matrimonium illegitima*, id eſt, inhabilis.

Prob. 1. Ideò Principes ſupremi poſſunt aliis contractibus certas conditiones apponere, à quibus eorum valor pendeat, quia id quandoque exigit pax & tranquillitas publica: ſed non minùs id exigere poteſt in Matrimonio, prout eſt contractus civilis: ergo. Prob. Min. ex horribilibus inconvenientiis, & perturbationibus, quæ nata erant ſequi ex Matrimonio clandeſtino, quæ ut à Communitate averterentur, poterat poteſtas civilis, in conſtitutione hujus impedimenti, poteſtatem Eccleſiaſticam prævenire.

Prob. 2. Si Matrimonium non fuiſſet elevatum à Chriſto ad dignitatem ſacramentalem, id certè potuiſſent Principes ſæculares, ut fatentur Adverſarii; imò etiam nunc id poſſunt Principes infideles reſpectu ſuorum, ſaltem infidelium, apud quos Matrimonium non eſt Sacramentum, ſed per hoc quòd factum ſit Sacramentum, non deſtitit eſſe contractus civilis præſuppoſitivè: ergo nec deſtitit eſſe ſubjectum poteſtatis civilis

Dices 1. cum D. Thoma 4. d. 42. art. 1. ad 4. *Probibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum Matrimonii, niſi interveniret Eccleſiæ authoritas*.

Reſp. S. Doctorem hìc loqui ſuppoſito decreto Eccleſiæ, impedimentorum conſtitutionem ſibi reſervantis, non autem per ſe loquendo, ut ſupponit Concluſio; aliàs ſibi contradiceret.

Dices 2. Illius eſt leges circà Matrimonii valorem ſtatuere, cujus eſt Matrimonii cauſas cognoſcere: ſed hoc pertinet ad forum Eccleſiaſticum (nam *Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos*, *anathema ſit*, inquit Trident. ſeſſ. 24. Can. 12.) ergo & illud.

Reſp. Concilium loqui ſecundùm præſentem Eccleſiæ faciem, ubi hæc Principum facultas non eſt ampliùs ad praxim reducibilis ob contrariam Eccleſiæ conſuetudinem, quæ multis de cauſis materiam hanc, utpotè ſpirituali annexam, & ad finem ſpiritualem conducentem, ſibi fecit propriam; & ideò ad ſupplicationem Cleri Gallicani declaratum eſt à Regni Galliæ Cancellario & ab aliis ad id commiſſis, Henrici III. & Ludovici XI. Conſtitutiones, Matrimonia filiorum-Familias ſine patris conſenſu inita irritantes, non ſe extendere ad contractum ſpiritualem Sacramenti, ſed tantùm ad certos effectus, & pœnas purè civiles, ac 1. quòd ità contrahentes poſſint exhæredari. 2. quòd poſſint à parentibus ad redditionem donationum factarum obligari, 3 Quòd ideò exhæredati, etiam priventur iis omnibus, quæ ſibi vi conſuetudinis aut contractus matrimonialis eveniſſent. 4. quòd aſſiſtentes tali Matrimonio puniantur ad arbitrium Judicis; Notarius autem & teſtes, pœna capitis.

QUÆSTIO II.

Quot ſint impedimenta prohibentia?

CONCLUSIO UNICA.

IMpedimenta probibentia jam uſitata ſunt tantùm quinque, his Verſibus expreſſa.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
Atque Catechiſmus, Sponſalia, jungito votum.

Primum eſt Eccleſiæ vetitum, quo Papa, Epiſcopus, aut Parochus prohibet ex juſta cauſa Matrimonii celebrationem ad certum tempus v. gr. ad evitandum ſcandalum, tumultum, aut impedimentum aliquod, de quo dubitatur, cognoſcendum. Huic autem interdicto contravenientes graviter peccant; cùm ſit res gravis, gravibuſque mulctentur pœnis Cap. 2. *de Matrimonio contracto &c.* ubi impedimentum illud ſtatuitur. Hoc impedimento non comprehenditur Interdictum, quod eſt cenſura Eccleſiaſtica; & ideò poteſt illo tempore Matrimonium celebrari, ſaltem ſine benedictione, quidquid dicant aliqui.

Secundum eſt Tempus feriatum quo prohibetur, non Matrimonium, ſed Matrimonii ſolemnitas: *Meminerint Parochi*, inquit Rit. Rom de hoc Sacramento, *à Dominica 1. Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & à Feria IV. Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſivè, ſolemnitates nuptiarum probibitas eſſe, ut nuptias benedicere, Sponſam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt*. Quia tamen ob morum corruptelam vix reperirentur hoc tempore, qui maritati in Adventu aut Quadrageſima, præfata vellent obſervare, prohibita eſt illo tempore in nonnullis Belgii Diœceſibus etiam ipſius Matrimonii celebratio ſine licentia Epiſcopi qui poterit etiam, ex conſuetudine, ſuper ſolemnitates diſpenſare, ubi juſta cauſa intervenerit, licèt vix poſſit intervenire.

Tertium eſt Catechiſmus. per quem intelligitur quædam inſtructio, in qua Reſpondens nomine baptizandi Parocho interroganti, ancredat, contrahit quamdam cognationem ſpiritualem, ratione cujus non poteſt licitè Matrimonium cum baptizato, aut baptizata, ac ejus parentibus contrahere, ſed hoc impedimentum etiam deſuetudine videtur abrogatum.

Quartum eſt Sponſalia, quæ contracta cum uno, impediunt quominùs licitè (niſi ex cauſa juſta diſſolvantur) contrahatur Matrimonium cum alio. Dico licitè; quia non obſtant alterius Matrimonii validitati, ut ſuprà diximus.

Quintum eſt Votum ſimplex caſtitatis, vel Ordines ſacros ſuſcipiendi vel Religionem ingrediendi, vel non nubendi, quia Matrimonium vel pugnat cum tali voto, vel reddit ejus executionem impoſſibilem. Quænam autem ſit differentia inter illa vota in ordine ad debitum petendum, aut reddendum quando quis non obſtantibus illis, aut uno illorum, contraxit; diximus agendo de Sponſalibus.

Dixi in Concluſione: Impedimenta prohibentia jam uſitata; quia olim adhuc alia ſeptem ex crimine oriebàntur, videlicèt Inceſtus cum conſanguinea uxoris in 1. aut 2. gradu, aut etiam, ſecundùm alios, cum conſanguinea propria, ratione cujus prohibebatur inceſtuoſus cum qualibet Matrimonium inire, quamdiu vivebat complex Raptus ſponſæ aut uxoris alienæ ipſa, aut compatte invita: tunc enim raptori interdicebatur Matrimonium in perpetuum, ſicut & occidenti uxorem propriam, & impedimentum illud dicebatur Uxoricidium; vel etiam injuſtè occidenti Presbyterum, & vocabatur Mors presbyteralis His adjungebantur ſuſceptio prolis propriæ, aut uxoris, facta animo ſe liberandi à debito matrimoniali, & Conjugium attentatum cum Moniali, ratione quorum nunquam poterant Matrimonium inire; ſicut poterat Agens pœnitentiam publicam, quamdiu illa durabat. Hæc tamen impedimenta jam ſunt per deſuetudinem ſublata, ſi forte non ubique, ſaltem in his locis.

QUÆSTIO III.

Quot ſint impedimenta dirimentia?

JUre antiquò duodecim numerantur his verſibus expreſſa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, boneſtas.
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.

Jure autem novo Tridentini adduntur duo, nempè Matrimonii clandeſtinitas & Raptus:

Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tutæ.

Quoniam autem circà quælibet hæc Impedimenta; varia & notabilia occurrunt diſcutienda; Quæſtionem hanc majoris facultatis ergo, in varios Articulos dividemus.

ARTICULUS I.

Quid dicendum de errore & conditione?

ERror quadruplex refert Can. unic. 29. q. 1. nempè error perſonæ, fortunæ, conditionis, & qualitatis, *Error perſonæ eſt*, inquit, *quando bic putatur eſſe Virgilius, & ipſe eſt Plato. Error fortunæ, quando bic putatur eſſe dives, qui eſt pauper, vel è converſo. Error conditionis, quando putatur eſſe liber, qui ſervus eſt. Error qualitatis quandò putatur bonus qui malus eſt*. Hic de quadruplici illo errore breviter dicendum.

CON-

CONCLUSIO I.

ERror personæ dirimit Matrimonium, non tantùm jure positivo, ex Cap. *Tua nos*, de Sponsal. sed etiam ex jure naturæ, adeoque nullum est, etiamsi ab infidelibus cum tali errore contrahatur.

Ratio est; quia ubi deficit consensus, deficit & Matrimonium, ut suprà diximus: sed ubi una persona sumitur pro alia, deficit consensus: ergo & Matrimonium. Prob. Min. quia consensus in Mariam v. gr. non est consensus in Claram. Excipe tamen nisi putans contrahere cum Maria, intenderet actualiter contrahere cum qualibet fœmina. Dico actualiter; quia non sufficeret intentio habitualis; qua quis esset ità affectus (ut si sciret non esse Mariam, sed Claram, equidem hanc vellet; quia tunc non adest verus consensus in Claram, sed tantùm adfuisset, si &c.

Dices 1. Jacob validè contraxit cum Lia, licèt crederet esse Rachel.

Resp. Dist. Assump. Validè contraxit cum Lia ab initio: N. quando detecto errore, adhuc ipsam voluit: C.

Dices 2. Isaac validè benedixit Jacob, quem credebat Esau: ergo si error personæ non obfuit benedictioni, nec obest Matrimonio.

Res. cum D. Aug. lib. 16. de civit. cap. 37. validam quidem fuisse benedictionem, sed tunc, cùm cognita fraude, ipsam ex instinctu divino ratificavit, non ante.

Dices 3. Sacerdos validè baptizat aut absolvit Petrum quem credit esse Paulum, ergo similiter.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd intentio Sacerdotis feratur in præsentem præcisè, consensus autem contrahentis in talem præsentem. Plura circà in Tract. de Contract. in communi, sicut & circà sequentia.

CONCLUSIO II.

ERror fortunæ, aut qualitatis non dirimit Matrimonium; nisi certè limitaret consensum contrahentis.

Ratio est; quia ad validum Matrimonium sufficit verus consensus in primarium Matrimonii objectum: sed error fortunæ aut qualitatis, non officit quominùs sit verus consensus in personam, quæ est primarium Matrimonii objectum cùm contrahens motus ab ipsa qualitate ignorata, de facto velit personam: ergo.

Dixi: Nisi certè limitaret consensum contrahentis; quia invalidum est Matrimonium, si non intendat contrahere nisi adsit talis qualitas eò quòd tunc non censeatur adesse consensus in personam, nisi sub conditione qualitatis subsistentis; & consequenter, ubi non subsistit hæc, nec subsit ille.

Dices 1. Contrà Conclus. Consensus matrimonialis est indivisibilis: ergo consentiens in Mariam Virginem, non censetur in ipsam consentire, si non sit virgo.

Resp. 1. Dist. Ant. Est indivisibilis, si objectum ejus consideretur secundùm substantiam tantùm: C. si consideretur secundùm substantiam & accidentia: N. & sic non subsistens secundùm qualitatem objecti, subsistere potest secundùm ejus substantiam.

Resp. 2. Neg Suppositum Consequentiæ; quia consentiens Mariam Virginem, non fertur in virginitatem tanquam objectum partiale; sed impulsus à virginitate tanquam motivo, consentit in Mariam.

Dices 2. Ità motus à qualitate personæ, ut si nosset abesse, non contraxisset, censetur virtualiter contrahere sub illius conditione: ergo si hæc non subsistit, non subsistit Matrimonium.

Resp. Neg. Ant. Quia censetur quidem quòd habuisset forte consensum conditionatum, si reflexisset, non tamen quòd habeat hic & nunc. Deindè si adesset de facto qualitas, circà quam errat, non diceretur habere virtualiter consensum conditionatum; sed jam eodem modo consentit ac si non erraret; cùm credat qualitatem illam inesse: ergo.

Dices 3. Juxtà Philosophum 3. Ethic. Cap. 1. Error circumstantiæ reddit actum involuntarium.

Resp. Dist. Assump. Reddit actum involuntarium secundùm circumstantiam ignoratam, C. sic involuntarium est parricidium illi, qui ignorat invincibiliter esse patrem, quem occidit. Secundùm substantiam cognitam: N. & sic voluntaria est occisio in ratione homicidii, licèt sit involuntaria ut dixi, in ratione parricidii.

Dices 4. Nulla est eleemosyna data diviti fingenti se pauperem: ergo nec Matrimonium fingentis se virginem: cùm sit corrupta.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd personæ paupertas realis, sit objectum substantiale eleemosynæ, cùm ejus finis sit sublevare miseriam veram, & non fictam; & sic restitui debet illa eleemosyna: hic autem virginitas sive vera, sive ficta, non sit objectum substantiale Matrimonii.

Dices 5. In id consentit voluntas, quod apprehendit intellectus: sed intellectus non apprehendit fœminam corruptam v. g. sed virginem: ergo non consentit voluntas in corruptam.

Resp. Dist. Min. Non apprehendit fœminam corruptam sub ratione corruptæ: C. sub ratione fœminæ: N. & sub hac ratione, sub qua est objectum Matrimonii, fertur voluntas in illam.

Dices 6. Si qua velit contrahere cum primogenito Regis, & ei offeratur secundò genitus, nullum est Matrimonium: sed hic tantùm est error qualitatis, nempè primogenituræ: ergo.

Resp. Neg. Min. Licet enim primogenitura sit qualitas, quia tamen determinat personam singularem, nempè hanc, & non illam, censetur error qualitatis etiam errorem personæ involvere. Et ità dicendum est de aliis qualitatibus personam singularizantibus. Aliud esset, si quis anteà concepisset personam determinatam, & posteà credens hanc esse primogenitum, vellet cum ea contrahere; quia tunc non circà personam, sed circà meram qualitatem deciperetur.

CONCLUSIO III.

ERror conditionis servilis dirimit etiam Matrimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva. Et idem est è contrà. Patet ex Cap. *Ad nostram* de Conjug. servor. ubi legitur: *Si constiterit quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla* (id est serva) *ita quòd postquam intellexerit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedit authoritas Apostolica facultatem.*

Ratio est; quia etsi fortè jus naturæ Matrimonium illud non dirimat, convenienter tamen dirimitur à jure positivo, propter magnam contrahentium inæqualitatem etiam in ordine ad debitum conjugale, quandoquidem liberam se totam tradat; servus autem nonnisi in quantùm placuerit Domino, qui pro suis obsequiis potest eum multoties à debito reddendo impedire.

Dixi 1. In Conclus. Quando liber: quia si servus in hoc decipiatur, tenet Matrimonium, cùm equidem sint conditione pares.

Dixi 2. Credens contrahere cum libera; quia si sciebat anteà esse servam, aut de servitute dubitabat, censetur juri suo cedere, adeoque validè contrahere, ut patet ex cap. *Proposuit* de Conjug. servor.

Dixi 3. Cum libera; quia si credens contrahere cum serva, contrahat cum libera, stat Matrimonium; cùm Ecclesia irritans Matrimonium præfatum, quærat injuriam à libero excludere: hic autem ex ignorantia non injuriam, sed potiùs commodum reportat. Plura nosse de servitute inutile est Belgis, apud quos nulla reperitur servitus propria.

ARTICULUS II.

Quid dicendum de voto & crimine?

CONCLUSIO I.

VOtum solemne castitatis, seu emissum in Religione à S. Sede approbata, dirimit Matrimonium contrahendum, imò & contractum, si non sit consummatum.

Prob. 1. Pars tùm ex cap. unic. *de Voto* in VI. tùm ex Trid. sess. 24. can. ubi habetur: *Si quis dixerit Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, anathema sit.* Et indè patet discrimen inter votum simplex & solemne castitatis, quòd hoc, Matrimonium sequens prohibeat & invalidet; illud autem prohibeat quidem faciendum, non tamen irritet factum, ut anteà diximus. Nihilominùs post Constitutionem Greg. XIII. votum simplex à PP. Societatis emissem, eundem obtinet effectum, saltem quamdiu manent in Societate.

Prob. 2. Pars tùm ex dictis de Matrimonio rato; tùm ex c. unic. *de voto, & voti redempt.* ubi id expressè decernitur.

Quærunt hic aliqui, an votum solemne Matrimonium dirimat jure naturæ, an tantùm jure positivo? Sed cùm dixerimus voti solemnitatem solùm esse de jure Ecclesiastico, sequitur hunc effectum non oriri ex jure naturæ, aliàs idem præstaret votum simplex, ut per se patet.

CON-

CONCLUSIO II.

Crimen dirimit Matrimonium ex jure positivo, vel ratione Adulterii tantùm vel ratione homicidii tantùm, vel ratione utriusque, cum certis circumstantiis jam assignandis.

1. *Ratione adulterii tantum*, quandò adulterium conjungitur vel cùm promissione contrahendi cum complice post mortem conjugis Can. *Relatum* 31. q. 1. vel cum contractu actuali, quantùm in se est. Cap *cum haberet*. De eo qui duxit. Requiritur tamen 1. adulterii consummatio 2. scientia Matrimonii cum conjuge innocente existentis, seu debet uterque esse conscius Matrimonii, saltem ex parte unius illorum subsistentis; & ideò non incurritur impedimentum, ubi quis inscius Matrimonii, alteri copulatur, licèt posteà cognito matrimonio, adulteræ promittat Matrimonium post mortem conjugis, aut actualiter cum ea Matrimonium attentet. Idem est si promittar ignorato Matrimonio, & postea, cognito, adulteretur. 3. Ut adulterium & promissio fiant vivente conjuge; ideò si adulterium præcessit, & promissio secuta est mortem conjugis, non redduntur inhabiles. 4. Ut sit quædam conjunctio moralis inter promissionem & adulterium defectu cujus promissio omninò revocata ante adulterium non inducit hoc impedimentum. Parum tamen refert, an sex aut septem annis adulterium præcesserit, quia non revocata censetur moraliter perseverare. Perindè est etiam, sive promissio, aut Matrimonii attentatio fuerit ante aut post adulterium. Sed quid si adulter revocet promissionem ante mortem conjugis? Subsistit impedimentum; quia eo ipso quo promissionem acceptat adulterium, aut adulterium promissio, completa fuit inhabilitas. 5. Ut promissio sit acceptata; & ideò, si viro promittente, contradicat mulier aut taceat, non currit impedimentum.

2. *Ratione homicidii tantum*, quando vir aut mulier, ex mutuo tamen consensu occidit suam, aut alterius consentientis comparticem, cum animo Matrimonii inter se post mortem conjugis contrahendi. Patet ex Cap. *Laudabilem*, de Conversi infidel. Dicitur 1. *Vir aut mulier*; quia licèt cap. *Si quis vivente* 31 q 1. tantùm fiat mentio viri uxorem occidentis, perindè est tamen, sive mulier occidat virum sive vir mulierem.

Dicitur 2. *Ex mutuo consensu*; quia si unus ad mortem nullatenùs concurrat aut consilio, aut consensu, aut mandato, nulla est inhabilitas.

Dicitur 3. *Occidat*, scilicet, physicè, aut moraliter, seu per se, aut per alium. Non sufficit tamen ratihabitio occisionis jam factæ; cùm hæc nullatenùs sit causa mortis.

Dicitur 4. *Cum animo* &c. & ideò non sufficit, si ex alio fine occidatur v. g. ex vindicta: ad hoc tamen non requiritur pactum de contrahendo, nec etiam quod animus contrahendi utrique innotescat, dummodò uterque animum habeat, imò in foro Ecclesiæ, ubi constat de mutua conspiratione in mortem, præsumitur adfuisse animus simul contrahendi.

3. *Ratione adulterii & homicidii simul*, quandò adulter aut adultera occidit physicè aut moraliter suam, vel compàticis compartem, etiam sine mutuo consensu; modò adsit animus inter se contrahendi; quia licèt animus ille non exprimatur in jure colligitur tamen ex fine illius, qui est, ne cupiditate alieni Matrimonii, conspiretur in alterius vitam; & ideò si adulter occideret maritum adulteræ, ut hac liberiùs uteretur, non induceretur impedimentum.

ARTICULUS III.

Quid dicendum de cognatione, seu consanguinitate.

Advertendum 1. Triplicem esse cognationem, spiritualem, legalem, & carnalem. *Spiritualis* est propinquitas personarum jure Ecclesiastico introducta ratione Baptismi aut Confirmationis. De hac sufficienter diximus agentes de Sacramentis illis. *Legalis* est propinquitas personarum orta ex adoptione, quæ est personæ extraneæ in filium, nepotem, & deinceps legitima assumptio.

Dicitur *Persona extranea*, id est, quæ non subdatur adoptantis potestati, sive interim sit consanguinea, sive non. Est duplex, una perfecta qua quis sui juris & consentiens transit authoritate Principis supremi, in potestatem & familiam adoptantis; altera imperfecta, qua quis, etiam alieni juris, assumitur auth oritate cujuslibet Magistratus, tamquam filius, non transit in ejus potestatem adoptantis. Sic adoptatus est quidem hæres ab intestato, non tamen necessarius, sicut est perfectè adoptatus. Porrò adoptio perfecta, non imperfecta, (quæ juxta D. Thomam, potiùs est dispositio ad veram adoptionem) dirimit Matrimonium 1. in linea recta inter adoptantem & adoptatum, ac descendentes legitimos adoptatæ, sicut & adoptati saltem usque ad primum gradum, quia de aliis gradibus disputatur. 2. In linea transversa inter adoptatum & proles, legitimas adoptantis; sed cùm hæc cognatio rarùm duret, quamdiù hi & ille remanent sub adoptantis potestate, eo ipso quo ab ipsa liberantur, liberantur & à vinculo non contrahendi inter se. 3. Per similitudinem affinitatis inter adoptantem & uxorem adoptati, sicut & inter adoptantis uxorem & adoptatum. De hac cognatione fusè tractant aliqui; sed cùm apud nos vix sit in usu, superfluum credimus plura afferere.

Advertendum 2. Cognationem carnalem seu consanguinitatem esse vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendentium, vel quarum una descendit ab altera: quod fuit addendum, ne excluderetur consanguinitas genitorum cum genitis.

Advertendum 3 Lineam consanguinitatis (quæ est ordo personarum consanguinitate junctarum) esse duplicem, rectam & transversam, seu collateralem. *Recta* est, secundùm quam unus procedit ab alio: si fiat descendendo: ut à genitore ad genitum, dicitur linea *descendentium*, si ascendendo, ut à genito ad genitorem, dicitur *ascendentium*. *Transversa* est, secundùm quam duo aut plures descendunt carnaliter ab eadem persona, absque eo quòd unus procedat ab alio, ut fratres, consobrini &c.

Advertendum 4. Ut cognoscatur quot gradibus (est autem gradus mensura distantiæ consanguineorum) distent inter se consanguinei, assignari ordinariè has tres Regulas. 1. Est, ut in linea recta tot gradibus distet à stipite persona, de qua quæritur, quot generationibus ab illa descendit: unde quia unica generatione descendit filius à patre, & duabus nepos ab avo, hic duobus gradibus, ille unico distat à stipite. Alii paulo aliter loquuntur, sed in idem redit. 2. Est, ut in linea transversa æquali, tot gradibus distent inter se consanguinei, quot gradibus distant à communi stipite: sic fratres distant inter se uno gradu, & consobrini duobus gradibus; quia illi uno gradu distant à patre, hi duobus gradibus distant ab avo. 3. est, ut in linea transversa inæquali, tot distent inter se gradibus, quot remotior distat à communi stipite; & ideò duobus gradibus distant inter se patruus & nepos; quia licèt ille unico, hic tamen duobus gradibus distat à communi stipite.

Advertendum 5. Quòd licet ita numeretur in ordine ad Matrimonii impedimentum cognoscendum; in ordine tamen ad obtinendam in gradibus consanguinitatis dispensationem, debear collateralium inæqualium gradus remotior & propinquior manifestari, saltem si alter contrahentium à communi stipite distet in primo gradu: v. gr. si quis velit ducere filiam fratris sui, aliàs nulla est dispensatio. Item aliter numerantur gradus lineæ transversæ in jure civili, ac in jure canonico; in illo siquidem duplicantur; ita ut inter duos fratres sint duo gradus, inter duos consobrinos quatuor. His notatis

CONCLUSIO I.

Consanguinitas in linea sive recta, sive transversa dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico usque ad quartum gradum inclusivè. Patet ex Cap. *Non debet*. de Consang. & Affinit. ubi sine distinctione legitur: Cum ergo jam usque ad 4. gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta, eam ità volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis, ut, qui contrà prohibitionem hujusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum.

Dices 1. Tantum ibi meminisse lineæ transversæ; quandoquidem agatur de consanguinitate, ratione cujus prohibebatur olim matrimonium ad sextum aut septimum gradum: non est autem credibile prohibitum fuisse in linea recta ad talem gradum; cùm lex sit Regula aliquando occurrentium: nunquam verò occurrat, ut unus sit contemporaneus illi, à quo descendit per sex aut septem generationes.

Resp Fieri ibi mentionem consanguinitatis ut sic, abstrahendo, an sit lineæ rectæ, an transversæ. Et sicut olim prohibebantur consanguinei ad septimum gradum inter se contrahere, sive recti forent, sive collaterales; quia sufficiebat ad prohibitionem, quòd possent aliqui in una aut altera linea ad gradum illum pervenire; ità & nunc prohibentur quilibet consanguinei ad quartum gradum inclusivè.

Dices 2. Quilibet gradus in linea recta dirimunt Matrimonium

nium juse naturæ, ut dicemus jam: ergo non debuit quoad illos accedere peohibitio Ecclesiastica.

Resp. Dist. Ant. Quilibet gradus dirimunt Matrimonium jure naturæ, secundùm aliquos: C. secundùm omnes: N. Aliqui enim id concedunt tantùm primo gradui alii 1. & 2. alii etiam 4. sed non ulterioribus; & ideo non fuit inutilis Ecclesiastica prohibitio, ut sic haberetur aliquid determinatum apud omnes.

CONCLUSIO II.

PRobabilius est, quemlibet gradum in linea recta dirimere Matrimonium jure naturæ. Ita Scotus 4. dist. 40. D. 4. ubi docet, quòd si Adam adhuc viveret, non posset oubere, quia est pater omolum mulierum. Scoto adhærent non tantùm ejus Discipuli, sed etiam Bellarmious, Meracius, Vasquez, Coninck, Hurtadus, cum pluribus aliis.

Prob. 1 Quia nullibi legitur Summos pontifices in tali gradu dispensasse quæcumque occurrerit ratio aut necessitas. 2. Quia L. ult. ff *De vitu nupt.* deciditur jure gentium (per quod intelligirur à Jurisconsultis jus naturæ) *incestuosas esse nuptias ex grada ascendentium, vel descendentium*. Et L. *Nuptiæ* eodem tit. *consistere non posse inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumve sunt, sive proximi*, scilicet gradus, *sivè ulterioris sint asque in infinitum* 3. Quia, ut ait noster Mastrius, in omnibus lineæ rectæ ascendentibus & descendentibus quantumvis remotis, reperitur ratio principii & principiati, verèque sunt & dicuntur parentes & liberi, adeoque sicut natura inspirat bis revertentiam erga illos, ità & horrorem copulæ cum illis.

Dices 1. Pater & filia sunt diversa supposita, habentque à natura corporis sui potestatem: ergo possunt validè, illud sibi mutuo tradere.

Resp. Dist Ant. Habent potestatem cuilibet tradendi: N. Aliquibus: C. undè non est probabile, Authorem naturæ ratum habere Matrimonium personarum, inter quas natura ob respectus intrinsecos principii & principiati, copulam graviter abhorret.

Inst. Natura abhorret copulam Deo Sacrati per votum simplex, & tamen potest validè Matrimonium contrahere.

Resp Dist. Assump. Abhorret copulam, ob copulam præcisè: N. alias maritatus non posset debitum reddere ob sacrilegium, aut infidelitatem ipsi annexam: C. in nostro autem casu abhorret copulam independenter ab alio crimine.

Dices 2. Avus & alii priores sunt tantùm principium per accidens respectu nepotis, cùm hujus pater potuerit esse à solo Deo, sicut Adam: ergo natura non impedit neptis cum Avo Matrimonium.

Resp. Etiam esse per accidens, quòd Joanna sit filia Petri, cùm Joanna potuerit esse à solo Deo, sicut Adam, & tamen, secundùm Adveriarior, invalidè conjungererur Joanna cum Petro. Undè sicut supposito, quòd Joanna sit à Petro tamquam à patre, sive interim sit per accidens, sive per se, debet ei reverentiam impedientem Matrimonium, ità & supposito, quòd sit à Paulo tamquam avo, sive per se, sive per accidens, debet ei reverentiam, Matrimonii impeditivam.

Dices 3. Quò major est distantia inter ascendentem & desceodentem, eò minor debetur reverentia: ergo ubi maxima est distantia, minima debetur reverentia; adeoque tunc saltem non impedit Matrimonium.

Resp. Neg. Ant Quia licèt hoc sit verum respectu consanguineorum lineæ collateralis, non tamen lineæ rectæ; cùm enim ascendentibus debeatur reverentia ratione principii; Atavus autem sit verum principium parvulæ neptis, hæc illi debet eamdem reverentiam ac patri; imò dato, quòd debeatur minor, equidem cùm semper debeat esse reverentia principiati ad principium, semper natura illorum copulam abhorret.

Dices 4. Non repugnat, quòd filia sit æqualis patri aut avo in contractu emptionis, aut venditionis v. g. ergo nec in contractu matrimoniali.

Resp. Neg. Conseq. Disparitas est, quòd prior contractus non obliget contrahentes ad actionem, quam natura abhorret, sicut obligat posterior.

Dices 5. Jus canonicum tantùm extendit impedimentum consanguinitatis ad 4. gradum, ait enim cap. *Non debet* tit. cit. *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis, & affinitatis gradum non excedat*.

Respondent aliqui tantùm agere de consanguinitate in linea transversa; sed cum juxta D. Thomam, secundus aut tertius gradus consanguinitatis in linea recta non impediat Matrimonium jure naturæ, sequeretur indè, juxta illam sententiam, posse avum sine dispensatione nubere cum nepte; quia tunc nec ex jure naturæ, nec ex jure Ecclesiastico esset impedimentum; cùm non habeatur alius textus, ex quo, jure Ecclesiastico, dirimatur tale Matrimonium; & ideò

Resp Dist. Assumpt. Tantùm extendit ad quartum gradum in linea transversa: C. in linea recta: Subdist. Tantùm extendit, quia putat ulteriores gradus non dirimere Matrimonium jure naturæ: N. quia putat nunquam accidere, moraliter loquendo, ut principium distans quinque generationibus à principiata, Matrimonium ineat cum illa, quandoquidem Scriptura optans alicui vitam longævam, solùm optet, ut videat filios filiorum ad tertiam generationem, aut quartam ad summum. C.

CONCLUSIO III.

PRimus gradus consanguinitatis in linea transversa non dirimit Matrimonium jure naturæ: probabilius tameo dirimit jure divino positivo: reliqui autem gradus tantùm jure Ecclesiastico. Hæc Conclusio habet tres partes.

Prob. 1. pars, quia licèt inter fratrem & sororem sit maxima sanguinis propinquitas non est tamen respectus principiati ad principium, nec superioris ad inferiorem, defectum cujus, cùm non debeant sibi mutuò reverentiam, nec censetur natura ità copulam inter eos abhorrere, ut eorum Matrimonium irritet: Prætereà non est credibile voluisse Authorem naturæ initio naturæ conditæ naturæ limites transgredi, copulando matrimonialiter fratres & sorores undè potius aliquas personas creasset, sicut Adam, id est, sine patre & matre, quàm naturæ limites præterire.

Prob: 2. Pars; quia tale Matrimonium fuisse à Deo irritatum post aliqualem oaturę humanæ multiplicationem, indè colligitur 1. quòd summi Pontifices ounquam in eo dispensaverint ob quamcumque necessitatem occurrentem, si unicum saltem Martinum V. excipiamus, qui, si Sylvestro credimus, semel dispensavit, aliam sententiam secutus, ut evitaret gravia scandala aliàs eventura. 2. Quia Innocentius III. Cap. *Gaudemus*, de Divort. docet, non esse separandos infideles noviter conversos, si cum consanguineis in secundo aut tertio gradu nupserint: ergo supponit esse separandos, adeoque nullum fuisse Matrimonium, non jure naturæ, ut diximus: ergo jure divino, si in primo gradu contraxerint.

Prob. 3. Pars, quia si alio jure, quàm Ecclesiastico irritum esset Matrimonium in gradibus ulterioribus, non dixisset Innocentius, infideles junctos in 2. aut 3. gradu, noo esse separandos.

Dices contra 1. Patrem: *Abraham* putavit sufficienter celare Matrimonium suum, dicendo Gentilibus *Saram* esse sororem suam: ergo tale Matrimonium erat jure naturæ irritum.

Resp. Neg. Conseq. quia sufficiebat, quòd jure naturali ex Divino esset indecens, licet oon ea indecentia, quæ Matrimonium invalidaret.

Dices contra 2. Partem: Thamar dixit fratri suo Amnon 2. Reg. 13. v. 12. *Noli frater mi, noli opprimere me . . . noli facere stultitiam hanc . . . quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*: ergo supponebat non esse invalidum tale Matrimonium jure divino, aliàs stultè fuisset locuta.

Resp. Sic fuisse locutam vel ex turbatione, vel ex prætextu, ut evaderet fratris violentiam; vel quia puella simplex ignorabat legem id peohibentem Levit. 18.

ARTICULUS IV.

Quid dicendum de contentis in hoc versu Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas?

CONCLUSIO I.

CUltus disparitas dirimit Matrimonium inter fidelem & infidelem seu baptizatum, & non baptizatam, & è contra, non jure naturæ, aut divino, sed ecclesiastico consuetudinario. Hæc Conclusio continet tres partes, ante quarum probationem

Suppono 1. Illicitum esse regulariter Matrimonium fidelis cum infideli, tum ob periculum perversionis propriæ, quod maximum est inter conjuges, qui nonnunquam amore cæco, & totaliter carnali sibi invicem adhærentes mutuam complacentiam præferunt Religioni: undè 3. Reg. 11. legitur de mulieribus gentilibus: *Certissimè avertent corda vestra, ut sequamini deos earum*. Tum etiam ob periculum malæ educationis prolium, præsertim in rebus ad salutem pertinentibus, & ideò præcipiens Deus Judæis, nè Gentilibus mi-

misceantur, rationem subdit: quia seducet, scilicet mulier gentilis, filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis. Deut. 7. v. 4.

Suppono 2. Etiam regulariter illicitum esse, ob idem periculum, quando unus contrahentium est hæreticus; imò id expressè prohibet Ecclesia in Can. 13. Concilii Chalcedonensis sicut & Cap. *Decrevit* de Hæreticis in 6. Quod tamen præceptum non est in vigore in Hollandia, Germania, & aliis locis, ubi Catholici cum hæreticis pacificè vivunt sine ullo Religionis propriæ impedimento: & ideò in hoc & præcedenti Supposito tantùm dixi, illicitum esse regulariter. Semper tamen persuadendum est locorum illorum Catholicis, ut potiùs ejusdem fidei conjuges assumant; quia equidem vix unquam abest totaliter periculum præfatum. His suppositis.

Prob 1. Pars Conclusionis; quia nnllatenùs dictat ratio naturalis, fidei disparitatem, quantacumque sit, repugnare substantiæ Matrimonii aut absolutè ejus fini cùm pro educandis prolibus conveniri possit de præcautionibus observandis undè varii fideles in veteri testamento, sicut & in novo imò amici Dei singulares, contraxerunt cum infidelibus, ut in veteri. Jacob cum filiabus Laban idololatræ: Joseph cum Ægyptia, Moyses cum Æthiopissa, Esther cum Assuero. Et in novo SS. Cæcilia, Clothildis, & Monica cum viris nondum baptizatis: quod sanè non fecissent, si hoc repugnasset juri naturæ.

Prob 2. Pars; quia etsi fortè in lege veteri impedirentur lege divina positiva Judæi cum gentilibus nubere seclusa dispensatione, juxtà illud Deut. 7. v. 3. *Neque sociabis cum eis conjugia*, quod non videtur de solis mulieribus Chananæis intellectum, cùm Esdras lib. 1. cap. 10. Judæos à captivitate liberatos compulerit ad repudia uxorum alienigenarum quæ tamen non erant Chananææ; videtur tamen in lege evangelica prohibitionem illam tanquam judiciariam non ampliùs subsistere; aliàs nunquam ei contravenissent sanctissimæ mulieres Cæcilia, Clothildis, & Monica. Et ideò quando Apostolus 2. Corint 6 ait. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, ostendit quidem Matrimonium illud esse jure divino prohibitum, ubi subest periculum subversionis, quod credibile est non fuisse respectu præfatarum Sanctarum, non tamen invalidum Quo sensu veniunt intelligendi Tertullianus & Augustinus: primus quidem dum lib. 2. ad uxorem Cap. 3. *Gentilium matrimonia subeantes stupri reos esse constat*; quia non loquitur de stupro corporis, sed mentis, exponendo se periculo fidei abnegandæ. Secundus verò lib de Adult. conjug. cap. 21. *Hoc est ergo Domini præceptum*, inquit, *tam in veteri, quàm in novo testamento, ut non nisi unius Religionis, & fidei conjugia sibi maneant copulata*: quia agit de copulatione per charitatem: ubi enim disjungit fides, quomodo conjungere potest charitas?

Prob 3 Pars; Constat ex universali Ecclesiæ consensu, cultus disparitatem dirimere Matrimonium: sed non dirimit jure naturali, aut divino, ut diximus: ergo Ecclesiastico, quod cùm nullibi reperiatur scriptum, dicendum est, esse consuetudinarium usu Ecclesiæ longævo approbatum. Ex dictis

Resol. 1. Validum esse Matrimoniom Catholici cum hæretica aut è contra; quia non veniunt huc hæretici nomine infidelis, per quem intelligit Ecclesia non baptizatum.

Resol 2. Invalidum esse Matrimonium Judæi, aut Catechumenicum Catholica; quia in 1. deest fides & Baptismus, qui est janua Sacramentorum; in 2. verò etsi non desit fides deest tamen Baptismus, ob cujus defectum irritat Ecclesia Matrimonium præfatum.

Resol. 3. In hoc impedimento dispensare posse summum Pontificem, ubi adest subversionis periculum quandoquidem, sicut fuit authoritate Ecclesiæ introductum, ità possit eadem authoritate tolli, ubi causa rationabilis subest.

CONCLUSIO II.

Dirimunt etiam Matrimonium vis, Ordo sacer, & ligamen.

Prob 1 Pars, quia cùm vis seu coactio moralis per metum cadentem in constantem virum, notabiliter minuat libertatem in re tanti momenti admodùm necessariam, meritò illam annexuit Ecclesia impedimentis dirimentibus Cap. *Cum locum*, de sponsal de hac materia abundè diximus, agentes de consenso ad Matrimonium requisito, illuc recurre.

Prob. 2. Pars ex Trident. Sess. 24. can. 9. ubi legitur: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse ..... anathema sit*. Quod anteà decisum fuerat Can. *Presbyteris* dist. 27. ubi habetur. *Presbyteris, Diaconis. Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, seu Matrimonia contrahere penitùs interdicimus, contracta quoque Matrimonia ab hujusmodi personis, & personas ad pœnitentiam redigi debere, juxtà sacrorum Canonum definitiones judicamus*. Est autem discrimen inter sacros Ordines, & votum solemne, quod licet utrumque dirimat Matrimonium contrahendum Ordo tamen non dirimat contractum quod facit votum, ubi necdùm accessit copula carnalis Cap *Verum* de Convers. conjug.

Prob. 3. Pars, quia per ligamen intelligitur Matrimonium contractum sive interim consummatum sit, sive non, jam autem cùm nec fœmina duos maritos, nec vir duas uxores simul habere possit; ut diximus agentes de Polygamia, clarum est per prius Matrimonium dirimi posterius.

CONCLUSIO III.

Publica honestas (quæ est propinquitas proveniens ex Sponsalibus validis, & Matrimonio rato sive valido, sive invalido, modò non sit invalidum defectu consensus) dirimit Matrimonium subsequens ad primum gradum, si orta sit ex Sponsalibus, & ad quartum inclusivè, si ex Matrimonio rato.

Prob. 1. Pars; quia licèt jure antiquo impedimentum hoc proveniens ex Sponsalibus, etiam invalidis, (modò non defectu consensus) se extenderet ad quartum gradum; jam tamen jure novo Tridentini restringuitur ad primum: imò impedimentum non est, si invalida sint Sponsalia: sic enim legitur sess 24. cap. 3. *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*. Hinc.

Resol. 1. Impedimentum hoc, sicut & proveniens ex Matrimonio rato esse solius juris Ecclesiastici; cum illud Ecclesia extenderit & restrinxerit secundùm diversas temporum exigentias undè D. Thom. 4. d 41. q. unic. art. 1. *Robur trahens*, inquit, *ab Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem*: quod addit; quia Ecclesia volens filios suos omnimodam honestatem in Matrimonio servare, credidit indecens esse ut contraheretur cum certis consanguineis illius, quocum Sponsalia aut Matrimonium præcessisset.

Resol. 2. Post valida Sponsalia non subsistere Matrimonium cum patre aut matre, fratribus aut sororibus, filiis aut filiabus compartis, sive illegitimi sint, sive legitimi; quia equidem sunt veri consanguinei; & sicut affinitas & cognatio spiritualis contrahitur indiscriminatim cum spuriis & legitimis, ità & publica honestas.

Resol. 3. Impedimentum hoc sivè ex Sponsalibus proveniat, sivè ex Matrimonio rato de quo posteà, semper durare, etiam post mortem sponsi aut sponsæ, quod etiam verum est, licèt Sponsalia mutuo consensu, aut ex justa causa fuissent dissoluta, quia equidem fuerunt valida. Scio aliquos contradicere adferentes etiam Cardinalium declarationem; sed etiam scio à Bonacina proferri posteriorem nobis faventem, talemque esse Curiæ Romanæ mentem & praxim, ut testatur Aversa.

Resol. 4. Si sponsus fornicetur cum sorore sponsæ: neutri posse nubere non quidem sponsæ; quia facta est ipsi affinis ob copulam cum ejus sorore: non etiam sorori; quia id impedit publica honestas orta ex Sponsalibus. Si tamen ante Sponsalia cognovisset sororem sponsæ, posset cum sorore cognita (non tamen cum sponsa putatitia ob affinitatem ortam ex copula cum ejus sorore) contrahere; quia Sponsalia illa ratione affinitatis fuerunt nulla; & ideò dixi Sponsa putatitia.

Prob 2. Pars; quia Tridentinum circà hoc impedimentum, ut proveniens ex Matrimonio, nihil immutavit, ut patet ex Bulla Pii V. *Ad Romanum spectat*, data anno 1568. ubi declarat in eo (id est Matrimonio) *durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus de jure vetere ante prædictum Decretum Concilii introductum erat*: sed ante Tridentinum hoc impedimentum proveniens ex Matrimonio rato valido, aut invalido, extendebat se ad quartum gradum: ergo etiam nunc.

Dixi in Concl. *Modò non sit invalidum defectu consensus*; quia ubi consensus deficit, non tantùm deficit Matrimonium, sed etiam impedimentum, ut expressè deciditur Cap. unico *de Sponsal in 6*. ubi nomine Sponsalium venit etiam Matrimonium ratum.

Dices cum Præposito: Pius V. sup. declarat, quoad Matrimonium ratum, servandam esse antiquorum Canonnm dispositionem: sed excepto impuberum Matrimonio, nullibi asserit jus canonicum ex Matrimonio invalido induci impedimentum publicæ honestatis: ergo.

Resp. Dist. Min. Nullibi asserit explicitè; Transeat, implicitè: N. eo enim ipso quo asserit ex Sponsalibus etiam invalidis dirimi sequentia Sponsalia, aut Matrimonia, ut facit Cap. cit. implicitè imò à fortiori id decidit de Matrimonio rato cùm non tantùm sit contractus per verba de futuro, sed etiam per verba de præsenti; & talis est Theologorum & jurisconsultorum sensus; Ex dictis

Resol. 1. Ex Matrimonio contracto clandestinè: aut cum Monacho, aut cum consanguineo in gradu prohibito, oriri impedimentum præfatum, quamvis non oriatur ex Sponsalibus ità contractis.

Ratio discriminis est, quòd juxtà declarationem Pii V. separaverit Tridentinum hoc impedimentum à contractu matrimoniali per verba de futuro, seu Sponsalibus, non tamen à contractu per verba de præsenti, seu Matrimonio rato.

Resol. 2. Ex Matrimoniis (idem est de Sponsalibus) fictè contractis, non oriri hoc impedimentum licèt exterius præsumantur valida quidquid contradicant aliqui, volentes, nisi fictio, seu defectus consensus possit probari induci publicam honestatem; nam, cùm hoc impedimentum præcisè veniat ab Ecclesia, & hæc declaret cap. cit. sine aliqua distinctione, ex Spousaiibns & Matrimoniis nullis defectu consensus, non oriri, non est hic distinguendum.

Resol. 3. Ex Mattimoniis aut Sponsalibns Incertis, vei conditionatis non induci publicam honestatem; & ideò, si contraxisti cum una ex filiabus Joannis indeterminatè, aut cum determinata, sed sub conditione, nullum sequitur impedimentum ante positam conditionem. Patet ex Cap. prælato.

ARTICULUS V.

Quid dicendum de affinitate?

CONCLUSIO I.

Affinitas est propinquitas personarum ex qualibet copula carnalis proveniens.

Dicitur 1. *Propinquitas personarum*; quia cùm per copulam carnalem vir & fœmina efficiantur una caro, & unus sanguis; ità omnes consanguinei viri fiunt affines fœminæ in eadem linea, eodemque gradu, ac sunt cum illo; & idem est de consanguineis fœminæ respectu viri. Consanguinei tamen unius nō fiunt affines consanguineis alterius & ideò possunt duo fratres contrahere cum duabus sororibus, pater & filius cum matre & filia.

Dicitur 2. *Ex qualibet*, adeoque tam ex copula illicita, quàm licita, tam ex coacta, quàm libera, tam ex habita in somno aut ebrietate, quàm in vigilia & pleno sensu; quia equidem fiunt una caro; jam autem *si una caro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri?* Cap. *Fraternitatis* 35. q. 10.

Dicitur 3. *Copula carnali*, nempè integra & consummata, seu quæ de se sufficiat ad prolis generationem; & ideò non sufficit incoata aut sodomitica sicut nec sufficit Matrimonium ratum, ex quo oritur quidem publica honestas, sed non affinitas.

Dicitur 4. *Proveniens*; quia personæ copulatæ non dicuntur sibi mutuo affines sed affinitatis principium, seu quasi stipes, undè incipit affinitas.

CONCLUSIO II.

Affinitas proveniens ex copula licita, dirimit Matrimonium contrahendum ad quartum gradum inclusivè;

Prob. 1. Pars ex Cap. *Non debet.* de Consang. & Affinit. ubi Affinitas olim extensa ad septimum gradum, ut patet ex Cap. *Æqualiter* 35. q. 3. restringitur ad quartum.

Prob. 2. Pars ex Trident. Sess. 24. Cap. 4. ubi legitur: *S. Synodus . . . impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam, inducitur, Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit*: & quia dubitabant aliqui, an Concilium tollendo impedimentum pro 3. & 4. gradu, etiam prohibitionem contrahendi in illis gradibus sustulisset, Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem* data anno 1568. *Decernimus*, inquit, *nullum hodie impedimentum remanere quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi liberè & licitè Matrimonium contrahi possit*.

Dixi in Conclusione: *Matrimonium contrahendum*: quia non dirimit contractum, sed tantum impedit quominus pars nocens possit debitum exigere, ut diximus agentes de debito.

CONCLUSIO III.

Afnitas lineæ collateralis non dirimit Matrimonium jure naturæ, in quocumque sit gradu. Est jam universalis. Dico *Jam*: quia huic olim contradixerunt aliqui, quorum sententiam Henricus VIII. Angliæ Rex, ut Annam Bolenam sibi desponsaret, fuit amplexatus, repudiando Catharinam Arragoniam fratris sui defuncti uxorem, cui ex dispensatione Julii II. nupserat & cum qua pluribus annis pacificè vixerat.

Prob. Concl. 1. Ex Script. Gen. 29. ubi Jacob duas accipit sorores Liam & Rachel, & Deuter. 27. debebat frater nubere uxori fratris defuncti sine prolibus quod sanè non fuisset præceptum, si juri naturæ fuisset contrarium.

2. Ex dispensationibus Summorum Pontificum, qui cùm nihil possint circa jus naturæ, ut suo loco diximus, concludendum est; impedimentum illud non esse naturale.

3 Ex consensu omnium fere Doctorum totius orbis Christiani, quibus à Clemente VII. occasione dispensationis Pontificiæ Henrico VIII. concessæ, consultis, declaratum est authoritate Papali, dispensationem illam ratam esse & validam.

4. Ex Cap. fin. de Divort. ubi permittitur ad fidem converso permanere cum vidua fratris sui, cui adhuc infidelis nupserat.

5. Ratione; quia non videtur natura ita graviter Matrimonium illud abhorrere, cùm nequidem ita abhorreat Matrimonium fratris & sororis, ut diximus de consanguinitate.

Dices 1. Matth. 14 D. Joannes Baptista graviter reprehendit Herodem, quòd uxorem fratris sui fecisset sibi conjugem: ergo peccaverat cóntra legem naturæ, quandoquidem, utpotè gentilis, non teneretur legi Judæorum id prohibenti.

Resp Quidquid sit, an Herodes ille Gentilis esset, an Judæus (ut volunt aliqui, asserentes qòd pater ejus ad regnum assumptus, Judæorum legem susceperit) non reprehendi, quia nupserat uxori fratris sui defuncti, sed adhuc viventis, ut patet ex Josepho lib 18 Antiq cap. 6. & ex Responsorio secundæ Lectionis in Festo Decollationis S. Joannis, ubi legitur: *Joannes Baptista arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo vivi uti uxorem*.

Dices 2. Lev 18 prohibetur Matrimonium affinium in 1. gradu, tanquam aliquid turpe his verbis: *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*: ergo tanquam juri naturæ oppositum.

Resp. Dist. Aut. Tanquam aliquid turpe, hoc est, indecens, ubi non subest causa: C. tanquam graviter illicitum: N quia nequidem graviter illicitum est jure naturæ Matrimonium fratris cum sorore, ut ex N Mastrio dictum est superiùs: longè autem minor est affinitas consanguinitate.

CONCLUSIO IV.

Affinitas lineæ rectæ orta ex copula sive illicita sive licita, non dirimit Matrimonium jure naturæ, nequidem in primo gradu. Est certa quoad primam partem, & communis quoad secundam.

Prob. 1. pars; quia etsi ex copula illicita oriretur propinquitas ex jure naturæ, quod aliqui negant, non esset tamen nata inducere reverentiam vel amicitiam inter affines: quis enim credat moveri filium ad reverentiam erga illum, qui matrem suam turpiter cognovit, vel erga illam, cum qua fœdè copulatus est pater suus? Et consequenter non est undè propinquitas illa dirimat jure naturę Matrimonium.

Prob. 2. Pars (quam docet Scotus 4. dist. 41. n 4. ubi asserit simpliciter affinitatem non impedire Matrimonium, nisi in quantùm illegitimantur affines per Ecclesię statutum) Prob. in quam 1. Autoritate Concilii Agath. Can. 6. & Aurelianensis III. Can. 10. ubi statuitur non esse dissolvenda Matrimonia, etiam in 1. gradu affinitatis ante Baptismum contracta, adeoque supponuntur fuisse valida.

2. Quia inter novercam & privignum v. g. nulla reperitur superioritas, contrà cujus revertentiam, sit usus Matrimonii; quia si quæ sit superioritas in noverca, derivatur à patre adhuc vivente, in quantum justum, est, ut aliqualiter subdamur illi quam pater habet in uxorem & quam solemus vocare matrem: ipso autem defuncto: novercæ superioritas, aut nulla est (licèt adhuc honorem aliquem debeamus) vel parva; adeoque non impediens jure naturæ Matrimonium.

Dices 1 *Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui morte morientur ambo*, Lev. 20 ergo supponitur

tur jure naturæ invalidum esse tale Matrimonium, cùm ità rigorosè puniantur illud contrahentes.

Resp. Neg. Conseq. Quia vel agitur ibi de copula, vivente novercæ marito; vel, si defuncto, de copula fornicaria. Eodem modo venit intelligendus Apostolus, dùm 1. Corinth. 5. ait: *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*; aliàs quomodò staret dictum Apostoli cùm mos esset apud Persas ut filius, mortuo patre, novercam duceret?

Dices 2. Cap. *Si vir* 35. q. 3. deciditur tantam deberi reverentiam uxori patris, ac ipsi patri: sed filia ratione talis reverentiæ, non potest nubere patri, ergo nec privignus novercæ.

Resp. Dist. Ma. Tanta debetur vivente patre, quia reverentia reddita uxori patris, redditur ipsi patri: Transeat patre defuncto; N.

Dices 3. Cap. *propinquis* 35. q. 3. dicitur ità esse abstinendum ab affinibus, sicut à consanguineis, sed in linea recta abstinendum est à consanguineis in 1. gradu, ergo &c.

Resp. Hoc esse verum secundùm legem Ecclesiæ, non naturæ.

Dices 4. Summi Pontifices, qui sæpiùs dispensarunt in reliquis affinitatis gradibus, nunquam dispensarunt in primo: ergo crediderunt, hoc non esse sui juris, sed naturæ.

Resp. Dist. Ant. Nunquam dispensarunt in primo gradu, quia equidem invalidum esset Matrimonium N. quia indecens erat, ut is, qui dicebatur filius, & aliqualiter inferior, dicatur maritus & superior: C.

ARTICULUS VI.

Quid dicendum de impotentia?

QUoniã varia de hac materia dicenda sunt & brevia, non incongruè huic Articulo satisfaciemus per Quæstiunculas. Nè autem castis auribus offendiculo simus, materiam impuram, quàm poterimus purissimam exponemus.

Petes 1. Quid sit impotentia?

Resp. Esse defectum impedientem Matrimonii consummationem per copulam maritalem. Alia est ab intrinseco, ut proveniens ex nimia ætate, frigiditate, debilitate, deficientia, aut inepitudine necessariorum &c. alia ab extrinseco, ut proveniens ex maleficio, ex hominum malitia &c.

Item alia *perpetua*, quæ nonnisi miraculo, aut peccato, aut cum alterius vitæ periculo potest superari: alia *temporalis*, quæ, per media artis medicæ, aut Ecclesiæ, potest aliquandò tolli.

Rursùs alia *absoluta*, quæ est in viro per ordinem ad quascumque mulieres; aut in muliere per ordinem ad quoscumque viros; alia *respectiva* quæ tantùm constituit impotentem per respectum ad determinatam personam, & non ad alias.

Petes 2. Quænam ex illis impotentiis dirimat Matrimonium contrahendum? Dico *contrahendum*; quia impotentia superveniens Matrimonio contracto, licèt necdùm consummato, illud non dirimit, id exigente Matrimonii indissolubilitate, ut patet ex Cap. *Hi qui.* 32. q. 7. imò ipsa contractus natura, qui non dissolvitur, eo quòd res vendita aut tradita deterioretur, modò bona esset & sufficiens tempore contractus. Ad Quæstionem

Resp. Perpetuam dirimere, idque tùm jure Ecclesiastico, tùm jure naturali: de Ecclesiastico constat ex Cap. *Quod Sedem*, & Cap. *Fraternitatis*, & aliis *de Frigidis & maleficiatis*. De jure naturæ, indè patet quòd materia contractus matrimonialis non sit corpus tale quale, sed potens ad congressum maritalem: ergo ubi deficit potentia illa, deficit materia hujus contractus, adeoque & contractus ipse: undè licèt usus Matrimonii non sit de ejus essentia, potentia tamen ad usum est ipsi essentialis.

Petes 3. An saltem non valeat Matrimonium, quando potentinota est alterius impotentia?

Resp. Licèt possent personæ illæ, secluso incontinentiæ periculo, certum societatis vinculum inter se inire, in ordine ad mutua obsequia sibi præstanda, *ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores*, Cap. *Consultationi* de Frig. & malefi. non tamen vinculum matrimoniale, ita ut potens non possit ad alias nuptias transvolare.

Ratio est; quia sicut non potest esse contractus venditionis, ubi non datur res vendibilis; ità nec contractus matrimonialis ubi non reperitur materia Matrimonii; hujus autem materia, ut dictum est, non est corpus tantùm, sed corpus cum potentia ad copulam. Deindè idipsum declaravit Sixtus V. Bulla *Cùm frequenter* data anno. 1587. ubi ait: *Secundùm Canonum sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahendum reperiuntur.*

Dices 1. Si solum corpus aptum ad copulam esset materia Matrimonii, ubi impotentia superveniret Matrimonio, ipsum dissolveret.

Resp. Neg. Assump. Quia licèt corpus cum tali aptitudine sit materia Matrimonii in fieri, non tamen in facto esse, seu conservari.

Dices 2. *Si sciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominùs contrahit, ostenditur quòd alium finem ex contractu quærit; & ideò contractus stat; si autem nescit, tunc contractus nullus est.* D. Thomas q. 58. art. 1. ad 4.

Resp. Non velle S. Doctorem stare contractum in ratione Matrimonii, sed in ratione amicabilitatis, societatis, aut mutui obsequii, ut patet ex his verbis: *Ostenditur, quòd alium finem ex contractu quærit.*

Dices 3. Sciens alterius impotentiam cedit juri suo: ergo verè contrahit Matrimonium.

Resp. Neg. Conseq. Quia, sicut cedendo, non facit, ut alterius corpus sit materia Matrimonii; ità nec facit Matrimonium.

Petes 4. An non etiam dirimat Matrimonium impotentia temporalis?

Resp. Neg. Patet ex Cap. *Fraternitatis* sup. & ratio est quòd impotens temporaliter possit ex nunc tradere corpus cum obligatione debiti reddendi, ubi cessaverit impotentia: si tamen sit aliquamdiu duratura, nec compartem de illa moneat, peccat mortaliter ob gravem injuriam alteri factam, licèt etiam tunc subsistat Matrimonium.

Petes 5. Quid de impotentia respectiva?

Resp. Dirimere Matrimonium inter eos respectu quorum illa subsistit; cùm reverà facto respectu ad mutua corpora, sint impotentes simpliciter. Accedit quod, cùm Matrimonium sit contractus inter personas determinatas, non respiciat potentiam coeundi in genere, sed cum tali persona. Oriri autem potest impotentia illa vel ex mulieris arctitudine, vel ex viri frigiditate, aut etiam nimio calore fœminæ, ratione cujus non potest semen vel in totum vel in partem intra vas immittere.

Petes 6. Quænam arctitudo fœminæ censeatur impotentia?

Resp. Illam ratione cujus non potest mulier viro suo aptari, aut nonnisi cum vitæ discrimine, cui non tenetur, nec potest se exponere. Imò quamvis se exponeret, & per incisionem aptaretur, nullum esset Matrimonium, nisi de novo contraheret; quia impotentia illa censetur perpetua, quæ non potest tolli sine vitæ periculo. Et idem est, si tolleretur per miraculum aut peccatum. Si autem aptari posset mulier per levem incisuram, aut sine vitæ periculo, staret Matrimonium, teneretur que pati operationem, ut satisfaceret justitiæ debito. Quod limitant nonnulli, nisi maximum indè pateretur incommodum, ratione cujus excusatur à debito reddendo.

Petes 7. Quid faciendum, quando decepti fuerunt Medici circa impotentiam?

Resp. 1. Si impotentia, quam crediderant perpetuam, tollatur post aliquod tempus sine peccato, miraculo aut vitæ periculo, debet separatus ex illorum judicio, redire ad compartem, etiam rejecta secunda si alteri nupserit, quia, cùm impotentia tantùm esset temporalis, primæ nuptiæ fuerunt validæ, secundæ nullæ.

2. Si judicarunt, non posse absque vitæ periculo aptari compartem, quæ ideò recessit, redire tenetur, ubi de contrario constat.

3. Si opinati sunt, aptationem fieri posse sine vitæ discrimine, & tamen operando illud experiantur, nullum est Matrimonium, etiamsi anteà impotens, sana fiat & apta; quia, ut diximus, impotentia, quæ non potest tolli sine vitæ discrimine, censetur perpetua.

Petes 8. Quid faciendum, cùm vir ratione debilitatis potest quidem cognoscere corruptam, non tamen virginem ob resistentiam claustri virginalis?

Quòd virgo illo casu pati possit claustri incisionem, concedunt omnes; quia cùm id non fiat ad delectationem, sed ad medicamentum, non videtur adversari naturæ, saltem ubi abest periculum incontinentiæ (si tunc abesse possit) An autem ad idem teneatur? Affirmant aliqui, quia se reddere debet aptam Matrimonio, ubi potest sine gravi incommodo. Negant tamen alii; quia inepitudo non venit ex parte virginis; sed ex parte viri debilis; & ideò debet potiùs vir per medicamenta & cibos calidiores in id incumbere,

cuàm virgo per medium extraordinarium, quæ sententia videtur probabilior; licèt virgo, vitatura incontinentiam viri per medicamenta non consortati, deberet ex charitate id pati, saltem ubi fieri posset ab ipso viro, à quo statim cognosceretur.

Petes 9. Quid agere debeant maritati, ubi constat de nolus impotentia?

Resp. Ubi abesset scandalum possent separari authoritate propria, & potens ad alias nuptias transire; ubi autem scandalum timeretur, accedere deberet authoritas Judicis Ecclesiastici. Hæc per se patent.

Petes 10. Quid si dubitetur, an impotentia sit perpetua, an temporalis?

Resp. Concedi à Jure cap. *Laudabilem* de Frigidis experientiam triennalem, quæ computari debet à die attentatæ copulæ; quia cùm Cap. *Laudabilem*; dicitur: *à tempore celebrati conjngii*, supponitur ex tunc attentatam fuisse copulam; imò si ob absentiam, infirmitatem, aut aliud impedimentum non fuisset adhibita tempore trienii sufficiens experientia aut si in impotentia ex maleficio, pœnitentiæ, exorcismi, humiliationes, jejunia &c. sufficienter non fuisset adhibita, possent conjuges ulterius experiri. Ubi tamen experimentum sufficiens sumptum est, & Matrimonii consummatio appareret impossibilis, non plus licet ipsis in mutua corpora, ac solutis quamquàm simul manere possint, ut frater & soror, Cap. cit.

Petes 11. Quandonam Impotentia ex maleficio dirimat Matrimonium; Signum est autem impotentiam provenire ex maleficio, quando vir, qui quandoque polluitur in somno, aut calidus est ad alias mulieres, totus frigidus est ad suam, licet aliundè amabilem, & ipsi gratam; aut si mulier statim coarctetur ad accessum viri sibi dilecti. Ad Questionem

Resp. Ex D. Thoma 4. d. 34. q. uni. art. 3. *Impotentia coeundi ex maleficio, aut est perpetua, & tunc Matrimonium dirimit: aut non est perpetua, & tunc non dirimit, & ad experiendum eodem modo Ecclesia tempus triennii præfixit, sicut & de frigiditate dictum est.* Ubi addit separatos, post experientiam posse alteri nubere, nempè virum alteri fœminæ & fœminam alteri viro; quia impotentes ad invicem ex maleficio, possunt esse potentes respectu aliorum.

Petes 12. An impuberes sint impotentes? Porrò censetur pubertas adesse in masculis anno ætatis 14. & in puellis 12. utrobique completo.

Resp. Censeri impotentes jure Ecclesiastico, ut patet ex Cap. *Tuę nobis*. Et Cap. *Continebatur*. De Despons. impub. nisi certè, ut dicitur ibidem, malitia suppleret ætatem, id est, nisi anteà essent Matrimonii & contrahendi, & consummandi capaces: quod refertur de Achaz, & Salomone, quorum ille undecennis genuit Ezechiam, & hic decennis, Roboam, At tamen in foro externo non præsumitur potentia ante pubertatem.

Dixi: *Jure Ecclesiastico*; quia cùm impotentia illa sit solùm temporaria, jure naturæ subsisteret eorum Matrimonium.

Petes 13. Quid censendum de senibus?

Resp. Vel sunt ità decrepiti, ut nec arte, nec natura juvari possint ad copulam, vel è contrà: Si secundum, stat Matrimonium; quia tunc impotentia, si quæ est, est solùm temporalis. Si primum, nullatenus subsistit, quidquid dicant aliqui; quia licèt sit accidentalis impotentia illa, est equidem perpetua. Jungit quidem Ecclesia quoscumque senes, sed supponit capaces; cùm potentiam illam non auferat ordinariè sola senectus.

Petes 14. Quid de moribundis?

Resp. Posse, imò quandoque teneri contrahere, si id exigat uxoris fama, aut proles legitimanda; quia etsi fortè non sint actualiter copulæ capaces, supponitur tamen ordinariè, nisi aliud probetur, potentiam generandi tantùm esse impeditam, non ablatam.

Petes 15 Quid de Eunuchis, & spadonibus?

Resp. Esse impotentes, & quidem jure naturæ, ut declaravit Sixtus V. Bulla *Cum frequenter* data anno 1587. undè, si quandoque videantur semen emittere, nec verum est, nec prolificum.

Petes 16. Quid de Hermaphroditis?

Resp. Posse contrahere juxta sexum prævalentem, L. *Quæritur* ff. De statu hominum; ubi autem neuter prævalet, ipsius relinquitur optio, modò jurent semper contrahere, casu quo moriatur compars, juxtà sexum, quem elegerunt; licèt aliter agens adhuc validè contraheret.

Petes 17. Quid de fœminis semper aborsum facientibus?

Resp. Esse Matrimonii capaces; quia impotentia illa, si quæ sit, censetur tantùm temporalis, utpotè non reputanda, ubi cessaverit tempus fœcunditatis.

Dixi *Si quæ sit*; quia in rigore non est vera impotentia, cùm sit Matrimonio consummando sufficiens: quod autem effectus Matrimonii non sequatur, est per accidens. In illo autem casu abstinere deberet fœmina, ex charitate erga prolem cum Originali morituram, à Matrimonio contrahendo, aut jam maritata à consummando nisi certè salus propria, aut mariti periclitaretur; quia melius est ut proles sic absque sua & parentum culpa moriatur, quàm vel unicum actuale peccatum committatur.

Petes 18. Quid resolvendum de impotentia superveniente Matrimonio?

Resp. Licèt non officiat Matrimonio, ot dictum est, officit tamen copulæ exercendæ, si aut ex viri frigiditate, vel nimio calore, aut ex mulieris arctitudine non possit seminatio fieri intrà vas mulieris, quia tunc manifestum est pollutionis periculum. Sed quid, si mulier non soleat semen immissum retinere; Equidem licitus est Matrimonii usus; cùm habeatur perfecta copula, sitque per accidens, quòd semen legitimè receptum expellatur, sicut per accidens est, quòd receptum à fœmina sterili perdatur, seu non prolificet. Et ità tenet Sanchez de Matrimonio lib. 9. Disp 26. n. 22.

Petes 19. An legitimè maritatis, quibus impossibilis est copula, liceant tactus & similia, ubi fieri possunt sine pollutionis pericuio? Affirmant aliqui; sed.

Resp. Probabiliùs neg. quia in tantùm illa permittuntùr conjugatis, in quàntum ordinantur ad copulam: sed ubi impossibilis est copula, non possunt ordinari ad copulam: ergo. Ordinabuntur, inquis, ad sedandum concupiscentiam, sed experientia constat potiùs accendere, quàm sedare. Volunt aliqui licere ad fovendam amicitiam; sed nisi aliundè probentur licita, non possunt illo fine cohonestari: undè tales deberent, ubi fieri potest, quoad thorum separari.

ARTICULUS VII.

Quid dicendum de Matrimonio clandestino?

PEr matrimonium clandestiuum hic non intelligimus illud, cui solùm desunt denuntiationes; quamvis nonnunquam & illo nomine appelletur; sed illud, quod non fuit in facie Ecclesiæ celebratum ob defectum Parochi, aut duorum testium. Hoc autem, ut suo loco diximus ex Tridene. semper Ecclesia detestata est atque prohibuit: verùm cùm adverteret Ecclesia Tridenti congregata, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodesse, illud invalidavit sess. 24. Cap 1. his verbis: *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi licentia, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit & annullat.*

Dicitur 1. *Præsente* nempè præsentia physica & morali, seu cum tali advertentia, ut de contractu possit testificari, cùm sit finis Concilii, Parochum & testes requirentis; & ideo si Parochus sit amens, ebrius, aut dormiens (quod hìc dicimus de Parocho quoad præsentiam, Idem dicimus de testibus) nullum est matrimonium. Non requiritur tamen quòd sit ad id vocatus; adeoque si vi, dolo, astutia, aut metu coactus interesset, valeret Matrimonium, quia posset de illo testificari: quod etiam verum est, licèt oculos & aures claudendo affectasset non intelligere, modò tamen intellexerit: quod addo; quia ubi reverà factum non observavit, cùm tunc non possit esse testis, non videtur stare Matrimonium, quidquid in contractum afferat Farinacius Cardinalium declarationem, de qua non constat habere conditiones ab Urbano VIII requisitas. Sed quid, si casu fortuito absit Parochus v.g. transeundo? Stabit Matrimonium, si ideo illius transitu usi sunt; sicut quandò quis utitur ideò præsentia parochi celebrantis, officiantis, aut aliud agentis; aliud esset, si non attendentes ad Parochum contraxissent, licet ille transeundo contractum observasset; quia 1. casu censetur adhibitus parochus ad illum finem: quod requisivit S. Cong. C. Tridentini anno 1591. 29. Aug. non 2.

Dixi 2. *Parocho*, seu Persona habente jurisdictionem ordinariam in contrahentes, qualem habet Papa pro tota Ecclesia, Episcopus & ejus Vicarius Generalis pro Diœcesi, Curatus pro parochia. Parum autem refert ad valorem Matrimonii, an sit excommunicatus, irregularis, suspensus aut interdictus, ut declararunt Cardinales sicut & de-

declararunt, non opus esse, ut sit Sacerdos; & ideò quandò Concilium dicit *Præsente Parocho, vel alio Sacerdote*, facit hunc sensum: *Vel alio, qui sit Sacerdos*, nihil determinando, an Parochus ipse debeat esse Sacerdos necne, quamvis ob sententiam oppositam nollem hoc sine necessitate ad praxim reducere, cùm agatur de valore Sacramenti. Ubi autem contrahentes sunt diversæ Parochiæ, sufficit Parochus alterutrius; licet usus (non obligans tamen) invaluerit, ut adhibeatur ille, in cujus Parochia contrahitur.

Dicitur 3. *Vel alio Sacerdote*, quia etiam substitui potest à Parocho excommunicato: cùm enim possit ipse excommunicatus validè adesse, quidni & alium substituere; Cùm nec substitutio illa, nec præsentia per se, sit actus jurisdictionis, saltem in nostra docente Parochum non esse Ministrum hujus Sacramenti. Peccaret tamen graviter Parochus, sicut & substitutus, si eum excommunicatione assisteret; imò & peccarent, qui ipsum sine necessitate adhiberent, si esset excommunicatus vitandus. Porrò ad substitutionem sufficit concessio generalis exercendi in Parochia omnia pastoralia. Non sufficit tamen sperata ratihabitio; quia debet substitui ante contractum; cùm à præsentia illius, ut substituti, dependeat valor Matrimonii.

Dicitur 4. *Et duobus vel tribus testibus*, qui simul, non successivè, adsint cum Parocho, Non est tamen necessarium, ut sint testes omni exceptione majores id est, tales, ut non possint repelli in judicio; quia licèt tales potuerit requirere Concilium, non tamen requisivit, ut declarat praxis quotidiana: nec sine causâ, quia aliàs ob testium qualitates multæ lites suscitarentur circà Matrimonia: undè adhiberi possunt impuberes fœminæ, parentes, consanguinei, familiares, servi, imò & infideles, modò sint rationis compotes, & intelligant id, de quo agitur.

Petes 1. An possit dari casus, in quo valeat Matrimonium sine Parocho, aut testibus in iis locis, in quibus receptum est Tridentinum? Affirmant aliqui, quandò nempè id necessarium foret, aut ad puellæ gravidæ honorem, aut ad prolis legitimationem, aut ad viri erga concubinam nimium inclinati salutem, si alindè mors immineret, & Parochi adventus crederetur anteà impossibilis sed.

Resp. Cum sententia communi Neg. quia necessitas non potest habilitare illos, qui facti absolutè inhabiles, ut patet etiam in consanguineis. Accedit quòd contractus non possint subsistere sine forma sua substantiali: ubi autem potestas legitima inducit decretum annullans contractum aliter factum, præfigit ipsi formam substantialem. Scio legem Ecclesiasticam non obligare in magna necessitate; sed etiam id verum esse de lege merè præceptiva, aut prohibitiva, non autem de lege irritante; ac simul rei morali formam substantialem præfigente.

Petes 2. An hoc decretum sit efficax in iis Provinciis, in quibus non est publicatum Tridentinum?

Resp. Neg. Quia ipsummet Trident. sess. 24. cap. 1. publicationem requirit his verbis: *Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post 30. dies habere incipiat à die 1. publicationis in eadem Parochia factæ enumerandos.*

Petes 3. An Belga obligatus ad hoc decretum ratione domicilii proprii, possit in Anglia, ubi non est publicatum, sine Parocho & testibus validè contrahere? Dico *validè*; quia semper illicitè contrahitur clandestinè, ut dictum est suprà.

Resp. Affirm. Nisi illuc diverterit in fraudem legis. Ratio est quia peregrini possunt se conformare legibus locorum, per quæ transeunt. Dixi *Nisi in fraudem* &c. quia licèt hoc secundùm se tantùm videatur illicitum, non autem invalidum; cum servet formam substantialem loci, ubi contrahit; Cardinales tamen Tridentini Interpretes à Ferdinando Leodiensi Episcopo consulti, responderunt nullum esse tale Matrimonium: quod confirmavit Urbanus VIII. anno 1627. 14. Aug. cujus Bullam refert Manigart. in sua praxi pastorali. p. 2. cap. 4. Aliud tamen ibidem resolvitur, quando talis in Angliam v. g. procedit animo perpetuò manendi, licèt ex sola intentione contrahendi sine Parocho & testibus.

Petes 4. An ille, qui non ligatur hoc decreto defectu promulgationis in loco domicilii, teneatur illud servare, si sit transeunter, aut militiæ causa in loco, ubi publicatum est?

Res. Affirm. Quia, ut suo loco diximus, alibi existentes, etiam ut peregrini, non tantùm possunt, sed etiam tenentur locorum legibus se conformare.

Petes. 5. Qualis habitatio requiratur, ut Parochus censeatur proprius in ordine ad Matrimonium?

Suppono anteà Parochum ad assistentiam Matrimonii requisitum, non esse originis sed domicilii; & ideò, si quis natus Duaci, contraheret Tornaci, ubi habitat, coram Parocho Duacensi invalidè contraheret.

Resp. Requiri talem habitationem, quæ constituat domicilium aut quasi domicilium. Pro quibus vide Tract. N. de Leg. Disp. 3. Art. 5. undè non sufficit quòd quis sit alibi per breve tempus recreationis, negotii, aut peregrinationis causa, nisi certe contraheret cum persona illius loci.

Ratio est; quia cùm tunc non dicatur habere habitationem in illo loco, nec dicitur Parochus illius loci, esse Parochus illius. Quando autem æqualiter aut ferè æqualiter habitat in duobus locis v. g. æstate in pago, & hyeme in urbe, potest Parochum urbis aut pagi assumere, cùm utriusque loci sit parochianus. Consultius est tamen & tutius assumere Parochum loci, ubi actualiter habitat.

Petes 6. Quis censeatur in hac materia Parochus vagabundi?

Resp. Esse Parochum loci, in quo contrahit, cùm nullum alium habeat. Volens obviare Tridentinum inconvenientiis, quæ ex tali Matrimonio nata sunt evenire, eo quòd unus & idem in diversis locis diversas habeat uxores putatitias, *Parochis præcipit*, Cap. 7. *ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*, Quod etiam practicare deberent respectu militum, ex quorum Matrimonio nata sunt sequi eadem inconvenientia.

Petes 7. An Parochus assistens debeat esse in propria Parochia?

Resp. Neg. imò potest parochianos suos jungere in aliena Diœcesi, saltem validè; cùm non sit actus jurisdictionis; imò quamvis esset, non est tamen jurisdictionis contentiosæ. Dico *saltem validè*; quia ubi fieret cum strepitu solemni v. g. denuntiationes faciendo, aut benedictionem solemnem conjugibus impertiendo, aut etiam publicè Matrimonio assistendo, esset illicitum; quia prohibitum est ea, quæ solemnitatem requirunt, in alieno territorio exercere, Idem est si fieret invito aut repugnante loci Parocho.

Petes 8. Quid dicendum de matrimoniis Hollandorum, apud quos olim publicatum fuit Tridentini decretum?

Resp. Nulla esse, si fiant sine Parocho & testibus, licèt ipsi contrahentes essent Hæretici, contraherentque coram Ministro hæretico, aut Magistratu, quia quantùm ad hoc nunquam decreti sui obligationem revocavit Ecclesia. Et ità respondit Congregatio Cardinalium D. Sasboldo Archiepiscopo Philippensi, ac in Provinciis Vicario Apostolico anno 1603. ut referunt Herinx, Neelen, & ideò ad fidem conversi debent de novo juxtà formam Tridentini contrahere. Quantùm tamen ad effectus civiles v. g. ut filii reputentur legitimi, ut possint sicut alii, in hæreditatibus succedere &c. approbantur in foro externo, etiam in Ditionibus Regi Hispaniarum subjectis.

Petes 9. Quid de Matrimoniis Catholicorum apud Hereticos ubi non potest Parochus per se aut per substitutum assistere?

Resp. Hunc casum esse hoc tempore ratum; cùm in omnibus Hereticorum partibus reperiantur Sacerdotes Catholici, aut saltem possint reperiri. Ubi tamen hic casus subsisteret, staret Matrimonium coram duobus testibus celebratum ut respondit eadem Congregatio eidem D. Sasboldo quia non fuit mens Concilii Matrimonia in illis locis impedire.

Petes 10. An possit Catholicus in Hollandia contrahere coram Magistratu Hæretico? Dico *Magistratu*; quia certum est, non posse coram Ministro; cùm per hoc censeretur approbare cæremonias falsæ Ecclesiæ.

Resp. Posse, ubi Matrimonia aliter contracta habentur illegitima; modò tamen ante vel post contrahant coram Parocho & testibus.

Ratio est quia comparitio illa nihil facit ad Religionem, sed tantùm ad scopum civilem, qui est, ut constet de Matrimonio inito.

Petes 11. An Concilii decretum etiam afficiat ignorantes?

Resp. Affirm. quia etsi non peccent legem aliquam invincibiliter ignorantes; ipsa tamen sortitur effectum, quem Legislator voluit ut illa haberet independenter à subditorum cognitione, qualis est actus nullitas.

ARTICULUS VIII.

Quid dicendum de raptu.

HIc nihil foret de raptu repetendum, cùm agentes de illo, ut est species luxuriæ, in Tract. N. super Dec. abundè materiam illa exposuerimus; sed quoniam aliquibus displicet una ex Resolutionibus nostris ibi assignata, nempè quòd raptus ille, qui fit consentiente puella, sed repugnantibus parentibus dirimat Matrimonium; ideò hic breviter aliqua superaddemus.

CONCLUSIO UNICA.

RAptus, qui fit consentiente puella, sed dissentientibus parentibus, verè dirimit Matrimonium.

Prob. 1. Declarat Tridentinum Sess. 24. cap. 6. sine ulla distinctione aut limitatione, raptum dirimere Matrimonium, quandiu Rapta, est sub potestate raptoris: sed raptui assignato verè & propriè competit essentia raptu: ergo. Prob. Min. ex D. Thoma 2. 2. q. 154. art 7. O. ubi ait: *Quandoque violentia infertur patri, sed non virgini, puta, cùm ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur: qualitercumque enim violentia adsit, salvatur* RATIO RAPTUS.

Prob. 2. Quia Concilium per pœnas ibi appositas non intendit prospicere soli puellæ libertati: seu nè involuntariè contrahet, ut supponunt Adversarii: ergo licèt ipsa consentiat, si tamen sit verus raptus, incurritur impedimentum. Prob. An quia ibi etiam puniuntur Clerici raptores, *Et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant*: illi autem non intendunt Matrimonium, sed libidinis expletionem.

Prob. 3. Quia si Concilium tantùm intenderet servare puellæ libertatem circà Matrimonium, eo ipso quo puella abducta consentiret, & ita consentiret, ut nequidem vellet poni extrà raptoris libertatem, tunc cessare deberet impedimentum: sed etiam tunc perseverat, cùm antequam cesset, debeat esse *a raptore separata*, ut ait Concilium: ergo.

Nec aliud vult glossa ponens casum de milite mulierem consentientem, sed parentibus reclamantibus, abducente, quia loquitur conformiter ad textum de muliere, inter quam & militem præcesserant sponsalia, ratione quorum abducens puellam consentientem non dicitur raptor, licèt reclament parentes, quia jus quoddam habet in ipsam. V. dicta sup. Decal.

Dices 1. Concilium non jubet restitui mulierem parentibus, sed in loco tuto constitui: ergo tantùm quærit prospicere puellæ libertati.

Resp. Jubendo constitui in loco tuto, jubet restitui id sibi, & parentibus, cùm desinat esse sub potestate raptoris, per quam solam censebatur ablata à parentibus.

Dices 2. Decretum illud est pœnale: ergo potiùs debet restringi quàm extendi.

Resp. Nec extendi à nobis, cùm raptus, de quo est quæstio, verè & propriè veniat nomine raptus.

Notandum hic, cùm sententia nostra sit verè probabilis, & fortè probabilior, non posse sententiam oppositam deduci ad praxim, cùm agatur de valore Sacramenti.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quis dispensare possit in impedimentis Matrimonium dirimentibus, & quæ causæ requirantur?

CONCLUSIO I.

SOlus Deus dispensare potest in impedimentis jure divino aut naturali dirimentibus; & solus Papa, per se loquendo, in impedimentis dirimentibus jure Ecclesiastico.

Prob. 1. pars: quia nullus inferior dispensare potest in lege superioris, nisi id sibi fuerit concessum; sed nullibi legitur concessa homini dispensatio in præfata impedimenta, imò nec erat Ecclesiæ necessaria talis concessio, ut patebit impedimenta illa examinanti: ergo solus Deus potest dispensare, ubi sunt dispensabilia: quod addo; quia si impedimentum obstet substantiæ contractus, ut impotentia, non potest Deus dispensare, cùm non possit rerum essentias mutare.

Prob. 2. pars; tùm ex universali Ecclesiæ praxi tum ex unanimi Episcoporum consensu, quorum nullus, cui hæc concessio non fuerit à S. Sede, vel ex privilegio, vel ex consuetudine communicata, præsumit extrà casus jam assignandos, dispensare, ob specialem Ecclesiæ reservationem usu communi confirmatam.

Dixi: *Per se loquendo*; quia si dispensationis necessitas hic & nunc urgeat, & aliundè tempus, distantia, paupertas, aut aliæ circumstantiæ reddant accessum ad Papam, aut ejus Legatum moraliter impossibilem; poterit Episcopus dispensare; quia tunc rationabiliter præsumitur velle Summum Pontificem, ut id faciant Episcopi, quod ipsemet faceret, si posset conveniri, cùm non sit credibile, velle sibi dispensationem reservare cum urgentissimo animatum, aut gravium inconvenientium periculo. Testatur autem Veroca in sua praxi Episcopali p. 1. Verbo *Dispensatio*, Romæ accepisse, dispensandi facultatem Episcopo inesse, cùm sequentia concurrunt. 1. Si Matrimonium sit contractum. 2. Si fuerit bona fides & ignorantia impedimenti, saltem ex parte unius contrahentium 3. Si consummatum. 4. Si occultum sit impedimentum: quia si publicum, possunt sine scandalo separari. 5. Si scandalosa foret separatio. 6. Si maritati nequeant, ob paupertatem ad Papam aut Legatum mittere. Imò idem credo cùm Theologis & Canonistis communiter de divitibus, ubi periculum aut incontinentiæ, aut infamiæ, aut alterius gravis mali non pateretur moram.

Sed nunquid idem possunt aliquando Episcopi circà Matrimonium contrahendum?

Resp. Posse, sed rariùs, & non nisi ob gravem necessitatem aliter inevitabilem, ut si contractum cum moribundo exigat honestæ fœminæ fama, prolium legitimatio, gravium scandalorum, aut damnorum evitatio si invitatis in illum diem amicis, paratoque convivio deprehendat Parochus aut alius Confessarius unum contrahentium esse comparti affinem, ob copulam cum consanguineo ejus habitam quia tunc eamdem in Episcopo facultatem requirit fundata necessitas, ac post Matrimonium; & consequenter sicut ante, ità & post in illis circumstantiis interpretari potest Episcopus talem esse S. Sedis voluntatem, imò & tacitam licentiam. Notat tamen Sylvius quòd (ubi scandalum posset evitari, ut si contrahens impeditus diceret se voto ligatum, cujus dispensationem anteà Parochus requirit) deberet Confessarius ipsi injungere, ut castitatem voveret ad unum mensem, plus minusvè, donec dispensatio impedimenti à Papa aut à Nuntio Apostolico reciperetur; sed hæc relinquenda prudenti Parochorum aut Confessariorum judicio.

Quod hic concedimus in Episcopo, non admittimus in ejus Vicario Generali, nisi certè Episcopus id ei concesserit, quod præsumitur fecisse, quando varios habet Episcopatus à se invicem distantes aut etiam quandò unicam habens Diœcesim, ab ea recedit ad talem distantiam ut non possit facilè conveniri.

CONCLUSIO II.

VT Papa dispenset licitè in impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus, requiritur justa causa, eaque major aut minor, prout major vel minor fuerit prohibitionis ratio; & ideò gravior causa requiritur, ut dispensetur in consanguinitate, quàm in affinitate; gravior ut in 2. gradu, quàm in 3. aut 4. gravior, ut in cognatione carnali, quàm in legali; gravior, ut titulo paupertatis, quàm ratione mulctæ.

Ratio est; quia cùm dispensans debeat esse fidelis in suo ministerio, nè sit potiùs dissipator, quam dispensator, non potest à legibus ex justa causa constitutis, sine justa causa se eximere: undè Trid. Sess. 24. cap. 5. *In contrahendis Matrimoniis, vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causa*, nempè proportionata. Quænam autem censeatur proportionata, dependet à prudentum judicio, omnibus in statera Domini libratis & consideratis.

Dixi: *Ut Papa dispenset licitè*; quia non requiritur, ut dispenset validè, sicut requiritur in Episcopo ob rationes allegatas in Tractatu Nostro de Act. hum. ubi multa & pulchra

pulchra de diſpenſatione, etiam in hac materia, requiſita retulimus. Locum illum dignetur Lector conſulere. Hic breviter reſtat.

Notandum 1. pro intelligendis conditionibus reſtringentibus in Litteris diſpenſatoriis apponi ſolitis, conſulendos eſſe Epiſcoporum Officiales, aut perſonas in illis verſatas; cùm earum intelligentia patiatur quandoque in praxi difficultatem, ſitque aliquando moraliter accipiendum, quod videtur phyſicè dictum.

Notandum 2. Ubi petens diſpenſationem exponit candidè cauſam Expeditionario, hic autem ex malitia aut ignorantia narrat falſum, aut ſupprimit verum, nullam eſſe diſpenſationem; cùm diſpenſetur ex ſuppoſito quòd allegata ſubſiſtant. Plura vide loco jam citato.

Hæc de Materia Sacramentali dicta ſint ad utilitatem eorum, pro quorum ſalute Sacramenta inſtituit Salvator noſter JESUS CHRISTUS, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.



INDEX

Rerum, & Materiarum notabiliorum in hoc secundo Tomo contentarum.

A

B

C

NB.

NB. Sequentes Tituli sub V. Christus, *continent præcipua vite ejusdem mysteria, ubi sub quolibet plurimæ devotæ, & curiosę quęstiunculę resolvuntur.*

D

E

F

G

H

I

In-

L

M

sit

N

O

P

R

S

Sa-

T

V

F I N I S.







